









SCRIPTURÆ SACRÆ

CURSUS COMPLETUS,

EX COMMENTARIIS OMNIUM PERFECTISSIMIS UBIQUE HABITIS,

ET A MAGNA PARTE EPISCOPORUM NECNON THEOLOGORUM

EUROPÆ CATHOLICÆ,

UNIVERSIM AD HOC INTERROGATORUM, DESIGNATIS,

UNICÈ CONFLATUS,

Plurimis annotantibus presbyteris
ad docendos levitas pascendosve populos altè positis.

ANNOTARUNT VERO SIMUL ET EDIDERUNT

FR. J. P. ET V. S. M**.**

TOMUS SECUNDUS.

Introductionis pars secunda et partis tertiae initium.

PARISIIS,

APUD EDITORES,

IN VIA GALLICÈ DICTA :

RUE DES MAÇONS-SORBONNE, N° 7.

1837.





ELENCHUS
AUCTORUM ET OPERUM
QUI IN HOCCE SECUNDO VOLUMINE CONTINENTUR.

Introductionis pars secunda.

BECANUS.
Analogia veteris novique Testamenti.

HUETIUS.
Veteris Testamenti cum novo parallelismus.

ACOSTA.
De Christo in Scripturis revelato liber.

EDITORES CURSUS THEOLOGIÆ COMPLETI.
Index testimoniorum à Christo et Apostolis in novo Testamento citatorum ex veteri.

FRASSENIUS.
Conciliatorium Biblicum.

Introductionis partis tertiae initium.

IAHN.
Archæologia Biblica.

INDEX RERUM.

BECANI VITA (1).

« Martinus Becanus, natione Belga, patriâ Brabantus, ex Hilvarenbecâ, Campiniæ municipio, oriundus, ad Jesuitarum societatem accessit, anno 1583, et votorum quatuor professionem emisit. Vir fuit magno ingenio, et ad omnem litteraturam nato; in philosophiâ et theologiâ clarus, illam quadriennium, hanc totos annos 22, Herlsipoli, Moguntiæ, Viennæ Austriæ, rarâ cum admiratione et constanti auditorum applausu, doctor et magister eximius explanavit è cathedrâ. Celeberrimam ejus famam reddidit facilis quædam in interpretando Thomâ Acquinato, fideique controversiis omnibus enodandis perspicuitas, brevitas et plena doctrinæ sanæ soliditas, quam humanissima religiosæ modestiæ comitas exornabat, ut Mathias imperator Martinum tanquàm absolutissimum theologum ad Viennensem academiam illustrandam evocârit. Demùm Ferdinando II, Cæsari Augusto factus à confessionibus, triennio, quo munus sustinuit, incredibile dictu est quàm carus Palatinæ nobilitati fuerit, eo maximè nomine quòd in tantâ opportunitate agendi nequaquàm pateretur se ad politica negotia, atque ab suo instituto aliena tractanda pertrahi. Interim summâ domesticæ disciplinæ observantiâ, summâ suî despicientiâ, insigni morum simplicitate, cum spirituali prudentiâ temperatâ, omnibus erat exemplo, ut vel solo suo conspectu cæteros componeret ad modestiam et sincerum animi candorem. Omnibus erat in amoribus, ob insignem facilitatem suavitatemque, solitus ipsos etiam hæreticos honore prævenire, ut tali eos officio demereretur. Cum externis, haud quaquàm longos sermones ducebat, ut sui congressûs desiderium potiùs illis quàm fastidium relinqueret. Ipse sibi, vel cùm imperatoris confessionibus præesset, aquam è puteo haurire, ipse sibi in omnibus famulari. Tandem acutissimis cholicæ doloribus paucis diebus confectus, obiit Viennæ mense Februario, anno salutis 1624, ætatis 63, Religionis 41, cum magno cæsaris, sodalium, imò et totius reipublicæ christianæ luctu, cui operam hæreticis, calvinistis præsertim confutandis et refellendis, insignem navavit, ut ex merito Calvino-mastyx et Calvinistarum malleus sit nuncupatus.

« Edidit Becanus opuscula plurima, quæ variis locis ac temporibus seorsìm edita, tandem comprehensa tomis duobus prodierunt Moguntiæ, 1630-1631, in f°. Complectitur autem tomus primus: *Opuscula polemica, seu de controversiis fidei contrà hæreticos*, quæ superfluum est singillatim recensere. Accessit *Tractatus de jure et justitiâ*. Prodidit præterea his duobus tomis minimè comprehensa *Analogia veteris et novi Testamenti*, Moguntiæ, 1620, in-8°. *De statu animarum post hanc vitam. De censuris ecclesiasticis. De resurrectione, etc. Compendium Manualis* (ejus quod habetur inter opera polemica, tom. 2) *controversiarum hujus temporis de fide ac religione.* Ultimus Becani partus in variis Germaniæ ac Belgii provinciis, insigni animarum lucro diversis formis excusus. »

Ex quo brevem hanc notitiam evulgavit de Becano P. Alegambe, typis non semel recusa sunt *Analogia veteris testamenti cum novo* cæteraque ejusdem opera. Recentissimè *Analogiam* separatim edidit Mechlinæ D. Hanicq, bibliopola archiepiscopalis. Quæ editio visa est nobis correctissima.

MONITUM MARTINI BECANI.

Vetus Testamentum differt à novo, sicut figura Christi ab ipso Christo: (1 Cor., 10-6.) sicut umbra imaginis ab imagine: (Heb., 10-1.) sicut promissio à donatione (Act. 3, 18; et Rom., 1-2.) sicut epistola atramento scripta, ab epistolâ spiritu Dei scripta: (2 Cor., 3, v. 3.) sicut servitus à libertate, ancilla à dominâ, Agar à Sara: (Galat., 14 24) sicut timor ab

(1) Auctore P. Alegambe, *Biblioth. script. soc. Jes.*

amore : (Rom., 8-15.) sicut sanguis hircorum à sanguine Christi : (Heb., 9-12.) sicut occultum à patefacto : (Aug. lib. 16, de Civ. Dei., c. 26.) sicut inchoatum à perfecto, semen ab arbore, spica à frumento. D. Th., 1-2; q. 107, art. 3. Hinc sequitur primò, nos Christianos in novo Testamento feliciores esse quàm fuerint Judæi in veteri. Nam illi erant servi; nos liberi : illi filii Agar; nos Saræ. Illi habebant solam figuram; nos rem figuratam. Illi umbram imaginis; nos ipsam imaginem. Illis promissus erat Christus; nobis donatus. Illi timore ducebantur; nos amore. Illis occulta erant mysteria Incarnationis et Redemptionis; nobis patefacta. Illi offerebant sanguinem hircorum; nos sanguinem Christi redemptoris. Illi habebant litteram; nos spiritum. Illi semen, nos arborem. Illi spicam; nos triticum. Illi testamentum inchoatum; nos perfectum. Illi mortem, nos vitam. Secundò sequitur, cognitionem unius testamenti multùm prodesse ad cognitionem alterius. Qui enim videt figuram Christi conspirare cum ipso Christo; et umbram imaginis cum ipsâ imagine, pleniorem habet cognitionem, quàm qui alterum sine altero cognoscit, nec unius cum altero consensum et proportionem advertit. Similiter qui confert servitutem cum libertate, timorem cum dilectione, mortem cum vitâ, semen cum arbore, spicam cum tritico, meliùs percipit utriusque naturam et conditionem; quàm si alterum sine alterius collatione spectaret. Denique qui mysteria Incarnationis, Passionis, Mortis et Resurrectionis Christi, prout jam impleta sunt, confert cum iis ipsis, prout in veteri Testamento sub umbrâ ac velamine occultabantur, magis confirmatur in fide ex illâ collatione et consensu, quàm si vel sola mysteria sine umbris, vel solas umbras sine mysteriis, per se seorsim consideraret. Ob hanc causam propositum mihi est, explicare doctrinam veteris Testamenti, ut ex eâ plenior et perfectior habeatur doctrina novi Testamenti, et ex consensu, conspiratione, et analogiâ utriusque doctrinæ inter se collatæ certò constet, eam veram esse fidem et religionem novi Testamenti, quæ retinet consensum, conspirationem, et analogiam cum doctrinâ veteris Testamenti. Eam esse falsam et adulterinam, quæ non retinet.

ANALOGIA

VETERIS NOVIQUE TESTAMENTI.

CAPUT PRIMUM.

DE SCRIPTURA ET TRADITIONE VET. TESTAM.

Quæritur : 1° Quinam sint libri canonici veteris Testamenti? 2° Qui fuerint primi scriptores illorum librorum? 3° An omnes linguâ Hebraicâ primum scripti sint? 4° An omnes perierint tempore captivitatis Babylonicæ, et postea ab Esdrâ restaurati sint? 5° An septuaginta interpretes post captivitatem Babylonicam transtulerint omnes in linguam Græcam? 6° An quandò libri veteris Testamenti citantur in novo, semper citentur in sensu proprio et litterali? 7° An in vetere Testamento, præter Scripturam, fuerint etiam aliquæ traditiones?

Quæstio prima. — *Quinam sint libri Canonici veteris Testamenti?* — Suppono, libros Scripturæ vocari Canonicos à canone. Canon autem duo significat : 1° normam seu regulam, quam sequimur; 2° catalogum seu numerum aliquarum rerum. Utroque sensu libri Scripturæ vocantur Canonici. Priori quidem, quia continent normam seu regulam quam in fide et in moribus sequi debemus : posteriori, quia in catalogum librorum divinorum relati sunt. Hoc posito, quæstio est, quinam libri veteris Testamenti sint Canonici, hoc posteriori sensu, id est quinam relati sint in catalogum seu canonem librorum Scripturæ veteris Testamenti? Respondeo : canon seu catalogus librorum veteris Testamenti duplex est; unus Judaicus, qui tempore Esdræ seu

ab ipso Esdrâ, vel à concilio sacerdotum, cui ipse interfuit, confectus est (1). In isto canone consignati sunt hi libri : Pentateuchus Moysis, liber Josue, Judicum, Ruth, Regum quatuor, Paralipomenon duo, Esdræ duo, Job, Psalterium centum quinquaginta psalmorum, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Prophetæ majores quatuor, Prophetæ minores duodecim. Alter Christianus, qui auctoritate Innocentii I. confectus est. In quo, præter libros jam enumeratos, continentur etiam hi : Tobias, Judith, Esther, Sapientia, Ecclesiasticus, Baruch, et duo libri Machabæorum. Itaque tam hi quàm illi priores, Canonici sunt. Et quidem de prioribus, qui continentur in canone Judæorum, non est disputatio. Omnes, tam Judæi, quàm Christiani agnoscunt illos pro Canonicis. De posterioribus aliqua dissentio est. Judæi, Lutherani et Calvinistæ negant esse Canonicos. Affirmant Innocentius I, epist. 3, ad Exuperium cap. 7, Aug. lib. 2 de Doct. Chr. c. 8, Patres concilii Carthaginensis, Gelasius in concilio Romano, conc. Florentinum apud Bartholomæum Caranzam in summâ conciliorum, concil. Trident. sess. 4, et omnes catholici, qui hoc concilium secuti sunt.

Notandum tamen est, non satis constare, an liber Esther positus fuerit in canone Judæorum, necne. Magni auctores negant, ut Melito apud Euseb. lib. 4, hist. cap. 26. Athanasius in synopsi, et Greg. Naz. in eo carmine, quod scripsit de genuinis Scripturis. Affirmant Hieron. in prologo Galeato, Lyranus, et multi alii in commentario illius libri. Nobis sufficiat, positum esse in canone Christianorum, et ab Ecclesiâ catholicâ pro Canonico recipi et approbari. Et major debet esse apud nos auctoritas Ecclesiæ, quàm Synagogæ : præsertim cum certò constet, qui libri sint Canonici juxta definitionem Ecclesiæ, et tamen non certò constet qui sint Canonici juxta definitionem Synagogæ.

Quæstio ii. — *Qui fuerint primi Scriptores librorum veteris Testamenti?* — Hic quædam certa, quædam dubia sunt. Primò certum est, Moysen scripsisse Pentateuchum, seu quinque libros, qui vulgò libri Moysis appellantur. Quorum primus dicitur *Genesis*, quia in eo describitur generatio cœli et terræ et aliarum rerum. Secundus, *Exodus*, quia in eo describitur egressio filiorum Israel de Ægypto. Tertius, *Leviticus*, quia in eo describitur officium Levitarum circa tabernaculum, sacrificia et alias cæremonias legales. Quartus, *Numeri*, quia in eo numeratur multitudo filiorum Israel per tribus et familias suas. Quintus, *Deuteronomium*, id est, lex secunda, quia in eo repetitur et explicatur lex Domini, quæ fuerat data in monte Sinaï. Quæ tamen in fine Deuteronomii leguntur de morte Moysis, vel à Josue, vel ab aliquo alio addita sunt. Certum est Davidem scripsisse Psalterium. Est tamen dubium, an scripserit omnes psalmos in eo contentos. Affirmant Chrysost. Theodoret. Cassiodor. Euthym. Aug. et alii apud Bellarm. lib. de Script. Eccles. Negant Hilar. et Hieron. apud eumdem, asserentes compositos esse ab iis auctoribus, qui in titulis psalmorum nominantur, ut sunt Moyses, David, Salomon, Asaph, Chore, Idithum. Priorem sententiam sequitur Bellarm. loc. cit. et Alphonsus Salmeron tom. 1, prolog. 19, can. 5. Certum est Salomonem scripsisse Proverbia, Ecclesiasten et Canticum canticorum. De lib. Sapientiæ quæstio est. Aliqui tribuunt Philoni Judæo, Alii plerique Salomoni, quibus assentior. Nam auctor cap. 9, v. 7-8 de seipso sic loquitur : « Tu elegisti me Regem populo tuo, et judicem filiorum tuorum et filiarum : et dixisti me ædificare templum in monte sancto tuo. » Quæ verba non possunt intelligi, nisi de Salomone. Quanquam fieri potuerit, ut omnes et singulæ sententiæ, quæ continentur in illo libro fuerint Salomonis, et postea ab aliquo alio in unum corpus redactæ sint. Et sic censet Bellarm. loco citato. Certum est quatuor prophetas majores, et similiter duodecim prophetas minores, vel scripsisse, vel saltem dictasse suas prophetias, quæ nunc extant : Jeremias dictavit, ut ipsemet fatetur cap. 36, num. 1 et seq. Certum est Esdram scripsisse librum primum Esdræ. Dubium est de secundo. Isidorus lib. 6 Originum, cap. 2, putat utrumque ab Esdrâ: Bellarm. et Salmeron priorem ab Esdrâ, posteriorem à Nehemiâ conscriptum esse. Certum est librum Ecclesiastici scriptum esse à Jesu filio Syrach, ut ipsemet testatur tum in præfatione ejusdem libri, tum cap. 50, v. 29, his verbis : *Doctrinam sapientiæ et disciplinæ scripsit in codice isto Jesus filius Syrach Jerosolymita.*

De aliis libris nihil certi est. Dicam, quod

(1) Ita Hebræi communiter; quibus favere videtur II Machab., c. 2, v. 13. Confer Calmet in hunc locum. Vide etiam Clem. Alex. l. 1 *stromatum ;* Tertull. l. 1 *de Cultu femin.*, cap. 3; S. Irenæum, l. 3, cap. 21, al. 25 ; S. Athan. *in Synopsi;* S. Hilarium *in prologo in psalm.;* S. Chris. *homil. VIII, in epist. ad Hebræos ;* S. Hieron., *contra Helvid.*, cap. 3. Vide et infrà quæst. iv.

boni auctores dicunt. Liber Josue scriptus est, vel ab ipso Josue, ut multi colligunt ex cap. ult., v. 26, vel ab alio, ut contendit August. Torniellus lib. in Annal. Judicum et Ruth, à Samuele. Duo priores libri Regum, ab eodem Samuele. Duo posteriores, itemque duo libri Paralippomenon, ab Esdrâ, vel ab aliquo alio. Liber Job, vel ab ipso Job, vel à Moyse, qui post illum vixit. Liber Tobiæ, vel à Tobiâ seniore, vel à juniore, ut multi colligunt ex cap. 12, v. 20. Liber Judith ab Eliachim, magno sacerdote. Nam apud Judæos, teste Josepho, lib. 1, contrà App., munus sacerdotum erat res gentis suæ celebriores litteris consignare. Liber Esther à Mardochæo, qui rei gestæ interfuit. Liber primus Machabæorum à Joanne Hircano Pontifice. Secundus ab incerto auctore, qui fatetur se omnia compendiosè desumpsisse ex libris Jasonis Cirenæi. (2 Mach. 2, 24.)

Quæstio iii. — *An omnes libri veteris Testamenti primùm scripti sint linguâ Hebraicâ?* — Serarius in proleg. Bibliacis c. 3, q. 2, dicit omnes linguâ hebraicâ scriptos esse, si nomen linguæ hebraicæ sumatur latiùs. Bellarm. lib. 2, de verbo Dei c. 4 ait, vel hebraicè, vel chaldaicè, vel græcè scriptos esse. In re non dissentiunt. Pro quo notandum, triplicem linguam (præter græcam) hoc loco distingui posse. Unam purè hebraicam : alteram purè chaldaicam : tertiam mixtam ex utrâque, quam syriacam vocant. Judæi antè captivitatem babylonicam usi sunt linguâ purè hebraicâ. At tempore captivitatis babylonicæ, cœperunt loqui chaldaicè, non quidem perfectè; sed partim chaldaicè, partim hebraicè. Hinc orta est tertia lingua, quâ Judæi post captivitatem babylonicam usi sunt usque ad Christum, ac deinceps. Et hæc tertia vocabatur vel syriaca, ut dixi, vel hebraica, latè sumendo nomen linguæ hebraicæ. Undè patet linguam hebraicam dupliciter accipi posse. 1. Pro purè hebraicâ. 2. Pro mixtâ ex hebraicâ et chaldaicâ. Priori modo sumitur Gen. 39, v. 14; et 4 Reg., 18, v. 26; et Dan. 1, v. 4; et Dan. 2, v. 4. Posteriori sumitur Joan. 5, v. 2; et Joan. 19, v. 13. Vide auctores citatos.

His positis, dicendum est omnes libros V. T. qui habentur in canone Judæorum, scriptos esse linguâ purè hebraicâ : nisi quod in libro Esdræ et Danielis, quædam partes sermone chaldaico annexæ sunt. De aliis libris, qui sunt extra canonem Judæorum, sic sentiendum est. Liber Esther scriptus est purè hebraicè. Libri Tobiæ et Judith, purè chaldaicè; ut cum D. Hieron. docet Serarius in comment. utriusque libri, et Bellarm. lib. 2, de verbo Dei, c. 3. Liber Sapientiæ, Ecclesiastici, Baruch, et duo Machabæorum extant græcè. An autem aliqui ex illis, primò syriacè scripti sint, dubium est. (Vide Bellarm., c. 4.)

Quæstio iv. — *An omnes libri veteris Testamenti perierint tempore captivitatis Babylonicæ, et posteà ab Esdrâ restaurati sint?* — Hoc intelligitur de iis libris veteris Testamenti qui fuerunt hebraicè scripti antè captivitatem Babylonicam. Magni auctores putant illos periisse tempore captivitatis, quando Hierosolima fuit eversa, et templum Salomonis, in quo libri illi servabantur, à Chaldæis incensum. Sed posteà ab Esdrâ ex suggestione Spiritûs S. fuisse restauratos, et iisdem verbis, quibus antè conscriptos. Hæc sententia tribuitur Clementi Alexand. Theodoreto, Irenæo, Basilio, Tertull., Eusebio, Hieron. apud August. Torniell. in annal. anno mundi 3447, num. 4. Et nititur duplici fundamento : prius est quòd unicum tantùm fuerit exemplar Scripturæ veteris Testamenti quod in templo Salomonis servabatur. Si ergò illud exemplar in conflagratione templi periit, necesse est nullum aliud superfuisse : ac proindè fuisse necessarium ut ab aliquo novum exemplar conscriberetur. Posterius est, quia lib. 4 Esdræ c. 14, v. 44, legimus, Esdram divino Spiritu afflatum per 40 dies dictasse multos libros, eosque à quinque viris, ipso dictante, fuisse scriptos. Quos verisimile est, non alios fuisse, quàm libros veteris Testamenti qui perierant in eversione templi. Hanc sententiam refellit Bellarm. lib. 2, de verbo Dei c. 1; Torniell. loco cit., et alii recentiores. Et meritò, quia nititur infirmis fundamentis. Quod sigillatim sic ostendo. Primò, incertum est, an exemplar Scripturæ perierit in conflagratione templi. Imo certius est, non periisse; nam illud exemplar asservabatur in latere arcæ Domini. (Deut. 31, v. 26.) At arca Domini fuit erepta ex incendio per Jeremiam prophetam. (2 Mach. 2, v. 4.) Ergo et exemplar Scripturæ fuit ereptum. Secundò, falsum est, præter illud unicum exemplar, quod erat in arcâ vel juxta eam, non fuisse aliud : nam rex habebat aliud, quod ex illo erat transcriptum. (Deut. 17, v. 18.) Tertiò utrumque exemplar, tam illud quod servabatur in arcâ, quàm aliud, quod habebat apud se rex, erat tantùm exemplar Deuteronomii, seu legis Mosaicæ, non autem aliorum librorum veteris Testamenti. Ergo saltem alii libri non perierunt in conflagratione templi. Quartò, Liber quartus Esdræ, ex quo

contraria sententia confirmatur, apocryphus et fabulosus est. Et hæc ipsa fabula de quâ agimus, refelli potest ex lib. 2. Esdræ qui Canonicus est. Nam c. 8, v. 1-2, sic legimus : ..... « Congregatus est omnis populus ...... et dixerunt « Esdræ scribæ, ut afferret librum legis Moysi, « quam præceperat Dominus Israeli. Attulit « ergo Esdras sacerdos legem coram multitu- « dine virorum et mulierum. » Ubi non dicitur conscripisse, sed attulisse librum Deuteronomii, quem apud se, utpote sacerdos, asservabat. Neque obstant citati Patres. Non enim asserunt, Esdram ex memoriâ dictasse omnes libros veteris Testamenti quasi jam antea periissent; sed dispersos collegisse, et in ordinem redegisse : ac, si quid in iis fuisset depravatum, emendasse. Simile quid scribit Athan. in Synopsi : « narratur, inquit, et hoc de Esdrâ : cùm libri « sacri per incuriam populi, et diuturnam ca- « ptivitatem perirent, ipsum, cùm esset vir « industrius, et lector perdiligens, verique ac « recti studiosissimus, eos omnes libros apud « se custodivisse, et postea eos in commune « protulisse, atque ita ab interitu quodammodò « vindicatos conservasse. »

Quæstio v. — *An 70 interpretes, post captivitatem Babylonicam, transtulerint libros veteris Testamenti in linguam græcam, et quomodò id factum sit?* — Certum est, tempore Ptolomæi Philadelphi, qui vixit trecentis ferè annis ante Christum, 72 seniores Judæorum, in Ægyptum vocatos esse ab eodem Ptolomæo, ut Scripturam veteris Testamenti ex hebraicâ transferrent in græcam linguam. Ita refert Aristæus in historia de hac ipsâ re, qui tunc præsens erat (1). Josep. lib. 12 Antiq., c. 2. Philo. lib. 2, de vitâ Moysis. Tertull. in Apolog. Athan. in Synopsi. Epiphan. de mens. et pond. Aug. lib 18, de Civit. Dei c. 24, de doct. Christ. c. 15. et alii passim. Nisi quod Irenæus lib. 3, c. 23. Et Clem. Alexand. lib. 1, Stromat. putent hoc factum esse sub Ptolomæo Lagi filio, qui Philadelphum proximè antecessit. At dubium est : 1° An isti 70 seniores transtulerint omnes libros veteris Testamenti, an tantùm aliquos. 2° Quomodo id fecerint. 3° Quantæ auctoritatis sit hæc translatio. 4° An adhuc extet. Circà primum duplex est opinio. Una, quòd transtulerint solam legem Mosaicam. Ità Hieron. in quæst. hebraicis, et in c. 2 Ezech., et in c. 2 Micheæ. Et probat ex Aristæo, Josepho, et Philone, qui solius Pentateuchi mentionem faciunt. Altera, quòd transtulerint omnes libros veteris Testamenti. Ità Irenæus, Clemens, Epiphanius et Aug. locis cit. Hanc sententiam sequitur Bellarm. lib. 2, de verb. Dei c. 6, et probat tripliciter. Primò, quia apostoli in citandis testimoniis prophetarum, usi sunt græcâ translatione. At tempore apostolorum, nulla erat græca translatio, nisi 70 interpretum. Secundò, quia verisimile est, Ptolomæum regem, qui ex toto terrarum orbe comparabat libros pro suâ bibliothecâ, habuisse etiam libros prophetarum, et consequenter curasse eos transferri. Tertiò, quia omnes dicunt miraculosè factum esse, quòd translatio spatio 72 dierum fuerit absoluta. At nullum esset miraculum, si sola lex Mosaica fuisset translata. Nec obstat quòd Aristæus, Josephus, et Philo solius legis mentionem faciant : nam nomine legis sæpè intelligitur totum vetus Testamentum, ut Joan. 10, v. 34. *Nonne scriptum est in lege vestrâ : quia ego dixi, Dii estis?* Quod tamen scriptum est in psalmis (Psal. 81, v. 6), et Joan. 15, v. 25. *Ut adimpleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est : quia odio habuerunt me gratis.* Quod etiam scriptum est in psalmis (Psal. 24, v. 19), et 1 Cor. 14, v. 21. *In lege scriptum est : quoniam in aliis linguis et labiis aliis loquar populo huic.* Quod scriptum est in Isaiâ c. 28, v. 11. Circà secundum, consentiunt quidem auctores, 72 senes Hebræos (videlicet sex ex unâquâque tribu) utriusque linguæ peritissimos, spatio 72 dierum mirabili consensione, libros veteris Testamenti ex hebraico sermone in græcum transtulisse : sed in eo discrepant, an singuli separatim, an verò bini et bini, an denique omnes simul inter se conferentes, id fecerint. Triplex opinio est. Prima, singulos separatim inclusos fuisse in singulis cellulis, et divino miraculo factum esse, ut singulorum translationes non solùm in sensu, sed etiam in verbis ipsis consentirent : ita ut fuerint 72 exemplaria, ne in minimo quidem puncto discrepantia. Ita Justinus in orat. exhortatoria ad Gentes (ubi etiam asserit, se apud Alexandrum vidisse vestigia cellularum), Cyrillus Catech. 4, Irenæus, Clemens et Aug. locis citatis. Altera, binos et binos in cellulis inclusos fuisse ; ita ut fuerint 36 exemplaria,

(1) Primus omnium, teste Calmeto in Dict., Aristæi meminit Flav. Jos. ejusque historia plerisque recentioribus criticis fabulosa videtur : quod ex Scaligero paucis probat Valesius in annot. ad cap. 9, l. v hist. Eccles. Eusebii ; pluribus verò ex Hodio, Andreas Pauly, proleg. in S. Script. Diss. VII, c. 2.

quæ miré inter se conspirarent. Ita Epiphanius loco citato. Tertia, omnes simul in eâdem basilicâ sedisse, et inter se conferentes, unum exemplar confecisse. Ita Hieron. præfatione in Pentateuchum. Et probat ex Aristæo et Josepho. Nam Aristæus, qui fuit præsens, apertè scribit, eos simul contulisse singulis diebus usque ad horam nonam. Et Josephus qui etiam narrat rem gestam, nequidem meminit cellularum, quod tamen fecisset pro honore suæ gentis, si putasset ità contigisse. Circà tertium, omnes auctores fatentur translationem 72 interpretum divinitùs factam esse, ac proindè, magnam habere auctoritatem. Solus Hieronymus videtur aliter sentire. Nam præfatione in Pentateuchum asserit, non fuisse vates, sed tantùm interpretes. Et alibi sæpè reprehendit illorum versionem, præsertim in quæstionibus hebraicis, in libro de optimo genere interpretandi, in epistolâ ad Suniam et Fretellam, et in commentariis prophetarum. Quanquam, ut verum fatear, non reprehendat ipsam versionem, sed vitia quæ postea in eam irrepserunt. Nam præfatione 1 in libros Paral. sic scribit: « Si 70 interpretum pura, et ut ab eis « in græcum versa est, editio permaneret, « superfluè me impelleres, ut hebræa tibi « volumina latino sermone transferrem. Nunc « verò, cùm pro varietate regionum diversa « ferantur exemplaria, et germana illa anti- « quaque translatio corrupta sit atque violata. » Et præfatione 2: « Nec hoc 72 interpretibus; « qui Spiritu S. pleni, ea quæ vera fuerunt, « transtulerant; sed scriptorum culpæ ad- « scribendum, dum de emendatis inemendatè « scriptitant, et sæpè tria nomina subtractis « è medio syllabis, in unum vocabulum co- « gunt. » Et præfat. in Esdram et Nehemiam: « Si quis autem vobis 70 opposuerit interpre- « tes, quorum exemplaria varietas ipsa lace- « rata et inversa demonstrat, mittite eum ad « evangelia, in quibus multa ponuntur de « veteri Testamento, quæ apud 70 interpretes « non habentur, velut illud: Quoniam Na- « zaræus vocabitur: et, ex Ægypto vocavi fi- « lium meum: et, videbunt in quem compunxe- « runt; multaque alia, quæ latiori operi re- « servamus: et quærite ab eo, ubi scripta sunt, « cùmque proferre non potuerit, vos legite de « his exemplaribus, quæ nuper à nobis edita, « maledicorum linguis quotidie confodiuntur. » Circà quartum, aliqui putant græcam versionem 70 interpretum planè periisse. Alii rectiùs non quidem periisse; sed valdè corruptam ac vitiosam esse. Hoc patet ex verbis Hieronymi jam citatis. Deinde, ex Justino, qui in dialogo cum Triphone ait, multis locis depravatam esse à Judæis. Tertiò, ex Philone et Aristæo, qui asserunt, primam versionem, quæ à 70 interpretibus facta est, non solùm quoad sensum, sed etiam quoad verba exactè consonasse cum hebræo textu. Addit Aristæus, diligenter fuisse examinatam, antequam poneretur in bibliothecâ regis; ex omnibus acclamatum, sanctè, et singula esse translata, ut nihil addi, nihil demi possit. At versio græca, quæ nunc extat, in multis dissentit ab hebræo textu; nam multa habet, quæ in hebræo non sunt. Multa non habet, quæ in hebræo sunt. Multa habet falsa. (Videatur Hieron. locis citat., et Bellarm., l. 1, c. 6.)

Quæstio vi. — *An, quando libri veteris Testamenti citantur in novo, citentur tantum in sensu litterali?* — Suppono testimonia Scripturæ tripliciter citari posse. Primò, in sensu litterali qui à Spiritu S. intentus est. Secundò, in sensu mystico, qui etiam à Spiritu S. intentus est. Tertiò per quamdam accommodationem, quam quisque pro suo arbitrio facere potest, modò piè ac prudenter id faciat, sine ullâ falsitate vel absurditate. (Vide Gabr. Vasquez 1. p. d. 15, c. 2, in fine.)

Nunc quæstio est, an Christus et apostoli, quandò citant testimonia Moysis et prophetarum, citent ea in sensu tantùm litterali? An aliquando etiam in sensu mystico, vel per accommodationem? Resp. quædam citant in sensu litterali; quædam in sensu mystico, quædam per accommodationem.

Exempla primi generis passim obvia sunt. Matth. 19, v. 4, citatur illud Gen. 1, v. 27..... *masculum et feminam creavit eos.* Et Act. 3, v. 25, citatur illud Gen. 12, v. 3..... *In semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ.* Et Rom. 4, v. 3, citatur illud Gen. 15, v. 6: *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam.* Et Rom. 13, v. 9, citatur illud Exod. 20, v. 14: *Non adulterabis; non occides; non furtum facies.* Hæc et multa alia citantur in sensu litterali, quem ipsa verba proximè et immediatè significant. — Exempla secundi generis. Primùm, Gen. 21, v. 10: *Ejice ancillam hanc, et filium ejus; non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac.* Hoc secundùm litteram intelligitur de Agar, quæ erat ancilla Abrahæ, et de filio ejus Ismaele. At apost. (Gal. 4, v. 30) citat in sensu mystico de Synagogâ. Nam quod in vetere Testamento secundùm litteram scri-

ptum est, Abrahamum habuisse unam ancillam, quæ erat Agar, et unam liberam, quæ erat Sara : hoc mysticè significabat Deum habiturum Synagogam tanquam ancillam, et Ecclesiam Christi tanquam liberam. Item quod in vetere Testamento secundùm litteram scriptum est, Agar cum suo filio Ismaele fuisse ejectam et repudiatam : Saram verò cum suo filio Isaac mansisse cum Abrahamo : hoc mysticè significabat, Synagogam Judæorum repudiandam, non item Ecclesiam Christianorum. Secundùm, Exod. 12, v. 46, et Num. 9, v. 12 : *Nec os illius confringetis ;* quod secundùm litteram dictum est de agno paschali, cui non frangebantur crura, cùm in sacrificio mactabatur. At evangelista citat in sensu mystico de Christo, qui per agnum paschalem fuit præfiguratus. (Joan. 19, v. 36.) Tertiùm, Deuteron. 25, v. 4 : *Non ligabis os bovis...* Quod secundùm litteram intelligitur de vero bove, qui in areâ triturat, seu grana frumenti excutit. At Apostolus mysticè his verbis... *Non alligabis os bovi trituranti,* explicat de prædicatoribus evangelii, quibus alimonia seu sustentatio neganda non est. (1 Cor. 9, v. 9.) Quanquam aliqui putent per accommodationem illis applicari. Quartum, Oseæ 11, v. 1... *Ex Ægypto vocavi filium meum.* Quod secundùm litteram intelligitur de populo Israel, qui ex Ægypto per Moysen eductus est in terram promissionis. Evangelista mysticè intelligit de Christo, qui cum Mariâ matre et Josepho revocatus est ab Ægypto per Angelum. (Matth. 2, v. 15.)

In his et similibus exemplis, notandum est sensum mysticum esse, qui proximè significatur, non per verba Scripturæ, sed per res ipsis verbis significatas. Quo pacto Synagoga et Ecclesia mysticè significantur per Agar et Saram, Christus per agnum paschalem : prædicatores evangelii per boves triturantes. Reditus Christi ex Ægypto per reditum filiorum Israel ex Ægypto, et sic deinceps.

Exempla tertii generis ; primùm, Zach. 4, v. 3 : *Duæ olivæ super illud candelabrum aureum.* Quod secundùm litteram intelligitur de Jesu filio Josedech, et de Zorobabele duce Juda. At apost. Joan. per accommodationem applicat duobus testibus, Enoch et Heliæ, qui ab antichristo interficiendi sunt. (Apoc. 11, v. 4.) Vide Vasquez 1. part. disp. 14, c. 10. Secundùm, Isaiæ c. 29, v. 13 : *Populus iste... labiis suis glorificat me, cor autem ejus longè est à me.* Quod secundùm litteram intelligitur de illis Judæis, qui erant tempore Isaiæ. At Christus accommodat Scribis et Pharisæis sui temporis. (Matth. 15, v. 8.) Vide Vasquez ibid., cap. 5.

Hic modus utendi testimoniis Scripturæ per accommodationem, valdè frequens est apud Patres et concionatores. Sic Ecclesia accommodat B. Virgini, quod scriptum est Cant. 1, v. 4 : *Nigra sum, sed formosa.* Sic. Aug. illud apostoli 2 Cor. 3, v. 6 : *Littera..... occidit, spiritus autem vivificat.* Per accommodationem explicat de litterâ et sensu Scripturæ. Sic Bonifacius VIII, Luc. 22, v. 38..... *Ecce duo gladii hic...,* accommodatè intelligit de duplici potestate Pontificis, spirituali et temporali. Sic Greg. illud Gen. 1, v. 16. *Fecit Deus duo luminaria magna...* intelligit de Pontifice et Imperatore. Hujusmodi exempla propè infinita sunt.

Quæstio vii.—*An in vetere Testamento, præter Scripturam, fuerint etiam aliquæ traditiones ?* —Judæi præter Scripturam habebant etiam traditiones, et quidem duplices. Nam aliæ erant Pharisæorum quas Christus in evangelio reprehendit : aliæ Mosaicæ quæ erant laudabiles, et ad salutem necessariæ. Traditiones prioris ordinis erant hæ : Prima, quòd ante sumptionem cibi lavandæ essent manus. Matth. 15, v. 1-2 : « Accesserunt ad eum... Scribæ « et Pharisæi, dicentes : quare discipuli tui « transgrediuntur traditionem seniorum? Non « enim lavant manus suas, cùm panem manducant. » Secunda, quòd etiam inter comedendum illa lotio sæpius esset repetenda. Marci 7, v. 3 : « Pharisæi et omnes Judæi, nisi crebrò « laverint manus, non manducant, tenentes « traditionem seniorum. » Hinc in nuptiis Canæ Galilææ, erant sex Hydriæ positæ secundùm purificationem Judæorum. (Joan. 2, v. 6.) In quibus Hydriis erat aqua ad lavandas manus inter prandendum. Tertia, quòd venientes è foro non deberent cibos capere nisi loti essent. Marci 7, v. 4 : « Et à foro nisi baptizentur, non comedunt : Et alia multa sunt, « quæ tradita sunt illis servare, baptismata « calicum, et urceorum, et æramentorum, et « lectorum. » Quarta, quòd cum peccatoribus non esset sumendus cibus. Matth. 9, v. 11 : « Et videntes Pharisæi, dicebant discipulis « ejus : quare cum Publicanis et peccatoribus « manducat magister vester? » Similia habentur Lucæ 5, v. 30. Quinta, quòd nequidem permittendum esset, ut quis à peccatoribus tangeretur. Lucæ 7, v. 39 : « Videns autem « Pharisæus qui vocaverat eum, ait intrà se « dicens : hic si esset propheta, sciret utique,

« quæ, et qualis est mulier, quæ tangit eum : « quia peccatrix est. » Ubi manifestè apparet, Pharisæum fuisse miratum, quòd Christus à muliere peccatrice pateretur se contrectari, eò quòd hoc esset contra morem et traditionem Pharisæorum, quorum vox erat hæc : *recede à me, non appropinques mihi, quia immundus es....* Isaiæ 65, v. 5. Sexta, quòd in sabbato non liceret ægros sanare. Lucæ 6, v. 7 : « Observa- « bant autem Scribæ et Pharisæi si in sabbato « curaret : ut invenirent, unde accusarent « eum. » Et Joan. 9, v. 16 : « Dicebant ergo ex « Pharisæis quidam : non est hic homo à Deo « qui sabbatum non custodit... » Loquebantur de Christo, qui cæco visum restituerat in sabbato. Septima, quòd famelici non possint spicas vellere et comedere in sabbato. Matth. 12, v. 1-2 : « Abiit Jesus per sata sabbato : Disci- « puli autem ejus esurientes cœperunt vellere « spicas, et manducare. Pharisæi autem vi- « dentes, dixerunt ei : ecce discipuli tui fa- « ciunt quod non licet facere sabbatis. » Octava, quòd frequenter esset jejunandum et orandum. Matth. 9, v. 14 : « Quare nos et « Pharisæi jejunamus frequenter : discipuli « autem tui non jejunant? Et Luc. 5, v. 33 : « Quare discipuli Joannis jejunant frequenter, « et obsecrationes faciunt : ... tui autem edunt « et bibunt? » Nona, quòd omnium rerum, etiam minimarum, decimæ offerendæ essent Deo. Matth. 23, v. 23 : « Væ vobis, Scribæ et « Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham, « anethum, et cyminum ; et reliquistis quæ « graviora sunt legis, judicium et misericor- « diam et fidem ! Hæc oportuit facere, et illa « non omittere. » Hìc decimare, idem est quod decimas dare. Est ergo hic sensus : vos Pharisæi datis decimas omnium rerum, etiam minimarum, quod non facitis ex præcepto Dei scripto in lege Mosaicà, sed ex vestrâ traditione non scripta : et interim negligitis ea, quæ vobis in lege præcepta sunt. Hæc debebatis facere, et illa non omittere.

Ibi notandum est, triplici titulo potuisse dari decimas : 1° Ex præcepto legis Mosaicæ. 2° Ex voto. 3° Ex traditione. Ex præcepto debebant dari decimæ de frugibus, de pomis arborum, de bobus, ovibus et capris. (Levit. 27, v. 30.) Ex voto, poterant dari pro arbitrio voventium. (2 Paralip. 31, v. 6.) Ex traditione solebant Pharisæi dare decimas, menthæ, anethi, cymini, et similium rerum minimarum, quas alii non dabant ; nec ex præcepto legis tenebantur dare, ut docet D. Thomas 2-2, q. 87, art. 2. ad 3. Jansenius in concord. Evang. c. 84. Maldonat. in c. 18. Lucæ v. 11, Francisc. Lucas in c. 23. Matth. v. 23. Quo nomine gloriatur quidam ex Pharisæis in Evangelio, cùm ait : *Non sum sicut cæteri homines : Jejuno bis in sabbato : decimas do omnium quæ possideo.* Quasi dicat : hoc cæteri homines non faciunt. Dant quidem decimas vini, frumenti et olei ; sed non omnium bonorum etiam minimorum, ut ego et reliqui Pharisæi facimus.

Decima, quòd qui juraret per templum vel altare, non esset reus criminis : qui autem juraret per aurum templi, vel per oblationes, quæ in altari fiebant, esset reus. Matth. 23, v. 16 et seq. : « Væ vobis, duces cæci, qui di- « citis : quicumque juraverit per templum, « nihil est : qui autem juraverit in auro tem- « pli, debet ! Stulti et cæci : quid enim « majus est, aurum, an templum quod sancti- « ficat aurum? Et quicumque juraverit in « altare, nihil est : quicumque autem jurave- « rit in dono, quod est super illud, debet. « Cæci : quid enim majus est, donum, an al- « tare quod sanctificat donum? » Undecima, quòd filii non tenerentur reipsa parentes suos honorare aut illis benefacere : sed quòd abundè sufficeret, munus aliquod Deo offerre. Matth. 15, v. 3 et seq. : « Quare vos transgre- « dimini mandatum Dei propter traditionem « vestram? Nam Deus dixit : Honora patrem « et matrem, et : qui maledixerit patri, vel « matri morte moriatur. Vos autem dicitis : « quicumque dixerit patri, vel matri, munus « quodcumque est ex me, tibi proderit : et non « honorificabit patrem suum aut matrem « suam : et irritum fecistis mandatum Dei « propter traditionem vestram. » Hæ fuerunt præcipuæ traditiones Pharisæorum, quantum ex evangelio licet colligere. Et quanquam aliquæ earum essent bonæ ex suo genere ; aliæ malæ, aliæ indifferentes, aut utiles, Pharisæi tamen propter omnes reprehendebantur à Christo, ob has causas. Primò, quia ipsi ex earum observatione quærebant inanem gloriam, et opinionem sanctitatis apud homines cùm nihil minùs quàm sancti essent. Matth. 23, v. 5 : *Omnia verò opera sua faciunt ut videantur ab hominibus...* Hinc passim in evangelio vocantur hypocritæ, et sepulchra dealbata. Secundò, quia ex quarumdam observatione sectabantur etiam opes ac divitias : præsertim ex longis orationibus, quas in eum finem recitabant. Matth. 23, v. 14 : « Væ vobis, Scribæ et Pha- « risæi hypocritæ : quia comeditis domos vi-

« duarum, orationes longas orantes ! ... » Et Marci 12, v. 38-40 : « Cavete à Scribis... qui « devorant domos viduarum sub obtentu pro« lixæ orationis. » Ubi comedere seu devorare domos viduarum, nihil aliud est quàm spoliare seu exhaurire. Nam viduæ veniebant ad Pharisæos, tanquam ad homines sanctos (quippe qui sanctitatem simulabant) et eorum orationes pretio emebant. Tertiò, quia superstitiosè minutiora quædam servabant, et alia majora negligebant, ut paulò antè dictum est. Dabant enim decimas rerum ètiam vilissimarum, et interim negligebant judicium et misericordiam in dijudicandis causis, quæ ad ipsos deferebantur. Et hoc sensu accipi potest illud Matth. 23, v. 24 : *Excolantes culicem..... camelum autem glutientes.*

Traditiones posterioris generis (de quibus hic potissimùm agimus) erant tres præcipuæ. Prima, quòd omnes et singuli libri, qui in canone Judæorum consignabantur, essent verè divini et à Deo inspirati. Hoc fide credebant Judæi, et tamen nusquam in veteri Testamento scriptum est. Secunda, quòd femellæ haberent aliquod remedium contra peccatum originale, non minùs quàm masculi ; qualecumque tandem fuerit illud remedium. Nec hoc uIlibi in vetere Testamento scriptum est. Tertia, quòd cruenta ipsorum sacrificia significaverint mortem Christi. Hoc etiam erat dogma fidei ; nec tamen in vetere Testamento scriptum est.

Duas posteriores traditiones sic explico. Judæi fide credebant, femellas concipi in peccato originali, non minùs quàm masculos. Nihil certius. Ergo fide credebant illas salvari non posse, nisi per aliquod remedium à Deo institutum. Debebant autem scire in particulari, quod et quale esset hoc remedium ; alioqui omnes femellæ periissent sine remedio. At nusquam scriptum est in vetere Testamento quod et quale fuerit hoc remedium in particulari : ergo per solam traditionem hoc sciebant. Hæc autem traditio erat ad salutem necessaria ; quia sine remedio non poterant salvari femellæ : qualecumque tandem fuerit illud remedium, sive fides parentum, sive aliquid aliud. Similiter fide credebant, quædam cruenta sacrificia à Deo instituta esse pro expiatione peccatorum. Vel ergo putabant ejusmodi sacrificia per se, et propriâ virtute expiare peccata ; vel virtute mortis et passionis Christi, quæ per illa sacrificia significabantur. Si prius putabant, erant hæretici : si posterius, erant fideles. Sed undè habebant hanc fidem et firmam persuasionem ? Non ex Scripturâ, quia nusquam in vetere Testamento id scriptum est : ergo ex traditione. Hæc autem traditio erat necessaria ad salutem : non quòd necesse fuerit singulos de populo credere, futuram Christi mortem per cruenta sacrificia præfigurari ; sed quòd necesse fuerit aliquos id credere, præsertim sacerdotes et doctores, quibus incumbebat cura docendi et instruendi alios : alioqui tota Synagoga in hoc quidem puncto, quod sanè erat gravissimum, fuisset sine fide. Quod absurdum est. (Vide D. Th. in 2-2. quæst. 2, art. 7.) Hinc sequitur, Judæos habuisse quædam per Scripturam, quædam per traditionem. Magis tamen usi sunt traditione, quàm Scripturâ ; non solum in iis rebus, quæ habebantur per solam traditionem, sed etiam in iis quæ erant scriptæ. Quod patet ex sequentibus testimoniis. Exodi 13, v. 8-9 : « Narrabisque filio tuo in die illo, dicens : hoc « est quod fecit mihi Dominus quando egres« sus sum de Ægypto. Et erit quasi signum in « manu tua... » Et Deut. 32, v. 7 : « Memento « dierum antiquorum, cogita generationes sin« gulas : interroga patrem tuum, et annuntia« bit ; tibi majores tuos, et dicent tibi. » Et Judic. 6, v. 13... « Ubi sunt mirabilia ejus, « quæ narraverunt Patres nostri, atque dixe« runt : De Ægypto eduxit nos Dominus...» Et Psal. 43, v. 1-2 : « Deus auribus nostris audi« vimus : Patres nostri annuntiaverunt nobis « opus, quod operatus est in diebus eorum, et « in diebus antiquis. » Et Psal. 77, v. 5-6..... « Quanta mandavit Patribus nostris nota fa« cere ea filiis suis : ut cognoscat generatio « altera ; filii qui nascentur et exurgent, et « narrabunt filiis suis. »

Ex his testimoniis duo colliguntur. Primò, quòd traditio fuerit Judæis à Deo mandata seu præcepta. Secundò, quòd multa ex iis, quæ jubebantur docere vel discere per traditionem, apertè haberentur in Scripturâ : et tamen non remitterentur ad Scripturam, sed ad traditionem. Cujus rei duplex est ratio. Una quia eo tempore Scriptura nondum erat redacta in formam integri voluminis, sed dispersa in variis chartis et annalibus, ut commodè ab unoquoque legi non posset. Primus, qui eam redegit in formam voluminis, fuit Esdras post captivitatem Babylonicam. Altera, quia liber Deuteronomii, qui erat præcipuus inter libros veteris Testamenti, non habebatur passim in populo : sed unum exemplar à rege, alterum

à sacerdotibus custodiebatur in arcâ Domini, qui septimo quoque anno (nempè anno remissionis) jubebantur illud populo prælegere. (Deut. 31, v. 10.) Et hi ipsi sacerdotes fuerunt tam negligentes in eo custodiendo, ut longo tempore amissum fuerit, et tandem ab Helciâ Pontifice (tempore Josiæ regis) inventum, ac populo prælectum. (4 Reg. 22, v. 8.) Undè necesse est, populum in plerisque usum fuisse traditione, de quâ in præcedentibus testimoniis dictum est. Quod contigit Judæis, etiam contingit nobis Christianis. Multa habemus per solam traditionem, quæ ad fidem et salutem necessaria sunt. De quibus generatim apostolus 2. Thess. 2, v. 14 : *Itaque fratres state : et tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* Speciatim verò sunt hæc et similia. Primò, quòd tota Scriptura veteris ac novi Testamenti sit verè divina et à Deo inspirata. Secundò, quòd Symbolum fidei sit verè canonicum et apostolicum. Tertiò, quòd infantes sint baptizandi. Quartò, quòd baptizati ab hæreticis non sint rebaptizandi. Quintò, quòd in baptismo pronuntiari debeat hæc forma verborum : *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti.* Sextò, quòd certus ac determinatus sit Sacramentorum numerus in novo Testamento.

CAPUT II.

DE FIDE ET SYMBOLO.

Tres sunt virtutes theologicæ, de quibus agendum est, fides, spes, charitas. (1 Cor. 13, v. 13.) Dicuntur autem theologicæ, quia immediatè versantur circa Deum ; in quo differunt ab aliis virtutibus. Et quidem fides versatur circa Deum, quatenùs est verax in dicendo seu revelando, spes circa Deum, quatenùs est bonus respectu nostrî, seu quatenùs est suprema et æterna nostra beatitudo, quam speramus. Charitas circa Deum, quatenùs in se bonus est. Fides est in intellectu : spes et charitas in voluntate. De singulis dicam. Ac primò de fide, cujus mysteria nobis revelata sunt, vel in Scripturâ, vel per traditionem. Et quæritur : 1° An fides sit donum Dei, quo assentimur iis quæ à Deo revelata sunt? 2° Quid in vetere Testamento revelatum sit de Deo? 3° Quid de SS. Trinitate? 4° Quid de Christo? 5° Quibus nominibus in vetere Testamento appellatus sit Christus? 6° Quis primus crediderit in Christum? 7° An fides in Christum fuerit necessaria ad salutem? 8° An fides veteris Testamenti fuerit tàm perfecta, quàm est fides evangelica?

QUÆSTIO PRIMA.—*Quid sit fides?* — Respondeo. Fides est donum Dei ac lumen, quo illustratus homo, certò ac firmiter assentitur iis quæ à Deo obscurè revelata sunt, et nobis ad credendum legitimè proposita. In quâ definitione aliqua notanda sunt. Primò, quòd fides sit *donum Dei* (Ephes. 2, v. 8.) de quo disputat August. lib. de prædest. Sanctor. c. 2. contrà Pelagianos et Semipelagianos. Hi dicebant initium fidei esse à nobis; non tamen fidem perfectam. Illi utrumque attribuebant solis naturæ viribus. Utrosque refellit Augustinus. Secundò, quòd fides sit *lumen.* Solet autem distingui triplex lumen in intellectu hominis. 1. Lumen naturale. (Ps. 4, v. 7. *Signatum est super nos lumen vultûs tui, Domine....*) 2. Lumen fidei. (1 Pet. 2, v. 9.... *Qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.*) 3. Lumen gloriæ. (Ps. 35, v. 10.... *In lumine tuo videbimus lumen.*) Primum reperitur in quovis homine. Secundum, in homine tantùm fideli. Tertium, in homine beato, qui clarè videt essentiam divinam. Tertiò, quòd actus fidei, sit assentiri vel credere. (Philipp. 1, v. 29. et Heb. 11, v. 6.) Possumus autem rem aliquam credere. Primò, propter auctoritatem hominis asserentis. Et tunc est fides humana. Secundò, propter auctoritatem Dei asserentis et revelantis. Et tunc est fides divina, de quâ hìc agimus. Quartò, quòd materiale objectum fidei, quod credimus, sint res à Deo revelatæ ; formale, auctoritas Dei revelantis. Nam, ut dixi, nos fide divinâ credimus vera esse mysteria, quæ nobis proponuntur; non ideò, quia ab homine, sed quia à Deo revelata sunt, qui nec falli potest, nec fallere. Undè etiam vocatur *prima veritas.* Hæc autem veritas includit duo attributa divina, nempè infinitam bonitatem, et infinitam sapientiam. Nam Deus quia infinitè bonus est, non vult fallere ; et quia infinitè sapiens est, non potest falli. Quintò, quòd actus fidei circà suum objectum, id est, circà res à Deo revelatas, habeat duas proprietates, nempè certitudinem et obscuritatem. Certitudo oritur ex infinitâ Dei sapientiâ et bonitate. Obscuritas ex revelatione. Quod sic explico. Actus fidei, quo credo mysterium SS. Trinitatis, est certus et infallibilis, quia nititur certo et infallibili fundamento, nempè auctoritate Dei revelantis, qui nec falli potest propter infinitam sapientiam, nec fallere propter infinitam bonitatem. Idem actus est obscurus, quia nititur divinâ revelatione, quæ respectu nostri obscura est. Et quidem ex duplici capite ; primò ex

parte Dei revelantis : non enim constat nobis clarè et evidenter, revelationem mysterii SS. Trinitatis quæ facta est, à Deo factam esse. Secundò, ex parte rei revelatæ : nam revelatio non ostendit nobis clarè et intuitivè rem revelatam; sed tantùm obscurè et abstractivè. Hoc patet in simili exemplo. Quandò enim Virgilius narrat mihi aliquid de rebus absentibus, quas nunquam vidi, non efficit per suam narrationem, ut clarè incipiam videre res ipsas, de quibus narrat; sed solùm efficit, ut obscuram et abstractivam de iis habeam notitiam et cognitionem. Sic etiam, quandò Deus revelat nobis mysterium SS. Trinitatis, quod nunquam vidimus, non efficit per suam revelationem, ut clarè et intuitivè videamus hoc mysterium; sed solùm, ut obscurè et abstractivè credamus tale esse, quale à Deo revelatur. Et hoc docet experientia. Hinc apostolus Heb. 11, v. 1, ait *fidem esse argumentum rerum non apparentium;* quia nimirùm res illæ, quas fide credimus, non apparent, seu non videntur à nobis clarè. Et 1 Cor. 13, v. 12, dicit : *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem :* id est, in hàc vitâ obscurè cognoscimus mysteria fidei : in alterâ clarè intuebimur. Undè sequitur actum fidei esse voluntarium et liberum, non autem necessarium; vel, quod idem est, nos voluntariè et liberè assentiri rebus à Deo revelatis, non autem necessariò. Loquor autem de necessitate objecti, non præcepti. Nam ex parte præcepti quod nos obligat, necessariò debemus assentiri rebus à Deo revelatis, si volumus salvi esse ; at ex parte objecti non necessariò, sed liberè. Quod sic probo. Tunc intellectus necessariò assentitur alicui objecto, vel propositioni, quando propter ipsius rei evidentiam convincitur, et quasi necessitatur ad assensum, ità ut non possit non assentiri. Tunc autem voluntariè ac liberè assentitur, quando propter rei obscuritatem non convincitur, aut necessitatur ad assensum ; sed potest assentiri vel dissentiri, prout voluntati visum est. Do exemplum. Quando quis clarè videt solem ortum esse ; tunc intellectus, si advertat, propter rei evidentiam, necessariò convincitur ad formandum hunc assensum : *Sol ortus est.* Quando autem non videt ortum esse (ut si cæcus sit), sed tamen ab alio audit ortum esse ; tunc intellectus ejus non necessariò convincitur, sed à liberâ voluntate ad assensum movetur. Idem fit in mysteriis fidei. Beati in cœlo, qui clarè intuentur mysterium SS. Trinitatis, necessariò præbent assensum : nos in hac vitâ, qui non intuemur, liberè præbemus assensum. Et si voluntas pia est, credimus Deum esse trinum et unum ; si impia, non credimus, et infideles efficimur. Hæc omnia prolixè disputantur à theologis in 2-2, q. 1. et 2. Nos pauca diximus pro hoc loco et instituto.

Quæstio ii. — *Quid in vetere Testamento fuerit revelatum de Deo?* — Respondeo : Hæc tria potissimùm. Primò, Deum esse. Exod. 3, v. 14 : *Ego sum qui sum.* Secundò, Deum esse unum. Deut. 6, v. 4 : *Audi Israel, Dominus Deus noster, Dominus unus est.* Et Deut. 32, v. 39 : *Videte, quòd ego sim solus, et non sit alius Deus præter me,...* Tertiò, Deum habere providentiam circà homines ; id est, salvare bonos, et punire malos. Sap. 6, v. 8.,... *Æqualiter cura est illi de omnibus.* Et Deut. 7, v. 9-10 : « Et scies, quia Dominus Deus tuus ipse est « Deus fortis et fidelis, custodiens pactum et « misericordiam diligentibus se, et his qui « custodiunt præcepta ejus, in mille genera« tiones : et reddens odientibus se statim, ità « ut disperdat eos, et ultrà non differat, proti« nùs eis restituens quod merentur. »

Præter hæc tria, sunt multa alia, quæ ad illa revocantur. Cujusmodi sunt hæc. Deum esse bonum. (Ut Ps. 62, v. 1.) Esse infinitum. (Ps. 144, v. 3.) Esse ubique præsentem. (Ps. 138, v. 7.) Esse immutabilem. (Num. 23, v. 19.) Æternum. (Ps. 89, v. 2.) Omnia scientem. (1 Reg. 2, v. 3.) Omnipotentem. (Gen. 17, v. 1.) Creasse cœlum et terram. (Gen. 1, v. 1.) Creasse hominem ad imaginem et similitudinem suam. (Gen. 1, v. 26.) Dedisse illi præcepta, et promisisse vitam, si ea servaret : mortem, si non servaret. (Gen. 2, v. 17, et alibi.)

Quæstio iii. — *Quid in vetere Testamento fuerit revelatum de SS. Trinitate?*— Respondeo. Nusquàm in vetere Testamento expressè revelatum est tres esse personas divinas, unius et ejusdem essentiæ, ac realiter inter se distinctas, nempè Patrem, Filium et Spiritum sanctum : sed tamen quibusdam locis obscurè et confusè insinuatum est, plures esse personas, quàm unam. Solent autem produci varia testimonia, quibus id insinuatum est, quæ breviter recensebo. Primum est, Gen. 1, v. 1 ; *In principio creavit Deus cœlum et terram.* Ac paulò post, v. 2.... *Et spiritus Domini ferebatur super aquas.* Ubi aliqui putant, Patrem significari nomine, *Deus;* Filium nomine, *principii;* Spiritum sanctum nomine, *Spiritus Domini.* I

Orig. et Rupertus in illum locum, quibus favet Aug. libro de Genesi ad litteram imperfecto cap. 1. Et confirmari potest hæc expositio ex eo, quòd Filius Dei de seipso dicit, Psal. 39, v. 8 : *In capite libri scriptum est de me,* id est, in initio libri Geneseos. Vide Hieronymum in quæstionibus Hebraicis in Genesim. Secundum est, Gen. 1, v. 26 : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.....* Ubi Deus loquitur de se in plurali numero, propter pluralitatem Personarum, ut notant Origenes, Basilius, Chrysostomus, et Ambrosius in illum locum. Item Athanasius in oratione contrà idola circà finem : Aug. lib. 6, de civitate Dei cap. 6. Concilium Syrmiense canone 13 et plures alii. Simile est illud Gen. 3, v. 22 : « Ecce Adam, « quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum « et malum.... » Et Gen. 11, v. 7 : « Venite « igitur, descendamus, et confundamus ibi « linguam eorum..... » Tertium est, Gen. 19, v. 24 : *Dominus pluit super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem à Domino de cœlo.* Ubi cùm dicitur, *Dominus* à *Domino,* insinuantur duæ, ut minimùm, Personæ, ut sensus sit : pluit Filius à patre. Ità Ignatius in epist. ad Antiochenos, Justinus in dialogo cum Triphone, Athanasius in oratione contrà Gregales Sabbellii, Hilarius lib. 5. de SS. Trinit. Concil. Syrmiense cap. 15. et alii. Quartum est, Psal. 66, v. 8 : *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus.* Ubi nomen *Deus* ter ponitur : bis quidem absolutè pro Patre et Spiritu sancto, et semel cum pronomine *Noster*, pro Filio, qui propter humanam naturam assumptam vocatur Deus noster. Eodem spectat illud Isaiæ 6, v. 3..... *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum.* In quem locum sic scribit Rabbi Simeon : *Sanctus hic est Pater : Sanctus hic est Filius : Sanctus hic est Spiritus sanctus.* Vide Galatinum lib. 2. de arcanis capite 9. et Vasquez 1. parte disp. 108. cap. 2. Confer Joan. c. 12, v. 41. Quintum est, Zachariæ 2. v. 10-11 : « Lauda et lætare, filia Sion, « quia ecce ego venio, et habito in medio tuî, « ait Dominus. Et applicabuntur gentes multæ « ad Dominum in die illâ, et erunt mihi in po« pulum, et habitabo in medio tuî. Et scies, « quia Dominus exercituum misit me ad te. » Ubi bis ponitur nomen Domini : semel pro Deo mittente, et semel pro Deo misso, id est, semel pro Patre, et semel pro Filio. Plura testimonia adducam quæstione sequenti.

Nota, trinitatem Personarum variis modis cognosci posse in hâc vitâ. Primò, per revelationem supernaturalem, factam in vetere Testamento de quâ jam dixi : et hæc obscura est. Secundò, per revelationem supernaturalem, factam in novo Testamento, de quâ infrà dicam, quæstione decimâ. Et hæc quoad verba clarior et apertior est. Tertiò, per congruentias naturales. Cujusmodi sunt hæ : 1° Natura boni est diffundere et communicare seipsum : ergò natura infiniti boni, est communicare se infinitè. At Deus est infinitum bonum : ergò infinitè se communicat. At non communicat se infinitè extrà se per productionem creaturarum : ergò debet se infinitè communicare intrà se, per productionem personarum ejusdem essentiæ et naturæ. 2° ad perfectam beatitudinem requiritur consortium æqualium Personarum : at Deus est perfectissimè beatus ; ergò debet habere consortium æqualium Personarum. 3° meliùs est Deum ab æterno aliquid produxisse, quàm otiosum fuisse : at ab æterno non produxit creaturas extrà se : ergò produxit Personas divinas intrà se. Quartò, potest cognosci trinitas Personarum per vestigia creaturis impressa. Nam omnes creaturæ propter ternarium numerum quem in se habent à suo Creatore, videntur clamare à SS. Trinitate creatas se esse. Quod aliquot exemplis demonstrabo. Primò : in unâquâque creaturâ sunt tres passiones entis, *unum, verum, bonum.* Secundò, tota universitas creaturarum dividitur in tria genera. Nam aliæ sunt spirituales, ut Angeli ; aliæ corporales, ut cœli, elementa, lapides, plantæ, bruta animalia ; aliæ mixtæ ex corpore et spiritu, ut homines. Tertiò, Angeli dividuntur in tres hierarchias, supremam, mediam et infimam. Et singulæ hierarchiæ in tres ordines. Quartò, unusquisque Angelus, sicut etiam unaquæque anima rationalis habet tres facultates, memoriam, intellectum, voluntatem. Memoria repræsentat Patrem qui habet ideas omnium rerum in se. Intellectus Filium, qui est sapientia Patris. Voluntas Spiritum sanctum, qui est amor procedens à Patre et Filio. Vide August. lib. 9, de SS. Trinit. et seq. Bellarm. lib. 2, de Christo cap. 6.

Quæstio iv. — *Quid in vetere Testamento fuerit revelatum de Christo?*—Respondeo : Multa de Christo fuerunt revelata. Et speciatìm hæc. Primò, quòd esset nasciturus ex semine Abrahæ. (Gen. 22, v. 18.) Secundò ex familiâ David. (Jeremiæ 23, v. 5.) Tertiò, quòd ex Virgine. (Isaiæ 7, v. 14.) Quartò, quòd in Bethleem. (Michææ 5, v. 2.) Quintò, quòd certo tempore. (Gen. 49, v. 10, et Daniel 9, v. 24, et Aggæi

2, v. 7.) Sextò, quòd prædicaturus evangelium salutis et pacis. (Isaiæ 61, v. 1.) Septimò, quòd facturus miracula. (Isaiæ 35, v. 5.) Octavò, quòd redempturus genus humanum, et pro humano genere moriturus. (Isaiæ 53, v. 4, et Daniel 9, v. 26.) Nonò, quòd descensurus ad inferos, et tertià die resurrecturus. (Psalm. 15, v. 10, et Jonæ 3, v. 1.) Decimò, quòd ascensurus ad cœlum. (Psalm. 67, v. 19.) Undecimò, quòd sessurus ad dexteram Dei Patris. (Psal. 109, v. 1.) Duodecimò, quòd missurus Spiritum sanctum. (Isaïæ 44, v. 3, et Joelis 2, v. 28.) Decimò tertiò, quòd judicaturus vivos et mortuos. (Psal. 95, v. 13.) Hæc omnia clariùs constant ex novo Testamento.

Quæres, an etiam revelatum fuerit in vetere Testamento, Christum fore Deum simul et hominem ? Respondeo : Clarè revelatum fuit fore hominem, obscurè Deum. Prior pars patet ex dictis : quia clarè revelatum fuit Christum nasciturum et moriturum ; quod non potest intelligi, nisi secundùm humanitatem. Posterior colligitur ex variis Scripturæ locis. Psal. 2, v. 7 : *Filius meus es tu, ego hodiè genui te.* Ex quo loco probat apost. Heb. 15. Christum esse majorem Angelis, quia ab æterno genitus est à Deo Patre per divinam generationem. Item Psal. 96, v. 7 : *Adorate eum omnes angeli ejus.* Quo etiam loco utitur apost. ibid. Item Psal. 109, v. 1 : *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* Quem locum explicat ipsemet Christus. Matth. 22, v. 44. Item Isaiæ 35, v. 4..... *Deus ipse veniet et salvabit vos.* Ubi apertè loquitur de Christo, ut ex contextu patet. Item Baruch. 3, v. 36 : « Hic est Deus « noster, et non æstimabitur alius adversùs « eum. » Ubi etiam est sermo de Christo, quia sequitur v. 38 : « Post hæc in terris visus est « et cum hominibus conversatus est. » Item Michææ 5, v. 2 : « Et tu Bethleem Ephrata « parvulus es in millibus Juda. Ex te mihi egre« dietur qui sit dominator in Israel, et egressus « ejus ab initio, à diebus æternitatis. » Ubi insinuatur duplex Christi generatio, una humana, cùm dicitur : *ex te mihi egredietur.* Altera divina cùm additur : *et egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis.*

Hìc obiter notandum est, hæc testimonia veteris Testamenti, in quibus agitur de Christi Divinitate, per se quidem obscura esse ; sed tamen, quia pleraque in novo Testamento clarioribus verbis explicata sunt, faciliùs intelligi à Christianis, quàm olim intellecta fuerint Judæis ; quia Judæi non habuerunt illam explicationem, quam Christiani habent. Quomodò autem hæc claritas novi, et illa obscuritas veteris Testamenti intelligenda sit, dicetur q. 9.

Quæstio v. — *Quibus nominibus fuerit Christus appellatus in vetere Testamento?* — Respondeo. His potissimùm. 1. Deus. (Isaiæ 35, v. 4, et Baruch 5, v. 36.) — 2. Emmanuel, id est, nobiscum Deus. Isaiæ 7, v. 14. — 3. Dominus Davidis. Psal. 109, v. 1. — 4. Dominus legifer noster, rex noster, judex noster. Isaiæ 33, v. 21. — 5. Christus. Dan. 9, v. 26. — 6. Salvator et propugnator. Isaiæ 19, v. 20. — 7. Redemptor. Isaïæ 59, v. 20. — 8. Propheta. Deut. 18, v. 15. — 9. Sanctus Sanctorum. Dan. 9, v. 24. — 10. Desideratus cunctis gentibus. Aggæi 2, v. 8. — 11. Expectatio gentium. Gen. 49, v. 10. — 12. Brachium Domini. Isaiæ, 59, v. 1. — 13. Dominator. Malach. 3, v. 1. — 14. Angelus testamenti. Ibidem. — 15. Sol justitiæ. Malach. 4, v. 2. — 16. Pastor. Isaïæ 40, v. 11, et Ezech. 34, v. 23. — 17. Agnus. Isaiæ 53, v. 7. — 18. Semen Abrahæ. Gen. 22, v. 18, ut explicat apostolus. Gal. 3, v. 16. — 19. Stella oriens. Num. 24, v. 17. — 20. Lux gentium. Isaiæ 9, v. 2. — 21. Lumen Jerusalem. Isaiæ 60, v. 1. — 22. Sacerdos in æternum. Psal. 109, v. 4.

Multò luculentiora nomina sortitur in novo Testamento, cujusmodi ferè sunt hæc : — 1. Deus. 1. Joan. 5, v. 20. — 2. Filius Dei. ibid. — 3. Filius Dei Unigenitus. Joan. 1, v. 18, et 3, v. 16. — 4. Imago Dei invisibilis. Col. 1, v. 15. — 5. Agnus Dei. Joan. 1, v. 29. — 6. Figura substantiæ Dei. Hebr. 1, v. 3. — 7. Sermo Dei. Heb. 4, v. 12. — 8. Dominus noster Jesus Christus. Galat. 1, v. 3, et alibi sæpiùs. — 9. Mediator Dei et hominum. 1 Tim. 2, v. 5. — 10. Mediator N. T. Heb. 9, v. 15. — 11. Salvator mundi. Joan. 4, v. 42, et alibi. — 12. Redemptor. Act. 7, v. 35, et alibi. — 13. Advocatus noster apud Deum. 1. Joan. 2, v. 1. — 14. Messias. Joan. 1, v. 41, et Joan. 4, v. 25. non alibi. — 15. Pastor bonus. Joan. 10, v. 11. — 16. Primogenitus omnis creaturæ. Coloss. 1, v. 15. — 17. Primogenitus ex mortuis. Ibid. v. 18. — 18. Caput Ecclesiæ. Ibid. — 19. Hæres universorum. Heb. 1, v. 2. — 20. Apostolus et Pontifex confessionis nostræ. Heb. 3, v. 1. — 21. Pontifex magnus. Heb. 4, v. 14. — 22. Sacerdos in æternum. Heb. 5, v. 6. — 23. Minister circumcisionis. Rom. 15, v. 8. — 24. Lux mundi. Joan. 8, v. 12. — 25. Via, veritas, et vita. Joan. 14, v. 6. — 26. Ostium ovium. Joan. 10, v. 7. — 27. Magister bonus,

Matth. 19, v. 16. — 28. Propheta magnus. Luc. 7, v. 16. — 29. Oriens ex alto. Luc. 1, v. 78.—30. Lapis offensionis et petra scandali. Rom. 9, v. 33, et 1. Petri 2, v. 8.—31. Radix David. Apoc. 5, v. 5. — Leo de tribu Juda. Ibid. — 33. Principium et finis, alpha et omega. Apoc. 1, v. 8.—34. Princeps regum terræ. Apoc. 1, v. 5.

Quæstio vi. — *Quis in vetere Testamento primus crediderit in Christum?* Respondeo: Adamus in paradiso, cum dixit: Gen. 2, v. 23-24: « Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro « de carne meâ: hæc vocabitur virago, quo- « niam de viro sumpta est. Quamobrem relin- « quet homo patrem suum et matrem, et ad- « hærebit uxori suæ, et erunt duo in carne « unâ. » Nam his verbis, non solùm locutus est de præsenti suo matrimonio cum Evâ; sed etiam prophetavit de futurâ conjunctione Christi cum Ecclesiâ, quæ præfigurabatur per conjunctionem Adæ et Evæ, ut interpretatur Apostolus Ephes. 5, v. 32, ubi explicans prædicta verba, sic ait: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico, in Christo, et in Ecclesiâ.* Undè D. Hieron. lib. 3 commentariorum in epistolam ad Ephesios, ait Adamum fuisse, et primum hominem quia primò creatus est, et primum vatem, quia primus de Christo et Ecclesiâ prophetavit. Similia habent alii Patres. Sunt autem duæ partes prophetiæ ipsius. Una, quia prædixit fore, ut Christus relinquat Patrem suum qui est Deus; et matrem suam quæ est cœlestis Hierusalem, et veniens in hanc terram adhæreat uxori suæ, quæ est Ecclesia. Vide Hieron. loco cit. Altera, quia prædixit fore, ut sicut ipse per carnale matrimonium conjunctus fuit cum Evâ; sic Christus per spirituale matrimonium conjungendus esset cum Ecclesiâ, juxtà illud Oseæ 2, v. 19: *Sponsabo te mihi in sempiternum.* Et hoc sensu, quem multi sequuntur, matrimonium Adami et Evæ fuit figura seu typus conjunctionis Christi cum Ecclesiâ. Vide Cornelium à Lapide in cap. 5 ad Ephes. v. 32.

Quæres, de quâ conjunctione Christi cum Ecclesiâ hoc intelligendum sit? Aliqui putant, solùm intelligi de illâ, quâ Christus, ut Deus conjunctus est Ecclesiæ per fidem et charitatem; non autem de illâ, quâ Christus, ut homo, conjunctus est Ecclesiæ per Incarnationem. Alii rectiùs de utrâque intelligunt. Nam Christus etiam ut homo, dicitur caput Ecclesiæ, sicut vir est caput mulieris. (Ephes. 4, v. 23.) Vide Franc. Suarez 3, p. q. 1, art. 3, in commentario.

Dices: si Adam præscivit venturum Christum, ergo etiam præscivit se peccaturum: quia Christus non erat venturus, nisi propter peccatum Adæ. Undè est vulgatum illud theologorum axioma: *Si Adam non peccasset, Christus non venisset.* Resp. non sequitur, quia potest fieri, ut aliquis cognoscat effectum, et non cognoscat causam. Et hoc modo, Adam præscivit venturum Christum in hunc mundum, non tamen præscivit causam, propter quam esset venturus. Ita D. Thomas 3. p. q. 1, art. 3 ad 6, et in 2-2. q. 2, art. 7, in corpore.

Quæstio vii. — *An fides in Christum fuerit necessaria ad salutem in vetere Testamento?* — Resp. Fuit necessaria. Omnes enim, ut minimum, tenebantur credere in venturum Christum, tanquam Redemptorem seu Mediatorem, per quem liberandi essent à peccatis. Ita docet Aug. Epist. 89. ad Hilar. q. 3, et Epist. 157. Ad Optatum, et lib. 1, contra duas epistolas Pelagianor. cap. 7, ubi asserit, justos veteris Testamenti, non fuisse liberatos à peccatis, nisi per eamdem fidem Christi, per quam et nos liberamur. Sicut enim nos credimus Christum venisse in hunc mundum, et per hanc fidem justificamur; sic illi credebant Christum venturum in hunc mundum, et per illam fidem justificabantur. Et hoc probat variis Scripturæ testimoniis. Act. 4, v. 12: « Non « est in alio aliquo salus (nisi in Christo), nec « enim aliud nomen est sub cœlo datum homi- « nibus, in quo oporteat nos salvos fieri. » Et 1 Cor. 15, v. 22: « Sicut in Adam omnes mo- « riuntur, ita et in Christo omnes vivificabun- « tur. » Et 2 Cor. 4, v. 13: « Habentes autem « eumdem spiritum fidei. » Et Gal. 2, v. 16: « Scientes autem, quòd non justificatur homo « ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Chris- « ti... » Et Gal. 3, v. 21-22: « Si enim data esset « lex, quæ posset vivificare, verè ex lege esset « justitia. Sed conclusit Scriptura omnia sub « peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi « daretur credentibus. » Et ratio est, quia Deus non vult nos salvare nisi nostro labore et cooperatione, juxta illud Augustini: *qui creavit te sine te, non salvabit te sine te.* Vult enim, ut quæramus et desideremus medicum, qui nos sanet à corruptione peccati. At homines in vetere Testamento non poterant quærere et desiderare medicum, nisi aliquo modo illum cognoscerent. Nec poterant illum certò cognoscere in hâc vitâ, nisi per fidem: ergo hæc fides fuit illis ad salutem necessaria

Quæres, cùm multa fuerint revelata de

Christo in vetere Testamento, ut suprà dictum est; an necesse fuerit omnia credere, quæ erant de illo revelata? Respondeo cum distinctione. Nam aliud est loqui de prophetis et patriarchis, quibus immediate fuit facta revelatio de Christo; aliud de aliis, qui à prophetis et patriarchis acceperunt revelationem. Priores tenebantur explicitè credere ea omnia, quæ unicuique erant revelata, ut Adam tenebatur credere futuram Christi conjunctionem cum Ecclesiâ : Abraham, Christum ex suo semine nasciturum : Moyses, fore prophetam suæ gentis : David, descensurum ad inferos, resurrecturum à mortuis, ascensurum in cœlos, sessurum ad dexteram Patris : Isaias, nasciturum ex Virgine, prædicaturum Evangelium salutis, facturum miracula, redempturum genus humanum per passionem et mortem : missurum Spiritum sanctum : Michæas, nasciturum in Bethleem : Daniel, venturum tali tempore. Hæc enim ipsis erant explicitè à Deo revelata, sivè per externam vocem, sive per internam inspirationem, sive alio modo. Debebant igitur explicitè ea credere : alioqui magnam injuriam fecissent Deo, quasi non esset verax et fide dignus. Reliqui, quibus non fuit immediatè à Deo facta revelatio, erant duplices. Alii sacerdotes et doctores Synagogæ; alii subditi. His satis erat, si crederent venturum Christum, qui ipsos liberaret, juxta ea, quæ initio quæstionis dicta sunt. At illi ulteriùs tenebantur plura alia credere. 1° Quòd Christus esset futurus Deus. 2° Quòd per passionem et mortem redempturus esset humanum genus; et quæ similia sunt. Cujus rei duplex est ratio. Una quia sacerdotes erant doctores populi, et judices controversiarum fidei : ergo ratione officii tenebantur omnia scire et perscrutari, quæ à Moyse et prophetis erant scripta de Christo : alioqui non potuissent alios instruere, nec in supremo concilio, cui intererant, definire controversias, quæ de venturo Christo ex Moyse, et prophetis solent proponi et disputari. Altera, quia sacerdotes tenebantur scire, cruenta sacrificia animalium, quæ ipsi offerebant esse figuras seu typos futuræ mortis Christi : Itemque, sanguinem animalium, qui effundebatur, non habere ex se vim remittendi peccata, sed omnem vim accipere ex sanguine Christi, cujus effusionem præfigurabat. Hebr. 9, v. 12. Vide D. Thom. in 2. 2. q. 2, art. 7.

Ex dictis constat, tria potissimùm spectari posse in Christo : 1. Officium Redemptoris. 2. Divinitatem conjunctam cum humanitate. 3. Passionem et mortem. Sacerdotes tenebantur hæc omnia explicitè credere. Populus non item. Satis erat, si explicitè crederet venturum aliquem prophetam qui redempturus esset Israel. Hunc enim omnes expectabant, clamantes cum prophetis : *Rorate cœli desuper et nubes pluant justum : aperiatur terra et germinet Salvatorem.* Quòd autem is futurus esset Deus, et quòd per passionem et mortem redempturus esset Israel, non necesse erat omnes explicitè credere. Vide D. Thomam loco citato.

Quæstio viii. — *An sola fides in vetere Tesmento fuerit sufficiens ad salutem et justificationem?* — Ratio dubitandi est, quia Scriptura insinuat, Abraham fuisse justificatum per solam fidem : Genes. 15, v. 6, et Rom. 4, v. 3, et Gal. 3, v. 6 : *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam.* Respondeo : contrarium docet Scriptura, justificatum esse, non solùm per fidem, sed etiam per spem obedientiam et alia pia opera. Rom. 4, v. 18 : « Qui contra spem in spem credidit. » Et Jacobi 2, v. 21-22 : « Abraham pater noster, « nonne ex operibus justificatus est, offerens « Isaac filium suum super altare? Vides quo« niam fides cooperabatur operibus illius, « et ex operibus fides consummata est. » Et Hebr. 11, v. 8 : « Fide, qui vocatur Abraham, « obedivit in locum exire, quem accepturus « erat in hereditatem, et exiit, nesciens quò « iret. » Ex quibus locis colligitur, fidem, quâ Abraham justificatus est, non fuisse nudam et solitariam, sed conjunctam cum spe, obedientiâ et aliis piis operibus. Illud porrò, *contra spem in spem credidit*, sic debet intelligi : contra spem naturæ, credidit in spem gratiæ, et promissionis. Vel clariùs : credidit se generaturum filium, quod quidem non poterat sperare, spectando cursum naturæ : quia jam erat senex, et habebat uxorem sterilem : sed tamen sperabat, spectando gratiam et promissionem Dei, quæ non fallit. Quod dixit de Abraham, dicendum est etiam de aliis, qui in vetere Testamento justificati sunt. Non enim per solam fidem, sed etiam per alia bona opera justificati sunt, ut colligitur ex illo Jac. 2, v. 25 : « Similiter et Rahab meretrix, nonne ex ope« ribus justificata est, suscipiens nuntios, « et aliâ viâ ejiciens? » Et causam addit, cur non ex solâ fide : « sicut enim corpus, sine « spiritu mortuum est, ita et fides sine operi« bus mortua est. » Ubi illa particula « fides

« sine operibus mortua est, » conferri debet cum illâ superiùs positâ : « fides cooperabatur « operibus, » quam alius apostolus expressit quidem aliis verbis, sed simili ferè sensu. Gal. 5, v. 6 : « In Christo Jesu neque circumcisio « aliquid valet, neque præputium : sed fides, « quæ per charitatem operatur. »

Ut res tota fiat clarior, repeto quod alibi dixi; duplicem esse justificationem : primam, et secundam. Prima est, quâ quis ex impio fit justus et Deo gratus. Secunda, quâ ex justo fit justior et Deo gratior. In primâ acquiritur justitia; in secundâ augetur. Itaque fides et alia bona opera non eodem modo concurrunt ad primam et secundam justificationem. Ad primam concurrunt dispositivè; ad secundam meritoriè. Nam homo impius seu peccator, non potest acquirere justitiam et remissionem peccatorum, nisi priùs sit dispositus per actum fidei, timoris, spei, dilectionis et contritionis Eccl. 1, v. 28 : « Qui sine timore est, non po« terit justificari. » Prov. 28, v. 25..... « Qui verò « sperat in Domino sanabitur. » 1 Joan. 3, v. 14..... « Qui non diligit, manet in morte. » Act. 3, v. 19 : « Pœnitemini igitur et conver« timini, ut deleantur peccata vestra. » At, postquam justificatus est, tunc per similes actus meretur augmentum justitiæ, et fit Deo gratior. Undè sequitur, supradictos actus dupliciter spectari posse. 1. Quatenùs præcedunt justitiam. 2. Quatenùs sequuntur. Priori modo dispositivè, posteriori modo meritoriè se habent. Vide conc. Trid. Sess. 6. cap. 6. et 10.

Quæstio ix. — *An fides veteris Testamenti fuerit tam perfecta quàm est fides novi Testamenti?* — Respondeo : essentialiter fuit æquè perfecta; non tamen accidentaliter. Prior pars patet, quia essentia assensûs fidei in eo consistit, ut credamus aliquid propter auctoritatem Dei revelantis. At tam Judæi in vetere, quàm Christiani in novo Testamento, quidquid credunt fide divinâ, hoc credunt propter auctoritatem Dei revelantis : ergo assensus utrorumque est ejusdem rationis et essentiæ. Posterior probatur, quia fides novi Testamenti perfectior est in duobus. Primò, quia ad plura objecta se extendit. Nam multa mysteria fidei sunt expressè revelata in novo Testamento quæ non erant expressè revelata in vetere, ut mysterium Baptismi, Eucharistiæ, vocationis apostolorum, abrogationis cæremoniarum et similia. Secundò, quia ea mysteria, quæ in utroque testamento revelata sunt, multò clariùs et perfectiùs revelata sunt in novo, quàm in vetere; ut mysterium SS. Trinitatis, Incarnationis, Passionis, Resurrectionis, vocationis Gentium. Hæc enim obscurè revelata sunt in vetere, clarè in novo.

Objicies : suprà dictum est, divinam revelationem semper esse obscuram : nunquam claram. Resp. Semper est obscura ex parte Dei revelantis, et ex parte rei revelatæ, ut q. 1. explicatum est. At ex parte verborum quibus fit, aliquando est obscura, aliquando clara. Et hoc sensu hìc loquimur; *v. g.* revelatio SS. Trinitatis in N. T. est clara ex parte verborum. Matth. 28, v. 19..... « Baptizantes eos « in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti. » Et 1 Joan. 5, v. 7 : « Tres sunt, qui testimo« nium dant in cœlo : Pater, Verbum, et Spi« ritus sanctus : Et hi tres unum sunt. » Tres, quoad Personam; unum, quoad essentiam. At in vetere fuit obscura, ut quæst. 3. ostensum est. Idem dico de mysterio Incarnationis, et vocationis Gentium. Hoc enim obscurè fuit revelatum Judæis; clarè Christianis. Juxta illud Ephes. 3, v. 4-5-6 : « Prout potestis le« gentes intelligere prudentiam meam in mys« terio Christi : quod aliis generationibus non « est agnitum filiis hominum, sicut nunc reve« latum est Sanctis apostolis ejus et prophetis « in Spiritu. Gentes esse cohæredes, et con« corporales, et comparticipes promissionis « ejus in Christo Jesu per evangelium. »

Nota : in mysterio vocationis Gentium duo spectari posse. 1° Quòd Gentiles essent vocandi ad fidem Christi. 2° Quòd essent salvandi sine onere circumcisionis et legis Mosaicæ. Priùs fuit revelatum in vetere Testamento per Isaiam et alios prophetas. Posteriùs non item. Ex hâc parte, Apostoli habuerunt pleniorem cognitionem vocationis Gentium, quàm antiqui prophetæ. De hoc mysterio dicam iterùm cap. 15, de observantiis legalibus, § 10. Ratio autem, cur mysteria fidei in novo Testamento sint clariùs explicata, quàm in vetere, patet ex suprà dictis, quia servi non tam perfectè sciunt et consilia et secreta patris-familiâs, quàm filii juxta illud Christi, Joan. 15, v. 15 : *Jam non dicam vos servos, quia servus nescit, quid faciat Dominus ejus.* At Judæi erant servi, nos filii : illi ex ancillâ, nos ex liberâ, Galat. 4, v. 31. Ad hoc significandum, Moyses cùm loqueretur ad populum, faciem velabat. Nobis autem Christus *revelatâ facie locutus est*, teste apostolo 2 Cor. 3, v. 13.

Quæres, an Apostolus loquatur de fide veteris Testamenti cùm ait, Rom. 1, v. 17 ; *Jus-*

titia enim Dei in eo (evangelio) *revelatur ex fide in fidem?* Magni auctores affirmant, ut Origenes, Chrysostomus, et alii, quos citat et sequitur Toletus in illum locum. Et aiunt, hunc esse sensum : ex obscurâ fide veteris Testamenti in claram fidem novi Testamenti. Itaque juxta hos autores, sententia Pauli sic est explicanda : *Non erubesco evangelium : Virtus enim Dei est, in salutem omni credenti, Judæo primùm, et Græco. Justitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem,* etc. Quasi dicat : non erubesco prædicare evangelium, quia tametsi appareat vile (est enim *gentibus stultitia, Judæis scandalum* 1 Cor. 1, v. 23), tamen habet vim et efficaciam conferendi salutem omni credenti, tam Gentili, quàm Judæo. Nam in evangelio manifestatur nobis, quòd non aliter possimus salvi et justi esse, nisi per fidem. Non jam ampliùs per fidem veteris Testamenti sed per fidem evangelicam. Si ergo salvi esse volumus, transeundum est ex fide Judæorum, quâ credebant, Christum venturum, ad fidem evangelicam quâ credimus Christum jam venisse. Et sic mutandus est status fidei. Judæi quidem in vetere Testamento poterant salvari per fidem venturi Christi; sed jam per eam ampliùs salvari non possunt; sed necesse est, ut relictâ suâ fide, amplectantur fidem evangelicam, et credant Christum jam venisse. (Vide Riberam in cap. 2. Habac. v. 4.) Hinc iterùm colligitur, quod antè dixi, fidem evangelicam perfectiorem esse fide veteris Testamenti. Nam evangelica supponit Christum jam venisse, et omnia mysteria redemptionis impleta esse. At fides veteris Testamenti expectabat Christum adhuc venturum, et supponebat mysteria redemptionis nondùm esse inchoata. Et ob hanc causam fit, ut fides veteris Testamenti aliquando non mereatur nomen fidei, sed tantùm fides novi Testamenti, ut Gal., v. 3-23 : *Priùs autem quàm veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem quæ revelanda erat.*

CAPUT III.

DE SPE, PROMISSIONE ET ORATIONE.

Sicut fides duplex est : una divina, quâ credimus Deo; altera humana, quâ credimus homini : ita spes duplex est : una divina, quâ speramus aliquid à Deo, alia humana quâ speramus aliquid ab homine. De divinâ hìc agimus. Et quia, quæ speramus à Deo, solent etiam promitti à Deo, et per orationem impetrari : agam simul de promissione et oratione. Idque hoc ordine. 1° Quid sit spes ? 2° Quæ bona in veteris Testamenti fuerint promissa à Deo ? 3° An etiam vita æterna fuerit promissa ? 4° An oratio fuerit necessaria ad impetrandum ejusmodi bona ? 5° Quæ fuerit formula orandi in vetere Testamento ? 6° An in vetere Testamento licuerit invocare Sanctos ? 7° An licuerit orare pro defunctis ?

Quæstio prima. — *Quid sit spes?* — Respondeo : est donum à Deo infusum, quo confirmatus homo, certâ cum fiduciâ expectat ea bona, quæ à Deo promittuntur. Hìc aliqua notanda sunt. 1. Quòd spes sit donum Dei, sicut fides. 2. Quòd actus spei sit sperare, seu expectare. 3. Quòd objectum spei sint bona à Deo promissa et ab eo obtinenda. In quo multùm differt à fide. Nam fides versatur circà præterita, præsentia, et futura. Credimus enim Christum natum esse, quod est præteritum : Christum sedere ad dexteram Patris, quod est præsens : Christum venturum ad judicium, quod est futurum. At spes versatur tantùm circà futura. Non enim speramus præsentia, sed futura, quæ nondùm habentur. (Rom. 8, v. 24.) Nec quæcumque futura, sed tantùm bona : nec quæcumque bona, sed à Deo promissa et obtinenda. Undè sequitur, non esse actum spei theologicæ, seu divinæ, de quâ hìc agimus, si speres te obtenturum aliquod bonum à principe vel imperatore; sed actum spei humanæ, quæ sæpè vana est.

Quæstio ii. — *Quæ bona in vetere Testamento fuerint promissa à Deo?* Respondeo : hæc tria principaliter. Primò, terra sancta, fluens lacte et melle. (Gen. 12, v. 7. Et Exod. 13, v. 5. Et ibid. 33, v. 1. Et Deut. 19, v. 8.) Secundò, affluentia bonorum temporalium. (Levit. 26 per totum, et Deut. 28, per totum.) Tertiò, Christus Salvator Deut. 18, v. 5. Duo priora promittebat Deus hâc conditione : si populus servaret legem Dei : sin secùs, contraria mala ipsi minabatur. Hoc patet Deut. 19, v. 8-9. « Cùm « autem dilataverit Dominus Deus tuus terminos « tuos, sicut juravit patribus tuis, et dederit « tibi cunctam terram, quam eis pollicitus est « (si tamen custodieris mandata ejus et feceris, « quæ hodiè præcipio tibi, ut diligas Dominum « Deum tuum, et ambules in viis ejus omni « tempore). » Et Deut. 28, v. 1-2. « Si autem « audieris vocem Domini Dei tui, ut facias « atque custodias omnia mandata ejus, quæ « ego præcipio tibi hodiè, faciet te Dominus « Deus tuus excelsiorem cunctis gentibus, quæ « versantur in terrâ ; venientque super te uni-

« versæ benedictiones istæ, et apprehendent « te : si tamen præcepta ejus audieris. » Et Levit. 26, v. 3-4 : « Si in præceptis meis ambu- « laveritis, et mandata mea custodieritis, et fe- « ceritis ea, dabo vobis pluvias temporibus « suis, et terra gignet germen suum, et pomis « arbores replebuntur. » Hinc factum est primò, ut nullus Israelitarum ex tot millibus, qui egressi erant ex Ægypto cum Moyse et Aarone, pervenerit ad terram sanctam quæ ipsis erat promissa, nisi Caleb et Josue, quia omnes, præter hos duos, murmuraverant contra Deum. Num. 14, v. 27, et seq. « Usquequò multitudo « hæc pessima murmurat contra me ? Quere- « las filiorum Israel audivi. Dic ergo eis : vivo « ego, ait Dominus : sicut locuti estis audiente « me, sic faciam vobis. In solitudine jacebunt « cadavera vestra. Omnes, qui numerati estis « à viginti annis et suprà, et murmurastis con- « tra me, non intrabitis terram super quam « levavi manum meam, ut habitare vos face- « rem, præter Caleb filium Jephone, et Josue « filium Nun. » Et Num. 32, v. 10 et seq. : « Qui iratus juravit, dicens : Si videbunt ho- « mines isti, qui ascenderunt ex Ægypto à « viginti annis et suprà, terram, quam sub ju- « ramento pollicitus sum Abraham, Isaac et « Jacob : et noluerunt sequi me, præter Caleb « filium Jephone Cenezæum, et Josue filium « Nun : isti impleverunt voluntatem meam. » Secundò factum est, ut illi, qui posteà habitabant in terrâ sanctâ, quotiescumque desererent legem Dei, afflicti fuerint fame, bello et peste. Et rursùm quotiescumque per veram pœnitentiam redirent ad Deum, habuerint pacem, fertilitatem, et salubritatem. Legantur libri Judicum et Regum.

QUÆSTIO III. — *An etiam vita æterna fuerit promissa in vetere Testamento ?* — Respondeo : non fuit expressè promissa. Undè hoc est discrimen inter novum et vetus Testamentum, quòd in vetere promitterentur bona terrena et temporalia ; in novo cœlestia, et æterna. In vetere dicebatur : Isaiæ 1, v. 19 : « Si volueritis et audieritis me, bona terræ comedetis. » In novo dicitur : Matth. 5, v. 3 : « Beati pauperes « spiritu ; quoniam ipsorum est regnum cœlo- « rum. » Hinc Aug. in Psal. 73 : « Deus, inquit, « se utriusque testamenti voluit esse auctor, « ut et terrena promitteret in veteri, et cœ- « lestia in novo. » Quæ causa ? quia alia est conditio servorum, alia filiorum. Servi accipiunt temporalem mercedem à suis dominis, et sic dimittuntur. Filii succedunt in perpetuam hæreditatem. Hoc insinuat apostolus ad Gal. 4, v. 30 ; cùm ait : *non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ.* Quod dixi de promissione, dicendum etiam est de oppositâ comminatione. In vetere Testamento minabatur Deus pœnas et supplicia temporalia ; in novo æterna. In vetere dicebat : Isaiæ 1, v. 20. *Si..... me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos.* In novo dixit. Matth. 5, v. 22..... *Qui autem dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennæ ignis.* Undè hoc discrimen ? Ex disparitate servorum et filiorum, ut dictum est. Servi qui malè se gerunt, minis et flagellis coerceri solent : Filii, si degeneres sint, à paternâ hæreditate excluduntur.

Objici potest illud Levit. 18, v. 5 : « Custo- « dite leges meas atque judicia ; quæ faciens « homo, vivet in eis..... » Et Ezech. 20, v. 11 : « Dedi eis præcepta mea, et judicia mea « ostendi eis ; quæ faciens homo, vivet in « eis. » Utroque loco promittit Deus vitam æternam servantibus legem. Respondeo. Non promittit vitam æternam, ut aliqui putant, sed vitam longam, quietam et omnibus bonis affluentem in hoc mundo. Ita explicant magni auctores quos citabo. Et colligitur ex Apostolo : Rom. 10, v. 5-6. ubi allegans priùs testimonium, sic ait : *Moyses enim scripsit ; quoniam justitiam, quæ ex lege est, qui fecerit homo, vivet in ea. Quæ autem ex fide est justitia, sic dicit,* etc. Hic distinguit duplicem justitiam : unam legalem seu Mosaicam, quæ consistit in observatione legis Mosaicæ : alteram fidei, quæ consistit in fide Christi per charitatem operante. De priori dicitur : *homo qui fecerit justitiam legis vivet in eâ,* id est, non incurret pœnam mortis, quæ transgressoribus legis posita est. De posteriori dicitur : *Si..... in corde tuo credideris quòd Deus illam suscitavit à mortuis, salvus eris.* (Rom. 10, v. 9.) Ita Theodoretus, Ambrosius, Anselmus, Toletus, Cornelius et alii in commentario illius loci. Et confirmatur primò ex eodem apost. Hebr. 8, v. 6, ubi expressè ait, novum Testamentum melioribus repromissionibus sancitum esse, quàm vetus. At hoc verum non esset, si in utroque promissa esset vita æterna. Secundò ex aliis Scripturis veteris Testamenti, ubi Deus vitam temporalem promittit servantibus legem, et mortem temporalem non servantibus legem : Exod. 20, 12. *Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super terram.* Et Cap. 21, v. 17. *Qui maledixerit patri suo, vel matri, morte moriatur.* Et alibi sæpiùs.

Quæstio iv. — *An oratio fuerit necessaria ad obtinendum id quod in vetere Testamento promittebatur?* — Respondeo. Fuit necessaria : non quidem absolutè, sed quia Deus sæpè non volebat dare quod promiserat, nisi per orationem ab eo peteretur. Idque propter duplicem hominum utilitatem. Una est, ut frequenter orando et impetrando, acquirerent majorem fiduciam recurrendi ad Deum. Altera, ut cognoscerent et profiterentur, Deum esse bonorum omnium autorem, et ab eo solo vera bona obtineri posse. Ità D. Thom. in 2-2. q. 83, art. 3, ad 3. Exemplo rem demonstrabo. Deus promiserat populo Judæorum pacem et tranquillitatem, et tamen non dabat nisi orantibus. Judic. 3, v. 9 : « Clamaverunt ad Dominum, « qui suscitavit illis Salvatorem, et liberavit « eos. Et cap. 6, v. 6 et seq. : Humiliatus est « Israel valdè in conspectu Madian : et clamavit « ad Dominum, postulans auxilium contrà Ma« dianitas. Qui misit ad eos virum prophe« tam, etc. » Similiter promiserat, se missurum Messiam : et tamen prophetæ orabant, ut eum mitteret. Exod. 4, v. 13 : « Obsecro, inquit, « Domine, mitte quem missurus es. » Et Isaiæ 45, v. 8 : « Rorate cœli desuper, et nubes « pluant justum : aperiatur terra, et germinet « Salvatorem. » Et cap. 64, v. 1 : « Utinam dirum« peres cœlos, et descenderes.... » Imò, quod amplius est, Daniel suis precibus impetravit ut citiùs mitteretur, quàm putabatur mittendus. Dan. 9, v. 23-24 : « Ab exordio precum tua« rum egressus est sermo, etc. Septuaginta « hebdomades abbreviatæ sunt super populum « tuum, et super urbem sanctam tuam, ut « consummetur prævaricatio, et finem acci« piat peccatum, et deleatur iniquitas, et ad« ducatur justitia sempiterna, et impleatur « visio et prophetia, et ungatur Sanctus San« ctorum.

Quæstio v. — *Quæ fuerit formula orandi Deum in vetere Testamento?* — Respondeo. Fuit longè diversa ab eâ formulâ quæ est in novo Testamento. Nam Judæi, cùm Deum orabant, vocabant illum *Dominum* : nos ex mandato Christi, vocamus *Patrem*. Illi orabant ut servi : nos oramus ut filii. Illi dicebant cum Nehemiâ : « Quæso, Domine, Deus cœli, fortis, magne « atque terribilis, fiant aures tuæ auscultantes, « et oculi tui aperti, ut audias orationem servi « tui, quam ego oro coràm te hodiè. » 2 Esd. 1, v. 5-6. Nos dicimus cum Christo : *Pater noster qui es in cœlis.* Matth. 6, v. 9. Quo nomine sæpissimè utitur apostolus : ut Rom. 1, v. 7.... « Gratia vobis et pax à Deo Patre nos« tro. » Et Rom. 8, v. 15 : « Non enim acce« pistis spiritum servitutis iterùm in timore ; « sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, « in quo clamamus : Abba (Pater). » Et 2 Cor. 1, v. 3 : « Pater misericordiarum. » Et alibi. Item Christus in Evangelio : Matth. 5, v. 16 : « Sic luceat lux vestra coràm homi« nibus, ut videant opera vestra bona, et glo« rificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. » Et ibid., v. 44-45 : « Diligite inimicos vestros,... ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos. » Et v. 48 : « Estote ergò vos perfecti, sicut et « Pater vester cœlestis perfectus est, etc. » Hinc sequitur primò, verum esse, quod sæpè dixi, Judæos fuisse in statu servorum; nos autem in statu filiorum. Illos habuisse Deum pro Domino; nos pro Patre : illos accepisse mercedem temporalem; nos æternam : illos timore impulsos fuisse ad serviendum; nos amore. Secundò sequitur, nos esse fratres et cohæredes Christi; illos non fuisse. Quò spectat illud Rom. 8, v. 17 : *Si autem filii et hæredes : hæredes quidem Dei : cohæredes autem Christi.* Et Hebr. 2, v. 11 : loquens de Christo ait : *non confunditur fratres eos vocare.* Et ratio est, quia habemus eumdem Patrem cum Christo.

Dices : etiam in vetere Testamento Deus vocabatur Pater Judæorum; ut Isaiæ 63, v. 16 : *Tu enim Pater noster, et Abraham nescivit nos.* Et Jer. 31, v. 9.... *Factus sum Israeli Pater, et Ephraim primogenitus meus est.* Ergò ex hâc parte, nullum est discrimen inter Judæos et Christianos ; nec inter vetus ac novum Testamentum. Respondeo : magnum est discrimen. Primò, ex parte legis seu præcepti. Nam Judæi secundùm legem Mosaicam, non utebantur nomine *Patris,* quandò orabant Deum, sed nomine *Domini*, ut dictum est. At Christiani secundùm legem evangelicam, jubentur usurpare nomen *Patris :* Jubentur enim sic orare, *Pater noster qui es in cœlis.* Secundò, ex parte consuetudinis. Nam in vetere Testamento non erat consuetum, ut vel sacerdotes vel populus Deum appellaret Patrem : soli prophetæ aliquandò id fecerunt extraordinariè, et quidem duplici sensu : Primò, prædicendo fore, ut Deus, qui tunc erat Dominus Judæorum, futurus esset Pater Christianorum ; sic intelligendum est illud Jerem. loco citato : *Factus sum Israeli Pater et Ephraïm primogenitus meus est.* q. d. in novo Testamento quandò Judæi converterentur ad fidem christianam, tunc ero

Pater Israelis et Ephraïm. Et sic explicat apost. 2 Cor. 6, v. 18, citans testimonium Jer. his verbis :.... *Ero vobis in Patrem, et vos eritis mihi in filios et filias, dicit Dominus.* Ubi illæ duæ particulæ, *Ero et eritis*, denotant tempus novi Testamenti. Porrò per nomen Israelis possunt intelligi Judæi, qui erant convertendi ex tribu Juda et Benjamin : et per nomen Ephraïm, qui erant convertendi ex decem tribubus, quales fuerunt, Petrus, Andreas, Philippus, Nathanael. Secundò, insinuando, Deum non quidem vocatum fuisse Patrem Judæorum, potuisse tamen vocari, si servàssent legem à Deo præscriptam. Sic intelligendum est illud Isaiæ 1, v. 2 : « Filios enutrivi, et « exaltavi : ipsi autem spreverunt me. » Et Malach. 1, v. 6 : « Filius honorat patrem, et « servus dominum suum. Si ergò Pater ego « sum, ubi est honor meus? » Et alia similia. Vide D. Aug. lib. 2, de serm. Dom. cap. 4, ubi hæc omnia prosequitur.

Hic notandum est, Deum triplici titulo posse appellari Patrem : Primò, titulo creationis et conservationis. Sic omnium creaturarum potest dici Pater. Et sic vocatur Pater pluviæ. (Job. 38, v. 28.) Secundò, titulo redemptionis. Tertiò, titulo regenerationis et adoptionis. Utroque titulo vocatur Pater justorum novi Testamenti juxtà illud Joan. 1, v. 12 : *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.*

Quæres, quare in vetere Testamento vocatus sit Deus deorum? Ut Ps. 49, v. 1 : *Deus deorum Dominus locutus est.* Ps. 135, v. 2 : *Confitemini Deo deorum.* Et Dan. 11, v. 36 : *Adversùs Deum deorum loquetur magnifica.* Resp. Illa phrasis dupliciter usurpata fuit in Scripturis, Primò à Judæis, quia agnoscebant unum Deum. Et tunc sensus est : *Deus deorum*, id est, Deus noster, qui est solus Deus. Vel Deus noster, qui non solùm est suprà homines, sed etiam suprà deos Gentilium, qui sunt falsi dii. Et sic intelliguntur testimonia citata. Idem sensus aliis verbis exprimitur, Psalm. 134, v. 5 : *Ego cognovi quòd magnus est Dominus, et Deus noster præ omnibus diis.* Secundò, ab infidelibus, qui agnoscebant plures deos. Et tunc sensus est, *Deus deorum*, id est, præcipuus inter deos. Et sic videtur intellexisse Nabuchodonosor rex, cùm dixit Danieli : .... *Verè Deus vester Deus deorum est.* (Dan. 2, v. 47.) Vide Maldonatum in illum locum.

Quæstio vi. — *An in vetere Testamento usitatum fuerit invocare Sanctos?* — Respondeo : usitatum fuit invocare sanctos Angelos, non tamen sanctos homines qui ex hâc vitâ decesserant. Prior pars probatur ex variis Scripturæ testimoniis. Primò, ex illo Gen. 48, v. 15-16 : « Deus, in cujus conspectu ambulaverunt Pa« tres mei Abraham et Isaac : Deus qui pascit « me ab adolescentiâ meâ usque in præsentem « diem : Angelus, qui eruit me de cunctis ma« lis, benedicat pueris istis. » Ubi Jacob patriarcha, primò quidem invocat Deum; deindè Angelum custodem, petens ab utroque benedictionem pro filiis Josephi, nempè pro Ephraïm et Manasse. Secundò, ex illo Job. 5, v. 1 : *Voca ergò, si est tibi qui respondeat, et ad aliquem Sanctorum convertere.* Ubi nomine *Sanctorum* intelligit Angelos, ut exponit August. in annotat. in Job. Bellarm. lib. de Sanctis, cap. 10. Emmanuel Sa in notationibus. Similis est modus loquendi, Job. cap. 15, v. 15 : *Ecce inter Sanctos ejus* (id est inter Angelos) *nemo immutabilis.* Est igitur hic sensus : *Convertere ad aliquem Sanctorum*, id est, recurre ad aliquem Angelum, qui causam tuam defendat apud Deum. Et hoc fecit Job; ut patebit ex sequenti testimonio. Tertiò ex illo Job. 19, v. 21 : *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Ubi Job, sicut illi suasum erat, invocat amicos suos, id est, Angelos : ut auctores citati interpretantur. Et colligitur ibid. ex capite 33, v. 23-24 : « Si fuerit pro eo Angelus loquens, « unus de millibus, ut annuntiet hominis æqui« tatem, miserebitur ejus et dicet : libera « eum, ut non descendat in corruptionem : « inveni in quo ei propitier. » Sensus est : si aliquis Angelorum (quos invocavit Job, dicendo, *Miseremini mei*) intercesserit pro eo apud Deum, futurum est, ut Deus misereatur Job propter ejusmodi intercessionem, et dicat Angelo intercessori : *Libera eum*, etc. Posterior pars probatur; quia nusquàm legimus in vetere Testamento quòd aliquis directè invocaverit sanctos patriarchas aut prophetas, qui ex hâc vitâ decesserant.

Dices : Moyses invocavit sanctos patriarchas, Exod. 32, v. 13 : *Recordare Abraham, Isaac et Jacob, servorum tuorum.* Respondeo. Hæc tria distinguenda sunt. Primò, directè invocare Sanctos, dicendo : *Sancte Abraham, ora pro me;* hoc nunquàm factum est in vetere Testamento. Secundò, directè orare Deum, ut sit nobis propitius, propter merita sanctorum; hoc factum est in vetere Testamento : nam Salomon oravit Deum, petendo ab illo subsi-

dium, propter merita patris sui David, jam defuncti, ut Ps. 131, v. 1 : *Memento Domine David, et omnis mansuetudinis ejus.* Et infrà, v. 10 : *Propter David servum tuum, non avertas faciem Christi tui*, id est, propter fidele obsequium, quod tibi præstitit Pater meus, cùm in hâc vitâ mortali esset, rogo te, ne confundas faciem meam, qui loco Patris mei unctus sum in regem. Tertiò, directè orare Deum ut sit nobis propitius, propter pactum cum Sanctis initum; hoc etiam factum est in vetere Testamento, loco Exod. suprà cit. : « Recordare « Abraham, Isaac et Jacob, servorum tuorum, « quibus jurasti per temetipsum dicens : mul- « tiplicabo semen vestrum, sicut stellas cœli, « et universam terram, de quâ locutus sum, « dabo semini vestro, et possidebitis eam sem- « per. » Hinc sequitur, quæ sit differentia inter vetus et novum Testamentum quod attinet ad invocationem Sanctorum. Nam tametsi veteres soliti sint invocare Angelos, sicut nos facimus; non tamen soliti sunt directè invocare alios Sanctos, sicut nos facimus. Non enim dicebant : *Sancte Abraham, ora pro nobis*, sicut nos dicimus : *Sancte Petre, ora pro nobis.* Ratio est, quia Sancti in vetere Testamento non erant in cœlo nec in cœlesti gloriâ, sed in loco subterraneo, quasi in carcere inclusi (1 Pet. 3, v. 19), ac proindè non poterant ordinariè ac infallibiliter cognoscere viventium preces et invocationes. At Sancti in novo Testamento sunt in cœlo, ubi clarè vident divinam essentiam, et in eâ, tanquàm in vivo speculo, nostras necessitates et orationes intuentur. Undè D. Greg. lib. 4. Dial., cap. 33 de illis sic scribit : *quid est, quòd ibi nesciunt, ubi scientem omnia sciunt?* De quo plura dixi in opusculo de invocatione Sanctorum.

Quæstio vii. — *An in vetere Testamento usitatum fuerit orare pro defunctis?* — Resp. Fuit usitatum, ut colligitur ex lib. 2 Machab., cap. 12, v. 42 et seq., ubi Judas Machabæus curavit offerri sacrificium pro mortuis. Textus sic habet :.... « At verò fortissimus Judas horta- « batur populum conservare se sine peccato, « sub oculis videntes, quæ facta sunt pro pec- « catis eorum, qui prostrati sunt. Et factâ « collatione, duodecim millia dragmas argenti « misit Jerosolymam offerri pro peccatis mor- « tuorum sacrificium, benè et religiosè de re- « surrectione cogitans (nisi enim eos qui ce- « ciderant, resurrecturos speraret, superfluum « videretur, et vanum orare pro mortuis), et « quia considerabat quòd hi, qui cum pietate « dormitionem acceperant, optimam haberent « repositam gratiam. Sancta ergò et salubris « est cogitatio pro defunctis exorare, ut à « peccatis solvantur. » Ubi tria notanda sunt. 1. Quòd Judas curaverit orari pro mortuis. 2. Quòd id fecerit ad exsolvenda illorum peccata. 3. Quòd laudabiliter fecerit.

Dices 1° Libri Machabæorum non sunt Canonici quia non habentur in canone Judæorum. Resp. Sunt Canonici, ut docet Innocentius, Augustinus, et alii passim, quos citavi cap. 1, q. 1. Nec obstat, quòd non sint positi in canone Judæorum : quia ille canon factus est antequàm libri Machabæorum conscriberentur. Non ergò mirum est, si in illo canone non habeantur. Habentur tamen in canone christianorum, ut patet ex auctoribus citatis. Undè Aug. lib. 18 de civ. Dei, cap. 36 : *Machabæorum libros, non Judæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet.* Dices 2° Etiamsi constet Judam Machabæum curâsse offerri sacrificium pro mortuis, non ideò sequitur legitimè id factum esse. Nam multa narrantur in Scripturâ, quæ non legitimè facta sunt. Respondeo. — Sicut constat Machabæum id fecisse, sic etiam constat laudabiliter fecisse. Quod tripliciter probo. 1° Ex verbis Scripturæ : *Sancta ergò et salubris est cogitatio pro defunctis exorare.* 2° Ex consensu totius Ecclesiæ catholicæ, quæ imitatur factum Judæ. 3° Ex personâ ipsius Judæ. Fuit enim vir laudatissimus, et tantæ auctoritatis apud Judæos, ut instituerit festum Encæniorum (lib. 1 Machab. 4, v. 59), quod adhùc tempore Christi publicè celebrabatur, et ab ipso Christo fuit cohonestatum. (Joan. 10, v. 22.) Dices 3° Illi, pro quibus Judas curavit offerri sacrificium, erant sacrilegi, quia furati erant donaria idolorum, quòd apertè pugnabat cum ipsorum lege Deut., c. 7, v. 25-26 : « Sculptilia eorum igne combures : non con- « cupisces argentum et aurum, de quibus « facta sunt, neque assumes ex eis tibi quid- « quam : ne offendas; propterea, quia abomi- « natio est Domini Dei tui. Nec inferes quip- « piam ex idolo in domum tuam, ne fias ana- « thema, sicut et illud est. » Undè constat, mortuos fuisse in peccato mortali. At peccatum mortale non tollitur post hanc vitam. — Respondeo : hìc aliqua certa sunt, aliqua incerta. 1° Certum est, eos de quibus agitur, contrà legem peccâsse, sive mortaliter, sive venialiter. 2° Peccatum mortale, quoad culpam, non tolli post hanc vitam. 3° Si ergò aliqui ex illis mortui sunt in peccato mortali, non

profuisse illis sacrificium. 4° Si autem verè doluerint de peccato antè mortem, profuisse : non ad tollendam culpam, quam suppono per contritionem sublatam esse; sed ad pœnam temporalem expiandam. Hæc incerta. 1° An omnes peccaverint mortaliter in illo facto; quia poterant aliqui excusari à peccato mortali vel propter parvitatem materiæ, quam abstulerant; vel ex aliquo alio capite. 2° An omnes qui peccârunt mortaliter, mortui sint in peccato mortali, quia aliqui fortè habuerunt veram contritionem antè mortem. Si ergò aliqui vel non peccaverint mortaliter, vel certè doluerint de peccato mortali, rectè pro illis sacrificium oblatum est. Et quamvis Judas Machabæus id certò non sciverit, fecit tamen laudabiliter, pro omnibus sacrificium offerendo. Sicut etiam nos, quandò oramus pro absentibus, sæpè nescimus, in quo statu illi sint : an scilicet viventes; an mortui; benè, an malè dispositi, digni, an indigni; prædestinati, an reprobi : et tamen non malè facimus, pro illis orando. Habemus similia exempla in Scripturis. Certè Stephanus cùm oraret pro lapidantibus, non sciebat in quo statu quisque illorum esset : an scilicet ex eorum numero, quibus profutura esset oratio, sicut profuit Saûlo : an ex aliorum numero, quibus profutura non esset, cujusmodi erant plerique Pharisæi. Et tamen pro omnibus sine exceptione oravit : *Ne statuas illis hoc peccatum.* An ideò oratio illius culpanda? absit. Similiter apostolus Paulus, dùm Romæ esset in vinculis, scribebat Ephesiis et Colossensibus, ut instanter et omni tempore pro ipso orarent. (Ephes. 6, v. 19. Colos. 4, v. 3.) Nec dubium est, quin id fecerint. Et tamen, dùm posteà, elapso temporis intervallo, pro absente orarent, meritò poterant dubitare, in quo statu ipse tunc esset : an adhùc Romæ teneretur in vinculis, an capite jam plexus, aut aliò ablegatus esset. An ideò non rectè orârunt? Idem ergò judicium esto de Judâ Machabæo. Nescierit sanè in quo statu mortui essent illi, pro quibus sacrificium offerebat : non ideò malè fecisse putandus est.

CAPUT IV.

DE CHARITATE ET PRÆCEPTIS CHARITATIS.

Duplex est charitas. Una naturalis, quâ diligimus Deum et proximum secundùm dictamen luminis naturæ. Altera supernaturalis, quâ diligimus Deum et proximum secundùm dictamen luminis fidei. Prior potest esse in Ethnicis; posterior tantùm in fidelibus. Hic agimus de posteriori. Et quæritur 1° Quid sit charitas? 2° an in vetere Testamento fuerint duo præcepta charitatis : unum de diligendo Deo ex toto corde : alterum de diligendo proximo sicut seipso? 3° An prius præceptum de diligendo Deo ex toto corde, sit possibile in hâc vitâ? 4° An posterius præceptum de diligendo proximo, intelligatur tantùm de amico, an etiam de inimico? 5° Quid sit diligere proximum sicut seipsum?

QUÆSTIO PRIMA.—*Quid sit charitas?*—Respondeo. Charitas est virtus à Deo infusa, quâ Deus diligitur propter se, et proximus propter Deum. Hæc partim convenit cum fide et spe, partim discrepat. In eo convenit, quod sit super naturalis et à Deo infusa, sicut fides et spes : in eo discrepat, quod sit perfectior fide et spe juxtà illud 1 Corinth. 13, v. 13 : *Nunc autem manent fides, spes, charitas : tria hæc; major autem horum est charitas.* Est autem ex duplici capite perfectior. Primò, quia fides et spes, sicut etiam aliæ virtutes, nihil prosunt sine charitate, prolixè ostendit apostolus loco citato. Et hoc sensu docent theologi cum D. Thoma 2. 2. q. 23, art. 8, charitatem esse formam, animam et vitam aliarum virtutum. Nam sicut corpus humanum habet omnem vim et valorem operandi ab animâ, quæ est vita et forma corporis, sic aliæ virtutes habent omnem vim ac valorem merendi à charitate. Undè August. lib. 15, de sanctâ Trinitate, cap. 18 : *Ipsam fidem non facit utilem, nisi charitas. Sine charitate quippe fides potest quidem esse, sed non et prodesse.* Secundò, quia fides et spes includunt quamdam imperfectionem : Fides quidem, obscuritatem; spes verò dilationem boni, quod speratur. At charitas nullam includit imperfectionem. Hinc infert apostolus, fidem, et spem, quia imperfectæ sunt, non manere in Beatis in cœlo; charitatem, quia perfecta est, manere. (1 Corinth. 13, v. 8.) Propter hanc perfectionem dici solet, charitatem eminere inter virtutes, sicut aurum eminet inter metalla; ignis inter elementa, sol inter planetas, cœlum empyreum inter orbes cœlestes, Seraphim inter Angelos. Nam charitas, quâ diligimus Deum et proximum, est quasi aurum pretiosissimum, quo comparamus nobis bona cœlestia : est ignis quo accenditur et inflammatur animus : est sol qui illuminat, fœcundat, vivificat : est cœlum empyreum, in quo habitat Deus cum beatis : est virtus seraphica, quæ homines ardentes efficit.

QUÆSTIO II. — *Quæ fuerint præcepta charitatis in vetere Testamento?* — Respondeo : Hæc duo principalia : Unum Deut. 6, v. 5 : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex « totâ animâ tuâ, et ex totâ fortitudine tuâ. » Alterum Lev. 19, v. 18... : « Diliges amicum « tuum sicut teipsum. » Christus utramque conjunxit in evangelio et expressis his verbis, Matth. 22, v. 37 et seq. : « Diliges Dominum « Deum tuum ex toto corde tuo, et ex totâ « animâ tuâ, et ex totâ mente tuâ : hoc est « maximum et primum mandatum. Secundum « autem simile est huic : Diliges proximum « tuum sicut teipsum. In his duobus manda- « tis universa lex pendet et prophetæ. » Prius præceptum, de diligendo Deo ex toto corde, jubebantur Judæi ligare in manibus, collocare inter oculos, et scribere super januas et postes domuum suarum. Sic enim habetur Deut. 6, v. 4 et seq. : « Audi, Israel, Dominus Deus no- « ster, Dominus unus est. Diliges Dominum « Deum tuum ex toto corde tuo, et ex totâ « animâ tuâ, et ex totâ fortitudine tuâ. Erunt- « que verba hæc, quæ ego præcipio tibi ho- « diè, in corde tuo, et narrabis ea filiis tuis, « et meditaberis in eis sedens in domo tuâ, « et ambulans in itinere, dormiens atque con- « surgens. Et ligabis ea, quasi signum in manu « tuâ, eruntque et movebuntur inter oculos « tuos, scribesque ea in limine, et ostiis domûs « tuæ. » Et infrà cap. 11, v. 20 : « Scribes « ea super postes et januas domûs tuæ. »

Quæres, quo sensu hoc intelligendum sit? Resp. Duplex est expositio. Una veterum Judæorum qui propriè intelligebant, sicut verba sonant. Itaque apud illos erat consuetudo, ut scriberent legem Dei in membrana, et affigerent fronti, brachio, fimbriis et ostio domûs suæ. Hinc Christus Matth. 23, v. 5, de Scribis et Pharisæis ait... *dilatant enim phylacteria sua, et magnificant fimbrias.* Ubi per phylacteria intelligit membranulas, in quibus lex Dei scripta erat, quas Pharisæi in fronte versùs utramque aurem, et in brachiis circà manus, et in fimbriis vestimentorum gestabant, ut perpetuò legem Dei antè oculos haberent. Dicta autem sunt à Græcis *phylacteria*, id est, conservatoria, quòd ad conservandam legis memoriam instituta essent. Vide Maldonat. in comment. illius loci (1). Altera nostrorum interpretum, qui non intelligunt propriè de externâ scriptione legis in membranis, et affixione ad frontem, brachia et ostia; sed de jugi memoriâ et recordatione illius præcepti, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Ut hic sit sensus, ità constantem et continuam illius præcepti habebis recordationem, ac si frontalibus, dextralibus, ac liminaribus inscriptum esset, et tuis oculis perpetuò objiceretur et observaretur. Ità Lyranus, Abulensis, Rabanus, Cornelius. Itaque secundum hos auctores, eadem res semel propriè, semel metaphoricè proposita est. Propriè, cùm dictum est : « Eruntque verba hæc in corde tuo, et « meditaberis in eis, sedens in domo tuâ, et « ambulans in itinere. » Metaphoricè, cùm additum est : « Et ligabis ea, quasi signum in « manu tuâ : eruntque et movebuntur inter « oculos tuos, scribesque ea in limine et ostiis « domûs tuæ. » Hæc posterior expositio passìm recepta est. Prior tamen est valdè probabilis, et magis accommodata statui Judæorum, et analogiæ veteris ac novi Testamenti, quæ, ut suprà dixi, in eo consistit, quòd Judæi fuerint servi, Christiani sint filii : illi habuerint externam litteram; hi habeant internum spiritum : illi fuerint quasi carnales, hi spirituales. Itaque illi per externa et sensibilia signa debeant instrui ac doceri de rebus spiritualibus. Sic per mactationem boum et ovium instructi sunt de futurâ Christi passione : per externam circumcisionem carnis, de internâ cordis contritione : per transitum maris rubri, de effectu Baptismi. Ergò verisimile est, quòd etiam per externam scriptionem legis, et affixionem ad frontem, brachia, fimbrias, parietes, moniti fuerint de observandâ lege. Et ità sentit D. Thomas in 1-2, q. 102, à 6 ad 7, ubi cùm alteram nostrorum interpretum expositionem proposuisset, posteà subdit : *Potest tamen dici, quòd, quia populus ille carnalis erat, et duræ cervicis, oportuit etiam per hujusmodi sensibilia eos ad legis observantiam excitari.*

QUÆSTIO III. — *An prius præceptum de diligendo Deo ex toto corde, sit possibile in hâc vitâ?* — Negat

(1) Judæorum vestitus erat valdè simplex; tunica ex lanâ vel lino confecta, laxa et usque ad talos defluens, quæ cingulo cuti adstringebatur, et pallium quod erat quadratum oblongum frustum panni, duobus extremis lateribus annexas fimbrias, et quatuor angulis vittas cærulei coloris alligatas habens, erant totus eorum ornatus. — Pallium multiplicem habebat usum, et capitis tegumento adversùs calores et imbres quoque inserviebat. Calcei eorum sandalia fuisse videntur. Pro vestitu et ornatu mulierum vide Judith. cap. 16. Confer si lubet Calmetum, qui peculiarem scripsit dissertationem *de re vestiariâ Hebræorum*, *et* Yanh, *Archæoloa. Bib.*

Calvinus. Affirmant Catholici, et probant exemplo Davidis, et aliorum Sanctorum qui illud servârunt. Psalm. 118, v. 10 : « In toto corde « meo exquisivi te. » Et 3 Reg. 14, v. 8 :..... « Non fuisti sicut servus meus David, qui cu« stodivit mandata mea, et secutus est me in « toto corde suo, faciens quod placitum esset « in conspectu meo. » Et 4 Reg. 23, v. 25 de Josiâ : « Similis illi non fuit ante eum rex, « qui reverteretur ad Dominum in omni corde « suo, et in totâ animâ suâ et in universâ vir« tute suâ, juxtà omnem legem Moysi. » Et rursùs Ecclesiastici 47, v. 10, de Davide : « De « omni corde suo... dilexit Deum. » Hìc apertè vides, Davidem et Josiam dilexisse Deum ex toto corde, juxtà præceptum decalogi. Nec dubium, quin idem fecerint Abraham, Moyses, Samuel, Elias, Elisæus, Jeremias, et alii Prophetæ. Et in novo Testamen o, beata Virgo, apostoli, Stephanus, Timotheus, Titus, et alii non pauci, præsertìm cùm de his prædictum sit, Deut. 30, v. 6 : « Circumcidet Dominus « Deus tuus cor tuum, et cor seminis tui, ut « diligas Dominum Deum tuum in toto corde « tuo, et in totâ animâ tuâ, ut possis vivere. » Porrò, ut res tota clariùs percipiatur, explicandum est, quis sit sensus illius præcepti, quo jubemur diligere Deum ex toto corde. Sic enim facilè constabit an servari possit necne. Potest autem triplex esse sensus. Primus, ut diligamus Deum ex toto corde, id est, ut totum cor nostrum, quantum est, in eo solo diligendo occupetur, nec aliud amemus aut diligamus, quàm ipsum. Hoc sensu non præcipitur Dei dilectio: alioqui non liceret proximum diligere, quod tamen facere jubemur. Alter est, ut diligamus Deum ex toto corde, non quòd totum cor nostrum in eo diligendo debeat occupari, sed quòd tanto conatu in eum ferri debeat, quanto fieri potest. Nec hoc sensu præcipitur: quamvis si præciperetur, servari posset. Quis enim dicat impossibile sibi esse, diligere Deum tanto conatu, quanto diligere eum potest? Tertius est, ut diligamus Deum ex toto corde, id est, ut diligamus eum super omnia, ut præferamus illum rebus aliis; ut nullius rei amorem Dei amori anteponamus; ut nullius creaturæ timore vel amore velimus Deum offendere, et ab illius amore recedere. Hic verus ac germanus sensus est. Hunc expressit apostolus Rom. 8, v. 39... : *Neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei,* id est, nulla poterit efficere, ut ejus amori postponamus dilectionem Dei. Et Christus Matth. 10, v. 37 : *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus*, id est, qui amorem parentum præfert amori Dei, non diligit Deum super omnia. Undè è contrario, qui amori parentum (qui in filiis solet esse maximus) præfert amorem Dei, convincitur diligere Deum super omnia. Hoc sensu laudatur Abraham (Genes. 22, v. 16, et seq.), quòd cùm haberet unicum filium Isaac, quem intimè diligebat, ejus tamen dilectioni præferret dilectionem Dei. Nam si inter omnes creaturas, nullam tantoperè amabat, sicut filium unigenitum; et nihilominùs hunc ipsum filium paratus erat offerre Deo in sacrificium; evidens signum erat, eum diligere Deum super omnia, vel, quod idem est, ex toto corde. Hinc concludo, hoc præceptum non esse impossibile, si eo sensu explicetur, quo jam explicatum est.

Sed objicitur Augustinus in lib. de Spir. et lit. cap. ult. et in lib. de perfectione Justitiæ resp. 17, ubi ait, hoc præceptum non posse impleri in hâc vitâ, sed in aliâ. At prompta est responsio. Nam duo nititur ostendere Augustinus, quæ verissima sunt. Unum est, præceptum illud, *Diliges Deum ex toto corde, et ex totâ animâ, et ex totis viribus;* posse quidem impleri in hâc vitâ, quoad obligationem, quam inducit; non tamen quoad verba, quibus proponitur. Alterum est, in hâc vitâ non tam perfectè diligi Deum, quam in alterâ, quod probat hâc ratione. Dilectio supponit cognitionem; in hâc vitâ cognoscimus Deum obscurè per fidem; in alterâ clarè per visionem : quid ergò mirum, si in hâc vitâ minùs perfectè, in alterâ perfectiùs Deum diligamus? Hanc esse mentem Augustini, ex ipso textu colligitur. Nec in minimo nobis repugnat.

Quæstio iv.—*An posterius præceptum, de diligendo proximo, intelligatur tantùm de amico, an etiam de inimico?*—Ratio dubitandi est, quia Levit. 19, v. 18, expressè dicitur :... *Diliges amicum tuum, sicut teipsum.* Ubi inimicus videtur excludi. Unde in evangelio dicit Christus Matt. 5, v. 43-44 : « Audistis, quia dictum est : Diliges pro« ximum tuum, et odio habebis inimicum « tuum. Ego autem dico vobis : Diligite inimi« cos vestros. » Ut sit discrimen veteris ac novi Testamenti, quòd in vetere datum fuerit præceptum de diligendis tantùm amicis : in novo de diligendis omnibus, tam amicis, quàm inimicis. Auget hanc difficultatem, quòd quidam legisperitus in evangelio interrogaverit Christum, quis deberet intelligi per proximum quandò dicitur : *Diliges proximum tuum sicut*

teipsum. (Luc. 10, v. 27.) Nam ex illâ interrogatione apparet Christum in hâc re dissensisse à Judæis, eò quòd Judæi putarent solos amicos, Christus etiam inimicos, nomine proximi, comprehendi. Magni sanè auctores ità sentiunt. Qui primò quidem generatim docent Christum non solùm interpretatum esse legem Mosaicam, et à corruptelis Pharisæorum vindicâsse (Matth. 5. v. 21 et seq.), sed reverà novas quasdam leges addidisse, quæ in vetere Testamento non erant. Ac nominatim addidisse hanc : *Diligite inimicos vestros*, quæ in lege Mosaicâ nusquàm legitur. Itaque hoc interesse inter Judæos et Christianos, quòd Judæi, vi præcepti Mosaici, debuerint diligere solos Judæos, qui nomine proximorum designabantur, non autem Gentiles, qui hostes seu inimici illorum erant. Christiani verò, vi præcepti evangelici, debeant omnes diligere, etiam hostes et inimicos.

Dices : etiam in vetere Testamento fuit præceptum de diligendis inimicis, ut patet ex illo Exod. 23, v. 4 : *Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum.* Respondeo. Ibi per inimicum non intelligitur verus inimicus, id est, Gentilis; sed Judæus, cum quo Judæus inimicitias gerere prohibebatur. Hoc indè constat, quia qui illic inimicus dicitur, alibi frater appellatur, ut Deut. 22, v. 1 : *Non videbis bovem fratris tui, aut ovem errantem, et præteribis, sed reduces fratri tuo.* Alioqui quando de veris inimicis, id est, de Gentilibus sermo est; tunc Judæi jubentur eos interficere, ac penitùs delere. Deut. 25, v. 19 :... *Delebis nomen ejus sub cœlo.* Hanc sententiam sic explicatam, Maldonatus in cap. 5, Matth., v. 21 ; et ex eo Serarius lib. 2. Trihæresii, cap. 8.

Quæstio v. — *Quid sit diligere proximum sicut seipsum?* — Difficultas est, quid significet illa particula, *sicut.* Resp. Non significat æqualitatem, sed similitudinem : Primùm, patet quia homo, secundum ordinem charitatis, debet seipsum magis diligere quàm proximum; et hoc sensu dici solet : *Charitas incipit à seipso.* Posteriùs etiam patet, quia tametsi debeat seipsum magis diligere quàm proximum, tenetur tamen similia dilectionis signa exhibere proximo, atque sibi ipsi. Et hoc significat particula, *sicut.*

Quæres, in quo consistat hæc similitudo? Respondeo. In tribus : 1° in materiâ ; 2° in modo et qualitate, 3° in affectu. Vult enim Deus ut ea bona quæ tibi optas, optes etiam proximo; ut sicut teipsum diligis propter Deum ; sic etiam diligas proximum propter Deum ; ut eo affectu et conatu, quo diligis teipsum, diligas etiam proximum, salvo semper ordine charitatis, de quo fusè suprà disputatum est.

Dices : homo sæpè optat sibi noxia, ut honores, voluptates, divitias ; quæ non tenetur optare proximo. Ergo falsum est, Deum velle, ut quæ quisque sibi optat, optet etiam proximo. Respondeo. Nos hìc agimus de eo, qui ex verâ charitate diligit seipsum : non de eo, qui servit suis cupiditatibus et concupiscentiis. Vide Maldonatum in cap. 22, Matth. v. 36.

CAPUT V.

DE LEGE MOSAICA.

Lex Mosaica triplex est, moralis, cærimonialis et judicialis. Moralis summatim continetur in decalogo. Et duo potissimùm præcipit, cultum Dei et justitiam cum proximo. Cærimonialis, speciatìm determinat, quibus ritibus ac cæremoniis colendus sit Deus. Judicialis, quibus modis justitia cum proximo servanda. Itaque triplicia sunt præcepta Mosaica, de quibus Deuter. 5, v. 31..... : « Loquar tibi omnia « mandata mea, et cæremonias, atque judi- « cia. » Et cap. 6, v. 1 : « Hæc sunt præce- « pta, et cæremoniæ atque judicia, quæ man- « davit Dominus Deus noster, ut docerem vos. » (Vide D. Thomam in 1-2 quæst. 99, et sequentibus.) Hoc posito, multa possunt disputari 1° An lex Mosaica fuerit bona? 2° An utilis? 3° An perfecta et sufficiens ad salutem? 4° An à Deo data? 5° Ubi, quando et quomodò data? 6° An obligaverit solos Judæos? 7° Quàm arctè obligaverit? 8° An nunc penitùs abrogata sit? 9° An in ejus locum successerit lex evangelica, et quæ illa sit?

Quæstio prima. — *An lex Mosaica fuerit bona?* — Manichæi, teste Augustino (in lib. contrà Adimantum, et lib. 22 contrà Faustum), docuerunt fuisse malam et injustam. Primò, quia concessit usuram et libellum repudii, quæ mala et injusta sunt. (Deut. 33 et 34.) Secundò, quia fuit tyrannica, ut patet ex illo Exod. 21, v. 24 : *Oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede.* Tertiò, quia fuit intolerabilis, et observatu impossibilis. Act. 15, v. 10 : *Quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus?* Hinc sæpè reprehenditur in Scripturis Ezech. 20, v. 25 : « Ego dedi eis præcepta non bona, et judicia « in quibus non vivent. » Et Rom. 4, v. 15 : « Lex enim iram operatur... » Et Rom. 5, v. 20 ;

« Lex autem subintravit ut abundaret deli« ctum. » Et Rom. 7, v. 8-9... : « Sine lege enim « peccatum mortuum erat... sed cum venisset « mandatum, peccatum revixit. » Et Hebr. 8, v. 7 ; « Si illud prius (testamentum) culpâ va« casset, non utique secundi locus inquirere« tur. » Respondeo. Lex mosaica fuit bona, justa, sancta, ut patet ex illo Rom. 7, v. 12 : *Lex quidem sancta, et mandatum sanctum, et justum et bonum.* Ubi mandatum legis Mosaicæ dicitur sanctum, propter præcepta cærimonialia : justum, propter judicialia : bonum propter moralia, ut notat D. Th. 1-2, q. 99, art. 4, in corp. Et ratio est, quia Deus fuit auctor illius legis, ut posteà demonstrabo : at Deus non potest esse auctor malæ et injustæ legis ; quia, ut inquit Job. 36, v. 22 : *Nullus ei similis est in legislatoribus.* Et ut habetur Prov. 8, v. 15 : *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt.* Ad argumenta Manichæorum sic respondeo. Ad 1 : Libellus repudii et usura, si spectentur eo modo, quo Judæis concessa sunt, non sunt mala, sed licita, ut infrà suo loco probandum est. Ad 2 : Lex Mosaica præsertìm judicialis, non quidem fuit tyrannica, sed tamen servilis, et accommodata statui Judæorum. Sicut enim Christiani sunt in statu filiorum ac libertatis ; sic Judæi erant in statu timoris ac servitutis. Debebant igitur metu pœnarum à peccatis absterreri. Quo spectat illud Deut. 19, v. 20 : *Ut audientes cæteri timorem habeant, et nequaquam talia audeant facere.* Ad 3 : Fuit quidem difficilis observatu, non tamen impossibilis. Fuit autem difficilis, si conferatur cum lege evangelicâ, quæ est facillima. Rationem hujus discriminis jam insinuavi. Nam lex Mosaica data fuit Judæis, qui erant servi : lex evangelica data est Christianis, qui sunt filii : servorum autem conditio difficilior est quam filiorum. Testimonia Scripturæ, quæ ultimo loco adducebantur, nihil aliud probant, quàm quod dicturus sum in 3 q., nempè legem Mosaicam fuisse imperfectam, et non potuisse quempiam liberare à peccato.

Quæstio ii. — *An lex Mosaica fuerit utilis?* — Resp Ad multa fuit utilis. Hoc insinuat Apost. ad Gal. 3, v. 24. cùm ait : *Lex pædagogus noster fuit in Christo* : vel, ut græcè est, *ad Christum.* Constat autem, pædagogum ad multa utilem esse, respectu puerorum, quos habet sub suâ disciplinâ ac potestate. Nam primò ostendit illis in quo peccent, ut emendentur. Secundò, coercet illos metu virgarum, ne in posterum peccent. Tertiò, docet illos prima rudimenta grammaticalia, et sic paulatim disponit ac præparat ad altiora studia capessenda. Hæc omnia, servatâ proportione, præstabat lex Mosaica, respectu Judæorum, qui veluti pueri, subjacebant legi, tanquam suo pædagogo. Ac primò ostendebat illis, in quo peccarent, ut testatur apost. Rom. 3, v. 20 : *Per legem enim cognitio peccati.* Nam sicut pueri, antequam datur illis pædagogus, sæpè delinquunt ; et propter ignorantiam, non advertunt se delinquere : ita homines antequam daretur illis lex scripta, sæpè peccabant, et propter cæcitatem cordis non sciebant se peccare. Rom. 1, v. 21 ; *Obscuratum est insipiens cor eorum.* At post legem datam, cœperunt agnoscere sua peccata. Rom. 7, v. 7 :... *Peccatum non cognovi, nisi per legem : nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret : non concupisces :* hæc autem cognitio erat necessaria via ad suscipiendum Christum. Cùm enim Christus in evangelio dicatur venisse ad delenda peccata, certè si Judæi non cognovissent se esse peccatores, non utique Christum suscepissent. Secundò, lex Mosaica coercebat Judæos metu pœnarum, ut in posterum à peccato abstinerent. Huc spectant omnia præcepta pœnalia, terrores et comminationes, quæ à lege intendantur. Exod. 21, v. 15 : *Qui percusserit patrem suum aut matrem, morte moriatur.* Et v. 24 ; *Oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede.* Et alibi sæpiùs. Tertiò, lex Mosaica docebat Judæos prima rudimenta fidei christianæ, et sic disponebat et præparabat illos ad perfectam Christi cognitionem, suo tempore capessendam. Proponebat illis umbras, figuras, involucra, sub quibus Christus abscondebatur. Proponebat, inquam, cruenta animalium sacrificia, ut indè assurgerent ad investigandum cruentum sacrificium in cruce. Proponebat circumcisionem, figuram baptismi : purificationes, figuram pœnitentiæ : agnum paschalem, figuram Eucharistiæ : æneum serpentem, figuram Christi, et sic deinceps.

Quæstio iii. — *An lex Mosaica fuerit perfecta et sufficiens ad salutem?* — Respondeo. Non fuit. Hebr. 7, v. 19 : *Nihil enim ad perfectum adduxit lex,* et ratio est, quia non conferebat gratiam, quam confert lex evangelica. Joan. 1, v. 17 : *Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* Hoc sensu apost. cærimonias legis Mosaicæ, vocat *infirma et egena elementa.* (Gal. 4, v. 9.) Et cùm alibi dicit, legem Mosaicam *non vacasse culpâ*, intelli-

gendum est, non vacasse imperfectione, seu fuisse imperfectam. Hebr. 8, v, 7. Eodem sensu multi interpretantur illud Ezech. 20, v. 25 : *Dedi eis præcepta non bona*, id est imperfecta : *Et judicia, in quibus non vivent*, id est, non sufficientia ad vitam spiritualem. Hinc sumitur differentia inter legem Mosaicam et evangelicam. Nam Mosaica dirigebat quidem Judæos, præscribendo et ostendendo quid agendum aut omittendum esset, non tamen præbebat vires et gratiam, quâ legis præcepta implerentur : evangelica, utrumque facit. Docet enim quid facere et omittere debeamus, et præterea confert gratiam, quæ nos juvat et corroborat, ut possimus exequi quod præscriptum est. Hanc differentiam pulchrè explicat Aug. in lib. de spiritu et litterâ, cap. 13. Et passim contra Pelagianos, in hunc ferè modum. 1. Lex vetus continet præceptum; lex nova auxilium. 2. Lex vetus dat lucem, ut sciamus; lex nova dat virtutem, ut faciamus. 3. In lege vetere dicit Dominus : fac quæ jubeo : in novâ nos dicimus : da quod jubes. 4. Lex vetus præscribit multas externas cæremonias : nova dirigit internas actiones. Ex quâ iterùm oritur alia differentia. Nam lex vetus seu Mosaica, non poterat per se prodesse homini ad salutem, quia id sine gratiâ fieri non potest : at nova seu evangelica per se sufficiens est ad hunc effectum. Et hoc est, quod toties inculcat apost. in epist. ad Rom. et Galat., neminem justificari ex operibus legis, sed ex fide in Christum. Quo etiam spectat illud 2 Cor. 3, v. 6 : .... *Littera enim occidit, spiritus autem vivificat* : Nam reverà lex Mosaica, præter externam litteram, nihil confert. Externa autem littera minatur mortem, nisi legem observes : neque tamen dat subsidium gratiæ, quo adjutus, observare possis. Hoc subsidium à novâ lege petendum est, quæ præter externam litteram præcipientem, præbet internum spiritum corroborantem, ac adjuvantem, qui vitæ spiritualis principium est.

Dices : quomodò ergò Sancti veteris Testamenti, qui vixerunt sub lege Mosaicâ, justificati sunt? Resp. Non sunt justificati ex lege Mosaicâ quam habebant præsentem : sed ex evangelicâ, quæ tametsi præsens non esset, tamen virtus illius per quamdam anticipationem, ad eos usque corrigebatur. Quomodò hoc? Quia credebant in venturum Christum, qui per sua merita, tunc quidem nondùm exhibita, sed tamen suo tempore exhibenda, conferebat illis gratiam justificantem, per quam poterant à peccatis liberari, et in adoptionem filiorum Dei transire. Vide D. Thom. in 1-2. q. 98, art. 2 ad 4.

Quæstio iv. — *An lex Mosaica fuerit à Deo data?* — Sicut Manichæi, ut suprà dixi, negârunt legem Mosaicam fuisse bonam, sic consequenter affirmârunt, non à Deo sed à diabolo datam esse, ut refert August. partim locis suprà citatis, partim in duobus libris contra adversarium legis et prophetarum : et in libro de hæresibus cap. 46, ubi ponit hoc eorum dogma : « Deum, qui legem per Moysen dedit, « et in Hebræis prophetis locutus est, non « esse verum Deum, sed unum ex principibus « tenebrarum. » Resp. idem est auctor Mosaicæ, et evangelicæ legis, nempè Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi. Ita concil. Trid. sess. 4. Et apertè colligitur ex Scripturâ. Nam Christus Matth. 15, v. 6, loquens de lege Mosaica, appellat mandatum Dei, cùm ait : .... *Irritum fecistis mandatum Dei, propter traditiones vestras.* Et apost. non semel affirmat, Patrem Christi fuisse auctorem veteris Testamenti, ut Rom. 1, v. 1 et seq. : « Paulus servus « Jesu Christi vocatus apostolus, segregatus in « evangelium Dei, quod antea promiserat per « prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio « suo. » Et Hebr. 1, v. 1-2 : « Multifariàm « multisque modis olim Deus loquens patribus « in prophetis : novissimè, diebus istis locutus « est nobis in Filio. » Et probatur ratione D. Thomæ in 1-2, q. 98, art. 2. Quia ejusdem est proponere finem, et disponere media ad finem : sed lex evangelica est finis legis Mosaicæ juxta illud Rom. 10, v. 4 : *Finis enim legis, Christus* : ergò idem Deus, qui est auctor legis evangelicæ, est etiam auctor legis Mosaicæ. Et confirmatur hæc ratio, quia auctor legis Mosaicæ hoc potissimùm spectavit, ut per illam legem deduceret homines ad Christum. Quod duobus modis præstitit. Primò, per vaticinia prophetarum, qui multa de Christo prædixerunt. Secundò, per sacrificia Mosaica, quæ erant figuræ mortis Christi. At diabolus non conatur homines hoc modo perducere ad Christum, sed potiùs ab illo abstrahere. Ergò ipse non est auctor legis Mosaicæ.

Dices primò : opera Dei sunt perfecta, ut habetur Deut. 3, v. 24. At lex Mosaica non est perfecta, ut quæst. præced. dictum est : ergò Deus non est auctor legis Mosaicæ. Resp. Major potest dupliciter intelligi. 1. Opera Dei sunt perfecta, id est, unumquodque opus Dei

tale est, cui absolutè nihil desit. Sic falsa est. 2. Opera Dei sunt perfecta, id est unumquodque opus Dei tale est, cui in suo genere nihil desit. Sic vera est. Jam applico. Lex Mosaica non est absolutè perfecta, quia deest illi aliquid, quod habet lex evangelica, nimirùm virtus et efficacia justificandi. Est tamen perfecta in suo genere, quia cùm ex suo genere debeat esse umbra seu figura legis evangelicæ, in eo genere nihil illi deest. (Vide D. Thom. loco citato ad 1.) Dices secundò : Scriptura ait : Legem Mosaicam ab Angelis datam esse. Gal. 3, v. 19 : *Lex propter transgressiones posita est.... ordinata per Angelos in manu Mediatoris.* Et Act. 7, v. 53 : *Accepistis legem in dispositione Angelorum.* Resp. Lex Mosaica tribuitur Deo, Angelis, et Moysi; sed diverso modo : Nam Deus fuit auctor illius legis, Angeli promulgârunt illam Moysi, Moyses populo. Simile est de lege evangelicâ. Deus fuit illius auctor : Christus quà homo, promulgavit illam apostolis, apostoli toti mundo.

Quæstio v. — *Ubi, quandò, et quomodò data fuerit lex Mosaica?* — Tria quæruntur : primò, ubi data sit? Resp. Data est in monte Sinaï, ut patet ex illo Levit. 26, v. 45 :... *Hæc sunt judicia atque præcepta, et leges, quas dedit Dominus inter se et filios Israel in monte Sinaï per manum Moysi.* Hoc tamen interest, quòd lex decalogi data sit in ipso monte (Exodi c. 19. et 20); at lex cærimonialis et judicialis in tabernaculo ad radicem montis. (Levit. 1, v. 1.) Quæritur secundò, quando data sit? Resp. Lex decalogi data est die quinquagesimo ab egressu filiorum Israel ex Ægypto, id est, in Pentecoste. Nam tertio die mensis tertii venerunt ad montem Sinaï, juxta illud Exodi 19, v. 1 : *Mense tertio egressionis Israel de terrâ Ægypti, in die hâc venerunt in solitudinem Sinaï.* Ubi illa particula, *in die hâc,* significat, in die ejusdem numeri cum mense tertio, nempè tertio die mensis tertii. Rursùm, tertio die post adventum, data est lex. (Ibid., v. 11.) Tertius autem dies post adventum, fuit sextus dies mensis tertii. At lex cærimonialis et judicialis postea data est : non quidem uno die, sicut lex decalogi, sed successivè per varios dies, ut patet Levit. 9, v. 1; item 16, v. 1 et alibi. Quæritur tertiò, quomodò data sit? Resp. Judæi antequam daretur ipsis lex decalogi, jubebantur se sanctificare, et præparare per duos dies, ut tertio die cum debitâ reverentiâ legem acciperent. Hæc autem sanctificatio et præparatio consistebat in tribus. Primò, ut abstinerent ab uxoribus. Secundò, ut lavarent vestimenta sua. Tertiò, ut non ascenderent montem Sinai ac nequidem attingerent illum, tanquam curiosi scrutatores præsentiæ et majestatis Dei, sed potius ex reverentiâ divini Numinis continerent se in castris; alioqui morte puniendi. (Exod. 19, v. 10 et seq.) Finitâ sanctificatione, cum adesset tertius dies, quo lex decalogi esset promulganda, sex terribilia signa contigerunt in monte Sinaï. 1. Totus mons ardebat igne. 2. Totus fumabat, quia ex igne, tanquam ex fornace ascendebat fumus. 3. Nubes densissima montem operiebat. 4. Audiebantur tonitrua. 5. Micabant fulgura. 6. Clangor tubæ seu buccinæ perstrepebat. (Exod. 19, v. 16 et seq. Hebr. 12, v. 18.) Tum demùm Angelus tubali et horribili voce decalogum proclamabat (Exod. 20, v. 1), ut posset exaudiri à toto populo circumstante, id est à tribus hominum millionibus qui tunc aderant in circuitu montis.

Nota, duplicem fuisse sonum buccinæ, unum confusum, quo populus evocabatur ex remotioribus castrorum partibus, ut veniret ad radicem montis in circuitu, et ibi legem decalogi paulò post promulgandam audiret. Alterum, distinctum et articulatum, quo Angelus in ipso monte existens, et Dei personam gerens, populo ad radicem montis jam collecto, decalogum promulgabat. Qualis autem fuerit illa buccina, disputant interpretes. Judæi fabulantur fuisse cornu illius arietis, qui ab Abrahamo pro Isaac fuit immolatus. (Gen. 22, v. 13.) Nostri docent, fuisse æream, non corneam, et Angelum per collisionem æris edidisse talem sonum, qualis ab inflatâ buccinâ vel tubâ prodire solet. Vide Cornel. in cap. 19 Exodi.

Hæc omnia, quæ jam recensui, fuerunt figuræ seu umbræ eorum quæ postea in promulgatione legis evangelicæ facta sunt. Nam primò, sicut lex Mosaica promulgata est die quinquagesimo post Pascha, id est, in Pentecoste; sic etiam lex evangelica (Actor. 2, v. 1). Secundò, sicut illa in monte Sinaï, ita hæc in monte Sion (Isaï. 2, v. 3) :.. *De Sion exhibit lex, et verbum Domini de Jerusalem.* Tertiò sicut ibi audita sunt tonitrua et fulgura; ita hìc, *Factus est repentè de cœlo sonus, tanquam advenientis Spiritus vehementis.* (Act. 2, v. 2.) Quartò, sicut ibi apparuit ignis et fumus; ita hìc... *dispertitæ linguæ, tanquam ignis.* (ibid., v. 3.) Quintò sicut ibi timore perculsi sunt Judæi; ita hìc apostoli *repleti sunt Spiritu Sancto.* (Ibid., v. 4.) Sextò, sicut Angelus clangore buccinæ

verba decalogi perstrepebat; ita hìc tuba evangelica apostolorum ore insonuit. (Ibidem.) Videatur D. Hier. ad Fabiolam, Beda in Homil. Vigil. Pentecost. Cornel. in cap. 19 Exod.

QUÆSTIO VI. — *An lex Mosaica obligaverit solos Judæos?* — Distinguendum est. Nam lex Mosaica, ut suprà dixi, fuit triplex: Moralis, cærimonialis, et judicialis. Igitur moralis non solùm Judæos, sed etiam Gentiles obligabat. Nota: Lex moralis tripliciter spectari potest. 1. Nudè secundùm se. Sic semper obligavit Gentiles. 2. Quatenùs habet annexas minas, terrores, et pœnas temporales à Moyse conscriptas. Sic obligabat solos Judæos. 3. Quatenùs habet annexam gratiam evangelii. Sic obligat Christianos. Lex cærimonialis et judicialis obligabat solos Judæos; quia solis Judæis fuit promulgata, ut patet Exod. 19 et seq. Quò etiam spectat illud, Deut. 4, v. 8: « Quæ est enim « alia gens sic inclyta, ut habeat cæremonias « justaque judicia, et universam legem? » Et Ps. 147, v. 9: « Non fecit taliter omni nationi « et judicia sua non manifestavit eis. » Et Rom. 3, v. 1-2: « Quid ergo ampliùs Judæo est?.... « Multum per omnem modum. Primùm quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei. » Et Rom. 9, v. 4: « Quorum adoptio est filiorum, « et gloria, et testamentum, et legislatio. » Ex quibus testimoniis duo colliguntur: 1. legem fuisse datam soli populo Judæorum; 2. fuisse quamdam prærogativam illius populi, quòd ipsi soli data sit.

Dices: Non videtur fuisse prærogativa, sed onus; nam difficile fuit servare legem cærimonialem et judicialem. Nec Judæi poterant salvari, nisi illam servarent: Gentiles sine isto onere salvari poterant. Resp. Fuit simul onus et prærogativa, quia Judæi per illud onus magis erant Deo conjuncti et consecrati, quàm Gentiles sine illo onere; nam ratione legis habebant sacerdotium, sacrificia, sacramenta et promissionem venturi Christi: quæ omnia faciebant illos melioris conditionis, quàm Gentiles, qui ista non habebant. Et hoc colligitur ex Scripturis citatis. Simile est de clericis et religiosis, qui, tametsi plus oneris in se suscipiant, et ad plura obligentur quàm laïci, sunt tamen melioris conditionis, quia Deo magis conjunguntur et consecrantur, quæ magna prærogativa est. (Vide D. Th. 1-2. q. 98, art. 5 ad 3.)

Quæres: 1° An hoc factum sit propter merita Judæorum, quòd ipsis solis data sit lex, et non aliis? Respondeo. Non propter ipsorum merita, sed propter promissionem Dei, quæ Abrahæ facta est. Deus enim promiserat Abrahæ, quòd ex ipsius semine et posteritate nasciturus esset Christus. (Gen. 22, v. 18; et Gal. 3, v. 16.) Itaque propter hanc promissionem voluit populum illum, ex quo Christus erat nasciturus, peculiari quodam modo ab aliis distinguere, dando illi legem, prophetas, sacrificia et alia specialia ornamenta, quibus cæteras nationes antecelleret, et Deo magis consecraretur, juxta illud Exod. 19, v. 5: *Eritis mihi in peculium de cunctis populis.* Et ratio est, quia lex, prophetæ, et sacrificia, tanquam figuræ quædam ordinabantur ad Christum venturum. Ergò quibus promissus erat Christus, illis danda erat lex, prophetæ, et sacrificia. Quæres: 2° An Gentiles in nullo casu fuerint obligati, ad observationem legis Mosaicæ? Respondeo. Tunc erant obligati, quando volebant se aggregare populo Judæorum, et illorum religionem amplecti, ut patet ex illo Exodi 12, v. 48. « Si quis peregrinorum « in vestram voluerit transire coloniam, et « facere phase Domini, circumcidetur priùs « omne masculinum ejus, et tunc ritè celebrabit, eritque sicut indigena terræ. » Dices: hìnc solùm colligitur, quòd Gentiles, acceptâ circumcisione, potuerint celebrare Pascha cum Judæis; non autem, quòd fuerint obligati. Resp. Utrumque colligitur. Nam circumcisio perindè se habebat in vetere Testamento, sicut se habet baptismus in Novo. Undè sicut omnes baptizati obligantur ad legem evangelicam; ita omnes circumcisi obligabantur ad Mosaicam. Quod confirmat apost. cùm ait, Gal. 5, v. 2: *Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ.* Quæres: 3° An lex Mosaica (nempè cærimonialis, et judicialis) nullo modo pertinuerit ad Christianos? Resp. Sicut pertinuit ad Judæos, quoad obligationem et observationem, sic etiam pertinuit ad nos quoad significationem. Erat enim figura quædam eorum, quæ per Christum adimpleta sunt. Ità Aug. lib. 19, contra Faustum, cap. 7. et sequentibus. Et colligitur ex illo generali principio 1 Cor. 10, v. 6: *Hæc autem in figurâ facta sunt nostri.* Et Heb. 10, v. 1: *Umbram enim habens lex futurorum bonorum.*

QUÆSTIO VII.—*Quàm strictè Judæos lex Mosaica obligaverit?* — Resp. Obligavit strictissimè, ut patet ex illo Psal. 118, v. 4: *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.* Quod confirmari potest ex duplici capite: 1 ex benedictionibus, quas Deus promisit servantibus legem;

2 ex maledictionibus, quas comminatus est transgressoribus. Utraque habentur Levit. 26. et Deut. 28. Aliquas ex iis recensebo. Benedictiones sunt hæ : *Si in præceptis meis ambulaveritis, et mandata mea custodieritis :* 1. Dabo vobis pluvias temporibus suis. 2. Terra gignet germen suum. 3. Pomis arbores replebuntur. 4. Apprehendet messium tritura vindemiam, et vindemia occupabit sementem. 5. Comedetis panem vestrum in saturitate. 6. Dabo pacem in finibus vestris, et non erit qui exterreat. 7. Auferam malas bestias. 8. Persequemini inimicos vestros, et corruent coram vobis. 9. Persequentur quinque de vestris centum alienos : et centum de vobis decem millia. 10. Crescere vos faciam, et multiplicabimini. 11. Comedetis vetustissima veterum; et vetera, novis supervenientibus, projicietis. 12. Ponam tabernaculum meum in medio vestri : ambulabo inter vos, et ero Deus vester, vosque eritis populus meus. Levit. 26, v. 3 et seq. Nunc sequuntur maledictiones. *Si non faciatis ea quæ à me constituta sunt :* 1. Visitabo vos in egestate et ardore. 2. Frustrà seretis sementem, quæ ab hostibus devorabitur. 3. Ponam faciem meam contra vos : et corruetis coram hostibus vestris : et subjiciemini his, qui oderunt vos : et fugietis nemine persequente. 4. Dabo vobis cœlum desuper, sicut ferrum et terram æneam. 5. Immittam in vos bestias agri quæ consumant vos et pecora vestra. 6. Inducam super vos gladium ultorem fœderis mei. 7. Mittam pestilentiam in medio vestri. 8. Cadetis inter ruinas idolorum vestrorum. Et quæ sequuntur Levit. 26, v. 16 et seq. His addantur benedictiones et maledictiones quæ habentur Deuter. 28, v. 15 et seq. Hinc constat, falsum esse, quod aliqui docent, legem Dei observatu esse impossibilem. Nam si servari non posset, cur Deus servantibus promitteret benedictiones? Cur transgressoribus minaretur tot maledictiones? Hoc posterius esset tyrannicum : illud prius inane ac supervacaneum. Si enim lex servari non potest, inane ac supervacaneum est dicere : si servaveris legem, dabo tibi multa bona; et tyrannicum est dicere : puniam te multis calamitatibus, si non servaveris. Utrumque absit à Dei bonitate.

QUÆSTIO VIII. — *An lex Mosaica nunc penitùs abrogata sit?* — Respondeo. Abrogata est, quoad præcepta cærimonialia et judicialia, non tamen quoad moralia, quæ in decalogo continentur, quatenùs illa sunt juris naturalis. Prior pars patet ex Scripturis, Lucæ 16, v. 16 : « Lex et prophetæ usque ad Joannem. » Et Gal. 3, v. 24-25 : « Lex pædagogus noster fuit in Christo.... At ubi venit fides, jam non sumus sub pædagogo. » Et Hebr. 7, v. 12 : « Translato enim sacerdotio, necesse est ut et « legis translatio fiat. » Est autem abrogata propter has causas. Primò, quia erat imperfecta. (Hebr. 7, v. 18.) Secundò, erat grave jugum, quod Judæi vix poterant portare. (Actor. 15, v. 10.) Tertiò, continebat figuras, quæ per Christum impletæ sunt. (Agust.) lib. 19. contra Faustum cap. 13.) Quartò, sicut majus lumen offuscat minus; ita lumen evangelii, et Sol justitiæ Christus offuscavit cæremonias legales, ut notat D. Hieron. in Com. cap. 4, ad Galat. Huc spectat illud Theodoreti ad Philip. 3. *Supervacaneus est lychnus, si sol apparuerit.* Et illud Bernardi Hom. 1, super Missus est. *Prodeunte fructu, flos decidit.* Quintò, Christus, teste Apostolo (Ephes. 2..... v. 14), *fecit utraque unum,* id est, ex duobus populis, Ethnico et Judaïco, fecit unum ovile; ac proindè debuit dissolvere medium parietem legis Mosaicæ, qui separabat unum populum ab alio; et ambos unâ eâdemque lege evangelicâ concludere.

Dices : Scriptura docet legem Mosaicam duraturam in æternum, ut Baruch. 4, v. 1 : *Hic liber mandatorum Dei, et lex quæ est in æternum.* Respondeo. Lex Mosaica duobus modis dici potest æterna. Primò, quoad præcepta moralia, quæ adhuc durant. Secundò, quoad cærimonialia, quæ quæ quidem abrogata sunt quoad significationem; tamen adhùc durant quoad rem significatam. Ita D. Thomas 12, quæst. 103, art. 3 ad 1.

Posterior pars probatur, quia ratio naturalis dictat, præcepta decalogi, quatenùs sunt juris naturalis, servanda esse. Dico, quatenùs sunt juris naturalis propter duas causas : 1. propter observationem sabbati, quæ non erat juris naturalis, et ideo abrogata est; 2. propter minas et terrores, quæ annexa erant præceptis decalogi, respectu eorum, qui ea non observarent. Hæc etiam abrogata sunt, quia similiter non erant juris naturalis, sed positivi.

QUÆSTIO IX. — *An in locum legis Mosaicæ successerit lex evangelica, et quæ illa sit?* — Christus instituit novam legem, quæ evangelica appellari solet, ad Christianos pertinentem; adeòque non solùm Redemptor, sed etiam Legislator dicendus est, juxta illud Isaï. 33, v. 22 : « Dominus enim Judex noster, Dominus « legifer noster, Dominus Rex noster, ipse sal« vabit nos. » Et in evangelio passim loquitur

de suâ lege Joan, 14, v. 15 : « Mandata mea « servate. » Joan. 15, v. 10 : « Si præcepta « mea servaveritis, manebitis in dilectione « meâ. » Matth. 28, v. 20 : « Docete eos servare omnia quæcumque mandavi vobis. » Et Apost. 1 Cor. 7, v. 10 : « Iis autem qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed « Dominus, uxorem à viro non discedere. » Et 1 Cor. 9, v. 21 : « Iis qui sine lege erant..., « factus sum tanquam sine lege essem, cùm « sine lege Dei non essem, in lege essem Christi. » Et Hebr. cap. 2, confert inter se Christum et Moysen, tanquam duos legislatores, alterum veteris, alterum novi Testamenti, et ait, si transgressores legis à Moyse datæ puniti sunt, multò magis transgressores legis à Christo latæ puniendos esse. Lex evangelica, quæ à Christo data est, continet triplicia præcepta, nempè moralia, sacramentalia, et fidei. De moralibus constat, Matth. 5, v. 6-7. Ubi Christus explicat et perficit præcepta decalogi, quæ propriè ad mores pertinent. Et Matth. 19, v. 6. Ubi prohibet divortium et libellum repudii; ac decernit, ut vinculum matrimonii deinceps non dissolvatur. De sacramentalibus patet ex illo Joan. 3, v. 5 : « Nisi quis renatus fuerit « ex aquâ et Spiritu Sancto, non potest introïre in regnum Dei. » Et ibid. 6, v. 54 : « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, « et biberitis ejus sanguinem, non habebitis « vitam in vobis. » Denique de præcepto fidei, ex illo Marci 16, v. 16 : « Qui crediderit et « baptizatus fuerit, salvus erit : qui verò non « crediderit, condemnabitur. » Et Joan. 8, v. 24 : « Si enim non credideritis quia ego « sum, moriemini in peccato vestro. » Hoc tamen interest inter hæc triplicia præcepta, quòd sacramentalia sint verè et propriè à Christo instituta : reliqua non tam instituta, quàm aucta vel explicata. Et quidem moralia, cùm sint juris naturalis non egebant institutione, sed explicatione. Præceptum autem fidei aliquo modo auctum est. Nam Christi nativitas, passio, mors, et reliqua mysteria, quæ à Judæis implicitè et obscurè credebantur, jam expressè et distinctè creduntur à Christianis.

Objici potest illud Joan. 1, v. 17 : *Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* Hinc etiam videtur colligi, Moysen fuisse legislatorem, non autem Christum. Respondeo : hoc posterius perperàm indè colligitur. Nam sensus illorum verborum est hic : Moyses dedit Judæis nudam legem sine gratiâ, id est legem præcipientem, sed non juvantem. Christus dedit vobis legem cum gratiâ, id est, legem præcipientem et juvantem. Hinc fit, ut lex Moysis, quia tantùm præcipiebat et non juvabat, retinuerit nomen legis : lex verò Christi quia pauca præcipit et plurimum gratiæ confert, obtineat nomen gratiæ, ab effectu magis principali. Eamdem ob causam vocatur à Christo, *jugum suave, et onus leve.* Et ab Apostolo, *lex enim spiritus vitæ.* Rom. 8, v. 2. Vide Aug. in lib. de spir. et lit.

Quæres an lex evangelica nos obliget ad sui observationem? Calvinistæ tria docent. Primò, præcepta moralia, seu decalogi, non posse à nobis servari, ac proindè Christum liberasse nos ab eorum observatione, juxta illud apost. ad Gal. 3, v. 13 : *Christus nos redemit de maledicto legis.* Fundamentum est, quia putant peccatum originale manere in nobis quamdiu in hac vitâ sumus, ideòque omnia nostra opera, quibus conamur legem decalogi implere, vitiata et inquinata esse, propter contagionem peccati originalis : per ejusmodi autem opera legi satisfieri non posse; atque hoc sensu legem servatu impossibilem esse. Secundò, docent baptismum et alia sacramenta, non esse absolutè necessaria ad salutem, et ideò præcepta sacramentalia non obligare Christianos. Fundamentum est, quia putant solam fidem justificare, et sacramenta solùm adhiberi ad excitandam et nutriendam fidem : ac proindè esse quidem utilia, non tamen necessaria, præsertim, cùm sine sacramentis fides excitari et nutriri possit per verbum Dei. Tertiò, docent præceptum fidei obligare omnes mortales, et hoc solum præceptum sufficere ac necessarium esse ad salutem, juxta illud Rom. 1, v. 17.... *Justus autem ex fide vivit.* Et Luc. 8, v. 50... *Crede tantùm, et salva erit.* Ex his omnibus concludunt libertatem christianam seu evangelicam in eo consistere, quòd simus liberi ab observatione legis : et sic interpretantur illud 1 Tim. 1, v. 9 : *Lex justo non est posita.* Hæc tria Calvinistarum puncta damnata sunt in conc. Trid. sess. 6. can. 18, et seq. Et jam paucis refutanda per totidem conclusiones.

Dico 1° : Præcepta decalogi possunt servari ab iis, qui operantur ex gratiâ Dei : neque Christus ab eorum observatione nos liberavit. Prior pars probatur ex manifestis Scripturæ testimoniis Psal. 118, v. 32 : « Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor « meum. » Ezech. 36, v. 27 : « Spiritum meum « ponam in medio vestri : et faciam ut in præ-

« ceptis meis ambuletis : et judicia mea custo-« diatis. » Matth. 11, v. 30 : « Jugum enim « meum suave est, et onus meum leve. » 1 Joannis 5, v. 3 : « Hæc est enim charitas Dei, « ut mandata ejus custodiamus : et mandata « ejus gravia non sunt. » Quid clariùs? Accedunt exempla eorum, qui in Scripturis narrantur legem servasse. Servavit illam David, juxta illud 3 Reg. 14, v. 8.... « Non fuisti si-« cut servus meus David qui custodivit man-« data mea, et secutus est me in toto corde « suo, faciens quod placitum esset in conspe-« ctu meo. » Servavit Zach. et Elisabeth. Luc. 1, v. 6 : « Erant autem justi ambo ante Deum, « incedentes in omnibus mandatis et justifica-« tionibus Domini sine querelâ. » Servavit adolescens evangelicus Matth. 19, v. 20 : « Omnia « hæc custodivi à juventute meâ. » Plura de hâc re invenies in opusculo nostro de justitiâ bonorum secundum Calvinistas cap. 1, ubi etiam objectiones Calvinistarum solutæ sunt. Posterior pars conclusionis, quòd scilicet Christus non liberaverit nos ab observatione præceptorum decalogi, patet ex evangelio et apostolis. Ac primùm ex verbis Christi Matth. 5, v. 17... « Non veni solvere (legem), sed adim-« plere. » Matth. 7, v. 19 : « Omnis arbor quæ « non facit fructum bonum, excidetur, et in « ignem mittetur. » Matth. 19, v. 17... « Si au-« tem vis ad vitam ingredi, serva mandata. » Deindè ex verbis apostoli Jacobi 2, v. 8 « et seq. : Si tamen legem perficitis regalem « secundum Scripturas : diliges proximum « tuum sicut teipsum, benè facitis : Si autem « personas accipitis, peccatum operamini, re-« darguti à lege quasi transgressores. Quicum-« que autem totam legem servaverit, offendat « autem in uno, factus est omnium reus. » (Vide plura apud Bellarm. lib. 4, de justificat. cap. 2, et seq.) Fundamentum Calvinistarum, de peccato originali in nobis manente, falsum est, ei prolixè refutatum in opusculo nostro de auctore peccati cap. 4. Illud porrò, *Christus redemit nos de maledicto legis*, non sic debet intelligi, quasi Christus voluerit nos esse liberos ab obligatione legis, ut fingunt Calvinistæ (hoc enim falsum est, ut jam ostendi), sed quòd dederit nobis gratiam, quâ possimus legem implere, et maledictionem, quæ legis transgressoribus constituta est, evitare. Dico 2°. Præcepta sacramentalia de Baptismo et Eucharistiâ etiam nos obligant : nec sine eorum observatione salutem consequi valemus. Hoc manifestè patet ex illo Joan. 3, v. 5 : « Nisi quis renatus fuerit « ex aquâ et Spiritu sancto, non potest in-« troire in regnum Dei. » Et Joan. 6, v. 54 : « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, « et biberitis ejus sanguinem, non habebitis « vitam in vobis. » Quomodo autem hæc duo præcepta intelligenda sint, et an obligent solos adultos, an etiam infantes, alio loco explicandum est. Intereà videri potest Bellarm. et alii. Loquor autem de solo Baptismo et Eucharistiâ, quia adversarii vix admittunt plura sacramenta. Dico 3° : Præceptum fidei obligat omnes mortales, sed non solum obligat. Prior pars conceditur à Calvinistis; et patet ex illo Marci 16, v. 16 : *Qui verò non crediderit, condemnabitur*. Posterior sequitur ex dictis, quia præter præceptum fidei, obligant nos etiam præcepta decalogi et sacramentalia. Hinc infero contra Calvinistas, libertatem christianam non consistere in eo, quòd simus liberi ab observatione præceptorum Dei. In quo ergo consistit? In his tribus. Primò, in libertate à peccato et morte, juxta illud Joannis 8, v. 34-36 : « Omnis « qui facit peccatum, servus est peccati. Si « ergo vos filius liberaverit, verè liberi eritis. » Et Rom. 6, v. 18 : « Liberati autem à peccato, « servi facti estis justitiæ. » Secundò, in libertate à jugo legis cærimonialis et judicialis Judæorum. Gal. 4, v. 9 : « Quomodò con-« vertimini iterùm ad infirma et egena ele-« menta, quibus denuò servire vultis. » Tertiò, in libertate à dominio et reatu legis moralis, Rom. 6, v. 14 : « Non enim sub lege estis, sed « sub gratiâ. » Et 2 Cor. 3, v. 17 : « Ubi au-« tem Spiritus Domini, ibi libertas. » Et Gal. 5, v. 18 : « Si Spiritu ducimini, non estis sub « lege. » Hic notandum est cum Aug. in explicatione primi psalmi, quòd aliud sit hominem esse sub lege, et aliud sit hominem esse in lege. Judæi erant sub lege, quia tanquam servi subjecti erant pœnis et terroribus legalibus. Nos sumus in lege, quia tanquam filii ex amore et charitate vivimus secundum legem. Hoc sensu apost. 1 Cor. 9, v. 21. Negat se esse sub lege, et affirmat se esse in lege. Et D. Aug. in lib. de continentiâ, cap. 3, explicans illud apostoli : « Non estis sub lege, sed sub « gratiâ; » sic habet : « Non sumus sub lege, « bonum quidem jubente, non tamen dante : « sed sumus sub gratiâ, quæ id, quod lex ju-« bet, faciens nos amare, potest liberis impe-« rare. » Et in lib. de nat. et grat., c. 57 : « Si Spiritu ducimini, non estis sub lege; « utique lege quæ timorem incutit, non tri-« buit charitatem. » Illud apostoli, quod ad-

versarii objiciunt, *Justo non est lex posita,* facilè explicatur ex dictis. Tametsi enim lex, secundum se spectata, æquè posita sit justis et injustis (utrisque enim præscribit lex, quid faciendum aut omittendum sit) non tamen pœna legis imponitur justis, qui amore legem servant, sed injustis qui ex amore legem prævaricantur. Hoc sensu dixit idem apostolus ad Gal. 3, v. 19 : *Quid igitur lex? Propter transgressiones posita est.* (Vide Aug. in lib. de Spir. et Lit. cap. 10.)

CAPUT VI.

DE SYNAGOGA VETERIS TESTAMENTI.

Nomen Synagogæ sumitur tribus modis in Scripturâ. Primò, pro totâ congregatione seu Ecclesiâ Judæorum. Num. 27, v. 20..... *Audiat eum omnis Synagoga filiorum Israel.* Et Eccl. 50, v. 15.... *Coram omni Synagogâ Israel.* Et alibi sæpè. Et hoc sensu fuit typus seu figura Ecclesiæ Christi; ut postea explicabo. Secundò, pro congregatione seu conventu malorum. Psal. 85, v. 14 : « Deus, iniqui insurrexerunt super « me, et Synagoga potentium quæsierunt ani- « mam meam : et non proposuerunt te in con- « spectu suo. » Et Eccli. 3, v. 30 : « Synagogæ « superborum non erit sanitas. » Et Apoc. 2, v. 9.... « Blasphemaris ab his, qui se dicunt « Judæos esse, et non sunt, sed sunt Syna- « goga satanæ. » Et cap. 3, v. 9 : « Ecce dabo « de Synagogâ satanæ, qui dicunt se Judæos « esse, et non sunt, sed mentiuntur. » Tertio, pro quibusdam ædificiis seu domibus, in quibus Judæi singulis sabbatis solent Scripturam legere et explicare. De his frequens est mentio in evangelio. Matth. 4, v. 23 : « Circuibat Jesus « totam Galilæam, docens in Synagogis eo- « rum. » Et Marci cap. 1, v. 21 : « Et statim « sabbatis ingressus in Synagogam, docebat « eos. » Et Luc. 4, v. 16-17 : « Intravit se- « cundùm consuetudinem suam die sabbati in « Synagogam ; et surrexit legere : et traditus « est illi liber Isaiæ prophetæ. » Et Joan. 9, v. 22.... « Jam enim conspiraverant Judæi, ut « si quis eum confiteretur esse Christum, ex- « tra Synagogam fieret, » id est interdiceretur publicis conventibus, qui in Synagogâ celebrabantur. Quod nos dicimus, excommunicari. —Nos hic agimus de Synagogâ primo modo sumptâ, id est, de totâ Judæorum congregatione seu Ecclesiâ, quatenùs constabat ex populo et sacerdotibus. Et quæritur, 1 an fuerit visibilis? 2 An aliquando erraverit, vel defecerit à fide? 3. An fuerit figura Ecclesiæ Christi? 4 An fuerit tam perfecta, quàm Ecclesia Christi est? De Synagogâ tertio modo sumptâ dicam aliquid cap. 12.

Quæstio prima. — *An Synagoga fuerit visibilis?* — De Synagogâ statuendum est, sicut de quâlibet communitate vel republicâ : in qua tria spectari possunt. Primò, multitudo seu collectio eorum hominum, qui in republicâ sunt. Secundò, externum regimen, quo magistratus politicus gubernat suos subditos. Tertiò, interna affectio, quâ subditi inter se, et cum suo magistratu, tanquam membra cum capite uniuntur. Duo priora sunt visibilia, et externis sensibus percipiuntur. Tertium est invisibile. Nam externis oculis videmus cives et magistratum, qui in republicâ sunt : videmus externam politiam et gubernationem : sed non videmus internum affectum, quem quisque habet, aut habere debet. Idem dico de Synagogâ. Tria in eâ spectari poterant. Primò, multitudo seu collectio Judæorum, qui erant in Synagogâ. Secundò, externum regimen ecclesiasticum, sacrificia, sacramenta, purificationes, oblationes et similes cæremoniæ Mosaicæ. Tertiò, interna fides et charitas, quâ omnes vel erant, vel esse debebant inter se uniti. Duo priora erant visibilia, tertium invisibile. Idem de Ecclesiâ Christi. Sunt in eâ visibiles Christiani : est visibile regimen, quo prælati gubernant suos subditos, docendo, hortando, judicando, puniendo, sacramenta administrando. Est interna fides et charitas, quâ inter se conjuncti sunt. Undè sequitur, non aliter de Synagogâ et Ecclesiâ, quàm de republicâ vel civitate statuendum esse. Sicut ergò absolutè loquendo, rectè dicimus, rempublicam Venetam, aut civitatem Viennensem esse visibilem et conspicuam, ita similiter Synagogam et Ecclesiam esse visibilem et conspicuam. Est enim par ratio, ut explicatum est.

Quæstio ii.—*An Synagoga aliquando erraverit, vel à fide defecerit?* — Lutherani et Calvinistæ docent sæpè illam errasse, et à fide defecisse. Primò tempore Moysis, quando Aaron cum toto populo adoravit vitulum. (Exodi 32, v. 4.) 2. Tempore Eliæ, quando nullus mansit fidelis, nisi solus Elias, ut ipsemet conqueritur. 3 Reg. 19, v. 14..... « Derelictus sum ego solus, « et quærunt animam meam. » 3. Tempore Isaiæ et Jeremiæ quando omnes recesserunt à Deo, Isaiæ 1, v. 3 : « Cognovit bos posses- « sorem suum, et asinus præsepe domini sui : « Israel autem me non cognovit. » Et adde

Jerem. 2, v. 13: « Duo mala fecit populus « meus : me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, « et foderunt sibi cisternas, cisternas dissi- « patas, quæ continere non valent aquas. » Et 2 Paral. 15, v. 3: « Transibant autem multi « dies in Israel absque Deo vero, et absque « sacerdote doctore et absque lege. » 4. Tempore passionis Christi, quando tota Synagoga cum omnibus cæremoniis suis expiravit. Resp. Hic multa asseruntur, quæ examinanda sunt. Primum est, Synagogam tempore Moysis in adorando vitulo defecisse à fide. Falsum est. Non defecit tota Synagoga, sed pars ejus. Non enim defecit Moyses nec levitæ et sacerdotes, ut patet ex illo Exodi 32, v. 25-26: *Videns ergo Moyses populum..... ait : si quis est Domini, jungatur mihi. Congregatique sunt ad eum omnes filii Levi.* Erant autem filii Levi viginti duo millia, ut habetur Num. 3, v. 39. Alterum est, synagogam tempore Eliæ, Isaiæ, Jeremiæ, defecisse à fide. Hic opus est distinctione. Nam duo regna pertinebant ad Synagogam : alterum Juda, quod constabat duabus; alterum Israel, quod constabat decem tribubus. Hoc posterius statim à principio, sub primo rege Jeroboam, defecit à verâ fide, et publicè cœpit idola adorare (3 Reg. 12, v. 19), et in eo statu permansit usque ad captivitatem : juxta illud 4 Reg. 17, v. 22-23: « Ambulaverunt « filii Israel in universis peccatis Jeroboam, « quæ fecerat : et non recesserunt ab eis, us- « quequò Dominus auferret Israel à facie suâ... « in Assyrios. » Nihilominus semper aliqui fuerunt in illo regno, qui abstinerent ab idololatriâ, et verum Deum agnoscerent; etiam tempore Eliæ. Nam cùm ipse putaret se solum relictum esse in cultu veri Dei, audivit responsum à Domino 3 Reg. 19, v. 18: « Dere- « linquam mihi in Israel septem millia virorum: « quorum genua non sunt incurvata ante « Baal. » Et similiter de Tobiâ legimus, Tobiæ 1, v. 5-6: « Cùm irent omnes ad vitulos « aureos quos Jeroboam fecerat rex Israel, « hic solus fugiebat consortia omnium : sed « pergebat in Jerusalem, ad templum Domini, « et ibi adorabat Dominum Deum Israel. » In regno Juda aliter res se habuit. Nam aliqui reges fuerunt boni et cultores veri Dei, ut Asa, Josaphat, Azarias, Joathan, Ezechias, et Josias, sub quibus vera religio, vel restaurata, vel conservata est. Alii mali et idololatræ, ut Achaz, Manasses, Amon. Alii denique non quidem idololatræ, sed tamen mali. Semper tamen in templo Salomonis videtur mansisse usus sacrificiorum secundum legem Mosaicam usque ad captivitatem Babylonicam, ut colligitur ex illis verbis 2 Machab. 1, v. 19: « Cum « in Persidem ducerentur Patres nostri, sacer- « dotes, qui tunc cultores Dei erant, acceptum « ignem de altari occultè absconderunt in valle, « ubi erat puteus altus et siccus. » Loquitur de igne cœlitùs à Deo misso, quo utebantur sacerdotes in quotidianis sacrificiis. (Levit. 9, v. 24.) Igitur ignis ille fuit conservatus in templo, usque ad illud tempus, quo Judæi in Persidem captivi abducebantur. Tertium est, synagogam tempore Christi expirasse. Hoc verum est, non quòd tunc defecerit à verâ fide quam antea profitebatur, sed quia tunc repudiata est cum suis cæremoniis et sacrificiis; ac in ejus locum successit Ecclesia Christi. Ubi obiter notandum est, potuisse hæc quinque spectari in Synagogâ. 1. Legem Mosaicam. 2. Prophetiam de Christo. 3. Sacerdotium et sacrificia legalia. 4. Supremam potestatem judiciariam, quæ erat in Pontifice et concilio. 5. Infallibilem Dei assistentiam, quæ illi potestati erat annexa. Quando et quomodo singula expiraverint, dicam paucis. Lex Mosaica, quoad obligationem abrogata est in morte Christi, ut docet S. Thomas in 1-2. q. 103, art. 3 ad 2 et alii passim. Tunc enim amisit vim obligandi, quia tunc *velum templi scissum est in duas partes à summo usque deorsum.* (Matth. 27, v. 51.) Et tunc Christus dixit in cruce, *Consummatum est.* Undè sequitur, ante mortem Christi, viguisse simul legem Mosaicam et evangelicam : post mortem, solam evangelicam. Prophetia de Christo fuit multiplex : alia de venturo Christo in hunc mundum; alia de ejus doctrinâ et miraculis; alia de morte et passione; alia de descensu ad inferos, alia de resurrectione. Unaquæque earum tunc expiravit, quando impletum fuit id, quod per eam prædicabatur. V. G. Prophetia de venturo Christo, expiravit per adventum Christi Luc. 16, v. 16: *Lex et prophetæ usque ad Joannem.* Et sic deinceps. Sacrificia legalia sunt etiam abrogata per mortem Christi, sicut lex Mosaica. Quod maximè verum est de cruentis sacrificiis, in quibus mactabantur animalia. Erant enim figuræ seu umbræ cruenti sacrificii, quo Christus in arâ crucis erat mactandus. Itaque adveniente hoc sacrificio, necesse fuit illa expirare : sicut adveniente sole, facessunt tenebræ. Suprema potestas judiciaria, itemque divina assistentia illi annexa, non videtur simul, seu eodem

momento tota expirasse; sed successivè, et quasi per partes. Nam primò certum est, CHRISTUM habuisse majorem potestatem judiciariam, et uberiorem Dei assistentiam, quàm habuerit Pontifex in vetere Testamento juxta illud Matth. 28, v. 18: *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terrâ.* Itaque Pontifex, respectu Christi, non potuit ampliùs habere supremam; tametsi habuerit supremam in suo ordine ac statu. Deindè, assistentia divina paulatim subtracta est, quod facilè ostendi potest in iis conciliis, quæ post Christi Nativitatem à Pontifice et sacerdotibus celebrata sunt. Tria potissimùm recensebo. Primum tempore Herodis, quando tres magi venerunt Jerosolymam. Alterum, tempore Lazari resuscitati, quando disputabatur, quid de Christo tot miracula faciente, statuendum esset. Tertium, tempore captivitatis Christi, quando à Caiphâ ad mortem condemnatus est. In primo mansit integra assistentia divina, in altero diminuta est, in tertio penitùs sublata. Quod sic demonstro: Primum concilium convocatum est propter Herodem, qui à principibus sacerdotum sciscitabatur, ubi CHRISTUS, juxta prophetarum vaticinia, esset nasciturus? Matth. 2, v. 5-6. Et responsum est: « In « Bethlehem Judæ. Sic enim scriptum est per « prophetam: et tu Bethlehem terra Juda, « nequaquam minima es in principibus Juda. « Ex te enim exiet Dux, qui regat populum « meum Israel. » Quæ decisio fuit vera et infallibilis ac proindè ex verâ et infallibili Dei assistentiâ profecta. Alterum celebratum fuit occasione miraculi, quo Christus Lazarum resuscitavit. Joan. 11, v. 47 et seq.: « Colle- « gerunt ergo Pontifices et Pharisæi concilium « et dicebant: quid facimus? Quia hic homo « multa signa facit. Si dimittimus eum sic, « omnes credent in eum: et venient Romani, « et tollent nostrum locum, et gentem. Unus « autem ex ipsis, Caiphas nomine, cùm esset « Pontifex anni illius, dixit eis: vos nescitis « quidquam, nec cogitatis, quia expedit vo- « bis, ut unus moriatur homo pro populo, et « non tota gens pereat. Hoc autem à semet « ipso non dixit; sed cùm esset Pontifex anni « illius, prophetavit, quòd Jesus moriturus « erat pro gente, » etc. Ex his manifestè constat, Caipham ex unâ parte errasse, ex alterâ non errasse: et partim ex odio, more humano, partim ex assistentiâ Spiritûs sancti, more prophetico, locutum esse. In eo errabat, quòd Christum innocentem morti adjudicaret; et hoc ex invidiâ et æmulatione (Matth. 27, v. 18.); in eo non errabat, quòd prædiceret Christum moriturum pro salute Judæorum: et non ex semetipso, id est, ex proprio judicio et affectu humano, sed ex divino instinctu, qui Pontifici, ratione sui officii, solet assistere. Tertium celebratum fuit, instante Christi passione. Matth. 26, v. 59, ubi sacerdotes *quærebant falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent.* Et tandem lata est hæc sententia, *Reus est mortis:* quæ sine dubio fuit iniqua, nec ullo modo à Deo inspirata, sed potiùs à diabolo, ut jam antea dictum erat à Christo. Joan. 8, v. 44: *Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere: ille homicida erat ab initio.* Nec quidquam in illo concilio gestum est, ex quo constare possit, divinam assistentiam adfuisse.

QUÆSTIO III. — *An Synagoga fuerit figura Ecclesiæ Christi.* — In figurâ duo spectari debent. Primò, quòd repræsentet rem figuratam; quo pacto cruenta sacrificia Mosaica, repræsentabant cruentum sacrificium Christi in cruce. Secundò, quòd sit imperfectior re figuratâ, sicut umbra est imperfectior quàm corpus, et rudis delineatio imaginis est imperfectior quàm ipsa imago consummata; et vetus Testamentum est imperfectius quàm novum. Utrumque accommodandum est Synagogæ respectu Ecclesiæ. Primò ergò quæritur, in quo Synagoga repræsentaverit Ecclesiam? Resp. In his punctis: Primò, sicut Synagoga ædificata fuit à Moyse, qui erat famulus Dei; ità Ecclesia à Christo, qui est Filius Dei. (Hebr. 3, v. 5-6.) 2. Sicut Moyses fuit primus monarcha, seu visibile caput Synagogæ; ità Christus Ecclesiæ. (Ephes. 5, v. 23.) 3. Sicut Synagoga post mortem Moysis semper gubernata fuit ab uno visibili capite, nempè à Pontifice; sic etiam Ecclesia post mortem Christi. (Joan. 21, v. 17: *Pasce oves meas.*) 4. Sicut Synagoga habuit sua sacramenta, sacrificia, et alias cæremonias ad cultum Dei pertinentes; sic etiam habet Ecclesia. 5. Sicut Synagoga fuit visibilis, quoad externam populi gubernationem, et invisibilis, quoad internam fidem; ita etiam Ecclesia.

Hic notandum est, sicut Synagoga fuit figura Ecclesiæ, ut jam dixi, ità Moysen fuisse figuram Christi. Est autem multiplex analogia inter utrumque. Primò, uterque natus est in alienâ terrâ: Moyses in Ægypto; Christus in Bethlehem. 2. Moyses positus est in fiscellâ; Christus in præsepio. 3. Rex Pharao persecutus est Moysen, et reliquos infantes Hebræorum in

Ægypto : Herodes persecutus est Christum, et reliquios infantes in Bethlehem. 4. Moyses eduxit populum ex servitute Ægypti : Christus ex servitute Diaboli. 5. Moyses duxit populum per mare Rubrum : Christus per baptismum. 6. Moyses fuit mediator veteris Testamenti : Christus novi. 7. Moyses dedit legem veterem : Christus novam seu evangelicam. 8. Moyses antequam daret legem, jejunavit quadraginta diebus : Christus similiter. 9. Moyses accepit sponsam Æthiopissam : Christus sponsam Ecclesiam de quâ scriptum est, *Nigra sum, sed formosa.* 10. Moyses instituit septuaginta seniores : Christus septuaginta discipulos. 11. Moyses misit duodecim exploratores in Palæstinam : Christus duodecim apostolos in orbem universum. 12. Moyses per virgam suam fecit magna miracula : Christus majora per lignum crucis.

Quæstio iv.—*An Synagoga fuerit tam perfecta, quàm Ecclesia Christi?* Respondeo. In multis fuit imperfectior. Primò, Synagoga fuit ancilla : Ecclesia est domina. Galat. 4, v. 31 : *Non sumus ancillæ filii, sed liberæ.* 2. Synagoga quia erat ancilla, fuit repudiata : Ecclesia cùm sit domina, numquam repudiabitur. De illâ dictum est Galat. 4, v. 30 : *Ejice ancillam et Filium ejus.* De hâc verò, Isaï. 54, v. 5 : *Noli timere, quia non confunderis, neque erubesces.* 3. Synagoga habuit prophetas et sacerdotes, per quos Deus populo loquebatur, Ecclesia habet ipsum Filium Dei incarnatum, qui in propriâ Personâ locutus est nobis. (Hebr. 1, v. 2.) 4. Synagoga accepit à Moyse nudam legem præcipientem, Ecclesia accepit à Christo legem præcipientem et gratiam adjuvantem. (Joan. 1, v. 17.) 5. Synagoga fuit exigua, et intra Palestinæ terminos comprehensa : Ecclesia est catholica, et toto orbe diffusa. (Marci 16, v. 15; et Rom. 10, v. 18.) 6. Synagoga non fuit mater omnium fidelium, sed tantùm aliquorum; quia multi fideles extra Synagogam salvabantur, ut Ninivitæ; de quibus Matth. 12, v. 41 : Ecclesia est mater omnium fidelium et nemo extra illam salvari potest. Hoc pulchrè ostendit Aug. lib. de unit. Eccles., cap. 19, cùm ait : « Ad ipsam salutem ac vitam æternam « nemo pervenit, nisi qui habet caput, Chri« stum. Habere autem caput Christum nemo « poterit, nisi qui in ejus corpore fuerit, quod « est Ecclesia. » Quod etiam variis rationibus confirmat serm. 181, de temp. 1. Quia in solâ Ecclesiâ immolatur hostia Salvatoris. 2. In solâ vineâ laborantes accipiunt mercedem denarii. 3. Omnes qui extra arcam Noe fuerunt, diluvio extincti sunt. 4. Membrum, quod non manet in corpore, vitam habere non potest. 5. Ramus præcisus ab arbore, non potest germinare. 6. Rivus à fonte separatus, exarescit.

Alii hanc addunt : Christus est sponsus Ecclesiæ : at Christus non est adulter, nec generat filios ex adulterâ. Ergò non generat filios, nisi ex sponsâ suâ Ecclesiâ. Nemo igitur filius Christi est, nisi matrem agnoscat Ecclesiam. Quò spectat illud Cypriani lib. de unit. Eccles., *non habet Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet Matrem.* Quod etiam repetit Aug. lib. 4, de symbolo ad Catechum. cap. 13.

CAPUT VII.

DE MINISTRIS SYNAGOGÆ ORDINARIIS, QUI ERANT LEVITÆ, SACERDOTES ET PONTIFEX.

In statu naturæ, qui duravit ad Adamo usque ad Moysen, omnes primogeniti erant sacerdotes, et divino cultui peculiariter mancipati. At in statu legis Mosaicæ, qui duravit à Moyse usque ad Christum, voluit quidem Deus omnes primogenitos sibi sanctificari (Exodi 13, v. 2); sed tamen in illorum locum, ex duodecim tribubus Israel, elegit tribum Levi, eamque divino servitio præ cæteris destinavit, juxta illud Num. 3, v. 12 : « Ego tuli Levitas à filiis « Israel pro omni primogenito, qui aperit vul« vam in filiis Israel, eruntque Levitæ mei. » Et cap. 8, v. 6 : « Tolle Levitas de medio filio« rum Israel, et purificabis eos. » Et infrà, v. 13 et seq. : « Statues Levitas in conspectu « Aaron et filiorum ejus, et consecrabis obla« tos Domino ac separabis de medio filiorum « Israel ut sint mei. Et postea ingredientur ta« bernaculum fœderis, ut serviant mihi. » Et iterùm, v. 18 et 19 : « Tuli Levitas pro cunctis « primogenitis filiorum Israel, ut serviant mihi « in tabernaculo, et orent pro eis, ne sit in « populo plaga. » Porrò in tribu Levi, tria hominum genera distingui solent. Primò, Levitæ propriè dicti. 2. Sacerdotes. 3. Summus Sacerdos seu Pontifex. Tametsi enim omnes, qui erant ex tribu Levi generatim vocati fuerint Levitæ, seu filii Levi; tamen, ex usu Scripturæ, Levitæ propriè dicti distinguebantur à sacerdotibus et Pontifice; nam illi soli vocabantur sacerdotes, qui offerebant victimas et sacrificia. Illi verò Levitæ, qui sacerdotibus ministrabant. Inter Sacerdotes, qui erat Summus, vocabatur Pontifex. De his omnibus, ac potissimùm de Pontifice, agendum est hoc ordine. Primò, ex quâ familiâ fuerit Pontifex? 2. Quæ fuerit successio Pontificum? 3. Quo

ritu consecrati fuerint Levitæ, sacerdotes et Pontifex? 4. Quod fuerit illorum officium? 5. Quo vestitu et ornatu fuerint usi? 6. Quos et quantos reditus habuerint? 7. An aliquandò debuerint servare continentiam ab uxoribus? 8. Quanta fuerit illorum, et potissimùm Pontificis auctoritas apud populum? 9. Quæ utilitas ex his omnibus colligi possit?

QUÆSTIO PRIMA.— *Ex quâ familiâ fuerit Pontifex?* In tribu Levi erant multæ familiæ, quæ omnes servitio divino destinabantur. Pontificatus, seu summum sacerdotium, secundum legem ordinariam, erat in solâ familiâ Aaronis. Habuit autem Aaron quatuor filios, Nadab, Abiu, Eleazar et Ithamar. (Num. 3, v. 2.) Hi omnes simul à Moyse consecrati sunt; Aaron quidem in summum sacerdotem seu Pontificem; filii ejus in simplices seu minores sacerdotes. (Exodi 29, per totum.) Duo primi, Nadab et Abiu, occisi sunt à Deo, quòd ignem alienum obtulissent (Levit 10, v. 1), et sine liberis decesserunt. (1. Paral. 24, v. 2.) Reliqui duo, Eleazar et Ithamar, manserunt in officio sacerdotali; cum hoc tamen discrimine ut Eleazar succederet patri in pontificatu, non autem Ithamar: et rursùs Eleazaro succederet filius ejus primogenitus; et huic etiam primogenitus, et sic deinceps. Alii omnes essent simplices sacerdotes.

QUÆSTIO II.—*Quæ fuerit successio Pontificum.* —Aaron fuit primus Pontifex à Deo constitutus, et à Moyse consecratus cum jure successionis. (Ecclesiast. 45, v. 8.) Quod addo propter Moysen, qui fuit etiam Pontifex, et quidem ante Aaronem; sed extraordinarius, et sine jure successionis. Nam filii Moysis non erant Pontifices; imò ne sacerdotes quidem, sed tantùm Levitæ, qui serviebant sacerdotibus. (1 Paral. 23. v. 14.) Aaroni successit Eleazar, filius ejus, cum pari potestate; et huic similiter Phinees, cui propter zelum divini honoris promisit Deus sempiternum Pontificatum, juxta illud Num. 25, v. 13: « Erit tam ipsi quàm semini « ejus pactum sacerdotii sempiternum, quia « zelatus est pro Deo suo, et expiavit scelus « filiorum Israel. » Et 1 Mach. 2, v. 54: « Phi« nees pater noster, zelando zelùm Dei, accepit « testamentum sacerdotii æterni. » Idem repetitur Eccl. 45, v. 28.

Hic duæ occurrunt difficultates. Una, cur Deus promiserit Phineæ et semini ejus Pontificatum sempiternum, cùm ei deberetur jure successionis? Nam Phinees erat primogenitus Eleazari: primogenitus autem ex Dei ordinatione, succedebat patri in Pontificatu. Altera, quomodo hæc promissio fuerit impleta, cùm constet Heli et multos alios fuisse Pontifices, qui tamen non erant ex semine Phineæ, sed ex familiâ Ithamar? Ad priorem sic respondeo. Jus successionis in eo consistebat, ut patri succederet filius primogenitus, si viveret. Si autem patre adhuc superstite, moreretur primogenitus, tunc secundogenitus in ejus locum subrogaretur. Itaque primogenitus nunquam erat certus se successurum patri in Pontificatu, nisi mortuo patre. Nam illo vivo, non erat certus se victurum post patrem. Deus ergò, vivente adhuc Eleazaro, promisit fore ut Phinees, qui erat primogenitus Eleazari, superstes esset parenti suo, et ei in pontificatu succederet cum suis posteris, quod etiam factum est. Ad posteriorem duplex est responsio. Una, promissionem illam fuisse verè impletam, quia jus Pontificatûs semper mansit apud posteros Eleazari, et Phineæ; tametsi usus illius juris aliquandiu fuerint in familiâ Ithamar. Itaque posteros Eleazari et Phineæ semper fuisse Pontifices de jure; posteros verò Ithamar fuisse aliquando Pontifices de facto. Altera, promissionem illam non fuisse absolutam, sed conditionatam, ac proindè, quamdiu servata est conditio, validam fuisse promissionem: quando autem desiit servari, revocatam esse. Fuisse autem hanc conditionem, ut jus Pontificatûs maneret apud posteros Eleazari et Phineæ, quamdiu benè ac legitimè eo fungerentur: si secùs facerent, privarentur illo jure. Fecisse autem secùs, itaquè privatos esse. Ego, salvo meliori judicio, puto utramque responsionem temperandam esse hoc modo. Duo spectari possunt in Pontificatu. 1° jus seu potestas ordinaria. 2° Usus seu exercitium. Jus absolutè promissum est Phineæ, et posteris ejus. Usus seu exercitium sub conditione, si non offenderent. Itaquè posteri Phineæ semper fuerunt Pontifices de jure; posteri verò Ithamar, fuerunt aliquando de facto (1). Post Phinees in eâdem lineâ successerunt hi tres, Abisue, Bocci, Ozi. Deindè translatus est Pontificatus ad posteros Ithamar; ac primùm ad Heli, ut tradit Joseph. Lib. 5. antiq. in fine, et alii. Hic tria

(1) Pro valore solùm requirebatur, ut Pontifex constituendus è sacerdotali esset familiâ: non enim Salomon duntaxat, sed et Antiochus Epiphanes, Aristobulus et Herodes legitimos Pontifices deposuerunt et alios intruserunt, qui et functiones pontificales exercuère et à Synagogâ ut tales agniti fuère II. Mach. cap. 4. Jos. lib. 15. Ant. cap. 2 et 3.

disputari solent. 1° Quare hæc translatio facta sit? Respondeo, in pœnam peccati et negligentiæ cultûs divini. 2° Quamdiu manserit Pontificatus in familiâ Heli? Resp. Usque ad tempora Salomonis, qui ejecit Abiathar, et assumpsit Sadoc (ut paulò post dicam). 3. Quis successerit Heli in Pontificatu? Resp. Heli habuit duos filios sacerdotes, Ophni et Phinees. (1 Reg. 1, v. 3.) Uterque mortuus est ante patrem. (1 Reg. 4, v. 11.) Itaque neuter potuit illi in Pontificatu succedere (1). Porrò Ophni nullum legitur reliquisse filium. Phinees reliquit duos, Achitob et Ichabod, posthumum. (1 Reg. 4, v. 21; et 1 Reg. 14, v. 3.) Achitob successit Heli avo suo in Pontificatu, et alii deinceps hoc ordine: I. Heli, Pontifex et judex. (1 Reg. 1, v. 3; et 4, v. 18.) II. Achitob, nepos Heli. (1 Reg. 14, v. 3.) III. Achias, filius Achitob, sub Saüle (Ibid.) IV. Achimelech, filius Achitob, et frater Achiæ (1 Reg. 14, v. 3.), qui Davidi fugienti dedit panes propositionis et gladium Goliath (1 Reg. 31, v. 6-9.), et ob eam causam à Saüle, cum aliis sacerdotibus, occisus est. (1 Reg. 22, v. 21.) V. Abiathar, filius Achimelech, qui evasit manum Saülis et fugit ad Davidem. (1 Reg. 22, v. 20.) Mansit autem in Pontificatu usque ad tempora Salomonis. (3. Reg. 2, v. 27.)

Post Abiathar, iterùm rediit Pontificatus ad familiam Eleazari et Phinees. Nam Salomon, ut insinuavi, ejecit Abiathar, propter conspirationem cum Adoniâ factam, et in locum ejus subrogavit Sadoc, qui erat ex lineâ Eleazari. (3 Reg. 2, v. 27-35.) Porrò à Sadoc usque ad captivitatem Babylonicam, fuit hic ordo Pontificum, quantùm ex Scripturis colligi potest: I. Sadoc ungitur in Pontificem sub Salomone. (1 Paralip. 29, v. 22.) II. Achimaas, et III, Azarias, filii Sadoc. IV. Amarias, sub Josaphat rege. (2 Paral. 19, v. 11.) V. Joiada, sub Athaliâ et Joas. (4 Reg. 12, v. 7.) Uxor ejus fuit filia regis Joram. (2 Paralip. 22, v. 11.) Mortuus est cùm esset annorum 130. (2 Paralip. 24, v. 15.) VI. Zacharias, filius Joiadæ, sub fine regni Joas. (2 Paral. 24, v. 20.) qui jussu regis, à populo lapidatus est in atrio domûs Domini. (Ibid, v. 21.) VII. Azarias, qui reprehendit Oziam regem eò quòd vellet adolere incensum super altare thymiamatis. (2 Paralip. 26, v. 17.) VIII. Urias, sub rege Achaz. (4 Reg. 16, v. 10.) IX. Azarias, sub Ezechiâ. (2 Paral. 31, v. 10) X. Sobna, sub eodem, contra quem prophetat Isaias 22, v. 15, usque ad finem capitis. XI. Eliacim, filius Helciæ, sub Manasse, quem Isaias cap. cit., v. 20, prædicit, loco Sobnæ collocandum in Pontificatu. XII. Helgias, sub Josiâ. (4 Reg. 22, v. 4-8; item 23, v. 24.) XIII. Saraias, qui cum Sedeciâ rege ductus est in captivitatem Babylonicam. (4 Reg. 25, v. 18.)

Sub initium captivitatis, cùm Saraias Pontifex ductus esset in Babylonem, successit illi Phassur, filius Emmer, qui Jeremiam vinxit in carcerem. (Jerem. 20, v. 1.) An autem fuerit verus et legitimus Pontifex, meritò a quibusdam dubitatur. Porrò post captivitatem Babylonicam, primus Pontifex fuit Josue, filius Jossedec, ex familiâ Eleazari, cum hâc successione: I. Josue, filius Jossedec, sub Cyro et Dario (1 Esdræ 3, v. 2.), cœpit cum Zorobabel ædificare templum in Jerusalem. (1 Esdræ 3, v. 2.) II. Joachim, filius Josue. III. Eliasib, filius Joachim. (2 Esdræ 12, v. 10.) IV. Joiada, filius Eliasib. (Ibid.) V. Joathan, filius Joiadæ. (Ibid.) VI. Jeddoa, filius Joathan (Ibid., v. 11.), qui ab aliis vocatur Jaddus. Hunc Alexander Magnus, Jerosolymam accedens adoravit, teste Josepho lib. 5, cap. ult. Cujus frater Manasses ædificavit templum Samaritanum in Garizim apud eumdem Joseph. lib. 11, cap. 7. VII. Onias I, Jaddi filius. VIII. Simon, filius Oniæ, cognomento Justus. (Joseph. lib. 12, cap. 3.) IX. Eleazarus, frater Simonis, qui petente Ptolomæo Philadelpho, misit in Ægyptum LXXII Interpretes, qui vetus Testamentum ex hebraïco sermone in Græcum transtulerunt. (Joseph. lib. 12, cap. 2.) X. Manasses, Jaddi filius, Oniæ frater. (Joseph. lib. 12, cap. 3.) XI. Onias II, Simonis Justi filius, qui jam senior tributum Ptolomæo Evergetæ negavit. Undè multa mala fuissent consecuta, nisi Josephus, Tobiæ et sororis Pontificis filius, legationem suscepisset ad Ptolomæum. XII. Simon II, frater Oniæ II, de quo Joseph. lib. 12, cap. 4, sub. fin. XIII. Onias III, filius hujus Simonis, ad quem rex Spartiatarum Arius misit legationem cum litteris. (1 Machab. 12, v. 20.) De hoc Oniâ, viro sanctissimo, multa habentur. (2 Mach. 3 et 4.) XIV. Jason, frater Oniæ, qui vivente adhuc Oniâ, malis artibus ab

(1) Capita familiarum sacerdotalium, principes sacerdotum summi et primi sacerdotes, nonnunquam vocantur, quod notare juvat ob difficultates quasdam, hinc indè occurrentes, dum idem Pontifex plura habuisse nomina vel, quod magis torquet interpretes, plures simul Pontifices fuisse videntur. Sic à quibusdam solvitur antilogia Marc. 2, v. 26; 1 Reg. cap. 21, v. 1, etc.

Antiocho rege Pontificatum obtinuit per triennium. (2 Mach. 4, v. 7.) XV. Menelaus, qui cùm non esset de genere sacerdotali (erat enim ex tribu Benjamin) Jasonem post tres annos de Pontificatu dejecit, et sibi illum à rege deferri curavit. (1 Mach. 4, v. 24.) Sed cùm promissas regi pecunias non solveret, iterùm depositus est, subrogato in ejus locum Lysimacho. (2 Mach. 4, v. 29.) XVI. Lysimachus, Menelai frater, qui à populo interfectus est. (2 Mach. 4, v. 42.) XVII. Alcimus, ex familiâ Aaronis, qui meritò Pontificatum amisit, eò quòd ritibus gentilium se contaminasset. (2 Mach. 14, v. 3.) XVIII. Mathathias, Machabæorum pater, quem alii affirmant, alii negant fuisse Pontificem. Vide nostrum Serar. in Commen. in lib. 1, Mach. cap. 2. XIX. Judas Machabæus, Mathathiæ filius, de quo Joseph. lib 12, cap. 17. XX. Jonathas, frater Judæ. (1 Mach. 12, v. 6.) XXI. Simon, Judæ et Jonathæ frater. (1 Mach. 14, v. 20.) XXII. Joannes Hircanus, Simonis filius. (1. Machab. 16, v. 24.) Reliqui Pontifices, qui deindè secuti sunt, usque ad tempora Christi et apostolorum, ex profanâ historiâ petendi sunt. Nam in Scripturâ sacrâ nulla fit eorum mentio. Solùm ex evangelio constat Annam et Caïpham fuisse Pontifices, de quibus hìc nihil dicendum est. Illud porrò in hâc totâ serie et successione Pontificum notari debet : generalem fuisse legem seu ordinationem Dei, ut nullus Pontificatu, nisi per mortem defungeretur ; nec alius, priore adhuc vivente, subrogari posset. Quæ tamen lex, præsertim quando reges et principes seculares immiscuerunt se rebus ecclesiasticis, aliquoties servata non fuit. 1° Sub Salomone, qui ejecit Abiathar à summo sacerdotio, et subrogavit illi Sadoc. 2° Sub Antiocho rege, cujus auctoritate, primùm quidem Onias pontificatu abire compulsus est : tum Jason et Menelaüs successivè substituti ; demùm illi ipsi, de gradu iterùm dejecti sunt. 3° Sub Herode, qui pro suo arbitrio posuit, et removit, quos voluit. Et quidem Antiochus et Herodes in hâc re abusi sunt potestate regiâ, et meritò ab omnibus reprehenduntur. De Salomone, rectène an secùs fecerit, quæstio est; de quâ alibi.

Quæstio III.— *Quo ritu consecrati fuerint Levitæ, sacerdotes et Pontifex?*— Tametsi Levitæ, sacerdotes, et Pontifex, jure successionis, haberent sua officia ; non tamen poterant ea actu exercere, nisi priùs certo ac legitimo ritu consecrati essent. Ritus consecrandi Levitas habetur Num. 8, v. 6. Et tria potissimùm in eo spectanda sunt : 1° Purificatio ; 2° Consecratio ; 3° Applicatio ad usum ministerii. Purificabantur Levitæ, antè consecrationem, quatuor modis : 1° Aspersione aquæ lustrationis ; 2° Rasione pilorum totius corporis ; 3° Lotione vestimentorum ; 4° Oblatione sacrificii pro peccato. Aqua lustrationis seu expiationis dicebatur, cui cineres vaccæ rufæ infusæ erant. Hujus aspersione mundabantur quicumque contraxerant aliquam immunditiam legalem, sive ex contactu cadaveris, sivè aliundè. (Num. 19, per totum.) Nec ulli immundo licebat accedere tabernaculum, nisi priùs hâc aquâ mundatus et expiatus esset. (Ibid.) Rasio pilorum totius corporis, et lotio vestimentorum, non solùm in purificatione Levitarum, sed etiam in expiatione leprosorum adhiberi solita erat. (Levit. 14, v. 8.) Diverso tamen modo. Nam leprosi ideò radebant pilos capitis, barbæ, superciliorum, et totius corporis, et lavabant vestimenta ; ut nihil apud se haberent in quo lepra posset foveri aut occultari : Levitæ verò, ut per illam externam mundationem monerentur se interiùs ab omni leprâ spirituali purgatos esse oportere : nec Deum minùs abhorrere ab iis ministris, qui animo ac mente inquinati, quàm homines ab iis qui leprâ corporali infecti sunt. Post peractam hanc purificationem Levitarum, sequebatur eorum consecratio, quæ in eo consistebat, quòd Aaron acciperet eos à filiis Israel, loco primogenitorum, et offerret illos Deo in ministerium tabernaculi, et pro illis oraret, ut benè fungerentur suo officio. Hoc significant illa verba Num. 8, v. 11 : *Offeret Aaron Levitas, munus in conspectu Domini à filiis Israel, ut serviant in ministerio ejus.* Et iterùm v. 21..... *Elevavit eos Aaron in conspectu Domini, et oravit pro eis.* Cùm hoc modo jam essent consecrati, applicabantur ad usum ministerii, eo ipso quòd intromitterentur in tabernaculum fœderis Domini, juxta illud : *Ut purificati ingrederentur ad officia sua in tabernaculum coràm Aaron et filiis ejus.* Hæc de Levitis.

Ritus consecrandi Pontificem et sacerdotes, quo usus est Moyses in consecratione Aaronis et filiorum ejus, habetur Exod. 29. et Levit. 8 per totum. In quo etiam tria spectari debent : 1 Purificatio Pontificis et sacerdotum ; 2 Consecratio ; 3. Applicatio ad usum ministerii. Purificatio fiebat duobus modis : 1 Lotione totius corporis ; 2 Oblatione sacrificii pro peccato. Consecratio perficiebatur hoc ordine : 1

Post lotionem, Pontifex ornatu pontificali, et sacerdotes sacerdotali induebantur; 2 Pontifex ungebatur oleo unctionis in capite, non item sacerdotes; 3 Tam pontifex, quàm sacerdotes, in extremo auriculæ dextræ, et similiter in pollice manûs ac pedis dextri, tingebantur sanguine arietis immolati; 4 Non solùm Pontifex et sacerdotes, sed etiam vestes eorum; sanguine arietis et oleo unctionis aspergebantur. Denique multa ex canistro panum, et ex ariete immolato, dabantur illis in manus, ut ea levarent coràm Domino : quo signo, non solùm dabatur illis potestas sacrificandi, sed simul applicabantur ad usum ministerii, quod potissimùm consistebat in sacrificando. Cæterùm, ut major esset solemnitas hujus actionis, triplex in ea sacrificium offerebatur : 1 Vitulus in hostiam pro peccato; 2 Aries unus in holocaustum; 3 Aries alter in hostiam pacificam. Igitur tota series actionis procedebat hoc modo et ordine : 1 Aaron et filii ejus, qui erant consecrandi, publicè coràm toto populo adducebantur ad tabernaculum, et ibi lavabantur aquâ; 2 Aaron induebatur habitu pontificali, et super caput ejus fundebatur chrisma, seu oleum unctionis; 3 Filii Aaronis induebantur habitu sacerdotali; non tamen fundebatur oleum unctionis super capita illorum; 4 Adducebantur ad ostium tabernaculi vitulus et duo arietes; et præterea afferebantur panes azymi in canistro, cum quibusdam aliis ad eumdem usum pertinentibus. Deindè sequebatur primum sacrificium, id est, immolatio vituli pro peccato, hoc modo: 1° Aaron et filii ejus imponebant manus super caput vituli, qui mactabatur; 2° Pars sanguinis ejus ponebatur super cornua altaris; pars altera fundebatur ad basim ejus; 3° Totus adeps qui operit intestina, reticulum jecoris, et duo renes cum suo adipe, incendebantur super altare; 4° Carnes, corium, et fimus comburebantur foris extra castra. Mox succedebat secundum sacrificium, id est, immolatio unius arietis in holocaustum hoc ordine: 1° Impositis super caput ejus manibus mactabatur; 2° Sanguis ejus spargebatur super altare per circuitum; 3° Corpus secabatur in partes; 4° Intestina lavabantur; 5° Pedes et intestina jam lota ponebantur super caput et alias partes; 6° Hæc omnia incendebantur super altare. Posteà mactabatur alter aries in hostiam pacificam, hoc ritu : 1 Moyses sumebat de sanguine ejus, et obliniebat extremum auriculæ dexteræ Aaronis et filiorum ejus, itemque pollicem manùs ac pedis dextri; 2 Spargebat sanguinem super altare per circuitum; 3 Sumebat de sanguine, qui erat super altare, et de oleo unctionis, et aspergebat Aaronem, et filios ejus, et vestes eorum; 4 Sumebat adipem, caudam, pinguedinem, quæ operit intestina, reticulum jecoris, duos renes cum adipe eorum, armum dextrum, portionem panis, crustulam oleatam et laganum, et tradebat Aaroni et filiis ejus, ut levarent coram Domino; 5 Suscipiebat iterùm omnia de manibus eorum, et incendebat super altare in holocaustum.

Quæres primò, quamdiu duraverit hæc tota actio consecrationis Aaronicæ? Resp. Duravit septem diebus, ut expressè habetur Exod. 29, v. 35.... « Septem diebus consecrabis manus « eorum. » Et Levit. 8, v. 33 : « De ostio quoque « tabernaculi non exibitis septem diebus, « usque ad diem, quo complebitur tempus « consecrationis vestræ. Septem enim diebus « finitur consecratio. » Quod tamen duobus modis intelligit potest. Primò, quòd tota actio consecrationis paulatìm et successivè, spatio septem dierum peracta sit : ita ut Aaron et filii ejus, primùm quidem loti sunt; deindè sacro habitu ornati; tum uncti, tincti et aspersi; ac sic deinceps, donec tandem die septimo finis actioni sit impositus. Secundò, quòd tota consecratio cum omnibus ritibus ac cæremoniis, primo die fuerit integrè absoluta, et postea per sequentes dies quotidie integrè repetita; ita ut Aaron et filii ejus, septies fuerint loti aquâ, septies induti sacro habitu, septies uncti, tincti et aspersi; et septies terna sacrificia Deo oblata. Hoc posterius tenent Josephus, Lyranus, et plures alii : et colligitur ex verbis paulò antè citatis : *Septem diebus consecrabis manus eorum*. Dices : indè non sequitur, quotidiè omnes cæremonias fuisse repetitas, sed tantùm aliquas. Fateor, non sequi evidenter, sed solùm probabiliter. Et ideò, præter duas expositiones jam allatas, potest dari tertia, quæ sit media inter utramque. Nimirùm, quòd tota consecratio, cum omnibus ritibus ac cæremoniis primo die fuerit integrè absoluta : et postea per sequentes dies aliquæ tantùm cæremoniæ fuerint repetitæ; præsertim hæ quatuor : 1 Unctio manuum sacerdotum; 2 Immolatio vituli; 3 Mundatio altaris; 4 Unctio altaris. Nam harum peculiaris fit mentio Exodi 29, v. 35. Vide Cornelium ibid.

Quæres secundò, quare tot cæremoniæ adhibitæ fuerint in consecratione Pontificis et sacerdotum? Respondeo. Tres causæ assignari

possunt. Una ex parte officii sacerdotalis : altera ex parte ipsorum sacerdotum : tertia ex parte populi seu subditorum. Igitur prima causa est, quia Deus, per tot ritus, cæremonias ac solemnitates, voluit ostendere præstantiam, dignitatem et sanctitatem officii sacerdotalis. Et quòd nemo ad officium tam sanctum ac divinum deberet accedere, nisi prius à Deo speciatim electus, et publicè coràm populo in hunc finem esset consecratus. Hinc gravissimè puniti sunt, qui ingesserunt se in officium sacerdotale, cùm non essent consecrati. Exemplum habemus in Core, Jeroboam et Oziâ. Core vivus à terrâ absorptus est. (Num. 16 v. 31 *et seq.*) Jeroboamo manus repentè exaruit. (3 Reg. 13, v. 4.) Ozias leprâ percussus est. (2 Paralip. 26, v. 19.) Secunda causa est, ut ipsimet Pontifices et sacerdotes ex illis ritibus ac cæremoniis caperent duplicem utilitatem. Primò quidem, ut meminissent se debere esse sanctos et puros coràm Domino, qui ad tam sanctum et purum ministerium electi à Deo et consecrati essent : et sanè tantò majorem sanctitatem ac puritatem ab ipsis, quàm à populo requiri; quantò ipsi, quàm populus, in sanctiori gradu ac statu essent collocati. Secundò, ut in adversitatibus et periculis, quæ sæpè occurrunt in tali officio, possent seipsos solari et erigere. Nam sicut illi qui præsunt aliis in rebus temporalibus, sæpè vel à suis subditis, vel ab hostibus affliguntur; sic multò magis contingit illis, qui in curâ animarum principatum tenent. Hoc in vetere Testamento experti sunt Aaron (Num. 16) Zacharias (2 Par. 24, v. 11) Azarias. (2 Paral. 26, v. 17.) Et in novo apostoli, Matth, 10, v. 22 : « Eritis odio « omnibus propter nomen meum. » Et nominatim S. Paul. 2 Cor. 11, v. 23-25..... « In « laboribus plurimis, in carceribus abundan- « tius, in plagis suprà modum, in mortibus « frequenter. Ter virgis cæsus sum, semel « lapidatus sum, ter naufragium feci, etc. » Cùm ergo hujusmodi viri tot miseriis expositi sint, necesse est ut habeant aliquid quo se solentur ne oneri succumbant. Id in vetere Testamento factum est per solemnes ritus ac cæremonias, quibus sacerdotes et pontifices ex mandato Dei consecrabantur. Nam indè certò illis constabat, se à Deo speciatim electos ac designatos esse : ut in tali officio Deo ministrarent; ac proindè ut omnia adversa; quæ tali officio annexa essent, libenti ac forti animo sustinerent. Ex quo ulterius facilè sibi persuadebant, quidquid ratione vocationis acerbum ac molestum eveniret; non nisi in bonum exitum; divinâ ordinatione cessurum. Simile est in novo Testamento. Tertia causa est, ut etiam subditi ex tali cæremoniarum solemnitate fructum aliquem perciperent. Qui quidem fructus erat duplex. Alter, quòd ex publicâ consecratione certò agnoscerent suos pastores, quibus ipsorum salus commissa esset. Alter, quòd scirent quantum honorem et reverentiam propter sanctitatem officii præstare illis oporteret. De quo puncto alibi iterùm dicendum est. Hìnc etiam apparet analogia veteris ac novi Testamenti. Nam sicut in vetere, nemo poterat exercere officium sacerdotale, nisi à Deo vocatus et à Pontifice solemni ritu consecratus esset; sic etiam fit in novo. Quod disertè asserit apostolus Hebr. 5, v. 4 : *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron,* id est, sicut Aaron vocatus est. Ubi per vocationem intelligit etiam consecrationem. Ritus autem qui in novo Testamento usurpantur sunt varii. Nam aliqui habentur ex Scripturâ, ut impositio manuum Episcopi. (1 Tim. 4, v. 14, et 2 Tim. I, v. 6.) Alii ex traditione apostolorum, ut unctio, teste Dionys. Areop. cap. 4. de hierarchiâ eccles. (1). Alii ex usu et praxi Ecclesiæ, ut multi ex iis, quorum fit mentio in Pontificali.

Solent Lutherani et Calvinistæ ridere unctionem sacerdotalem, quæ usurpatur à Catholicis, tanquam cæremoniam Judaicam, ac proindè minimè tolerandam. Sed temere : primò, quia impositio manuum non minùs fuit usitata à Judæis, quàm unctio. Si ergò impositio manuum potest tolerari, et reipsâ ab apostolis tolerata et usurpata est, cur etiam unctio tolerari et usurpari non possit? Deindè, aliud est, uti aliquâ cæremoniâ, quâ usi sunt Judæi; aliud, uti ad eum finem ad quem usi sunt Judæi. Nos prius facimus, non posterius, v. g. utebantur ipsi ablutione aquæ ad abstergendam immunditiam legalem; nos etiam utimur ablutione aquæ in baptismo, sed ad abstergendam maculam peccati originalis. Similiter, utebantur ipsi impositione manuum, unctione olei, pane sanctificato, aquâ lustrationis, quibus etiam nos utimur : sed alium ipsi, alium nos finem et intentionem habemus. Ipsi erant in umbrâ, nos in luce sumus. Illi Christum venturum præfigurabant; nos præsentem honoramus.

(1) Hodiedùm eruditi penè omnes libros illos J. Dionysio abjudicant, censentque eorum auctorem non vixisse ante seculum V. Vide Danes, *notio temporum,* cum notis Paquot.

Vide Bellarm. de sacram. Ordin. c. 14, in fine.

Quæres tertiò, an, quotiescumque post Aaronem facta fuit consecratio alicujus Pontificis, semper adhibitæ sint omnes cæremoniæ, quæ in consecratione Aaronis adhibitæ sunt : nimirùm lotio, ornatus, unctio in capite, tinctio, aspersio, sacrificium et solemnitas septem dierum? Non videtur id factum esse in consecratione Eleazari, qui proximè successit Aaroni. Nam nihil aliud in eâ factum est, quàm quòd in monte Hor induerit vestem pontificalem, quâ usus fuerat Aaron, et cum eâ descenderit ad populum. (Num. 20, v. 26.) In hâc difficultate sunt tres opiniones. Prima, quòd Eleazarus ex speciali Dei voluntate ac dispositione factus sit Pontifex, sine solemni ritu consecrationis, per solam assumptionem vestis pontificalis. Altera, quòd ritus consecrationis verè adhibitus sit non quidem in monte Hor (propter defectum tabernaculi, quod manserat in inferiori loco, in medio castrorum), sed posteà, cùm ex monte rediissent ad tabernaculum; vel certè cùm expugnassent et occupassent terram duorum regum Amorrhæorum; vel denique cùm post transitum Jordanis venissent in terram promissionis. Tertia, quòd non opus fuerit adhibere totam solemnitatem, sed solam unctionem et ornatum pontificalem. Ratio est, quia Eleazarus jam antè solemni ritu consecratus fuerat sacerdos, cum tribus fatribus et Aarone patre. Ergò jam adhibitæ fuerant omnes cæremoniæ, quæ erant communes sacerdotibus et Pontifici : Ergò solùm necesse erat, eas adhibere, quibus Pontifex distinguebatur à sacerdotibus. Illæ autem erant duæ tantùm, nempè unctio in capite, et assumptio ornamenti pontificalis. Utraque potuit adhiberi in monte Hor. Et de alterâ quidem constat; de alterâ verò credibile est adhibitam fuisse. Ego, salvo meliori judicio, sic sentio. Primò, ex præcepto divino necessarium fuisse, ut quicumque Pontifex crearetur, septem diebus maneret in tabernaculo, in habitu pontificali. Secundò, ut ungeretur oleo unctionis in capite. Tertiò, ut pollex dextræ manûs ac pedis, itemque extremum auriculæ, tingeretur sanguine arietis immolati. Hæc tria colliguntur ex verbis Exod. 29, v. 29 : « Vestem autem sanctam, « quâ utetur Aaron, habebunt filii ejus post « eum, ut ungantur in eâ, et consecrentur « manus eorum. » Nec dubito, quin servata sint in consecratione Eleazari, tametsi Scriptura expressè id non dicat. De lotione nihil certi definiri potest.

Quæstio iv. — *Quod fuerit officium Pontificis et sacerdotum?* — Respondeo. Pontifex habebat quædam officia communia cum aliis sacerdotibus; quædam sibi propria ac peculiaria. Communia erant hæc decem : Primum, offerre victimas, seu sacrificia super altare holocausti (Levit. 1, v. 2-3); 2 In eodem altari, in usum sacrificiorum, alere seu nutrire perpetuum ignem, subjiciendo illi quotidiè ligna (Levit. 6, v. 12); 3 Bis quotidiè, id est, mane et vespere ponere et adolere incensum super altare thymiamatis (Exodi 30, v. 7-8.); erant enim duo altaria legitima : unum holocausti, in quo victimæ seu sacrificia offerebantur; alterum thymiamatis, in quo aromata suavissimi odoris incendebantur. Hoc aureum, illud æneum; 4 Bis quotidiè, affuso oleo olivarum, concinnare lucernas, quæ erant in candelabro aureo, juxta altare thymiamatis (Exodi 25, v. 37, et Levit. 24, v. 2); 5 Singulis sabbatis duodecim panes calidos ponere super mensam propositionis, et veteres indè removere ac comedere (Exod. 25, v. 30; et Levit. 24, v. 5-6-8); 6 Immolare vaccam rufam extra castra (Num. 19, v. 3); 7 Adjuvare mulieres in casu zelotypiæ (Num. 5, v. 18); 8 Discernere inter lepram et lepram (Levit. 13, per totum); 9 Expiare seu mundare leprosos, puerperas, menstruas et seminifluos (Levit. 12 et seq.); 10 Legem Dei scire, interpretari, et alios docere. (Aggæi 2, v. 12; et Malach. 2, v. 7.) Propria erant hæc quatuor : Primum semel in anno, nimirùm in solemni die expiationis, seu propitiationis introïre in Sanctuarium, seu in Sancta Sanctorum (Hebr. 9, v. 7.); et instituere publicam expiationem totius populi, ab omnibus peccatis et immunditiis toto anno contractis. (Levit. 16, per totum.) Ubi notandum est, duplicem fuisse expiationem in vetere Testamento; unam privatam et particularem, quâ vel leprosi, vel puerperæ, vel alii qui habebant aliquam immunditiam legalem, expiari solebant : alteram publicam et universalem, quâ tota multitudo seu Ecclesia Israelitarum mundabatur. Prior fiebat sæpè in anno; posterior, de quâ hìc agimus, semel duntaxat. Prior à quovis sacerdote; posterior à solo Pontifice. Prior extra Sanctuarium; posterior partim in Sanctuario, partim extra. Fiebat autem hoc ritu : 1° totus populus cessabat eo die ab omni opere servili, et jejunabat usque ad vesperam. 2° Pontifex lavabat se aquâ et induebat vestes pontificales. 3° Antequam inciperet publicam expiationem, præmittebat tres alias,

quæ tamen publicæ subserviebant. Unam suî ipsius et familiæ suæ, oblatione vituli pro peccato, et arietis in holocaustum; alteram tabernaculi et Sanctuarii, partim vapore seu nebulâ accensorum aromatum, partim septenâ aspersione sanguinis ex immolato vitulo et hirco. Tertiam altaris thymiamatis, solâ aspersione sanguinis. His peractis, sequebatur publica expiatio, hoc modo : Pontifex, qui ab initio miserat sortem super duos hircos, ut alter immolaretur pro peccato, alter vivus mitteretur in desertum; hunc statuebat in conspectu multitudinis, et positâ utrâque manu super caput ejus, confitebatur omnes iniquitates et peccata filiorum Israel, eaque capiti adstantis hirci imprecabatur, et sic mittebat eum in desertum, quasi auferentem et portantem peccata totius populi. Undè et hircus seu caper Emissarius dictus est. Hæc omnia prolixè habentur Lev. 16, v. 21. Secundum officium Pontificis erat consecrare Levitas et sacerdotes, juxta eum ritum qui describitur Exodi 29, Levit. 8, et Num. 8. De quo ritu superiùs actum est. Hoc officium Pontificis designabatur per unctionem capitis, ut rectè notat D. Thomas in 1-2 q. 102, art. 5 ad 8. Et ratio est, quia sicut oleum unctionis, seu sacrum chrisma, quod effundebatur in caput Pontificis, defluebat indè ad alia membra, juxta illud Psalm. 132, v. 2 : *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron.* Sic potestas offerendi sacrificia et ministrandi in tabernaculo, à Pontifice, per legitimam consecrationem, descendebat ad sacerdotes et Levitas, tanquam à capite Synagogæ in membra inferiora. Tertium officium Pontificis erat in controversiis legalibus agere supremum judicem, et pronuntiare ultimam sententiam cui omnes sub pœnâ mortis tenebantur obedire seu acquiescere. De hoc plura dicam cap. 11, ubi ex professo agetur de judice controversiarum veteris Testamenti. Quartum erat, in rebus gerendis, quæ majoris momenti essent, consulere Deum, et ab eo responsum accipere. Undè quotiescumque circa res gerendas aliqua dubitatio majoris momenti oriebatur, recurrendum erat ad Pontificem, qui consulebat Deum; et accepto ab eo responso, docebat alios quid faciendum esset. Erat autem duplex obligatio in hoc officio. Una eorum, qui volebant rem aliquam majoris momenti aggredi. Nam antequam hoc facerent, tenebantur accedere Pontificem, et ab eo consilium petere. Altera Pontificis, qui debebat rem illam Deo proponere, et ab eo sciscitari, rectène, an secùs suscipi posset. Utraque obligatio colligitur ex illo Num. 27, v. 18 et seq. : « Dixit Dominus ad Moysen : « tolle Josue filium Nun, virum in quo est « spiritus, et pone manum tuam super eum. « Qui stabit coràm Eleazaro sacerdote, et omni « multitudine : et dabis ei præcepta, cunctis « videntibus, et partem gloriæ tuæ, ut audiat « eum omnis Synagoga filiorum Israel. Pro hoc « si quid agendum erit, Eleazar sacerdos con« sulet Dominum. Ad verbum ejus egredietur « et ingredietur ipse et omnes filii Israel cum « eo, et cætera multitudo. » Hæc posteriora verba huc spectant, quorum sensus est : Josue qui erit dux populi, non progredietur cum exercitu, nec suscipiet bellum cum vicinis hostibus, nec ullam rem aliam magni momenti aggredietur; nisi ad mandatum et directionem Eleazari Pontificis, qui in hujusmodi casibus, quid faciendum sit, à Deo sciscitabitur, et Josue deindè certiorem faciet. Porrò non solus Josue, sed alii quoque principes ac reges, qui deinceps secuti sunt, hoc præcepto obligabantur. Semper in negotiis arduis debebant recurrere ad Pontificem, et arbitrio illius vel agere quidpiam, vel omittere. Et benè cum iis actum est, qui hoc fecerunt; malè cum iis, qui neglexerunt. Exempla prioris generis sunt hæc. Primò David rex cùm intellexisset insidias sibi parari à Saüle, accessit Abiathar Pontificem, et per eum quæsivit à Deo, an tutò posset esse in urbe Ceilâ? Et an cives Ceilitæ essent eum tradituri Saüli? (1 Reg. 23, v. 9.) Secundò idem David alio tempore, per eumdem Pontificem consuluit Deum an deberet persequi Amalecitas qui spoliaverant et succenderant urbem Siceleg? (1 Reg. 30, v. 7-8.) Quòd autem Davidi familiare fuerit, hoc modo interrogare Deum, patet 1 Reg. 22, v. 15, ubi Achimelech Pontifex accusatus apud Saülem, quòd Davidi adhæreret, et pro eo Dominum consuluisset, respondit regi : *nùm hodiè cœpi pro eo consulere Deum?* Quasi dicat, sæpiùs ante hæc tempora id feci. Exempla posterioris generis sunt hæc. Primò Josue et alii principes filiorum Israel decepti sunt à Gabaonitis, eò quòd fœdus cum illis pacti essent, non consulto priùs per Pontificem Deo. (Josue 9, v. 14.) 2 Saül elatus victoriâ, et præfisus suis viribus, cùm vellet, inconsulto Deo, Philistæos persequi, monitus à Pontifice est, ne id faceret : et cùm postea consuluisset Deum, nullum responsum ab eo impetravit. Itaque non potuit uti victoriâ, sicut animo destinaverat.

(1 Reg. 14, v. 36-37.) 3 Filii Israel pugnaturi cum Benjamitis, consuluerunt quidem Deum per Pontificem, sed tamen quia magis confidebant suis copiis quàm Dei oraculo, multi ex iis cæsi ac fugati sunt. (Judico 2, v. 22.)

Quæres, quo modo vel ritu solitus fuerit Pontifex consulere Deum in hujusmodi casibus? Resp. Aliter Moyses, aliter alii Pontifices soliti fuerunt id facere. Moyses ingressus tabernaculum fœderis, facie ad faciem cum Deo loquebatur, sicut solet homo cum amico loqui. (Exod. 33, v. 11.) Alii Pontifices, qui postea secuti sunt, induti Ephod, loquebantur cum Deo, non quidem facie ad faciem, sed aliquo alio peculiari modo; qui tamen apud auctores et interpretes non satis compertus est, ut latiùs dicam in seq. q. 5.

Quæstio v. — *Quo vestitu et ornatu usi sint sacerdotes et Pontifex?* — Levitæ non habebant sacrum ornatum, sed soli sacerdotes et Pontifex. Nec tamen illo utebantur, nisi eo tempore, quo in tabernaculo vel templo ministrabant. Erant autem octo ornamenta Pontificis : 1° Feminalia linea, 2° vestis linea, 3° balteus seu cingulum, 4° tunica hyacinthina, 5° Ephod, seu superhumerale, 6° rationale judicii, 7° cidaris seu tiara, 8° lamina aurea. De his agitur Exod. 28, per totum. Et quidem quatuor ex iis erant propria Pontifici, ut tunica hyacinthina, Ephod, rationale et lamina aurea : reliquia communia cum aliis sacerdotibus. De singulis aliquid dicendum est.

Igitur Pontifex, cum ad ministrandum accederet, primo loco induebat feminalia seu femoralia linea, *ad operiendam carnem turpitudinis suæ, à renibus usque ad femora,* ut loquitur Scriptura. (Exod. 28, v. 42.) Erant autem hæc feminalia veluti caligæ quædam, quas pedibus insertas (ut ait Josephus) quasi dimidiatas braccas ad ilia constringebat. Aliqui putant ex bysso retortâ fuisse confecta. Nobis sufficit, quòd à Moyse linea appellentur.

Post feminalia, proximè induebat tunicam lineam, quæ duplici nomine fuit appellata. Primò, linea stricta. (Exod. 28, v. 4.) Secundò, subucula linea. (Levit. 8, v. 7.) Invenio duas causas cur stricta fuerit appellata. Una est, quia ad cutem stringebatur. Non enim erat laxa et ampla, sed quantitati corporis commensurata. Altera, quia balteo seu cingulo stringebatur. (Levit. 8, v. 7.) Probabile est, fuisse similem tunicæ Joab, de quâ 2 Reg. 20, v. 8....... *Porrò Joab vestitus erat tunicâ strictâ ad mensuram habitûs sui;* nisi quod hæc fuerit exterior, illa interior.

Hæc vestis linea constringebatur balteo seu cingulo, inter umbilicum et pectus. De quo D. Hieron. ità scribit ad Fabiolam : « Hoc cingu« lum, in similitudinem pellis colubri, qui « exuit senectutem, sic in rotundum textum « est, ut marsupium longius putes. Textum « autem est sub tegmine cocci, purpurâ, hya« cintho, et stamine byssino, ob decorem et « fortitudinem : atque ita polymitâ arte distin« ctum ut diversos flores ac gemmas, artificis « manu non textas, sed additas arbitreris. Li« neam tunicam, inter umbilicum et pectus, « hoc stringunt balteo. » Similia habet Joseph lib. 3 Antiq., cap. 8.

Post balteum sequebatur tunica hyacinthina, quæ erat per modum vestis talaris. In ejus fimbriâ inferiori per circuitum pendebant alternatim mala punica et tintinnabula aurea, ut ex eorum sonitu perciperetur ingressus et egressus Pontificis, quando intrabat vel exibat Sanctuario. (Exod. 28, v. 35.) Dicebantur autem mala punica, non quòd reverà essent, sed quia ex hyacintho, purpurâ et cocco bis tincto, confecta erant instar malorum punicorum. (Exod. 28, v. 33.)

Super tunicam hyacinthinam, erat Ephod, seu superhumerale, quod tegebat humeros, et anteriorem partem usque ad cingulum. Erat autem contextum ex auro, hyacintho, purpurâ cocco bis tincto, et bysso retortâ. (Exodi 28, v. 6.) In utroque latere versùs humeros habebat duos lapides onychinos auro inclusos : unum à dextris, alterum à sinistris; in quibus scripta erant nomina duodecim filiorum Israel; sex nomina in uno lapide, et sex in altero, juxta ordinem nativitatis eorum. (Exod. 28, v. 9.)

In anteriori parte superhumeralis, ad pectus Pontificis, ligabatur rationale judicii. Hebræi vocant *hoien*, id est, pectorale. Græci *logion* vel *logeion*, id est rationale. Conficiebatur autem ex eàdem materiâ quâ Ephod, nempè ex auro, hyacintho, purpurâ, cocco bis tincto, et bysso retortâ; figura, quadrangulum : densitate, duplex ad Ephod relatum; longitudine et latitudine, mensura palmi. (Exod. 28, v. 16.) In hoc rationali erant duodecim lapides pretiosi inclusi auro, et distincti per quatuor ordines : in quibus etiam sculpta erant duodecim nomina filiorum Israel. (Ibid., v. 17.) Atque ita confectum et exornatum, catenis aureis et fasciis tam firmiter alligebatur superhumerali, ut à se invicem separari non possent. (Ibid.,

v. 28.) Porrò in rationali posita erat *doctrina et veritas*, super pectus Pontificis. (Ibid. v. 30. Hebraicè *Urim et Tumim*).

In capite erat Cidaris seu Tiara, id est, mitra quædam ex bysso confecta, cui affigebatur lamina aurea supra frontem Pontificis, cum hâc inscriptione, *Sanctum Domino*. (Exod. 28, v. 36 *et seq.*) Sic enim loquitur textus : *facies et laminam de auro purissimo : in quâ sculpes opere cœlatoris : Sanctum Domino. Ligabisque eam vittâ hyacinthinâ, et erit super tiaram, imminens fronti Pontificis.*

Quæres 1° quid significaverint ornamenta Pontificis? D. Th. 1-2. q. 102, art. 5 ad 10, adfert duas significationes : unam litteralem, alteram mysticam. Secundum litteralem, inquit, ornamenta Pontificis designabant dispositionem hujus mundi hoc modo : 1° feminalia linea, et vestis linea, significabant terram, ex quâ linum nascitur. 2° Balteus, Oceanum, qui cingit terram. 3° Tunica hyacinthina, aerem qui hyacinthini coloris est. 4° Tintinnabula illius tunicæ, tonitrua aeris. 5° Mala punica, coruscationes, quæ fiunt in aere. 6° Ephod seu superhumerale, cœlum sidereum. 7° Duo onychini, duo hemispheria, vel certè solem et lunam. 8° Duodecim gemmæ in pectore, duodecim signa Zodiaci. 9° Tiara, cœlum empyreum. 10° Lamina aurea, Deum omnibus præsidentem. At mysticè designabant virtutes, quæ debent esse in Pontifice. Ac primò, feminalia linea significabant castitatem : vestis linea, puritatem vitæ : cingulum, discretionem : tunica hyacinthina, cœlestem conversationem : tintinnabula aurea, sanam doctrinam : mala punica, bonos mores : superhumerale, sufferentiam infirmitatum populi : rationale in pectore cum nominibus filiorum Israel, charitatem et sollicitudinem pro fidelibus : Tiara in capite, rectam intentionem. Lamina aurea in fronte, memoriam aç recordationem Dei. Hæc ex D. Thomâ.

Alii non malè de Christo interpretantur. Nam ille fuit verus ac primarius Pontifex, cujus typum gesserunt Aaron et successores ejus. In illo perfectissimè fuerunt omnes virtutes per ornamenta Pontificalia designatæ. Ille suis humeris portavit duas gemmas, id est, pretium redemptionis duorum populorum, Judæorum scilicet et gentilium. Ille in suo pectore insculpta habuit nomina electorum. Ille quâcumque incessit, ex strepitu prædicationis evangelii, et suavissimo virtutum odore, percipi potuit ac observari.

Quæres 2° : An solus Pontifex usus fuerit Ephod seu superhumerali? Ratio dubitandi est, quia legimus alios quoque, præter Pontificem, usos esse, nempè Levitas, sacerdotes, reges. Nam de Samuele, qui erat Levita, sic habemus 1 Reg. 2, v. 18 : *Samuel autem ministrabat ante faciem Domini, puer, accinctus Ephod lineo.* De sacerdotibus 1 Reg. 22, v. 18. *Doeg Idumæus irruit in sacerdotes, et trucidavit in die illâ octoginta quinque viros vestitos Ephod lineo.* De Davide rege 2 Reg. 6, v. 14 : *David... saltabat totis viribus ante Dominum accinctus Ephod lineo.* Resp. Duplex fuit Ephod seu superhumerale in vetere Testamento. Unum contextum ex auro, purpurâ, hyacintho, cocco bis tincto, et bysso retortâ. Alterum simplex, lineum, candidum. Priori solus Pontifex utebatur, posteriori alii. Ita D. Hieron. in epist. 127 ad Fabiolam, et epist. 130 ad Marcellam. Abulensis lib. 1 Reg. cap. 22, q. 27. Ribera lib. 3 de templo cap. 10, et alii passim.

Quæres 3° in quem finem solitus fuerit Pontifex gestare Ephod? Ex Scripturâ constat, in tribus casibus solitum esse gestare. Primo, in consecratione. Quando enim mortuo Pontifice, alius subrogabatur, necesse erat solemni ritu eum consecrari, quod fiebat assumptione habitûs pontificalis, et unctione capitis (Exod. 29, v. 29); 2 In ingressu Sanctuarii, quando sacrificabat et deprecabatur pro populo (Exod. 28, v. 29) ; 3 Quando consulebat Deum in rebus dubiis. De hoc casu potissimum hìc agimus. Igitur notandum est in vetere Testamento fuisse tres modos consulendi Deum in rebus dubiis, et accipiendi ab eo responsa : 1 Per visiones et somnia ; 2 Per sacerdotes ; 3 Per prophetas ; hoc colligitur ex illo, 1 Reg. 28, v. 6 : *Consuluitque (Saül) Dominum, et non respondit ei, neque per somnia, neque per sacerdotes, neque per prophetas.*

Modus consulendi per sacerdotes (de quo solo hìc agimus) sic habebat : Rex aut princeps, aut populus Israelitarum, si quando dubitabant, quid in rebus magni momenti agendum sibi esset, jubebatur adire Pontificem seu summum Sacerdotem, qui indutus Ephod, consulebat pro ipsis Deum. (Num. 27, v. 21.) Ejus rei varia exempla allata sunt quæst. præced. Nihilominùs supersunt quædam dubia, quæ hoc loco discuti possunt. Ac primò quæritur, an is qui per Pontificem consulebat Deum debuerit in propriâ personâ præsens esse Pontifici? Respondetur : Talem, sicut absens poterat agere cum prophetâ, sic etiam potuisse cum

Pontifice. 2 An immediatè suam quæstionem proposuerit Pontifici? An Deo coràm Pontifice? Respondetur : Proposuisse immediatè Pontifici, et Pontificem Deo. Ita plures sentiunt. 3 An hæc propositio debuerit fieri coràm Arcâ? Resp. Fiebat coràm Arcâ, si adesset; secùs, si abesset. 4 Quomodo Deus solitus fuerit dare responsa Pontifici interroganti ? Resp. Auctores dissentiunt. Aliqui putant per Angelum voce humanâ loquentem : alii per occultam Spiritus sancti revelationem. Alii per scedulam. Alii, inter quos Josephus, per splendorem gemmarum seu lapidum, qui erant in rationali supra pectus Pontificis. Hoc sic explicant. Si lapides seu gemmæ plus solito splendescerent, signum erat feliciter successurum : si minùs solito, malè successurum : si nec plus nec minùs, sed more naturali splendescerent, signum erat Deum non velle respondere. Et sic putant accidisse, quando Saül consuluit Deum per sacerdotem.

Ultimò quæri potest, quando cessaverit hic modus consulendi Deum per Pontificem et accipiendi ab eo responsa? Abulensis putat cessasse eo tempore quod inter Alexandrum Magnum et Machabæos intercessit. Genebrardus eo tempore, quo Joas rex occidit optimum Pontificem Zachariam. Alii denique ab initio captivitatis Babylonicæ, quando sacrificium cessavit. Nam verisimile est, Judæos propter sua peccata, uno eodemque tempore, et oraculo et sacrificio spoliatos fuisse, quod contigit ad initium captivitatis Babylonicæ. Quò videtur spectare illud Oseæ 3, v. 4 : *Dies multos sedebunt filii Israel sine rege, et sine principe, et sine sacrificio, et sine altari, et sine Ephod, et sine Theraphim* (1).

Quæstio vi. — *Quos et quantos redditus habuerint sacerdotes et Pontifex?* — Sicut Deus ex xii tribubus Israel elegit unam pro divino servitio, ut suprà dictum est, nempè tribum Levi, in quâ erant Levitæ, sacerdotes, et Pontifex : sic eamdem tribum, tanquam sibi peculiariter mancipatam, voluit in suam curam suscipere, et de certis redditibus paternè illi providere, juxta illud Num. 18, v. 20 : *Dixitque Dominus ad Aaron : in terrà eorum nihil possidebitis nec habebitis partem inter eos : Ego pars et hæreditas tua in medio filiorum Israel.* Hinc etiam postea factum est, ut in divisione terræ promissionis, singulæ tribus acceperint suam portionem, exceptâ tribu Levi, quæ per reliquas tribus dispergebatur. Porrò Deus in stipendium pro ministerio, liberaliter illis concessit, quæ sequuntur : 1° ut haberent quadraginta octo urbes cum agris suis, ad pastum jumentorum (Num. 35, v. 2-7); 2° Ut aliarum tribuum decimis alerentur ; 3° Ut acciperent primitias ; 4° Ut haberent oblationes quæ fiebant à populo. De his singulis breviter agendum est.

Igitur urbes quadraginta octo, erant hæ : 1° Hebron; 2° Lobna ; 3° Jether ; 4° Esthemo; 5° Holon ; 6° Dabir ; 7° Ain; 8° Jeta ; 9° Bethsames ; 10° Gabaon ; 11° Gabae ; 12° Anathot ; 13° Almon ; 14° Sichem ; 15° Gazer ; 16° Sibsaim; 17° Bethoron; 18° Eltheco; 19° Gabathon; 20° Ajalon ; 21° Gethremmon ; 22° Tanach ; 23° Gethremmon ; 24° Gaulon ; 25° Bosra ; 26° Cesion ; 27° Dabereth ; 28° Jaramoth ; 29° Enganim; 30° Masal; 31° Abdon ; 32° Helcath ; 33° Rohob ; 34° Cedes ; 35° Hammoth Dor ; 36° Carthan; 37° Jecnam; 38° Cartha; 39° Damna; 40° Naalol; 41° Bosor ; 42° Jaser ; 43° Jetson; 44° Mephaad ; 45° Ramoth in Galaad ; 46° Manaim; 47° Hesebon; 48° Jazer.

Ex his 48 civitatibus, tredecim primæ datæ sunt sacerdotibus; reliquæ Levitis. (Josue 21, v. 4-5.) Porrò ex omnibus, sex erant civitates refugii, quarum nomina recensentur, Josue 20, v. 7. Sunt autem hæc : 1 Cedes in Nephtali ; 2 Sichem in Ephraim ; 3 Hebron in Juda; 4 Bosor in Ruben ; 5 Ramoth in Galaad ; 6 Gaulon in Manasse. Tres primæ citrà, reliquæ trans Jordanem. (Josue 20, v. 8.) Omnes æquali spatio inter se distabant. (Deut. 19, v. 7.) Omnes sitæ erant in montibus, ut eminùs videri possent, exceptâ Bosor, quæ sola erat in plano, sed tamen patente loco et conspicuo. (Josue 20, v. 7-8.)

De decimis. — Duo certa sunt ; duo controversa. Primò certum est, Levitas accepisse decimas fructuum, pecorum et jumentorum à filiis Israel, id est, ab aliis tribubus, ut patet ex illo Num. 8, v. 21 : *Filiis autem Levi dedi omnes decimas Israelis in possessionem, pro ministerio quo serviunt mihi in tabernaculo fœderis.* 2 Certum est, Levitas ex his decimis quas accipiebant ab aliis tribubus, iterùm dedisse decimas summo sacerdoti seu Pontifici, id est, dedisse decimas decimarum, ut patet ex eod. cap. v. 26, et seq. : « Præcipe Levitis, atque « denuntia : cum acceperitis à filiis Israel de- « cimas, quas dedi vobis, primitias earum of- « ferte Domino, id est, decimam partem deci- « mæ, ut reputetur vobis in oblationem primi-

(1) Adi cæteròm, si lubet, Wilh. Smits, qui fusè de his omnibus disserit T. II in Exodum.



« tivorum, tam de areis quàm de torcularibus « et universis, quorum accipitis primitias, « offerte Domino, et date Aaron sacerdoti. » Prior controversia est, an Levitæ communiter dicti (id est, tota tribus Levi, ut complectitur Levitas propriè dictos, sacerdotes et Pontificem), an potiùs evitæ propriè dicti, quatenùs distinguuntur à sacerdotibus et Pontifice, acceperint decimas ab aliis tribubus filiorum Israel? Abulensis et quidam alii intelligunt de Levitis propriè dictis. Alii rectiùs cum Josepho, de Levitis communiter dictis; id est, de totâ tribu Levi. Quod colligitur ex illo 2 Esdræ, 10, v. 37... « Ipsi Levitæ decimas accipient ex omni« bus civitatibus operum nostrorum. » Et v. 38: « Erit autem sacerdos filius Aaron cum « Levitis in decimis Levitarum. Et Levitæ of« ferent decimam partem decimæ suæ in do« mo Dei nostri. » Igitur Levitæ et sacerdotes simul accipiebant decimas à filiis Israel, et postea Levitæ ex suis decimis dabant alias decimas sacerdoti seu Pontifici. Hinc jam oritur. Posterior controversia, an decimæ decimarum, quæ dabantur à Levitis propriè dictis, datæ fuerint soli Pontifici seu summo sacerdoti, an generatim omnibus sacerdotibus? Lyranus et Abulensis putant soli Pontifici fuisse datas, ex illo Num. 18, v. 28....... *Date Aaron Sacerdoti.* Josephus non solùm Pontifici, sed generatim omnibus sacerdotibus. Alii denique, soli quidem Pontifici datam fuisse, sed ad eas custodiendum et distribuendum sacerdotibus, juxta illud Num. 18, v. 8: *Locutusque est Dominus ad Aaron: ecce dedi tibi custodiam primitiarum mearum*, id est, ut custodias et distribuas filiis tuis sacerdotibus: sicut mox eod. v. sequitur: *Omnia quæ sanctificantur à filiis Israel tradidi tibi et filiis tuis, pro officio sacerdotali legitima sempiterna.* Quo etiam spectat illud 2 Esdræ, 10, v. 38... *Levitæ offerent decimam partem decimæ suæ in domo Dei nostri, ad gazophylacium in domum thesauri*, id est, ut custodiatur in gazophylacio, et indè sacerdotibus suo tempore distribuatur.

Igitur summa omnium hæc est. Tribus Levi, quæ tota erat divino servitio consecrata, accipiebat decimas ab aliis tribubus, quæ erant laïcæ. Porrò, cùm in tribu Levi essent tria hominum genera, nempè Levitæ propriè dicti, sacerdotes, et Pontifex; Levitæ ex suis decimis, dabant iterùm decimas Pontifici et sacerdotibus: quia hi in altiori gradu et ordine serviebant Deo, quàm Levitæ; ac proindè sicut plus honoris, sic etiam plus bonorum temporalium pro sustentatione illis debebatur.

Pro majori explicatione eorum quæ dicta sunt, notandum est, apud Hebræos fuisse tria decimarum genera. Primum earum, quas cæteræ tribus, singulis annis tenebantur dare tribui Leviticæ pro sustentatione. De his jam dictum est. Alterum earum, quas singuli patres-familiâs debebant quotannis apud se servare, et postea cum Levitis comedere in loco ubi erat tabernaculum vel templum, idque tribus anni temporibus: nempè in Paschâ, Pentecoste, et festo tabernaculorum. De his intelligendum est illud Deut. 14, v. 22-23: « Decimam par« tem separabis de cunctis fructibus tuis, qui « nascuntur in terrâ per annos singulos, et « comedes in conspectu Domini Dei tui, in « loco quem elegerit, ut in eo nomen illius « invocetur, etc. » Tertium earum, quas tertio anno singuli separare debebant in propriis domibus; et cum Levitis peregrinis, pupillis et viduis cummunicare, juxta illud Deut. 14, v. 28-29.: « Anno tertio separabis aliam deci« mam ex omnibus quæ nascuntur tibi eo « tempore: et repones intrà januas tuas. Ve« nietque Levites, qui aliam non habet par« tem, nec possessionem tecum, et peregrinus, « ac pupillus et vidua, qui intrà portas tuas « sunt, et comedent et saturabuntur: ut be« nedicat tibi Dominus Deus tuus. » Et Deut. 26, v. 12: « Quando compleveris decimam « cunctarum frugum tuarum, anno decima« rum tertio; dabis Levitæ et advenæ, et pu« pillo, et viduæ, ut comedant intrà portas « tuas, et saturentur. » Igitur Levitæ, tametsi omnium harum decimarum essent aliquo modo participes; tamen ex primo genere potissimùm sustentabantur ut dictum est.

De primitiis et primogenitis. Soli sacerdotes et Pontifex, non autem Levitæ propriè dicti, accipiebant primitias et primogenita à filiis Israel. Porrò primitiæ solvebantur ter in anno, ut notat Lyranus et alii. Primò in Paschate, de novis spicis. Secundò in Pentecoste de novis panibus. Tertiò in Septembri, in festo tabernaculorum, de novis fructibus. Nam illis tribus anni temporibus tenebantur omnes mares venire ad locum, quem elegerat Dominus. (Deut. 16. v. 16.) De primitiis spicarum, quæ in Paschate offerebantur, intelligitur illud Levit. 23, v. 10-11: « Cùm ingressi fueritis « terram, quam ego dabo vobis, et messueritis « segetem, feretis manipulos spicarum, primi« tias messis vestræ ad sacerdotem, qui eleva« bit fasciculum coràm Domino, ut acceptabile « sit pro vobis, altero die sabbati, et sanctifi-

« cabit illum. » Ritus autem offerendi describitur Levit. 2, v. 14-15, his verbis : « Si « autem obtuleris munus primarum frugum « tuarum Domino de spicis adhuc virentibus, « torrebis igni, et confringes in morem farris, « et sic offeres primitias tuas Domino, fundens « supra oleum, et thus imponens, quia oblatio « Domini est. » De primitiis panum, quæ offerebantur in Pentecoste, intelligitur illud Levit. 23, v. 15, et seq. : « Numerabitis ergo ab altero die sabbati, in quo obtulistis manipulum « primitiarum, septem hebdomadas plenas, « usque ad alteram diem expletionis hebdo- « madæ septimæ, id est, quinquaginta dies et « sic offeretis sacrificium novum Domino ex « omnibus habitaculis vestris, panes primitia- « rum duos de duabus decimis similæ fermen- « tatæ, quos coquetis in primitias Domini, etc. » De primitiis novorum fructuum, quæ offerebantur in Septembri, intelligitur illud Num. 18, v. 13 : « Universa frugum initia, quas « gignit humus, et Domino deportantur, « cedent in usus tuos : qui mundus est in « domo tuâ, vescetur eis. » Et Deut. 18, v. 3-4..... « Dabunt sacerdoti.... primitias fru- « menti, vini et olei. » Et Deut. 26, v. 2-3 : « Tolles de cunctis frugibus tuis primitias, et « pones in cartallo, pergesque ad locum, quem « Dominus Deus tuus elegerit.... accedesque « ad sacerdotem, qui fuerit in diebus illis, etc. »

Est autem magna differentia inter hæc tria genera primitiarum : 1 Quia primitiæ in Paschate erant ex solis spicis; in Pentecoste, ex solis panibus; in Septembri, ex variis terræ fructibus; 2 Primitiæ spicarum dabantur in ipsâ collectione fructuum terræ, nec ulli licebat quicquam comedere de novis fructibus antequam primitiæ spicarum Deo oblatæ essent. (Levit. 23, v. 14.) At primitiæ in Pentecoste et Septembri offerebantur ex fructibus jam collectis, et domi asservatis (D. Aug. q. 32 super Numeros); 3 Primitiæ panum et fructuum cedebant integrè in usum sacerdotum; primitiæ verò spicarum non integrè. Nam unus manipulus spicarum consumebatur per modum sacrificii; reliqui comedebantur à sacerdotibus.

Porrò sicut primitiæ, sic etiam primogenita dabantur Pontifici et sacerdotibus. (Exod. 13, v. 2, et Num. 3, v. 13.) Erant autem tria genera primogenitorum : alia hominum, alia pecorum mundorum, alia immundorum. Igitur singula primogenita primi et tertii generis redimebantur pretio quinque siclorum, quod dabatur sacerdotibus; primogenita secundi generis, per se illis offerebantur. (Num. cap. 18, v. 15.)

De oblatis. Per oblata generatim loquendo, intelliguntur ea, quæ a filiis Israel offerebantur Deo in usum sacerdotum. Erant autem triplicia. Nam quædam ex præcepto offerebantur, ut decimæ, primitiæ, et primogenita, de quibus jam dictum est. Alia spontè et ex merâ devotione : alia denique ex voto. De hoc duplici genere multa habentur Levit. 22, v. 18; ibid. 23, v. 38; Num. 16, v. 3, et alibi. Hæc iterùm erant varia. Nam quilibet, vel spontè, vel ex voto poterat offerre hostias, libamenta, panes, pecuniam, et quæ similia sunt. Id autem potissimùm fiebat in tribus anni temporibus, ut suprà dictum est, nempè in Paschate, Pentecoste, et festo tabernaculorum. Tunc enim tenebantur venire omnes ad locum, ubi erat templum vel arca propitiatorii. (Deut. 16, v. 16.)

Ex dictis colligi potest, quam divites fuerint sacerdotes in vetere Testamento præ aliis omnibus. Nam primò accipiebant decimas à duodecim tribubus Israel. Ubi notandum est, præter tribum Levi fuisse duodecim tribus filiorum Israel, nempè tribum Ruben, Simeon, Juda, Zabulon, Issachar, Dan, Gad, Aser, Nephtali, Ephraim, Manasse, Benjamin. Igitur singulæ hæ tribus dividebant sua bona in decem partes et unam dabant tribui Levi, reliquis novem sibi reservatis. Quo fit, ut tribus Levi multò fuerit ditior, quàm cæteræ. Nam singulæ cæterarum habebant tantùm novem partes; tribus autem Levi duodecim. Præter has decimas, quæ communes erant omnibus in tribu Levi, sacerdotes iterùm accipiebant decimas decimarum à Levitis; et sic non solùm erant ditiores, quàm homines aliarum tribuum, sed etiam quam Levitæ. Deindè accedebant primitiæ, primogenita, oblata; quæ si omnia computentur, in magnum thesaurum excrescere necesse erat redditus, et possessiones sacerdotum.

Quæstio vii. — *An sacerdotes et Pontifex aliquando debuerint servare continentiam ab uxoribus?* — Resp. Jure divino debebant servare continentiam ab uxoribus, pro toto eo tempore, quo in tabernaculo vel templo ministrabant. Hoc testantur Scripturæ et Patres. Ex Scripturis habemus aliquot testimonia. Primum Exod. 19, v. 22 : *Sacerdotes quoque qui accedunt ad Dominum, sanctificentur*, id est, abstineant ab uxoribus. In eo enim potissi-

mùm consistebat sanctificatio, ut patet ex eodem capite : nam v. 10, dicebat Deus ad Moysen : *Vade ad populum, et sanctifica illos hodie et cras, laventque vestimenta sua.* Moyses autem intellexit illam sanctificationem de abstinentiâ ab uxoribus. Nam mox accedens ad populum, et explicans illi voluntatem Dei, dixit eod. c., v. 15 : *Estote parati in diem tertium, et ne appropinquetis uxoribus vestris.* Ubi notandum est, illam sanctificationem, seu abstinentiam ab uxoribus, de quâ agitur citato capite, tam populo, quàm sacerdotibus fuisse præceptam, quia tam populus, quàm sacerdotes, debebant audire promulgationem legis Mosaicæ, et ad illam toto biduo se disponere per abstinentiam ab uxoribus et per lotionem vestimentorum, et castrorum purgationem. Speciali tamen titulo præceptam fuisse sacerdotibus pro omni eo tempore, quo fungebantur officio sacerdotali; sive orando pro populo, sive hostias et sacrificia offerendo, sive aliquod aliud sacrum ministerium exhibendo. Hoc enim significatur illis verbis Exod. 19, v. 22: *Sacerdotes quoque qui accedunt ad Dominum, sanctificentur.* Nam tunc dicebantur accedere ad Dominum, quando vel erant oraturi, vel sacrificium oblaturi, vel aliquid simile facturi. Secundum testimonium 1 Reg. 21, v. 1 : *Venit autem David in Nobe ad Achimelech sacerdotem.* Et infrà, v. 4-5 : « Respondens sacerdos ad « David, ait illi : non habeo laïcos panes ad « manum, sed tantùm panem sanctum : Si « mundi sunt pueri, maximè à mulieribus. Et « respondit David sacerdoti, et dixit ei : equidem si de mulieribus agitur : continuimus « nos ab heri et nudiustertius, quando egrediebamur, et fuerunt vasa puerorum sancta. « Porrò via hæc polluta est, sed et ipsa hodie « sanctificabitur in vasis. » Hìc vides non licuisse comedere panem sanctum, nisi præmissâ sanctificatione, quæ in duobus consistebat. Primò ac potissimùm in abstinentiâ ab uxoribus. Secundò, in purificatione corporis, si quid maculæ in viâ contraxisset. Et certè si homines laïci debebant hoc modo sanctificari, multò magis sacerdotes; quippè qui ad majorem puritatem ratione statûs ac officii obligabantur. Quod sic ulteriùs declaro, duo hic præcepta distinguenda sunt. Unum, quo laïci prohibebantur comedere panes sanctificatos, vel ut alibi vocantur, panes propositionis. De quo Christus, Math. 12, v. 3-4 : « Non legistis quid fecerit David, quando esuriit, et qui cum eo erant; quomodo intravit « in domum Dei, et panes propositionis comedit, « quos non licebat ei edere; neque his, qui cum eo « erant, nisi solis sacerdotibus? » Alterum, quo jubebantur abstinere ab uxoribus, qui manducaturi erant hujusmodi panes. De hoc quæstio est, quosnam obligaverit? Aliqui putant obligasse solos laïcos; ego contrà, obligasse etiam sacerdotes : Et quidem per se primariò sacerdotes. Quod tripliciter probo : Primò ex dictis, quia sacerdotes tenebantur ad majorem puritatem quàm laïci. Quia esus panum propositionis per se pertinebat ad solos sacerdotes : ergò etiam sanctificatio requisita ad esum istorum panum per se pertinebat ad solos sacerdotes. Undè sicut laïci non poterant comedere hujusmodi panes, ita non tenebantur se sanctificare, nisi tantùm per accidens, et in casu necessitatis. Quia si præceptum de abstinentiâ ab uxoribus pertinuisset ad solos laïcos; vel fuisset illis datum à Deo, antequam Achimelech loqueretur cum Davide; vel ab ipso Achimelech, cùm jam loqueretur cum ipso : non priùs, quia nusquam legimus in Scripturâ, quòd Deus dederit tale præceptum pro solis laïcis, antequam Achimelech loqueretur cum Davide. Nec posteriùs, quia Achimelech, cùm dicebat Davidi : *Si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus;* non dabat novum præceptum, sed supponebat jam antè à Deo datum esse. At non erat aliud à Deo datum, nisi quo sacerdotes obligabantur abstinere ab uxoribus, quotiescumque fungerentur officio sacerdotali, seu quotiescumque aliquid sacri ministerii, sive orando, sive hostias offerendo, sive panes sanctos comedendo, peragerent. Itaque sensus Achimelech est hic : vobis quidem non licet comedere panes sanctificatos, sed solis sacerdotibus : Si tamen vultis propter præsentem necessitatem comedere, cùm alii panes haberi non possint; necesse est, vos eâ puritate et sanctitate id præstare, quâ sacerdotes facere consueverunt, qui abstinent ab uxoribus, quotiescumque hujusmodi panes commesturi sunt : idem ergò à vobis exigo.

Tertium testimonium. 1 Paral. 24, v. 7-8 : *Exivit autem sors prima Joïarib, secunda Jedei, tertia Harin,* etc., ubi recensentur viginti quatuor familiæ sacerdotum, qui per vices debebant ministrare in domo Domini, juxta illud Luc. 1, v. 5 : *Fuit.... Sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abiâ.* Et paulò post v. 8-9 : « Factum est autem, cùm sacerdotio « fungeretur in ordine vicis suæ ante Deum, « secundùm consuetudinem sacerdotii, sorte

« exiit ut incensum poneret. » Constat autem, sacerdotes, quando ministrabant Domino secundùm vicem suam, debuisse multos dies perseverare in ministerio. Nam ibid. v. 23, de Zachariâ sic legimus : *Et factum est, ut impleti sunt dies officii ejus, abiit in domum suam.* Plerique auctores putant fuisse octo dies unicuique destinatos, nempè à sabbato usque ad sabbatum, ut Josephus, Ambrosius, Theophylactus, et alii apud Maldonatum in Comment. illius loci. Et colligitur ex illo 2 Par. 23, v. 8 : « Fecerunt ergo Levitæ, et universus Juda « juxta omnia, quæ præceperat Joïada Ponti- « fex et assumpserunt singuli viros qui sub se « erant, et veniebant per ordinem sabbati, « cum his qui impleverant sabbatum, et « egressuri erant. » Igitur sacerdotes per octo dies, relictis domibus et uxoribus suis, permanebant in templo, et ibi ministrabant. Et quidem tempore sacrificii, erant in eâ parte templi, ubi sacrificia offerebantur. Reliquo tempore, habitabant in atrio templi in domunculis ad id destinatis : quò non licebat uxores introducere. Undè consequens est, debuisse à cohabitatione uxorum abstinere. De quâ re sic scribit Siricius Papa in epist. ad Himerium Tharacon. episcopum cap. 7 : « Dicat mihi « nunc, quisquis ille est sectator libidinum, « præceptorque vitiorum, si æstimat, quòd in « lege Moysis passim sacris ordinibus à Do- « mino laxata sint frena luxuriæ, cur eos « quibus committebantur Sancta Sanctorum, « præmonet, dicens : Sancti estote, quia et « ego sanctus sum, Dominus Deus vester? « Cur etiam procul à suis domibus, anno vicis « suæ, in templo habitare jussi sunt sacerdo- « tes? Hâc videlicet ratione, ne vel cum uxo- « ribus possent carnale exercere commercium, « ut conscientiæ integritate fulgentes, accep- « tabile Deo munus offerrent. Quibus etiam, « expleto deservitionis suæ tempore, uxorius « usus, solius successionis causâ, fuerat re- « laxatus, quia non ex aliâ, nisi ex tribu Levi, « quisquam ad Dei ministerium fuerat præ- « ceptus admitti. « (Tom. 1 Concil.) »

Idem, quod ad rem attinet, sentiunt alii Patres. Hieron. lib. 1. contra Jovin. longè post medium : « Nam et in veteri lege, qui pro « populo hostias offerebant, non solùm in do- « mibus suis non erant, sed purificabantur ad « tempus, ab uxoribus separati ; et vinum et « siceram non bibebant, quæ solent libidinem « provocare. » Similia habet Innocentius I. Epistol. 2 ad Victricium Rhotomagensem episcopum cap. 9. Et Beda in cap. 1 Lucæ.

Quæstio viii. — *Quanta fuerit auctoritas Pontificis apud populum?* — Resp. Deus multis modis in vetere Testamento voluit Pontifici astruere et conciliare auctoritatem apud populum. Primò, publicâ et solemni consecratione, quæ præsente populo durabat per septem dies; 2 Unctione sacri olei, quod in nullum usum profanum adhiberi poterat; 3 Ornatu Pontificali, qui et gemmis pretiosis, et aureâ laminâ, et tintinnabulis aureis, et malis punicis, omnem alium ornatum, etiam regium longè superabat; 4 Magnâ copiâ redituum annuorum, quæ quidem apud illum populum magni erat momenti; 5 Frequenti colloquio cum Deo, præsertim in rebus dubiis proponendis; 6. Variis ac illustribus miraculis. Ex his aliqua recensebo. Primum contigit in primo sacrificio, quod Aaron obtulit in suo Pontificatu. Tunc enim ignis de cœlo descendit, qui coràm populo holocaustum devoravit. Quo miraculo ostendit Deus, se approbare sacerdotium seu Pontificatum Aaronis. Levit. 9, v. 23-24 : « Apparuitque gloria Domini omni multitudini : « et ecce egressus ignis à Domino, devoravit « holocaustum et adipes qui erant super al- « tare. Quod cùm vidissent turbæ, laudave- « runt Dominum, ruentes in facies suas. » Vide simile exemplum 3 Regum 18, à 19 v. ad 40 usque. Secundum contigit in seditione Core, Dathan et Abiron, qui cum suis sociis vivi à terrâ absorpti sunt, eò quòd rebellionem excitassent contra Primatum Moysis et Aaron. Num 16, v. 1, et seq. : « Ecce autem Core... et « Dathan, atque Abiron... surrexerunt contra « Moysen, aliique filiorum Israel ducenti quin- « quaginta viri proceres Synagogæ, et qui tem- « pore concilii per nomina vocabantur. Cùmque « stetissent adversùm Moysen et Aaron dixe- « runt : sufficiat vobis, quia omnis multitudo « Sanctorum est, et in ipsis est Dominus : Cur « elevamini super populum Domini? » Et infrà, v. 31, et seq. : « Confestim... dirupta est « terra sub pedibus eorum : et aperiens os « suum devoravit illos cum tabernaculis suis, « et universâ substantiâ eorum : Descende- « runtque vivi in infernum. » Tertium contigit in seditione populi, qui partim incendio periit, partim per intercessionem Aaronis salvatus est. Num. 16, v. 41 et seq. : « Mur- « muravit autem omnis multitudo filiorum « Israel sequenti die contra Moysen et Aaron, « dicens : vos interfecistis populum Domini. « Cùmque oriretur seditio, et tumultus in-

« cresceret, Moyses et Aaron fugerunt ad ta-« bernaculum fœderis. Quod postquàm in-« gressi sunt, operuit nubes, et apparuit « gloria Domini. Dixitque Dominus ad Moysen : « recedite de medio hujus multitudinis; etiam-« nunc delebo eos. Cùmque jacerent in terrâ, « dixit Moyses ad Aaron : tolle thuribulum, « et hausto igne de altari, mitte incensum de-« super, pergens citò ad populum, ut roges « pro eis : jam enim egressa est ira à Domino, « et plaga desæviit. Quod cùm fecisset Aaron; « et cucurrisset ad mediam multitudinem, « quam jam vastabat incendium, obtulit thy-« miama : et stans inter mortuos ac viventes, « pro populo deprecatus est, et plaga cessavit. « Fuerunt autem, qui percussi sunt, quatuor-« decim millia hominum et septingenti, abs-« que his qui perierant in seditione Core. Quartum contigit circa virgam Aaronis, hoc modo. Cùm populus sæpè murmuraret contra Aaronem Pontificem, et aliæ tribus filiorum Israel ægrè ferrent, quòd ex solâ tribu Levi assumeretur Pontifex, qui aliis omnibus imperaret; voluit Deus in posterum præcavere hujusmodi murmura, et manifesto signo declarare, Aaronem legitimè à se electum esse, cui omnes tanquam summo Sacerdoti, deberent obsequi. Itaque mandavit Moysi, ut acciperet duodecim virgas à duodecim tribubus Israel, in quibus singulis notata essent singula nomina tribuum Israel : has cum virgâ Aaronis, poneret in tabernaculo testimonii, et sequenti die iterùm produceret; tunc enim fore ut una ex omnibus miraculosè floreret; et is deinceps, cujus virga floruisset, tanquam legitimus Pontifex haberetur. Quod et factum est : sequenti etenim die, sola virga Aaronis inventa est germinasse, et turgentibus gemmis emisisse flores, qui foliis dilatatis, in amygdalas deformati videbantur. Ex quo omnes manifestè collegerunt deinceps soli Aaroni, tanquam Pontifici à Deo electo et designato, non autem aliarum tribuum principibus, in rebus Deum spectantibus, obtemperandum esse. Et ne posteros id lateret, mandavit Deus, ut virga Aaronis, ad perpetuam rei memoriam, in Arcâ conservaretur. Hæc omnia habentur Num. 17, per totum.

QUÆSTIO IX. — *Quæ utilitas colligi possit ex dictis.* — Resp. Duplex utilitas potest colligi. Una ex parte Catholicorum : altera ex parte adversariorum. Nam Catholici ex iis quæ dicta sunt sic possunt ratiocinari : noster Pontifex multò excellentior et dignior est, quàm fuerit Pontifex veteris Testamenti, sicut anima perfectior est quàm corpus; spiritus quàm littera; imago quàm umbra; libertas quàm servitus. Si ergo Hebræi, qui murmurabant contra suum Pontificem, à Deo severè puniti sunt; quid nobis fiet, si similiter murmuremus? Et sanè apostolus de hâc ipsâ re nos præmonuit, 1 Cor. 10, v. 1 et seq. his verbis : « Nolo enim « vos ignorare fratres, quoniam Patres nostri « omnes sub nube fuerunt, et omnes mare « transierunt, et omnes in Moyse baptizati « sunt, in nube, et in mari : et omnes eam-« dem escam spiritalem manducaverunt, et om-« nes eumdem potum spiritalem biberunt (bi-« bebant autem de spiritali consequente eos « petrâ : petra autem erat Christus). Sed non « in pluribus eorum beneplacitum est Deo : « nam prostrati sunt in deserto. Hæc autem in « figurâ facta sunt nostri, ut non simus con-« cupiscentes malorum, sicut et illi concupie-« runt : neque idololatræ efficiamini, sicut « quidam ex ipsis : quemadmodum scriptum « est : Sedit populus manducare et bibere, et « surrexerunt ludere : neque fornicemur, si-« cut quidam ex ipsis fornicati sunt, et ceci-« derunt unâ die viginti tria millia. Neque « tentemus Christum, sicut quidam eorum ten-« taverunt, et à serpentibus perierunt. Neque « murmuraveritis, sicut quidam eorum mur-« muraverunt, et perierunt ab exterminatore. « Hæc autem omnia in figurâ contingebant « illis : scripta sunt autem ad correptionem « nostram, in quos fines seculorum devene-« runt. » Ex quibus verbis tria colligimus, quæ maximè huc spectant. Primum est, quòd omnes Hebræi magnis beneficiis à Deo affecti fuerint. Nam omnes miraculosè transierunt mare rubrum; omnes sub nube protecti sunt; omnes biberunt ex petrâ consequente. Alterum, quòd multi illorum abusi sint beneficiis sibi concessis, et ingrati in Deum extiterint : et nominatim, quòd aliqui murmuraverint contra Moysen et Aaron Pontificem. Tertium quòd propterea graviter à Deo puniti sint. Hinc infert apostolus : si nos Christiani, qui majora beneficia à Deo consecuti sumus, peccemus in Deum, et nominatim, si murmuremus contra Pontificem, fore ut multò graviùs à Deo puniamur. Et sic est. Maneamus ergò conjuncti cum Pontifice et episcopis; et sequamur consilium ejusdem apostoli, qui nos alibi sic hortatur : « Obedite præpositis vestris, et subja-« cete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem « pro animabus vestris reddituri, ut cum gau-

« dio hoc faciant, et non gementes : Hoc enim non expedit vobis. « (Hebr. 13, v. 17.) »

Adversarii sic possunt ratiocinari. Certè si prudenter æstimemus ea, quæ in veteri Testamento scripta sunt de Pontifice Hebræorum : iniquè agimus cum Pontifice Romano et in multis eum accusamus, ubi innocens est. Primò, objicimus illi arrogantiam, quòd *Pontificem maximum* se appellet. Et tamen constat hunc titulum concessum fuisse in vetere Testamento et quidem ab ipso Deo. Sic enim legimus Levit. 21, v. 10 : *Dixit Dominus ad Moysen.... Pontifex, id est, Sacerdos maximus inter fratres suos.... caput suum non discooperiet.* Qui titulus frequenter reperitur in libris Machab. et in evangelio sub hâc voce, *summus Sacerdos.* Si ergò Pontifici in vetere Testamento licuit usurpare hunc titulum; cur in novo non liceat, præsertim cùm Pontifex in novo major et excellentior sit, quàm fuerit in vetere?

Secundò, objicimus illi pompam et splendorem in ornatu pontificali. Et tamen scimus Pontificem in vetere Testamento ex peculiari Dei institutione, gestasse purpuram, hyacinthum, byssum, tintinnabula aurea, et mala punica in sacrâ veste : tiaram cum aureâ laminâ in capite : duodecim gemmas in pectore : duos lapides onychinos in humeris auro inclusos. An etiam accusabimus, qui hunc tam rarum et insignem ornatum præscripsit Pontifici in Synagogâ Hebræorum? Dicamus potiùs cum Davide, Psal. 25, v. 8 : *Dilexi decorem domûs tuæ.* Nec usurpemus illam Judæ proditoris vocem : *Ut quid perditio hæc?*

Tertiò, objicimus ipsi divitias et potentiam temporalem. Sed immeritò. Nam constat Pontificem in vetere Testamento fuisse longè ditissimum : et quidem Deo sic disponente. Accipiebat decimas à duodecim tribubus Israel : decimas decimarum à Levitis : primitias, primogenita, et oblationes à toto populo. Sanè si Pontifex Romanus singulis annis acciperet decimas decimarum ab Ecclesiasticis et Religiosis : si denique primitias, primogenita, et oblationes omnium fidelium, fortassè ditior esset, quàm modò est. Si ergò Deus in vetere Testamento voluit Pontificem hoc modo locupletare, cur nos similem fortunam invidemus Pontifici in novo Testamento?

Quartò, objicimus illi nimiam auctoritatem, quâ utitur in Ecclesiâ Christi. In quo similes sumus Hebræis, qui etiam suum Pontificem Aaronem hâc calumniâ onerabant. Sed Deus et miraculo, et ultione testatus est, se velle ut omnes Aaroni obedirent. Quid ergò nos volumus et molimur? Singuli superiores esse non possumus. Unum aliquem esse necesse est, qui aliis præsit. Si is Pontifex est, quid molesti illi sumus? Nimirùm hæc nostra cœcitas et infirmitas est, ut semper aliquid carpamus. Et certum est, si abrogato Pontifice, rex aliquis vel imperator præesset omnibus in Ecclesiâ, simili calumniæ illum fore obnoxium. Igitur posthac moderatiùs agendum nobis est, et si verè Christiani esse volumus, ab omni iniquâ criminatione abstinendum.

Quintò, objicimus illi, quòd glorietur de continuâ serie et successione suorum antecessorum in Ecclesiâ Romanâ. At nihil culpæ hìc est. Nam etiam in vetere Testamento successio Pontificum accuratissimè servata est, et speciali miraculo à Deo confirmata. Voluit enim Deus successionem Pontificum manere in tribu Levi, et nullo modo transire in alias tribus. Et in ejus rei perpetuam memoriam effecit, ut virga solius Aaronis, non autem virgæ aliarum tribuum, repentè floresceret. Nos hìc impingimus. Nam relictâ legitimâ successione, quæ est in Ecclesiâ Romanâ, instituimus novos ministros, qui alios ante se nullos agnoscunt. In quo similes sumus Jeroboamo, qui ascivit sacerdotes, qui non erant de tribu ac successione Levi. (3 Reg. 12.)

Sextò, objicimus illi, sicut et aliis sacerdotibus, cœlibatum; et urgemus matrimonium. Sed profectò non aliâ de causâ, quàm ut nostram lasciviam et turpitudinem excusemus. Alioqui, si ex vetere Testamento pensanda res est, sic argumentari oportebat : Pontifex et alii sacerdotes Levitici, propter sanctitatem officii, quod gerebant, tenebantur abstinere ab usu matrimonii toto illo tempore, quo in tabernaculo vel templo ministrabant : at in novo Testamento major est sanctitas officii sacerdotalis, et in illo officio assiduè versandum illis est. Ergò magis debent colere castimoniam vitæ quàm in vetere Testamento factum est. At nos Lutherani et Calvinistæ id non facimus, quia nullâ habitâ ratione ministerii nostri manemus in perpetuo matrimonii usu, non minùs quàm homines seculares : in quâ re nec sacerdotes Leviticos nec Pontificios, sed nescio quos lascivos ac petulcos homines videmur imitari. Præstaret sequi consilium apostoli 1 Cor. 7, v. 7 : *Volo enim omnes vos esse sicut meipsum.* Et infra, v. 8 : *Dico autem non nuptis et viduis : bonum est illis, si sic permaneant, sicut et ego.* Et rationem adjungit, v. 32-33.... *Qui sine*

uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo: qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est. Hoc saluberrimum documentum nos contemnimus.

Septimò, objicimus illi, quòd tam ipse, quàm alii episcopi et sacerdotes, solemni ritu ungantur et consecrentur : et per contemptum solemus appellare unctos; sed parùm prudenter: nam constat Deum in vetere Testamento præcepisse, ut Pontifex in capite ungeretur oleo sanctæ unctionis. Et similiter, ut tam Pontifex quàm sacerdotes, et eorum vestimenta, sanguine et oleo aspergerentur. Et quanquam hujusmodi cæremoniæ, quæ in vetere Testamento servatæ sunt, non necessariò servari debeant in novo; tamen cùm à Deo introductæ et approbatæ fuerint, malæ esse non possunt. Cur ergò vel easdem, vel similes usurpari non liceat, si bono fine et intentione adhibeantur? Alioqui quid dicimus de unctione regum et imperatorum in novo Testamento? An et illa repudianda est? Nemo hoc dixerit. At si illam retinere fas est, cur in alteram tam iniqui sumus? Nostri ministri, qui sine unctione et consecratione, sine successione et vocatione, vel ex tonstrinis, vel ex popinis, in officia ecclesiastica subitò sese ingerunt; nullum possunt proferre exemplum ex totâ antiquitate, quo tueri se queant.

CAPUT VIII.

DE MINISTRIS SYNAGOGÆ EXTRAORDINARIIS QUI ERANT PROPHETÆ.

Duplices erant prophetæ in vetere Testamento : aliqui veri, qui à Deo mittebantur : alii falsi, qui à Deo non mittebantur. Priores vel vocabantur prophetæ absolutè, vel prophetæ Domini, vel Videntes. Posteriores, vel pseudoprophetæ, vel prophetæ Baal, vel prophetæ lucorum. Quibus annumerandæ sunt Pythonissæ. De his omnibus dicam hoc ordine : 1 Quinam fuerint veri prophetæ in vetere Testamento? 2 Quod fuerit illorum officium? 3 Quomodo probaverint se à Deo missos? 4 An omnes de Christo prophetaverint? 5 Quis illorum fuerit præcipuus, Moyses, an Joannes Baptista? 6 Quomodo intelligendum sit, quod Christus ait in evangelio : *Omnes prophetæ usque ad Joannem?* 7 Quomodo verum sit, omnes prophetas Hierosolymis occisos esse? 8 Quinam fuerint falsi prophetæ? 9 Quomodo veri à falsis discernerentur? 10 Quid de Pythonissis sentiendum? 11 An etiam in novo Testamento sint veri et falsi prophetæ?

QUÆSTIO PRIMA. — *Quinam fuerint veri prophetæ in vetere Testamento?* — Respondeo. Hi fuerunt præcipui : — 1. Moyses. Num. 12, v. 7; et Deut. 34, v. 10. — 2. Josue. Eccles. 46, v. 1. — 3. Samuel 1. Reg. 9, v. 6. — 4. David. — 5. Gad. 1 Reg. 22, v. 5. — 6. Nathan. 2 Reg. 7, v. 2; et 2 Par. 9, v. 29. — 7. Ahias Silonites. 3 Reg. 11, v. 39; et 2 Paral. 9, v. 29. — 8. Addo. 2. Paral. 9, v. 29. — 9. Michæas, filius Jemla. 3 Reg. 22, v. 8. — 10. Elias Thesbites. 3 Reg. 17, v. 1. — 11. Elisæus. 3 Reg. 10, v. 16.

Deindè quatuor illi, qui vocantur majores Prophetæ, quorum nomina sunt hæc: 1° Isaias, filius Amos; 2° Jeremias, filius Helciæ, de sacerdotibus, qui fuerunt in Anathoth; 3° Ezechiel, filius Buzi, sacerdos; 4° Daniel, qui et Balthasar. Et alii duodecim, qui vocantur minores prophetæ, ut Osee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas Morasthites, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias. Quibus addi possunt tres alii, qui vixerunt sub finem veteris et initium novi Testamenti. Primus, Joannes Baptista, de quo dictum est Luc. 1, v. 76: « Et tu puer propheta Altissimi vocaberis. » Secundus, Zacharias pater Joannis Baptistæ, de quo ibidem, v. 67-68 : « Et Zacharias Pater ejus repletus est Spiritu sancto : et prophetavit dicens : Benedictus, etc. » Tertius, Simeon, de quo Lucæ 2, v. 26 : « Responsum acceperat à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi priùs videret Christum Domini. » Præter hos fuerunt etiam aliquot feminæ prophetissæ, ut Maria, soror Moysis (Exod. 15, v. 20); Debbora, uxor Lapidoth (Judic. 4, v. 4); Holda, uxor Sellum filii Thecuæ (4 Reg. 22, v. 14); Elizabeth, mater Joannis Baptistæ (Luc. 1, v. 41.); Anna, filia Phanuel de tribu Aser (Luc. 2, v. 36.); et quatuor filiæ Philippi diaconi (Act. 21, v. 9). Quibus omnibus præferenda est beata Dei Genitrix Maria, quæ prophetavit dicens: *Beatam me dicent omnes generationes:* Non Gentilium, Turcarum, Judæorum, sed verè fidelium.

Quæres : an non fuerint plures prophetæ veteris Testamenti quàm qui jam enumerati sunt? Videntur fuisse plures. Nam 1 Reg. 10, v. 5-6 et 10 legimus, gregem prophetarum ivisse obviam Saüli, postquam à Samuele in regem unctus est. Resp. Nomen prophetæ sumitur variis modis in Scripturâ. Primò, pro iis qui futura prædicunt. Et hoc sensu nos agimus hic de prophetis. Eorum officia paulò post explica-

bimus. Secundò, pro iis qui ex peculiari motione Spiritûs sancti, Deum laudant in citharis, psalteriis, et cymbalis. Sic sumitur loco citato, ubi Samuel ait ad Saülem :.... « Obvium habebis gregem prophetarum descendentium de « excelso, et ante eos psalterium, et tympanum, et tibiam, et citharam, ipsosque prophetantes (id est, Deum laudantes), et insiliet in te Spiritus Domini et prophetabis cum « eis (id est, Deum pariter laudabis). » Sic etiam sumitur Num. 11, v. 25, ubi de septuaginta senioribus, qui Moysi adjuncti erant, ita legimus :..... « Cùmque requievisset in eis « Spiritus prophetaverunt, » id est, Dei laudes celebrarunt. » Et 1 Reg..... 19, v. 20 : « Qui « cùm vidissent cuneum prophetarum vaticinantium, et Samuelem stantem super eos, « factus est etiam Spiritus Domini in illis, et « prophetare cœperunt etiam ipsi, » id est, Deum laudare. Ita Emmanuel Sa, ibid., Abulensis et Cornelius n. 11. 23. Tertiò, pro iis, qui divino Spiritu, vel Scripturam explicant, vel ad pietatem exhortantur. Sic sumitur 1 Cor. 14, v. 3 : « Qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, et exhortationem, et consolationem. »

Quæstio ii. — *Quodnam erat officium prophetarum in vetere Testamento.* — Resp. Primarium officium erat docere, instruere et reformare populum in cultu veri Dei, eumque hoc modo ad Christi adventum disponere. Et quidem Moyses docuit populum, quando dedit et explicavit illi legem decalogi et Deuteronomii. Reliqui prophetæ, qui diversis temporibus secuti sunt, reformârunt populum ; et aberrantem à lege revocârunt in viam. Quò spectat illud Joan. 4, v. 37-38 : « Alius est qui semi« nat, et alius est qui metit. Ego misi vos me« tere, quòd vos non laborastis : alii laborave« runt, et vos in labores eorum introistis. » Ubi Christus loquitur de prophetis et apostolis. Prophetæ seminaverunt ; apostoli messuerunt. Prophetæ laboraverunt apostoli eorum laboribus fruiti sunt. Quomodo hoc ? Quia prophetæ, antequam venirent apostoli, multùm laborârant in erudiendo populo, et eorum corda ad Christum recipiendum, præparârant. Quod si non fecissent, plus laborandum fuisset apostolis. (Vide Orig. Iren. August. Chrysost. et alios apud Maldonatum in illum locum.) Huic primario officio annexa erant tria alia. Primum est, arguere, reprehendere, et objurgare eos, qui vel à vero Dei cultu, vel ab aliquâ aliâ divinâ lege recederent. Sic Samuel reprehendit Saülem regem, eò quòd non obedivisset voci Domini. (1 Reg. 15 v. 19.) Sic Nathan reprehendit Davidem propter adulterium et homicidium. (2 Reg. 12, v. 9.) Sic Elias populum claudicantem in duas partes. (3 Reg. 18, v. 21.) Daniel duos senes, quòd falsò accusassent Susannam de adulterio ; (Dan. 13, v. 52.) et ita deinceps. Alterum est, prædicere futura, quod fiebat dupliciter. Nam prophetæ aliquando prædicebant futura bona, ad populi consolationem, ut adventum Messiæ, et alia mysteria redemptionis humani generis. Isai. 7, v. 14.... « Vir« go concipiet et pariet filium, et vocabitur « nomen ejus Emmanuel. » Et cap. 11, v. 1 : « Egredietur virga de radice Jesse, et flos de « radice ejus ascendet. » Et cap. 14, v. 1 : « Propè est ut veniat tempus ejus, et dies « ejus non elongabuntur. Miserebitur enim « Dominus Jacob. » Et cap. 40, v. 1 : « Con« solamini, consolamini, popule meus, dicit « Deus vester. » Aliquando prædicebant et minabantur futura mala, quæ imminebant populo propter sua peccata, ut famem, pestem, bellum, captivitatem. Jerem. 1, v. 14 : « Ab « Aquilone pandetur malum, super omnes « habitatores terræ. » Et cap. 5, v. 15-17 ; « Ecce ego adducam super vos gentem de lon« ginquo domûs Israel, ait Dominus.... Et « comedet segetes tuas, et panem tuum : de« vorabit filios tuos et filias tuas : comedet « gregem tuum et armenta tua : comedet vineam « tuam, et ficum tuam; et conteret urbes mu« nitas tuas, in quibus tu habes fiduciam. » Et cap. 19, v. 3-4.... « Ecce ego inducam afflic« tionem super locum istum, ita ut omnis, qu « audierit illam, tinneant aures ejus : eò quòd « dereliquerint me. » Et infrà, v. 11 : « Sic « conteram populum istum, et civitatem istam, « sicut conteritur vas figuli, quod non potest « ultra instaurari. » Tertium est, secreta seu occulta cognoscere. Sic Samuel sciebat omnia, quæ erant in corde Saülis quærentis asinas patris sui. (1 Reg. 9, v. 19.) Sic Elisæus sciebat omnia, quæ à famulo absente erant perpetrata. (4 Reg. 5, v. 26.) Itemque omnia secreta consilia regis Syriæ. (4 Reg. 6, v. 12.) Sic Daniel sciebat occultum somnium Nabuchodonosoris. (Dan. 2, v. 29.) Hinc obiter colligo, mirum non esse, si Sancti in cœlo sciant ea, quæ apud nos geruntur.

Quæstio iii. — *Quomodo prophetæ probabant se à Deo missos esse?* — Necesse erat ut prophetæ qui dicebant, se immediatè à Deo missos esse ad reformandum et arguendum populum, certis ac evidentibus signis confirmarent suam

missionem; alioqui populus non credidisset ipsis, sed pro impostoribus habuisset. Quod fatetur Moyses de seipso. Cùm enim Deus dixisset illi, Exodi 3, v. 10 : « Veni, et mittam te « ad Pharaonem, ut educas populum meum, « filios Israel, de Ægypto. » Respondit Moyses, cap. 4, v. 1 : « Non credent mihi, neque au« dient vocem meam, sed dicent : non appa« ruit tibi Dominus. » Dupliciter autem probabant, se à Deo missos esse. Primò, per miracula. Sic probavit Moyses, quando virgam in serpentem mutavit; aquas Ægypti in sanguinem convertit, et alia prodigia patravit, quæ plagæ Ægypti appellari solent. Sic Samuel, sic Elisæus, sic alii prophetæ plures. Luculentum habemus exemplum in Eliâ, quod est hujusmodi : Tempore Achab regis, fuit disceptatio inter Eliam et prophetas Baal. Tam hi, quàm ille, legitimè se missos affirmabant. Quid factum? Elias convocato universo populo, qui in duas partes claudicabat, non alio argumento usus est, quàm quòd diceret, se suam missionem evidenti miraculo confirmare posse; prophetas Baal non posse. Quod etiam contigit hoc modo : duo boves in frusta concisi, et super ligna positi sunt in holocaustum : alter pro Eliâ; alter pro prophetis Baal. Hi, invocato nomine Dei sui, non potuerunt de cœlo impetrare ignem, quo holocaustum consumeretur. Elias, invocato Deo Israel, impetravit. Itaque holocaustum ab eo positum, igne de cœlo misso, consumptum est. Quo miraculo permotus populus, Eliam tanquàm à Deo missum acceptavit : et prophetæ Baal veluti impostores interfecti sunt. (3 Reg. 18, v. 21.) Omitto similia exempla. Secundò, probabant suam missionem per veracem prædictionem eorum, quæ brevi erant eventura. Sic Elias prædixit, tribus proximis annis non fore rorem et pluviam. (3 Reg. 17, v. 1.) Sic Michæas, regem Achab infeliciter pugnaturum in Ramoth Galaad. (3 Reg. 22, v. 17.) Sic Elisæus post unum diem fore tantam annonæ vilitatem, ut duo modii hordei emantur uno statere. (4 Reg. 7, v. 1.) Sic Isaias, proximo anno fore abundantiam frugum; sequenti, pomorum copiam; tertio, plenam messem et vindemiam. (Isaiæ 37, v. 30.) Sic Jeremias, brevi futurum, ut Nabuchodonosor rex vastaturus sit terram Ægypti. (Jerem. 46, v. 13.) Et quia hæc omnia evenerunt eo modo, quo ab illis prophetis dicta sunt; ideò magnam auctoritatem sibi conciliârunt. Sicut è contrario quia non eveniebant ea, quæ à falsis prophetis prædicebantur, nulla illis fides habebatur. Et hoc signo discernendum esse inter veros et et falsos prophetas, constat ex illo Deut. 18, v. 21-22 : « Quòd si tacitâ co« gitatione responderis : quomodò possum in« telligere verbum, quod Dominus non est « locutus? Hoc habebis signum : quòd in no« mine Domini propheta ille prædixerit, et « non evenerit, hoc Dominus non est locu« tus, sed per tumorem animi sui propheta « confinxit, et idcircò non timebis eum. » Undè D. Hieron. in cap. 37, Isaiæ, super illud, *Tibi autem hoc erit signum*, sic scribit : « Idcir« cò vel maximè prophetæ apud populum ha« bebant fidem; quia non solùm de his, quæ « multa post secula futura erant, sed etiam « quæ in continenti et post non grande tem« poris spatium essent implenda, memorabant : « ut quòd intrà biennium rex assyrius interi« ret, et urbi Jerusalem securitas reddere« tur. » Et Rupertus in Prologo in Oseam : « Cùm prophetæ mitterentur ad pronuntian« dum de longinquo Christi adventum, simul « etiam de propinquo datum vel injunctum est « illis, prophetare illud, in quo citiùs veraces « comprobari possent, scilicet imminentem ab « Assyriis Israeli captivitatem; itemque in« stantem Judæ quoque Babylonis transmigra« tionem; et prætereà nonnulla etiam mino« ra, quæ litteris eorum legimus inserta. Cùm « igitur citò evenisset captivitas seu transmi« gratio illa, sicut per illos veritas prophetica « prædixerat, palàm constitit, quòd veraciter « fuissent locuti in nomine Domini, et quòd « Deus misisset eos. Atque ità completa pro« phetiæ pars, illud quoque quod reliquum, « vel maximum erat de promissione et adven« tu Messiæ, verum fore convincebat. »

Quæstio iv. — *An omnes prophetæ veteris Testamenti de Christo prophetaverint?* — Resp. Omnes vel clarè, vel obscurè, de Christo vaticinati sunt. Quod generatìm colligi potest ex duobus Scripturæ testimoniis. Unum est Luc. 1, v. 68 et seq. « Benedictus Dominus, Deus « Israel, quia visitavit et fecit redemptionem « plebis suæ. Et erexit cornu salutis nobis in « domo David pueri sui; sicut locutus est per « os Sanctorum, qui à seculo sunt propheta« rum ejus; » id est, Deus prædixit per omnes prophetas, qui fuerunt ab initio mundi, venturum redemptorem ex familiâ David. Alterum Luc. 24, v. 27 : « Et incipiens (Chris« tus) à Moyse, et omnibus prophetis, interpre« tabatur illis in omnibus scripturis, quæ de « ipso erant. » Speciatìm verò potest sic os-

tendi. Prophetia dupliciter fieri solet. 1° Verbis; 2° signis vel figuris. Igitur aliqui prophetæ verbis de Christo vaticinati sunt : aliqui signis et figuris. Priori modo, Moyses, Deut. 18, v. 15 : « Prophetam de gente tuâ, et de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus « Deus tuus; ipsum audies. » (Vide Act. 3, v. 22.) David Psal. 15, v. 10 : « Non derelinques animam meam in inferno; nec « dabis Sanctum tuum videre corruptionem. » (Idem habetur Act. 2, v. 27-31.) Et Psal. 95, v. 13 : « Judicabit orbem terræ in æquitate, et populos in veritate suâ. » Et Psal. 96, v. 7 : « Adorate eum omnes Angeli ejus. » (Hebr. 1, v. 6.) Et Psal. 109, v. 1 : « Dixit Dominus Domino meo : Sede à dextris meis; « donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum. » Matth. 22, v. 44. Isai. 7, v. 44.... « Ecce virgo concipiet, et pariet filium, « et vocabitur nomen ejus Emmanuel. » (Luc. « v. 31.) Et Isai. 35, v. 4-5 : « Deus ipse veniet, et salvabit vos. Tunc aperientur oculi « cæcorum, et aures surdorum patebunt. » Et Isai. 44, v. 3 : « Effundam enim aquas super « sitientem, et fluenta super aridam. » Et Isai. 53, 4 : « Verè languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. » Et infrà, v. 7. « Oblatus est quia ipse voluit, et non « aperuit os suum : Sicut ovis ad occisionem « ducetur, et quasi agnus coràm tondente se « obmutescet. » Et infrà, v. 12. « Cum sceleratis reputatus est : et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit. » Luc. 22, v. 37. Jerem. 23, v. 5 : « Ecce dies « veniunt, dicit Dominus; et suscitabo David « germen justum; et regnabit rex, et sapiens « erit : et faciet judicium et justitiam in terrâ. » Et cap. 31, v. 22 : « Creavit Dominus novum « super terram : femina circumdabit virum. » Ezech. 32, v. 7 : « Et operiam, cùm exstinctus fueris, cœlum, et nigrescere faciam « stellas ejus; solem nube tegam, et luna non « dabit lumen suum. » Dan. 9, v. 24 : « Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super « populum tuum, et super urbem sanctam « tuam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas « et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio, et prophetia, et ungatur Sanctus « Sanctorum. Oseæ 6, v. 3 : « Vivificabit nos « (Dominus) post duos dies; in die tertiâ suscitabit nos. » Et cap. 11, v. 1 : « Ex Ægypto vocavi filium meum. » Et cap. 13, v. 14 : « De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos : ero mors tua, ô mors! morsus « tuus ero, inferne. » Joel, 2, v. 28 : Et erit « post hæc. Effundam spiritum meum super « omnem carnem : et prophetabunt filii vestri « et filiæ vestræ. » Amos 9, v. 11 : « In die illâ « suscitabo tabernaculum David, quod cecidit; « et reædificabo aperturas murorum ejus, et « ea quæ corruerant instaurabo. » Act. 15, v. 16. Michæas 5, v. 2 : « Et tu, Bethlehem « Ephrata, parvulus es in millibus Juda; ex « te mihi egredietur qui sit Dominator in Israel, « egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis. » (Matth. 2, v. 6.) Mich. 7, v. 6-7 : « Filius « contumeliam facit patri, et filia consurgit adversùs matrem suam, nurus adversùs socrum suam; et inimici hominis, domestici « ejus. Ego autem ad Dominum aspiciam, exspectabo Deum Salvatorem meum. Matth. 10, « v. 35. Nahum 1, v. 15 : « Ecce super montes pedes Evangelizantis et annuntiantis pa« cem. (Rom. 10, v. 15.) » Habac. 2, v. 3 : « Adhuc visus procul, et apparebit in finem, « et non mentietur. Si moram fecerit, exspecta « illum, quia veniens veniet, et non tardabit. » Sophon. 3, v. 14-15 : « Lauda, filia Sion; jubila, Israel; lætare, et exulta in omni corde, « filia Jerusalem : Abstulit Dominus judicium « tuum, avertit inimicos tuos; Rex Israel, Dominus in medio tuî, non timebis malum ultrà. » Et ibid. v. 17 : Dominus Deus tuus in « medio tuî fortis ipse salvabit. » Aggæus 2, v. 7-8 : « Hæc dicit Dominus exercituum : Adhuc unum modicum est, et ego commovebo « cœlum, et terram, et mare, et aridam. Et « movebo omnes gentes; et veniet Desideratus « cunctis gentibus. » Zachar. 2, v. 10 : « Lauda « et lætare, filia Sion : quia ecce ego venio, et « habitabo in medio tuî, ait Dominus. » Et cap. 3, v. 8 : « Ecce enim ego adducam servum « meum orientem. » Et cap. 6, v. 12 : « Ecce « Vir oriens nomen ejus. » Et cap. 8, v. 3 : « Hæc dicit Dominus exercituum : Reversus « sum ad Sion, et habitabo in medio Jerusalem : et vocabitur Jerusalem civitas veritatis. » Ex cap. 9, v. 9 : « Ecce Rex tuus veniet tibi justus « et Salvator; ipse pauper, et ascendens super « asinam, et super pullum filium asinæ. » Et cap. 11, v. 12 : « Et appenderunt mercedem « meam triginta argenteos. » Et cap. 12, v. 10 : « Effundam super domum David, et super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ et precum : et aspicient ad me, quem confixerunt. » Et cap. 13, v. 7:.... « Percute Pastorem, et « dispergentur oves. » Malach. 1, v. 11 : « Ab

« ortu enim solis usque ab occasum, magnum « est nomen meum in gentibus, et in omni loco « sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio « munda. » Et cap. 3, v. 1 : « Ego mitto Angelum meum, et præparabit viam antè faciem meam. Et statìm veniet ad templum « suum Dominator, quem vos quæritis, et « Angelus testamenti, quem vos vultis. » Et cap. 4, v. 2 : « Orietur vobis timentibus nomen « meum Sol justitiæ. » Posteriori modo, nempè per signa et figuras, multi prophetæ de Christo vaticinati sunt : 1° Jonas, cap. 2, v. 1:... « Erat Jonas in ventre piscis tribus diebus et « tribus noctibus. » 2° Omnes illi, qui prædixerunt Judæis liberationem ex captivitate babylonicâ, quæ erat figura liberationis totius mundi, quâ Christus nos erat liberaturus à captivitate peccati. 3° Omnes illi qui expresserunt typum, vel figuram Christi, sive quoad incarnationem, sive quoad mortem et passionem, sive quoad resurrectionem, sive quoad alia mysteria. De quibus videri potest Prosper, in lib. de Prædict.

Quæstio v. — *Quis fuerit præcipuus omnium prophetarum veteris Testamenti ?* — Aliqui Moysen, alii Joannem Baptistam præferunt. Uterque enim habet peculiare testimonium suæ eminentiæ. Moyses quidem, Num. 12, v. 6, et seq. : « Si quis fuerit inter vos propheta « Domini, in visione apparebo ei, vel per som« nium loquar ad illum. At non talis servus « meus Moyses, qui in omni domo meâ fide« lissimus est. Ore enim ad os loquor ei, et pa« làm, et non per ænigmata et figuras Dominum « videt. » Joannes verò Matth. 11, v. 9, ubi Christus de illo loquitur : *Sed quid exîstis videre? Prophetam? Etiam dico vobis, et plus quàm prophetam.* Resp. Moyses fuit præcipuus; non quidem simpliciter et omni modo, sed in duplici sensu. Primò, quia Deus loquebatur illi *facie ad faciem*, sicut amicus amico loquitur; reliquis non item, ut constat ex testimonio allato. Et hæc comparatio procedit de Moyse et aliis prophetis excludendo Joannem Baptistam, juxtà illud : *Lex et prophetæ usque ad Joannem.* 2. Quia in multis gessit typum seu figuram Christi, ut prolixè explicatum est, cap. 6, q. 3, n. 3. Nihilominùs aliqui alii prophetæ, ex aliâ parte, præferendi sunt Moysi. Nam Isaias plura de Christo in particulari vaticinatus est quàm Moyses. Joannes Baptista non venturum, ut Moyses, sed præsentem annuntiavit : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Nota. Tria de Joanne Baptistâ legimus. 1° Quòd fuerit propheta. 2° Quod non fuerit propheta. 3° Quòd fuerit plus quàm propheta. Primum asseruit Zacharias, pater ejus, Luc. 1, v. 76 : *Et tu puer, propheta Altissimi vocaberis.* Alterum asseruit ipse. Cùm enim interrogaretur à sacerdotibus : *Propheta es tu?* Respondit : *Non sum.* Tertium asseruit Christus: *Quid exîstis videre? Prophetam? Etiam dico vobis, et plus quàm prophetam.* Quæ omnia benè inter se cohærent. Fuit enim propheta, quia spiritu prophetico agnovit Christum, nemine indicante. Non fuit propheta, more aliorum, qui de Christo longè post venturo vaticinabantur. Fuit plus quàm propheta; quia reliqui prophetæ ad homines, Joannes ad ipsum Christum missus est. Undè peculiari modo de illo prædixit Deus per Malachiam, cap. 3, v. 1 : *Ecce ego mitto Angelum meum, et præparabit viam antè faciem meam.* Est enim Angelus, non qualiscumque, sed missus antè faciem Christi, quod de aliis prophetis dici non potest. (Vid. Maldonat. in cap. 11 Matth., v. 10.)

Quæstio vi. — *Quomodò intelligendum sit illud Christi : Omnes prophetæ usque ad Joannem?* Ratio dubitandi est, quia etiam post Joannem fuerunt aliqui prophetæ, ut Joannes evangelista, Paulus, Agabus, et alii, de quibus quæstione 11 dicendum est. Resp. Verba Christi sunt hæc. Matth. 11, v. 11. *Omnes enim prophetæ et lex usque ad Joannem prophetaverunt.* Quorum verborum varia est explicatio, sed duæ præ cæteris probabiliores. Una, Christum loqui de omnibus prophetis veteris Testamenti qui Joannem et Christum præcesserunt. Ut hic sit sensus : Omnes prophetæ veteris Testamenti prædixerunt Christum venturum; Joannes fuit primus qui præsentem annuntiavit. Ità Chrysostomus, Hieronymus, Beda, Euthymius. Altera, legem et prophetas usque ad Joannem prophetâsse, id est, viguisse, vim habuisse, officio suo functos esse, durâsse. Ità Maldonatus. Et hoc colligit ex antitheto, quod sequitur : *A diebus autem Joannis Baptistæ, regnum cœlorum vim patitur.* Ubi regnum cœlorum opponitur legi et prophetis, id est, novum testamentum opponitur veteri. Ut hic sit sensus : lex et prophetæ viguerunt usque ad Joannem Baptistam; at à tempore Joannis Baptistæ incœpit evangelium, seu novum Testamentum.

Dices : Lex duravit etiam post Joannem Baptistam, quia non fuit abrogata, nisi per mortem Christi. Resp. Illa particula, *usque ad Joannem,* non significat, usque ad nativitatem Joannis, quasi tunc lex abrogata sit : sed usque ad prædicationem Joannis : quia tunc cœpit

paulatim deficere, sicut tenebræ paulatim deficiunt, quando aurora accedit. Verum tamen est, non fuisse penitùs abrogatam, nisi per mortem Christi, ut cap. 6, q. 2, n. 6, dictum est.

QUÆSTIO VII. — *An verum sit omnes prophetas Hierosolymis occisos esse?* — Ratio dubitandi sumitur ex verbis Christi, Luc 13, v. 33..... *Non capit prophetam perire extrà Jerusalem.* Græcè est, οὐχ ἐνδέχεται, id est, non contingit, seu impossibile est occidi aliquem prophetam extrà Jerusalem. Quod tamen non videtur verum. Primò, quia Jeremias in Ægypto, Ezechiel in Chaldæâ occisi sunt, ut testatur Epiphanius in eorum vitis, et Dorotheus in Synopsi. Secundò, multi prophetæ occisi sunt à Jezabel in Samariâ, ut habetur 3 Reg. 19, v. 10. Resp. Christus non vult significare, nunquàm omninò contingere, ut aliquis propheta extrà Jerusalem occidatur (quia hoc constat falsum esse), sed rarò contingere. Utitur autem hyperbole, ut exaggeret ingratitudinem illius civitatis, quæ non agnoscebat beneficium à prophetis acceptum, sed eos, ubicumquè poterat, persequebatur et occidebat. Et hinc colligit Christus, se etiam ibi occidendum, quod et factum est. Hæc expositio patet ex ipso textu, qui sic Luc. 13, v. 31 et seq. habet : « Accesserunt quidam Pharisæorum, dicentes illi : « Exi, et vade hinc, quia Herodes vult te occidere. Et ait illis : Ite, et dicite vulpi illi : Ecce « ejicio dæmonia, et sanitates perficio hodiè « et cras, et tertiâ die consummor. Verumtamen oportet me hodiè et cras et sequenti « die ambulare, quia non capit prophetam perire extrà Jerusalem. Jerusalem, Jerusalem! « quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui « mittuntur ad te, etc. » Hæc facta sunt in Galilæâ, ubi Herodes dominabatur. Distabat autem Galilæa à Jerusalem itinere trium dierum. Et propterea dixit Christus : *Oportet me hodiè et cras et sequenti die ambulare,* nempè ut ex Galilæâ veniam in Jerusalem; quia communiter fit, ut prophetæ non alibi quàm in Jerusalem moriantur. Itaque sensus verborum Christi consistit in his duobus. 1° Non est in potestate Herodis ut anticipet tempus moriendi, quod mihi à Deo constitutum est. 2° Ibo hinc in Jerusalem, ut ibi occidar, ubi omnes ferè prophetæ occisi sunt.

QUÆSTIO VIII. — *Quinam fuerint falsi prophetæ in veteri Testamento?* — Resp. Duplices erant falsi prophetæ apud Judæos, ut patet Jerem. 23, à v. 9 usque ad finem. Alii in Samariâ qui prophetabant in Baal; alii in Jerusalem, qui quidem dicebant se prophetare in vero Deo, et ab eo se missos esse, sed mentiebantur. Priores erant idololatræ; posteriores non item. De prioribus est frequens mentio in libris Regum, præsertim 3 Reg. 18, v. 19, ubi Elias interfecit quadringentos et quinquaginta prophetas Baal, et quadringentos prophetas lucorum, qui comedebant de mensâ Jezabel. Item 3 Reg. 22, v. 6, ubi quadringenti prophetæ prædixerunt regi Israel victoriam contrà Ramoth Galaad. Item 4 Reg. 10, v. 19, ubi omnes prophetæ Baal, qui tunc erant, à Jehu rege interfecti sunt in templo Baal. De posterioribus fit mentio in libris prophetarum, ut Jerem. 14, v. 14 : « Dixit Dominus ad me : « Falsò prophetæ vaticinantur in nomine meo; « non misi eos, et non præcepi eis, neque locutus sum ad eos : visionem mendacem, et « divinationem, et fraudulentiam, et seductionem cordis sui prophetant vobis. » Et cap. 23, v. 21 : « Non mittebam prophetas, et « ipsi currebant; non loquebar ad eos, et ipsi « prophetabant. » Et Ezech. 13, v. 6 : « Vident « vana, et divinant mendacium, dicentes : Ait « Dominus, cùm Dominus non miserit eos, etc. » Ex priori genere fuit Sedecias, filius Chanaana, qui percussit Michæam in maxillam. (3 Reg. 22, v. 24.) Ex posteriori Hananias, filius Azur, propheta de Gabaon. (Jerem. 28, v. 1.) Item Achab, filius Coliæ, Sedecias filius Maasiæ, et Semeias Nehelamites, qui cum populo Judæorum in Babylonem erant translati, et falsò prophetabant, brevi fore finem captivitatis. (Jerem. 29, v. 21, et seq.) Item, senex quidam propheta in Bethel, qui decepit alium prophetam vaticinantem contrà altare, quod erexerat Jeroboam. (3 Reg. 13, v. 11.) Hi, et similes falsi prophetæ, semper ferè contradicebant veris prophetis. Ut quandò veri prædicebant famem, bellum, captivitatem, et alias pœnas à Deo infligendas propter peccata populi, tunc falsi prædicerent fertilitatem, pacem et prosperitatem, ut patet Jerem. 14, v. 13-14 : « Et « dixi.... Domine Deus : Prophetæ dicunt eis : « Non videbitis gladium, et fames non erit in « vobis, sed pacem veram dabit vobis in loco « isto. Et dixit Dominus ad me : Falsò prophetæ « vaticinantur in nomine meo. » Hujus rei multa occurrunt exempla. Sedecias, qui erat unus ex prophetis Baal, contradicebat Michææ, qui erat propheta Domini. Ille asserebat regem Israel feliciter expugnaturum Ramoth Galaad; quod negabat Michæas. (3 Reg. 22, v. 11.) Item Hananias contradicebat Jeremiæ. Ille asserebat vasa templi, quæ abstulerat Nabuchodonosor,

post biennium remittenda esse in Jerusalem; Jeremias negabat id tàm citò futurum. (Jerem. 28, v. 2.) Item Achab, Sedecias, et Semeias contradicebant eidem Jeremiæ. Illi dicebant, populum mox rediturum ex captivitate babylonicâ: hic, septuaginta annis mansurum in captivitate. (Jerem. 29, v. 10, 21).

Quæres, quæ fuerit causa hujus contradictionis? Resp. Fuit hæc: Veri prophetæ quærebant salutem populi Judæorum; ideòque minabantur captivitates et afflictiones, ut populum revocarent à peccatis, et per pœnitentiam Deo reconciliarent. At falsi prophetæ studebant proprio commodo et utilitati; ac proindè, ut populo placerent, et ab eo munera acciperent, promittebant pacem, prosperitatem, et rerum omnium abundantiam. Et sic miserè decipiebant populum. Hoc conqueritur Deus (Isaiæ 3, v. 12): « Populum meum exactores sui « spoliaverunt, et mulieres dominatæ sunt eis. « Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te « decipiunt. » Et Ezech. 13, v. 10: « Deceperunt « populum meum dicentes: Pax, et non est « pax. » Et infrà, v. 19: « Violabant me ad popu- « lum meum propter pugillum hordei, et frag- « men panis, ut interficerent animas. » Et « cap. 22, v. 25: Conjuratio prophetarum in « medio ejus, sicut leo rugiens, rapiensque « prædam, animas devoraverunt, opes et pre- « tium acceperunt. »

Dices: Præter falsos prophetas, qui erant in Jerusalem et Samariâ, fuerunt etiam alii, ut Balaam, Num. 22, v. 5, et 2 Pet. 2, v. 15. Resp. Nos hìc tantùm agimus de illis, qui fuerunt apud Judæos, sive fuerint in Judæâ, sive in Samariâ. Inter eos non fuit Balaam. An autem Balaam, quem constat fuisse gentilem, fuerit propheta Dei, an diaboli, quæstio est. Eugubinus putat fuisse prophetam Dei. Primò, quia rogatus à Balac rege Moabitarum, ut malediceret populo Israel, voluit prius consulere Deum, qui etiam suggessit illi quid faciendum esset. (Num. 23, v. 3.) Secundò, quia Hebræi tradunt fuisse amicum Job (qui in libro Job vocatus est Eliu), et initio quidem fuisse virum sanctum et prophetam Dei; sed posteà propter inobedientiam et avaritiam, factum esse malum. Quod posterius etiam testatur S. Petrus loco citato. Nec obstat, quòd fuerit gentilis, quia multi gentiles à Deo consecuti sunt donum prophetiæ; ut Mercurius, Trismegistus; Sibyllæ apud Ægyptios; Zoroastres apud Persas; Orpheus apud Græcos; Abaris apud Hyperboreos; Zamolxis apud Getas. Alii docent non Dei, sed diaboli prophetam fuisse; quod videtur probabilius. Primò, quia vocatur *ariolus*. (Num. 22, v. 5.) Et ob hanc causam magni auctores aiunt, fuisse malum, ut Cyrillus, lib. 6 de Adoratione; Theodoretus, q. 40; Aug., serm. 103 de Tempore, et alii. Secundò, quia quæsivit augurium. (Num. 24, v. 1.) Et ad illud captandum septem aras exstruxit ipsi Baal, eique victimas immolavit. (Num. 22, v. 41, et cap. 23, v. 1.) Tertiò, quia sicut aliis sæpè maledixerat, ità etiam rogatus à Balac, rege Moabitarum, voluit maledicere populo Israel, et in hunc finem captavit auguria et vaticinia diaboli. At Deus præveniens, occurrit illi, et quasi invitum coegit populo Israelis benedicere, quod alioqui non erat facturus. Quartò, nec verum est Balaam fuisse Eliu amicum Job. Nam Eliu fuit Idumæus, seu ex regione Ausitidis, ut dicunt septuaginta interpretes, cap. 32, Job. 2; Balaam verò fuit ex Mesopotamiâ, ut patet Deut. 23, v. 4. (Vide Cornelium, in cap. 22 Num. v. 5.)

CAPUT IX.

QUOMODO FALSI PROPHETÆ A VERIS DISCERNEBANTUR.

Resp. Duobus modis, ut colligitur ex iis quæ quæst. 3 dicta sunt. 1° Per virtutem miraculorum. Nam veri prophetæ, ut probarent se missos esse à Deo, suam missionem miraculis confirmabant. At falsi non poterant id præstare, ut patet exemplo prophetarum Baal, qui non poterant ignem de cœlo impetrare, ad comburendum sacrificium quod offerebant; Elias autem impetravit. 2° Per veraces prædictiones. Nam veri prophetæ prædicebant aliqua, quæ statìm fiebant; et sic fidem et auctoritatem astruebant sibi apud populum. At falsi falsas habebant prædictiones. Et ex hoc capite populus jubebatur discernere, an quivis qui prophetam se dicebat, missus esset à Deo, necne, ut habetur Deut. 18, v. 22. Quod confirmari potest variis exemplis. Nam prophetæ Baal prædixerunt regi Israel: « Ascende in Ramoth Galaad, et vade « prosperè, et tradet Dominus in manus regis. » 3 Reg. 22, v. 12. Quod tamen non est factum. Similiter Hananias prædixit: « Hæc dicit Do- « minus exercituum Deus Israel: Contrivi ju- « gum regis Babylonis. Adhuc duo anni dierum, « et ego referri faciam ad locum istum omnia « vasa domùs Domini, quæ tulit Nabuchodo- « nosor, rex Babylonis, de loco isto, et transtulit « ea in Babylonem. » Jerem. 28, v. 2-3. Neque hoc factum. Idem dici potest de Achab, Sede-

ciâ, Semeiâ et aliis, quorum prædictiones constat fuisse falsas.

Quæstio prima. — *Quid de Pythonibus et Pythonissis sentiendum?* — De illis exstant aliqua Scripturæ testimonia, quæ hic recensebo. Primum est, Deut. 18, v. 9 et seq. : « Quandò « ingressus fueris terram quam Dominus Deus « tuus dabit tibi, cave ne imitari velis abomi- « nationes illarum gentium, nec inveniatur in « te, qui lustret filium suum, aut filiam, ducens « per ignem; aut qui ariolos sciscitetur, et ob- « servet somnia atque auguria, nec sit male- « ficus, nec incantator, nec qui pythones con- « sulat, nec divinos, aut quærat à mortuis « veritatem. Omnia enim hæc abominatur « Dominus, et propter istiusmodi scelera dele- « bit os in introitu tuo. » Secundum est 1 Reg. 28, v. 3 et seq..... « Saül abstulit magos et « ariolos de terrâ. Congregatique sunt Phi- « listiim..... et vidit Saül castra Philistiim, et « timuit, et expavit cor ejus nimìs. Consuluit- « que Dominum, et non respondit ei neque « per somnia, neque per sacerdotes, neque per « prophetas. Dixitque Saül servis suis : Quæ- « rite mihi mulierem habentem pythonem, et « vadam ad eam, et sciscitabor per illam. Et « dixerunt servi ejus ad eum : Est mulier « pythonem habens in Endor. Mutavit ergò « habitum suum : vestitusque est aliis vesti- « mentis, et abiit ipse, et duo viri cum eo, ve- « neruntque ad mulierem nocte, et ait illi : « Divina mihi in pythone, et suscita mihi quem « dixero tibi. » Tertium est 4 Reg. 21, v. 6 : « Traduxit (Manasses) filium suum per ignem; « et ariolatus est, et observavit auguria, et fe- « cit pythones, et aruspices multiplicavit. » Quartum est 4 Reg. 23, v. 24 : « Sed et « pythones et ariolos, et figuras idolorum, et « immunditias et abominationes, quæ fuerant « in terrâ Juda et Jerusalem, abstulit Josias. » Quintum, Isaiæ 8, v. 19 : « Cùm dixerint ad « vos : Quærite à pythonibus, et à divinis, « qui strident in incantationibus suis; num- « quid non populus à Deo suo requiret, pro « vivis à mortuis? » Sextum, Isaiæ 19, v. 3 : « Dirumpetur spiritus Ægypti in visceribus « ejus, et consilium ejus præcipitabo : et in- « terrogabunt simulacra sua, et divinos suos, « et pythones, et ariolos. » Septimum, Isaiæ 29, v. 4 : « Humiliaberis, de terrâ loqueris, et « de humo audietur eloquium tuum; et erit « quasi pythonis de terrâ vox tua, et de humo « eloquium tuum mussitabit. » Octavum, Act. 16, v. 16 et seq. : « Factum est autem eunti- « bus nobis ad orationem, puellam quamdam « habentem spiritum pythonem obviare nobis, « quæ quæstum magnum præstabat dominis « suis divinando. Hæc subsecuta Paulum, et « nos, clamabat dicens : Isti homines servi « Dei excelsi sunt, qui annuntiant vobis viam « salutis. Hoc autem faciebat multis diebus. « Dolens autem Paulus, et conversus, spiritui « dixit : Præcipio tibi in nomine Jesu Christi « exire ab eâ. Et exiit eâdem horâ. »

Circa hæc testimonia solent multa disputari. 1° Quid sit lustrare filium, vel filiam per ignem? 2° Qui dicantur arioli, aruspices, pythones, divini, incantatores? 3° Quid somnium et augurium? 4° Quid sit quærere veritatem à mortuis? Et quæ similia sunt. Nobis sufficiat explicare, quod proposui, nempè qui sint pythones et pythonissæ. Nihil dicam de etymologiâ nominis, sed de usu. Usus obtinuit, ut illi dicantur pythones, qui ex instinctu dæmonis divinant de rebus futuris. Et quidem, si viri sunt, vocantur pythones, pythonici, pythii : si feminæ, pythonissæ, pythæ, pythonem aut spiritum pythonis habentes. Ut hoc meliùs intelligatur, notanda sunt quæ sequuntur. Prædictio futurorum, quatenùs excedit captum humanum, duplex est : una fit ex instinctu Dei, altera ex instinctu dæmonis. Prior ordinariè vocatur prophetia, à quâ prophetæ; posterior, divinatio, à quâ divini dicti sunt. D. Thom. in 2-2 q. 85, a. 1 et 2. Rursùm, divinatio duplex est, una per explicitam; altera per implicitam dæmonis invocationem. Tunc aliquis censetur explicitè invocare dæmonem, quandò vel expressis verbis illum invocat; vel cum eo pactum init; vel aliquid reipsà facit ex pacto jam inito : sciens et volens aliquid usurpat, quo dæmon solet futura prædicere. Tunc implicitè, quandò id quod occultum est seu tacitè, conatur investigare per media vana et indebita, quæ per se nihil prosunt ad certam futurorum cognitionem. Tametsi enim in tali casu non petat expressè subsidium à dæmone, tamen dæmon spontè se ingerit, et homini curioso persuadet eventurum id, quod per hujusmodi vana et indebita media futurum esse significatur. (D. Th. ibid., a. 3; Sanchins, lib. 2, Moral., cap. 48, n. 5; et alii ab illo citati.) Prior divinatio, quæ est per explicitam dæmonis invocationem, variis modis fieri solet, prout variis modis dæmon consulitur, aut respondet. Primò, consulitur per suos pythones et pythonissas, de quibus nunc agimus, et tunc per eosdem respondet. Quomodò autem respon-

deat, quæstio est. Quamvis enim certum sit dæmonem præsentem esse in ventre pythonicorum et pythonissarum, tamen non satis constat inter auctores an loquatur per os eorum, more humano; an verò per umbilicum, aut vicinas partes. Aliqui hoc, aliqui illud asserunt. Nec obstat, quòd veteres ventriloquium appellent: hoc enim potest utroque sensu accipi; vel quòd loquatur per umbilicum, aut vicinas partes, quæ circà ventrem sunt, vel quòd vox illius, tametsi exeat per os, humano more, tamen ex imo ventre prodire videatur. (Vide Lorinum, in cap. 16 Act., v. 16.) Secundò, consulitur per sacrificia animalium, et tunc respondet per signa quædam apparentia in extis animalium. Hoc genus divinandi vocatur aruspicium : undè aruspices dicti sunt. Tertiò, consulitur per invocationem et preces in idolis; et tunc respondet per idola; quod vocatur oraculum. Quartò, consulitur per somnia; ut quandò quis cubat, vel certo loco, vel cum certâ unctione, vel cum aliis cæremoniis, eo fine, ut inter somniandum accipiat à dæmone notitiam rerum futurarum. Quintò, consulitur per præstigium; ut quandò dæmon ex pacto apparet alicui in externâ formâ, quæ oculos præstringat, et de occultis illum instruit. Sextò, per varia signa, sive in corporibus terrestribus apparentia, ut in ligno, metallo, lapide : sive in aere, sive in aquâ, sive in igne. Septimò, per mortuos; ut quandò quis petit à dæmone excitari mortuum, qui respondeat de aliquo futuro eventu. Sic fecit Saül, petens à Pythonissâ, ut ope diaboli suscitaret Samuelem. (1 Reg. 28, v. 11.) An autem Samuel apparuit ope dæmonis, an potiùs virtute Dei, quæstio est alterius loci. (Vide D. Th. 22, q. 195, art. 4, ad 2; Sanchium, loc. suprà cit., et Lessium, cap. 43, dub. 5.)

QUÆSTIO II. — *An etiam in novo Testamento sint veri et falsi prophetæ?* — Novum Testamentum incipit à Christo et apostolis. Est ergò quæstio, an à tempore Christi et apostolorum fuerint aliqui prophetæ, qui futura prædixerint? Ratio dubitandi sumitur ex illo Matth. 11, v. 13 : *Omnes enim prophetæ et lex usque ad Joannem prophetaverunt.* Ergò nullus post Joannem Baptistam prophetavit. Item ex illo Hebr. 1, v. 1-2 : *Olim Deus loquens Patribus in prophetis; novissimè, diebus istis locutus est nobis in Filio,* quasi dicat : Olim loquebatur per prophetas, jam non ampliùs per prophetas, sed per Filium. Resp. In novo Testamento sunt etiam veri et falsi prophetæ. Veri sunt hi : Primò, Christus ipse, qui prædixit suam mortem et passionem. (Matth. 20, v. 19.) Crucifixionem. (Joan. 3, v. 14, et cap. 8, v. 28, cap. 12, v. 23.) Ascensionem. (Joan. 3, v. 13, et cap. 6, v. 63.) Spiritûs sancti missionem. (Joan. 7, v. 39, et cap. 14, v. 16, et cap. 15, v. 26.) et multa alia. Secundò, Joannes evangelista, qui prædixit multa in Apocalypsi, quæ, teste Hieronymo in epist. ad Paulin., *tot habet sacramenta, quot verba.* Tertiò, Paulus apostolus, qui duo potissimùm prædixit : Primò, sua vincula. Act. 20, v. 23 : *Spiritus sanctus per omnes civitates mihi protestatur, dicens : Quoniam vincula, et tribulationes Jerosolymis me manent.* Deindè suam et sociorum liberationem à tempestate maris. Act. 27, v. 22, et seq. : « Et « nunc suadeo vobis bono animo esse. Amissio « enim nullius animæ erit ex vobis, præter- « quàm navis. Adstitit enim mihi hâc nocte « Angelus Dei, cujus sum ego, et cui deservio, « dicens : Ne timeas : Paule, Cæsari te oportet « assistere : et ecce donavit tibi Deus omnes, « qui navigant tecum. Propter quod bono ani- « mo estote, viri : Credo enim Deo, quia sic « erit quemadmodùm dictum est mihi. » Quartò, Agabus, qui etiam duo legitur prædixisse. Primò, futuram famem. Act. 11, v. 27, 28 : « In his autem diebus supervenerunt « ab Jerosolymis prophetæ Antiochiam : et « surgens unus ex eis nomine Agabus, signifi- « cabat per spiritum, famem magnam futu « ram in universo orbe terrarum, quæ facta « est sub Claudio. » Secundò, Paulum à Judæis vinciendum. Act. 21, v. 10-11 : « Super- « venit quidam à Judæâ propheta, nomine « Agabus. Is cùm venisset ad nos, tulit zonam « Pauli : et alligans sibi pedes et manus, dixit : « Hæc dicit Spiritus sanctus : Virum cujus est « zona hæc, sic alligabunt in Jerusalem Judæi, « et tradent in manus Gentium. » Quintò, filiæ Philippi diaconi, de quibus, Act. 21, v. 9 : *Huic* (Philippo) *erant quatuor filiæ virgines prophetantes.* Quid prophetaverint, non constat. Nec audiendus Lutherus, qui in libro de abrogandâ Missâ privatâ, ait, *fuisse prophetantes,* id est, prædicantes seu docentes verbum Dei; ut indè convincat, etiam mulieres posse docere et concionari, quod est contrà Apostolum 1 Tim. 2, v. 11-12 : *Mulier in silentio discat cum omni subjectione. Docere autem mulieri non permitto.* Et 1 ad Corinth. 14, v. 34 : *Mulieres in Ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse.* Præter hos prophetas novi Testamenti, quorum fit mentio in Se

pluris, fuerunt multi alii post tempora Apostolorum, qui etiam prophetiæ donum consecuti sunt : de quibus videri possunt vitæ sanctorum et martyrologia. Porrò prophetæ novi Testamenti partim conveniunt cum vetere Testamento, partim ab eis discrepant. In duobus conveniunt. Primò, quòd utrique vel per miracula, vel per veracem prædictionem, probaverint, se à Deo missos esse. Secundò, quòd aliquandò verbis, aliquandò externis signis futura prædixerint. Hoc posteriori modo multa prædixerunt Isaias, Jeremias, Ezechiel, Oseas, Agabus et alii. Isaias quidem, dùm nudus et discalceatus ambularet per plateas. (C. 20, v. 2.) Jeremias, dùm indueret lumbare lineum, et posteà absconderet illud juxtà Euphratem in foramine petræ, et putrefactum indè extraheret. (Cap. 13, à v. 1 usque ad 12.) Ezechiel, dùm in latere describeret obsidionem civitatis Jerusalem, et panem stercore conspersum comederet. (Cap. 4, v. 1 et seq.) Oseas, dùm acciperet uxorem fornicariam, et ex eâ prolem generaret. (Cap. 1, v. 2.) Agabus, dùm alligaret manus et pedes suos zonâ Pauli apostoli. (Act. 21, v. 11.) In eo discrepant, quòd prophetæ veteris Testamenti prophetaverint de Christo venturo. Prophetæ novi Testamenti de aliis rebus, quæ post Christum futuræ erant. Undè illud, quod initio objiciebatur : *Omnes prophetæ usque ad Joannem prophetaverunt,* sic debet intelligi : omnes usque ad Joannem, prophetaverunt de venturo Christo; Joannes Christum præsentem demonstravit : *Ecce Agnus Dei; ecce qui tollit peccata mundi.*

Hæc de veris prophetis. De falsis generatim loquitur Christus, Matth. 7, v. 15-16 : *Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces : à fructibus eorum cognoscetis eos.* Et Matth. 24, v. 11 : *Multi pseudo-prophetæ surgent, et seducent multos.* Et Joan. epist. 1, cap. 4, v. 1 : *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint; quoniam multi pseudo-prophetæ exierunt in mundum.* Talis fuit Elymas magus (aliter Barjesu) quærens Sergium proconsulem avertere à fide. (Actor. 13, v. 6.) Tales Hymenæus et Philetus, qui docebant resurrectionem esse jam factam, et subvertebant quorumdam fidem. (2 Tim. 2, v. 17.) Tales illi, de quibus apostolus ad Gal. 1, v. 7 : *Sunt aliqui, qui vos conturbant.* Tales Marcus, Montanus, Marcianus, apud Baronium, tom. 2 Annal. Tales deniquè, ut uno verbo dicam, omnes hæretici, non modò veteres, sed etiam moderni, qui simillimi sunt falsis prophetis in vetere Testamento. 1° Quia falsi prophetæ dicebant se missos esse à Deo. 2° Non poterant probare se missos esse. 3° Semper fausta, et quæ populo grata erant, vaticinabantur, ut pacem, victoriam, fertilitatem, et rerum omnium abundantiam. (Jerem. 14, v. 13.) Et ideò à plerisque libenter audiebantur. Similiter faciunt moderni nostri prophetæ. Primò, aiunt se à Deo missos esse ad reformandam Ecclesiam. Secundò, non possunt probare se missos esse ; nec ullo miraculo, aut veraci prædictione id hactenùs probârunt. Prædixit quidem Lutherus : *Pestis eram vivus, moriens ero mors tua, Papa :* sed fuit mendax prædictio. Mortuus est Lutherus ; vivit adhuc Papa. Tertiò, semper fausta, et quæ populo grata sunt, vaticinantur. Eorum vox est : Per fidem salvabimini ; bona opera nihil proderunt; non opus est jejuniis et castigatione corporis; crescite et multiplicamini ; si non vult uxor, veniat ancilla. Hanc vocem plerique libentiùs audiunt, quàm illam Christi et Apostolorum : « Pœnitentiam agite. Mortificate membra vestra, « quæ sunt super terram. Abstinete à carnalibus desideriis. Sobrii estote, et vigilate. »

CAPUT X.

DE RELIGIOSIS SYNAGOGÆ, QUI ERANT NAZARÆI, ET RECHABITÆ.

Præter Levitas, sacerdotes, Pontificem, et prophetas, de quibus dictum est : erant etiam alii in vetere Testamento qui à communi populo distinguebantur. Primò quidem, Nazaræi et Rechabitæ, qui erant quasi Religiosi. Deindè Esseni, Pharisæi et Sadducæi, qui erant quasi sectarii. De utrisque agendum est. De prioribus in hoc capite. De posterioribus in sequenti.

Nazaræi. — Igitur Nazaræi, apud Judæos, erant homines religiosi (seu viri, seu feminæ), qui voto se consecrabant Deo, se à communi aliorum consuetudine separabant. Erant autem duplices. Alii temporarii, qui ad certum tempus obligabant se voto, ut ad unum mensem, duos, tres, vel ultrà. (Num. 6, v. 13 et seq.) Alii perpetui, qui ad totam vitam erant obstricti, ut Samson et Samuel. (Judic. 13, v. 7, et 1 Reg. 1, v. 28.) Vocabantur autem Nazaræi, id est, separati, consecrati, comati (Cornelius in cap. 6 Num., v. 9, et Castrius in cap. 4 Lamentat. Jerem.) ; et poterant esse ex quâvis tribu ; nec, quatenùs præcisè erant Nazaræi, ad ullam leviticam aut

sacerdotalem functionem obligabantur. (Serarius in cap. 13 Judic., q. 5.) Statuta eorum describuntur à Moyse, Num. 6, per totum. Erant autem hæc. 1° Abstinebant à vino, et ab omni potu, qui inebriare potest; itemque ab aceto, et uvis, tàm siccis quàm recentibus. 2° Alebant comam toto tempore separationis suæ; vel, ut Scriptura loquitur : *Novacula non transibat per caput eorum.* 3° Non ibant ad funus vel cadaver mortui, nequidem patris aut matris; et generatìm, non debebant super mortuo contaminari. 4° In fine voti seu separationis (quod intelligendum est de temporariis), offerebant ad ostium tabernaculi tres victimas, 1° Agnum anniculum in holocaustum. 2° Agnam anniculam in sacrificium pro peccato. 3° Arietem in hostiam pacificam. Et præter hæc, canistrum panum azymorum, qui conspersi erant oleo; et lagana absque fermento uncta oleo; ac libamina singulorum. His peractis, radebantur antè ostium tabernaculi, et capilli eorum, qui erant Deo consecrati, igne comburebantur. Et sic erat finis voti ac separationis. (Vide ejusdem capitis v. 15 et seq.) Circà tertium statutum, notandum est, Judæos variis modis solere contaminari super mortuo. 1° Si essent in domo, in quà quis erat moriturus. 2° Si tangerent cadaver mortui, aut ossa illius. 3° Si attingerent vasa, quibus fuerat usus. 4° Si tangerent illius sepulchrum. 5° Si irent ad funus mortui. (Num. 19, v. 11 et seq.) His omnibus modis contaminabantur etiam Nazaræi; et insuper alio peculiari modo, si nimirùm essent in aliquo loco, ubi quis moreretur. Si ergò aliquo istorum modorum fuissent contaminati tempore separationis suæ, debebant raso capite, et oblato sacrificio expiari, et de novo consecrari, non secùs ac si anteà non fuissent Nazaræi. (Num. 6, v. 9.) Itaque si quis illorum vovisset separationem per decem menses, et in aliquo istorum mensium fuisset contaminatus, debebat ab initio inchoare decem menses, perindè ac si anteà non fuisset separatus. (Num. 6, v. 12.) Erant autem Nazaræi in magno honore apud Judæos; et meritò, nam ipsemet Deus per prophetam Amos, cap. 2, v. 10, recensens beneficia, quæ præstiterat populo Judæorum, commemorat potissimùm hæc tria. « 1° Ego sum qui ascen« dere vos feci de terrâ Ægypti. 2° Duxi vos in « deserto quadraginta annis, ut possideretis « terram Amorrhæi. 3° Suscitavi de filiis ve« stris in prophetas, et de juvenibus vestris « Nazaræos. » Quod etiam confirmatur ex lib. 1 Mach. 3, v. 49-50. Cùm enim Judæi congregati essent in Masphâ, et audirent appropinquare exercitum Antiochi regis, maximè fuerunt solliciti de Nazaræis, ut illi in tuto collocarentur. Textus sic habet : « Attulerunt « ornamenta sacerdotalia, et primitias, et de« cimas; et suscitaverunt Nazaræos, qui im« pleverant dies; et clamaverunt voce magnâ « in cœlum, dicentes : Quid faciemus istis, et « quò eos ducemus? »

Quæres 1° Quamdiù duraverit institutum Nazaræorum? Resp. Duravit ab initio legis Mosaicæ, usque ad tempora apostolorum; nam Moyses descripsit illorum institutum, ut paulò antè dixi. Et Paulus apostolus cum quibusdam aliis hoc institutum amplexus est, ut patet Act. 18, v. 18. Et Act. 21, v. 23. Nec obstat, quòd Joseph patriarcha, qui diù vixit antè legem Mosaicam, vocetur Nazaræus. (Gen. 49, v. 26.) Non enim vocatur Nazaræus ratione instituti seu voti, sed ratione vocabuli; quia Nazaræus idem est quod separatus. Joseph autem fuit separatus à fratribus. Et quidem multis modis. 1° Moribus et innocentià. 2° Conversatione, quia fratres oderant illum, et abhorrebant ab illius consortio. 3° Loco, quia fuit venditus in Ægyptum, et per multos annos separatus à fratribus habitantibus in Chanaan. 4° Carcere, in quo mansit intonsis crinibus; ac quasi Deo relictus et consecratus. (Vide Cornelium in cap. 49 Gen., v. 26.)

Quæres 2° : Qui apud Christianos sint similes Nazaræis Judæorum? Resp. Religiosi, quorum typum seu figuram gesserunt Nazaræi, ut notat Nazianzenus orat. in laudem S. Basilii, Gregorius lib. 2. Moral. cap. 39, D. Th. in 2-2, q. 186, a. 6. Figura consistit in his : Primò, sicut Nazaræi speciali gratiâ à Deo suscitabantur (Amos 2, v. 11), ità etiam Religiosi. 2° Sicut illi erant separati à communi hominum convictu et consuetudine, ità et hi. 3° Sicut illi ratione voti, abstinebant à vino et omni potu, qui inebriare potest, ità et hi, ratione voti, sectantur paupertatem et frugalitatem. 4° Sicut illi cavebant ab omni immunditiâ legali, etiam minimâ, ità et hi à minimâ labe peccati. 5° Sicut illi non ibant ad funera parentum suorum, ità et hi deponunt omnem affectum carnalem ergà parentes et amicos. 6° Sicut illi alebant in capite comam Deo consecratam; ità et hi alunt pias meditationes de rebus ad Deum pertinentibus. 7° Sicut illi, quia Deo consecrati erant, à populo honorabantur, ità et hi. Denique sicut illi in fine separationis

offerebant Deo victimas immaculatas, ità et hi in fine vitæ offerunt Deo animas immaculatas. (Vide eumdem Cornelium in cap. 6 Num., v. 9.)

Rechabitæ. — Rechabitæ dicti sunt à Rechab, qui fuit pater Jonadab. Hic Jonadab præcepit filiis et posteris suis hæc tria. 1° Ut non biberent vinum. 2° Ut non ædificarent domos, sed habitarent in tabernaculis. 3° Ut non sererent sementem, nec plantarent vineas. Quæ omnia accuratissimè ipsi servabant. (Jer. 35, v. 6 et seq.) Ob hanc causam monachi à D. Hieron. appellati sunt. (Epist. 13 ad Paulinum.)

Vixit autem Jonadab sub Jehu, rege Israel; nam 4 Reg. 10, v. 15 et seq. sic legimus: « Cùmque abiisset indè (nempè Jehu) invenit « Jonadab, filium Rechab, in occursum sibi, « et benedixit ei. Et ait ad eum: Numquid est « cor tuum rectum, sicut cor meum cum corde « tuo? Et ait Jonadab: Est. Si est, inquit, da « manum tuam. Qui dedit ei manum suam. At « ille levavit eum ad se in currum; dixitque « ad eum: Veni mecum, et vide zelum meum « pro Domino. Et impositum in curru suo duxit « in Samariam, etc. » Porrò Rechab, à quo dicti sunt Rechabitæ, fuit filius Hemath, ducens originem ex socero Moysis Raguele, qui alio nomine dictus est Jethro, princeps Madian (Exod. 3, v. 1) et Cinæus, quia erat ex stirpe Cin. (Judic. 1, v. 16.) Undè sæpè pro eodem usurpantur hæc duo nomina, Cinæi, et Rechabitæ; ut 1 Paralip. 2, v. 55. *Hi sunt Cinæi, qui venerunt de calore patris domûs Rechab.* Vel ut Hebræi et Septuaginta dicunt: *Qui venerunt de Hemath patre domus Rechab,* id est, familiæ Rechabitarum. Quòd autem Deo placuerit institutum Rechabitarum, apertè constat ex Jerem. 35, v. 1 et seq. ubi sic legimus: « Verbum quod factum est ad Jeremiam à Do- « mino, in diebus Joakim filii Josiæ regis Ju- « da, dicens: Vade ad domum Rechabitarum; « et loquere eis, et introduces eos in domum « Domini in unam exedram thesaurorum, et « dabis eis bibere vinum..... Et introduxi eos « in domum Domini..... Et posui coràm filiis « domûs Rechabitarum scyphos plenos vino, « et calices; et dixi ad eos: Bibite vinum. Qui « responderunt: Non bibemus vinum; quia « Jonadab, filius Rechab, pater noster, præ- « cepit nobis, dicens: Non bibetis vinum vos, « et filii vestri usque in sempiternum: et do- « mum non ædificabitis, et sementem non se- « retis, et vineas non plantabitis, nec habebi- « tis; sed in tabernaculis habitabitis cunctis « diebus vestris, ut vivatis diebus multis super « faciem terræ, in quâ vos peregrinamini. « Obedivimus ergò voci Jonadab, filii Rechab, « patris nostri, in omnibus quæ præcepit no- « bis, ità ut non biberemus vinum cunctis die- « bus nostris nos, et mulieres nostræ, filii, et « filiæ nostræ; et non ædificaremus domos ad « habitandum; et vineam, et agrum, et se- « mentem non habuimus: sed habitavimus in « tabernaculis, et obedientes fuimus, juxtà om- « nia, quæ præcepit nobis Jonadab pater no- « ster... Et factum est verbum Domini ad Je- « remiam dicens: Hæc dicit Dominus exerci- « tuum, Deus Israel: Vade, et dic viris Juda, « et habitatoribus Jerusalem: Numquid non « recipietis disciplinam, ut obediatis verbis « meis, dicit Dominus? Prævaluerunt sermo- « nes Jonadab, filii Rechab, quos præcepit fi- « liis suis, ut non biberent vinum, et non bi- « berunt usque ad diem hanc, quia obedierunt « præcepto patris sui. Ego autem locutus sum « ad vos, de mane consurgens et loquens, et « non obedistis mihi. Misique ad vos omnes « servos meos prophetas, consurgens diluculo, « mittensque et dicens: Convertimini unus- « quisque à viâ suâ pessimâ, et bona facite « studia vestra.... Et non inclinâstis aurem « vestram, neque audistis me. Firmaverunt « igitur filii Jonadab, filii Rechab, præceptum « patris sui, quod præceperat eis. Populus « autem iste non obedivit mihi. Idcircò hæc « dicit Dominus exercituum, Deus Israel: « Ecce ego adducam super Juda, et super om- « nes habitatores Jerusalem universam afflic- « tionem, quam locutus sum adversùm illos, « eò quòd locutus sum ad illos, et non audie- « runt; vocavi illos, et non responderunt mi- « hi. Domui autem Rechabitarum dixit Jere- « mias: Hæc dicit Dominus exercituum, Deus « Israel, pro eo quòd obedistis præcepto Jo- « nadab, patris vestri, et custodistis omnia « mandata ejus, et fecistis universa, quæ præ- « cepit vobis; propterea hæc dicit Dominus « exercituum, Deus Israel: Non deficiet vir de « stirpe Jonadab, filii Rechab, stans in con- « spectu meo cunctis diebus. » Ubi tria notanda sunt: 1° præceptum illud, quod datum fuit Rechabitis, fuisse difficillimum. Quid enim difficilius, quam viros et uxores, filios et filias, non tantùm ad breve tempus, more Nazaræorum, sed in perpetuum abstinere ab omni vino, nunquàm habitare in domibus, nunquàm plantare vineas? 2° Hoc præceptum non fuisse di-

vinum, sed humanum, ut patet ex antithesi, quam Deus facit. Sic enim argumentatur : Si Rechabitæ servant præceptum, quod ab homine acceperunt, quantò magis Judæi debebant servare præceptum, quod à Deo acceperunt? 3° Rechabitas non solùm rectè ac laudabiliter fecisse, quòd observârint præceptum parentis sui Jonadab, sed etiam meritos esse à Deo peculiarem benedictionem, sicut è contrario, Judæos meritos esse pœnam et afflictionem. Nam Rechabitis dicitur : *Non deficiet vir de stirpe vestrâ, stans in conspectu meo cunctis diebus.* Judæis autem : *Ego adducam super vos afflictionem.* Hinc si sapiunt, colligant adversarii nostri hæc pauca : 1° præcepta hominum non esse contemnenda. 2° Sicut Rechabitæ laudabiliter fecerunt, servando præceptum parentis sui Jonadab, ità laudabiliter facere Catholicos, servando præceptum Matris Ecclesiæ. Imò tantò laudabiliùs, quantò major est auctoritas Ecclesiæ, quàm privati hominis. 3° Catholicos propterea non deficere (deficientibus Manichæis, Pelagianis, Donatistis, et aliis hæreticis), quia servant præcepta Ecclesiæ; et quò quisque accuratiùs ea servat, eò majoribus à Deo beneficiis cumulari. Alios verò propterea sensìm deficere, quia ex unâ parte contemnunt præcepta Ecclesiæ, in quo deficiunt à Rechabitis; et ex alterâ, non servant præcepta decalogi, in quo similes sunt Judæis. Et ut aliquam suæ ignaviæ prætexant excusationem, aiunt præcepta Decalogi esse impossibilia. In quo fingunt Deum tyrannum, quasi præcipiat homini sub gravi pœnâ, quod ab homine præstari nullo modo possit.

CAPUT XI.

DE SECTARIIS SYNAGOGÆ, QUI ERANT PHARISÆI SADDUCÆI, ESSENI.

Communis sententia est, tres fuisse Judæorum sectas, nempè Pharisæorum, Sadducæorum et Essenorum. Ità Flavius Josephus, lib. 2, cap. c. 12; Hieron. lib. 2 contrà Jovinianum; Chrysost. Theophylact. OEcumenius in cap. 22 Actuum Apostolorum; Abulensis in cap. 3 Matth., q. 63; Serarius lib. 1 Trihæresii, c. 3 et alii. De hoc triplici sectariorum genere breviter agendum est hoc ordine. 1° Undè dicti sint Pharisæi? 2° Ex quâ tribu et familiâ fuerint? 3° Quæ fuerint illorum dogmata? 4° Qui mores et instituta? 5° Quandò et quo auctore cœperint? 6° An fuerint distincti à Scribis? 7° Sadducæi undè dicti? 8° Quæ illorum dogmata et instituta? 9° Qui hoc tempore similes Pharisæis et Sadducæis? 10° Esseni undè dicti, et quæ illorum dogmata et instituta?

QUÆSTIO PRIMA.—*Undè dicti sint Pharisæi?* — Dicti sunt Pharisæi à Parasch, quod tria significat. 1° Expandere seu explicare. 2° Exponere, declarare, interpretari. 3° Dividere seu separare. Hæc tria conveniebant Pharisæis. 1° Quia expandebant seu explicabant se oculis hominum, ut fierent conspicui, et illustres in populo. *Dilatabant enim phylacteria sua :* amabant salutationes in foro; primum locum ambiebant in conviviis. (Matth. 23, v. 5.) 2° Exponebant et interpretabantur legem Mosaicam. Quò pertinet illud : *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi.* (Matth. 23, v. 2.) 3° Separabant se ab aliis, quasi sanctiores, et peritiores essent. Undè Hieron. lib. tradit. in Genesin : « Pharisæi, inquit, qui « se quasi justos separaverunt, divisi appellantur. » Et Aug. serm. 15, de verbis Apostoli : « Primarii quidam erant, et quasi ad nobilitatem judaicam segregati, non contemptibili « plebi commixti, qui dicebantur Pharisæi. « Nam dicitur hoc verbum segregationem interpretari; quomodò in latinâ linguâ egregius, quasi à grege separatus. » Vide Maldonat. in cap. 3 Matth., v. 7, et Serar., lib. 2 Trihæresii, cap. 1.

QUÆSTIO II. — *Ex quâ tribu et familiâ fuerint Pharisæi?* — Respondeo. Poterant esse ex omni tribu et familiâ. Nam illorum institutum non erat alligatum ad certam tribum, sicut institutum Levitarum et sacerdotum erat alligatum ad tribum Levi; nec ad certam familiam, sicut institutum pontificum erat alligatum ad familiam Aaron, et quidem ad primogenituram illius familiæ, ut suprà dictum est. Undè Chrysostomus, in cap. 15 Matth. ait : « Per omnes « tribus, in duodecim partes disseminati erant « Pharisæi » Et patet in exemplis. Nam Paulus fuit ex tribu Benjamin, ut ipse de se fatur. Philip. 3, v. 5. *Circumcisus octavo die, ex genere Israel, de tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis, secundùm legem Pharisæus.* Hircanus et Flavius Josephus ex tribu Levi; et alii ex aliis tribubus.

Quæres, an fuerint ex ordine nobilium, an plebeiorum? Respondeo : Ex utroque poterant esse. Porrò nobilitas apud Judæos, ex triplici potissimùm capite æstimabatur. Primò, ex zelo religionis judaicæ. Hoc sensu Paulus fuit nobilis Pharisæus; nam et contrà nascentem Christi Ecclesiam, et contrà hæresim Sadducæorum, zelosè pugnabat pro suâ religione,

Philip. 3, v. 5-6... *Secundùm legem Pharisæus secundùm æmulationem persequens Ecclesiam Dei.* Et Act. 23, v. 6 : *Sciens autem Paulus, quia una pars esset Sadducæorum, et altera Pharisæorum, exclamavit in concilio : Viri fratres, ego Pharisæus sum, filius Pharisæorum,* etc. Undè August. serm. 15, de Verbis Apostoli, introducit Paulum de se loquentem his verbis : « Non eram piger Judæus. Quidquid erat, « quod legi meæ adversarium videbatur, im« patienter ferebam, acriter insequebar. » Et mox subjungit : « Hæc apud Judæos nobilitas. » Secundò, ex eminentiâ honoris. Sic Nicodemus fuit nobilis Pharisæus, de quo Joan. 3, v. 1 : *Erat autem homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Judæorum.* Porrò principes Judæorum vocabantur, vel, qui inter Judæos erant locupletissimi, vel certè, qui erant capita familiarum ; sicut etiam principes sacerdotum dicti sunt, qui sacerdotalium familiarum erant capita, ut notat Maldonatus in commentario illius loci. Tertiò, dignitate sacerdotali. Sic Hircanus et Flavius Josephus (1) fuerant nobiles Pharisæi, quia summi sacerdotes. Sic etiam illi, qui ad Joannem Baptistam legatione functi sunt, de quibus Joan. 1, v. 19 : *Miserunt Judæi ab Jerosolymis sacerdotes et Levitas ad eum, ut interrogarent eum : Tu quis es?* Posteà subditur; ibid. v. 24 : *Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis.* Hinc constat aliquos Pharisæorum fuisse Levitas, alios sacerdotes, alios Pontifices. Addo, alios etiam Scribas et legis doctores, ut quæst. 6 videbimus.

Quæstio iii. — *Quæ fuerint dogmata Pharisæorum?* — Magna difficultas est, an doctrina Pharisæorum fuerit vera an falsa? Falsam fuisse insinuat Christus, Matth. 16, v. 6, cùm ait : *Cavete à fermento Pharisæorum et Sadducæorum;* ubi per fermentum intelligit doctrinam eorum, ut patet ex sequentibus verbis v. 12 : *Tunc intellexerunt* (Apostoli) *quia non dixerit cavendum à fermento panum, sed à doctrinâ Pharisæorum et Sadducæorum.* Contrà, veram fuisse, insinuat Matth. 23, v. 2-3, cùm ait : *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate et facite.* Hoc non dixisset, si doctrina illorum fuisset falsa. Eòdem spectat illud apostoli Pauli Act. 26, v. 5 : *Secundùm certissimam sectam nostræ religionis vixi Pharisæus.* Si fuit certissima, non potuit esse falsa. Hæc tria testimonia explicanda sunt, et ex eorum explicatione patebit, quid de propositâ quæstione statuendum sit. Illud igitur : *Cavete à fermento,* id est, *doctrinâ Pharisæorum,* manifestè significat, aliqua saltem eorum dogmata fuisse falsa. Quænam illa fuerint, ex variis auctoribus colligi potest. 1° Docebant omnia fato evenire, ut refert Epiphanius, hæresi 16. 2° Valdè addicti erant astronomiæ ; et majorem, quàm par est, efficaciam tribuebant planetis et sideribus, teste eodem Epiphanio. 3° Dicebant animas justorum migrare de corporibus in corpora, non item animas malorum. (Joseph. l. 2 Capt., cap. 12.) Hinc natus ille Judæorum error, quòd alii dicerent, Christum esse Eliam, alii Jeremiam, alii unum ex aliis prophetis. Putabant enim animam alicujus prophetæ migrâsse in corpus Christi. 4° Nimiùm urgebant traditiones seniorum, inter quas aliquæ erant inutiles. Quod sæpè illis objicit Christus in Evangelio. 5° Malè sentiebant de pietate filiorum ergà parentes, ut cap. 1 explicatum est. 6° Similiter malè de religione juramenti, ibidem. 7° Respuebant baptismum Joannis. (Luc. 7, v. 30.) Negabant Christum esse Deum, et Salvatorem à prophetis promissum : quæ omnia repugnabant veritati. Itaque propter ejusmodi dogmata, meritò dixit Christus : *Cavete à fermento Pharisæorum.* Alterum testimonium est : *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi. Omnia ergò quæcumque dixerint vobis, servate et facite.* Quæritur quid significet illa particula, *omnia?* An absolutè omnia, quæcumque dixerint? Nullo modo. Alioqui oportuisset etiam facere, quæ falsò docebant Pharisæi. Quæ ergò omnia? Variæ sunt interpretationes. Maldonatus sic interpretatur : Omnia quæcumque lex, et Moyses vobis dixerint, Scribis et Pharisæis recitantibus, servate, et facite. Alii sic : Omnia quæcumque Scribæ et Pharisæi, prælegendo libros Moysis dixerint vobis, servate, et facite. Sensus idem est, sed manet quæstio, an omnia, quæ dixerint Scribæ et Pharisæi, recitando verba Moysis, an etiam quæ dixerint, explicando verba Moysis? Hoc posterius multi concedunt, cum hâc limitatione : Quæ dixerint, explicando verba Moysis in cathedrâ, id est, publicâ auctoritate. (Vide Aug. lib. 4 de Doct. Christ., cap. 17, et lib. 16 contrà Faustum, cap. 29, et epist. 166; et Serarium, l. 2 Trihæresii, cap. 6.)

Dices : ergò Judæi debebant credere Christum non esse Prophetam illum quem Deus promisit per Moysen, Deuter. 18, v. 15. Sequela patet;

(1) Josephus sacerdos quidem, at Pontifex nunquam fuit.

quia Scribæ et Pharisæi publicâ auctoritate et in pleno concilio damnârunt Christum, nec agnoverunt pro tali propheta. Si ergò quæcumque illi dicebant publicâ auctoritate, debebant fieri, necesse erat, Judæos non agnoscere Christum, tanquàm Prophetam à Deo promissum. Resp. Propter hanc objectionem, nonnulli aliter explicant verba Christi, nimirùm sic : omnia præcepta legis Mosaicæ, moralia, cærimonialia et judicialia, quæ à Scribis et Pharisæis publicâ auctoritate vobis proponuntur, servate et facite : *Secundùm verò opera eorum nolite facere.* Causam addit : *Dicunt enim, et non faciunt.* Quæ sunt illa, quæ dicunt et non faciunt? Sequitur : *Alligant enim onera gravia, et importabilia* (nempè præcepta legis Mosaicæ, quæ servatu difficilia sunt), *et imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere;* id est, alios onerant multitudine præceptorum; et ipsi nullum ex illis servant. (Vide Chrysostomum in Catenâ aureâ, et Emmanuelem in Notationibus.)

Tertium testimonium est, Act. 26, v. 5...... *Secundùm certissimam sectam nostræ religionis, vixi Pharisæus.* Græcè est, *Acribesatin,* exquisitissimam, accuratissimam. Syriacè primam, seu præcipuam et principalem. Quo sensu id dixerit, quæstio est. Respondeo. Secta Pharisaica dupliciter spectari potest. Primò, quoad primam suam originem et institutionem. Secundò, quoad vitia, quæ posteà irrepserunt. Priori modo fuit certissima et accuratissima; posteriori, in multis erravit, non quòd singuli errârint, sed major pars, ut latiùs explicabo sequenti quæstione.

Quæstio iv. — *Qui fuerint mores et instituta Pharisæorum?* — Hoc generatim constat ex iis, quæ Christus in Evangelio illis objecit; nam 1° vocavit illos hypocritas, avaros, stultos, inanis gloriæ cupidos, sepulchra dealbata, plenos rapinâ et immunditiâ, plenos hypocrisi et iniquitate, serpentes, genimina viperarum, filios gehennæ, generationem malam et adulteram. 2° Dixit de illis : *Nisi abundaverit justitia vestra, plus quàm Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* 3° Objecit illis Matth. 15, v. 3 : *Quarè vos transgredimini mandatum Dei, propter traditionem vestram?* 4° Gravissimè ac sæpius in eos invectus est repetendo illud : *Væ vobis Scribæ et Pharisæi!* (Matth. 23, v. 13; et Luc. 11, v. 42.) Speciatim hæc illis objecta sunt : 1° *Omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus.* (Matth. 23, v. 5.) 2° Quandò dant eleemosynam, vel orant, faciunt hoc publicè in plateis et Synagogis, ut honorificentur ab hominibus. (Matth. 6, v. 2-5.) 3° Isaias 29, v. 13, de illis prædixit : « Appropinquat populus iste « ore suo, et labiis suis glorificat me; cor au« tem ejus longè est à me. (Idem habet Matth. « 15, v. 8.) 4° Dilatant phylacteria sua, et « magnificant fimbrias. (Matth. 23, v. 6-7.) « Amant primos recubitus in cœnis, et primas « cathedras in Synagogis, et salutationes in « foro, et vocari ab hominibus Rabbi. » 6° Claudunt regnum cœlorum antè homines, ibid. v. 13 : *Ipsi enim non intrant, nec introeuntes sinunt intrare,* 23, v. 15. 7° Circumeunt mare et aridam, ut faciant proselytum, et cùm factus fuerit, faciunt eum filium gehennæ duplò quàm seipsos. 8° *Decimant mentham et rutam, et omne olus;* et relinquunt judicium, misericordiam et fidem. 9° Exteriùs mundi sunt; interiùs pleni spurcitiâ. 10° Ædificant sepulchra prophetarum, et dicunt : *Si fuissemus in diebus Patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine Prophetarum.* Itaque testantur se esse filios eorum, qui prophetas occiderunt. Hæc et similia habentur Matth. 23.

Quæres : An omnes Pharisæi fuerint tales? Repeto quod suprà dixi : Aliud est loqui de sectâ Pharisaicâ secundùm se, et quoad primam institutionem; aliud de vitiis quæ posteà irrepserunt. Secta Pharisaica secundùm se, et ex primâ suâ institutione, fuit bona et laudabilis, sive doctrinam, sive mores spectemus. Et hoc sensu intelligitur illud : *Secundùm certissimam sectam nostræ religionis vixi Pharisæus.* At posteà, ut fieri solet, exortæ sunt superstitiones, et falsa dogmata, quibus obnoxii fuerunt posteriores Pharisæi, tempore Christi, ideòque graviter ab eo reprehensi. Non quòd omnes, sed plerique fuerint tales. Nam constat aliquos fuisse immunes ab illis vitiis; ut Nicodemum, Gamalielem, et discipulum ejus Paulum, qui de se ipso scribit Actorum 22, v. 3... « Eruditus juxtà veritatem pater« næ legis. » Et Philip. 3, v. 5-6 : « Secundùm « legem Pharisæus... secundùm justitiam, quæ « in lege est, conservatus sine querelâ. » Idem fit in novo Testamento. Multi ordines religiosi ab initio bonam ac salutarem regulam professi sunt, qui posteà in multis à regulâ deflexerunt; non vitio sui instituti aut vocationis, sed negligentiâ humanæ fragilitatis. Contrà accidit Calvinistis. Qui si primam Calvini doctrinam et institutionem sequantur, boni non esse possunt; sin ab eâ deflectant, melioris vitæ spem ac subsidium habent.

QUÆSTIO V. — *Quando, et quo auctore cœperint Pharisæi?* — Serarius, lib. 2 Trihæresii, cap. 11, putat eos cœpisse antè tempora Jonathæ Machabæi, plus quàm 150 annis antè adventum Christi, quod tripliciter probat: Primò, ex illis Josephi verbis: *Circà hoc tempus* (Jonathæ) *erant tres Judæorum hæreses.* Secundò, quia Pharisæi antiquiores sunt Sadducæis, at hi fuerunt tempore Jonathæ; ergò multò magis illi. Tertiò, quia constat ex historiis, tempore Joannis Hircani, qui vixit 24 annis post Jonathan, fuisse maximum numerum, et auctoritatem Pharisæorum. Ex quo colligi potest, eos cœpisse antè tempora Jonathæ; quia si tunc primùm cœpissent (quod aliqui putant), non potuissent tàm paucis annis in tantum numerum excrescere; præsertìm cùm non nisi viri docti ad eorum sectam admitterentur. Quod attinet ad ipsorum auctorem seu institutorem, putat D. Hieronymus, in cap. 8 Isaiæ, Scribas et Pharisæos à Schammai et Hillel, duobus magnis Synagogæ viris, ortos esse; at Serarius, cap. 12, ab iis quidem propagatos, sed ab aliis initium sumpsisse. Quod etiam sentit Genebrardus in Chronologiâ. Nota, docent Judæi, Moysen in monte Sinaï, non solùm à Deo accepisse legem, quam scripsit; sed etiam intelligentiam legis, quam non scripsit; eamque vivâ voce tradidisse Josue, successori suo. Hunc, eamdem tradidisse senioribus, qui ipsum secuti sunt; hos, prophetis; prophetas, viris magnis Synagogæ, post reditum ex captivitate Babylonicâ. Ex his viris ortam esse sectam Pharisæorum, ac posteà ab Hillel et Schammai propagatam. (Vid. Serar. loco citat.)

QUÆSTIO VI. — *An Pharisæi fuerint distincti à Scribis?* — Tria hìc statuenda sunt. Primò, Scribas fuisse legisperitos, seu legis doctores, qui græcè *nomica* vel *nomodida scaloi* appellati sunt, ut notat Maldonatus in cap. 2 Matth., v. 4, et Serarius, lib. 2 Trihæresii, cap. 7. Et constat ex Luc. 7, v. 30, et Luc. 11, v. 54. Secundò, Scribas, seu legisperitos, fuisse distinctos à Pharisæis, ut passìm patet ex Evangelio. Matth. 23, v. 13: *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi?* Tertiò, aliquandò tamen factum esse, ut iidem simul essent Scribæ et Pharisæi. Scribæ quidem, ratione officii, quia legem docebant; Pharisæi autem, ratione sectæ, quia sectam Pharisæorum profitebantur. Sicut apud nos, aliquandò iidem sunt doctores academici, et Dominicani; doctores, ratione officii: Dominicani, ratione instituti. Hoc patet Matth. 22, v. 34-35: « Pharisæi autem audientes quòd silentium imposuisset Sadducæis, « convenerunt in unum, et interrogavit eum « unus ex eis, legis doctor. » Ecce unus ex Pharisæis erat legis doctor, id est, Scriba. Sic enim interpretatur Marcus cap. 12, v. 28: *Et accessit unus de Scribis.* Nempè ille idem, quem Matthæus dixit esse unum ex Pharisæis. Perindè ac si aliquis de me diceret: Accessit ad eum Becanus, unus ex doctoribus academicis; et alter: Accessit ad eum Becanus, unus ex Jesuitis. Ubi notandum est aliter inter se distingui Scribas et Pharisæos, aliter Pharisæos et Sadducæos; nam Scribæ et Pharisæi distinguuntur inter se, sicut doctores theologiæ et religiosi; vel sicut medici et milites. Nam, sicut fieri potest ut unus idemque homo simul sit doctor theologiæ et religiosus; aut simul medicus et miles; sic etiam ut unus idemque homo simul sit Scriba et Pharisæus, ut ex Evangelio ostensum est. At Pharisæi et Sadducæi distinguuntur inter se, sicut duæ sectæ oppositæ; ità ut nullus Pharisæus simul possit esse Sadducæus; nec ullus Sadducæus simul Pharisæus. Vide Abulensem in cap. 23 Matth., q. 12).

QUÆSTIO VII. — *Undè Sadducæi dicti?* — Resp. Vel à Sadoc, seu Tsadok, primo sectæ illius conditore; vel à Zaddic, seu Tsedeck, quod est justus; quasi nominati essent justi, seu justitiarii. Priorem etymologiam tradunt Philastrus et multi Rabbini apud Serarium, cap. q. 19. Posteriorem Epiphan. hæresi 14: Hieron., in cap. 22 Matth.; Abulensis in idem cap., q. 123. Porrò Sadoc, primus sectæ Sadducæorum auctor, fuit discipulus magni illius et veteris Pharisæi Antigni; sed posteà adjunxit se Dositheo, qui ex Judæo factus fuit Samaritanus, de quo sic scribit Tertul. lib. de Præscript., cap. 45: « Taceo Judaismi hæreticos, Dositheum, inquam, Samaritanum, « qui primus ausus est Prophetas, quasi non « in Spiritu sancto locutos, repudiare. Taceo « Sadducæos, qui ex hujus erroris radice « surgentes, ausi sunt ad hanc hæresim, et « resurrectionem carnis negare. » Vide plura apud Epiphan. hæresi 13.

Ex dictis duo colligo. Primò, Pharisæos antiquiores esse quàm Sadducæos; nam Sadoc, primus auctor Sadducæorum fuit discipulus Antigni, qui erat ex sectâ Pharisæorum. Secundò, Sadducæos aliquo modo ortos esse ex Samaritanis. Nam Sadoc auctor Sadducæorum, desertâ Antigni Pharisæi disciplinâ, confugit ad Dositheum, è Judæo Samaritanum

factum. Non tamen secutus est sectam Dosithei in omnibus; sed nova quædam dogmata commentus est, ut jam videbimus.

QUÆSTIO VIII. — *Quæ fuerint dogmata et instituta Sadducæorum?*—Resp. Hæc potissimùm. Primò, non admittebant Prophetas; aut alios libros veteris Testamenti nisi libros Moysis, ut refert Hieron. in cap. 2 Matth., Tertul. lib. de præscript. cap. 45, Mald. in cap. 3 Matth. v. 7, et alii. Hìnc Christus, disputans contrà Sadducæos de resurrectione mortuorum, non aliis testimoniis quàm Pentateuchi usus est; Quia solum Pentateuchum ipsi pro verâ Scripturâ agnoscebant. Alioqui ex Psalmis et Prophetis potuisset multò clariora testimonia adducere. (Vide Hieron. loco citato.) Secundò, nullam admittebant traditionem, nullam Scripturæ interpretationem à Moyse, vel prophetis, vel doctoribus acceptam, ut refert Elias in Thisbi, verbo Sadoc, ubi sic scribit: « Duos « discipulos habuit Antignus, vir Sochæus, « quorum alteri Zadek, alteri verò Bajethos « nomen erat: qui deficientes à præceptore ad « homines malos, cœperunt negare legem ore « tenùs traditam, neque fidem habuerunt, « nisi ei, quod in lege scriptum erat; hanc« que ob causam vocati Caraim. » Hìnc nata est illa distinctio Judæorum, ut alii dicantur Rabbinistæ, qui admittunt traditiones et interpretationes Rabbinorum; alii Caraim, id est, lectionarii, scriptuarii, textuarii, qui illas respuunt. (Vide Scaligerum, lib. 2 de emendatione temporum, et Serar., lib. 2 Trihæresii, cap. 31.) Tertiò, non credebant resurrectionem, nec animarum immortalitatem, neque Angelum, neque Spiritum, neque aliud quippiam, quod non sensu, aut manifestâ ratione comprehenderent. Matth. 22, v. 23: *Accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem.* Hìnc perpetua erant dissidia inter duas illas sectas, Sadducæorum et Pharisæorum. Quod Act. cap. 23, v. 7-8, etiam insinuatur, his verbis: « Facta est dis« sensio inter Pharisæos et Sadducæos.... « Sadducæi enim dicunt non esse resurrec« tionem; neque Angelum, neque Spiritum; « Pharisæi autem utraque confitentur. » Quartò, ubique molesti erant Christo; et quidem variis modis. Primò petendo ab eo signum de cœlo. (Matth. 16, v. 1.) 2° Proponendo illi captiosas quæstiones. (Matth. 22, v. 23 et seq.) 3° Ægrè ferendo quòd discipuli ejus docerent populum. (Act. 4, v. 2.) 4° Eosdem capiendo et in carcerem conjiciendo. (Act. 5, v. 17.) 5° Illos in judicium adducendo. (Act. 23, v. 6.)

QUÆSTIO IX. *Qui hoc tempore sint similes Pharisæis et Sadducæis?* — Resp. Si ulli alii, maximè prædicantes Lutherani et Calviniani sunt illis similes. Hoc facilè demonstratur ex dictis in hunc modum: Primò, Pharisæi et Sadducæi introduxerunt novam doctrinam, discrepantem à doctrinâ Synagogæ. Hi quidem negando resurrectionem, Spiritum et Angelum; illi verò asserendo omnia fato evenire, et animas bonorum de corporibus in corpora transmigrare. Idem faciunt Lutherani et Calvinistæ; introducunt novam doctrinam, discrepantem à doctrinâ Ecclesiæ. Hi quidem asserendo, Deum esse auctorem peccati; et prædestinare homines ad æternam damnationem, sine ullâ ipsorum culpâ. Illi verò docendo corpus Christi esse ubique; in Eucharistiâ manere substantiam panis cum substantiâ corporis Christi; infantes in baptismo habere propriam fidem actualem. Secundò, Pharisæi, et Sadducæi, inter se quidem erant hostes infensissimi; sed in oppugnando Christo mirè inter se conspirabant. Sic Lutherani et Calvinistæ, dùm inter se agunt, multis conviliis se mutuò proscindunt ac lacerant, at in oppugnandâ Christi Ecclesiâ, malitiosè inter se consentiunt. Utrique docent, Ecclesiam multis seculis antè Lutheri adventum errâsse in fide, et, ut ipsi loquuntur, adulteram ac meretricem factam esse. Undè consequenter fateri debent, omnes filios, qui illis seculis in Ecclesiâ per baptismum nati sunt, adulterinos fuisse ac spurios: nec Christum iisdem seculis nisi spurios et adulterinos fœtus ex suâ sponsâ suscepisse ac educâsse, quæ est magna in Christum blasphemia. Tertiò, Sadducæi pro suo arbitratu, quosdam Scripturæ libros admittebant, alios rejiciebant. Admittebant libros Moysis; rejiciebant reliquos. Idem faciunt Lutherani et Calvinistæ. Utrique rejiciunt libros Judith, Tobiæ, Sapientiæ, Ecclesiastici, Machabæorum. Lutherani insuper, Apocalypsim, Epistolam Jacobi, et nonnullas alias, prout ipsis opportunum. Catholici admittunt omnes, quos antiqui Patres, Innocentius I, Augustinus et alii, communi consensu admiserunt. Quartò, Sadducæi nullam admittebant traditionem, nullam Scripturæ interpretationem à Moyse, vel prophetis, vel doctoribus acceptam. Similiter faciunt Lutherani et Calvinistæ. Rejiciunt traditiones divinas et apostolicas, contrà illud Apostoli 2 Thessal. c. 2, v. 14: *Tenete traditiones, quas didicistis.* Reji-

ciunt interpretationem Scripturæ, quam per traditionem ab Apostolis et aliis Ecclesiæ doctoribus accepimus. Suo arbitrio Scripturam interpretantur. Quintò, Sadducæi nihil volebant credere, nisi quòd sensu aut manifestâ ratione comprehenderent. Idem faciunt Calvinistæ. Non credunt Christum præsentem esse in Eucharistiâ. Quarè? Quia aiunt se non posse ratione naturali comprehendere, quomodò idem corpus eodem tempore possit simul esse in duobus locis. Cùm ergò constet Christum esse in cœlo, putant evidenter sequi, non esse in altari vel Eucharistiâ. Sextò, Sadducæi in oppugnandâ resurrectione mortuorum, ridiculo argumento utebantur contrà Christum, hoc modo : Una mulier successivè habuit septem viros. Si ergò resurrectio admittenda, quis illorum in resurrectione recepturus est illam mulierem ? Quibus respondit Christus : *Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei*. Similiter faciunt Calvinistæ : ridiculè argumentantur contrà præsentiam corporis Christi in Eucharistiâ, in hunc modum : Scriptum est Matth. 15, v. 17 : *Omne quod in os intrat, in ventrem vadit, et in secessum emittitur*. Si ergò corpus Christi est præsens in Eucharistiâ, et intrat in os, ut Catholici asserunt, ergò in ventrem vadit, et in secessum emittitur. Quibus, quid aliud respondendum, quàm quod Sadducæis responsum est ? *Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei*.

Hæc de doctrinâ. Si mores spectemus, fateor, non modò Lutheranos et Calvinistas, sed etiam aliquos Catholicos posse similes esse Pharisæis, et illorum vitia imitari ; nam, ut ait poeta :

Iliacos intrà muros peccatur et extrà.

Sed tamen duo Pharisæorum vitia præ cæteris expendenda sunt. Unum est, quòd fuerint superbi, arrogantes, ambitiosi, amantes honorum ac titulorum. Sic faciunt nostri adversarii. Superbi ac arrogantes sunt, quia contemnunt antiquos Patres, et suam sententiam ac judicium ipsis præferunt. Amantes sunt titulorum, quia volunt vocari Evangelici, Orthodoxi, Reformati, à Deo Docti. Alterum est, quòd ad opinionem sanctitatis occupandam, soliti fuerint legem Dei scribere in membranis, et affigere fronti, brachiis et parietibus, nec aliud insonare, quàm legem et prophetas. Sic etiam nostri adversarii. Nihil aliud ore habent, quàm *verbum Dei*. Ubique in templis, in hospitiis, in parietibus affigunt hanc sententiam : *Verbum Domini manet in æternum*.

Quæstio x. — *Esseni undè dicti ; et quæ illorum dogmata et instituta?* — Unde dicti sint Esseni (quos alii vocant Essæos, alii Hasidæos vel Asidæos) non satis constat. Serar., lib. 3. Trihæresii, cap. 1, affert varias conjecturas et opiniones. Non est res tanti momenti, ut magnoperè laborandum sit. Quisque sequatur opinionem, quam velit. Quæ autem fuerint eorum dogmata et instituta, paucis explicandum est ex Josepho et Serario. Præcipua fuerunt hæc : Abhorrebant à voluptate, et vivebant cœlibes. Habebant bona communia, more Religiosorum. Non utebantur famulis, sed ipsi sibi ministrabant. In victu sectabantur austeritatem. Albis utebantur vestibus. In quâlibet urbe erant multi simul. Maxima apud eos hospitalitas. Sine viatico faciebant iter, quia ubique ferè inveniebant suæ sortis homines, à quibus gratuitò habebant hospitium. Peculiari ratione dediti erant pietati. Manè antè solis ortum nihil profani loquebantur, sed precibus ac orationibus erant intenti. Post preces, quisque conferebat se ad suos labores. Deindè iterùm in unum collecti, et lineis velaminibus præcincti, frigidâ aquâ se lavabant et purificabant. Post hanc lotionem, ibant modestè ad cœnaculum ; ubi sacerdos antè et post cibum orabat, reliquis adstantibus. Finito prandio, redibant ad consuetos labores. Quibus finitis, eo ritu cœnabant, quo anteà pransi erant. Servabant accuratè silentium. Nihil ferè agebant nisi ex curatorum suorum imperio. Sine curatorum facultate, nihil consanguineis poterant dare. Novitios quadriennio probabant. Accuratè servabant Sabbatum. Credebant animarum immortalitatem. Aliqui inter illos futura prædicebant. Hæc omnia fusè prosequitur Serarius ex Josepho Flavio, qui etiam affirmat, multos Essenorum ad fidem christianam fuisse conversos.

CAPUT XII.

DE JUDICE CONTROVERSIARUM IN VET. TESTAMENTO.

Quæritur 1° an Pontifex in vetere Testamento fuerit judex controversiarum? 2° An Pontifex in dirimendis controversiis fuerit infallibilis judex, ità ut non potuerit errare? 3° An etiam in novo Testamento sit aliquis judex infallibilis, et quis ille sit?

Quæstio prima. — *An Pontifex in veteri Testamento fuerit judex controversiarum?* — Resp. Certum est fuisse. Hoc testatur Josephus, lib. 2 contrà Apionem, cùm ait : « Pontifex antè « alios sacerdotes Deo sacrificat, legees custo-

« dit, dijudicat controversias, convictos delicti « punit; cui qui non obedit, is pœnas luit, tanquàm in Deum impius. » Et manifestè colligitur ex illo Deut. 17, v. 8 et seq.: « Si difficile « et ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem et sanguinem, causam et « causam, lepram et lepram; et judicium intrà « portas tuas videris verba variari, surge, et « ascende ad locum, quem elegerit Dominus « Deus tuus. Veniesque ad sacerdotes Levitici « generis, et ad judicem, qui fuerit illo tem« pore; quæresque ab eis, qui indicabunt tibi « judicii veritatem. Et facies quodcumque « dixerint qui præsunt loco quem elegerit « Dominus, et docuerint te juxtà legem ejus, « sequerisque sententiam eorum; nec declina« bis ad dexteram, neque ad sinistram. Qui « autem superbierit, nolens obedire sacerdotis « imperio, qui eo tempore ministrat Domino « Deo tuo, et decreto judicis, morietur homo « ille. » Circà hunc locum aliqua notanda sunt. Primum est, quòd variæ fuerint controversiæ in populo Judæorum; hìc quidem duæ speciatim recensentur, una de sanguine; altera de leprâ. Alibi tamen summatim insinuantur quatuor genera, ut 2 Paral. 19, v. 10: *Ubicumque quæstio est de lege, de mandato, de cæremoniis, de justificationibus.* Nam aliquæ, ut ibi interpretatur Lyranus, oriebantur ex lege Decalogi: aliæ ex mandatis moralibus, quæ sunt extrà legem decalogi; aliæ ex præceptis cæremonialibus, ad divinum cultum spectantibus; aliæ denique ex præceptis judicialibus, quæ ad externam pacem et justitiam conservandam erant accommodata. Alterum, quòd in singulis civitatibus constituti fuerint inferiores judices, qui ex officio debebant hujusmodi controversias dirimere, ut habetur Deut. 16, v. 18-19: « Judices et magistros constitues in « omnibus portis tuis, quas Dominus Deus « tuus dederit tibi, per singulas tribus tuas; « ut judicent populum justo judicio, nec in « alteram partem declinent. » Et 2 Paral. 19, v. 5: « Constituitque judices terræ in cunctis ci« vitatibus Juda munitis per singula loca. » Tertium est, quòd, quandò inferiores judices non poterant inter se convenire, nec controversias ad se delatas, propter peculiarem aliquam difficultatem dirimere, necesse fuerit confugere Hierosolymam ad superiores judices, quibus tanquàm supremus judex, præsidebat Pontifex; et illius sententiæ, sub pœnâ mortis, oportebat acquiescere. Hoc patet ex verbis paulò antè citatis: *Si difficile et ambiguum apud te* (id est in civitate tuâ, in quâ habitas) *judicium esse perspexeris*, etc. Hìnc colligimus, duplex apud Judæos fuisse tribunal et concilium, unum majus, alterum minus. Inter ea fuit multiplex discrimen. Quia majus erat tantùm in Jerusalem; minus in singulis civitatibus. In majori dijudicabantur majores controversiæ; in minori, faciliores. In majori præsidebat Pontifex; non item in minori. A minori licebat appellare ad majus, non contrà, à majori ad minus. In majori erant septuaginta personæ præter Pontificem; in minori, viginti tres. Majus vocabatur Sanhedrin, vel Synedrion, vel concilium seniorum; minus, non item. De majori sæpè fit mentio in Evangelio, ut Marci 14, v. 55; Et Luc. 9, v. 22; et Act. 4, v. 5. Videantur interpretes. Utrumque concilium habuit suam originem sub Moyse. Et minus quidem institutum est ex consilio Jethro; majus verò, mandato Dei. Occasio minoris instituendi describitur Exod. 18, v. 13 et seq., his verbis: « Alterâ autem die, « sedit Moyses ut judicaret populum, qui assis« tebat Moysi à mane usque ad vesperam. « Quod cùm vidisset cognatus ejus, omnia « scilicet quæ agebat in populo, ait: Quid est « hoc, quod facis in plebe? Cur solus sedes, et « omnis populus præstolatur de mane usque ad « vesperam? Cui respondit Moyses: Venit ad me « populus, quærens sententiam Dei. Cumque « acciderit eis aliqua discrepatio, veniunt ad « me, ut judicem inter eos, et ostendam præ« cepta Dei, et leges ejus. At ille: Non bonam, « inquit, rem facis; stulto labore consumeris « et tu, et populus iste qui tecum est. Ultrà « vires tuas est negotium, solus illud non pote« ris sustinere, sed audi verba mea, atque « consilia et erit Deus tecum. Provide de « omni plebe viros potentes, et timentes « Deum, in quibus sit veritas, et qui oderint « avaritiam et constitue ex eis tribunos, et cen« turiones, et quinquagenarios, et decanos, « qui judicent populum omni tempore; quid« quid autem majus fuerit, referant ad te, et « ipsi minora tantummodò judicent; leviusque « sit tibi, partito in alios onere... Quibus audi« tis, Moyses fecit omnia, quæ ille suggessе« rat. Et electis strenuis viris de cuncto Israel, « constituit eos principes populi, tribunos, et « centuriones, et quinquagenarios, et decanos, « qui judicabant plebem omni tempore; quid« quid autem gravius erat, referebant ad eum, « faciliora tantummodò judicantes. » De majoris concilii institutione sic legimus Num. 11,

v. 16-17 : « Et dixit Dominus ad Moysen : « Congrega mihi septuaginta viros de senibus « Israel, quos tu nòsti, quòd senes populi sint « ac magistri : et duces eos ad ostium taberna- « culi fœderis ; faciesque ibi stare tecum, ut « descendam, et loquar tibi ; et auferam de « spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent te- « cum onus populi, et non tu solus graveris. » Et inf., v. 21-25 : « Venit igitur Moyses, et « narravit populo verba Domini, congregans « septuaginta viros de senibus Israel, quos « stare fecit circà tabernaculum. Descenditque « Dominus per nubem, et locutus est ad eum, « auferens de spiritu, qui erat in Moyse, et « dans septuaginta viris. Cùmque requievisset « in eis spiritus, prophetaverunt, nec ultrà ces- « saverunt. »

Porrò cùm utrumque concilium progressu temporis penè collapsum esset, iterùm restitutum et renovatum fuit à Josaphat, rege Juda, ut habetur 2 Paral. 19, v. 4. et seq., his verbis : « Habitavit ergo Josaphat in Jerusalem : « rursùmque egressus est ad populum de Ber- « sabee usque ad montem Ephraim, et revo- « cavit eos ad Dominum Deum Patrum suo- « rum. Constituitque judices terræ in cunctis « civitatibus Juda munitis per singula loca. Et « præcipiens judicibus : Videte, ait, quid fa- « ciatis : non enim hominis exercetis judicium, « sed Domini : et quodcumque judicaveritis, « in vos redundabit. » Hæc omnia intelliguntur de minori concilio. Jam sequitur de majori, v. 8 et seq. : « In Jerusalem quoque con- « stituit Josaphat Levitas, et sacerdotes, et « principes familiarum ex Israel, ut judicium « et causam Domini judicarent habitatoribus « ejus. Præcepitque eis, dicens : Sic agetis in « timore Domini fideliter et corde perfecto. « Omnem causam, quæ venerit ad vos fratrum « vestrorum, qui habitant in urbibus suis inter « cognationem et cognationem, ubicumque « quæstio est de lege, de mandato, de cære- « moniis, de justificationibus, ostendite eis, « ut non peccent in Dominum, et ne veniat « ira super vos, et super fratres vestros..... « Amarias autem, sacerdos et Pontifex vester, « in his quæ ad Deum pertinent, præsidebit ; « porrò Zabadias, filius Ismael, qui est dux in « domo Juda, super ea opera erit, quæ ad re- « gis officium pertinent. » Ubi vides Pontificem fuisse præsidem, seu caput concilii seniorum. Igitur, ut verbo repetam, quæ dicta sunt, sub Moyse in deserto res ita gesta est : primò, solus Moyses (qui erat Pontifex extraordinarius) judicabat omnes omninò controversias, quæ in populo oriebantur. Deindè, ut in hoc onere non nihil sublevaretur, additi sunt illi tribuni, centuriones, quinquagenarii et decani, qui minores causas judicarent, et graviores ad illum remitterent. Denique ad majus solatium septuaginta seniores electi sunt, qui etiam in causis gravioribus illi assisterent. Post mortem Moysis, cùm jam filii Israel venissent in Terram promissionis, duplex tribunal ac judicium constitutum est, unum Hierosolymis, pro causis difficilioribus, alterum in singulis civitatibus pro facilioribus. Hoc posterius respondebat concilio tribunorum ac decanorum ; illud prius concilio septuaginta seniorum. Hìc addi potest, aliter in deserto sub Moyse, aliter in Terrâ promissionis sub aliis Pontificibus, actum esse. Et quidem duplici discrimine, altero ex parte Pontificis altero ex parte concilii seniorum ; nam Pontifex, post ingressum in Terram promissionis non dirimebat controversias, nisi ex lege scriptâ ; at Moyses, præsertim antequàm lex integrè scripta esset, multas dirimebat ex vivâ Dei voce et oraculo, cujusmodi sunt illæ tres : Prima, quid faciendum esset cum iis qui, propter immunditiam legalem, non poterant cum aliis celebrare Pascha? (Num. 9, v. 6.) Secunda, quâ pœnâ deberet affici, qui inventus erat colligere ligna in die sabbati? (Num. 15, v. 32.) Tertia, an filiæ Salphaad possent habere hereditatem inter cognatos patris sui ? (Num. 27, v. 1.) De his controversiis nihil tunc erat scriptum in lege. Igitur Moyses vivâ voce consuluit Deum, et accepto responso, voluntatem Dei executus est. Ac tunc primùm hæc omnia in legem scriptam relata sunt. Ex parte concilii seniorum, hoc erat discrimen. Septuaginta seniores, qui à Moyse electi sunt, acceperunt spiritum Prophetiæ in ipsâ electione. (Num. 11, v. 25.) De aliis qui posteà in illorum locum per intervalla temporis subrogati sunt, non constat accepisse. Hoc tamen credibile est, singulari Dei assistentiâ usos esse, quotiès de rebus difficilioribus consultandum esset ; et maximè hanc assistentiam Pontifici, qui omnibus præsidebat, specialim concessam fuisse, quandò supremi judicis officio in ferendâ sententia fungebatur. De quâ re dicam aliquid paulò post.

Dices : Hæc omnia procedunt de controversiis legalibus, in quibus Pontifex erat supremus judex, ut benè probatum est ; non autem de controversiis fidei, in quibus sola Scriptura

erat judex. Respondeo : Hoc sine fundamento dicitur ; nam omnes controversiæ, sive essent de fide, sive de aliis rebus, vocabantur legales, duplici de causâ : Primò, quia oriebantur ex ipsâ lege, non satis benè intellectâ ; Secundò, quia per veram legis interpretationem erant dirimendæ. (Deut. 17, v. 10.) Omnes porrò, sine ullâ exceptione, pertinebant ad Pontificem, tanquàm ad supremum judicem, etiam illæ, quæ erant de fide et religione. Hoc manifestè constat ex illis verbis, paulò antè citatis : *Amarias, Pontifex vester, in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit.* At controversiæ de fide et religione maximè ad Deum pertinent; ergò Pontifex in illis controversiis præsidebat. Quid autem est, præsidere in controversiis, nisi judicem agere? Item, ex verbis præcedentibus : *Ubicumque quæstio est de lege, de mandato, de cæremoniis, de justificationibus.* Omnes hæ quæstiones deferebantur ad Pontificem ; et præter has, non erant ullæ aliæ ; ergò nulla erat exempta à jurisdictione Pontificis. Et confirmatur exemplo ; nam inter controversias fidei (de quibus maximè nunc agimus), erat una præcipua de Messiâ. At hæc ipsa, quandò dubitatum fuit tempore Herodis, an Messias jam natus esset, deferebatur ad concilium sacerdotum, in quo Pontifex præsidebat, ut patet ex Evangelio Matth. 2, v. 3 et seq. : « Audiens autem Herodes rex turbatus est, et « omnis Jerosolyma cum illo. Et congregans « omnes principes sacerdotum, et Scribas po- « puli, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasce- « retur. At illi dixerunt ei : In Bethlehem « Judæ; sic enim scriptum est per prophe- « tam : Et tu, Bethlehem, terra Juda, nequa- « quàm minima es in principibus Juda ; ex te « enim exiet Dux, qui regat populum meum « Israel. » Ubi tria notanda sunt, primò, quòd rex Herodes et totus Hebræorum populus dubitaverit de loco, in quo Messias esset nasciturus ; secundò, quòd hanc dubitationem non ausi fuerint ipsi per se discutere, sed detulerint illam ad ordinarium concilium sacerdotum ; tertiò, quòd sacerdotes, ut satisfacerent officio suo, dissolverint hanc dubitationem ex Scripturâ, tanquàm ex normâ et regulâ cui se conformabant.

QUÆSTIO II. — *An Pontifex fuerit infallibilis judex?* — Aliqui ex Lutheranis concedunt quidem fuisse judicem controversiarum, sed negant fuisse infallibilem, quod nos affirmamus, et tripliciter probari potest : primò, ex discrimine, quod erat inter summum Pontificem et alios inferiores judices; nam quandò oriebatur aliqua controversia difficilior, in cujus decisione inferiores judices vel dissentiebant, vel veritatem attingere non poterant, volebat Deus ut partes litigantes deferrent eam ad Pontificem, in superiori concilio præsidentem, cum hâc promissione, quòd ab eo accepturi essent judicii veritatem. (Deut. 17, v. 9.) At si Pontifex in tali casu fuisset fallibilis, non accepissent ab eo judicii veritatem, nec promissio Dei fuisset impleta ; ergo dicendum est, in tali casu falli non potuisse ; secundò, ex mandato Dei : nam Deus sub pœnâ mortis mandabat omnibus ut acquiescerent sententiæ Pontificis. (Deut. 17, v. 21.) At certum est, non mandâsse, ut acquiescerent sententiæ falsæ, præsertìm in negotio fidei ac religionis, non potuisse esse falsam, sed ex peculiari Dei assistentiâ infallibilem ; tertiò, ex parte litigantium : nam si Pontifex quandò publicè in concilio pronuntiabat sententiam, potuisset falli, vel à legitimo Scripturæ sensu aberrare, nunquàm litigantes qui illum consulebant fuissent securi. Cur ergò sub pœnâ capitis tenebantur sequi illius decisionem ? Cur altera pars cum tanto onere debebat subjacere sententiæ contrà se latæ, quam poterat suspicari falsam et iniquam esse? Denique cur totus populus in negotio religionis jubebatur id sequi quod Pontifex judicabat sequi oportere, si Pontifex errare poterat?

Objiciunt Lutherani, Pontificem etiam cum toto concilio sæpè errâsse in negotio religionis ; quod probant variis exemplis. 1° Quia Aaron Pontifex fuit auctor idololatriæ, quandò proposuit populo vitulum adorandum. (Exod. 32, v. 5.) 2° Quia Urias contrà legem Dei exstruxit novum altare in templo, ad formam altaris Damasceni, et in eo sacrificia obtulit. (4 Reg. 16, v. 11.) 3° Quia omnes speculatores populi, erant cæci. (Isaiæ cap. 56, v. 10.) 4° Quia tempore Jeremiæ, *à prophetâ usque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum.* (Jerem. 6, v. 13.) 5° Quia idem Jeremias propter verbum Domini, publico decreto omnium sacerdotum et prophetarum, fuit condemnatus ad mortem. (Jer. 26, v. 11.) 6° Quia Christus à Pontificibus, Scribis, et senioribus populi, in publico concilio, morti adjudicatus est. Resp. Frustrà hæc objiciuntur ; primò, quia Aaron nec erat Pontifex, quandò vitulum ex auro conflavit, nec fuit auctor idololatriæ. Nihil ergò juvat Lutheranos hoc exemplum. Quòd non fuerit Pontifex, certum est ; nam à Moyse consecratus est in Pontificem, anno secundo egressionis ex

Ægypto, primâ die mensis primi, quandò tabernaculum fuit erectum. (Exod. 40, v. 15.) At vitulus jam anteà conflatus erat, dùm adhuc Moyses erat in monte Sinai cum Deo, et acceptis ab eo tabulis lapideis, jubebatur constituere tabernaculum per Beseleel, filium Uri. (Exod. 31 et 32.) Similiter, quòd populus fuerit auctor idololatriæ, non autem Aaron, disertè habetur Exod. 32, v. 1 : « Videns autem populus quod moram faceret descendendi de « monte Moyses, congregatus adversùs Aaron, « dixit: Surge, fac nobis deos, qui nos præ« cedant. » Secundò, Urias non erravit, tanquàm judex et præses concilii, in dirimendis controversiis legalibus, sed extrà concilium erravit in facto, volens satisfacere mandato regis Achaz, quod non negamus. Itaque nec hoc exemplum ad rem facit. Non enim est quæstio inter nos, an Pontifex nullà in re potuerit errare, aut peccare. Potuit certè in multis, non minùs, quàm alii. Sed quæstio est, an in sententiâ publicè ferendâ circà controversias legales, potuerit errare, vel falsam sententiam dicere? Non potuit, nec Urias hoc modo erravit. Tertiò, Isaias per speculatores, quos ait cæcos esse, non intelligit Pontifices sui temporis, sed Scribas et Pharisæos, qui erant futuri tempore Apostolorum, quandò Jerusalem erat vastanda à Romanis, sub Vespasiano imperatore, ut interpretatur S. Hieron. Et patet ex ipso contextu, qui sic habet Isaiæ 56, v. 8 et seq. : « Ait Dominus Deus qui con« gregat dispersos Israel : Adhuc congregabo « ad eum congregatos ejus. Omnes bestiæ « agri, venite ad devorandum, universæ « bestiæ saltûs. Speculatores ejus cæci omnes, « nescierunt universi; canes muti non valentes « latrare. » Sensus est : ait Dominus Deus : Ego post captivitatem Babylonicam, in quâ dispergentur Judæi, iterùm congregabo illos in Jerusalem (quod contigit sub Cyro, Persarum rege, 1 Esdræ 1). Deindè etiam gentiles eis aggregabo (quod factum est tempore Christi et Apostolorum, quandò gentiles ad lucem Evangelii vocati sunt, et ex utroque populo coaluit una Ecclesia). Posteà, dicam Romanis (qui propter infidelitatem vocantur bestiæ agri) : *Venite ad devorandum*, id est, ad devastandam et evertendam civitatem Jerusalem. Sed ob quam causam? Quia speculatores ejus, Scribæ scilicet et Pharisæi, merebuntur hanc pœnam, duplici titulo : primò propter suam cæcitatem et incredulitatem, nam neque ipsi volunt Christum agnoscere pro Messiâ, neque permissuri sunt ut Judæi in eum credant, e sic utrique propter incredulitatem digni erunt, qui puniantur. Undè Christus, Matth. 15, v. 14 : « Cæci sunt; et duces cæcorum. » Et cap. 23, v. 13 : « Væ vobis Scribæ, et Pharisæi « hypocritæ, quia clauditis regnum cœlorum « antè homines : vos enim non intratis, nec « introeuntes sinitis intrare. » Secundò, quia erant canes muti, non valentes latrare, id est, ignavi pastores, non defendentes gregem sibi concreditum, nec vitia subditorum reprehendentes. Ex hâc interpretatione, quæ textui et Hieronymo conformis est, nihil potest colligi, quod sit contrà nos; nam nostra assertio est, Pontificem in vetere Testamento non potuisse errare in definiendis legalibus controversiis, quæ ad ipsum in concilio deferebantur. Hæc non evertitur per hoc quòd Pharisæi, tempore Apostolorum, fuerint cæci et increduli in Christum. Quartò, nec dictum Jeremiæ, quod Lutherani objiciunt, ipsis patrocinatur. Non enim intelligendum est de errore vel mendacio Pontificis in decisione controversiarum legalium; sed de dolo seu mendacio sacerdotum, et prophetarum in prædictione futurorum. Cùm enim Jeremias, et alii Prophetæ à Deo missi, prædicerent fore ut populus propter scelera sua puniretur, et in captivitatem duceretur; sacerdotes et pseudo-prophetæ blandiebantur populo, et omnia prospera vaticinabantur; et sic miserè illum decipiebant. Hic sensus colligitur ex ipso textu; nam Jeremiæ prædictio erat hæc, cap. 6, v. 11 et seq. : « Vir cum muliere « capietur, senex cum pleno dierum. Et trans« ibunt domus eorum ad alteros; agri, et « uxores pariter; quia extendam manum meam « super habitantes terram, dicit Dominus. A « minore quippè usque ad majorem omnes « avaritiæ student. » Quid porrò sacerdotes et pseudo-prophetæ? Sequitur : « A prophetâ « usque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum. « Et curabant contritionem filiæ populi mei « cum ignominiâ, dicentes, pax, pax; et non « erat pax. » Vel ut Septuaginta vertunt : « A « sacerdote et usque ad pseudo-prophetam « omnes fecerunt mendacium, et curabant « contritionem populi mei, parvi pendentes « et dicentes : pax; et ubi est pax? » Quasi dicat : quidquid ego ædifico, hoc mali sacerdotes et Prophetæ destruunt. Ego reprehendo scelera populi, et prædico illi captivitatem, ut hâc ratione permoveam ad dolorem et contritionem; illi captivitatem, ut hâc ratione permoveam ad dolorem et contritionem; illi con-

trà dolo et mendacio decipiunt populum, promittendo prosperitatem et pacem, et sic conantur abstergere et curare contritionem, quam ex meâ comminatione conceperat. Ex hoc sensu quid inferent adversarii? Vel nihil, vel hoc: Sacerdotes et Prophetæ in vetere Testamento mentiebantur in prædictione futurorum; ergò Pontifex errabat in decisione controversiarum legalium; illatio adversariis digna. Quintò, quod objicitur, Jeremiam publico decreto sacerdotum et prophetarum fuisse condemnatum ad mortem, non spectat ad præsentem questionem. Primò, quia tametsi sacerdotes et Prophetæ peccârint in hoc facto, non tamen errârunt in decisione alicujus controversiæ legalis (de quo errore hìc disputamus), sed tantùm in eo, quòd dicerent falsam esse prædictionem Jeremiæ de imminente eversione Jerusalem, ut jam explicavi. Deindè, non soli sacerdotes et Prophetæ, sed etiam populus condemnavit illum ad mortem. Cùm enim dixisset Jeremias ex personâ et mandato Dei, cap. 26, v. 6: « Dabo domum istam sicut Silo, et urbem hanc « dabo in maledictionem cunctis gentibus « terræ; » mox sequitur, v. 7: « Et audie« runt sacerdotes, et prophetæ, et omnis po« pulus Jeremiam loquentem verba hæc in do« mo Domini. » Et paulò post, v. 8: « Ap« prehenderunt eum sacerdotes, et Prophetæ, « et omnis populus, dicens: Morte moriatur. « Quarè prophetavit in nomine Domini dicens: « sicut Silo erit domus hæc, et urbs ista deso« labitur, eò quòd non sit habitator? » Igitur sententia condemnationis non fuit legitimè et judicialiter lata in concilio seu Synhedrio, in quo legales controversiæ decidebantur, sed in tumultuario concursu ac seditione vulgi, ut etiam ab Hieronymo notatum est; et hoc patet ex eventu, nam principes Juda, cum audîssent tumultum populi, et conspirationem factam contrà Jeremiam, venerunt ad introitum templi (ubi seditio excitabatur), et liberârunt Jeremiam à sententiâ mortis, quod non facilè fecissent, si sententia à summo Pontifice in concilio fuisset pronuntiata. Inspiciatur textus. Ad id denique, quod affertur de Christo à Pontifice et senioribus morti adjudicato, facilis responsio est. Fateor Caipham, qui tunc erat Pontifex, errâsse cum concilio, nec ampliùs habuisse infallibilem Dei assistentiam, quia Synagoga jam ferè expirabat. (Vide quæ dicta sunt de hoc puncto, cap. 6, q. 2.)

Quæstio iii. — *An etiam in novo Testamento sit aliquis judex controversiarum, et quis?* — Certum est aliquem esse. Quis ille sit, quæstio est. Lutherani et Calvinistæ volunt Scripturam esse; nos, non Scripturam, sed Ecclesiam, seu Pontificem, qui est pastor et caput Ecclesiæ, quod probavi sex argumentis in peculiari tractatu de Judice controversiarum, quæ breviter hìc reponam. Primum sumitur ex officio, hoc modo: Qui est judex inter duos litigantes, debet ità pronuntiare sententiam, ut uterque litigantium clarè intelligat, quænam sit sententia judicis; et alter eorum fateatur illam pro se, alter contrà se latam esse: alioqui nisi id fiat, non cessabunt à lite, sed uterque suam causam prosequetur; et Scriptura non potest hoc præstare: ergò non potest esse judex controversiarum. Major per se clara est; minorem probo, quia Lutherani et Calvinistæ multis jam annis litigant de his punctis. 1° De baptismo parvulorum. 2° De reali præsentiâ Christi in Eucharistiâ. 3° De prædestinatione. 4° De personâ Christi. 5° De exorcismo. 6° De numero et Canone librorum Scripturæ. Et tamen Scriptura, quam volunt esse judicem, non potest dirimere aut finire has ipsas controversias; nec hactenùs auditum est, ità pronuntiatam esse. Hoc constat ex eventu; nam utrique pergunt in studio et ardore litigandi, quod sine dubio non facerent, si putarent sententiam clarè semel esse latam. Tunc enim, vel ultrò cessarent à susceptâ contentione, et sententiæ acquiescerent; vel certè, si existimarent injustè secum actum esse, ad alium judicem provocarent. Neutrum fit. Secundum argumentum sumitur ex parte Scripturæ, in quâ duo spectanda sunt, littera et sensus: sicut in homine, corpus et anima. De illis, ut aliqui interpretantur, locutus est Apostolus, 2 Corinth. 3, v. 6, cum ait: *Littera occidit, spiritus autem vivificat*, q. d. Si sequaris verum Scripturæ sensum, qui est quasi spiritus et anima vivificans, proderit tibi ad salutem. Si autem, neglecto vero et legitimo sensu, hæreas tantùm in externâ litterâ, et contendas illum esse sensum quem externa littera præ se fert, sæpè errabis. Quam interpretationem sequitur Aug., serm. 70 de tempore. Hoc posito, duo probanda sunt, unum est, quòd Scriptura, si litteram spectes, non possit esse judex controversiarum; alterum, quòd neque, si sensum spectes, possit esse judex. Priorem partem sic probo: Ille non potest esse infallibilis judex controversiarum, qui ducit homines in errorem et hæresim; at Scriptura, si nudam illius litteram spectemus, ducit homines in errorem et hære-

sim; ergò non potest esse infallibilis judex controversiarum. Major per se nota est; quia proptereà quærimus infallibilem judicem, ne erremus; ergò qui ducit nos in errorem non est infallibilis judex. Minor patet ex Apostolo; quia Scriptura secundùm litteram occidit, id est, in lapsum et errorem ducit. Sic olim occidit Judæos, quia omnia, quæ in Moyse et prophetis prædicta erant de Christo, intelligebant secundùm externam litteram, et sensum interiùs latentem non percipiebant. Et hoc est, quod ait Apostolus, 2 Cor. 3, v. 15 : *Usque in hodiernum diem cùm legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum*, id est : adhuc Judæi non intelligunt Moysen, quem quotidiè legunt, quia non penetrant internum ipsius sensum, sed externâ litterâ contenti sunt : vel clariùs : non agnoscunt Christum, qui in Moyse sub externis cæremoniis ac sacrificiis, tanquàm sub velamine occultatus est. Adhuc hærent in ipso velamine, et non considerant, quid sub illo lateat reconditum. Quod etiam illis objicit Christus, Joan. 5, v. 39-40 : « Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere; et illæ sunt quæ testimonium perhibent de me; et non vultis venire ad me, ut vitam habeatis, » q. d. Si vultis certò cognoscere me esse Messiam à Deo promissum, de quo Moyses, et prophetæ scripserunt, non tantùm debetis legere Scripturas, quoad externam litteram; sed multò magis scrutari internum sensum et spiritum, qui sub externâ litterâ quasi sub umbrâ aut figurâ delitescit. Hoc hactenùs non fecistis. Tametsi enim persuasum vobis sit, in Scripturis sitam esse vitam æternam, tamen nescitis, in quâ parte sita sit. Non est sita in externâ litterâ, in externis cæremoniis, et figuris, ut vos putatis; sed in spiritu, in sensu, in mysterio; ibi me quærite, et invenietis. Posteriorem sic probo : Scriptura, quoad verum et legitimum sensum, sæpè est obscura et difficilis intellectu, ac proindè sæpè oritur controversia de vero et legitimo ipsius sensu; omnis autem controversia requirit aliquem judicem; debet ergò esse aliquis judex qui definiat hunc esse legitimum sensum, illum non esse. At hic judex non potest esse ipsa Scriptura, de cujus mente et sententiâ, controversia movetur; ergò aliquis alius, distinctus à Scripturâ. Tertium argumentum sumitur ex parte controversiarum; multæ enim sunt controversiæ circà fidem et religionem, quarum vel nulla fit mentio in Scripturâ, vel certè non sufficiens ad hoc, ut Scriptura de illis sententiam ferre possit; ergò in iis dirimendis, alius judex quærendus est. Ejusmodi autem controversiæ sunt hæ. 1° An libri Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici et Machabæorum, sint canonici et divini, necne? 2° Quot sint Sacramenta novæ legis? 3° An exorcismus et aliæ cæremoniæ in Ecclesiâ catholicâ usitatæ, possint adhiberi in baptismo? 4° An baptizati ab hæreticis, sint rebaptizandi? 5° An baptismus una mersione conferri debeat? 6° An Christiani, loco sabbati, debeant colere diem Dominicam? 7° An B. Maria manserit Virgo post partum? 8° An Petrus apostolus fuerit romanæ Ecclesiæ episcopus? 9° An Symbolum fidei sit verè canonicum et apostolicum? 10° An in vetere Testamento fuerit aliquod externum remedium pro feminis contrà peccatum originale? Quartum sumitur ex usu et praxi veteris Testamenti; nam omnes controversiæ legales, quæ erant majoris momenti, à summo sacerdote seu Pontifice, tanquàm à supremo in terris judice, non autem à Scripturâ, debebant dirimi ac definiri, ut suprà copiosè ostensum est. Quintum, ex usu et praxi novi Testamenti, ubi idem hactenùs servatum est; nam tempore Apostolorum fuit orta controversia de circumcisione; an scilicet novi Christiani, qui tunc fidem Evangelii recipiebant, non possent salvari, nisi circumciderentur, et legalia servarent? Quæ controversia potissimùm intelligebatur de gentilibus ad fidem conversis. Erat autem duplex de hâc re sententia, una quorumdam, qui ex Judæis facti erant Christiani; qui dicebant gentiles per fidem Christi non posse salvari, nisi circumciderentur, et cæremonias legis Mosaicæ observarent; altera Pauli et Barnabæ, qui asserebant, non opus esse circumcisione, et observatione legalium. (Act. 15, v. 1.) At quomodò decisa et definita est hæc controversia? An ad solam Scripturam, tanquàm ad communem judicem delata est? Nihil minùs; sed potiùs ex consensu utriusque partis delecti sunt aliqui, qui Hierosolymam irent ad apostolos, ut ipsi in solemni concilio de totâ re cognoscerent, et definitivam sententiam pronuntiarent, quod et factum est; nam ex unâ parte designati sunt Paulus et Barnabas, et ex alterâ alii, qui simul Hierosolymam profecti, Apostolos et seniores adierunt. Hi, coacto concilio, et invocato Spiritu sancto, responderunt his verbis : Act. cap. cit., v. 28-29 : « Visum est enim Spiritui sancto et nobis nihil ultrà imponere vobis oneris quàm hæc necessaria : ut abstineatis vos ab immolatis

« simulacrorum, et sanguine, et suffocato, et « fornicatione. » Post tempora Apostolorum, aliæ atque aliæ controversiæ, diversis locis atque ætatibus exortæ sunt, quas similiter à Pontifice romanò, vel à conciliis ab eo approbatis, decisas ac diremptas esse, notum est ex historiis ecclesiasticis. Et qui illorum sententiæ noluerunt acquiescere, pro hæreticis habiti, et damnati sunt. Hujus rei multa exempla adduxi in nostro tractatu de Judice controversiarum. Sextum sumitur ex analogiâ judicis controversiarum civilium, quod sic propono : Inter res fidei ac religionis ex unâ parte, et inter res civiles, ac politicas ex alterâ, potest spectari multiplex analogia. Sicut in politicis ac civilibus sæpè oriuntur lites et controversiæ, quæ requirunt aliquem judicem, qui sententiam ferat inter partes litigantes; sic etiam fit in fide ac religione. Sicut in controversiis civilibus distinguuntur hæc tria : judex, lex scripta et consuetudo, sic etiam in controversiis fidei, hæc tria : judex, Scriptura utriusque Testamenti et traditio. Sicut princeps vel magistratus secularis fungitur officio judicis in decisione controversiarum civilium sic etiam princeps Ecclesiæ, vel Synodus ecclesiastica, fungitur officio judicis in decisione controversiarum fidei. Sicut lex scripta est quasi norma quædam seu regula, quam sequitur judex secularis in decidendis controversiis civilibus, sic etiam Scriptura utriusque Testamenti est quasi norma quædam seu regula, quam sequitur judex ecclesiasticus in decidendis controversiis fidei. Sicut sola lex scripta non est sufficiens et integra norma omnium controversiarum civilium, sed lex scripta et consuetudo simul, sic etiam sola Scriptura utriusque Testamenti non est sufficiens et integra norma omnium controversiarum fidei, sed Scriptura et traditio simul. Hæc clara sunt. Objectiones alibi solutæ.

CAPUT XIII.

DE INSTRUMENTIS DIVINI CULTUS.

Dixi hactenùs de ministris Synagogæ, qui ad divinum cultum erant deputati; nunc dicendum est de instrumentis, quibus divinus cultus peragebatur; deindè de ipso cultu, qui consistebat in sacrificiis, Sacramentis, et observantiis legalibus. Et quidem instrumenta divini cultûs erant hæc : 1° Tabernaculum. 2° Templum, quod successit in locum tabernaculi. 3° Arca fœderis, quæ priùs fuit in tabernaculo, posteà in templo. 4° Propitiatorium, quod erat suprà Arcam. 5° Candelabrum habens septem lucernas. 6° Mensa panum propositionis. 7° Altare thymiamatis. 8° Altare holocausti. 9° Vasa sacra. 10° Vestes sacerdotales, de quibus D. Thomas in 1-2, q. 102, art. 4. Et quidem de vestibus sacerdotalibus jam anteà dictum est, cap. 8, q. 5. De reliquis hìc dicendum. Addam aliquid de Synagogâ et cathedris, in quibus Scriptura legebatur et explicabatur.

Tabernaculum et templum. — Tabernaculum erat mobile et portabile, quod per partes poterat dissolvi, et convasari, quandò movenda erant castra, Exodi 26. Templum verò à Salomone ædificatum, erat fixum et immobile, de quo 3 Reg. 6 et seq. Ratio duplex est, una litteralis, altera mystica. Litteralis est, quia Judæi ab egressu ex Ægypto, usque ad tempora Salomonis, non fuerunt quieti; nam primò per 40 annos errârunt in deserto : posteà habuerunt perpetua bella cum vicinis gentibus in Palæstinâ. Itaque conveniens fuit ut haberent tabernaculum mobile, quod possent transferre de loco in locum, non autem fixum et immobile, ne à gentibus occuparetur. At, tempore Salomonis, cùm essent in summâ pace et quiete, poterant sine ullo periculo habere templum fixum et immobile, in quo Deo servirent. Mystica est, quia per tabernaculum, quod erat mobile et mutabile, significabatur status vitæ præsentis, quæ similiter mutationibus obnoxia est. Per templum verò, quod erat fixum et stans, significabatur status futuræ vitæ immutabilis. Undè etiam legimus, quòd in ædificatione templi, non sit auditus sonitus mallei vel securis (3 Reg. 6, v. 7), quia nec in futurâ vitâ erit ullus strepitus aut turbatio. (Apocal. 21. v. 4.) Quod ad structuram utriusque attinet, tabernaculum erat longum triginta cubitis, latum decem, altum decem. Et divisum in duas partes, quarum una dicebatur *Sanctum*, habens viginti cubitos in longitudine; altera, *Sanctum Sanctorum*, habens decem cubitos. Itaque *Sanctum* erat quadrangulum, habens longitudinem viginti, latitudinem decem cubitorum. Inter utrumque erat velum, quo *Sanctum* dividebatur à *Sancto Sanctorum*. Et quidem in Sancto erat candelabrum, mensa panum propositionis, et altare thymiamatis; in *Sancto Sanctorum*, Arca fœderis cum propitiatorio. In Sanctum quotidiè ingrediebantur sacerdotes mane et vespere; tùm ut adolerent thymiamata; tùm etiam ut vespere accenderent lucernas candelabri, et mane

eas exstinguerent; at in *Sanctum Sanctorum* solus Pontifex ingredi poterat, idque semel in anno, nempè in festo expiationis. (Lev. 16.) Erat autem Tabernaculum constructum ex viginti tabulis lignorum Setim inauratis in longitudine versùs meridiem, et totidem in longitudine versùs septentrionem; at versùs occidentem, ubi erat latitudo, habebat octo tabulas, versùs orientem, nullam. Ibi enim erat ingressus in tabernaculum, ideòque nihil aliud ibi erat, nisi quinque columnæ inauratæ, quæ velo tegebantur; ità ut sacerdotes, elevato velo, possent introire. (Exod. 26, v. 25, et seq.) Tegebatur autem tam supernè quam ad latera, primò quidem, decem cortinis factis ex cocco, purpurâ, hyacintho ac bysso; quæ per modum tentorii erant tensæ et expansæ. Secundò, undecim sagis seu stragulis cilicinis. Tertiò, pellibus arietum rubricatis. Quartò, pellibus anthinis, contrà pluvias et procellas. (Exod. 26. Dices: Si tabernaculum fuit undique tectum et velatum, quomodò potuit lumen admittere? Respond. Admittebat lumen per illam partem orientalem, ubi sacerdotes, submoto velo, ingrediebantur. Ibi enim nulla erat tabula, ut dictum est, sed tantùm quinque columnæ inauratæ.

In circuitu tabernaculi erat atrium, supernè patens, sub dio, quod undequaquè ambiebat tabernaculum; ità ut tabernaculum staret in medio atrii, sicut apud Christianos templum solet stare in medio cœmeterii. (Exod. 40, v. 31.) Hoc atrium erat quadrangulum, habens centum cubitos in longitudine et quinquaginta in latitudine, et quinque in altitudine. (Exod. 27, v. 18.) Cingebatur sexaginta columnis æneis, quarum viginti erant ad meridiem, viginti ad aquilonem, et decem ad occidentem, et decem ad orientem. In istis columnis eminebat praxili, id est, clavi, è quibus tentoria, id est, vela vel cortinæ suspendebantur. (Exod. 27, v. 10, et seq. et Exod. 35, v. 17.) In introitu atrii, erat tentorium, seu cortina cubitorum viginti, pendens ex quatuor columnis. (Exod. 27, v. 16.) Ab introitu atrii usque ad tabernaculum, erat longitudo et latitudo quinquaginta cubitorum, ut caperet populum; nam locus erat quasi templum laicorum, in quo orabant, et sacrificia offerebant. Non enim poterant intrare in tabernaculum. In eodem atrio, non quidem versùs introitum, sed versùs tabernaculum, erat altare holocausti sub dio; et inter altare et tabernaculum, erat labrum æneum ad lavandum. Exod. 30, v. 18.

Templum, quod Salomon posteà ædificavit, fuit multò majus ac capacius, quàm tabernaculum; et tria in eo spectari debent. 1° Templum ipsum. 2° Atria circa templum, sub dio. 3° Porticus Salomonis, sub tecto. Porrò templum ipsum, sicut etiam de tabernaculo dictum est, continebat duas partes. Una respondebat *Sancto*, in quâ erant candelabra, mensæ, et altare thymiamatis; altera *Sancto Sanctorum*, in quâ erat Arca fœderis, cum propitiatorio. Inter utramque partem erat velum de quo Matth. 27, v. 51: *Et ecce velum templi scissum est in duas partes, à summo usque deorsùm.*

De atriis quæstio est, quot fuerint? Constat unum tantùm fuisse juxtà tabernaculum; plura quàm unum juxtà templum. At quot? Aliqui distinguunt: aiunt duo fuisse tempore Salomonis, unum interius juxtà templum, pro levitis et sacerdotibus, ubi erat altare holocaustorum et mare æneum; alterum exterius, pro populo, ubi laici orationis causâ conveniebant. De utroque intelligitur illud 2 Paral. 4, v. 9: *Fecit etiam atrium sacerdotum, et basilicam grandem.* Tria verò tempore Herodis, primum pro sacerdotibus, secundum pro laicis, tertium pro immundis et gentilibus. (Vide Azorium, lib. 6, Inst. Mor. cap. 53, et Cornelium, in cap. 27 Exod., v. 9.) Nota secundum atrium fuisse quasi templum laïcorum, in quo orabant, victimas sacerdotibus offerebant, sacrificia spectabant, hostias pacificas comedebant, ideòque in Evangelio, templi nomine appellari, Matth. 21, v. 12 et seq.: « Intravit Jesus in templum « Dei, et ejiciebat omnes vendentes et ementes in templo, et mensas numulariorum, et « cathedras vendentium columbas evertit; et « dixit eis: Scriptum est: Domus mea, domus « orationis vocabitur. » Et infrà: « Videntes... Scribæ... pueros clamantes in templo, « dicentes: Hosanna filio David, etc. » Quæ omnia intelliguntur de atrio laicorum; nam in templum propriè dictum nulli licebat ingredi, nisi sacerdotibus Aaronicis. (Hebr. 9, v. 9.) Nec Christus aut pueri unquàm illud ingressi sunt. (Vide Maldonatum in cap. 21 Matt., v. 12, et Cornelium, loco citato.)

De porticu Salomonis similiter quæstio est, an fuerit aliquid distinctum ab atrio seu templo laicorum; probabile est, fuisse distinctum. 1° Quia porticus erat sub tecto, atrium sub dio. 2° In porticu ambulabant Judæi; in atrio orabant. De porticu dicitur Joan. 10, v. 23: *Ambulabat Jesus in templo, in porticu Salomonis;* de atrio: *Domus mea domus orationis vocabitur.*

(Vide Azorium lib. 6, cap. 53, q. 3, Confer, si lubet, Joseph. De Bello Jud. l. 4, cap. 6.)

ARCA FOEDERIS. — Arca fœderis (de quâ Exod. 25, v. 10.) primò fuit in tabernaculo, posteà in templo. Et quidem, quamdiù fuit in tabernaculo, sæpè de loco in locum translata est. Nam, post finitam peregrinationem in deserto, cùm jam filii Israel ingressi essent terram promissionis, primò posita fuit in Galgalis; secundò, in Silo; tertiò, in Nobe; quartò, in Gabaon; quintò, in Hierusalem. Ratio litteralis est, quia Arca manebat ordinariè in illo loco, ubi Pontifex residebat; at ille sæpè mutabat locum, antequàm templum esset ædificatum à Salomone; mystica est, quia Arca fuit figura cœtùs Beatorum. At Beati in hàc vitâ erant variis mutationibus obnoxii; in alterâ, sunt quieti et constantes. Nam hæc vita comparatur tabernaculo, quod movebatur; altera, templo Salomonis, quod certo loco consistebat.

Forma Arcæ erat quadrangula, non quadrata. Habebat enim duos cubitos et dimidium longitudinis; unum cum dimidio, latitudinis, et unum cum dimidio, altitudinis. In quatuor angulis habebat quatuor circulos aureos, quibus inducebantur vectes inaurati, ad portandum. Erat autem facta ex lignis Setim inauratis, in eum finem, ut in eà reponerentur tabulæ legis Decalogi; undè etiam dicta est Arca testimonii, id est, legis, quia lex continebat attestationem divinæ voluntatis; et in eà Deus testatum reliquerat quid à nobis fieri vellet. Item, Arca testamenti seu fœderis, quia lex quæ servabatur in Arcà, erat conditio fœderis inter Deum et Hebræos initi. Et ob hanc causam summa erat veneratio Hebræorum ergà Arcam; quod etiam ex his colligi potest, 1°, quia ponebatur in Sancto Sanctorum, tanquàm in loco honoratissimo. (Hebr. 9, v. 2.) 2° Præcedebat castra, quandò populus proficiscebatur, et super illam columna nubis incumbebat. (Num. 10, v. 33, 34.) 3° Portabatur ordinariè à Levitis (1 Par. 15, v. 15); extraordinariè à sacerdotibus, ut in transitu Jordanis, et in demolitione murorum Jericho. (Josue 6, v. 6.) Nunquàm à laicis; undè etiam morte punitus est Oza, quòd cùm laicus esset, ausus fuisset, non dico portare, sed vel manu attingere Arcam Domini. (2 Reg. 6, v. 7.) 4° Quandò à Levitis elevabatur Arca ut præcederet castra, tunc orabat Moyses coràm illâ, dicens: « Surge, Domine, et dissipentur inimici tui, et fugiant, qui oderunt te, à facie tuâ. » Quandò verò reponebatur, dicebat Moyses: « Revertere, Domine, ad multitudinem exercitûs Israel. (Num. 10, v. 35-36.) Propter has et similes causas vocabatur gloria Israel. Undè uxor Phinees, 1 Reg. 4, v. 21: « Translata est, » inquit, « gloria de Israel, « quia capta est Arca Dei. »

Est autem vetus quæstio an præter duas tabulas legis Decalogi, fuerit aliquid aliud in Arcâ? Nam quòd nihil aliud in eà fuerit, colligi potest ex illo, 3 Reg. 8, v. 9: « In Arcâ « autem non erat aliud, nisi duæ tabulæ lapi- « deæ, quas posuerat in eà Moyses in Horeb, « quandò pepegit Dominus fœdus cum filiis « Israel. » Et Apostolus affirmat, præter duas tabulas fuisse etiam manna, et virgam Aaron; sic enim scribit, Hebr. 9, v. 3-4: « Taberna- « culum... habens... Arcam testamenti.... in « quâ urna aurea, habens manna, et virga « Aaron, quæ fronduerat, et tabulæ testa- « menti. » Ad hanc quæstionem respondent Chrysostomus et Theophylactus, tempore Moysis in Arcâ nihil fuisse nisi tabulas legis; sed posteà à Jeremiâ, circà tempus captivitatis Babylonicæ, appositam fuisse urnam cum mannâ et virgâ Aaronis, idque Paulum Apostolum per traditionem accepisse à Gamaliele, præceptore suo, de quo ipse meminit Act. 22, v. 3. Alii aliter respondent, ut videre est apud Riberam et Cornelium in cap. 9 Hebr.

Est et alia quæstio, an Arca, quæ primò fuit in tabernaculo deindè in templo Salomonis usque ad tempus captivitatis Babylonicæ, posteà etiam fuerit in templo secundo, quod post reditum ex captivitate Babylonicâ ædificatum est? Resp. Non fuit. Quod sic ostendo: Jeremias propheta, antequàm templum Salomonis vastaretur, ex instinctu Dei abstulit tabernaculum, Arcam, et altare thymiamatis, et portavit (ope Angelorum, ut multi volunt) in montem Nebo, et ibi in quàdam speluncâ occultavit, ut expressè habetur 2 Mach. c. 2, v. 4-5, his verbis: « Erat autem in ipsâ Scriptura, « quomodò tabernaculum et Arcam jussit pro- « pheta divino responso ad se facto comitari « secum, usquequò exiit in montem, in quo « Moyses ascendit, et vidit Dei hæreditatem. « Et veniens ibi Jeremias, invenit locum spe- « luncæ, et tabernaculum, et Arcam, et alta- « re incensi intulit illùc, et ostium obstruxit. » Et mox additur, v. 6 et seq.: « Et accesserunt « quidam simul, qui sequebantur, ut notarent « sibi locum; et non potuerunt invenire. Ut « autem cognovit Jeremias, culpans illos,

« dixit : quòd ignotus erit locus donec congre« get Deus congregationem populi, et propi« tius fiat ; et tunc Dominus ostendet hæc, et « apparebit majestas Domini. » Ex quo colligit Epiphanius in vitâ Moysis, Dorothæus in Synopsi, et alii boni auctores, tabernaculum, Arcam, et altare thymiamatis occultanda usque ad finem mundi; et tunc demùm manifestanda, ad conversionem Judæorum. Si ità est, sequitur primò non fuisse Arcam in templo secundo, quòd post reditum ex Babylone ædificatum est; secundò, falsum esse, quod aliqui asserunt, eo tempore, quo templum secundum à Romanis eversum est, Arcam à Tito in triumphum ductam esse; quod ideò sibi persuadent, quia Romæ in arcu Titi triumphali apparet depicta Arca; sed errant. Non est Arca, sed mensa panum propositionis, ut affirmat Josephus, qui triumphi spectator fuit. Vide Cornelium, in cap. 25 Exodi, et Serarium, in cap. 2, lib. 2 Machab., q. 17, 18 et 19.

Propitiatorium. Super Arcam, quæ supernè patebat, erat operculum ex puro auro factum, quod dicebatur *propitiatorium,* vel *oraculum;* super illud stabant duo Cherubin, seu duo Angeli Cherubini, similiter ex puro auro; alter in dextero latere, alter in sinistro, qui expansis et conjunctis alis, tegebant propitiatorium; et super illas alas sedebat Deus, tanquàm in throno, habens sub se Arcam cum operculo, id est, cum propitiatorio tanquàm scabellum pedum suorum. (Exod. 25, v. 17 et seq.) Quò etiam spectant hæc testimonia 4 Reg. 19, v. 15 : « Dominus Deus Israel, qui sedes « super Cherubim, » id est, super alas Cherubinorum. Et 1 Paral. 28, v. 2.... « Cogitavi « ut ædificarem domum, in quâ requiesceret « Arca fœderis Domini, et scabellum pedum « Dei nostri. » Et Psal. 98, v. 5 : « Adorate « scabellum pedum ejus, » id est, adorate Arcam; vel, prosternite vos antè Arcam; quæ est scabellum pedum Domini Dei, sedentis super alas Cherubin. Vide Bellarm. in comment. illius Psalmi, Cornelium in cap. 25 Exodi, Azorium, lib. 6. Instit. moral., cap. 44 et 45. Porrò operculum Arcæ dictum est, vel *propitiatorium*, vel *oraculum.* Propitiatorium, quia erat locus placationis, ubi Deus loquens cum Moyse, placabatur, et propitiabatur populo. Exod. 25, v. 22 : *Loquar ad te suprà propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim, qui erunt super Arcam testimonii.* Oraculum verò, quia Deus dabat ibi responsa, seu vivæ vocis oracula, quandò Moyses consulebat illum de rebus dubiis, vel futuris (Num. 7, v. 89.) : « Cùmque « ingrederetur Moyses tabernaculum fœderis, « ut consuleret oraculum, audiebat vocem lo« quentis ad se de propitiatorio quod erat su« per Arcam testimonii inter duos Cherubim. « Undè et loquebatur ei. » Vide quæ dicta sunt cap. 7, q. 4 et 5.

Candelabrum. — Dictum est de Arcâ et propitiatorio, quæ erant in Sancto Sanctorum; nunc dicendum est de candelabro, mensâ panum propositionis, et altari thymiamatis, quæ erant in Sancto. Candelabrum quidem ad meridiem, mensa ad septentrionem; altare in medio utriusque. (Exod. 40, v. 20 et seq.) Loquor autem de unico candelabro, quod fuit in tabernaculo, non de decem candelabris, quæ fuerunt in templo Salomonis. Igitur candelabrum constabat ex auro purissimo. Ex illius hastili procedebant sex calami seu rami, qui omnes æqualiter cum hastili in altum assurgebant. Superiùs erant septem lucernæ, una in hastili, reliquæ in sex ramis. (Exodi 25, v. 31.) Hæ lucernæ illuminabant mensam panum propositionis, et altare thymiamatis, sed tantùm nocte. Quod intelligitur ex illo Exodi 27, v. 20-21. « Præcipe filiis Israel ut afferant tibi « oleum de arboribus olivarum purissimum, « piloque contusum; ut ardeat lucerna semper « in tabernaculo testimonii, extrà velum quod « oppansum est testimonio. Et collocabunt eam « Aaron et filii ejus, ut usque manè luceat co« ràm Domino. » Ubi notandum est illud, *usque manè,* ut sensus sit, luceat nocte, et non die. Igitur quotidiè per totum annum vespere sacerdotes accendebant lucernas, ut totâ nocte arderent. Manè verò eas exstinguebant, mundabant, componebant; et oleum infundebant. Quod apertiùs explicatur Levitici 24, v. 2-3 : « Præcipe filiis Israel, ut afferrant tibi oleum « de olivis purissimum, ac lucidum, ad concin« nandas lucernas jugiter, extrà velum Testi« monii in tabernaculo fœderis. Ponetque eas « Aaron à vespere usque ad manè coràm Do« mino. » (Vide etiam 1 Reg. 3, v. 3; et 2 Paral. 13, v. 11.) Præter candelabrum, erant emunctoria ex auro purissimo, quibus lucernæ emungebantur, et thuribula, seu vasa, in quibus ea, quæ emuncta erant, exstinguebantur. (Exod. 25, v. 38.)

Mensa panum propositionis. Hæc mensa facta erat ex lignis Setim, auro obductis; longa duos cubitos, lata unum, alta unum et medium. Supernè labio, seu limbo aureo, et clausurâ aureâ circumdata, ne panes deciderent,

habens quatuor pedes, quibus fulciebatur. Singuli pedes habebant singulos annulos, in quos vectes lignei, et auro obducti inserebantur, ad mensam tollendam, et de loco in locum transportandam, Exodi 25, v. 23 et seq. In hâc mensâ ponebantur duodecim panes, de quibus notanda sunt hæc : 1° Erant duodecim, quia totidem erant tribus filiorum Israel. 2° Dicebantur panes propositionis, vel panes faciles, quia in conspectu Dei proponebantur. (Exod. 25, v. 30.) 3° Erant azymi ex similâ purissimâ, et singuli ponderabant duas decimas. (Lev. 24, v. 5.) 4° Sex ponebantur in unâ parte mensæ, et totidem in alterâ. (Ibidem, v. 6.) 5° His panibus imponebatur thus, ad significandum Deo oblatos esse. (Ibid., v. 7.) 6° Singulis sabbatis auferebantur veteres, et ponebantur novi, adhuc calidi. (Ibid., v. 8.) 7° Veteres comedebantur à solis sacerdotibus. (Matth. 12, v. 4.) 8° Novi pinsebantur à Levitis. (1 Paral. 9, v. 32.) 9° Similà ex quâ fiebant, offerebatur à populo. (Levit. 24, v. 5.) Undè sequitur et laïcos, et Levitas, et sacerdotes aliquid egisse circà hos panes. Laïci offerebant materiam; Levitæ pinsebant; sacerdotes manducabant. Falsa igitur est Hebræorum traditio, de quâ Hieronymus in cap. 1 Malach. : « Panes propositionis, « juxtà traditiones hebraicas, ipsi sacerdotes « serere, ipsi demetere, ipsi molere, ipsi co- « quere debebant. »

Altare thymiamatis. — Altare erat duplex : unum thymiamatis seu incensi, in quo incendebatur thus, et alia aromata suavissimi odoris; alterum holocaustorum, in quo omnes victimæ offerebantur. Igitur de altari thymiamatis, de quo nunc sermo est, hæc notanda sunt. (Exod. 30.) Primò, factum erat ex lignis Setim inauratis, longum cubitum unum, latum cubitum unum, altum cubitos duos; habens quatuor cornua, et coronam auream per gyrum, in medio habens craticulam reticulatam, per quam favillæ et cineres aromatum incensorum decidebant sub altare, ut indè suo tempore eximerentur; habens insuper quatuor annulos, per quos inserebantur duo vectes, quibus portabatur per desertum. Secundò, hoc altare positum erat in *Sancto* inter candelabrum et mensam panum propositionis, obversum propitiatorio seu oraculo, quod erat in *Sancto Sanctorum* super Arcam. Undè etiam vocari solet altare oraculi; quia ità erat obversum oraculo, ut per aperturam, quæ erat supernè in pariete dividente Sanctum à Sancto Sanctorum, ascenderet fumus aromatum ex altari thymiamatis, et perveniret ad ipsum oraculum, ubi Deus residens super alas Cherubin, dabat responsa; idque eo fine, ut Deus isto suffitu ac odore aromatum, tanquàm supremus omnium Dominus, honoraretur. Tertiò, in hoc altari nullæ victimæ, sed tantùm thymiamata, seu aromata suavissimi odoris incendebantur, non tantùm à Pontifice, sed etiam à minoribus sacerdotibus; qui quotidiè bis, semel manè, et semel vespere illud præstabant, ut cap. 7, quæst. 4, n. 1, dictum est. Non quòd Deus delectaretur ejusmodi odoribus (cùm sit incorporeus), sed quòd esset signum magnæ venerationis, ac reverentiæ ergà Deum, tanquàm supremum Dominum, ut jam antè insinuavi.

Altare holocausti.—Hoc altare, in quo holocausta, et quævis alia sacrificia Deo immolabantur et cremabantur, non erat in tabernaculo, sed in atrio sacerdotum, sub dio positum propter ignem, fumum et nidorem victimarum, ut suprà dixi. De quo similiter hæc notanda sunt. (Exod. 27, à v. 1, usque ad 8.) Primò, erat factum ex lignis Setim, quæ æneis tabulis interiùs et exteriùs tegebantur, ne ab igne læderentur. Longum cubitos quinque, latum totidem, altum tres. Interiùs cavum et inane, ad continendum ignem pro comburendis sacrificiis. (Exod. 27, à v. 1 usque ad 8.) Habebat supernè craticulam æneam, foraminibus plenam, instar retis, quæ totam altaris longitudinem et latitudinem occupabat. Huic craticulæ imponebantur victimæ, ut à subjecto igne cremarentur, et earum cinis per foramina craticulæ sub altare decideret. Ex eâdem craticulâ pendebat arula ænea, vel foculus æneus, in ipsâ altaris cavitate; in quo foculo erat ignis ad comburendas carnes, quæ in superiori craticulâ ponebantur. Hic ignis (qui de cœlo fuerat missus) quotidiè novis lignis appositis fovebatur à sacerdotibus, ne unquàm exstingueretur. Foculus, in quo erat ignis, pendebat in cavitate altaris, et supernè per quatuor catenulas alligabatur ad quatuor altaris et craticulæ cornua. Altare habebat quatuor annulos aureos, per quos duo vectes inserebantur ad portandum altare. Totidem annulos et vectes habebat craticula, distinctos ab annulis et vectibus altaris, ut seorsìm portari posset. In hoc altari, manè et vespere quotidiè, primò immolabatur agnus, quasi juge sacrificium, de quo sequenti capite. Deindè aliæ victimæ, sive essent votivæ, sive spontaneæ, sive præceptæ ob aliquod festum incidens.

Labrum æneum, et reliqua vasa sacra.—Vasa,

quæ serviebant pro tabernaculo et atrio, erant potissimùm hæc : Primò labrum æneum. (Exod. cap. 30, v. 18, et cap. 38, v. 8.) Secundò, acetabula, phialæ, thuribula, cyathi. (Exod. 25, v. 29.) Tertiò, lebetes ænei. (Exod. 27, v. 3.) Quartò, mortariola et crateres. (Num. 4, v. 7.) De singulis dicam aliquid. Labrum æneum erat vas quoddam ex ære factum, ut in eo lavarentur sacerdotes, antequàm accederent ad sacrificia. Et similiter partes victimarum, antequàm immolarentur. Erat autem factum ex æneis speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi, ut habetur Exod. 38, v. 8. Apud Hebræos vocatur *Concha;* apud septuaginta Interpretes, *loutis*, id est, lavatorium. Huic simile curavit fieri Salomon, sed multò capacius, quod ob magnitudinem dictum est *mare æneum*, de quo 3 Reg. 7, v. 23 : « Fecit quoque mare fusile decem cubitorum à labio usque ad labium, rotundum in circuitu.... et stabat super duodecim boves, è quibus tres respiciebant ad aquilonem, et tres ad occidentem, et tres ad meridiem, et tres ad orientem. » Acetabula, phialæ, cyathi, thuribula, facta erant ex puro auro, et serviebant in usum mensæ, et in eâ tanquàm in repositorio asservabantur. Hoc sensu intelligendum ex illud, Exod. 37, v. 16 : « Et vasa ad diversos usus mensæ, acetabula, phialas, et cyathos, et thuribula, ex auro puro, in quibus offerenda sunt libamina. » Vilapand., l. 4. de Templo, cap. 57, per acetabula intelligit crateres aureos, quibus singuli panes imponebantur. Per thuribula, eorum opercula, ne panes à pulveribus, vel à muscis fœdarentur. Per phialas, vasa, quibus vinum pro panibus libabatur. Alii sic explicant : Acetabula erant scutellæ, vel catini, ad excipiendam et continendam similam, quæ offerebatur. Phialæ erant vasa parva et concava parata ad vinum et alia libamina in sacrificiis fundenda. Septuaginta vocant *thyscas*, id est, mortaria. Hieronymus sæpè appellat mortariola. Cyathi ad eumdem usum serviebant. Thuribula facta erant ad duplicem usum : 1° Ad offerendum thymiama quod adolebatur. 2° Ad asservandum thus, quod ponebatur super panes propositionis. (Levit. 24, v. 7.) Noster alibi *crateres;* Septuaginta, *libatoria* vertunt. Lebetes ænei (de quibus Exod. 27, v. 3) subserviebant altari holocaustorum, ad suscipiendos cineres victimarum, qui cadebant per foramina craticulæ positæ supra altare, ut habetur loco citato : *Faciesque in usus ejus* (altaris) *lebetes ad suscipiendos cineres*, etc.

Quæres : Quid hæc omnia significaverint? vel, cujus rei figura fuerit tabernaculum, et reliqua, quæ jam recensita sunt? Resp. Tabernaculum fuit figura Ecclesiæ Christi, quatenùs complectitur Ecclesiam militantem in terris, et triumphantem in cœlis, quod declaro : Tria spectari poterant in tabernaculo. 1° Atrium, quod erat circa tabernaculum. 2° Sanctum, quod erat una pars tabernaculi. 3° Sanctum Sanctorum, quod erat altera pars tabernaculi. Igitur *atrium* fuit figura Ecclesiæ militantis, quoad communem vitam Christianorum ; nam in atrio erant tria. 1° Locus orationis laicorum. 2° Labrum æneum ad abluendas sordes. 3° Altare holocausti ad cremenda animalia. Similiter tria sunt in communi vitâ Christianorum : Communis oratio, Sacramentum pœnitentiæ, quo abluuntur peccata; Mortificatio vitiorum per jejunium, et alia opera. *Sanctum* fuit figura ejusdem Ecclesiæ militantis, quoad vitam perfectorum; nam in Sancto erant tria, mensa panum propositionis, altare thymiamatis, candelabrum lucens. Sic tria sunt in vitâ perfectorum, Sacramentum Eucharistiæ, quod fuit significatum per panes propositionis, ut docent Hieronymus, Cyrillus, Damascenus, et alii ; jugis oratio et contemplatio, quæ fuit præfigurata per aromata, quæ incendebantur in altari thymiamatis (Apoc. 5, v. 8) ; doctrina et sanctitas cujus typum gessit candelabrum lucens. (Matth. 5, v. 15.) *Sanctum Sanctorum* fuit figura Ecclesiæ triumphantis : nam tria erant in Sancto Sanctorum : Arca fœderis, Propitiatorium, Cherubini. Sic tria sunt in cœlo cœtus Beatorum, Humanitas Christi gloriosa, Angeli sancti. Rursùm in Arcâ erant tabulæ decalogi, urna cum mannâ et virga Aaronis florescens. Sic in cœtu Beatorum est perfecta charitas Dei et proximi, abundantia divinæ suavitatis, et gloriosa Sanctorum corpora.

Synagogæ et cathedræ.—Synagogæ, ut initio capitis sexti dictum est, erant ædificia sacra, in quibus Judæi singulis sabbatis solebant Scripturam legere et explicare. Dictæ sunt autem Synagogæ, id est, congregationes, quia erant domus seu Ecclesiæ, in quibus Judæi congregabantur. Sicut enim Christiani hoc tempore solent congregari in templis, ad audiendas conciones diebus festis; ità Judæi soliti erant congregari in Synagogis, ad legendam et audiendam legem Mosaicam (Marci 1, v. 21 ; et Lucæ 4, v. 16; et Act. 13, v. 14). In singulis Synagogis, erant cathedræ, seu sedi-

lia, in quibus sedebant, tùm illi, qui legebant et explicabant legem Mosaïcam, tùm illi qui audiebant, ut patet Matth. 23, v. 6, ubi de Scribis et Pharisæis dicitur : *Amant.... primas cathedras in Synagogis.* Ex quo sequitur, quasdam fuisse cathedras honoratiores pro Pharisæis et legis doctoribus ; alias minùs honoratas pro populo, qui ab illis instruebatur.

Quæres 1° : In quem usum fuerint ædificatæ Synagogæ? Resp. In triplicem usum ut colligitur ex Scripturâ. 1° Ad docendum et prædicandum Moysen ac prophetas. 2° Ad orandum. 3° Ad puniendos delinquentes. Ità Toletus in cap. 16 Joan., annot. 2, et Torniell., in annal., anno 2594, n. 12. Nam primò, solebant doctores populi singulis sabbatis convenire ad Synagogas, ibique legere et explicare libros Moysis ac prophetarum. Act. 15, v. 21 : « Moyses à temporibus antiquis habet in singulis civitatibus qui eum prædicent in Synagogis, ubi per omne sabbatum legitur. » Et quidem ordinarii doctores erant Scribæ et Pharisæi, Matth. 23, v. 2 : *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi.* Quod tamen officium sæpè usurpavit Christus, Marc. 1, v. 21 : *Sabbatis ingressus in Synagogam, docebat eos.* Et Luc. 4, v. 15 : *Et ipse docebat in Synagogis eorum.* Et alibi. Solebant aliquandò ordinarii doctores, postquàm legissent et explicâssent aliquem Scripturæ locum, offerre etiam aliis potestatem legendi et explicandi, præsertim aliundè accedentibus; sic obtulerunt Paulo et Barnabæ, Act. 13, v. 14. et seq. : « Ingressi Synagogam (Paulus et Barnabas) die sabbatorum, sederunt. Post lectionem autem legis et prophetarum, miserunt principes Synagogæ ad eos, dicentes : Viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite. Surgens autem Paulus, et manu silentium indicens, ait : Viri Israelitæ, etc. » Sic etiam videntur obtulisse Christo, Luc. 4, v. 16 et seq. « Intravit secundùm consuetudinem suam die sabbati in Synagogam, et surrexit legere. Et traditus est illi liber Isaiæ prophetæ. Et ut revolvit librum, invenit locum ubi scriptum erat : Spiritus Domini super me.... Et cùm plicuisset librum, reddidit ministro, et sedit. Et omnium in Synagogâ oculi erant intendentes in eum. Cœpit autem dicere, etc. » Certè minister, qui obtulit illi librum Isaiæ, fecit hoc jussu Scribarum et Pharisæorum, qui Synagogæ præsidebant. Secundò, solebant etiam Judæi, orationis causâ, venire ad suas Synagogas, ut patet, Judith. 6, v. 21 : *Convocatus est omnis populus, et per totam noctem intrà Ecclesiam oraverunt, petentes auxilium à Deo Israel.* Ubi per Ecclesiam non potest intelligi aliud quàm Synagoga illius loci. Sicut etiam Psal. 25, v. 12 : *In ecclesiis benedicam te, Domine.* Et Psal. 67, v. 27 : *In ecclesiis benedicite Deo Domino.* Quod apertè confirmatur ex illo Matth. 6, v. 5 : *Cùm oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in Synagogis, et in angulis platearum stantes orare.* Ubi reprehenduntur Scribæ et Pharisæi, non ideò præcisè, quòd orarent in Synagogis (quia hoc erat licitum et usitatum) sed quòd ibi orarent, ut viderentur ab hominibus. Itaque non tam oratio in Synagogis, quàm inanis gloria fuit à Christo reprehensa. Tertiò, solebant denique in suis Synagogis punire eos, qui vel verè deliquerant, vel falsò putabantur deliquisse, quod faciebant dupliciter : primò, ejiciendo illos extrà Synagogam ; quam pœnam valdè formidabant Judæi. Joan. 9, v. 22 : « Hæc dixerunt parentes ejus, quoniam timebant Judæos; jam enim conspiraverant Judæi, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extrà Synagogam fieret. » Et Joan. 12, v. 42 : « Ex principibus multi crediderunt in eum ; sed propter Pharisæos non confitebantur, ut è Synagogâ non ejicerentur. » Secundò, alias pœnas corporales, in ipsis Synagogis, infligendo. Matth. 10, v. 17.... *In Synagogis suis flagellabunt vos.* Et Matth. 23, v. 34 : *Mitto ad vos Prophetas... et ex eis flagellabitis in Synagogis vestris.* Et Act. 22, v. 19 : *Ego* (Paulus) *eram concludens in carcerem, et cædens per Synagogas eos qui credebant in te.* Et cap. 26, v. 11 : *Per omnes Synagogas frequenter puniens eos compellebam blasphemare.*

Quæres 2° : Quandò primùm cœperint ædificari Synagogæ ? Aliqui putant tempore captivatis Babylonicæ. Tunc enim Judæi, in exilio constituti, non habebant templum, in quo orarent, et legis Mosaicæ explicationem audirent. Itaque necesse fuit, ut ædificarent quasdam domos, in quibus id præstare possent. Alii rectiùs sentiunt, multò antè id factum esse, ut Toletus et Torniellus, loco citato. Ratio est, quia antè captivitatem Babylonicam, tempore regum ac judicum, necesse fuit Judæos habere aliquem locum in quo singulis sabbatis orationi et lectioni legis Mosaicæ vacarent; hoc autem non potuit fieri in eo tantùm loco, ubi erant tabernaculum vel templum ; quia moraliter erat impossibile, omnes Judæos singulis sabbatis ex totâ Judeâ in unum

locum convenire (hoc enim ter solùm fiebat in anno, nempè in Paschate, Pentecoste, et festo tabernaculorum, ut habetur Deut. 16, v. 16.). Ergò, necesse est in variis locis fuisse Synagogas, in quibus commodè id fieret. Et hoc probant testimonia superiùs citata, Psal. 25, v. 12; et Psal. 67, v. 27. Itaque illud 2 Paral. 17, v. 9 : *Docebant populum in Judà, habentes librum legis Domini, et circuibant cunctas urbes Juda, atque erudiebant populum.* Quod sine dubio factum est in Synagogis, quæ erant in urbibus Juda.

Quæres tertiò quæ fuerit antiquissima inter omnes Synagogas? Toletus, Torniellus, et Rabbini putant illam fuisse antiquissimam, quæ erat in Masphâ. Ibi enim constat fuisse domum quamdam, seu Ecclesiam, tempore judicum et regum, ad quam devotionis causâ solebant convenire Israelitæ; Judic. 11, v. 11.... « Locutusque est Jephte omnes sermones suos « coràm Domino in Masphâ. » Et cap. 20, v. 1 : « Egressi sunt omnes filii Israel, et pariter « congregati.... ad dominum in Masphâ.... et « cunctæ tribus Israel in Ecclesiam populi Dei « convenerunt. » Et 1 Reg. 7, v. 5 : « Dixit « autem Samuel; congregate universum Israel « in Masphath, ut orem pro nobis Dominum. » Et 1 Machab. 3, v. 46 : « Congregati sunt, et « venerunt in Masphâ contrà Jerusalem; quia « locus orationis erat in Masphâ antè in Israel. » Ex his testimoniis tria colligo. 1° In Masphâ fuisse Ecclesiam populi Dei. 2° Fuisse ibidem locum orationis. 3° Idque tempore Jephte, Samuelis et Machabæorum.

Dices : hæc omnia possunt intelligi de tabernaculo et Arcâ fœderis quæ erant in Masphâ. Resp. Non possunt; nam tabernaculum et Arca, nec tempore Jephte, nec tempore Samuelis, nec tempore Machabæorum, fuerunt in Masphâ : imò nunquàm ibi fuisse, verisimile est, quod sic ostendo : Tabernaculum primò fuit in Galgalis, tempore Josue. (Jos. 5, v. 10.) Deindè, in Silo, tempore Samuelis. (1 Reg. 4, v. 3.) Tertiò, in Nobe, tempore Davidis. (1 Reg. cap. 21, v. 1, et cap. 22, v. 19.) Quartò, in Gabaon, tempore Salomonis. (3 Reg. 3, v. 4, et 1 Paral. 21, 29.) Quintò in Jerusalem, in templo Salomonis. (3 Reg. 8, v. 1.) Ubi autem manserit tempore captivitatis Babylonicæ, non constat. Similiter Arca fœderis primò quidem fuit in ipso tabernaculo, in Galgalis et in Silo, usque ad tempora Samuelis; deindè separata fuit à tabernaculo, et ex Silo translata in castra Israelitarum pugnantium contrà Philistæos, sub eodem Samuele. (1 Reg. 4, v. 3.) Posteà capta fuit à Philistæis, et in Azoto posita, in templo Dagon. (cap. 5, v. 1-2.) Indè translata in Accaron. (v. 10.) Inde in agrum Josue Bethsamitæ. (cap. 6, v. 14.) Indè Cariathiarim in domum Abinadab in Gabaâ. (cap. 7, v, 1.) Indè in domum Obededom Gethæi. (2 Reg. 6, v. 10.) Inde in civitatem David. (v. 12.) Nunquàm legitur fuisse in Masphâ; undè sequitur domum seu ecclesiam quæ fuit in Masphâ, à tempore Josue usque ad Machabæos, nihil aliud fuisse quàm Synagogam, in quam orationis causâ conveniebant Israelitæ.

Quæres 4° quàm multæ fuerint Synagogæ? Rep. Initio fuerunt paucæ; sed posteà, crescente populo, multiplicatæ sunt; adeò quidem, ut tempore excidii Jerosolymitani, numeratæ fuerint 480 Synagogæ in solà urbe Jerusalem, quarum aliæ erant pro civibus, aliæ pro Judæis advenis, qui religionis causâ veniebant Jerosolymam, ut tradunt Toletus, et Torniellus, loco cit., et Genebrardus in chronologiâ, ubi agit de rebus gestis sub Joachim summo Sacerdote. Quòd enim Judæi advenæ habuerint Jerosolymis suas Synagogas, constat ex illo Act. 6, v. 9 : « Surrexerunt autem qui« dam de Synagogâ, quæ appellatur Libertino« rum, et Cyrenensium, et Alexandrinorum, « et eorum qui erant à Ciliciâ et Asiâ. » Erant etiam plurimæ extrà Jerusalem in aliis civitatibus, quarum fit mentio Matth. 4, v. 23, et Luc. 4, v. 15, et alibi.

Quæres 5° an in solà Judæâ fuerint Synagogæ? Resp. Etiam extrà Judæam fuerunt multæ; ut Damasci, Salaminæ, Antiochiæ, Pisidiæ, Iconii, Thessalonicæ, Berææ, Athenis, Corinthi, Ephesi, ut habetur in Actibus Apostolorum, cap. 9, v. 2, cap. 13, v. 5 et seq., cap. 14, v. 1, cap. 17, v. 1 et seq.; nam in illis civitatibus habitabant Judæi permixti cum gentilibus, ut patet ex locis citatis. Undè etiam Synagogæ quæ ibi erant, non appellabantur Synagogæ Gentilium, sed Judæorum, Act. 13, v. 5 : « Cùm venissent Salaminam, præ« dicabant verbum Dei in Synagogis Judæo« rum. » Et cap. 14, v. 1 : « Factum est autem Ico« nii, ut simul introirent in Synagogam Judæo« rum. » Et cap. 17, v. 1 : « Venerunt Thes« salonicam, ubi erat Synagoga Judæorum. »

Quæres 6° an omnes Synagogæ ædificatæ fuerint à solis Judæis? Resp. Non omnes; nam etiam Gentiles, qui benè affecti erant ergà Judæos, solebant Synagogas pro illis exstruere. Habemus exemplum in Centurione, de quo se-

niores Judæorum ad Christum Luc. 7, v. 4-5 : *Dignus est ut hoc illi præstes; diligit enim gentem nostram, et Synagogam ipse ædificavit nobis.*

Epilogus hujus capitis. — Hìc obiter notandum est, instrumenta divini cultûs, de quibus actum est hactenùs, fuisse magni momenti apud Deum et homines, quod ex triplici capite colligi potest. 1° Ex parte ipsius Dei; nam ipse speciatim mandavit fieri tabernaculum, Arcam, Propitiatorium, et alia instrumenta, quæ recensuimus. 2° Ex parte Judæorum, qui fuerunt valdè prompti ac liberales in faciendis expensis, quæ ad fabricam erant necessariæ. Exodi 35, v. 20 et seq. : « Egressaque omnis multitudo filiorum Israel « de conspectu Moysis, obtulerunt mente « promptissimâ atque devotâ primitias Domino, « ad faciendum opus tabernaculi testimonii. « Quidquid ad cultum, et ad vestes sanctas « necessarium erat, viri cum mulieribus præ« buerunt, armillas et inaures, annulos et dex« tralia, etc. » 3° Ex parte gentilium, qui et ipsi, ex instinctu Dei, multa conferebant ad promovendum Dei cultum, ut Cyrus rex Persarum, de quo 1 Esdræ 1, v. 2 : « Hæc dicit « Cyrus, rex Persarum : Omnia regna terræ « dedit mihi Dominus Deus cœli, et ipse præ« cepit mihi ut ædificarem ei domum in Jerusa« lem, quæ est in Judæâ. » Et Seleucus, rex Asiæ, ac alii vicini reges, de quibus 2 Mach. 3, v. 1 et seq. : « Igitur cùm sancta civitas ha« bitaretur in omni pace, leges etiam adhuc « optimè custodirentur, propter Oniæ Pontifi« cis pietatem, et animos odio habentes mala, « fiebat ut et ipsi reges et principes locum « summo honore dignum ducerent, et tem« plum maximis muneribus illustrarent, ità ut « Seleucus, Asiæ rex, de redditibus suis præ« staret omnes sumptus ad ministerium sacrifi« ciorum pertinentes. »

Hinc discant christiani Pontifices, reges, subditi quid sui officii sit in promovendo Dei cultu. Pontifices imitentur Oniam in pietate; reges, Cyrum et Seleucum in liberalitate; subditi, populum Israeliticum in conferendis expensis. Nisi hoc faciant, eveniet ipsis quod Judæis, quandò defecerunt à cultu Dei, contigit: Jerusalem eversa est; templum incendio conflagravit; omnes in captivitatem abducti sunt.

CAPUT XIV.

DE SACRIFICIIS MOSAICIS.

Sacrificia Mosaica tripliciter dividi possunt. 1° Ratione materiæ. 2° Ratione formæ et finis. 3° Ratione temporis; et quidem, ratione materiæ dividuntur in victimas, oblationes, et libamenta; ratione formæ ac finis, in holocausta, hostias pacificas, et hostias pro peccato; ratione temporis, in juge sacrificium, quod quotidiè, et in sacrificium agni paschalis, quod in Paschate, et in alia sacrificia, quæ in aliis solemnitatibus offerebantur, de quibus dicam hoc ordine. 1° De victimis, immolationibus, et libaminibus. 2° De holocaustis, hostiis pacificis, et hostiis pro peccato. 3° De jugi sacrificio. 4° De agno paschali. 5° De sacrificiis aliarum solemnitatum. 6° De igne, quo utebantur sacerdotes in sacrificiis. 7° Addam aliquid de sacrificio novi Testamenti, quod per sacrificia Mosaica fuit præfiguratum.

De victimis, immolationibus, et libamentis. —Igitur ratione materiæ, triplicia erant sacrificia Mosaica. 1° Victimæ seu hostiæ. 2° Immolationes. 3° Libamenta. Erat enim triplex materia à Deo designata, quæ in Judæorum sacrificiis offerri poterat ac debebat. Primò, animalia, ut oves, capræ, hœdi, boves, vituli, columbæ, passeres, turtures; secundò, fructus terræ, ut panis, simila, sal, thus, manipulus spicarum virentium et triticum; tertiò, liquores, ut sanguis, vinum, oleum, aqua; nec aliquid his ampliùs. Cùm ergò fiebat sacrificium ex animalibus, vocabatur hostia seu victima; cùm ex fructibus terræ, immolatio; cùm ex liquoribus, libamen seu libamentum. Erat autem diversus modus offerendi in hoc triplici rerum genere; nam animalia offerebantur mactione et combustione; fructus terræ, immutatione; liquores, effusione. Porrò, illa immutatio fructuum erat etiam varia; nam panis in frusta dissecabatur; simila, in sartagine, clibano, vel craticula coquebatur; thus adolebatur; manipulus spicarum torrebatur; triticum conterebatur.

Hìc quæri potest cur non alia animalia, nec alios fructus, nec alios liquores, licuerit offerre in sacrificiis Mosaicis, quàm quæ jam numerata sunt? Ratio dubitandi est, quia præter illa, sunt alia multò præstantiora. Optima autem quæque Deo offerenda sunt. Hinc sacrificium Abelis fuit Deo gratum, non autem Caïn; quia Abel obtulit de primogenitis animalium, Caïn verò non de primitiis frugum sed de communibus frugibus. Resp. In hâc re debet nobis sufficere voluntas Dei, qui in lege Mosaicâ sic voluit et ordinavit. Nec tamen desunt rationabiles causæ, cur id factum sit; de quibus videri potest D. Thom. in 1-2, q. 101, et 105.

De holocausto, sacrificio pro peccato, et hostia pacifica. — Ratione formæ ac finis erat etiam triplex sacrificium in lege Mosaicâ. 1° Holocaustum. 2° Sacrificium pro peccato. 3° Hostia pacifica. (Vide D. Thom. 1-2, q. 102, art. 3 ad 8. Holocaustum erat sacrificium perfectissimum, quia in eo tota res oblata comburebatur, et in fumum resoluta, sursùm ad Deum ascendebat; ità ut nihil indè cederet in usum humanum. Per hoc enim perfectissimè designabatur, omnia esse ipsius Dei, et omnia ad ipsius honorem referenda. Et in hunc finem erat potissimùm institutum hoc genus sacrificii; tametsi interdùm etiam pro peccato populi, et sacerdotum offerri posset. Sacrificium pro peccato, partìm cremabatur, partìm cedebat in usum sacerdotum, qui in atrio templi ex eo vescebantur. Per hoc significabatur (ut notat D. Thom.) quòd expiatio peccatorum fiat quidem à Deo, sed per ministerium sacerdotum. Solet autem offerri pro peccatis quibusdam externis, et pro peccatis commissis per ignorantiam, vel negligentiam circà cæremonias legis, Levit. 4, v. 1 et seq., et cap. 5, v. 1. Item pro peccato furti, perjurii, calumniæ, Levit. 6 et 7. Porrò, sicut diversa erant peccata, et diversæ personæ, quæ peccabant, ità etiam diversa erant sacrificia pro peccato. Aliud enim offerebatur pro perjurio, aliud pro aliis peccatis. Similiter, aliud pro Pontifice, aliud pro rege, aliud pro Synagogâ, aliud pro privatis hominibus.

Hostia pacifica poterat ex duplici titulo offerri. 1° In gratiarum actionem, pro beneficiis à Deo acceptis. 2° Ad nova beneficia à Deo impetranda. Dividebatur autem in tres partes, quarum una comburebatur ad honorem Dei, altera cedebat in usum sacerdotum, tertia in usum offerentium. Per hoc significabatur, quòd salus hominis procedat à Deo, per directionem sacerdotum, et cooperationem illius qui salvatur.

Ab hâc divisione, quæ jam explicata est, parùm differt illa, quâ sacrificium dividitur in latreuticum, eucharisticum, impetratorium et propitiatorium. Latreuticum dicitur, quod solum fit ad Deum colendum, testando ejus principatum, et nostram servitutem seu subjectionem. Hoc potissimùm fit holocausto. Eucharisticum dicitur, quod fit in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis. Impetratorium, pro beneficiis accipiendis. Utrumque in veteri lege dicebatur *hostia pacifica*. Propitiatorium est, quod offertur pro peccatis, et pro peccatorum pœnis ac flagellis avertendis. Hoc idem est, quod sacrificium pro peccato.

Adhuc tria notanda sunt ex D. Thom., q. 102, art. 5 ad 8 et 10. Unum est, quòd si conferamus hæc sacrificia Mosaica inter se, ratione sanctitatis et præstantiæ, primum locum obtineat holocaustum; secundum, hostia pro peccato; tertium, hostia pacifica pro beneficio accepto; quartum, hostia pacifica pro beneficio accipiendo. Ratio est, quia hæc sacrificia instituta sunt ad cultum et honorem Dei. Ergò, quò major vel minor est obligatio colendi Deum, eò major vel minor dignitas est sacrificii, quo illum colimus. Obligamur autem hoc ordine. 1° Propter infinitam ipsius majestatem. 2° Propter offensam in ipsum commissam. 3° Propter accepta beneficia. 4° Propter sperata beneficia. Ergò, juxtà hunc ordinem, primo loco censeri debet holocaustum; secundo, hostia pro peccato; tertio, hostia pacifica pro beneficio accepto; quarto, hostia pacifica pro beneficio accipiendo. Idem ordo dignitatis colligi potest ex parte ipsius sacrificii. Nam holocaustum totum comburebatur in honorem Dei, cætera non item; ergò ex hâc parte, cæteris erat præstantius. Hostia pro peccato, partim cremabatur ad honorem Dei, partìm comedebatur, sed à solis sacerdotibus, non à populo, et in solo atrio, non alibi, et ipso die sacrificii, non alio. Hostia pacifica pro beneficio accepto, partìm cremabatur ad honorem Dei, in quo erat par hostiæ pro peccato; partìm comedebatur, non tamen à solis sacerdotibus, sed etiam à populo; nec in solo atrio, sed ubique in Jerusalem; et in hoc erat inferior. Hostia pacifica pro impetrando beneficio, poterat comedi, non solùm à populo, et extrà atrium, sed etiam extrà diem sacrificii. Poterat enim conservari in sequentem diem; in hoc erat infrà sanctitatem hostiæ pro beneficio accepto (1). Alterum est, quòd, tametsi carnes

(1) Sacrificiorum significatio hæc erat : Sanguinis sparsione et effusione fideles protestabantur se mortis esse reos; idcircò Deo offerebant animam innocentem, id est, animalis sanguinem in quo anima esse dicebatur : nam fide agnoverant Deum talem oblationem ritè factam acceptare, eàque placari. Ità Lev c. 17. *Quia anima carnis in sanguine est; et ego dedi illum vobis, ut super altare in eo expietis pro animabus vestris.* Quotidie fiebat hæc sacrificalis effusio ut monerentur de Christi sanguine pro animabus omnium hominum effundendo, quem eo fine offerendum esse, certè Isaias didicerat. c. 53. Fertum expressa erat figura incruenti novæ legis sacrificii; de eo loquitur Malachias c. 1, v. 10. *Munus* (minha) *non suscipiam de manu vestrâ;*

victimarum sæpè venirent in usum sacerdotum et populi, ut jam dictum est, nunquàm tamen sanguis aut adeps. Nam sanguis effundebatur ad crepidinem altaris in honorem Dei; adeps verò adurebatur igne. Hujus rei varias assignat causas D. Thomas. (Vide infrà cap. 16.) Tertium est, quòd, tametsi pro diversitate peccatorum diversa fuerint instituta sacrificia; non tamen servaretur illa proportio ut quò majus esset peccatum, eò præstantior esset res oblata in sacrificio; sed contrà potiùs, quò magis esset peccatum, eò vilior species animalis offerebatur, ut ex Rabbi Moyse notavit D. Thomas. Nam capra, quod est vilissimum animal, offerebatur pro idololatriâ, quod est gravissimum peccatum. Pro ignorantiâ verò sacerdotis, offerebatur vitulus; pro negligentiâ principis, hircus. (Levit. 4 et seq.)

De jugi sacrificio, quod quotidie offerebatur. —Judæi ex præcepto divino, jubebantur quotidie offerre duos agnos anniculos, et quidem immaculatos in holocaustum, alterum manè et alterum vespere : et cum illis similam conspersam oleo, et vinum pro libamine. Hæc autem oblatio vocabatur *juge sacrificium,* vel *holocaustum sempiternum ;* quia quotidiè fiebat, et nunquàm intermittebatur. Sic enim legimus Exod. 29, v. 38 et seq. : « Hoc est, quod facies in altari : agnos anniculos duos per singulos dies jugiter, unum agnum manè, et alterum vespere, decimam partem similæ conspersæ oleo tuso; quod habeat mensuram quartam partem hin, et vinum ad libandum ejusdem mensuræ in agno uno. Alterum verò agnum offeres ad vesperam juxtà ritum matutinæ oblationis, et juxtà ea quæ diximus, in odorem suavitatis; sacrificium est Domino, oblatione perpetuâ in generationes vestras, ad ostium tabernaculi testimonii coràm Domino, ubi constituam ut loquar ad te. » Et Num. 28, v. 3, 4 : « Hæc sunt sacrificia quæ offerre debetis : Agnos anniculos immaculatos duos quotidiè in holocaustum sempiternum; unum offeretis manè, et alterum ad vesperum. » Hoc juge sacrificium veteris Testamenti fuit figura sacrificii Missæ in novo Testamento. 1° Ratione rei oblatæ. Nam sicut in illo offerebatur agnus immaculatus, ità in hoc offertur Christus, qui est agnus sine maculâ, Joan. 1, v. 29 : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* 2° Ratione loci. Sicut ille offerebatur in tabernaculo ; ità hic in Ecclesiâ. 3° Ratione durationis. Sicut ille offerebatur quotidiè; ità Christus offertur quotidiè, Undè etiam apud Danielem 12, v. 11, vocatur *juge sacrificium.* 4° Ratione determinationis temporis. Sicut ille offerebatur manè et vespere, ità Christus à principio mundi usque ad finem. Apoc. 13, v. 8 : *Agnus qui occisus est ab origine mundi,* non quidem reipsâ, sed per energiam. 5° Ratione adjuncti. Sicut illi offerebatur cum similâ et vino ; ità Christus quotidiè offertur sub specie panis et vini.

De agno paschali. — Hoc sacrificium Agni paschalis à Deo institutum est paulò antè egressum filiorum Israel ex Ægypto : ac primò celebratum, pridiè egressionis ad vesperam, cum mandato ut posteà singulis annis, primo mense anni, die 14 mensis ad vesperam, repeteretur. Quod, an semper factum sit, posteà videbimus. Ad majorem illius notitiam, hæc breviter examinanda sunt : 1° Qualis debuerit esse agnus? 2° An pro agno licuerit aliud animal immolare? 3° Quo tempore immolandus fuerit agnus? 4° Quo loco? 5° Quo ritu? 6° Quinam potuerint ex illo comedere? 7° In quem finem institutum sit hoc sacrificium agni? 8° Quoties celebratum à Judæis? Est ergò prima quæstio : Qualis debuerit esse agnus? Resp. Debuit habere tres conditiones. 1° Ut esset masculus. 2° Ut anniculus, seu unius tantùm anni. 3° Ut sine maculâ, id est, sanus et integer, non morbidus aut vitiosus. Hoc patet ex illo Exod. 12, v. 3 et 5 : « Decimâ die mensis hujus tollat unusquisque agnum per familias et domos suas... erit autem agnus absque maculâ, masculus, anniculus. » Quæ autem maculæ seu vitia arcerent quodcumque animal à sacrificio, explicat Moyses Levit. 22, v. 21-22, his verbis : « Homo qui obtulerit victimam... tàm de bobus, quàm de ovibus, immaculatum offeret, ut acceptabile sit : Omnis macula non erit in eo. Si cæcum fuerit, si fractum, si cicatricem habens, si papulas, aut scabiem, aut impetiginem ; non offeretis ea Domino, nec adolebitis ex eis super altare Domini. » Altera quæstio est, an pro agno licuerit aliud animal immolare? Resp. Non licuit aliud immolare, nisi hædum, qui similiter debebat esse masculus, et sine maculâ. Sic enim legimus

et v. 11 : *Ab ortu enim solis*, etc., *offertur nomini meo* (minha) *oblatio munda.* Soli Romanæ ecclesiæ sacrificio catholico hæc conveniunt. *Minha*, licet ubique ferti significationem habeat, à vulgata diversimodè vertitur. Lev. c. 2, vv. 1, 3, 4, 7, 9, 11, 13, sacrificium, v. 14 et Mal. sup. *Munus*; v. 15, oblatio, et Mal. cit. v. 11, oblatio munda.

Exod. 12, v. 5 : *Erit autem agnus absque maculâ, masculus, anniculus; juxtà quem ritum tolletis et hædum.* Objici potest illud Deut. 16, v. 2 : *Immolabisque phase Domino Deo tuo, de ovibus et de bobus.* Ergò præter agnum et hædum, licebat etiam bovem aut vitulum immolare. Resp. Nomen *phase*, dupliciter sumi solet. Primò, propriè et strictè pro Agno paschali, qui immolabatur decimo quarto die mensis primi ad vesperam; et hoc sensu, non licebat pro agno immolare aliud animal, nisi hædum, ut dictum est. 2° Impropriè et latè, pro hostiis pacificis, quæ durante solemnitate paschali, offerebantur in diebus azymorum qui sequebantur vesperam et immolationem Agni paschalis. Hujusmodi autem hostiæ poterant sumi etiam ex bobus. Et hoc sensu intelligitur quod allatum est ex Deuteronomio. Vide quæ scripta sunt Num. 28, v. 15 et seq. Undè patet, tàm agnum paschalem, quàm cæteras victimas illius solemnitatis, vocari phase in Scripturâ. Hinc facilè explicatur illud Joan., 18, v. 28 : *Erat autem mânè; et ipsi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha.* Ubi per Pascha non intelligitur Agnus paschalis, quem Judæi pridiè ad vesperam comederant : sed victimæ pacificæ, quæ sequentibus azymorum diebus comedi solebant, non tamen nisi à mundis et purificatis. Tertia quæstio est, quo tempore immolandus fuerit agnus? Resp. Die decimo quarto mensis primi ad vesperam. Sic enim præceperat Deus, Exod. 12, v. 3-6 : « Decimâ die mensis hujus tollat « unusquisque agnum per familias et domos « suas... Et servabitis eum usque ad quartam « decimam diem mensis hujus; immolabitque « eum universa multitudo filiorum Israel ad « vesperam. » Hoc præceptum, quoad posteriorem partem, semper servatum est; nam Hebræi, non solùm in Ægypto antè egressionem, sed etiam posteà in monte Sinai et alibi, solebant immolare Agnum paschalem die decimo quarto mensis primi ad vesperam (1). Excipio unum casum. Nam si eo die immundi essent, poterat differri usque ad diem decimum quartum sequentis mensis; quod aliquandò etiam factum est. Prior pars difficultatem habet. Nam aliqui putant Judæos nunquàm, nisi in Ægypto, jussos fuisse quærere agnum die decimâ, quem posteà immolarent die decimâ quartâ ad vesperam; sed unicuique liberum fuisse, ut quæreret, quo die vellet. Ità Abulens. in cap. 12, Exod. q. 4; Ribera lib. 5, de templo cap. 5 et nonnulli alii. Et duplex illorum ratio est. Una, quia posteà quotiescumque fit mentio immolationis agni, nunquam repetitur illa pars præcepti de die decimo, quo debebat quæri agnus; sed solùm altera pars de die decimo quarto, quo debebat immolari. Ergò signum est, quòd illa pars, de die decimo non obligaverit, nisi in Ægypto. Altera, quia erant legitimæ causæ cur in Ægypto debuerint agnum priùs quærere et præparare, quàm veniret dies immolationis; quæ tamen causæ posteà locum non habuerunt. Erant autem hæ. 1° Quia sciebant se post paucos dies egressuros esse ex Ægypto, et ideò erant valdè occupati circà ea paranda, quæ ad futuram profectionem putabantur esse necessaria. Ne ergò propter hanc occupationem obliviscerentur agni paschalis, jussi sunt tempestivè illum quærere et præparare. 2° Ut tantò plus temporis haberent ad explorandum, an agnus esset talis, qualis ex præscripto Dei requirebatur, nempè anniculus, masculus, sine maculâ. 3° Ut illis diebus, quibus agnus asservabatur, ex ipsius aspectu et balatu, faciliùs cogitarent de futurâ liberatione ex Ægypto.

Neutra ratio videtur convincere. Non prior, quia etiam posteà, quotiescumque fit mentio immolationis agni, nunquam repetitur illa pars præcepti, quod deberet comedi cum capite, pedibus, et intestinis. Et tamen ità fieri oportebat. Nec posterior, quia illæ tres causæ non magnoperè urgent. Imò prima et tertia non cohærent inter se. Nam si in futuram profectionem ità intenti erant Israelitæ, ut periculum esset ne obliviscerentur agni paschalis, quid necesse fuit, ut ex aspectu et balatu agni reducerentur in recordationem futuræ profectionis? Secunda nihil efficit; cur enim in Ægypto indigebant certis diebus ad explorandum, an agnus esset anniculus, masculus et sine maculâ, si posteà non indigebant? An minùs cauti et solertes erant in Ægypto, quàm extrà Ægyptum? Non video cur id asseramus.

Quarta quæstio est, quo loco immolandus fuerit Agnus paschalis? Resp. Distinguenda sunt quatuor tempora. Primum egressionis ex Ægypto. Secundum, peregrinationis in deserto. Tertium, ingressûs in Judæam. Quartum, habitationis in Judæâ. Igitur, cùm adhuc in Ægypto essent Hebræi, singuli patresfamilias in suâ domo jubebantur immolare, et comedere agnum. (Exod. 12, v. 3.) At tempore peregri-

(1) Confer, si vacat, Yanh, *Archæolog. biblic.*

nationis immolârunt et comederunt in deserto Sinaï. (Num. 9, v. 1 et seq.) Porrò in ingressu in Judæam, post transitum Jordanis, in campestribus Jericho (Josue 5, v. 10); denique tempore habitationis in Judæâ, nusquam licebat id facere, nisi in illo loco, ubi esset tabernaculum, juxtà illud Deuter. 16, v. 5-6 : « Non « poteris immolare phase in quâlibet urbium « tuarum quas Dominus Deus tuus daturus est « tibi, sed in loco, quem elegerit Dominus « Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi; im« molabis phase vesperè ad solis occasum, « quandò egressus es de Ægypto. » Locus autem, in quo habitavit nomen Domini, fuit variis temporibus varius. 1° Galgala. 2° Silo. 3° Nobe. 4° Gabaon. 5° Jerusalem, ædificato templo Salomonis. Et hæc causa est cur sæpè in sacris litteris fiat mentio eorum, qui tempore paschali Hierosolymam ascendebant, ut secundo Paralip. 30, v. 1; Luc. 2, v. 41 et alibi. Quinta quæstio est, quo ritu coquendus et comedendus fuerit agnus? Resp. In primâ immolatione, quæ in Ægypto contigit, servatus est hic ritus et ordo. 1° Mactabatur agnus, et sanguis ejus ponebatur super utrumque postem januæ, et super liminare domûs in quâ edendus erat. 2° Excoriabatur, diffundebatur, et eluebatur. 3° Assabatur igne. 4° Assatus comedebatur cum capite, pedibus et intestinis. 5° Adhibebantur azymi panes cum lactucis agrestibus. 6° Nihil ex eo licebat conservare in sequentem diem; sed si quid residuum fuisset, igne comburendum erat. 7° Qui illum comesturi erant, debebant accincti esse renibus, calceati, baculum manibus gestantes, festinantes. Vide Exod. 12 à v. 6 ad 14 usque. Duo hìc quæri solent. 1° An hæc omnia sint etiam servata? 2° An Judæi comedentes agnum, debuerint stare, an sedere? Nihil certi de utroque (1). Sexta quæstio est, quinam potuerint comedere de Agno paschali? Resp. Soli Judæi; non autem alienigenæ, nisi priùs essent circumcisi. (Exod. 12, v. 43.) Et ratio est, quia circumcisio erat figura baptismi: et Agnus paschalis, sacrificii Eucharistiæ. Sicut ergò in novo Testamento nemo potest esse particeps sacrificii Eucharistiæ, nisi sit baptizatus: ità in vetere Testamento nemo poterat edere de Agno paschali, nisi esset circumcisus. Sed an omnes circumcisi possent? Certum est immundos non potuisse. Undè si qui Judæi, vel alienigenæ circumcisi, eo die, quo ordinariè immolabatur Agnus paschalis, immundi fuissent, debebant priùs mundari et expectare usque ad diem decimum quartum sequentis mensis, sicut factum est, Num. 9, v. 6; et 2 Paral. 30, v. 15. Septima quæstio est, in quem finem institutum fuerit hoc sacrificium agni? Resp. In duplicem finem. Primò in memoriam illius beneficii, quod Judæi consecuti sunt eâ nocte, quæ secuta est immolationem Agni paschalis in Ægypto. Tunc enim Deus percussit omnia primogenita Ægypti, intactis primogenitis Judæorum; et liberavit Judæos à servitute Pharaonis. Secundò in typum et figuram Christi qui tanquàm agnus innocens immolandus et occidendus erat pro humano genere. De priori fine intelligitur illud Exod. 12, v. 14 : « Habe« bitis hanc diem in monumentum, et celebra« bitis eam solemnem Domino in generationi« bus vestris cultu sempiterno. » Et v. 26-27 : « Et cùm dixerint vobis filii vestri : Quæ est « ista religio? Dicetis eis : Victima transitûs « Domini est, quandò transivit super domos « filiorum Israel in Ægypto, percutiens Ægyp« tios, et domos nostras liberans. » De posteriori loquitur apostolus, 1 Cor. 5, v. 7: *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Duo autem spectanda sunt in Agno. 1° Immolatio, quæ erat figura Christi cruce immolandi. 2° Comestio, quæ erat figura Christi in ultimâ cœnâ comedendi sub specie panis et vini. Prior figura in his consistit. 1° Sicut per immolationem Agni paschalis, et per aspersionem sanguinis ejus super postes et liminaria, liberati sunt Israelitæ à captivitate Pharaonis, et ab Angelo percutiente, sic per immolationem Christi in cruce, et per effusionem sanguinis illius, liberatum est genus humanum à servitute peccati, et diaboli. 2° Sicut Agnus vespere immolatus est, sic Christus in fine seculorum mortuus est pro nobis. 3° Sicut Agnus immolabatur à totâ multitudine populi Israelitici, sic Christus morti addictus est, clamante totâ Judæorum multitudine, *crucifige, crucifige.* 4° Sicut Agnus erat masculus, anniculus, et sine maculâ, sic Christus in patiendo fortis, in flore ætatis, et sine ullo peccato. 5° Sicut os non confringebatur in Agno, sic Christi crura in cruce non sunt fracta; quam figuram expressit evangelista. (Joan. 19, v. 36.) 6° Sicut pro Agno poterat hædus subrogari, sic Chri-

(1) Discrimen inter pascha Ægyptiacum et alia secutura ægrè probabitur; textus Num. cap. 9 apertus est : Locutus est Dominus ad Moysen... dicens : Faciant filii Israel phase in tempore suo... Juxta omnes cæremonias et justificationes ejus. Igitur omnes præscripti ritus, utpotè mysteriosi semper observandi fuerunt.

stus, tametsi Agnus esset, tamen inter iniquos, id est, inter hœdos reputatus est. Et sicut hædus solebat esse victima pro peccatis; sic Christus pro peccatis totius mundi oblatus est. Hinc etiam Jacob patriarcha hœdinis pellibus obvolutus fuit, ut Christum præfiguraret. Posterior figura consistit in his. 1° Sicut Agnus fuit comestus à Judæis, sic Christus in Eucharistiâ comeditur à Christianis. 2° Sicut ille, à solis Judæis et circumcisis, et in solâ civitate Jerusalem, ità hic à solis Christianis et baptizatis, et in solâ Ecclesiâ. 3° Sicut ille assatus igne corporali, ità hic assatus igne charitatis. 4° Sicut ille cum azymis panibus, et lactucis agrestibus, ità hic cum magna puritate et dolore de peccatis. 5° Sicut ille cum capite, pedibus et intestinis, ità hic cum divinitate et humanitate, jacente sub specie panis et vini. Denique, sicut ille à Judæis succinctis et peregrinantibus ad terram promissionis, ità hic à Christianis, properantibus ad cælestem patriam.

Octava quæstio est, quoties à Judæis celebratum sit Pascha? Resp. Constat ex Scripturâ, et sæpè celebratum, et sæpè omissum esse. Ac 1° celebratum est in egressu ex Ægypto. (Exod. 12, v. 28.) 2° In deserto Sinaï, anno secundo egressionis. (Num. 9, v. 4.) 3° In campestribus Jericho. (Josue 5, v. 10.) 4° In Jerusalem, sub Ezechiâ rege. (2 Paral. 30, v. 1.) 5° In Jerusalem, sub Josiâ rege. (4 Reg. 23, v. 21, et 2 Paral. 35, v. 1.) 6° Post reditum ex captivitate Babylonicâ in Jerusalem. (1 Esdræ 6, v. 19.) 7° Tempore Christi et apostolorum. (Matth. 26, v. 17.) Omissum est autem primò, toto tempore peregrinationis, exceptis duobus primis annis. Nam primo anno celebratum est in Ægypto; secundo, in deserto Sinaï, ut dictum est. Ab eo tempore, per 38 annos, usque ad transitum Jordanis, omissum est. Non enim Judæi, qui transibant Jordanem, erant circumcisi, ac proindè non poterant celebrare Pascha. Undè Josue, cùm vellet post transitum Jordanis in Galgalâ, seu in campestribus Jericho, renovari immolationem agni, priùs mandavit omnes circumcidi. (Josue 5, v. 2.) Deindè tempore regum sæpè omissum est. Undè Ezechias et Josias hortati sunt populum, ut omnes venirent Jerosolymam, et ibi juxtà legem celebrarent phase. (4 Reg. 23, v. 21, et 2 Paralip. 30, v. 1.) Denique intermissum est tempore captivitatis Babylonicæ. Undè post captivitatem, cùm Judæi rediissent Jerosolymam, cœperunt iterùm immolare. (1 Esdræ 6, v. 19.) Atque hæc ex Scripturis dicta sufficiant.

DE ALIIS ALIARUM SOLEMNITATUM SACRIFICIIS.— — Præter juge sacrificium, quod quotidiè, et præter Agnum paschalem, qui in Paschate offerebatur, erant alia sacrificia, quæ in reliquis solemnitatibus offerri debebant ex præscripto legis. Erant autem hæ solemnitates. 1° Sabbatum. 2° Neomenia, seu initium mensis lunaris. 3° Solemnitas Azymorum, quæ incipiebat postridiè Paschatis. 4° Pentecoste. 5° Festum tubarum. 6° Festum expiationis. 7° Scenopegia, seu festum tabernaculorum. 8° Festum cœtûs atque collectæ, de quibus fusiùs cap. 16. Sacrificium sabbati describitur Num. 28, v. 9-10. his verbis : « Die autem sabbatti offeretis « duos agnos anniculos immaculatos, et duas « decimas similæ oleo conspersæ in sacrificio, « et liba quæ ritè funduntur per singula « sabbata in holocaustum sempiternum. » Sacrificium Neomeniæ, ibid., v. 11 et seq. : « In « calendis autem offeretis holocaustum Domino, « vitulos de armento duos, arietem unum, « agnos anniculos septem immaculatos, et tres « decimas similæ oleo conspersæ in sacrificio « per singulos vitulos, et duas decimas similæ « oleo conspersæ per singulos arietes, et deci- « mam decimæ similæ ex oleo in sacrificio per « agnos singulos. Holocaustum suavissimi odo- « ris atque incensi est Domino. Libamenta au- « tem vini, quæ per singulas fundenda sunt « victimas, ista erunt, media pars hin per sin- « gulos vitulos, tertia per arietem, quarta per « agnum. Hoc erit holocaustum per omnes « menses, qui sibi anno vertente succedunt. « Hircus quoque offeretur Domino pro pecca- « tis. » Sacrificium solemnitatis Azymorum, ibid., v. 16 et seq. : « Mense autem primo, « quartâ decimâ die solemnitas : septem diebus « vescentur azymis. Quarum dies prima vene- « rabilis et sancta erit : omne opus servile non « facietis in eâ. Offeretisque incensum holo- « caustum Domino, vitulos de armento duos, « arietem unum, agnos anniculos immaculatos « septem; et sacrificia singulorum ex similâ, « quæ conspersa sit oleo, tres decimas per sin- « gulos vitulos, et duas decimas per arietem, « et decimam decimæ per agnos singulos, id « est, per septem agnos. Et hircum pro pec- « cato unum, ut expietur pro vobis, præter « holocaustum matutinum, quod semper offe- « retis. Ità facietis per singulos dies septem « dierum in fomitem ignis, et in odorem sua- « vissimum Domino, qui surget de holocausto,

« et de libationibus singulorum, etc. » Sacrificium Pentecostes, Lev. 23, v. 15 et seq. : « Numerabitis ergò.. Septem hebdomadas plenas.. « id est, quinquaginta dies; et sic offeretis sa« crificium novum Domino ex omnibus habita« culis vestris, panes primitiarum duos de « duabus dicemis similæ fermentatæ, quos « coquetis in primitias Domini. Offeretisque « cum panibus septem agnos immaculatos, an« niculos, et vitulum de armento unum, et « arietes duos, et erunt in holocaustum cum « libamentis suis, in odorem suavissimum Do« mino. Facietis et hircum pro peccato duos« que agnos anniculos hostias pacificorum. « Cùmque elevaverit eos sacerdos cum panibus « primitiarum coràm Domino, cedent in usum « ejus. Et vocabitis hunc diem celeberrimum, « atque sanctissimum. » Sacrificium festi tubarum, Lev. 23, v. 24-25 : « Mense septimo, « primâ die mensis, erit vobis sabbatum, me« moriale. clangentibus tubis.... et offeretis « holocaustum Domino. » Quale autem deberet esse hoc holocaustum disertè explicatur, Num. 29, v. 1 et seq. : « Mensis etiam septimi prima « dies venerabilis et sancta erit vobis. Omne « opus servabile non facietis in eâ, quia dies « clangoris est et tubarum. Offeretisque holo« caustum in odorem suavissimum Domino, « vitulum de armento unum, arietem unum, « et agnos anniculos immaculatos septem; et « in sacrificiis eorum, similæ oleo conspersæ « tres decimas per singulos vitulos, duas de« cimas per arietem, unam decimam per « agnum, qui simul sunt agni septem ; et hir« cum pro peccato, qui offertur in expiatio« nem populi; præter holocaustum calendarum « cum sacrificiis suis, et holocaustum sempi« ternum cum libationibus solitis. » Ubi nota, in festo tubarum, tria fuisse sacrificia offerenda. Unum, ratione festi tubarum. Alterum, ratione Neomeniæ. Tertium, juge sacrificium, quod quotidiè offerebatur. Et hoc significat Scriptura, cùm dicit, *præter holocaustum calendarum, et holocaustum sempiternum;* quasi dicat, præter illa duo sacrificia offeretis etiam illud tertium, quod jam præscripsi. Sacrificium festi expiationis, Lev. 23, v. 27 : « Decimo die men« sis hujus septimi, dies expiationum erit ce« leberrimus, et vocabitur sanctus; affligetisque « animas vestras in eo, et offeretis holocaustum « Domino. » Hoc holocaustum describitur, Num. 29, v. 7 et seq., his verbis : « Decima « dies mensis hujus septimi erit vobis sancta... « offeretisque holocaustum Domino..., vitulum « de armento unum, arietem unum, agnos an« niculos immaculatos septem, et in sacrificiis « eorum, similæ oleo conspersæ tres decimas « per singulos vitulos, duas decimas per arie« tem, decimam decimæ per agnos singulos, « qui sunt simul agni septem; et hircum pro « peccato, absque his quæ offerri pro delicto « solent in expiationem et holocaustum sempi« ternum, cum sacrificio et libaminibus eo« rum. » Ubi iterùm nota, præter hircum pro peccato, debuissse offerri, primò, vitulum, cujus sanguis inferebatur in sanctuarium ; secundò, hircum alium, super quem sacerdos confitebatur peccata populi, et sic emittebatur in desertum. (Lev. 16, v. 10.) Tertio, juge sacrificium. Vide Lyran. in cap. 19 Num. Sacrificium Scenopegiæ, seu tabernaculorum, Lev. 23, v. 34-36 : « A quinto decimo die « mensis hujus septimi, erunt feriæ taberna« culorum, septem diebus Domino.... Septem « diebus offeretis holocausta Domino. » Hæc holocausta septem dierum sigillatìm exprimuntur, Num. 29, v. 13 et seq., his verbis : « Offeretis.... vitulos de armento tredecim, « arietes duos, agnos anniculos immaculatos « quatuordecim, et in libamentis eorum, si« milæ oleo conspersæ tres decimas per vitu« los singulos..... Et duas decimas arieti uno, « id est simul arietibus duobus, et decimam « decimæ agnis singulis, qui sunt simul agni « quatuordecim; et hircum pro peccato, abs« que holocausto sempiterno, et sacrificio, et « libamine ejus. In die altero, offeretis vitulos « de armento duodecim, etc. Die tertio, vitu« los undecim, etc. » Et sic deinceps. Hoc solum adverte, quòd illis septem diebus, omnia sacrificia sint eadem, excepto numero vitulorum. Nam primo die offerebantur 13 vituli, secundo 12, tertio 11. quarto 10, quinto 9, sexto 8, septimo 7. Singulis autem diebus, 2 arietes, 14 agni, hircus pro peccato, et juge sacrificium. Sacrificium cœtûs atque collectæ, quod transactis septem diebus tabernaculorum, celebrabatur octavo die, describitur Lev. 23, v. 36 et seq. : « Dies quoque octavus erit ce« leberrimus atque sanctissimus, et offeretis « holocaustum Domino; est enim cœtus atque « collectæ. » Et Num. 29, v. 35 et seq. : « Die « octavo, qui est celeberrimus, omne opus ser« vile non facietis, offerentes... vitulum unum, « arietem unum, agnos anniculos immaculatos « septem; sacrificiaque et libamina singulorum « per vitulos et arietes et agnos ritè celebra« bitis; et hircum pro peccato, absque holo-

« causto sempiterno, sacrificioque ejus et libamine. » Sequitur communis clausula : « Hæc offeretis Domino in solemnitatibus vestris; præter vota, et oblationes spontaneas in holocausto, in sacrificio, in libamine, et in hostiis pacificis : » undè constat, generatim loquendo, duplicia fuisse sacrificia, quædam necessaria ex præscripto legis, alia spontanea ex arbitrio et devotione offerentium. De prioribus, quæ fiebant in solemnitatibus, dictum est hactenùs. De posterioribus nihil necesse dicere in particulari, quia parùm ad nostrum institutum.

De igne, quo utebantur sacerdotes in sacrificiis.—Quinque certa sunt ex Scripturis. Primum est ignem quemdam à Deo cœlitùs datum esse, qui consumpsit primum sacrificium, quod obtulit Aaron in deserto, potsquàm sacerdos à Moyse consecratus est; quod contigit anno secundo egressionis filiorum Israel ex Ægypto. Sic enim legimus Lev. 9, v. 23-24... « Apparuit gloria Domini omni multitudini; et ecce egressus ignis à Domino, devoravit holocaustum, et adipes qui erant super altare. Quòd cùm vidissent turbæ laudaverunt Dominum, ruentes in facies suas. » Alterum est, hunc ignem debuisse perpetuò nutriri et conservari à sacerdotibus, ne unquàm in altari deficeret. Lev. 6, v. 12 : « Ignis autem in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos subjiciens ligna manè per singulos dies. » Et infrà, v. 13 : « Ignis est iste perpetuus, qui nunquàm deficiet in altari. » Tertium est, non alio, quàm isto igne potuisse uti sacerdotes ad sacrificia. Hoc indè constat, quia Nadab et Abiu, filii Aaronis, à Deo puniti sunt, quòd « alieno igne usi essent. Lev. 10, v. 1-2 : « Arreptisque Nadab et Abiu, filii Aaron, thuribulis, posuerunt ignem, et incensum desuper, offerentes coràm Domino ignem alienum ; quòd eis præceptum non erat. Egressusque ignis à Domino, devoravit eos, et mortui sunt coràm Domino. » (Vide de Aug. in quæst super Levit., q. 31. Quartum est, hunc ignem à secundo anno egressionis ex Ægypto, quo cœlitùs à Deo datus est, perpetuò conservatum fuisse in altari tabernaculi, usque ad tempus captivitatis Babylonicæ, quo et templum incensum est, et Judæi in Babylonem abducti sunt. Tunc enim in quodam puteo à sacerdotibus absconsus est. 2 Machab. 1, v. 19 : « Cùm in Persidem ducerentur patres nostri, sacerdotes, qui tunc cultores Dei erant, acceptum ignem de altari occultè absconderunt in valle, ubi erat puteus altus et siccus, et in eo contutati sunt eum, ità ut omnibus ignotus esset locus. » Hinc sequitur ignem illum, in toto tempore, quod præcessit captivitatem, toties mutàsse locum, quoties tabernaculum cum altari de loco in locum translatum est. Fuit ergò per 39 annos in solitudine. Posteà cùm filii Israel, transito Jordane, venissent in terram promissionis, fuit successivè in variis locis, in Galgala, in Silo, in Nobe, in Gabaon, in Jerusalem, ædificato jam Salomonis templo; ibique mansit usque ad captivitatem, ut dictum est. Quintum est eumdem ignem, post solutam captivitatem, jubente Nehemiâ, quæsitum fuisse à nepotibus eorum sacerdotum, qui illum in puteo absconderant; nec tamen inventum, sed pro eo repertam fuisse aquam crassam, quæ, oblato sacrificio, divinitùs in ignem conversa est. 2 Mach. 20, v. 20 et seq. : « Cùm autem præteriissent anni multi, et placuit Deo, ut mitteretur Nehemias à rege Persidis; nepotes sacerdotum illorum, qui absconderant, misit ad requirendum ignem ; et sicut narraverunt nobis, non invenerunt ignem, sed aquam crassam. Et jussit eos haurire, et afferre sibi; et sacrificia, quæ imposita erant, jussit sacerdos Nehemias aspergi ipsâ aquâ, et ligna, et quæ erant superposita. Atque hoc factum est, et tempus affuit, quo sol refulsit, qui priùs erat in nubilo, accensus est ignis magnus, ità ut omnes mirarentur. » Porrò, diem illum, quo ignis hic divinitùs accensus est, habuerunt Judæi pro solemnitate, et deinceps festum, seu dies dati ignis appellata est. Et posteà in secundo templo, eodem igne usi sunt in sacrificiis.

Porrò in hoc igne, de quo hactenùs dictum est, tria spectanda sunt, quæ mysterium habent. 1° Quòd sit à Deo datus. 2° Quòd illo solo, et non alio licuerit uti in sacrificiis. 3° Quòd cùm periisset, ex aquâ crassâ, per ministerium sacerdotum, non sine magno miraculo, recuperatus sit. Hæc, inquam, tria mysterium habent. Ex primo, discimus ignem illum, quo nos in novo Testamento perficimus sacrificium, cœlestem esse, nec alium quàm ignem divinæ charitatis. Ex secundo, nullum sacrificium Deo gratum esse sine hoc igne charitatis. 1 Cor. 13, v. 3. .... *Si tradidero corpus meum ità ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Ex tertio, hunc ignem charitatis aliquandò in nobis perire per peccatum mortale, quod habet se instar aquæ crassæ; sed posteà, accedente absolutione sa-

cerdotali, non sine magno miraculo reviviscere et recuperari. De hoc igne loquitur Christus, Luc. 12, v. 49 : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur ?* (Vide Aug. in Psal. 69.)

De sacrificio novi testamenti quod per sacrificia mosaica fuit præfiguratum. — In novo Testamento duplex est sacrificium, unum cruentum, quo Christus in arâ crucis Deo Patri oblatus est pro expiatione nostrorum peccatorum ; alterum incruentum quo idem Christus quotidiè sub specie panis et vini offertur in altari, partìm in memoriam cruenti illius sacrificii, partìm ob has causas : 1° Ad colendum Deum ; 2° ad gratiarum actionem pro beneficiis acceptis ; 3° ad impetranda nova beneficia ; 4° ad placandum Deum. Hæc duo sacrificia possunt dupliciter spectari, 1° quoad rem oblatam ; et sic non sunt duo, sed unum. Nam in utroque est una et eadem res oblata, nempè Christus Dominus ; 2° quoad modum et ritum offerendi ; et sic duo sunt. Nam Christus in altero oblatus est cruento modo, et in propriâ specie humanâ, per realem suî occisionem ; in altero offertur incruento modo, et sub specie alienâ, sine reali suî occisione. Utrumque sacrificium est quasi primarium prototypon, ad quod præfigurandum omnia sacrificia veteris Testamenti ordinata sunt ; sivè illa fuerint Mosaica, de quibus actum est ; sivè antiquiora Mosaicis, ut sacrificium Abrahæ, Melchisedech, Job, ut omittam reliqua. Nam hæc omnia fuerunt typi, seu figuræ nostri sacrificii. Quod breviter sic explico. In sacrificio cruento, quo Christus in cruce oblatus est, multi spectari possunt, 1° quòd fuerit unigenitus Dei Filius ; 2° quòd à Patre oblatus in mortem ; 3° quòd patri obsequentissimus. Hæc tria optimè præfigurantur per sacrificium Abrahæ, quo obtulit unigenitum filium suum Isaac ; 4° quòd reipsâ occisus sit. Hoc significant omnia sacrificia Mosaica, quæ erant ex animalibus ; 5° quòd effusione sanguinis liberaverit nos à servitute diaboli. Hoc significat sanguis agni paschalis, qui super postes domorum aspersus, liberavit filios Israel à servitute Pharaonis ; 6° quòd suo sanguine mundaverit nos à peccatis nostris. Hoc significat sanguis hircorum et aliorum animalium, teste Apostolo, Heb. 9, v. 13-14 : « Si enim sanguis hircorum et taurorum et « cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat « ad emundationem carnis, quantò magis « sanguis Christi..... emundabit conscientiam « nostram ab operibus mortuis ! » 7° quòd innocens occisus sit. Hoc significat mactatio agni paschalis. Undè Isaias cap. 53. v. 7.... *Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coràm tondente se obmutescet, et non aperiet os suum;* 8° quòd tametsi innocens fuerit, tamen cum latronibus deputatus sit. Hoc significat hircus, qui loco agni paschalis offerri poterat. Hircus enim animal fœtidum est ; 9° quòd crura ejus non sint fracta. Hoc significat agnus paschalis, de quo scriptum est Exodi 12, v. 46.... *Nec os illius confringetis;* 10° quòd se totum Patri obtulerit, nullâ parte sibi reservatâ. Hoc significant omnia holocausta.

Similiter in sacrificio incruento multa spectari possunt ; 1° quòd quotidiè offeratur in Eucharistiâ. Hoc significat juge sacrificium, de quo suprà ; 2° quòd caro Christi verè comedatur in hoc sacrificio, Joan. 6, v. 56 : *Caro enim mea verè est cibus.* Hoc significat caro agni paschalis, quæ verè comedebatur ab offerentibus. 3° quòd Christus sumatur sub specie panis et vini. Hoc significat sacrificium Melchisedech, qui panem et vinum obtulit. 4° quòd comesturi ex hoc sacrificio, debeant esse puri à peccatis, ne indignè accedant, 1 Cor. 11, v. 29 : *Qui enim manducat et bibit indignè, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini.* Hoc significat sanctificatio filiorum Job. 5° quòd debent habere veram contritionem et dolorem de peccatis præteritis. 1 Cor. 11, v. 28 : *Probet autem seipsum homo.* Hoc significant lactucæ agrestes in esu agni paschalis. 6° quòd debeant esse parati ad currendam viam mandatorum Dei, et contendere ad cœlestia. Hoc significant Judæi, qui accincti lumbis, et calceati, et tenentes baculum in manibus, festinanter comedebant agnum paschalem. Hæc ferè præcipua sunt. Alia minutiora omitto.

CAPUT XV.

DE SACRAMENTIS MOSAICIS.

Sacramenta sunt quædam externa signa, seu cæremoniæ, quæ ex Dei institutione habent vim significandi et efficiendi aliquam sanctitatem, ut passim docent theologi. Est autem duplex sanctitas, una vera et interna, quæ est idem, quod gratia justificans ; altera legalis et externa, quæ consistit in quâdam munditiâ legali, id est, à lege Mosaicâ præscriptâ. Sicut enim lex Mosaica reputabat quosdam immundos seu irregulares, qui hoc vel illo modo affecti essent, aut certa quædam opera facerent, ità etiam

reputabat quosdam mundos et sanctos, si certas quasdam cæremonias à Deo institutas usurparent. Hoc posito, quæritur primò, quæ et quot fuerint sacramenta Mosaica? 2° Quam vim et efficaciam sanctificandi habuerint? 3° An fuerint tàm perfecta quàm nostra sacramenta? 4° Quid de singulis in particulari statuendum sit?

Quæstio prima. — *Quæ et quot fuerint sacramenta Mosaica?* — Generatim loquendo, fuerunt duplicia. Quædam pertinebant ad totum populum, ut circumcisio, esus agni paschalis, purificationes ab externis immunditiis, expiationes à peccatis. Quædam ad ministros Synagogæ, ut consecratio sacerdotum, ablutio manuum ac pedum, rasio pilorum, esus panum propositionis, et quorumdam aliorum, quæ sacerdotum usibus deputabantur. (D. Thom. in 1-2. q. 102, art. 5.) Hæc omnia erant figuræ seu typi sacramentorum novæ legis. Nam 1° circumcisio erat figura baptismi. 2° Esus agni paschalis et esus panum propositionis, figura Eucharistiæ. 3° Purificationes et expiationes, figura pœnitentiæ. 4° Consecratio sacerdotum, figura sacri ordinis. (D. Th. ibid. art. 5. ad 3.)

Quæres cur nulla fuerit figura reliquorum sacramentorum, ut confirmationis, extremæ unctionis et matrimonii. D. Thomas assignat hanc causam, quia confirmatio est sacramentum plenitudinis gratiæ. (Galat. 4, v. 4; Heb. 7, v. 19.) Similiter extrema unctio est quasi immediata quædam præparatio ad introitum regni cœlestis. At in vetere Testamento nemini patebat introitus ad regnum cœleste, quia janua regni cœlestis nondùm erat aperta, eò quòd Christus nondùm persolverat pretium redemptionis nostræ per effusionem sui sanguinis. (Heb. 9, v. 8; et cap. 10, v. 19.) Denique, sacramentum matrimonii significat indissolubilem conjunctionem Christi cum Ecclesià, quam matrimonium Judæorum non poterat significare, quia per libellum repudii poterat dissolvi. (Deut. 24, v. 1.)

Dices 1° Videntur plura fuisse sacramenta, quàm quæ jam enumerata sunt, ut manna et aqua saturiens de petrà, quæ erant figuræ sacramenti Eucharistiæ. Respondeo. Erant quidem figuræ sacramenti Eucharistiæ, ut benè objicitur; sed tamen non erant propriè sacramenta. Non enim erant externæ cæremoniæ à Deo institutæ, quæ ordinariè deberent usurpari, quamdiù duraret Synagoga. Nota, in vetere Testamento fuerunt duplices figuræ nostrorum sacramentorum. Quædam erant figuræ et sacramenta simul, ut circumcisio, esus agni paschalis, et reliqua superiùs enumerata. Quædam non erant sacramenta, sed tantùm figuræ, quo pacto transitus maris rubri erat figura baptismi, et manna, figura Eucharistiæ. Neutrum tamen sacramentum. (D. Thom. 3, p. q. 70, art. 1 ad 2.)

Dices 2° Si non fuerint alia sacramenta Mosaica, quam quæ enumerata sunt, necesse est pauciora fuisse Mosaica, quàm sint nostra, quod est contrà Augustinum in Psal. 37, asserentem plura fuisse Mosaica. Sequela patet, quia nostra sacramenta sunt septem, sed tantùm quatuor, correspondentia baptismo, Eucharistiæ, pœnitentiæ, sacro ordini, ut dictum est. Resp. Mosaica fuerunt multò plura quàm quatuor; fuerunt enim variæ purificationes, ab immunditiis legalibus, et similiter variæ expiationes à peccatis. Quæ tametsi inter se diversæ essent, repræsentabant tamen unum sacramentum pœnitentiæ. Eodem modo fuerunt multa, quæ repræsentabant Eucharistiam.

Quæstio ii. — *Quam vim, et efficaciam sanctificandi habuerint sacramenta Mosaica?* — Sensus est, quam sanctitatem significaverint et effecerint sacramenta Mosaica? Tria probanda sunt. 1° Quòd significaverint gratiam justificantem, quæ est vera et interna sanctitas. 2° Quòd tamen non effecerint aut contulerint gratiam justificantem. 3° Sed quòd contulerint sanctitatem, seu munditiam legalem. Sit ergò prima conclusio: Sacramenta Mosaica erant signa gratiæ justificantis, quæ in novo Testamento danda erat per Christum. Ita passim theologi, qui asserunt, sacramentum in genere nihil aliud esse, quàm signum rei sacræ, vel invisibilis gratiæ signum visibile; et hoc interesse inter sacramentum veteris ac novi Testamenti, quòd hoc sit signum gratiæ præsentis, illud fuerit signum gratiæ per Christum dandæ. Nam sicut nos in novo Testamento credimus Christum venisse, ità Judæi in vetere Testamento credebant venturum esse. Undè, sicut nostra sacramenta significant gratiam, quæ reipsà datur per Christum, ità illorum sacramenta significabant gratiam, quæ danda erat per Christum. Et hoc sensu dicit Apostolus, Hebr. 10, v. 1: *Umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum.* Secunda conclusio: Sacramenta Mosaica non efficiebant gratiam justificantem, quam significabant; vel non erant signa practica gratiæ justificantis; vel, non habebant vim justifi-

candi, aut remittendi peccata, quoad culpam. (Quæ omnia ferè pro eodem usurpantur.) Ità D. Th. in 3 p. q. 62, art. 6, et alii passim, exceptis paucis. Et probatur primò ex iis Scripturæ locis, ubi Sacramenta Mosaica vocantur egena, infirma et inutilia. Egena, quia non continebant gratiam; infirma, quia non poterant à peccato liberare; inutilia, propter eamdem causam. Galat. 4, v. 9..... *Quomodò convertimini iterùm ad infirma, et egena elementa?* Id est, ad cæremonias et sacramenta Mosaica. Et Hebr. 7, v. 18: *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus, et inutilitatem.* Ubi per mandatum, intelligit legem Mosaicam quæ ideo reprobata est quia erat infirma, et inutilis. Tametsi enim præscriberet multas cæremonias et sacramenta, non tamen per ea poterat hominem salvare. Quod etiam confirmatur ex sequentibus testimoniis: Joan. 1, v. 17: *Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum-Christum facta est,* id est, Moyses dedit populo nudam legem, nudas cæremonias, nuda sacramenta; at Christus dedit etiam gratiam quam Moyses dare non potuit. Et Gal. 3, v. 11: *In lege nemo justificatur apud Deum,* id est, vi legis, vel vi sacrificiorum et sacramentorum, quæ à lege præscripta sunt. Et ibid. v. 21..... *Si enim data esset lex, quæ posset vivificare, verè ex lege esset justitia.* At ex lege non est justitia; ergò lex non potest vivificare. Ratio sumitur ex præcedenti conclusione, quia si sacramenta Mosaica contulissent gratiam, jam fuissent signa præsentis gratiæ, et non futuræ; nec apostolus dixisset: *Umbram habens lex futurorum bonorum;* sed potiùs, habens præsentia bona, id est, præsentem gratiam, justitiam et salutem. Tertia conclusio: Sacramenta Mosaica conferebant quamdam munditiam et sanctitatem legalem: quæ quidem non erat vera et interna sanctitas, sed tamen figura veræ et internæ sanctitatis.

Hæc conclusio clara est, si loquamur de purificationibus ab externis peccatis. De reliquis sacramentis sic ostenditur. Consecratio sacerdotum (quò etiam spectat ablutio manuum et rasio pilorum) efficiebat ut aliqui è numero aliorum segregati, specialim deputarentur ad cultum divinum peragendum; quæ deputatio erat quædam sanctitas legalis, quam non habebant laici. Similiter, circumcisio efficiebat, ut homo, qui anteà reputabatur inter immundos et incircumcisos, transferretur ad populum sanctum, et à Deo peculiariter electum, de quo scriptum est, Exodi 19, v. 6: *Vos eritis mihi in regnum sacerdotale, et gens sancta.* Et Deut. 7, v. 6: *Populus sanctus es Domino Deo tuo. Te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram.* Ad hunc populum nemo admittebatur, nisi per circumcisionem. Denique, esus agni paschalis, et panum propositionis efficiebat, ut homines fierent participes cibi sanctificati, quæ erat quædam sanctitas legalis.

Quæstio iii. — *An sacramenta Mosaica fuerint tam perfecta, quam nostra?* — Lutherani et Calvinistæ docent, nihil interesse inter sacramenta Mosaica et nostra, quoad vim et efficaciam justificandi, ac proindè eamdem vim et efficaciam habuisse Mosaica, quam habent nostra. Quod proindè est, ac si dicas, nihil interesse inter umbram et imaginem; inter figuram et rem figuratam; inter ancillam et dominam; inter servos et filios; inter Moysen et Christum. Quæ omnia absurda sunt.

Catholici assignant duplex discrimen. Unum, quòd Mosaica non contulerint gratiam justificantem, ut ostensum est; nostra conferant, ut patet Act. 2, v. 38: *Pœnitentiam agite, baptizetur unusquisque vestrûm in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum.* Et ad Titum 3, v. 6.... *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* Hoc discrimen agnoscit Augustinus in Psalm. 73: « Alia sunt, inquit, sacra« menta dantia salutem; alia promittentia Sal« vatorem. Sacramenta novi Testamenti dant « salutem; sacramenta veteris Testamenti pro« mittebant Salvatorem. » Et ibid. « Mutata « sunt sacramenta; facta sunt faciliora, pau« ciora, salubriora, feliciora. » Vide eumd. epist. 118, ad Januarium, et lib. de doct. Christ., cap. 9, et lib. 19 contrà Faust. cap. 13. Alterum est, quòd Mosaica constarent rebus, et non verbis; nostra rebus et verbis. Ità D. Th. 3, p. q. 80, art. 6 ad 2 et 3. Et probatur, quia in veteri Testamento, ubi præscribuntur præcipui ritus sacramentorum, nulla fit mentio verborum, ut patet Gen. 17, v. 10 et seq., ubi præscribitur ritus circumcisionis. Et Exod. 12, ubi præscribitur ritus agnus paschalis. Et Levit. 8, ubi præscribitur ritus ordinationis. Et sic deinceps. At in novo, non tantùm rerum, sed etiam verborum fit mentio. Nam in baptismo, est ablutio aquæ, et verba baptizantis. (Matth. 28, v. 29.) In Eucharistiâ, est panis et vinum, et verba consecrationis. (Matth. 26, v. 26.) In confirmatione, est impositio manuum, et ora-

tio. (Act. 8, v. 15-17.) In extremâ unctione, est unctio et oratio. (Jac. 5, v. 14.) Rationem hujus discriminis assignat D. Th. Quia status veteris Testamenti erat imperfectior, quàm est status novi Testamenti. Et habebat fidem obscuriorem ac magis implicitam, quàm nos habemus; ergò etiam debebat habere sacramenta obscuriora, id est magis obscurè significantia. Cùm ergò verba sint clariora ad significandum, quàm externæ cæremoniæ, non debebant sacramenta Mosaica constare verbis, sed solis cæremoniis : alioqui fuissent æquè clara ac nostra, quòd est contrà analogiam et differentiam veteris ac novi Testamenti, quæ initio hujus libri explicata est.

Contra prius discrimen objicit Calvinus illud 1 Cor. 10, v. 3-4 : *Omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritalem biberunt.* Ex quo colligit, Judæos eamdem escam manducâsse in mannâ, quam nos manducamus in Eucharistiâ ; ac proindè manna et Eucharistiam esse ejusdem virtutis et efficaciæ. Et confirmatur, quia esca illa, teste Apostolo, erat spiritualis ; ergò habebat effectum spiritualem, et non tantùm corporalem aut legalem. Undè Aug., tract. 26 in Joan., disputans de illo loco Pauli, dicit sacramenta nova et vetera fuisse diversa specie visibili, sed paria virtute spirituali. Resp. : Apostolus non confert nos cum Judæis, sed Judæos inter se ; neque dicit Judæos eamdem escam nobiscum manducâsse, sed omnes Judæos, inter se collatos, eamdem escam manducâsse, ut patet ex contextu, qui sic habet : « Patres nostri omnes sub nube fuerunt, et « omnes mare transierunt ; et omnes in Moyse « baptizati sunt, in nube et in mari ; et omnes « eamdem escam spiritalem manducaverunt. » Quòd non potest secundùm sensum litteralem intelligi de Christianis, sed de solis Judæis. Sensus igitur Apostoli est hic : Quemadmodùm Judæi, tametsi omnes idem manna cœleste manducarent, et eamdem aquam divinitùs datam biberent, non tamen omnes salvi facti sunt, sed in deserto perierunt, propter sua peccata ; ità nos Christiani, tametsi omnes eodem baptismo, et eâdem Eucharistiâ utamur, non tamen omnes salvabimur, nisi à peccatis abstineamus. Nec obstat Augustinus, cujus verba sunt hæc : « *In signis diversa sunt,* « *sed in re, quæ significatur, paria sunt ;* » id est, sacramenta vetera et nova sunt paria, quoad rem significatam, quia eumdem Christum significant. Hinc non sequitur, esse paria quoad efficaciam, sed solùm quoad significationem. Nam vetera significabant Christum venturum ; nova significant Christum præsentem. Et hoc sensu, tàm vetera quàm nova dicuntur spiritualia.

Contra posterius discrimen objici potest, quòd etiam in vetere Testamento, quandò præscribuntur ritus sacramentales, fiat mentio verborum, ut patet Lev. 4, v. 26, ubi describitur ritus sacrificii pro peccato, et posteà subditur : *Rogabitque pro eo sacerdos, et pro peccato [ejus, et dimittitur ei.* Resp. : Non est certum quòd illud sacrificium fuerit sacramentum. Et, si non fuit sacramentum, cessat objectio. Deindè, oratio sacerdotis non erat de essentiâ sacrificii pro peccato, sed solùm addebatur ad faciliùs impetrandam peccati remissionem. Hoc indè colligitur, quia in sacrificio pro peccato sacerdotis, nulla oratio adhibebatur; sed solùm in sacrificio pro peccato alicujus de populo, ut patet ex loco citato.

Quæstio iv. — *Quid statuendum sit de Circumcisione ?* — Hactenùs dixi de sacramentis in genere. Nunc speciatim agendum est 1° de circumcisione, 2° de purificationibus ab externis immunditiis. De reliquis actum est antè ; præsertim de esu agni paschalis, cap. 14. De expiationibus à peccato, ibidem. De consecratione sacerdotum, cap. 7, quæst. 5.

Igitur de circumcisione quædam certa, quædam dubia sunt apud theologos. Certa sunt hæc. Primò, quòd circumcisio à Deo instituta sit pro Abrahamo et totâ ejus posteritate masculâ. (Genes. 17, v. 10 et seq.) Secundò, quòd debuerit fier octavâ die. (Ibidem, v. 12.) Nec poterat citiùs fieri, quia ante illum diem propter infantis teneritatem, fuisset periculum mortis. Poterat tamen justâ de causâ differri post octavum diem ; sicut dilata est in deserto per quadraginta annos, ob continuam peregrinationem. (Josue 5, v. 6.) Vide ibi Serarium, et Vasq. in 3 p. disp. 165, cap. 2. Tertiò, quòd debuerit fieri in carne præputii. (Gen. 17, v. 11.) Quia Adamus in isto membro sensit primum effectum suæ inobedientiæ, nempè rebellionem carnis. (Gen. 3, v. 11.) Quartò, quòd ob varios fines instituta sit. 1° Ut esset signum fœderis seu pacti inter Deum et Abraham cum suis posteris. (Gen. 17, v. 11.) *Ut sit in signum fœderis inter me et vos.* Hoc autem fœdus, ex parte Dei tale est : *Ut sim Deus tuus, et seminis tui post te.* Ex parte Abrahami : *Et tu ergò custodies pactum meum, et semen tuum post te, in generationibus suis.* (Gen. 17, v. 7-9.) Uno

verbo, Deus promittebat Abrahamo et posteris ejus perpetuam protectionem. Hi vicissim perpetuam promittebant Deo obedientiam et legis observationem. 2° Ut esset signum fidei Abrahæ, et justitiæ per fidem adeptæ. (Rom. 4, v. 11.) 3° Ut esset typus seu figura baptismi (Col. 2, v. 11.) Nam sicut Baptismus est signum quo Christiani distinguuntur à non Christianis; ità circumcisio fuit signum, quo Judæi distinguebantur ab aliis gentibus. Et sicut nemo potest usurpare alia Christianorum sacramenta, nisi priùs sit baptizatus; ità nemo poterat usurpare sacramenta Mosaica, nisi priùs fuisset circumcisus. Denique, sicut susceptio baptismi est quædam protestatio fidei Christianæ; ità susceptio circumcisionis fuit quædam protestatio fidei Abrahæ. (Vide D. Thom. 3, p. q. 70, art. 1.)

Dubia sunt hæc. 1° An circumcisio debuerit fieri cultro lapideo? 2° Quare Moyses non circumciderit filium suum? 3° Quarè Judæi non fuerint circumcisi in deserto per 40 annos? 4° An etiam gentiles debuerint circumcidi? 5° An licuerit circumcidere filios Gentilium, invitis parentibus? Et alia similia de quibus Vasq. in 3 p. disp. 163, cap. 3, et disp. 164, cap. 1, et disp. 165, cap. 8; item Cornelius in cap. 4 Exodi, v. 24, et in cap. 17 Gen. v. 12, et alii.

Præcipua dubitatio est, an etiam circumcisio fuerit instituta in remedium peccati originalis? Et consequenter, an contulerit gratiam justificantem? Multi affirmant cum Augustino. Alii rectiùs negant cum Justino, Irenæo, Chrysostomo, ut Bellarm. lib. 2 de sacram. cap. 15 et 17, et Vasq. in 1-2, disp. 130, cap. 2. Et probatur primò ex illo Gen. 17, v. 10-11 : « Hoc « est pactum meum quod observabitis inter me « et vos, et semen tuum post te : circumcide« tur ex vobis omne masculinum; et circum« cidetis carnem præputii vestri, ut sit in si« gnum fœderis inter me et vos. » Ubi assignatur finis ob quem instituta fuit circumcisio; et nulla fit mentio remedii contrà peccatum originale. Secundò, ex illo Rom. 3, v. 1-2 : *Quid ergò ampliùs Judæo est, aut quæ utilitas circumcisiònis? Multum per omnem modum. Primùm quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei.* Ubi Apostolus ex professo quærit, quid circumcisio profuerit Judæis? Nec dicit profuisse ad remissionem peccati originalis (quod tamen maximè dicere debuisset, si verum esset), sed solùm ad hoc profuisse, quòd Judæi per circumcisionem separati à Gentilibus acceperint legem Mosaicam. Idem docent ipsimet Judæi, præsertìm Philo in libro de Circumcisione, et Joseph., lib. 1 Antiq. cap. 12, qui ambo rerum Judaicarum fuerunt peritissimi. Accedit duplex ratio, una, quia circumcisio debebat differri usque ad octavam diem. Si ergò fuisset remedium peccati originalis, omnes infantes qui moriebantur antè octavam diem, caruissent illo remedio, quod est durum asserere. Altera, quia Judæi per 40 annos in deserto non fuerunt circumcisi. (Josue 5, v. 6.) Quis autem credat, remedium peccati originalis tamdiù fuisse neglectum, sciente et consentiente Moyse?

Solet objici illud Gen. 17, v. 14 : *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo: quia pactum meum irritum fecit.* Ex quo colligit Augustinus, omnes masculos non circumcisos perire, quia peccârunt in Adamo, et irritum fecerunt pactum de non comedendo fructu arboris; circumcisos autem non perire, quia per circumcisionem liberati sunt ab illo peccato. Resp. Illud pactum cujus ibi fit mentio, non est pactum de fructu arboris non comedendo, ut putat Augustinus; sed est pactum, quod inter Deum et Abrahamum, ejusque posteros initum est, ut antè explicavi. Est igitur hic sensus : quicumque masculus ex posteris Abrahæ non fuerit circumcisus, non censebitur pertinere ad populum Dei electum; quia feci hoc pactum cum Abrahamo et posteris ejus, ut nemo, nisi circumcisus, ad populum admittatur.

Secundò objicitur : Circumcisio fuit figura baptismi; at baptismus institutus est in remedium peccati originalis, ergo et circumcisio. Resp... : Non sequitur, ut patet in hoc simili discursu : Agnus paschalis fuit figura Eucharistiæ; at Eucharistia instituta est ad conferendam gratiam ex opere operato; ergò et agnus paschalis. Vel in hoc : Salo non fuit figura Christi; at Christus est redemptor humani generis; ergo et Salomon. Vel in hoc : Synagoga fuit figura Ecclesiæ; at Ecclesia est catholica seu universalis; ergò et Synagoga. Ratio est, quia figura in duobus deficit à re figuratâ. 1° Quòd non repræsentet rem figuratam in omnibus; sed in aliquo tantùm. 2° Quòd in eo ipso, in quo illam repræsentat, imperfectior sit quàm res figurata v. g. Circumcisio est figura baptismi. In baptismo multa spectari possunt. 1° Quòd sit signum discernens seu segregans Christianos ab aliis. 2° Quòd conferat gratiam sanctificantem, et eâ mediante, tollat peccatum originale. 3° Quòd fiat per ablutionem aquæ. 4° Quòd perficiatur per invocatio-

nem SS. Trinitatis. Circumcisio non est figura baptismi, vel non repræsentat baptismum in his omnibus, sed tantùm in primo. Et in eo ipso adhuc deficit. Est enim carnale signum, discernens Judæos ab aliis. Baptismus est spirituale signum, discernens Christianos à non Christianis. Item baptismus est signum necessarium ad salutem, quia nemo sine baptismo salvari potest. (Joan. 3, v. 5.) Circumcisio non est signum necessarium ad salutem, quia Ninivitæ et alii sine circumcisione salvati sunt. Eodem modo, manna est figura Eucharistiæ. At in Eucharistiâ multa spectari possunt. 1° Quòd sit cibus et potus. 2° Quòd contineat verum corpus et sanguinem Christi. 3° Quòd conferat gratiam justificantem; et plura alia. Manna non repræsentat Eucharistiam in his omnibus, sed in eo quòd sit cibus. Et in hoc ipso deficit. Non enim est cibus animæ, sicut Eucharistia, sed tantùm corporis. Neque confert immortalitatem, sicut Eucharistia, sed relinquit hominem mortalem. Joan. 6, v. 49-50 : « Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et « mortui sunt. Hic est panis de cœlo descen« dens; ut si quis ex ipso manducaverit, non « moriatur. » Idem dicendum est de Salomone respectu Christi, et de Synagogâ respectu Ecclesiæ. Ex hoc duplici defectu satis apparet non licere argumentari à re figuratâ ad figuram, secundùm æqualitatem aut paritatem, sed tantùm secundùm quamdam analogiam, qualis est inter umbram et corpus; inter rudem delineationem imaginis, et perfectam imaginem. Itaque non valent hæ consequentiæ 1° : Circumcisio est figura baptismi; at baptismus tollit peccatum originale : ergò et circumcisio. 2° Baptismus spiritualiter discernit Christianos ab aliis : ergò et circumcisio. Baptismus fit per ablutionem aquæ, et invocationem SS. Trinitatis : ergò et circumcisio. Hæc tamen valet : Circumcisio est figura baptismi; ergo debet esse aliqua analogia inter utrumque, qualis est inter umbram et corpus, inter inchoatum et perfectum. Hæc in eo consistit, quòd sicut circumcisio in carne distinguit Judæos à Gentilibus, ità baptismus in animâ distinguat Christianos à non Christianis, nempè per spiritualem characterem, qui animæ indebiliter impressus est.

Tertiò objicitur : Non potest assignari aliud remedium peccati originalis in vetere Testamento quàm circumcisio : vel si potest, assignetur. Resp. : Assignetur hujusmodi remedium pro femellis, quæ non circumcidebantur; tunç assignabo pro masculis. Aut si nos latet, quo remedio usæ sint femellæ, quid mirum si lateat, quo remedio usi sint masculi? Judæi debebant utrumque scire per traditionem. Nam ex Scripturâ nihil certi haberi potest. (Vide quæ cap. 1, qu. ult. de Traditionibus dicta sunt.)

QUÆSTIO V. — *Quid statuendum de purificationibus ab immunditiâ legali?* — Judæi, qui contraxerant immunditiam legalem, debebant purificari, antequam admitterentur, vel ad ingressum templi, vel ad sacras oblationes, vel ad aliorum consortium. De hâc purificatione breviter agendum est per sequentes quæstiunculas.

Quæres 1° quinam secundùm legem Mosaicam erant immundi? Resp. : Erant duplices immundi. Alii in se; alii ex contactu rei immundæ. In se immundi erant hi. 1° Puerperæ. (Lev. 12, v. 2.) 2° Leprosi. (Levit. cap. 13, et cap. 14.) 3° Seminiflui. (Lev. 15, v. 2.) 4° Polluti ex coitu, sivè legitimo, sivè illegitimo. (Lev. 15, v. 16.) 5° Menstruatæ. (Lev. 15, v. 19.) 6° Hæmorrhoissæ, id est, quæ multis diebus patiuntur fluxum sanguinis, extrà tempus menstruale. (Levit. 15, v. 25.) Ex contactu autem rei immundæ fiebant immundi, qui sequuntur. 1° Qui tangebant leprosos, seminifluos, pollutos ex coitu; menstruatas, hæmorrhoissas, aut illorum vel illarum vestes, aut sedilia, ut patet ex locis allegatis. 2° Qui tangebant reptilia, aut alia animalia immunda, quibus non licebat vesci. (Lev. 11, v. 43.) 3° Qui tangebant cadavera animalium immundorum, (Lev. 11, v. 24.) 4° Qui tangebant cadavera animalium mundorum, quæ spontè erant mortua. (Lev. 11, v. 39.) 5° Qui tangebant cadavera, aut ossa, aut sepulchra hominum mortuorum. (Num. 19, v. 11.) 6° Qui ingrediebantur domum vel tentorium, in quo jacebat mortuus. (Num. 19. v. 14.) 7° Qui tangebant aquas expiationis, quibus immundi expiabantur. (Num. 19, v. 21.)

Quæres 2° quomodò purificabantur, qui erant immundi in se? Resp. : non omnes eodem modo..... Puerperæ purificabantur hoc modo. Si peperissent masculum, immundæ erant septem diebus, et manebant triginta diebus in sanguine purificationis. Et tunc offerebant agnum anniculum in holocaustum, et pullum columbæ sive turturem pro peccato. Vel, si pauperes essent, duos pullos columbarum. Si autem peperissent femellam, immundæ erant quatuordecim diebus; et sexaginta sex diebus manebant in sanguine purificationis. Et tunc offere-

bant pro femellâ, sicut pro masculo. (Levit. 12, per totum.) Leprosi, antequàm curata esset lepra, jubebantur hæc præstare. 1° Habere vestes dissutas. 2° Caput nudum. 3° Os veste contectum. 4° Clamare sordidos se esse. (Lev. 13, v. 44 et seq.) Quandò autem curata erat lepra, expiabantur hoc modo. 1° Sacerdos aspergebat illos sanguine passeris, per alium passerem alligatum baculo cedrino, cum cocco et hyssopo; et mox passerem vivum permittebat avolare. 2° Ipsimet lavabant vestes suas, radebant pilos corporis, ac deindè lavabant seipsos. 3° Die octavo, si divites erant, offerebant agnum pro delicto, et agnum pro peccato, et ovem anniculam in holocaustum, cum tribus decimis similæ, et olei sextario. Sin pauperes, offerebant agnum pro delicto, et duos turtures, vel duos pullos columbarum, unum pro peccato, et alterum in holocaustum, cum tribus decimis similæ, et olei sextario. 4° Sacerdos sanguine agni tingebat aurem illorum dexteram, et pollices dexteræ manûs et pedis. 5° Ex oleo aspergebat septies coràm tabernaculo; reliquum olei fundens super auriculam dexteram, et super pollices manûs ac pedis dextri, et super caput. (Lev. 14, per totum.) Simili modo lustranda erat vestis aut domus, quandò à leprâ erat curata. Seminiflui, id est, qui durantem seminis fluxum patiebantur ex debilitate naturæ, debebant sic purgari. Quandò sanati erant, numerabant septem dies; et tunc lotis vestibus ac toto corpore erant mundi. Die autem octavo offerebant duos turtures, vel duos pullos columbarum; unum pro peccato, et alterum in holocaustum. (Levit. 15, v. 13.) Polluti ex coitu (sivè viri, sivè feminæ) lavabant totum corpus aquâ, et erant immundi usque ad vesperam. (Levit. 15, v. 16.) Menstruatæ septem diebus separabantur. (Ibid., v. 19.) Hæmorrhoissæ, quandò sistebatur sanguis, numerabant septem dies, sicut seminiflui, et octavo die, offerebant duos turtures, vel duos pullos columbarum; unum pro peccato, et alterum in holocaustum. (Ibid. 28 et 29.)

Quæres 3° quomodo purificabantur, qui erant immundi ex contactu rei immundæ? Resp.: Hæc ferè regula servabatur. Eo die, quo tangebant rem immundam, manebant immundi usque ad vesperam, seu usque ad solis occasum, et loti aquâ expiabantur, ut patet Levit. 15, ubi hæc verba sæpè repetuntur, v. 22: *Qui tetigerit*... (hanc vel illam rem immundam), *lavabit vestimenta sua; et ipse lotus aquâ, immundus erit usque ad vesperam.* Excipiebantur tamen qui fiebant immundi ex contactu mortui, vel morticini, vel sepulchri hominis mortui. Nam illi manebant immundi septem diebus; et die tertio, et septimo aspergebantur aquâ lustrali, et sic expiabantur. (Num. 10, v. 11-12.)

Quæres 4° an omnes immundi, quamdiù erant immundi, debuerint extrà castra habitare? Resp.: Omnes quidem arcebantur ab ingressu templi, et à sacris oblationibus; non tamen omnes ejiciebantur extrà castra; sed hi soli: Primò, leprosi, seminiflui, et polluti super mortuo. (Num. 5, v. 2.) Secundò polluti ex nocturno somnio. (Deut. 23, v. 10.) Præter hos immundos, omnes omninò, sivè mundi, sivè immundi, debebant egredi castra, quoties ibant ad requisita naturæ, juxtà illud Deut. 23, v. 12-13. « Habebis locum extrà castra, ad « quem egrediaris ad requisita naturæ, gerens « paxillum in balteo: cùmque sederis, fodies « per circuitum, et egesta humo operies quo « relevatus es. » Idque ob duas causas, ut ibidem insinuatur. 1° Ut castra servarentur munda contrà morbos. 2° Propter honorem Arcæ fœderis, in quâ Deus habitabat in medio castrorum.

Quæres 5° an omnes immundi, qui contrahebant immunditiam legalem, simul contraxerint peccatum? vel, an omnis immunditia legalis fuerit peccatum? Resp. non omnis. Erat enim duplex immunditia Hebræorum. Una erat vetita præcepto Dei, ut comedere carnes immundas, sanguinem, adipem. (Lev. 11, per totum.) Item comedere morticinum, vel laniatum à bestiis. (Lev. 22, v. 8.) Item, tangere morticina immundorum, et tangere reptilia. (Lev. 11, v. 43.) Igitur per horum esum vel contactum, non tantùm contrahebatur immunditia legalis, sed etiam peccatum. Altera immunditia non erat vetita præcepto Dei, sed solùm indicata et statuta, ut tangere leprosum, vel seminifluum; pati lepram, fluxum seminis, menstrua. Nam de his non dicitur: *Ne tangatis ea*, sed, *qui tetigerit, immundus erit*. Undè hæc non erant peccata, sed tantùm inducebant irregularitatem legalem. (Vide Cornelium, in cap. 13 Lev.)

Quæres 6° qualis erat illa aqua, quâ immundi aspergebantur et mundabantur? Resp. Erat aqua lustralis, seu aqua lustrationis, vel expiationis, cui cineres rufæ vaccæ erant infusæ. Fiebat autem hoc modo: Sacerdos accipiebat rufam vaccam sine maculâ, quæ non portaverat jugum; hanc immolabat extrà castra, et totam comburebat cum ligno cedrino, cocco bis tincto et hyssopo. Illius cineres collecti spargebantur in aquam vivam, id est, fontanam, seu fluentem. Et tunc aqua illa ci-

neribus inspersa adhibebatur ad immundos purificandos. (Num. 19, v. 2 et seq.).

Nota 1° : Hæc vacca in deserto immolabatur extrà castra. In terrâ verò Palæstinâ immolabatur Jerosolymis extrà portam, et indè cineres deferebantur ad singula oppida, ut ubique haberent aquam lustrationis pro usu quotidiano. Omnes enim immunditiæ per hanc aquam tollebantur, ut colligitur ex illo Hebr. 9, v. 13 : ***Si enim sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis,*** etc.

Nota 2° : Tradunt Hebræi, et ex eis Burgensis addit. 2, in cap. 19 Num., quòd sex tantùm vaccæ rufæ fuerint immolatæ per totam durationem à Moyse usque ad Christum. Prima, tempore Moysis. Secunda tempore Esdræ. Tertia et quarta tempore Simeonis justi, qui fuit Pontifex per annos octoginta. Quinta et sexta tempore Joannis pontificis, qui fuit pater Mathathiæ, à quo descenderunt Machabæi. Quod tamen non est verisimile. Nam pauci cineres unius vaccæ, quæ tempore Moysis immolata est, non poterant sufficere per tot annos, quot inter Moysen et Esdram elapsi sunt; præsertim pro tantâ Judæorum multitudine, et pro quotidianis purificationibus, quæ ex præcepto Dei fiebant. Undè verisimilius est, quod tradunt Lyran. et Cornel., singulis annis unam vaccam esse immolatam (1).

Quæres 7° quid significabant tot ac tàm diversæ purificationes Judæorum ? Resp. : Erant figuræ sacramenti pœnitentiæ, et significabant quàm seria futura esset contritio, confessio, purificatio et munditia Christianorum; quàm accuratum examen conscientiæ; quàm diligens sollicitudo ad eluendam vel minimam labeculam animæ.

CAPUT XVI.

DE OBSERVANTIIS LEGALIBUS.

Observantiæ legales quibus Judæi discernebantur à Gentilibus, erant variæ. 1° Discretio ciborum mundorum ab immundis. 2° Abstinentia à sanguine et adipe. 3° Jejunia. 4° Vota. 5° Juramenta. 6° Solemnitates festorum. 7° Annus remissionis. 8° Jubilæum. 9° Rasio, vel tonsio capitis ac barbæ. 10° Certus usus vestium. (Vide D. Thom. in 1 2. q. 102, a. 6). Dicam aliquid de singulis.

De discretione ciborum mundorum ab immundis. — De hâc discretione potissimùm agitur Lev. 11, et Deut. 14. Ex quibus locis colligi possunt aliquot regulæ, de pecoribus, de piscibus, de avibus, de aliis. Et quidem de pecoribus est hæc regula generalis : Omne animal, quod in duas partes findit ungulam, et ruminat, comedetis; ut bovem, ovem, capram, cervum et capream, bubalum, tragelaphum, pygargum, orygem, camelopardalum (Lev. 11, v. 3; Deut. 14, v. 4). Ex quo deducuntur aliæ tres. Prima, quod nec ruminat, nec ungulam dividit, immundum est. (Lev. 11, v. 26.) Secunda, quidquid autem ruminat quidem, sed ungulam non dividit, etiam immundum est, ut camelus, lepus, chærogryllus. (Lev. 11, v. 4, et Deut. 14, v. 7.) Tertia, quidquid non ruminat, etiamsi ungulam dividat, immundum est, ut sus. (Lev. 11, v. 7. et Deut. 14, v. 8.) De piscibus sunt duæ regulæ. Prior : Omne quod habet pinnulas et squamas, tàm in mari quàm in fluminibus et stagnis, comedetis. Posterior : Quidquid non habet pinnulas et squamas, immundum et abominabile est. (Lev. 11, v. 9-10. Deut. 14, v. 9-10.) Aves immundæ, quibus non licebat vesci, erant hæ : Aquila, gryps, haliæetus, ixion, milvus, vultur, corvus, struthio, noctua, larus, accipiter, bubo, mergulus, ibis, cygnus, onocrotalus, prophyrio, herodius, charadrion, upupa, vespertilio. (Lev. 11, v. 13, et Deut. 14, v. 12.) De aliis erant hæ regulæ. Prima, omne de volucribus, quod graditur super quatuor pedes, abominabile erit vobis. (Lev. 11, v. 20.) Secunda, quidquid autem ambulat quidem super quatuor pedes, sed habet longiora retrò crura, per quæ salit super terram, comedere debetis, ut est bruchus, attacus, ophiomachus, locusta. (Lev. 11, v. 21.) Tertia, immunda seu polluta sunt, mustela, mus, crocodilus, mygale, chamæleon, stellio, lacerta, talpa. (Levit. 11, v. 29.) Quarta, omne quod reptat super terram, abominabile erit. (Levit. 11, v. 41.) Quinta, quidquid super pectus quadrupes graditur, et multos habet pedes, sivè per humum trahitur, non comedetis, quia abominabile est. (Lev. 11, v. 42.)

Nota 1° Immundum dupliciter sumitur in Scripturâ. Primò pro polluto, abominabili, execrando, quod non liceat comedere. Sic

(1) Vacca rufa figura erat Salvatoris nostri, quæ summatim in eo consistit, quòd pontifex unà cum vaccâ rufâ peccata populi symbolicè portante, extrà castra, seu portam civitatis dimitteretur, ut Christum tinctis sanguine vestibus, et peccatis totius mundi onustum, sacerdotem simul et hostiam, extrà portam passurum præsignaret (Heb. c. 13).

sumitur locis jam citatis. 2° Pro debili vel maculoso, quod liceat quidem comedere, sed non offerre in sacrificium. Sic sumitur Deut. 12, v. 15-16 : « Sin autem comedere volueris, « et te esus carnium delectaverit, occide et « comede juxtà benedictionem Domini Dei « tui, quam dedit tibi in urbibus tuis; sivè « immundum fuerit, hoc est, maculatum et « debile; sivè mundum, hoc est, integrum et « sine maculâ, quod offerri licet, sicut ca- « pream et cervum, comedes absque esu dun- « taxat sanguinis, quem super terram quasi « aquam effundes. » Nota 2° Præter immunda animalia, de quibus jam dictum est, erant etiam alia quæ tametsi ex suo genere munda essent, tamen censebantur immunda propter aliquam circumstantiam. De quibus intelligi debent hæc Scripturæ testimonia, Exodi 21, v. 28 : « Si bos cornu percusserit virum aut « mulierem, et mortui fuerint, lapidibus « obruetur; et non comedentur carnes ejus. » Et Exodi. 22, v. 31 : « Carnem, quæ à bestiis « fuerit prægustata, non comedetis, sed pro- « jicietis canibus. » Et Lev. 7, v. 19 : « Caro, « quæ aliquid tetigerit immundum, non co- « medetur, sed comburetur igni. » Et Lev. 11, v. 34 : « Omnis cibus, quem comedetis, si fusa « fuerit super eum aqua, immundus erit. » Et Deut. 14, v. 21 : « Quidquid autem mortici- « num est, ne vescamini ex eo. »

Quæres 1° : Quid significabat illa discretio ciborum mundorum ab immundis in vetere Testamento ? Resp. : Significabat discretionem Judæorum et Gentilium. Nam Judæi in vetere Testamento censebantur mundi, sancti, impolluti; Gentiles verò immundi, et polluti. De Judæis dictum est Deut. 14, v. 2 : « Populus « sanctus es Domino Deo tuo. « De Gentilibus verò, Matth. 7, v. 6 : « Nolite dare sanctum « canibus; neque mittatis margaritas vestras « antè porcos. » Et Matth. 15, v. 26 : « Non « est bonum sumere panem filiorum, et mittere « canibus. »

Quæres 2° : Quis sustulit hanc discretionem inter Judæos et Gentiles ? Resp. : Christus, qui ex Judæis et Gentilibus fecit unam Ecclesiam, et abstulit medium parietem, quo à se mutuò dividebantur. Ephes. 2, v. 14. Hùc etiam spectat illud, Rom. 3, v. 29 : « An Ju- « dæorum Deus tantùm ? Nonne et Genti- « lium ? » Et Rom. 10, v. 12 : « Non enim est « distinctio judæi, et græci. » Et Galat. 3, v. 28 : « Non est judæus, neque græcus; non « est servus, neque liber : non est masculus, « neque femina. Omnes enim vos unum estis « in Christo Jesu. »

Quæres 3° : Quis primò cognovit hoc mysterium ? Respondeo : In vetere Testamento fuit incognitum. Ephes. 3, v. 5. In novo, primo omnium revelatum est Petro, quando vidit cœlum apertum, et descendens vas quoddam, velut linteum magnum, in quo erant simul animalia munda et immunda, quo significabatur in Ecclesiâ simul fore Judæos et Gentiles. Act. 10, v. 11 et seq. Hoc intellige eo sensu quo explicatum est cap. 2, q. 9.

Quæres 4° : An etiam in novo Testamento sit discretio ciborum mundorum ab immundis ? Resp. : Non est. Nam, ut ait Apostolus ad Titum 1, v. 15 : *Omnia munda mundis*. Et 1 Tim. 4, v. 4 : *Omnis creatura Dei bona est, nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur.* Ubi nota discrimen inter Judæos, christianos et hæreticos. Judæi abstinebant à quibusdam cibis, ex præcepto Dei, propter immunditiam legalem. Christiani abstinent in Quadragesimâ à carnibus ex præcepto Ecclesiæ, non propter immunditiam, sed propter devotionem. Hæretici abstinent à quibusdam cibis ex errore, propter falsam persuasionem. (1 Tim. 4, v. 2).

De abstinentiâ à sanguine et adipe. — De hâc abstinentiâ exstat præceptum, Lev. 3, v. 16-17 : *Omnis adeps, Domini erit jure perpetuo in generationibus et cunctis habitaculis vestris; nec sanguinem, nec adipem omninò comedetis.* Ubi aliqua notanda sunt. Primò, quòd Judæis in lege Mosaicâ non tantùm prohibitus fuerit sanguis immolatus, id est, sanguis victimarum, sed etiam sanguis quorumcumque animalium, quæ domi ad esum mactabantur, ut patet Levit. 17, v. 10-11 : « Homo quilibet de domo « Israel, et advenis qui peregrinantur inter « eos, si comederit sanguinem, obfirmabo fa- « ciem meam contrà animam illius, et disper- « dam eam de populo suo, quia anima carnis « in sanguine est. » Et infrà, v. 14 : « San- « guinem universæ carnis non comedetis, « quia anima carnis in sanguine est. Secundò, quòd hoc præceptum non tantùm Judæis fuerit datum in lege Mosaicâ, ut jam ostendi : sed etiam Noe et posteris ejus in lege naturæ, Gen. 9, v. 3 et seq. : « Omne quod movetur « et vivit, erit vobis in cibum; quasi olera vi- « rentia tradidi vobis omnia; excepto quòd « carnem cum sanguine non comedetis. San- « guinem enim animarum vestrarum requi- « ram de manu cunctarum bestiarum. » Et

posteà novis Christianis in lege evangelicâ, Act. 15, v. 29 : « Ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato. » Itaque tribus vicibus prohibitus est esus sanguinis. 1° In lege naturæ, antequàm introducta esset discretio ciborum mundorum ab immundis. 2° In lege Mosaicâ, quandò vigebat illa discretio. 3° In lege evangelicâ, quandò eadem discretio fuit abrogata. Hæc triplex prohibitio facta est ob triplicem causam. Prima causa est, ut homines abstinerent ab effusione sanguinis humani. (Gen. 9, v. 5.) Altera est, quia sanguis est vehiculum, nutrimentum, et tutela vitæ ac spirituum vitalium. Vita autem solius Dei est; ergò et sanguis soli Deo offerri debet. Quæ causa adducitur in secundâ prohibitione, Levit. 17, v. 11 : *Quia anima carnis in sanguine est.* Tertia, ut Judæi et Gentiles faciliùs possent uniri seu coalescere in unam Ecclesiam. Quæ causa fuit, cur Apostoli interdicerent esum sanguinis. Nam Gentiles comedebant sanguinem : Judæi non item. Ne ergò fieret inter illos dissensio, utrique jussi sunt abstinere à sanguine (saltem ad initium nascentis Ecclesiæ) ut esset firmior illorum concordia et unitas. Hæc abstinentia à sanguine multùm differebat ab abstinentiâ ab adipe. 1° Quia abstinentia à sanguine præcepta fuit in lege naturæ, in lege Mosaicâ, et in lege evangelicâ; ut dixi. Abstinentia verò ab adipe, solùm in lege Mosaicâ. 2° Judæi debebant abstinere ab omni sanguine, non tamen ab omni adipe. Debebant quidem abstinere ab adipe, qui seorsim in intestinis continetur; non tamen ab eo, qui carni adhæret et illi quodammodò immixtus est. Rursùm, debebant abstinere ab adipe illorum animalium, quæ erant munda ad sacrificium; ut ab adipe ovis, capræ, bovis; non tamen ab adipe aliorum, quæ tantùm erant munda ad comedendum; ut ab adipe cervi, bubali, et similium, de quibus suprà. (Vide Cornel. in cap. 3 Lev., v. 17.)

De jejuniis. — Duplicia erant Judæorum jejunia, alia communia seu publica, alia privata. Communia rursùm duplicia; alia stata et ordinaria, quæ singulis annis repetebantur; alia extraordinaria, quæ indicebantur ob aliquam præsentem, vel ingruentem calamitatem, et non repetebantur singulis annis. De prioribus intelligitur illud Zach. 8, v. 19 : *Jejunium quarti, et jejunium quinti, et jejunium septimi, et jejunium decimi erit domui Juda in gaudium, et lætitiam, et in solemnitates præclaras.* Ubi insinuantur quatuor jejunia, quæ ordinariè à Judæis servabantur, ut notant S. Hieronymus, Rupertus et Riberâ in locum citatum; Torniell. in annal. anno mundi 2545, n. 42; Cornel. in cap. 32 Exodi, v. 19 et alii. Primum erat jejunium quarti mensis, quod Judæis indictum fuit ob tabulas legis confractas. Cùm enim Moyses descendens de monte Sinai, deferret tabulas legis ad castra, et videret populum choros ducere, et vitulum aureum adorare, iratus est, et ex pio zelo projecit tabulas ad radicem montis, et confregit. (Exodi 32, v. 19.) Putabat enim indignum esse, si tabulas legis, quas jejunio quadraginta dierum obtinuerat, offerret populo, qui per ebrietatem, et idololatriam factus erat transgressor legis. Hoc sensu Amb. lib. de Heliâ et jejunio, cap. 6, ait : *Tabulas legis, quas accepit abstinentia, conteri fecit ebrietas.* Et quia hæc confractio tabularum facta est die 17 quarti mensis, ideò indictum fuit jejunium eodem die, ut patet ex Kalend. Hebræorum apud Genebrardum in comment. super Psalmos. Secundum erat jejunium quinti mensis, quod ideò fuit indictum, quia Hebræi quinto mense prohibiti sunt ex Cadesbarne, ascendere montem Idumeæ, et sic brevi compendio recta transire in proximam terram promissionis; sed jussi redire in solitudinem per viam maris rubri, et quadraginta annis errare in solitudine, in pœnam murmurationis contrà Deum. Et quia non obtemperaverunt Deo, sed in montem Idumeæ ascenderunt, plerique occisi sunt ab Amorrhæis, qui in illo monte habitabant. Num. cap. 14, v. 33, 41 et seq.; et Deut. 1, v. 40 et seq. Tertium erat jejunium septimi mensis, quod indictum fuit ob cædem Godolæ, quæ fuit Hebræis valdè perniciosa. (4 Reg. 25, v. 25.) Quartum erat jejunium decimi mensis quod ideò indictum fuit, quia illo mense Ezechiel et cæteri qui erant cum illo in captivitate Babylonicâ, audierunt Jerusalem esse captam, et templum incensum. Vide auctores suprà citatos, qui hoc ferè modo explicant hæc quatuor jejunia.

Præter hæc ordinaria jejunia, erant alia extraordinaria, quæ indicebantur ob aliquam præsentem vel imminentem calamitatem. Sic Josaphat, rex Juda, indixit jejunium universo populo, quandò Moabitæ, et Ammonitæ veniebant contrà illum ad bellum. (2. Paralip. 20, v. 3.) Sic Esdras indixit jejunium pro felici itinere, ne ab hostibus infestaretur, quandò cum sociis suis, ex consensu regis Artaxerxis, è captivitate Babylonicâ profectus est in Jeru-

salem ad domum Domini instaurandam. (1 Esdræ 8, v. 21). Sic filii Israel jejunârunt totâ die, quandò à Benjamitis cæsi et fugati sunt. (Judic. 20, v. 26). Similiter, quandò à Philisthæis propter sua peccata affligebantur. (1 Reg. 7, v. 6). Item, quandò Holofernes venit contrà illos cum ingenti exercitu. (Judith 4, v. 8). Itemque quandò crudele edictum regis Assueri contrà ipsos promulgatum est. (Esther 4, v. 3). Ac denique quandò volebant avertere iram Dei, tempore Joachim, filii Josiæ, regis Juda. (Jerem. 36, v. 9.) Hæc de publicis seu communibus jejuniis. Privata erant, quæ quisque sibi, vel ex propriâ devotione, vel ex Dei instinctu assumebat. Sic Moyses accepturus à Deo legem Decalogi jejunavit quadraginta diebus. (Exodi 34, v. 28). Sic Helias, fugiens persecutionem Jezabelis, et tendens in montem Dei Horeb, jejunavit totidem diebus. (3 Reg. 19, v. 8). Sic David, auditâ morte Abner, jejunavit usque ad occasum solis. (2 Reg. 3, v. 35). Sic idem David, ægrotante filiolo, deprecatus est pro eo Dominum, et jejunavit. (2 Reg. 12, v. 16). Sic Sara, filia Raguelis, cùm objiceretur ipsi, quòd septem viros occidisset, jejunavit tribus diebus et tribus noctibus. (Tob. 3, v. 10). Sic Daniel orando et jejunando obtinuit à Deo, ut abbreviarentur anni desolationis Jerusalem. (Dan. 9, v. 3, et seq.)

Christus in novo Testamento tribus potissimùm modis commendavit nobis jejunium. 1° Suo exemplo, quia jejunavit 40 diebus et 40 noctibus in deserto. (Matth. 4, v. 2). 2° Ostendendo quanta sit vis et efficacia jejunii Matth. 17, v. 20 : *Hoc autem genus* (dæmoniorum) *non ejicitur nisi per orationem et jejunium.* Tertiò, prædicendo fore ut ipsius discipuli, id est, veri Christiani, post ipsius mortem essent jejunaturi. Matth. 9, v. 15 : *Venient autem dies cùm auferetur ab eis sponsus; et tunc jejunabunt.* Et hoc factum est tempore Apostolorum. Act. 13, v. 2 : *Ministrantibus autem illis Domino, et jejunantibus, dixit illis Spiritus sanctus.* Ecce Spiritus sanctus loquitur jejunantibus. Idem post tempora Apostolorum observatum est, ab omnibus veris Christianis, usque ad hæc nostra tempora. Ut patet partìm ex historiis ecclesiasticis, partìm ex praxi et antiquâ consuetudine, quam à majoribus nostris accepimus. Videant nunc, an sint veri Christiani, qui nunquàm jejunant? An de illis Christus locutus sit cùm dixit : *Venient autem dies, cùm auferetur ab eis sponsus; et tunc jejunabunt?*

De votis. — Vovere nihil aliud est, quàm Deo aliquid promittere. Porrò in lege Mosaicâ, de quâ nunc potissimùm agimus, erant variæ leges circà votum. Una generalis; aliæ speciales. Generalis erat hæc. Deut. 23, v. 21 et seq. : « Cùm votum voveris Domino Deo tuo, « non tardabis reddere, quia requiret illud « Dominus Deus tuus; et si moratus fueris, « reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris « polliceri, absque peccato eris. Quod autem « semel egressum est de labiis tuis, observabis, « et facies sicut promisisti Domino Deo tuo. » Speciales erant triplices : aliæ de valore et irritatione voti; aliæ de redemptione; aliæ de materiâ. Leges primi generis, de valore et irritatione voti, erant hæ : Prima, de voto Nazaræorum. Num. 6, v. 2-3 : *Vir, sivè mulier, cùm fecerint votum ut sanctificentur, et se voluerint Domino consecrare, à vino, et omni quod inebriare potest, abstinebunt.* Hoc votum erat ratum. Poterat tamen irritari, quoad mulieres, ut patebit ex sequentibus. Secunda, de voto filiæ, quæ erat sub potestate patris. Nàm si aliquid vovisset, et pater, re cognitâ, eodem die non contradixisset, votum erat ratum, et servandum; si contradixisset, erat irritum. (Num. 30, v. 4). Quod dicitur de filiâ, debet etiam intelligi de filio, sub potestate patris existente. Et quod de patre, debet etiam intelligi de tutore, qui, mortuo patre, succedit in jus et regimen paternum. Nota, si pater semel absolutè consensisset in votum filiæ, non poterat illud posteà irritare. Tertia, de voto uxoris, quæ similiter, si aliquid vovisset, et vir ejus, rè intellectâ, non statìm eodem die contradixisset, ratum erat votum; irritum, si secùs. (Ibid., v. 7). Nota, si sponsa antequàm nuberet, fecisset votum, patre consentiente, juxtà secundam legem; et posteà nupsisset, poterat sponsus statìm post contractum matrimonium votum ejus irritare ; non minùs quàm si votum fecisset in matrimonio. Ità Abulens. in cap. 30 Num., quæst. 35. Quod intellige, si sponsus antè initum matrimonium nihil sciebat de hujusmodi voto. Ratio est, quia alioquì potuisset fieri, ut ipsi sponso, etiam invito et ignoranti, per hujusmodi votum præcedens, injiceretur aliquod onus, quod ipse nec voluisset, nec tenebatur acceptare. Quarta, de voto viduæ et repudiatæ, quæ si aliquid vovissent, votum erat ratum, et tenebantur servare, ibid., v. 10. Non enim subjectæ erant vel patri vel marito, à quo votum ipsarum irritari posset.

Leges secundi generis, de redemptione voti erant hæ : Prima, homo qui seipsum Deo obtulerat per votum, ut serviret in tabernaculo, redimebat se pretio à lege taxato. (Lev. 27, v. 2.) Hoc intellige de laicis, non autem de levitis et sacerdotibus. Erant enim duplicia munia in tabernaculo. Alia propria sacerdotum aut Levitarum; alia quæ poterant præstari à laicis, ut portare aquam, et ligna pro sacrificiis; verrere atrium; sarta tecta templi curare. Ad priora, soli sacerdotes et levitæ poterant se offerre per votum. Ad posteriora, laici. Si ergò sacerdotes et levitæ vovissent, se semper in suis officiis ministraturos Domino, tenebantur id facere. Sic fecit Samuel levita, quem mater Deo devoverat. (1 Reg, 1, v. 11.) Si autem laici vovissent, se reliqua munia obituros, id est, portaturos aquam et ligna in usum tabernaculi, debebant votum suum pretio redimere. Idque duplici de causâ. 1° Ut illud pretium daretur levitis et sacerdotibus pro sustentatione. 2° Quia non necesse erat Hebræos portare aquam et ligna; cùm Gabaonitæ in pœnam fraudis, quâ deceperant Hebræos, ad id essent destinati. Josue 9, v. 23. Secunda lex; si quis vovisset Deo animal, quod immolari non poterat, debebat vendi pretio à sacerdote taxando. Quod pretium si ipse vovens dare voluisset, debebat insuper addere qnintam pretii partem. Lev. cap. 27, v. 11 et seq. Nota omnia animalia, quæ Deo vovebantur, poterant redimi à vovente, exceptis animalibus mundis ad sacrificium. Quandò autem redimebantur à vovente, tunc ultrà pretium à sacerdote taxatum, debebat addi quinta pars pretiii pro ipso sacerdote, qui sustinebat onus taxandi et revendendi. Quòd si vovens noluisset redimere animal, quod Deo voverat, poterat sacerdos illud retinere, vel alteri vendere aut donare, ut colligitur ex illo Num. 18, v. 14 : *Omne quod ex voto reddiderint filii Israel, tuum erit.* Tertia lex : Si quis vovisset Deo domum suam, debebat vendi pretio à sacerdote taxando. Quòd si vovens voluisset illam redimere, debebat ultrà taxatum pretium addere quintam pretii partem. (Lev. cap, 27, v. 14-15.) Hæc lex est similis præcedenti. Quarta lex : Si quis vovisset Deo agrum suum hæreditarium, debebat æstimari pretium agri juxtà mensuram sementis. Et si vovens voluisset illum redimere, addebat quintam pretii partem, ut in præcedentibus. (Lev. cap. 27, v. 16-19.) Nota, qui vovebant Deo rem aliquam immobilem, ut domum vel agrum, libenter illam redimebant, etiamsi ultrà taxatum pretium deberent addere quintam pretii partem. Ratio est, quia si non redimissent, illa nunquàm ad eos fuisset reversa, nequidem in jubilæo, sed absolutè transivisset in dominium sacerdotum, qui quidem poterant eam vendere, sed ità, ut in jubilæo ad eos, tanquàm ad veros dominos reverteretur. (Lev. 27, v. 21.) Quinta lex : Si vovens agrum, non fuisset hæres illius, sed emptor, debebat illum redimere pretio à sacerdote taxando, et illud pretium dare sacerdoti : ità ut ager in jubilæo posset redire ad dominum hæreditarium. (Levit 27, v. 22.) Lex tertii generis, de materiâ voti, erat hæc : primogenita munda ad sacrificium, ut primogenitum bovis, ovis, capræ, non debebant Deo voveri. Lev. 27, v. 26, et Num. 18, v. 17. Ratio ibidem insinuatur, quia illa primogenita jam anteà erant Deo consecrata et debita, ratione primogenituræ : ergò non debebant iterùm consecrari, et offerri per votum; ne votum videretur aliquid derogare priori consecrationi, quasi illa non fuisset plena et perfecta, sed voto potuisset perfici et firmari. Primogenita verò, quæ non poterant immolari, vel debebant redimi à vovente, vel si ipse noluisset redimere, sacerdos poterat ea sibi reservare, aut alteri vendere vel donare. (Lev. 27, v. 27.)

Tres supersunt difficultates. 1° De voto Jephte. 2° De votis Christianorum. 3° An liceat rem præceptam Deo vovere? Vel, an res, quæ est in præcepto, possit esse materia voti? Est ergo prima quæstio, quid statuendum sit de voto Jephte? In quo duo spectanda sunt. 1° Ipsum votum. 2° Impletio voti. Votum ipsum describitur Judic. 11, v. 30-31, his verbis : « Votum vovit Domino (Jephte), dicens : Si « tradiderit filios Ammon in manus meas, qui« cumque primus fuerit egressus de foribus « domûs meæ, mihique occurrerit revertenti « cum pace à filiis Ammon, eum holocaustum « offeram Domino. » Impletio voti consistit in eo quòd ipse filiam suam unigenitam, quæ ei revertenti ex bello prima occurrebat, obtulerit Deo in holocaustum. Nunc quæritur an ipse et vovendo, et votum implendo, peccaverit, necne? Aliqui dubitant, ut Aug. quæst. 49, super Judices; qui ubique utramque partem statuit esse probabilem. Item Cajet. in cap. 11 Judicum. Alii putant illum peccàsse, primò, quia votum ipsius, ratione materiæ, repugnabat legi Mosaicæ. Vel enim voverat se immolaturum Deo, quemcumque hominem primò egredien-

tem et occurrentem, vel quodcumque animal. Neutrum licebat. Non prius, quia vetitum erat lege Mosaicâ, immolare hominem. (Deut. 12, v. 31.) Nec posterius, quia similiter vetitum erat, immolare quodcumque animal. Non enim licebat immunda animalia immolare. Num. 18, v. 15. Secundò, quia si Deus approbâsset ipsius votum, fuisset contentus solo voto, et impedivisset executionem, non permittendo filiam ipsius interfici; sicut fuit contentus piâ voluntate Abrahami, et impedivit executionem, non permittendo filium ejus Isaac immolari. Hanc sententiam sequuntur Tertullianus, lib. 3 contrà Marcionem cap. 4: Anastas. Nicæn. q. 36; Procopius in cap. 11 Judic. Auctor quæstionum veteris Testamenti est, q. 43 apud Aug. Et multi Rabbini, qui hoc insuper addunt, votum Jephte (quod aiunt fuisse stultum ac temerarium) potuisse quidem irritari à Phinees Pontifice, qui tunc vivebat; sed tantam fuisse superbiam utriusque, ut nec Jephte, utpotè princeps populi dignatus sit petere ab eo voti relaxationem; nec Phinees, utpotè Pontifex, dignatus sit eam illi offerre. Ideò utrumque à Deo punitum esse. Vide Serarium, in cap. 11 Judic., quæst. 17. Alii rectius putant, illum non peccâsse. Primò, quia quod fecit, ex instinctu Spiritûs sancti fecit, ut docent Chrysost., hom. 14, ad populum Antiochen. serm. de Natali virginum; Joannes Aboreus, lib. 9, cap. 6; Lorinus in cap. 23 Actorum. Et patet ex illo Judic. 11, v. 29: *Factus est ergò super Jephte spiritus Domini.* Et mox sequitur: *Votum vovit Domino.* Sicut ergò Abraham non peccavit, offerendo filium suum unigenitum ad immolandum, quia ex instinctu divino fecit; ità nec Jephte peccavit, offerendo filiam suam unigenitam ad immolandum, quia similiter ex instinctu divino fecit. Secundò, quia per illud votum impetravit à Deo victoriam contra Ammonitas: ergò signum est Deo placuisse ipsius votum, et si votum placuit, etiam voti impletionem placuisse necesse est, præsertìm cùm à Deo non sit impedita. Et confirmatur, quia Scriptura nunquam reprehendit ipsius votum, aut voti impletionem. Ipsum verò sæpè laudat, præsertìm Hebr. 11, v. 32, ubi ait illum per fidem vicisse regna, et operatum esse justitiam. Tertiò, si peccâsset vovendo, fuisset monitus ab aliquo prophetâ, vel sacerdote, ne impleret votum. At à nullo monitus est toto spatio duorum mensium, quod inter votum et voti impletionem intercessit. Ergò verisimile est non peccâsse vovendo, maximè cùm constet alios reges ac principes populi, si quandò peccarent, fuisse monitos ac reprehensos. Quartò, populus non fuisset passus filiam Jephte occidi et immolari, nisi putâsset votum fuisse ratum et Deo acceptum; sed eripuisset illam à morte, sicut Jonatham, filium Saulis, quando Saül, ratione juramenti, quo se obstrinxerat, volebat illum interficere. (1 Reg. 14, v. 45.) Est enim par ratio. Nam populus putabat juramentum Saülis fuisse stultum ac temerarium; et ideò impedivit impletionem. Si ergò similiter putâsset votum Jephte fuisse stultum ac temerarium, etiam illius impletionem impedivisset. At non impedivit: putavit igitur votum, et voti executionem fuisse bonam. Quintò, sicut Abraham offerendo filium suum Isaac ad immolandum, expressit typum passionis, et mortis Christi, quoad voluntatem, non quoad executionem; ità consentaneum fuit, ut aliquis exprimeret typum illius non solùm quoad voluntatem, sed simul etiam quoad executionem. Hoc fecit Jephte, qui non solùm paratus fuit immolare filiam suam unigenitam, sed reipsâ immolavit. Et sicut prior typus erat in sexu virili; ità posterior in sexu femineo; quia pro utroque sexu passus et immolatus est Christus. Et sanè filia Jephte videtur optimè expressisse figuram Christi, quoad promptam moriendi voluntatem. Nam sicut Christus, quandò ipsi à Deo Patre proponebatur mors, promptum se obtulit dicens: *Ecce venio; in capite libri scriptum est de me: ut faciam, Deus, voluntatem tuam;* (Hebr. 10, v. 7.) ità filia Jephte, quandò intellexit à patre, se ab ipso morti destinatam esse, respondit: *Pater mi, si aperuisti os tuum ad Dominum, fac mihi quodcumque pollicitus es.* (Judic. 11, v. 36.)

Ad argumenta contraria sic respondeo. Ad primum: Jephte voverat se immolaturum, non generatìm, quodcumque animal, sed speciatìm quemcumque hominem primò egredientem et sibi occurrentem. Ità Aug., quæst. 49, super Judices. Et probatur. 1° Quia Jephte, ad tanti momenti victoriam impetrandam, voluit aliquid magnum vovere Deo. At non fuisset magnum, si vovisset bovem, aut ovem, aut capram. 2° Quia illa ipsius verba: *Quicumque primus fuerit egressus, et occurrerit mihi revertenti cum pace,* non possunt intelligi, nisi de homine. Soli enim homines solent obviàm ire victori, et ipsi de victoriâ gratulari. Quod objicitur, vetitum fuisse lege Mosaicâ, immolare hominem, verum est; sed Deus, qui vetuit, potuit suâ auctoritate permittere. Ad secun-

dum, negatur consequentia. Non enim sequitur: Deus approbat hoc vel illud votum; ergò impedit illius impletionem. Alioqui impediret impletionem omnium votorum, quæ laudabiliter facta sunt; quod est absurdum. Impedivit quidem impletionem boni propositi in Abrahamo, non tamen ideò necesse est, ut impediat etiam in aliis; hoc ipsius arbitrio ac dispositioni relinquendum est. Ipse habet justas causas cur in uno impediat, in altero non impediat. Et quidem cur non impediverit in filiâ Jephte, dari possunt hæ causæ. 1° Ut esset typus Christi, promptè offerentis se ad mortem. 2° Ut fides Jephte, et religio ergà Deum magis inclaresceret. 3° Ut similiter pietas filiæ ergà Deum, ergà parentem, ergà patriam, et simul magnitudo animi in sexu femineo commendaretur. 4° Ut nos discamus hoc exemplo quàm promptè præstanda sint quæ vovemus Deo, etiamsi videantur difficilia, et naturæ maximè contraria. (1)

Altera quæstio est, an etiam Christianis in novo Testamento licitum sit vovere, sicut licuit Judæis in veteri? Resp.: Omninò licitum est. 1° Quia propheta prædixit hoc futurum. Isai. 19, v. 21... *In die illa et colent eum in hostiis et in muneribus; et vota vovebunt Domino, et solvent.* Ubi sermo est de Christianis, ut notant Hieronymus, Cyrillus et alii interpretes. Quò etiam spectat illud Psalm. 75, v. 12: *Vovete et reddite Domino Deo vestro, omnes qui in circuitu ejus affertis munera.* Quod etiam Augustinus interpretatur Christianis dictum esse. « Quisque, inquit, quod potest, voveat et reddat. « Non sitis pigri ad vovendum; non enim viribus vestris implebitis. » 2. Idem constat ex eventu. Nam quod prædictum est in vetere Testamento de voto, hoc in novo impletum est, et quotidiè impletur. Ejus rei habemus triplex exemplum in Scriptura. Primum, B. Mariæ Virginis. Secundum, eunuchorum, qui se castraverunt propter regnum cœlorum. Quartum, quarumdam feminarum, quæ propter voti continentiæ transgressionem ab Apostolo reprehensæ sunt. De B. Virgine sic legimus. Luc. 1, v. 34: *Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodò fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Quomodò fieri potest, ut ego concipiam et pariam filium, cùm propter votum continentiæ, non liceat mihi virum cognoscere? Sic explicat Aug. in lib. de Virginit. cap. 4, ubi ità scribit: « Quomodò fiet illud, quoniam virum non cognosco? *Quod profectò non diceret, nisi Deo « Virginem se antè vovisset.* » Similiter alii Patres. De eunuchis sic legimus, Matth. 19, v. 12: « Sunt enim eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt; et sunt eunuchi, qui facti « sunt ab hominibus; et sunt eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum. « Qui potest capere, capiat. » Quid est seipsum castrare propter regnum cœlorum? nihil aliud, quàm ex desiderio obtinendi regnum cœlorum, obstringere se voto continentiæ, et amputare libertatem contrahendi matrimonium. D. Aug. in lib. de S. Virg. cap. 23: « *Quid*, inquit, *veracius, « quid lucidius dici potuit?* Christus dicit, veritas « dicit, virtus et sapientia Dei dicit, eos, qui pio « proposito ab uxore ducendâ se continuerint, « castrare seipsos propter regnum cœlorum. « Et contrà, humana vanitas, impiâ temeritate, « contendit (notent hoc Lutherani et Calvinistæ) eos, qui hoc faciunt, præsentem tantummodò necessitatem molestiarum conjugalium devitare; in regno cœlorum amplius « quidquam cæteris non habere. » De feminis sic legimus, 1 Tim. 5, v. 11-12: *Adolescentiores autem viduas devita; cùm enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt; habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Ubi per *primam fidem* intelligitur votum continentiæ, ut omnes antiqui Patres interpretantur. D. Aug. in lib. de S. Virginit. (quem adversarii non libenter legunt) cap. 33: « *Habentes*, inquit, *damnationem, quoniam primam « fidem irritam fecerunt, id est, in eo, quod primò voverunt, non steterunt.* » Et lib. 1 de adulterinis conjugiis cap. 24: « *Undè apostolus de « quibusdam, quæ continentiam vovent, et posteà « nubere volunt:* Habentes, inquit, damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt. » Et in Ps. 75: « *Quid autem ait de « quibusdam, quæ voverunt, et non reddiderunt?* « Habentes, inquit, damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt; voverunt, et « non reddiderunt. »

Objicit Petrus martyr in lib. de votis et cœlib. vota pertinere tantùm ad Judæos, et non ad Christianos. Et probat quatuor argumentis. 1° Quia in vetere Testamento fit mentio votorum, non in novo, saltem quoad Christianos. 2° Quia Christiani sunt toti ac penitùs obstricti Christo per fidem: ergò supervacaneum est quòd se obstringant per votum. 3° Quia libertas evangelica minuitur per votum. Nam

(1) Plerique recentiores censent filiam Jephte fuisse Deo oblatam non per mortem corporis, sed eo modo quo licitum erat hominem Deo offerri. (Vide Estium in Ep. ad Hebr. 11. v. 32)

qui voto se obstringit ad continentiam, amittit libertatem ducendi uxorem. 4° Quia qui vovet continentiam, injuriam facit Deo. Quod enim Deus reliquit illi liberum, hoc ipse vult esse necessarium. Resp. : Petrus martyr, et sibi ipsi, et aliis repugnat. Sibi quidem dupliciter. Primò, quia ex unâ parte dicit, eos qui aliquid Deo vovent, facere injuriam Deo; ex alterâ, Judæis licita et usitata fuisse vota. Hæc autem pugnant, nisi dicas Judæis licitum et usitatum fuisse facere Deo injuriam, quod absit Secundò, ex unâ parte dicit supervacaneum esse, per votum obstringere se Deo, cui jam totus per fidem obstrictus sis; ex alterâ, votum obstare libertati christianæ; hæc etiam pugnant. Nam si per fidem æquè obstringimur Deo, ac per votum, quomodò libertas potest consistere cum fide, et non cum voto? Quòd etiam aliis repugnet, certo certius est. Omnes enim antiqui Patres, non modò admittunt, sed etiam confirmant vota in novo Testamento, Epiph. in Panario her. 61 : « Tradiderunt « sancti Dei Apostoli peccatum esse, post de« cretam virginitatem ad nuptias reverti. » Et infrà : « Si quæ vidua fuit, ac Deo dicata, po« steà nupsit, judicium et condemnationem « habebit, quòd primam fidem rejecit. Quantò « magis, quæ Deo dicata virgo fuit et nupsit, « contrà Christum lasciviit, et majorem fidem « rejecit, et judicium habebit! » Videatur etiam Amb. ad virginem devotam. Basil. in constitut. Monast.; Cypr. in ep. ad Pompon.; Hier. l. 1. cont. Jovin.; Chrys. ad Theodorum monachum; Aug. ep. 157, ad clerum et popul. Hipponens.; et alii. Nec obstant argumenta Petri martyris. 1° Quia licèt in novo Testamento non fiat mentio votorum inter Christianos, quoad nomen, fit tamen quoad rem significatam. Quid enim aliud est *seipsum castrare*, quàm vovere continentiam? Et quid aliud *primam fidem irritam facere*, quàm voti trangressorem esse? 2° Quia Christiani per fidem non ità sunt obstricti ut teneantur servare continentiam. Igitur ad eam servandam possunt se obstringere per votum. 3° Quia libertas evangelica non consistit in eo, ut quisque faciat, quod velit, sed in eo, quòd per Christum liberati simus à servitute peccati, ad Rom. 6, v. 18 : *Liberati autem à peccato, servi facti estis justitiæ.* 4° Quia si Judæi non fecerunt Deo injuriam per vota, quomodò Christiani faciunt? Nec Christus, quandò hortatur nos ad continentiam, hortatur ad injuriam Deo faciendam, sed ad statum perfectionis.

Tertia quæstio est, an liceat nobis aliquid vovere Deo, quod aliàs ex præcepto tenemur facere? v. g. an liceat vovere quòd velimus Deum colere, parentes honorare, non occidere, non furari? Aliqui negant, asserentes ea tantùm quæ sunt consilii, non autem, quæ sunt præcepti, posse nos Deo promittere seu vovere. 1° Quia Judæi non poterant Deo vovere primogenita munda ad sacrificium, ut suprà dictum est, idque proptereà, quia jam antè per præceptum legis Mosaicæ debebantur Deo; ergò quod cadit sub præceptum, non potest cadere sub votum. 2° Quia votum est oblatio spontanea : at quod debitum est ex præcepto, hoc non spontè offerimus Deo, sed necessariò; ergò quod debitum est ex præcepto, non possumus vovere. Alii contrà sentiunt, etiam ea, quæ præcepti sunt, voveri posse. Ratio est, quia bonum et laudabile est, eamdem rem præstare ex duplici virtute, nempè ex virtute obedientiæ, ratione præcepti, et ex virtute religionis, ratione voti. Sic fecit Jacob, quandò vovit Deo, se non culturum deos alienos, sed solùm verum Deum. (Gen. 28, v. 20.) Quod tamen tenebatur facere ex præcepto naturali. (Vide Lessium de jure et justitiâ cap. 40, dub. 7, et alios ibidem.) Nec obstat, quod objicitur de primogenitis. Illa enim proptereà non debebant ab homine voveri et consecrari Deo, quia ipsemet Deus jam anteà perfectè et integrè sibi ea consecraverat. Notà. Triplicia erant primogenita, alia hominum; alia animalium mundorum ad sacrificium; alia animalium immundorum, ut cap. 7, q. 6, dictum est. Igitur primogenita primi et tertii generis, erant quidem Deo debita et consecrata, sed non integrè et perfectè, quia poterant redimi, et reipsâ redimebantur. At primogenita secundi generis tàm perfectè erant Deo debita et consecrata, ut non possent redimi. Et quia ipsemet Deus ea sibi consecraverat, non decebat, ut iterùm ab homine per votum ipsi consecrarentur; ne priori consecrationi videretur aliquid defuisse, quod per posteriorem perfici et compleri posset. Quod 2° objicitur, votum esse oblationem spontaneam, distinguendum est. Nam duo spectari possunt in voto. 1° Actus voventis. 2° Res ipsa quæ vovetur. Igitur votum est oblatio spontanea, quoad actum voventis. Nam qui vovet, spontè vovet, nec ullo præcepto ad vovendum obligatur. (Deut. 23, v. 22.) Non tamen semper est spontanea, quoad rem ipsam, quæ vovetur. Potest enim fieri, ut res illa, quam quis Deo vovet, non sit ipsi spontanea, sed

præcepta. Non quidem præcepta, quòd teneatur eam vovere, sed quòd teneatur eam præstare, etiam secluso voto.

Nota Res præcepta potest dupliciter spectari. 1° Quatenùs præcepta est, sic propriè non cadit sub votum, sed præceptum. 2° Quatenùs bona, honesta, et Deo grata est, abstrahendo ab obligatione præcepti, sic propriè cadit sub votum. Undè sequitur, quandò quis vovet rem præceptam, duplicem concurrere obligationem, unam voti, alteram præcepti; et unam ab alterâ non pendere, v. g. : Jejunium quadragesimale præceptum est; si voveam hoc jejunium, teneor duplici titulo illud observare, 1° ex obligatione præcepti; 2° ex obligatione voti. Et prior obligatio non pendet à po teriori, quia tamesti non obligarer jejunare ex voto, obligarer tamen ex præcepto. Nec vicissìm posterior pendet à priori; quia posset fieri ut durante obligatione voti cessaret obligatio præcepti, si nimirùm præceptum abrogaretur, aut in eo dispensaretur.

De Juramentis. — Jurare nihil aliud est, quàm Deum, qui falli aut mentiri non potest, in testem invocare, quod dupliciter fit : vel enim vocamus eum in testem, quandò aliquid asserimus, vel quandò aliquid promittimus. Undè duplex solet distingui juramentum, unum assertorium, quo nostram assertionem; alterum promissorium, quo nostram promissionem confirmamus. In priori, vocamus Deum in testem, quòd assertio nostra sit vera; in posteriori quòd promissio nostra sincerè facta sit. (D. Thom. in 2-2. q. 89, art. 1.)

Hoc posito, quæritur, 1° quæ leges in vetere Testamento datæ sint Judæis de juramento? 2° Quid Pharisæi ex suis traditionibus ad has leges addiderint? 3° Quid hoc tempore servent Judæi in praxi? 4° Quid Christiani servent, aut servare debeant? Igitur, quod ad primum attinet, hæ leges in vetere Testamento à Deo datæ sunt. « 1° Per nomen Domini Dei tui jurabis. » (Deut. 6, v, 13.) « 2° Per nomen « externorum deorum non jurabitis. » (Exod. 23, v. 13.) « 3° Non perjurabis in nomine « meo. » (Lev. 19, v. 12.) « 4° Non assumes « nomen Domini Dei tui in vanum. » (Exod. 20, v. 7.) Vel : « Non usurpabis nomen Domini « Dei tui frustrà. » (Deut. 5, v. 11.) Hæc quarta lex differt à tertià. Nam tertia prohibet solùm perjurium, quartam non solùm perjurium, sed generatìm omnem irreverentiam, et abusum divini nominis. Ità Theodoretus in cap. 20 Exod, et Cornel. in cap. 5 Deut. Ad has leges addiderunt Pharisæi, quæ sequuntur. Primò, « Qui« cumque juraverit per templum, nihil est; « qui autem juraverit in auro templi, debet. (Matt. 23, v. 16.) « 1° Quicumque juraverit in « altari, nihil est; quicumque autem juraverit « in dono, quod est super illud, debet. » (Matth. 23. v. 18.) Utrumque reprehendit Christus. Prius quidem his verbis : « Stulti, « et cæci : Quid enim majus est, aurum, an « templum, quod sanctificat aurum? » Posterius his : « Quid enim majus est, donum, an altare, « quod sanctificat donum? » Et mox addit : « Qui « ergò jurat in altari, jurat in eo, et in om« nibus quæ super illud sunt. Et quicumque « juraverit in templo, jurat in illo, et in eo « qui habitat in ipso; et qui jurat in cœlo, « jurat in throno Dei, et in eo qui sedet super « eum, v. 20 et seq.

Judæi hoc tempore servant duplicem praxim, unam ex reverentiâ divini nominis; alteram ex cæcitate et superstitione. Prior est : non audent expressè jurare per nomen Dei tetragrammaton, eò quòd hoc nomen sit ineffabile; sed sub hâc formulâ per illud jurant. *Juro per Jod, He, Vau, et Jod;* quæ sunt quatuor litteræ nominis tetragrammati. Hoc juramentum habetur apud eos sacratissimum. (Cornelius in cap. 6 Exodi, v. 2-3.) Posterior est : putant se non obligari ullo juramento, nisi jurent manu impositâ super librum legis Mosaicæ. Quòd si alio ritu jurent, audacter jurabunt falsum. (Cornelius in cap. 5 Lev., v. 1.) Notent hoc principes et magistratus christiani; nec facilè admittant Judæos ad juramentum præstandum in rebus forensibus contrà Christianos, quia plerùmque falsum jurant. Audio quidem Norribergenses, et quosdam alios, jampridem advertisse hanc fraudem; nec ampliùs admittere Judæos ad juramentum, nisi admotâ manu ad librum legis suæ Synagogæ. Sed neque hoc satis tutum est ex alio capite. Nam Judæi in festo expiationis à Rabbinis suis absolvuntur ab omnibus votis et juramentis, quæ malitiosè facta sunt. Et ex fiduciâ hujus absolutionis, facilè præsumunt falsum jurare, et Christianos decipere. Christus in novo Testamento dedit nobis hanc legem, Matth. 5, v. 33. et seq. : « Audistis quia dictum est an« tiquis : Non perjurabis; reddes autem Do« mino juramenta tua. Ego autem dico vobis, « non jurare omninò, neque per cœlum, quia « thronus Dei est; neque per terram, quia « scabellum est pedum ejus; neque per Jero-

« solymam, quia civitas est magni regis; neque « per caput tuum juraveris, quia non potes « unum capillum album facere, aut nigrum. « Sit autem sermo vester : Est, est; Non, non : « quod autem his abundantius est, à malo « est. » Quam legem repetit Jacobus apostolus in epist. suâ canonicâ cap. 5, v. 12. his verbis : « Antè omnia autem, fratres mei, nolite ju« rare, neque per cœlum, neque per ter« ram, neque aliud quodcumque juramentum. « Sit autem sermo vester : Est, est; Non, « non. »

Hinc oritur quæstio apud theologos, an omne juramentum Christianis sit prohibitum? Hoc enim videtur colligi ex verbis citatis. Resp. : Juramentum non est absolutè prohibitum Christianis, sed abusus juramenti. Prior pars patet, quia apostolus Paulus sæpè legitur jurâsse, ut infrà ostendam. Et Hebr. 6, v. 16, affirmat omnem controversiam finiri per juramentum. Quod etiam confirmari potest ex quotidianâ praxi, quæ viget apud Christianos in judiciis et tribunalibus. Quandò enim reus suam innocentiam non potest probare per testes, jubetur illam juramento confirmare. Et sic cessat lis ac controversia. Posteriorem partem sic explico. Abusus juramenti in eo consistit, quòd aliqui soleant facilè, etiam in rebus parvi momenti, et sine ullâ necessitate, Deum in testem vocare, sicut faciebant Judæi; hoc non licet. Nam qui id faciunt, peccant contrà reverentiam Deo debitam. Est enim contrà reverentiam Deo debitam, si quis illum sine necessitate, et in rebus exiguis, in testem adhibeat. Imò nemo nostrûm auderet principem et regem, sine necessitate, in testem adducere. (D. Thom. in 2-2. q. 89, art. 2.) Hunc abusum prohibet Christus. Et jam antè prohibitus fuit. Eccli. 23, v. 9 : « Jurationi non « assuescat os tuum, multi enim casus in illâ. » Eodem sensu intelligitur illud. Exod. 20, v. 7 : « Non assumes nomen Domini Dei tui in va« num. » Et Deut. 5, v. 11 : « Non usurpabis « nomen Domini Dei tui frustrà. Nam illæ duæ « particulæ in vanum, et frustrà, idem valent « ac si dicas, temerè et sine necessitate. » Undè Aug. lib. de Mendac. cap. 15, circà medium, sic ait : « *Apostolus in Epistolis suis jurans,* « *ostendit, quomodò accipiendum esset quod dic*« *tum est* : Dico vobis, non jurare omninò; *ne* « *scilicet jurando, ad facilitatem jurandi perve*« *niatur, et ex facilitate jurandi ad consuetudi*« *nem, et à consuetudine in perjurium decidatur.* « *Et ideò non invenitur jurâsse, nisi scribens, ubi* « *consideratio cautior non habet linguam præci*« *pitem.* »

Quæres 1° quæ fuerit olìm formula jurandi, et quæ nunc sit? Resp. : in vetere Testamento reperiuntur hæ formulæ, Gen. 31, v. 53 : « Juravit ergò Jacob per timorem patris sui « Isaac. » Et Gen. 42, v. 15 : « Per salutem Pha« raonis non egrediemini hìnc, donec veniat « frater vester minimus. » Et Deut. 4, v. 26 : « Testes invoco hodiè cœlum et terram, citò « perituros vos esse de terrâ, etc. » Et 1 Reg. « 19, v. 6 : « Quod cùm audisset Saül.... juravit : « Vivit Dominus, quia non occidetur. Et 1 Reg. « 25, v. 34 : « Vivit Dominus Deus Israel. » « Et 28, v. 10 : » Juravit ei Saül in Domino, « dicens : Vivit Dominus, quia non eveniet « tibi quidquam mali propter hanc rem. » Et 2 Reg. 3, v. 35.... « Juravit David, dicens : Hæc « faciat mihi Deus, et hæc addat, si antè oc« casum solis gustavero panem. » Et cap. 19, v. 7.... « Juro enim tibi per Dominum, quòd « si non exieris, ne unus quidem remansurus « sit tecum. » Et Jerem. 4, v. 2 : « Et jurabis : « Vivit Dominus, in veritate, et in judicio, et « in justitiâ. » In novo Testamento, sunt hæ formulæ ab apostolo Paulo usurpatæ : Rom. 1. v. 9 : « Testis enim mihi est Deus. » Et 2 Cor. 1, v. 23 : « Testem Deum invoco in animam « meam » Et Philip. 1, v. 8 : « Testis enim mihi « est Deus, quomodò cupiam omnes vos in « visceribus Jesu Christi. » Et 1 Tim. 5, v. 21 : « Testor coràm Deo et Christo Jesu.

Quæres 2° quæ fuerit cæremonia adhibita in vetere Testamento, quandò quis jurabat? Resp. duplex: una, levare manum in cœlum. Gen. 14, v. 22 : *Levo manum meam ad Dominum Deum excelsum*, id est, juro, levando manum meam in cœlum, quasi ad Deum, quem testem invoco. Hæc cæremonia adhuc hodiè usitata est. Solent enim, qui jurant, manum vel digitos in altum tollere, et Deum, qui in cœlo est, testem invocare. Altera, ponere manum subter femur illius, cui jurabatur. Quam cæremoniam exigit Abraham à famulo suo jurante. Gen. 24, v. 2-3 : « Pone manum tuam subter femur meum, « ut adjurem te (ut jurare faciam), per Domi« num Deum cœli et terræ, ut non accipias « uxorem filio meo de filiabus Chananæorum; id est : Pone sub femore meo manum tuam, et hoc ritu ac cæremoniâ jura mihi, quòd filio meo non accipies uxorem Chananæam.

Nota, per femur intelliguntur etiam partes genitales, quæ inter femora sunt. Quo sensu filii Israel dicuntur egressi esse de femore Ja-

cob, id est, de genitalibus illius. Gen. 46, v. 26, et alibi. Duplex igitur fuit causa, cur Abraham peteret à jurante, ut poneret manum suam subter femur ipsius. Una naturalis, quia femur propter partes genitales, est causa generationis et vitæ. Itaque qui jurabant, tangendo femur, testabantur Deum auctorem vitæ ac generationis, quasi dicerent : Si verè et sincerè juro, Deus det mihi longam vitam; sin secùs, peream. Ità Martinus de Boa lib. 4 Singularium cap. 4, et ex illo Cornel. in cap. 24 Gen. v. 2. Altera mystica, quia Abraham per hanc cæremoniam significabat, ex suo femore nasciturum Messiam à Deo sibi promissum. Ità Ambros., lib. 1. de Abrahamo cap. ult.; Hieron. in Tradit. Hebraicis ad Gen.; Aug. serm. 75 de tempore; Gregorius et alii, quos sequitur Delr. in cap. 24. Gen., et Cornelius ibid. Hebræi aliam afferunt causam, teste Hieron. loco citato, ubi ait : « Tradunt Hebræi, quòd « in sanctificatione ejus, hoc est, in circum- « cisione juraverit. Nos autem dicimus, juràsse « eum in semine Abrahæ, hoc est in Christo, « qui ex illo nasciturus erat. »

De solemnitatibus festorum. — Apud Judæos erant duplicia festa. Alia instituta à Deo; alia ab ipsis Judæis. A Deo instituta erant hæc octo : Sabbatum. Neomenia. Pascha. Pentecostes. Festum Tubarum. Festum propitiationis seu expiationis. Festum tabernaculorum, seu scenopegia. Festum cœtûs seu collectæ. Hæc omnia (exceptâ Neomeniâ) describuntur Levit. 23, per totum. De Neomeniâ agitur Num. 18, v. 11. Ac primò, sabbatum erat institutum in memoriam creationis mundi. Neomenia, seu initium mensis lunaris, seu Kalendæ, pro beneficio divinæ gubernationis. Nam initio mensis lunaris seu in novilunio, magis apparet divina gubernatio in hisce inferioribus, quia tunc est magna corporum mixtorum mutatio. Pascha, in memoriam liberationis Judæorum, cui annexa erat solemnitas azymorum, quæ postridiè Paschatis incipiebat, in memoriam egressionis ex Ægypto. Pentecoste, seu solemnitas hebdomadarum, in memoriam legis datæ in monte Sinai. Festum Tubarum, in memoriam Isaac liberati. Cùm enim Abraham vellet illum immolare, invenit arietem inter vepres hærentem cornibus, quem ipsius loco immolavit. Hebræi, ut illius facti memoriam retinerent, soliti erant tubis corneis clangere; ideòque festum Tubarum, seu festum Cornu appellatum est. Festum expiationis, in memoriam illius beneficii, quo Deus ad intercessionem Moysis, propitiatus est peccato populi, vitulum adorantis. Festum tabernaculorum, in memoriam illius beneficii, quo Deus Judæos voluit habitare in tabernaculis, cùm egressi ex Ægypto, versarentur in solitudine. Festum cœtûs atque collectæ, in quo colligebantur à populo ea, quæ erant necessaria ad expensas divini cultûs, ut notat D. Th. in 1-2. q. 102, art. 4 ad 10.

Quatuor posteriora festa, id est, festum Tubarum, Expiationis, Tabernaculorum, et Collectæ incidebant in mensem septimum. Nam sicut dies septimus, ità mensis septimus, et similiter annus septimus apud Judæos erat in honore. Et quidem primus dies septimi mensis habebat duo festa, unum Neomeniæ, quod erat illi commune cum aliis mensibus; alterum Tubarum, quod erat illi peculiare. Decimo die, erat festum Expiationis. Decimo quinto incipiebat festum Tabernaculorum, et durabat per septem dies sequentes. Vigesimo secundo die, erat festum Cœtûs atque Collectæ. In his festis tria spectari debent : Vacatio à laboribus; oblatio sacrificiorum, de quibus suprà; cæremonia cuique festo peculiaris. In festo Paschæ seu Azymorum, fiebat oblatio manipuli spicarum; in Pentecoste, oblatio novorum panum; in festo Tubarum erat clangor tubarum, in festo Expiationis, afflictio et jejunium; in festo Tabernaculorum, habitabant in tabernaculis, et ibi cum ramis et fructibus exultabant.

Porrò, inter omnia ista festa præcipuum erat Sabbatum. Exod. 16, v. 29. Nam in eo non licebat cibum parare, nec ignem accendere, Exod. 35, v. 3. Quæ tamen licebat facere in aliis festis. Habebat insuper hanc prærogativam, quòd nomen sabbati aliquandò communicaretur aliis festis; ità ut alia etiam festa vocarentur sabbata. Sic festum primi diei Azymorum, vocabatur Sabbatum. Lev. 23, v. 11. Et similiter festum Tubarum, ibid., v. 24. Et festum Expiationis, ibid., v. 32. Et generatìm omnia alia festa. (Ibid.) Imò, et tota hebdomada à potiori sui parte et die, vocabatur sabbatum, ut patet ex evangelio : *Jejuno bis in sabbato*, id est, in hebdomadâ.

Deus volebat festa à se instituta diligenter servari à Judæis. Et quidem servantibus promittebat hæc tria, Isaiæ 58, v. 14 : *Tunc delectaberis super Domino, et sustollam te super altitudines terræ, et cibabo te hæreditate Jacob patris tui.* Ubi insinuantur tres fructus. 1° Suavis quædam voluptas spiritûs in rebus ad Deum

pertinentibus. 2° Contemptus rerum terrenarum. 3° Hæreditas Jacob. De quâ Lev. 26, v. 2. et seq. : « Custodite sabbata mea ; » et statìm subditur : « Si in præceptis meis ambulaveritis.... et feceritis ea, dabo vobis pluvias temporibus suis, et terra gignet germen suum, et pomis arbores replebuntur, etc. » Transgressoribus verò dictum est, Jer. 17, v. 27 : « Si autem non audieritis me ut sanctificetis diem sabbati, et ne portetis onus, et ne inferatis per portas Jerusalem in die sabbati ; succendam ignem in portis ejus, et devorabit domos Jerusalem, et non exstinguetur. » Et Ezech. 20, v. 13..... « Sabbata mea violaverunt vehementer; dixi ergò ut effunderem furorem meum super eos. » Et 2 Esdræ 13, v. 15-17 : « Vidi in Judâ calcantes torcularia in sabbato, portantes acervos, et onerantes super asinos vinum et uvas, et ficus, et omne onus, et inferentes in Jerusalem die sabbati.... Et objurgavi optimates Juda, et dixi eis : Quæ est hæc res mala, quam vos facitis, et prophanatis diem sabbati? » Notent hoc Christiani, qui parvi faciunt dies festos.

Festa à Judæis instituta, erant hæc quatuor : 1° Festum Sortium, die 14 adar seu februarii, in memoriam liberationis Judæorum per Esther. (Esther 9, v. 17.) 2° Festum Encæniorum, seu purgationis templi quæ facta est sub Judâ Machabæo. (1. Machab. 4, v. 49 et seq.) 3° Festum recepti è cœlo Ignis sacri. (2 Machab. 1, v. 18.) 4° Festum ob cæsum Nicanorem. (1. Machab. 7, v. 49, et 2. Machab. 15, v. 37.) De quibus vide Riberam, lib. 5 de Temp. cap. 17 et seq. ; Genebrardum in Kalend. Hebr.

De anno septimo seu sabbatico, qui etiam vocatus est annus remissionis.—Annus septimus in lege Mosaicâ vocabatur sabbaticus, quia sicut Deus sex diebus operatus est, et septimo die, id est, in sabbato quievit; sic voluit, ut Judæi sex annis colerent terram, et septimo anno cessarent ab omni culturâ. De hoc anno sic legimus, Lev. 25, v. 2 et seq. : « Loquere filiis Israel, et dices ad eos : Quando ingressi fueritis terram quam ego dabo vobis, sabbatizes sabbatum Domino. Sex annis seres agrum tuum, et sex annis putabis vineam tuam, colligesque fructus ejus ; septimo autem anno sabbatum erit terræ, et requietionis Domini. » Habebat autem hic annus quatuor privilegia. Primum, quòd Judæi eo anno non possent serere aut metere, putare aut vindemiare, sed quies daretur agris et vineis ; ut patet partìm loco citato, partim Exod. 23, v. 10-11 : *Sex annis seminabis terram tuam, et congregabis fruges ejus. Anno autem septimo dimittes eam, et requiescere facies.* Voluit hoc Deus ob has causas, ut Judæos à nimiâ curâ et sollicitudine hujus vitæ abduceret; ut terra post quietem unius anni, quasi resumpto vigore, fieret deinceps feracior ; ut septimus ille annus esset symbolum et memoriale septimi diei, quo Deus cessavit ab opere creationis mundi ; ut pauperes septimo anno gauderent fructibus agri, qui spontè nascuntur, juxtà illud Exod. 23, v. 11 : *Anno autem septimo dimittes eam* (id est terram) *et requiescere facies, ut comedant pauperes populi tui.* Nempè ea, quæ spontè, nascuntur, ut explicatur Lev. 25, v. 5.

Dices, si Judæi anno septimo non poterant terram colere, undè vivebant illo anno, et sequenti? Resp.: Hanc objectionem proponit ipse Deus et solvit, Lev. 25, v. 20 et seq., his verbis : « Quod si dixeritis : Quid comedemus anno septimo, si non severimus, neque collegerimus fruges nostras? Dabo benedictionem meam vobis anno sexto ; et faciet fructus trium annorum ; seretisque anno octavo, et comedetis veteres fruges usque ad nonum annum ; donec nova nascantur, edetis vetera. » Hinc colligitur, fertilitatem terræ sanctæ non fuisse purè naturalem, sed etiam divinam, seu ex dono et promissione Dei. Nam Deus hìc promittit Judæis, si servent legem de quiete anni sabbatici, se daturum ipsis anno sexto fructus terræ pro tribus annis, nempè pro anno sexto, septimo et octavo.

Secundum privilegium anni septimi seu sabbatici erat, quòd eo anno fieret remissio omnium debitorum, si is qui debebat, genere Judæus esset ; non autem si peregrinus, aut gentilis. Deut. 15, v. 1-2 : « Septimo anno facies remissionem, quæ hoc ordine celebrabitur. Cui debetur aliquid ab amico vel proximo ac fratre suo, repetere non poterit, quia annus remissionis est Domini. A peregrino et advenâ exiges ; civem et propinquum repetendi non habebis potestatem. » Hìc duo notanda sunt. 1° Quòd sermo sit de debitore, qui Judæus natus est, non autem de proselytâ qui Judæus factus est. 2° Quòd hoc intelligendum sit de debito ex mutuo aut vendito, non autem ex commodato. Hoc enim propriè non est debitum, sed alienum, seu res ad alterum spectans. (Vide Abulens. et Corn. in illum locum.)

Dices : Hæc lex videtur esse iniqua respectu creditoris seu mutuum dantis. Posset enim dicere proximo suo, instante anno septimo remissionis : Si dem tibi mutuum, non restitues mihi, quia instat annus remissionis. Non ergò dabo mutuum. Resp. : Hæc objectio ponitur et solvitur cap. 15 cit., v. 9-10, his verbis : « Cave ne fortè subrepat tibi impia « cogitatio, et dicas in corde tuo : appropin« quat septimus annus remissionis, et avertas « oculos tuos à paupere fratre tuo, nolens ei « quod postulat mutuum commodare ; ne cla« met contrà te ad Dominum, et fiat tibi in « peccatum. Sed dabis ei : Nec ages quidpiam « callidè in ejus necessitatibus sublevandis ut « benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni « tempore, et in cunctis, ad quæ manum « miseris. » Solutio est hæc : Si in tali casu non des mutuum, peccabis in fratrem tuum. Si des, Deus suâ benedictione abundè compensabit. Quò spectat illud Prov. 19, v. 17 : *Fœneratur Domino qui miseretur pauperis; et vicissitudinem suam reddet ei.*

Tertium privilegium erat, quòd anno septimo fieret remissio servitutis. Servi enim hebræi manumittebantur. Exod. 21, v. 2 : *Si emeris servum hebræum, sex annis serviet; in septimo egredietur liber gratis.* (Quod etiam repetitur Deut. 15, v. 12, et Jerem. 34, v. 14.) Sin servus non esset hebræus, sed alienigena, perpetuò manebat servus. Lev. 25, v. 44 et seq. : « Servus et ancilla sint vobis de nationi« bus quæ in circuitu vestro sunt. Et de ad« venis, qui peregrinantur apud vos, vel qui « ex his nati fuerint in terrâ vestrâ, hos ha« bebitis famulos; et hæreditario jure tran« smittetis ad posteros, ac possidebitis in « æternum. » Quartum privilegium erat, quòd anno septimo deberet à sacerdotibus publicè legi Deuteronomium coràm toto populo. Deut. 31, v. 10-11 : « Post septem annos, anno remis« sionis, in solemnitate Tabernaculorum, con« venientibus cunctis ex Israel, ut appareant « in conspectu Domini Dei tui in loco, quem « elegerit Dominus, leges verba legis hujus « coràm omni Israel, etc. »

Quæres 1° quandò primùm cœperint hi anni sabbatici? vel, quo tempore cœperit inchoari numeratio anni septimi seu sabbatici? Resp. 1° : Non cœpit in deserto, quandò lex data est. Nam annus sabbaticus fuit institutus, ad remissionem culturæ, debitorum et servitutum, ut ex dictis patet. At Judæi in deserto non colebant terram, sed alebantur pane de cœlo misso; nec habebant debita aut servitutes, quæ posteà propter necessitates corporales inducta sunt. Resp. 2° : Cœpit post ingressum filiorum Israel in terram sanctam, et post ejusdem terræ divisionem, quæ à Josue facta est. Tunc enim primùm cœperunt terram colere et putare vineas. (Vide Serarium in cap. 13 Josue, q. 14, in fin. ; Cornel. in cap. 25 Lev., 2-3.) Et colligitur ex textu ibid. : *Quando ingressi fueritis terram quam ego dabo vobis, sabbatizet sabbatum Domino, sex annis seres agrum tuum.* Ubi illa particula, *agrum tuum,* satis insinuat, quòd post divisionem terræ, quandò quisque habuit proprium suum agrum, cœperit inchoari numeratio anni sabbatici. Igitur primus annus possessionis et culturæ erat primus annus respectu sabbatici; ità ut annus sabbaticus fuerit septimus post inchoatam possessionem et culturam.

Quæres 2° an Judæi semper servaverint annos sabbaticos? Resp. : Non semper ut patet Jer. 34, v. 16, ubi Deus per Prophetam conqueritur, quòd anno septimo non dimiserint suos servos in libertatem, sed eos perpetuâ servitute oppresserint. Et ideò puniti sunt à Deo variis pœnis, quæ ibidem recensentur. Et insuper privati beneficio fertilitatis sexti anni, ut aliqui colligunt ex 1 Mach. 6, v. 49 et 53.

Quæres 3° quid Christiani hìnc discere debeant? Resp. : Hæc duo potissimùm, 1° ut sint benigni ergà servos, ancillas, et debitores ; 2° ut diebus festis libenter abstineant ab agriculturâ, et aliis quæstuosis operibus ; neque putent propterea fore defectum in frumento, vino et aliis ad vitam necessariis. Nam si Deus concessit Judæis tantam fertilitatem sexto anno, ut sufficeret pro tribus annis; non negabit hoc beneficium Christianis, si parati sint dies festos colere, et ipsi obtemperare. Hoc docet experientia. Aliquandò uno anno crescit tantùm vini et frumenti, quantùm satis est pro duobus vel tribus annis. Aliquandò, propter nostra peccata, pereunt omnia per grandinem, pruinam, et alias tempestates.

De anno Jubilæo. — Præter annum septimum seu sabbaticum, habebant Judæi alium annum solemnem, nempè annum quinquagesimum seu Jubilæum, qui erat etiam annus remissionis. De quo Levit. 25, v. 10 : *Sanctificabis annum quinquagesimum, et vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ ; ipse est enim Jubilæus.* Initium numerationis hujus anni cœpit cum initio numerationis anni sabbatici,

Undè sicut primus annus sabbaticus fuit septimus à primo anno possessionis et culturæ terræ sanctæ; ità primus Jubilæus fuit quinquagesimus ab eodem primo anno possessionis et culturæ terræ sanctæ.

Privilegia jubilæi erant hæc tria : 1° Quòd in eo remitterentur omnia debita; 2° quòd servi manumitterentur, et fierent liberi; 3° quòd avitæ possessiones, quæ erant venditæ et alienatæ, redirent ad legitimos et pristinos hæredes, sine ullo pretio aut compensatione. Propter hæc tria vocabatur remissio, seu annus remissionis; quia in eo fiebat remissio debitorum, servitutum, et bonorum alienatorum, Lev. 25, v. 10 et seq. (Vide Abulens. et Cornel. ibid.) Primum privilegium erat illi commune cum anno sabbatico; nam in utroque fiebat remissio debitorum. Secundum erat etiam commune, sed majus ac perfectius in anno Jubilæo quàm in sabbatico. Nam servi qui in anno sabbatico, non erant egressi è servitute, propter legitimam causam, egrediebantur in Jubilæo. Tunc enim non poterant ampliùs detineri. Tertium erat peculiare Jubilæo. Nam in solo Jubilæo, non autem in sabbatico, redibant possessiones venditæ vel alienatæ ad suos pristinos dominos. Nota : Quandò quis vendebat agrum aut vineam, eo cariùs vendebat, quò magis distabat annus jubilæus, et eò viliùs, quò magis appropinquabat. Lev. 25, v. 14 et seq.

Quæres 1° quare Deus instituit hujusmodi Jubilæum? Resp.: Ob has causas : 1° Ut consuleret pauperibus, ne illi perpetuò excluderentur à bonis et hæreditate paternâ, sed liberati ab omnibus debitis et ære alieno, redirent ad suas possessiones. 2° Ut annus sabbaticus et Jubilæus serviret chronologiæ. Nam sicut apud Græcos omnia divendebantur, censebantur, et computabantur secundùm olympiadas, et apud Romanos secundùm lustra; ità apud Judæos secundùm annos sabbaticos et jubilæos. 3° Ut Jubilæus Hebræorum esset typus seu figura Jubilæi Christianorum, in quo per Christum liberamur ab omni servitute diaboli, et asserimur in perfectam libertatem filiorum Dei.

Quæres 2° an etiam Chris iani in novo Testamento habeant annum jubilæum ad imitationem Hebræorum? Resp. : Habent, nam Bonifacius VIII instituit Jubilæum anno Christi 1300, et simul ordinavit, ut anno centesimo renovaretur. Posteà Clemens VI instituit Jubilæum anno Christi 1350, et ordinavit, ut anno quinquagesimo renovaretur. Postremò, Sixtus IV reduxit illum ad annum vigesimum quintum. Legantur auctores, qui ex professo de Jubilæo disputarunt.

De rasione et tonsione capitis ac barbæ. — De hâc re variæ exstant leges cærimoniales. Prima pro Nazaræis, qui toto tempore voti, seu separationis, nec radebantur, nec tondebantur, sed alebant comam usque ad completum tempus separationis. Et tunc radebantur, et coma ipsorum comburebatur. (Vide sup. cap. 10, n. 3.) Secunda pro Levitis, qui quandò initiabantur ministerio levitico, debebant radere omnes pilos carnis suæ. (Vide sup. cap. 7, q. 3.) Tertia pro leprosis qui idem tenebantur facere, sed ob aliam causam quàm Levitæ; sup. cap. 7, q. 3. Quarta pro sacerdotibus, Ezech. 44, v. 20 : *Caput autem suum non radent, neque comam nutrient; sed tondentes attondent capita sua.* Quinta pro reliquis Judæis in communi. Lev. 19, v. 27 : *Neque in rotundum attondebitis comam; nec radetis barbam.* Ubi duplex prohibitio comprehenditur, una : *Non attondebitis comam in rotundum*, id est, non imitabimini Ægyptios et alios Gentiles, qui id facere soliti sunt, ut patet Jerem. 9, v. 26; et cap. 25, v. 23; et cap. 49, v. 32.

Nota : Ægyptii et alii Gentiles putabant suos Deos figurâ rotundâ utpotè omnium capacissimâ et perfectissimâ, præ cæteris delectari. Ideòque in illorum gratiam, capita sua in rotundum attondebant. Imò, etiam templa rotunda suis diis ædificabant, ut Numa Pompilius, Vestæ; Augustus Cæsar, omnibus universìm diis; alii, aliis speciatim. Igitur Judæi, ne similes essent Gentilibus, prohibiti sunt sectari hanc superstitionem

Altera prohibitio est : *Non radetis barbam.* Nota : Hæc duo distincta sunt, radere barbam, et tondere barbam. Rasio fit per novaculam; tonsio per forficem. Rasione tota barba usque ad cutem exscinditur; tonsione, decurtatur, et in decentem formam redigitur. Voluit igitur Deus Hebræos non exscindere suas barbas usque ad cutem, sed eas retinere, ut etiam in vultu quamdam virilitatis et sapientiæ formam ferre viderentur. Nam barba virilitatis ac virtutis insigne est.

Quæres 1° an omnes Hebræi hâc lege fuerint obligati? Resp. : Excipiebantur et Levitæ et leprosi, qui in legali purificatione, ut suprà dixi, omnes corporis pilos radere jubebantur.

Quæres 2° an hæc lex pertineat etiam ad Christianos? Resp. : Non pertinet; quia cùm sit cæremonialis, abrogata est. Undè liberum est Christianis, vel radere barbam, vel tondere, vel

integram relinquere. Si tamen alicubi consuetudo invaluit radendi, vel tondendi, servari potest.

De certo usu vestium. — De vestibus Pontificum et sacerdotum dictum est cap. 7, q. 5. De populi vestitu exstat præceptum. Num. 15, v. 38-39 : « Loquere filiis Israel, et dices ad eos : « Ut faciant sibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas ; « quas cùm viderint, recordentur omnium « mandatorum Domini, etc. » Hic tria insinuantur, primò quòd Judæi debuerint in extremitate vestium seu palliorum gestare fimbrias. Hoc etiam fecit Christus, ut patet Lucæ 8, v. 44, ubi mulier hæmorrhoissa legitur tetigisse fimbriam vestimenti Christi et continuò sanata esse ; 2° quòd super has fimbrias circumcircà debuerint inducere et extendere filum, vel tæniam, seu vittam hyacinthinam ut hoc signo à Gentilibus distinguerentur; 3° quòd gestando et videndo hujusmodi fimbrias, debuerint esse memores mandatorum Dei. Refert Hieron., in cap. 23 Matth., Judæos solitos esse acutissimas spinas inserere suis fimbriis, ut ambulantes, per earum puncturam, divinæ legis recordarentur. Utinàm Christiani sint tàm solliciti circà memoriam mandatorum Dei !

CAPUT XVII.

DE REGIBUS VETERIS TESTAMENTI.

Hactenùs actum est de iis quæ spectant ad Synagogam et regimen ecclesiasticum veteris Testamenti. Nunc agendum de iis quæ concernunt regimen et politiam temporalem. Ac primò de judicibus et regibus, qui in regimine temporali præfuerunt. De quibus hæc breviter discutienda sunt : 1° Quæ fuerit differentia inter reges et judices ? 2° Qui, et quot fuerint judices? 3° Qui, et quot fuerint reges ? 4° Qui fuerint boni et qui mali reges ? 5° Quomodò creati fuerint reges ? 6° Quomodò inaugurati ? 7° Quomodo uncti ? 8° Quod fuerit officium regum ? 9° Quod jus in subditos ? 10 An potuerint habere plures uxores ? 11° An magnas divitias ? 12° An copiosum equitatum ? 13° Quales fuerint ipsorum consiliarii ? 14° Quid ex his omnibus discere debeant reges et principes christiani ?

Quæstio prima. — *Quæ fuerit differentia inter reges et judices ?* — Respublica Hebræorum ab exordio sui usque ad captivitatem Babylonicam, variis modis fuit gubernata. 1° Per Moysen in deserto. 2° Per Josue in ingressu et divisione terræ promissionis. 3° Per judices post divisionem terræ, usque ad Samuelem. 4° Per reges, usque ad captivitatem Babylonicam. Nunc quæstio est, quæ fuerit differentia inter judices et reges ? Resp. : Fuit triplex potissimùm differentia. Primò, judices erant principes populi, qui extraordinarie et in necessitate à Deo suscitabantur, eo fine, ut populum à servitute, et de manu hostium liberarent. Unde et salvatores dicti sunt. Judic. 2, v. 16 : *Suscitavit Dominus judices, qui liberarent eos de vastantium manibus.* Et cap. 3, v. 9 : *Clamaverunt ad Dominum ; qui suscitavit eis salvatorem, et liberavit eos.* Et 2 Esdræ 9, v. 27.... *Dedisti eis salvatores, qui salvarent eos de manu hostium suorum.* Tametsi enim Deus fuerit primarius populi Salvator, 1 Reg. 14, v. 39, tamen judices erant secundarii et subordinati, ut notat Aug. q. 18, super Judices. At verò reges, ut plurimùm non excitabantur à Deo extraordinariè ; sed multi, vel jure successionis, vel electione, vel per vim et tyrannidem regnum occupabant, ut quæstione 5 videbimus. Nec eo duntaxat fine, ut liberarent populum à servitute hostium, sed ut illum, sive pacis, sive belli tempore, gubernarent. Secundò, judices non succedebant sibi invicem immediatè, sed post intervallum temporis. Nam quandò unus judex, qui liberaverat populum ab unâ servitute, moriebatur, non succedebat alius, nisi populus, propter nova peccata, novâ servitute oppressus, peteret novum à Deo salvatorem, Judic. 3, v. 9, et cap. 4, v. 3. Undè fiebat aliquandò, ut per multos annos nullus omninò esset judex, v. g., post mortem Othonielis, qui fuit primus judex inter eos quorum fit mentio in libro Judicum, transierunt 18 anni antequàm Aod, secundus judex, à Deo suscitaretur. Nam populus, non nisi post tot annos afflictionis petivit à Deo liberari, Judic. 3, v. 14. At, mortuo uno rege, mox alius succedebat. Nam reges, ut dixi, non tantùm belli et servitutis, sed etiam pacis tempore, gubernabant populum. Certè Salomon 40 annis in summâ pace gubernavit. Undè et rex pacificus appellatus est, 1 Paralip. 22, v. 9. Tertiò, tempore judicum, non tàm ipsi judices, quàm Deus qui eos suscitabat, dicebatur regere populum. At tempore regum, reges ipsi censebantur gubernare. Nam cùm populus, tempore Samuelis, qui tunc erat judex, non ampliùs vellet habere judices, sed reges, dixit Dominus Samueli : *Non enim te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos* (1 Reg. 8, v. 7) ; et Samuel populo : *Vos autem hodiè projecistis Deum vestrum qui solus salvavit vos de universis malis et tribulationibus vestris.* (Ibid. cap. 10 v.

19.) Et iterùm : *Dixistis mihi: Nequaquàm, sed rex imperabit nobis; cùm Dominus Deus vester regnaret in vobis.* (Cap. 22, v. 12.) Ex quibus testimoniis constat, Deum regnâsse tempore judicum, reges, tempore regum. Et Judæos ideò fuisse reprehensos quòd non ampliùs vellent à Deo, per judices, sed à regibus, more gentilium gubernari. Quò etiam spectat illud Judic. 7, v. 18: *Quandò personuerit tuba in manu meâ* (inquit Gedeon judex) *vos quoque per castrorum circuitum clangite et conclamate: Domino et Gedeoni!* Et ibid., v. 20 : *Clamaveruntque : Gladius Domini et Gedeonis!* ubi Deo tribuitur primarium officium, judici secundarium.

Quæstio ii. *Qui, et quot fuerint judices Hebræorum?* In libro Judicum numerantur hi : Othoniel, ex tribu Juda; Aod, ex tribu Benjamin ; Samgar, filius Anath ; Debbora, prophetissa, uxor Lapidoth ; Barac, filius Abinoem ; Gedeon, ex tribu Manasse ; Abimelech, filius Gedeonis ; Thola, ex tribu Issachar ; Jaïr, Galaadites ; Jephte ; Abesan, Bethleemites ; Ahialon, Zabulonites; Abdon, Pharathonites; Samson, filius Manue, de tribu Dan. Hos secuti sunt Heli et Samuel, de quibus l. 1 Regum.

Othoniel liberavit Israelitas de manu Chusan, regis Syriæ ; Aod, de manu Eglon, regis Moabitarum ; Samgar, de manu Philistinorum ; Debbora et Barac (qui simul judicârunt), de manu Jabin, regis Chanaan ; Gedeon, de manu Madianitarum et Amalecitarum ; Jephte, defendit illos contrà Ammonitas ; Samson contrà Philistæos; Abimelech non tàm fuit judex, quàm tyrannus, quia vi principatum invasit, interfectis septuaginta fratribus suis, excepto Joatham, qui solus evasit. Thola, Jair, Abesan, Ahialon, Abdon, fuerunt quidem judices ; sed à quibus hostibus defenderint Israelem, non constat ex libro Judicum.

De plerisque narratur aliquid speciale in lib. Jud. de Aod: « Utrâque manu pro dexterâ « utebatur, » cap. 3, v. 15. De Samgar : « Percus- « sit de Philistiim sexcentos viros vomere, » cap. 3, v. 31. De Jair : « Habens triginta filios « sedentes super triginta pullos asinarum, et « principes triginta civitatum, » cap. 10, v. 4. De Abesan : « Habuit triginta filios, et totidem filias, » cap. 12, v. 9. De Abdon : « Habuit qua- « draginta filios, et triginta ex eis nepotes, » cap. 12, v. 14. Plura de Gedeone, Jephte et Samsone, et quidem de Gedeone hæc potissimùm : Ab Angelo vocatus, ut liberaret populum de manu Madianitarum, petivit duo miracula pro confirmatione suæ vocationis : unum, ut posito vellere in siccâ areâ ros matutinus madefaceret vellus, et non aream ; alterum, ut madefaceret aream, et non vellus : utrumque factum. Antè pugnam obtulit Deo sacrificium, igne de petrâ miraculosè erumpente, et sacrificium consumente. Destruxit aram Baal, et ædificavit altare Domino. Ex omni populo assumpsit trecentos tantùm viros pro bello contrà Madianitas. Ex alterius somnio, et somnii interpretatione intellexit se fore victorem. Mox ipse, et trecenti viri cum eo cœperunt buccinis clangere, et confringere lagenas in circuitu castrorum hostilium, clamantes : *Gladius Domini et Gedeonis!* Hostes territi subitò fugerunt, et plerique propriis gladiis perierunt ; reliqui à Gedeone fugati et interfecti sunt, Judic. cap. 6, et duobus seq. De Jephte hæc : Fuit filius meretricis ; ejectus est à fratribus tanquàm spurius, et habitavit in terrâ Tob. Indè revocatus à Galaaditis, ut pro ipsis pugnaret contrà Ammonitas, consensit eâ lege, si devictis Ammonitis, facerent illum populi principem. Iturus ergò contrà Ammonitas, fecit votum Deo. (De quo voto sup. cap. 16.) Feliciter pugnavit, Judicum cap. 11, per totum. De Samsone hæc : Natus fuit ex sterili matre, sicut Angelus futurum prædixerat. Vinum et siceram non bibit, erat enim Nazaræus. Suis manibus leonem dilaceravit. In Ascalone percussit trecentos viros. Cœpit trecentas vulpes, et ligatis ad caudas earum facibus, combussit segetes Philistinorum. Dirupit vincula, quibus erat ligatus. Arripiens mandibulam asini, interfecit in eâ mille viros. Sitiens bibit aquam miraculosè egredientem ex dente maxillæ. Apprehendit ambas portæ fores cum postibus suis et serâ, et impositas humeris suis portavit ad verticem montis. Significavit Dalilæ meretrici, in quo haberet vires suas. Ablatis viribus, et effossis oculis, catenis vinctus est à Philistæis, et in carcerem positus. Indè in locum convivii ductus, ut ludibrio afficeretur. Tunc, invocato Domino, recepit vires, et apprehendit columnas domûs convivii, et sic tota domus corruit ; ex cujus lapsu et ipse, et tria millia Philistinorum perierunt. (Judic. 13, v. 14 et seq.)

Quidam ex supradictis judicibus commendantur in Scripturâ, tanquàm sancti, et nominatim Barac, Gedeon, Jephte, Samson. (Hebr. 11, v. 32). Ex quo sequitur, falsum esse, quòd aliqui Calvinistæ asserunt, spurios seu illegitimè natos salvari non posse. Nam Jephte fuit spurius ; et tamen teste Apostolo, salvatus est. Aliqui etiam miraculosè vel nati sunt, ut Sam-

son ex sterili matre; vel vocati, ut Gedeon; vel victoriam consecuti, ut plerique omnes.

QUÆSTIO III. — *Qui, et quot fuerint reges Hebræorum?* — Ante divisionem regni, fuerunt hi tres: Saül, David, Salomon. Post Salomonem, secuta est divisio regni, et ex uno, duo facta sunt. Alterum Juda, quod continebat duas tribus, Juda et Benjamin; alterum Israel, quod reliquas tribus complectebatur. Et quidem reges Juda habitabant in Jerusalem; reges Israel, primò in Sichem, deindè in Thersâ, postremò in Samariâ.

Reges Juda fuerunt hi: — 1. Roboam, filius Salomonis. — 2. Abia, filius Roboam.—3. Asa, filius Abiæ. — 4. Josaphat, filius Asæ. — 5. Joram, filius Josaphat. – 6. Ochozias, filius Joram. — 7. Athalia, mater Ochoziæ, uxor Joram. — 8. Joas filius Ochoziæ. — 9. Amasias, filius Joæ. — 10. Azarias, seu Ozias, filius Amasiæ. — 11. Joathan, filius Azariæ. — 12. Achaz, filius Joathan. — 13. Ezechias, filius Achaz. — 14. Manasses, filius Ezechiæ. — 15. Amon, filius Manassis. — 16. Josias, filius Amon — 17. Joachaz, filius Josiæ. — 18. Joakim, seu Eliacim, filius Josiæ. — 19. Joachin, seu Jechonias, filius Joakim. —20. Sedecias, seu Matthanias, patruus Joachin

Reges Israel fuerunt hi: — 1. Jeroboam, filius Nabat, Ephratæus.—2. Nadab, filius Jeroboam. —3. Baasa, filius Abiæ, de domo Issachar. — 4. Ela, filius Baasæ. — 5. Zambri, filius Elæ. — 6. Amri.—7. Achab, filius Amri. —8. Ochozias, filius Achab.—9. Joram, frater Ochoziæ. — 10. Jehu, filius Josaphat filii Namsi. — 11. Joachaz, filius Jehu. — 12. Joas, filius Joachaz. — 13. Jeroboam, filius Joæ. — 14. Zacharias, filius Jeroboam. — 15. Sellum, filius Jabes. — 16. Manahem, filius Gadi. — 17. Phaceia, filius Manahem. — 18. Phacee, filius Romeliæ. — 19. Osee, filius Ela.

Hic triplex differentia notanda est inter reges Juda et Israel. Prima, quòd omnes reges Juda fuerint ex eàdem tribu, nempè ex tribu Juda; et omnes ex familiâ David (excipio Athaliam, quæ habuit quidem maritum ex familiâ David, nempè Joram regem, sed ipsa fuit filia Achab, filii Amri). At reges Israel fuerunt ex diversis tribubus et familiis. Altera, quòd reges Juda, si non omnes, saltem multi manserint in cultu veri Dei. At reges Israel, nullo excepto, fuerunt omnes idololatræ; etiam Jehu. (4 Reg. 10, v. 29.) Tertia, quòd reges Juda, ut plurimùm, jure successionis, pervenerint ad regnum. At reges Israel variis titulis ac modis, ut quæst. 5 explicandum est.

QUÆSTIO IV. — *Qui fuerint boni, et qui mali Hebræorum reges?* — Ratio dubitandi sumitur ex Scripturâ, quæ uno loco asserit, tres tantùm fuisse bonos, ut Eccli. 49, v. 5: *Præter David, et Ezechiam, et Josiam, omnes peccatum commiserunt.* At alibi significat, etiam alios fuisse bonos, ut Asam, Josaphat, Joam, Amasiam, Azariam, et Joathan. Nam in gestis singulorum ponit hanc laudem: *Fecit rectum in conspectu Domini,* ut patet 3 Reg. 15, v. 14, et cap. 22, v. 43. Et 4 Reg. 12, v. 2, et cap. 14, v. 3, et cap. 15, v. 3.

Hæc difficultas sic solvitur: Hi sex posteriores fuerunt quidem boni, sed non zelosi in religione et cultu Dei. Et ideò laudantur quidem, quòd fecerint rectum in conspectu Domini; sed simul reprehenduntur, quòd excelsa non abstulerint, neque impediverint cultum idololatriæ. Nam sicut de singulis dicitur: *Fecit rectum in conspectu Domini*; ità mox additur: *Verumtamen excelsa non abstulit; adhuc enim populus sacrificabat et adolebat incensum in excelsis.* (3 Reg. 22, v. 44 et alibi.)

At David, Ezechias et Josias, non tantùm fuerunt boni, sed etiam zelosi in religione. Nam de Ezechiâ et Josiâ diserte legimus, quòd abstulerint excelsa, ad impediendam idololatriam. (4 Reg. 18, v. 3, et cap. 23, v. 8.) De Davide verò, quòd in excelsis non immolaverit. (3 Reg. 3, v. 3.) Quòd cum magnâ solemnitate deduxerit Arcam Domini in Jerusalem. (2 Reg. 6, v. 12.) Quòd desideraverit Deo templum ædificare. (Ibid., cap. 7, v. 2.) Quòd in rebus majoris momenti nihil voluerit aggredi, nisi consulto priùs Deo. (1 Reg. 22, v. 15, et cap. 30, v. 7 et seq.) Quòd ad placandum erexerit altare in areâ Ornan, et obtulerit holocausta et pacifica. (1 Paral. 21, v. 26.)

Illud ergò, *Præter David et Ezechiam, et Josiam, omnes peccatum commiserunt*, sic debet intelligi: Omnes Reges Juda, præter illos tres in eo peccàrunt, quòd ex quodam neglectu religionis, non abstulerint excelsa nec impediverint idololatriam in suis subditis. Qui sensus colligitur ex ipso contextu. Nam initio capitis laudatur Josias à zelo religionis, quòd abstulerit *abominationes impietatis.* Id est excelsa, lucos, sculptilia, statuas, ut explicatur 4 Reg. 23, v. 4, et 2 Paral. 34, v. 4. Item, quòd gentem suam, id est Judæos, qui sub Amon et Manasse erant impii et idololatræ, perduxerit ad pœnitentiam et pietatem, quod etiam prolixè recensetur, 2 Paralip. 35, per totum. Mox ad-

ditur, nullum alium regem fuisse parem Josiæ in hoc genere, nisi Davidem et Ezechiam; cæteros omnes peccâsse, permittendo idololatriam, et relinquendo legem altissimi. (4 Reg. 22, v. 13. Et hoc modo dedisse occasionem, ut regnum Juda in pœnam delicti, occuparetur ab alienigenis, id est, à Chaldæis; et vasa templi cum populo transferrentur in Babylonem.

Dices, non videtur ille esse sensus istius loci; nam etiam Asa et Josaphat abstulerunt excelsa, ut expressè habetur 2 Paral. 14, v. 2, et cap. 17, v. 6. Falsum ergò est, omnes præter Davidem, Ezechiam, et Josiam in eo peccâsse, quòd, ex neglectu religionis, excelsa non abstulerint. Resp.: Asa abstulit quædam, sed non excelsa omnia. Prius patet ex illo 2 Paral. 14, v. 2: *Subvertit altaria peregrini cultûs, et excelsa.* Posterius ex illo 3 Reg. 15, v. 12: *Purgavitque universas sordes idolorum quæ fecerant Patres ejus.* Posteà sequitur, v. 14: *Excelsa autem non abstulit.* Josaphat verò cùm primùm cœpit regnare, non ausus fuit auferre excelsa, in quo fuit culpabilis, juxtà illud 3 Reg. 22, v. 44: *Verumtamen excelsa non abstulit; adhuc enim populus sacrificabat, et adolebat incensum in excelsis.* Posteà tamen, factus audacior, abstulit, 2 Paral. 17, v. 6: *Cùmque sumpsisset cor ejus audaciam propter vias Domini, etiam excelsa et lucos de Juda abstulit.* Uterque ergò, tàm Asa quàm Josaphat in hâc re peccavit; ille quidem quòd non abstulerit omnia excelsa; hic verò, quòd tardè abstulerit.

Nota: Per excelsa, intelliguntur fana, vel sacella, vel altaria in altioribus locis, ut in montibus et collibus, ad colendum Deum ædificata. Erant autem duplicia Quædam facta ad cultum falsorum deorum, et severè prohibita, Num. 22, v. 41.... « Duxit eum ad excelsa « Baal. » Et Num. 33, v. 51-52. « Quandò « transieritis Jordanem, intrantes terram « Chanaan, disperdite cunctos habitatores terræ illius; confringite titulos, et statuas comminuite, atque omnia excelsa vastate. » Et Deut. 12, v. 2-3: « Subvertite omnia loca, in « quibus coluerunt gentes.... deos suos super « montes excelsos et colles.... dissipate aras « eorum, et confringite statuas. » Et 3 Reg. 11, v. 7: « Tunc ædificavit Salomon fanum Chamos, idolo Moab, in monte qui est contrà « Jerusalem. » Et cap. 12, v. 31: « Fecit (Jeroboam) fana in excelsis. » Et 4 Reg. 17, v. 9: « Ædificaverunt sibi (filii Israel) excelsa « in cunctis urbibus suis. » Et ibid., v. 29: « Unaquæque gens fabricata est Deum suum; « posueruntque eos in fanis excelsis. » Alia ad cultum veri Dei facta, antequàm templum esset ædificatum. De quibus 3 Reg. 3, v. 2: « Populus immolabat in excelsis; non enim ædificatum erat templum nomini Domini usque in « diem illum. » Inter illa præcipuum erat in Gabaon, ut habetur ibidem, v. 4: « Abiit itaque in Gabaon, ut immolaret ibi; illud quippè « erat excelsum maximum. » Et 2 Paral. 1, v. 3: « Abiit (Salomon) cum universâ multitudine « in excelsum Gabaon, ubi erat tabernaculum « fœderis Dei. » Hæc etiam excelsa, non tantùm post, sed etiam antè templum ædificatum, fuerunt prohibita, ut docent Theodoretus, q. 11, Procopius et Abulensis, in 3 Reg., cap. 3, Ribera, lib. 1 de Templo, cap. 2. Ratio est, quia Deus expressè mandavit Judæis, ut non offerrent sacrificia in variis montibus et collibus, more Gentilium, sed tantùm in uno certo loco, ubi vel tabernaculum esset, vel templum. Deut. 12, v. 2: « Subvertite omnia loca in « quibus coluerunt gentes.... deos suos super « montes excelsos et colles. » Et paulò post sequitur, v. 4 et seq.: « Non facietis ità Domino Deo vestro; sed ad locum, quem elegerit Dominus Deus vester de cunctis tribubus vestris, ut ponat nomen suum ibi et « habitet in eo, venietis, et offeretis in loco illo « holocausta et victimas vestras. » Et infrà, v. 13-14: « Cave ne offeras holocausta tua in « omni loco, quem videris, sed in eo quem elegerit Dominus. » Hinc Salomon fuit reprehensus, quòd antè templi ædificationem immolaret in excelsis. 3 Reg. 3, v. 3: « Dilexit « autem Salomon Dominum, ambulans in præceptis David patris sui, excepto quòd in excelsis immolabat. » Et reliqui reges, qui illum secuti sunt, similiter fuerunt reprehensi, quòd excelsa non abstulerint; tàm ea, quæ facta erant ad cultum veri Dei, quàm reliqua quæ facta ad colendos falsos deos. Excipio Ezechiam et Josiam qui illa, ut suprà dixi, abstulerunt. Excipio etiam excelsum Gabaon, in quo licuit offerre et immolare, ratione tabernaculi, quod ibi conservabatur. (2 Paral. 1 v. 3.) In reliquis non licuit. Atque hæc obiter dicta sint ad concilianda Scripturæ loca, initio quæstionis allata, quæ videbantur inter se pugnare. Nunc ut clariùs constet de probitate vel malitià singulorum regum, de singulis in particulari agendum est. Ac primò de Saule, Davide, de Salomone, qui regnârunt antè divisionem regni. Deindè de regibus Juda, et de regibus Israel qui posteà secuti sunt.

Igitur Saül, initio regni fuit bonus, rectus ac simplex, 1 Reg. 9, v. 2 : « Saül, electus et bonus; et non erat vir de filiis Israël melior « illo. » Et cap. 13, v. 1 : « Filius unius anni « erat Saül cùm regnare cœpisset, » id est, erat innocens, sicut puer unius anni, ut explicatur cap. 15, v. 17 : « Nonne cùm parvulus « esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel « factus es? Unxitque te Dominus in regem super Israel. » Mansit autem in illâ probitate duobus annis, 1 Reg. 13, v. 1 : « Duobus autem « annis regnavit super Israel. » Posteà à Deo desertus est propter inobedientiam. Fuit autem duplex illius inobedientia, una, quia Samuel dixerat illi, ut differret offerre holocaustum, donec ipse adesset; non paruit. (1 Reg. 13, v. 9.) Altera, idem Samuel mandaverat illi, ut interficeret omnes Amalecitas, nullo excepto; neque tunc paruit. (1 Reg. 15, v. 3.) Propter utramque inobedientiam privatus est regno, sicut primi parentes propter unam inobedientiam expulsi sunt ex paradiso. Et ab eo tempore cœpit deseri à Deo, nec jam ampliùs bono, ut solebat, sed malo spiritu agitabatur, 1 Reg. 15, v. 23 : « Pro eo ergò quòd abjecisti sermonem « Domini, abjecit te Dominus, ne sis rex. » Et cap. 16, v. 14 : « Spiritus autem Domini re- « cessit à Saül, et exagitabat eum spiritus ne- « quam. » Et tunc, in locum illius, unctus est David. (1 Reg. 16, v. 13.) Nihilominùs Saül adhuc vixit in regno 38 annis; et toto illo tempore Davidem persecutus est, quem sciebat à Samuele unctum esse in regem. (1 Reg. 18, v. 29.)

David fuit bonus et vir secundùm cor Dei, juxtà illud 1 Reg. 13, v. 14 : « Quæsivit Domi- « nus sibi virum juxtà cor suum. » Et Act. 13, v. 22 : « Suscitavit illis David regem ; cui testi- « monium perhibens, dixit : Inveni David, fi- « lium Jesse, virum secundùm cor meum, qui « faciet omnes voluntates meas. » At peccavit, inquies. Verum est. Neque hoc dissimulavit Scriptura, cùm ait, 3 Reg. 15, v. 5 : « Eo quòd « fecisset David rectum in oculis Domini, et « non declinâsset ab omnibus, quæ præceperat « ei cunctis diebus vitæ suæ, excepto sermone « Uriæ Hethæi, » id est, excepto duplici peccato. Uno, quòd adulterium commiserit cum uxore Uriæ. Altero, quòd ad occultandum hoc adulterium, curaverit occidi ipsum Uriam. (2 Reg. 11, v. 4 et 15.) Quomodo ergò vir secundùm cor Dei? Id triplici sensu intelligi potest; primo, spectando ipsius zelum in religione, de quo suprà; secundo, conferendo illum cum plerisque aliis regibus, qui non fuerunt tàm boni quàm David, 3 Reg. 11, v. 4 : « Nec erat cor ejus perfectum cum Domino Deo « suo, sicut cor David patris ejus. » Et alibi; tertio, conferendo illum speciatim cum Saüle, ut hic sit sensus : Quia Saül fuit inobediens Deo, privatus est regno et successit illi David, qui erat obediens, et faciens omnes voluntates ejus. Hic sensus colligitur ex ipso textu. Nam 1 Reg. 13, v. 14, sic legimus : « Dixitque Samuel « ad Saül : Stultè egisti, nec custodisti man- « data Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quòd « si non fecisses, jam nunc præparâsset Domi- « nus regnum tuum super Israel in sempiter- « num, sed nequaquàm regnum tuum ultrà « consurget. Quæsivit Dominus sibi virum « juxtà cor suum ; et præcepit ei Dominus ut « esset dux super populum suum, eò quòd non « servaveris quæ præcepit Dominus. » Et Act. 13, v. 21-22 : « Exindè postulaverunt regem : « Et dedit illis Deus Saül, filium Cis, virum de « tribu Benjamin, annis quadraginta. Et amoto « illo, suscitavit illis David regem; cui testi- « monium perhibens, dixit : Inveni David, fi- « lium Jesse, virum secundùm cor meum, qui « faciet omnes voluntates meas. » Utrobique fit comparatio inter Saülem et Davidem. Hujus obedientia commendatur; illius inobedientia reprehenditur. Et juxtà hunc sensum, qui est litteralis, hæc duo idem sunt : *Vir secundùm cor Dei, et, faciet omnes voluntates Dei.* Ubi per *voluntates* non intelligit præcepta Dei, quæ in lege Mosaicâ scripta sunt, quia certum est, Davidem hoc sensu non fecisse omnes voluntates Dei, cùm peccaverit contrà præcepta decalogi, per homicidium et adulterium; sed intelligit mandata, quæ vivâ voce solent dari per Prophetas aut Pontifices. Hæc enim servavit David; non item Saül. Itaque in eo est differentia inter utrumque, quòd, quandò mandabatur aliquid circà regni administrationem, David pareret, Saül non pareret.

Salomon, initio bonus ac sapiens, posteà per mulieres alienigenas depravatus est, et idololatra factus, 3 Reg. 11, v. 1 : « Rex autem Sa- « lomon adamavit mulieres alienigenas multas. » At deindè subditur, v. 4 : « Cùmque jam esset « senex, depravatum est cor ejus per mulieres, « ut sequeretur deos alienos. » In pœnam hujus peccati, divisum est regnum ipsius, et major pars data Jeroboam, ibid., v. 11 : « Quia.... « non custodisti pactum meum, disrumpens « scindam regnum tuum, et dabo illud servo « tuo. » An autem egerit pœnitentiam, et sal-

vatus fuerit, disputat Pineda, lib. 8. de reb. Salom., et alii plures.

Roboam, filius Salomonis, fuit malus. Peccavit autem tribus potissimùm modis, primò, quia initio regni, spreto consilio senum, secutus est consilium juvenum, et sic dedit occasionem divisionis regni quam Salomon suo peccato erat promeritus. (3 Reg. 12, v. 8, et 2 Paralip. 10, v. 8.) Secundò, quia post tres annos, tàm ipse quàm subditi ejus deseruerunt Deum. (2 Paralip. 11, v. 17, et cap. 12, v. 1.) Tertiò, quia idololatriam et multas alias impuritates concessit. (3 Reg. 14, v. 22.) Et ideò, quinto regni sui anno, punitus est à Sesac, rege Ægypti. (2 Paral. 12, v. 2 et seq.) Mansit autem in suâ impietate usque ad finem vitæ (Ibid., v. 14.)

Abia fuit etiam malus. Initio quidem regni coluit Deum, et spem suam in illo collocavit, ut patet ex concione ipsius quam habuit in bello contrà Jeroboam, regem Israel. (2 Paral. 13, v. 4 et seq.) Ideòque insignem victoriam obtinuit. Et posteà, « ambulavit in omnibus peccatis « patris sui, quæ fecerat antè eum : nec erat « cor ejus perfectum cum Domino, Deo suo. » (3 Reg. 15, v. 3.)

Asa, filius ejus, fuit bonus. Abstulit effeminatos de terrâ; purgavit omnes sordes idolorum, quæ fecerant Roboam et Abia; Maacham, matrem suam, amovit, ne esset princeps in sacris Priapi, et in loco ejus, quem consecraverat : subvertit specum ejus, et confregit simulacrum turpissimum, et combussit in torrente Cedron. (3 Reg. 15, v. 11 et seq.) Hæc tamen in illo reprehenduntur, primò, quòd excelsa non abstulerit. Aliqua quidem abstulit (2 Paral. 14, v. 2), non tamen omnia. (3 Reg. 15, v. 14.) Secundò, quòd pugnaturus contrà Baasam, regem Israel, habuerit fiduciam in rege Syriæ, et non potiùs in Domino Deo, sicut fecerat in bello contrà Æthiopes. Quod objecit illi Hanani propheta. (2 Paral. 16, v. 7.) Tertiò, quòd eumdem prophetam, propter hanc increpationem, conjecerit in vincula. (Ibidem v. 10.) Quartò, quòd circà finem vitæ, cùm laboraret podagrâ, non quæsierit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus sit. (Ibid., v. 12.)

Josaphat fuit bonus, et multa præclarè gessit. Misit Levitas et sacerdotes per omnes civitates Juda, ut docerent populum legem Dei. (2 Paral. 17, v. 8.) Abstulit reliquias effeminatorum, quæ remanserant in diebus Asa patris ejus. (3 Reg. 22, v. 47.) Cùm anteà non ausus fuisset auferre lucos et excelsa (3 Reg. 22, v. 44), tandem, factus audacior, abstulit. (2 Paral. 17, v. 6.) Progressu temporis, instituit novam populi reformationem. (Ibid., cap. 19, v. 4.) Cùm Moabitæ et Ammonitæ contrà illum insurgerent, ipse, publico jejunio indicto, supplex ad Deum confugit, et insignem victoriam obtinuit. (Ibidem, cap. 20. v. 3.) In duobus tamen reprehensus est. Primò quòd Achab, regi Israel, præbuerit auxilium contrà regem Syriæ, in oppugnandâ Ramoth Galaad. Hoc objecit illi Propheta, 2 Paral. 19, v. 2-3 : « Impio præbes « auxilium, et his qui oderunt Dominum amicitiâ jungeris, et idcircò iram quidem Domini « merebaris; sed bona opera inventa sunt in « te, eò quòd abstuleris lucos de terrâ Juda; » Secundò quòd amicitiam contraxerit cum Ochoziâ, filio Achab. Quod etiam illi objectum est à Prophetâ, Paral. 20, v. 35 et seq. : « Post « hæc iniit amicitias Josaphat, rex Juda, cum « Ochoziâ, rege Israel, cujus opera fuerunt « impiissima. Et particeps fuit ut facerent na- « ves, quæ irent in Tharsis; fecerunt classem « in Asiongaber. Prophetavit autem Eliezer.... « ad Josaphat, dicens : Quia habuisti fœdus « cum Ochoziâ, percussit Dominus opera tua, « contritæque sunt naves, nec potuerunt ire in « Tharsis. »

Joram fuit malus. Acta ejus sunt hæc : Accepit uxorem idololatram, nempè Athaliam, filiam Achab regis Israel. Occidit omnes fratres suos gladio, et quosdam de principibus Israel. Derelicto Deo, fabricavit excelsa in urbibus Juda, et prævaricari fecit habitatores Jerusalem. Ideò ab Eliâ prophetâ per litteras reprehensus est (quod contigit multis annis post raptum Eliæ), et graviter à Deo punitus. Pœnæ fuerunt hæ : Defecerunt ab eo Idumæi, et rebellârunt. Defecit etiam urbs Lobna, quæ erat in tribu Juda. Philisthæi et Arabes vastaverunt terram Juda, et diripuerunt omnem substantiam regis Joram; et insuper occiderunt ejus uxores et filios, excepto unico Joachaz, qui et Ochozias dictus est. Deus percussit illum insanabili languore alvi, quo toto biennio affligebatur. Et tandem longâ tabe consumptus, egessit viscera, et mortuus est. Populus non fecit illi exequias, nec sepelivit in sepulchro regum. Hæc omnia habentur, partìm 4 Reg. 8, v. 17 et seq., partìm 2 Paralip. 21, v. 4 et seq.

Ochozias fuit etiam malus. Nam 1°, seductus est à matre suâ Athaliâ. 2° Utebatur consiliariis ex domo impiissimi Achab, qui erat pater Athaliæ. 3° Cum Joram, filio Achab, rege

Israel, ivit ad bellum contrà Hazael, regem Syriæ, in Ramoth Galaad. 4° Eumdem Joram in bello vulneratum, et reversum in Jezrahel invisit. 5° Ibi superveniens Jehu, utrumque occidit, ac simul delevit totam domum Achab, ut ipsi erat mandatum à Deo per prophetam. (4 Reg. 8, v. 25, et cap. 9, v. 7, et 2 Paral. 22, v. 1.)

Athalia, mater Ochoziæ, fuit impiissima. Mortuo filio, occupavit regnum ; et, ut sola posset regnare, interfecit omnes masculos stirpis regiæ, præter Joas, filium Ochoziæ, qui à sorore suâ Josabâ, uxore Joiadæ pontificis, occultè subtractus et absconditus est. Deindè anno septimo, Joas auctoritate ejusdem pontificis publicè promulgatus est rex, et Athalia interfecta. (Reg. v. 11, et 2 Paral. 22, v. 10 et seq.)

Joas, primò bonus, posteà pessimus, optimè se gessit quamdiù vixit Joiada pontifex, ex cujus directione et consilio hæc fecit : Curavit instaurari templum quod sub Athaliâ, Ochoziâ et Joram fuerat neglectum, et ferè collapsum ; liberavit Jerusalem à periculo obsidionis. Misit enim Hazaeli, regi Syriæ, magnam pecuniæ summam, partìm ex thesauro templi, partìm ex palatio regio, ut non obsideret Jerusalem, cùm ad eam obsidendam appropinquaret. At mortuo pontifice, delinitus est obsequiis principum Juda, et hæc patravit : Concessit exercitium idololatriæ. Interfecit Zachariam, filium Joiadæ pontificis, qui ipsum et principes Juda, totumque populum increpabat, propter idololatriam. Sed non impunè. Nam sequenti anno post mortem Zachariæ, tàm rex ipse, quàm alii omnes, ab exercitu Syrorum puniti sunt. Et tandem rex à servis interfectus. (4 Reg., v. 12, et 1 Paralip. 24.)

Amasias, imitatus est patrem suum. Nam initio fuit bonus, deindè malus. Gesta ejus describuntur 4 Reg. 14, et 2 Paralip., 25. Sunt autem hæc : Confirmato regno, jussit jugulari eos qui interfecerant patrem suum Joas. Non tamen filios eorum, propter legem, quæ prohibet filios occidi pro patribus. Tunc enim adhuc erat observans legis Mosaicæ. Collegit duplicem exercitum contrà Idumæos qui jampridem rebellaverant; unum ex populo Judæ, alterum ex populo Israel. Monitus à Prophetâ, ut dimitteret exercitum Israel, ut potè impium et à Deo alienum, obtemperavit, et victoriam obtinuit contrà Idumæos. Ex quibus interfecit decem millia, et totidem ex altissimâ petrâ præcipitavit. Hactenùs benè. Deinceps malè : Rediens ex victoriâ, asportavit secum deos Idumæorum, quos cœpit in Jerusalem adorare, et incensum illis adolere, ob quam causam missus ad eum Propheta, dixit illi, 2 Par. 25, v. 15-16 : *Cur adoràsti deos, qui non liberaverunt populum suum de manu tuâ ?* Cui respondit Amasias : *Nùm consiliarius regis es ? quiesce, ne interficiam te.* Tunc abiens Propheta, inquit : *Scio, quòd cogitaverit Deus occidere te, quia fecisti hoc malum, et insuper non acquievisti consilio meo* Post hæc traditus est in reprobum sensum ; et insolentior factus propter supradictam victoriam, inito pessimo consilio, provocavit regem Israel ad bellum, putans quòd et illum posset sibi subjugare. Rex Israel, miratus temeritatem hominis, proposuit illi parabolam de carduo et cedro Libani, volens significare, quòd sicut carduus nullo modo potest comparari cum cedro, ità rex Juda nullo modo possit comparari cum rege Israel. Non acquievit Amasias. Itaque rex Israel venit cum exercitu in Bethsames, quod est oppidum Juda, et ibi fugavit exercitum Amasiæ. Ipsum Amasiam cœpit captivum, et duxit in Jerusalem ; ibique diripuit omnem thesaurum templi, et palatii regis ; ac tandem, relicto ibidem Amasiâ cum obsidibus, reversus est in Samariam. Intereà moritur rex Israel. Contrà Amasiam verò conspirant cives in Jerusalem, eò quòd propter ipsius defectionem à cultu Dei, et introductam idololatriam, multas calamitates paterentur. Ipse cognitâ eorum conspiratione, fugit in Lachis ; sed frustrà. Nam ibi à conspiratis interfectus est.

Ozias seu Azarias, filius Amasiæ, cùm esset 16 annorum, à toto populo electus est rex. Fuit quidem bonus, sed propter usurpatum officium sacerdotale, quod ipsi non congruebat, à Deo punitus est leprâ. Acta ejus describuntur 4 Reg. 15, et 2 Paral. 26. Sunt autem triplicia. Nam quædam contigerunt tempore belli ; alia tempore pacis ; alia circà finem vitæ. Tempore belli fecit hæc, ex consilio et directione Zachariæ videntis. Munivit Jerusalem multis turribus. In turribus collocavit machinas diversi generis, quæ sagittas et saxa jaciebant. Instruxit exercitum trecentorum et septem millium, et quingentorum. Comparavit illis omnia armorum genera, clypeos, hastas, galeas, loricas, arcus, fundas, et his similia. Ædificavit Ailath, sivè Æliath, sivè Ailam, in finibus Idumæorum, et restituit eam Judæ. Sæpè feliciter pugnavit contrà Philistæos. Destruxit murum urbis Geth, et Jabniæ, et Azoti. Ædificavit

oppida in ditione Philistiim. Vicit etiam Arabes et Ammonitas, qui posteà coacti sunt illi dare tributum. Et propter tam celebres victorias divulgatum est nomen ejus usque ad introitum Ægypti. Tempore pacis, deditus erat agriculturæ. Habebat plurimos vinitores in Carmelo et alibi. Fodiebat cisternas ad colligendam aquam pro pecoribus, quorum numerosissimos alebat greges Tandem circà annum regni sui 43, propter multa præclarè gesta in superbiam elatus, sacerdotale officium ausus est usurpare. Nam ingressus in templum Domini, voluit adolere incensum super altare thymiamatis, obsistente pontifice. Mox leprâ in fronte percussus, et à sacerdotibus è templo ejectus est. Et sic mansit leprosus usque ad finem vitæ suæ, habitans in domo separatâ extrà Jerusalem. Intereà Joatham, filius ejus, administrabat regnum.

Joatham filius Oziæ fuit bonus. De quo scriptum est 2 Paral. 27, v. 2 : *Fecitque quod rectum erat coràm Domino juxtà omnia quæ fecerat Ozias pater suus, excepto quòd non est ingressus templum Domini,* ad usurpandum officium sacerdotale. In quo præcelluit patri. Unum in eo reprehenditur, 4 Reg. 15, v. 35 : *Verumtamen excelsa non abstulit.* De cætero in omnibus benè se gessit. Juxtà illud 2 Paral. 27, v. 6 : *Corroboratusque est Joatham, eò quòd direxisset vias suas coràm Domino Deo suo.*

Achaz, filius Joatham, fuit impius. De quo 4 Reg. 16, et 2 Paral. 28, habemus hæc. Derelicto Domino Deo patrum suorum, secutus est idololatriam regum Israel. Fecit statuas, et coluit eas in excelsis, in collibus, et sub omni ligno frondoso, immolando victimas, et incensum adolendo. Lustravit filios suos in igne, et consecravit eos idolis. Propter has causas tàm ipse, quàm subditi ejus, gravissimè puniti sunt, et sæpiùs bello oppressi ; à Rasin, rege Syriæ ; à Phacee, rege Israel (3 Paral. 28, v. 5 et seq.) ; ab utroque conjunctìm. (4 Reg. 16, v. 5, et Isaiæ 7, v. 5.) Ab Idumæis ; à Philistæis ; à rege Assyriorum. Hæc omnia contigerunt propter peccata regis Achaz. (2 Paral. 28, v. 17 et seq.)

Ezechias, filius Achaz, fuit optimus ; juxtà illud 4 Reg. 18, v. 5 : *Post eum non fuit similis ei de cunctis regibus Juda, sed neque in his, qui antè eum fuerunt.* Et ibid., v. 7 : *Undè et erat Dominus cum eo, et in cunctis, ad quæ procedebat, sapienter se agebat.* Gesta ejus describuntur, partìm loco citato, partìm 2 Paral. 29, et tribus sequentibus. Præcipua sunt hæc : Sustulit idololatriam, et verum Dei cultum restituit, hoc ordine : Contrivit statuas et idola, quæ Achaz, pater ejus, fabricaverat. Dissipavit excelsa, et succidit lucos. Confregit serpentem æneum, quem fecerat Moyses, quia filii Israel adolebant ei incensum. Curavit per Levitas et sacerdotes repurgari templum, tabernaculum, vasa sacra, quæ à patre ipsius fuerant contaminata. Ipsos quoque Levitas ac sacerdotes monuit sui officii, ut offerrent sacrificia, et restituerent usum organorum, psalteriorum, cithararum. Curavit celebrari phase in Jerusalem, convocatis eò non tantùm subditis qui erant in regno Juda, sed etiam filiis Israel qui remanserant ex aliis tribubus, et non erant cum reliquis ducti in captivitatem à rege Assyriorum. His peractis, venit Sennacherib, rex Assyriorum, cum ingenti exercitu, contrà Ezechiam ; et obsedit Jerusalem. Ezechias totam spem suam ponebat in Deo, eumque supplex orabat pro liberatione. Nec frustrà. Nam quâdam nocte Angelus Domini venit in castra Assyriorum, et percussit centum octoginta millia hominum. Mox fugit Sennacherib, et rediit in Ninive, ibique à filiis suis interfectus est.

Post hæc ægrotavit Ezechias, et ab Isaiâ prophetâ monitus est, ut disponeret se ad mortem. Iterùm oravit cum fletu ; et responsum est illi à Domino per eumdem prophetam (4 Reg. 20, v 5-6), his verbis : *Audivi orationem tuam, et vidi lacrymas tuas ; et ecce sanavi te ; die tertio ascendes templum Domini. Et addam diebus tuis quindecim annos.* Ezechias, auditâ hâc promissione, petivit signo seu miraculo eam confirmari. Factum est. Erat autem hoc signum : umbra rediit decem gradibus retrorsùm in horologio, quibus descenderat.

Rex Babylonis, cùm intellexisset de morbo Ezechiæ, misit ad eum legatos et munera ; quibus ipse lætatus est. Et ostendit legatis omnem suum thesaurum. Quo nomine reprehendit illum Isaias, ac prædixit fore ut omnis thesaurus regius auferetur à Babyloniis. Quod posteà, tempore captivitatis Babylonicæ, factum est.

Manasses, filius Ezechiæ, fuit pessimus, sicut Achaz, avus ejus. Duo generatim fecit mala. Primò abrogavit cultum Dei quem Ezechias pater ejus instauraverat. Secundò revocavit idololatriam, quam Achaz introduxerat. Speciatìm hæc : Ædificavit excelsa. Erexit aras Baal. Fecit lucos, et adoravit omnem militiam cœli. Exstruxit aras idolorum in templo Domini. Traduxit filium suum per ignem. Ariolatus est ; observavit auguria ; fecit pythones ;

multiplicavit aruspices. Fudit sanguinem innoxium. Propter hæc minatus est Deus per Prophetas : *Ecce ego inducam mala super Jerusalem et Judam ; ut quicumque audierit, tinniant ambæ aures ejus.* (4 Reg. 21, v. 12.) Posteà venerunt principes Assyriorum cum exercitu, et Manassen vinctum catenis ac compedibus duxerunt in Babylonem. Ibi præ angustiâ animi, cœpit orare Deum, et agere cœpit pœnitentiam. Deindè, reversus in Jerusalem, sustulit idololatriam et cultum Dei restauravit. (2 Paralip. 33, v. 11.) Aliqui putant Isaiam prophetam, jubente Manasse, serrâ ligneâ in duas partes dissectum esse, ut Epiphanius, Isidorus, Eusebius, Hieronymus, et alii apud Torniell. in Annalib. anno mundi 3338, num. 4. (Vide Baron. in Martyrol., die 6 Julii.)

Amon, filius Manassis, fuit impius. Secutus est impietatem patris, sed non pœnitentiam. In propriâ domo à suis subditis interfectus est. (Reg. 21, v. 19 et seq.; et 2 Paral. 33, v. 21 et seq.)

Josias, filius Amon, fuit optimus. Cœpit regnare cùm esset octo annorum. Et multa præclarè gessit ut habetur 4 Reg. 22, et 2 Paral. 34-35. Abstulit ex Judâ et Jerusalem, itemque ex universâ terrâ Israel omnia excelsa, lucos, aras Baalim, sculptilia et simulachra. Iis ablatis, curavit per Helciam sacerdotem instaurari templum Domini. In instauratione templi inventus est liber legis, seu Deuteronomii, quem Helcias misit regi legendum. Rex, lecto libro, scidit vestimenta sua, et exterritus est propter maledictiones quæ in illo libro habebantur contrà transgressores legis. Sciebat enim multos reges ex suis antecessoribus, unà cum populo, deseruisse legem Dei, et coluisse idola, ac proindè meritò timebat, ne omnes istæ maledictiones venirent super Judam et Jerusalem. Itaque misit Helciam et alios primarios, ut orarent Dominum ad avertendas hujusmodi maledictiones, et simul consulerent, quid facto opus esset. Quod cùm regi nuntiatum esset, convocavit universum populum, et lecto publicè libro Deuteronomii, pepigit fœdus cum Deo, et adjuravit omnes, ut idem facerent, ac promitterent se servaturos præcepta legis, quæ in libro illo continebantur. Quod etiam factum est. His peractis, celebravit phase in Jerusalem, et curavit ut sacerdotes et Levitæ juxta ordinem suum distributi ministrarent in templo, et officia sua peragerent. Tandem, cùm Nechao, rex Ægypti, veniret cum exercitu contrà regem Assyriorum, occurrit illi Josias, ut ipsum impediret. In pugnâ, quæ fiebat in campo Mageddo, vulneratus et mortuus est. De quo sic legimus, 2 Paral. 35, v. 24-25 : *Universus Juda et Jerusalem luxerunt eum, Jeremias maximè.*

Joachaz, filius Josiæ, à populo terræ constitutus fuit rex, quod indignè ferens Nechao, rex Ægypti, venit post tres menses in Jerusalem. Ac primò deposuit Joachaz, et captivum duxit in Ægyptum. Deindè exegit à populo centum talenta argenti, et talentum auri, eò quòd sine ipsius auctoritate constituisset sibi regem. In locum quoque depositi regis subrogavit Eliacim, alterum filium Josiæ, quem alio nomine vocavit Joakim. Fuit autem Joachaz impius, et in Ægypto mortuus est. (4 Reg. 23, v. 31 et seq., et 2 Paral. 36, v. 1 et seq.)

Joakim, seu Eliacim, fuit etiam impius. Sub illo, et sequentibus regibus, completæ sunt maledictiones et captivitates, quas Deus, propter peccata Manassis et aliorum regum, minatus erat Judæis. (4 Reg. 24, v. 3.) Nam anno regni ejus tertio, venit Nabuchodonosor rex in Jerusalem, et ipsum regem Joakim, cum magna populi parte et vasis templi, captivum duxit in Babylonem. (2 Paral. 36, v. 6, et Dan. 1, v. 1.) Posteà tamen regno fuit restitutus, cùm certum quotannis tributum promisisset. Solvit hoc tributum tribus tantùm annis, et tùm conjunxit se Ægyptiis, et regi Nabuchodonosori rebellavit. (4 Reg. 24, v. 1.) Quod ægrè ferens Nabuchodonosor, rediit in Jerusalem, anno undecimo regni Joakim, et cepit illum captivum, et extrà Jerusalem interfecit, ac insepultum reliquit. Quod Deus prædixerat per prophetam Jerem. 22, v. 18 : « Hæc dicit Dominus ad Joakim, « filium Josiæ, regem Juda : Non plangent « eum. » Et infrà, v. 19 : « Sepulturâ asini se« pelietur, putrefactus et projectus extrà Jeru« salem. »

Joachim, filius Joakim (qui et Jechonias dictus est), fuit similiter malus, et tribus tantùm mensibus regnavit. Tunc iterùm venit Nabuchodonosor rex in Jerusalem, et captivos abduxit regem, matrem ejus, uxores, servos, principes, et decem millia virorum fortium in Babylonem ; et asportavit omnia vasa templi et thesauros domûs Domini, et thesauros domûs regiæ ; nihil reliquit in Judâ et Jerusalem, nisi pauperes populi terræ. Pro Joachim verò constituit alium regem, Matthaniam, patruum ejus, et vocavit illum Sedeciam. (4 Reg. 24, v. 11 et seq.)

Sedecias, seu Matthanias, à Nabuchodono-

sore constitutus rex, fuit malus. Hic, confirmato regno, cœpit rebellare contrà Nabuchodonosorem; itaque Nabuchodonosor venit cum ingenti exercitu, et obsedit Jerusalem, ab anno nono regni Sedeciæ usque ad undecimum. Quo anno, cùm fames prævaleret in civitate, nec haberent ampliùs panem quem comederent; quâdam nocte fugit rex Sedecias, et omnes bellatores cum eo, per viam quæ ducit ad campestria solitudinis. Tunc exercitus Nabuchodonosoris persecutus est illum, et comprehendit in planitie Jericho. Omnes bellatores qui erant cum eo dispersi sunt, et reliquerunt eum. Indè ductus est ad Nabuchodonosorem in Reblathâ; ubi hæc contigerunt: Nabuchodonosor occidit omnes filios Sedeciæ coràm eo. Oculos ejus effodit. Vinctum catenis duxit in Babylonem. Posteà misit Nabuzardam, principem exercitûs sui, in Jerusalem, qui hæc patravit. Templum Domini, domum regiam, et omnes domos Jerusalem combussit igne. Muros Jerusalem in circuitu destruxit. Omnia vasa et ornamenta templi abstulit. Quotquot residui erant in civitate, vel occidit, vel abduxit: relictis tantùm vinitoribus et agricolis. His præfecit Godoliam. Et hæc fuit tertia captivitas Babylonica, sub quâ periit regnum Juda. (4 Reg. 25, et 2 Paral. 36, v. 13 et seq.) Nota, hæ tres captivitates contigerunt propter peccata Judæorum. Cùm enim Deus per prophetas nihil apud eos efficeret; voluit illos bellis, cædibus, et captivitatibus castigare, ut sic tandem ad saniorem mentem redirent.

Hæc sufficiant de regibus Juda. Sequuntur reges Israel, qui omnes post factam regni divisionem, fuerunt impii et idololatræ. Auctor idololatriæ, ut paulò post dicam, fuit Jeroboam. Habuerunt primariam regni sedem, primò quidem in Sichem, tribûs Ephraïm: deindè in Thersâ, tribûs Manasse; postremò in Samariâ, quæ erat in finibus tribûs Ephraim, propè tribum Manasse. Duravit hoc regnum usque ad annum sextum regni Ezechiæ, regis Juda. Tunc enim filii Israel ab Assyriis in captivitatem ducti sunt.

Igitur primus rex Israel, post mortem Salomonis, fuit Jeroboam, filius Nabat, Ephratæus, et à Deo speciatim electus per Ahiam, Silonitem prophetam, cum promissione, ut si Deo adhæreret, et mandata ejus custodiret, in regno confirmaretur, non solùm ipse, sed etiam posteri ejus (3 Reg. 11, v. 29 et seq.); sed dupliciter peccavit. Primò, quia fuit ingratus pro beneficio. Nam statìm accepto regno, recessit à Deo, et factus est idololatra. Secundò, fuit incredulus. Non enim credebat regnum suum stabiliendum à Deo, sed per propriam prudentiam et industriam. Res sic contigit. Soliti erant filii Israel ter singulis annis ire in Jerusalem, ut ibi orarent, et Deo offerrent sacrificia. Timebat ergò Jeroboam ne, si deinceps id facerent, redirent ad obedientiam Roboam, regis Juda, filii Salomonis, qui habitabat in Jerusalem et erat legitimus regni hæres, à quo defecerant; et sic ipse regni administratione excluderetur. Ne id fieret, excogitato pessimo consilio, conflavit duos vitulos aureos, et dixit filiis Israel: *Nolite ultrà ascendere in Jerusalem; ecce dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terrâ Ægypti. Posuitque unum in Bethel, alterum in Dan.* (3 Reg. 12, v. 28-29.) Et sic effecit, ut filii Israel, relicto Deo, fierent idololatræ, et vitulos aureos adorarent. Undè sæpè de illo dicitur: *Qui peccare fecit Israel.* Et quia reliqui reges Israel exemplum ipsius imitati sunt, solet de illis dici: *Ambulavit in viâ Jeroboam, et in peccatis ejus quibus peccare fecit Israel.*

Deindè exstruxit altare in Bethel; constituit novos sacerdotes ex infimâ plebe, qui non erant de filiis Levi; instituit solemnitatem, mense octavo, die 15 mensis celebrandam, similem ei que celebrabatur in Jerusalem; et in istâ solemnitate ipse tanquàm pontifex obtulit solemnes victimas et incensum adolevit. (3 Reg. 12, v. 31 et seq.) Propter hanc impietatem variis modis à Deo punitus est. Altare scissum est in quo ipse incensum adolebat. Exaruit manus illius. Albia, filius ejus, mortuus est. Tota familia paulò post deleta. Omnes, qui ex familiâ ipsius interfecti sunt, manserunt insepulti, et à canibus et feris dilacerati sunt. Regnum ad aliam familiam translatum. Quæ omnia fusè narrantur, 3 Reg. 13 et 14. De reliquis regibus, qui Jeroboam successerunt, nihil necesse est dicere. Constat fuisse impios.

Quæstio v. — *Quomodò creati sint reges Hebræorum.* — Dicam 1° De creatione. 2° De inauguratione. 3° De unctione. Igitur quod ad creationem attinet, notandum est, reges variis titulis creari, seu jus regni adipisci posse. 1° Electione. 2° Successione. 3° Jure belli. 4° Vi et tyrannide. 5° Donatione. 6° Emptione aut permutatione. 7° Adoptione. 8° Superioris aut potentioris auctoritate. Et si qui alii sunt.

Est ergo quæstio: Quo titulo reges Hebræorum ad regnum pervenerint? Alii putant, electione seu suffragiis populi creatos esse, et regnandi potestatem accepisse. Ità Carolus Sigo-

nius, et Guilielmus Barclaius, apud Pinedam, lib. 2 de rebus Salomonis, c. 2. Quod dupliciter probari potest. Primò, quia Deus permisit populo jus suffragii in eligendo rege, juxtà illud Deut. 17, v. 15 : *Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non sit frater tuus.* Secundò, quia constat multos à populo electos esse. Sic electus est Saül, 1 Reg. 12, v. 13 : *Nunc ergò præstò est rex vester, quem elegistis et petiistis.* Sic David, 2 Reg. cap. 5, v. 1-3 : *Venerunt universæ tribus Israel ad David in Hebron... unxeruntque David in regem super Israel.* Sic Salomon, 1 Paral. 29, v. 23 : *Seditque Salomon super solium Domini in regem pro David patre suo, et cunctis placuit,* id est, cuncti consenserunt et suffragati sunt. Sic Roboam, 3 Reg. 12, v. 1 : « Venit autem Roboam in Si« chem ; illùc enim congregatus erat omnis « Israel ad constituendum eum regem. » Sic Jeroboam, ibid., v. 20 : « Factum est autem « cum audisset omnis Israel, quòd reversus es« set Jeroboam, miserunt, et vocaverunt eum, « congregato cœtu, et constituerunt eum re« gem super omnem Israel. » Sic Ochozias, 2 Par. 22, v. 1 : « Constituerunt autem habitato« res Jerusalem Ochoziam, filium ejus mini« mum, regem pro eo. » Sic Ozias, 2 Paral. 26, v. 1 : « Omnis autem populus Juda, filium « ejus Oziam annorum sedecim, constituit re« gem pro Amasiâ, patre suo. » Sic Josias, 2 Par. 33, v. 25 : « Reliqua populi multitudo, « cæsis iis qui Amon percusserant, constituit « regem Josiam, filium ejus, pro eo. » Sic Joachaz, 2 Par. 36, v. 1 : « Tulit ergò populus « terræ Joachaz, filium Josiæ, et constituit « regem pro patre suo in Jerusalem. » Resp. : Aliud est loqui de jure, aliud de facto. Si loquamur de jure, non poterat alius constitui vel creari rex à populo, nisi qui à Deo electus et designatus esset, juxtà illud Deut. 17, v. 15 : *Eum constitues* (regem) *quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum.* Et quia hoc non semper servatum est, ideò conqueritur Deus apud Oseam, cap. 8, v. 4 : *Ipsi regnaverunt, et non ex me.* Si autem loquamur de facto, servandæ sunt sequentes conclusiones.

Prima conclusio. Aliqui per electionem divinam creati sunt reges Hebræorum, ut Saül, David, Jeroboam, Baasa, Jehu. Nam Saül à Samuele jussu Dei privatìm unctus est in regem, nec præsente, nec sciente populo, 1 Reg. 10, v. 1 : « Tulit autem Samuel lenticulam « olei, et effudit super caput ejus.... et ait : Ec« ce, unxit te Dominus super hæreditatem « suam in principem. » Hoc enim mandaverat Deus Samueli, 1 Reg. 9, v. 16 : « Hàc ipsâ ho« râ, quæ nunc est, cràs mittam virum ad te « de terrâ Benjamin, et unges eum ducem su« per populum meum Israel. » Posteà per sortes, Deo item dirigente, publice electus est, 1 Reg. 10, v. 20-21 : « Applicuit Samuel omnes « tribus Israel et cecidit sors tribûs Ben« jamin. Et applicuit tribum Benjamin et « cognationes ejus, et cecidit cognatio Me« tri, et pervenit usque ad Saül, filium Cis. » Huic electioni à Deo factæ consensit populus dicens : *Vivat rex!* Non tamen omnis populus, sed pauci duntaxat, *quorum tetigerat Deus corda,* ut loquitur Scriptura ibid., v. 26. Idem constat de Davide. Cùm enim Saül à Deo rex constitutus, ut dixi, non obediret Deo, abjecit illum Deus, et regnum ejus transtulit in Davidem, 1 Reg. 13, v. 13-14 : « Dixitque Samuel « ad Saül : Stultè egisti, nec custodisti man« data Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod « si non fecisses, jam nunc præparasset Domi« nus regnum tuum super Israel in sempiter« num; sed nequaquàm regnum tuum ultrà « consurget. Quæsivit Dominus sibi virum « juxtà cor suum : et præcepit ei Dominus ut « esset dux super populum suum. » Et cap. 15, v. 28 : « Et ait ad eum Samuel . Scidit Domi« nus regnum Israel à te hodie, et tradidit illud « proximo tuo, meliori te. » Et Act. 13, v. 22: « Et amoto illo (*Saüle*) suscitavit illis David « Regem. » Similiter de Jeroboam, qui à Deo per Prophetam monitus est, quòd factâ regni Salomonis divisione, ipsi futurus esset rex super decem tribus, 3 Reg. 11, v. 31 : « Et ait « (Ahias) ad Jeroboam : Tolle tibi decem scis« suras; hæc enim dicit Dominus Deus Israel : « Ecce ego scindam regnum de manu Salomo« nis, et dabo tibi decem tribus. » Et de Baasâ, cui Dominus dixit per prophetam, 3 Reg. 16, v. 2 et seq. : « Pro eo quòd exaltavi te de « pulvere et posui te ducem super populum « meum Israel; tu autem ambulâsti in viâ Je« roboam, et peccare fecisti populum meum Is« rael, ut me irritares in peccatis eorum; ecce, « ego demetam posteriora Baasa, et posteriora « domûs ejus, et faciam domum tuam sicut do« mum Jeroboam, filii Nabat. Qui mortuus fue« rit de Baasâ in civitate, comedent eum ca« nes; et qui mortuus fuerit ex eo in regione, « comedent eum volucres cœli. » Et de Jehu, qui à prophetâ jussu Dei in regem Israel unctus est, 3 Reg. 19, v. 15-16 : « Ait Dominus ad « eum (Eliam intellige) : vade, et revertere in

« viam tuam per desertum in Damascum; cùmque perveneris illùc, unges Hazael regem « super Syriam, et Jehu, filium Namsi, unges « regem super Israel. » Et 4 Reg. 9, 1 et seq.: « Tolle lenticulam olei..... et vade in Ramoth « Galaad. Cùmque veneris illùc, videbis Jehu... « Tenensque lenticulam olei, fundes super caput ejus, et dices: Hæc dicit Dominus: Unxi « te regem super Israel. » De unctione dicam plura quæst. 7.

Secunda conclusio. Aliqui facti sunt reges per successionem, ut Salomon, Roboam, et plerique alii reges Juda. Itemque ex regibus Israel, Nadab, Ela, Achab, Ochozias, Joram, Joachaz, Joas, Jeroboam, Zacharias, Phaceia. Hi enim suis parentibus in regno successerunt, ut ex Scriptura patet. Sed notandum est, hanc successionem aliquandò conjunctam fuisse, vel cum expressâ Dei, vel cum expressâ hominum electione. Prius patet exemplo Salomonis, qui quidem successit Davidi, patri suo, in regno, sed ex peculiari Dei ordinatione, ut fatetur ipsemet David, 1 Paral. 28, v. 5: « De « filiis meis (filios enim mihi multos dedit Do« minus) elegit Salomonem, filium meum, ut « sederet in throno regni Domini super Is« rael. » Et similiter Salomon, 2 Paral. 1, v. 9: « Tu enim me fecisti regem super populum « tuum multum. » Et Sapient. 9, v. 7: « Tu « elegisti me regem populo tuo. » Posterius constat exemplo Abiæ, quem Roboam, pater ejus, præ aliis suis filiis designavit regem (2 Paral. 11, v. 22-23): « Constituit verò in capite, Abiam, « filium Maacha, ducem super omnes fratres « suos; ipsum enim regem facere cogitabat, « quia sapientior fuit, et potentior super om« nes filios ejus. »

Tertia conclusio. Aliqui facti sunt reges per vim et tyrannidem, ut Athalia in regno Juda, et Zambri, Sellum, Manahem, Phacee, Osee, in regno Israel. De Athaliâ sic legimus, 4 Reg. 11, v. 1: « Athalia verò, mater Ochoziæ, vi« dens mortuum filium suum, surrexit et in« terfecit omne semen regium. » Et posteà, v. 3, subditur: « Porrò Athalia regnavit super « terram. » De Zambri, 3 Reg. 16, v. 9: « Re« bellavit contrà eum (Elam, filium Baasa) ser« vus suus Zambri. » Et infrà, v. 10: « Irruens « ergò Zambri, percussit et occidit eum..... et « regnavit pro eo. » De Sellum, 4 Reg. 15, v. 10: « Conjuravit autem contrà eum (Zacha« riam regem) Sellum filius Jabes; percussitque « eum palàm, et interfecit, regnavitque pro « eo. » De Manahem, ibid., v. 14: « Et ascen« dit Manahem, filius Gadi, de Thersâ; venitque « in Samariam, et percussit Sellum, filium « Jabes, in Samariâ et interfecit eum, re« gnavitque pro eo. » De Phacee, ibid., v. 25: « Conjuravit autem adversùs eum (Paceiam, « filium Manahem) Phacee, filius Romeliæ, « dux ejus, et percussit eum in Samariâ, in « turre domûs regiæ... et cum eo quinquaginta « viros de filiis Galaaditarum, et interfecit « eum, regnavitque pro eo. » Denique de Osee, ibid., v. 30: « Conjuravit autem, et tetendit « insidias Osee, filius Ela, contrà Phacee, fi« lium Romeliæ, et percussit eum, et interfe« cit; regnavitque pro eo. »

Quarta conclusio. Aliqui facti sunt reges Hebræorum à regibus Gentilium; ut Joakim à Pharaone, rege Ægypti; et Sedecias à Nabuchodonosore, rege Babylonis. Nam Pharao deposuit Joachaz, regem Juda; et vinctum duxit in Ægyptum, ac in ejus locum substituit Eliacim, filium Josiæ. (4 Reg. 23, v. 34.) Similiter Nabuchodonosor, captâ Jerusalem, deposuit Joachim, regem Juda, et captivum transtulit in Babylonem, subrogato in locum ejus Sedeciâ. (4 Reg. 24, v. 15.)

Argumenta, quæ initio allata sunt, nihil aliud probant, quàm populum publicè ac solemniter approbâsse quorumdam regum, vel electionem, vel successionem: quod non negamus. Sic enim fieri solet, etiam hoc tempore. Quandò etiam eligitur novus princeps aut rex, vel quandò filius succedit patri in regno vel principatu, solet populus applaudere, et consentire.

Quæstio vi. — *Quo ritu inaugurati fuerint reges Hebræorum?* — Boni auctores tradunt varios ritus ac cæremonias quæ adhiberi solent in publicâ regum consecratione, seu inauguratione. Sunt autem hæ potissimùm: Futurus rex in throno seu solio collocabatur. (3 Reg. 1, v. 48.) Ungebatur à summo sacerdote. (3 Reg. 1, v. 39, et 2 Paral. 23, v. 11.) Ponebatur diadema super caput ejus. (4 Reg. 11, v. 12, et 2 Paral. 23, v. 11.) Dabatur illi in manus liber Deuteronomii, in quo lex erat scripta. (2 Paral. 23, v. 11.) Jurabat in legis observationem. (Psal. 118, v. 106.) Clamabatur à populo: Vivat rex! (1 Reg. 10, v. 24, et 8 Reg. 1, v. 39, et 4 Reg. 11, v. 12.) Fiebant sacrificia omnis generis. (1 Reg. 11, v. 15.) Edebantur varia lætitiæ et approbationis signa. (1 Reg. 11, v. 15, et 3 Reg. 1, v. 40.) Vide Abulens. 3 Reg 1, quæst. 37, et Serar. 1 Reg. 10, in Comment.

Notandum tamen est, aliquandò plures, ali-

quandò pauciores ritus fuisse adhibitos, nec semper eo ordine, quo jam enumerati sunt. Quod aliquot exemplis demonstrabo. Inauguratio Saulis describitur 1 Reg. 10, v. 24 : « Clamavit omnis populus, et ait : Vivat rex! » Et cap. 11, v. 15 : « Perrexit omnis populus in Galgalâ, et fecerunt ibi regem Saül coràm Domino in Galgalâ, et immolaverunt ibi victimas pacificas coràm Domino. Et lætatus est ibi Saül, et cuncti viri Israel nimis. »

Inauguratio Salomonis, 3 Reg. 1, v. 38 et seq. : « Descendit ergò Sadoc sacerdos, et Nathan propheta, et Banaias, filius Joiadæ, et Cerethi, et Phelethi; et imposuerunt Salomonem super mulam regis David; et adduxerunt eum in Gihon. Sumpsitque Sadoc sacerdos cornu olei de tabernaculo, et unxit Salomonem; et cecinerunt buccinâ; et dixit omnis populus: Vivat rex Salomon! Et ascendit universa multitudo post eum, et populus canentium tibiis, et lætantium gaudio magno, et insonuit terra à clamore eorum. » Et infrà, v. 47-48 : « Et ingressi servi regis benedixerunt Domino nostro regi David, dicentes : Amplificet Deus nomen Salomonis super nomen tuum, et magnificet thronum ejus super thronum tuum. Et adoravit rex in lectulo suo : et locutus est : Benedictus Dominus Deus Israel, qui dedit hodiè sedentem in solio meo, videntibus oculis meis. » Inauguratio Joas, 4 Reg. 11, v. 12 : « Produxitque (Joiada sacerdos) filium regis, et posuit super eum diadema, et testimonium; feceruntque eum regem, et unxerunt : Et plaudentes manu, dixerunt : Vivat rex! » Et 2 Par. 23, v. 11 : « Et eduxerunt filium regis, et imposuerunt ei diadema, et testimonium; dederuntque in manu ejus tenendam legem, et constituerunt eum regem; unxit quoque illum Joiada pontifex, et filii ejus; imprecatique sunt ei, atque dixerunt : Vivat rex! »

Quæstio vii. — *Quomodò uncti fuerint reges Hebræorum?* — Duplex erat unctio regum apud Hebræos, una privata, altera publica. Privata fiebat antè solemnem inaugurationem; publica in ipsâ solemni inauguratione. Privatìm uncti sunt Saül, David, Jehu. Saül à Samuele, in extremâ parte civitatis, nullo alio præsente. (1 Reg. 9, v. 27.) David ab eodem Samuele, in domo patris sui in Bethlehem. (Reg. 16, v. 13.) Jehu à filio prophetæ, in cubiculo seorsìm, nullo alio conscio. (4 Reg. 9, v. 6.) Publicè uncti sunt David, Salomon, Joas, Joachaz. Et quidem de unctione Salomonis et Joas dictum est quæstione præcedente. De unctione Joachaz sic legimus, 4 Reg. 23, v. 30 : « Tulitque populus terræ Joachaz, filium Josiæ, et unxerunt eum, et constituerunt eum regem pro patre suo. » De Davide notandum est, ter unctum fuisse in regem : 1 privatim a Samuele, in domo patris sui, ut paulò antè dixi. 2° Publicè in Hebron, in regem Juda. (2 Reg. 2, v. 4.) 3° Publicè in Hebron, in regem Israel. (2 Reg. 5, v. 3.)

Quæres an fuerit aliquod discrimen inter unctionem regum et pontificum apud Hebræos? Resp. Fuit triplex discrimen : 1° Quia omnes pontifices ex præscripto legis ungebantur; et nisi uncti essent, non admittebantur ad officium pontificale. (Exod. 29, v. 7, et Levit. 8, v. 2.) At nullum exstabat præceptum Dei, quo omnes reges ad unctionem adstringerentur. 2° Pontifices semper ungebantur publicè coràm populo apud Tabernaculum Domini. (Exod. 29, v. 4, et Lev. 8, v. 3.) At reges aliquandò privatim, aliquandò publicè, ut dictum est. 3° Pontifices ungebantur oleo sancto, id est, unguento composito ex oleo, myrrhâ, cinnamomo, calamo, casiâ. (Exod. 29, v. 7, et Exod. 30, v- 23.) At reges oleo simplici, id est, non composito ex supradictis aromatibus, quod tametsi aliqui negent, verissimum tamen est, et tribus argumentis probari potest. Primum sumitur ex lege Dei. Nam Deus præceperat, ut nullus hominum ungeretur oleo sancto, quale jàm descriptum est, nisi pontifex et sacerdotes. Sic enim legimus Exod. 30, v. 30 et seq. : « Aaron et filios ejus unges, sanctificabisque eos, ut sacerdotio fungantur mihi. Filiis quoque Israel dices : Hoc oleum unctionis sanctum erit mihi in generationes vestras. Caro hominis non ungetur ex eo, et juxtà compositionem ejus non facietis aliud, quia sanctificatum est, et sanctum erit vobis. Homo quicumque tale composuerit, et dederit ex eo alieno, exterminabitur de populo suo. » Ex quo præcepto duo colligimus. 1° Quòd nemo præter Aaronem et filios ejus, id est, præter pontificem et sacerdotes, potuerit ungi oleo sancto, quod ex variis aromatibus confectum erat. 2° Quòd nulli licuerit conficere simile oleum, aut alicui alteri communicare. Alterum sumitur ex phrasi Scripturæ. Nam oleum sanctum, quo pontifex et sacerdotes utebantur, nunquàm in Scripturâ appellatur oleum simpliciter; sed oleum unctionis, vel oleum unctionis sanctum, vel oleum sanctæ unctionis, vel unguentum. Exod. 29, v. 7 : « Oleum unctionis fundes super caput ejus. » Et cap. 30, v. 25 : « Faciesque un-

« ctionis oleum sanctum, unguentum compo« situm opere unguentarii. » Et infrà, v. 31 : « Hoc oleum unctionis sanctum erit mihi. » Et Lev. 21, v. 12 : « Oleum sanctæ unctionis Dei « sui super eum est. « Et alibi sæpiùs. Et ratio est, quia non erat oleum simplex ac purum, sed unguentum confectum ex oleo et variis aromatibus, ut jam antè dixi; ac proindè non oleum simpliciter, sed oleum unctionis, vel unguentum appellari debuit. At oleum, quo reges ungebantur, nunquàm appellatur oleum unctionis, aut unguentum, sed oleum simpliciter, quia non erat compositum ex oleo et aromatibus, sed purum ac simplex oleum. 1 Reg. 10, v. 1 : « Tu« lit autem Samuel lenticulam olei, et effudit « super caput ejus, » id est, Saülis. Et cap. 16, v. 13 : « Tulit ergo Samuël cornu olei, et unxit « eum (Davidem scilicet) in medio fratrum « ejus. » Et 4 Reg. 9, v. 1 : « Tolle lenticulam « olei.... et fundes super caput ejus, » nempè Jehu. Hinc infero, reges non fuisse unctos oleo composito, quo pontifex et sacerdotes ungebantur, sed oleo puro ac simplici. Tertium sumitur ex illis verbis Lev. 21, v. 10 et seq. : « Pontifex, id est, sacerdos maximus inter fra« tres suos, super cujus caput fusum est un« ctionis oleum, et cujus manus in sacerdotio « consecratæ sunt, vestitusque est sanctis ve« stibus, caput suum non discooperiet, vesti« menta non scindet, et ad omnem mortuum « non ingredietur omninò; super patre quoque « suo et matre non contaminabitur. Nec egre« dietur de Sanctis, ne polluat sanctuarium « Domini, quia oleum sanctæ unctionis Dei sui « super eum est; ego Dominus. » In quibus verbis continetur hæc lex, ut pontifex externo ritu non lugeat mortuos, nec egressus è sanctuario, prosequatur funera mortuorum, nequidem parentum suorum. Et ratio legis additur, quia oleum sanctæ unctionis fusum est super caput ejus, ac proindè nullo modo debet contaminari. Contaminaretur autem si lugeret mortuos, aut funera eorum prosequeretur. Undè sic argumentor : Ideò pontifex non poterat lugere mortuos, aut eorum funera prosequi, quia oleum sanctæ unctionis fusum erat super caput ejus. At reges poterant lugere mortuos, et prosequi funera mortuorum. Hoc enim fecit David in morte Saülis et Jonathæ, juxtà illud 2 Reg. 1, v. 11-12 : « Apprehendens au« tem David vestimenta sua scidit, omnesque « viri qui erant cum eo, et planxerunt, et fle« verunt, et jejunaverunt usque ad vesperam, « super Saül et super Jonathan filium ejus. » Ergò oleum sanctæ unctionis non erat fusum super caput regum.

Ubi notandum est discrimen inter pontificem, sacerdotes et reges. Solus pontifex ungebatur oleo unctionis in capite, et ideò non lugebat ullos mortuos, nequidem parentes. Sacerdotes non ungebantur quidem in capite, sed tamen in vestibus aspergebantur, partim in sanguine arietis immolati, partim oleo sanctæ unctionis. (Exod. 29, v. 21.) Et ideò poterant quidem lugere propinquos et consanguineos, non tamen alios. (Levit. 21, v. 2.) Reges nec in capite, nec in vestibus habebant oleum sanctæ unctionis, sed oleum simplex et vulgare; et ideò poterant lugere omnes mortuos, quos volebant. Sic David luxit filium suum Absalonem. (2 Reg. 18, v. 33, et cap. 19, v. 1.) Sic luxit Abner, filium Ner, et feretrum illius ad sepulturam secutus est. (Reg. 3, v. 31.)

Præter hæc tria argumenta, quæ videntur esse solida, accedunt alia tria, valdè probabilia. Primum, quia oleum sanctæ unctionis non poterat attrectari, nisi à pontifice et sacerdotibus : at Saül, David, Jehu, non sunt uncti à pontifice vel sacerdotibus, sed à prophetis; non ergò uncti sunt oleo sanctæ unctionis. Alterum, quia Elias propheta à Deo jussus est ungere Jehu in regem Israel, et Hazaelem in regem Syriæ, et Eliseum in prophetam. (3 Reg. cap. 19, v. 15-16.) Et verisimile est, quòd ex eàdem lenticulà, vel ex eodem cornu olei potuisset eos ungere. At Hazaelem non poterat ungere oleo sanctæ unctionis, quia erat homo gentilis; ergò verisimile est, nec Jehu, nec Eliseum oleo sancto, sed simplici unctos esse. Tertium, quia David ter unctus est, ut suprà dixi. Nec credibile est, toties unctum esse oleo sancto; quia nequidem pontifex, pro quo factum erat oleum sanctum, toties ungebatur.

Dices : David et Salomon videntur uncti esse oleo sancto. De Davide constat ex illo, Psal. 88, v. 21. « Inveni David, servum meum; oleo « sancto meo unxi eum, » De Salomone, ex illo, 3 Reg. 1, v. 39 : « Sumpsitque Sadoc sa« cerdos cornu olei de tabernaculo, et unxit « Salomonem. » At oleum quod in tabernaculo asservabatur erat sanctum. Resp. Auctores hìc dissentiunt. Aliqui putant, oleum sanctum commune fuisse regibus et sacerdotibus. Hoc jam refutatum est. Alii Davidem et Salomonem ex peculiari dispensatione unctos esse oleo sancto. Ità Genebrard. in Psal. 88, v. 21, ubi ex cabalà et traditione Hebræorum hæc asserit, 1° ex consilio Samuelis et prophetarum illius

temporis, dispensatum fuisse cum Davide et reliquis regibus familiæ davidicæ, ut ungerentur oleo sacerdotali; non autem cum aliis regibus. Itaque Saülem, Jehu, Hazaelem, non fuisse unctos oleo sacerdotali. 2° Id propterea factum esse, quia Christus erat nasciturus ex familiâ Davidis. 3° Externam et corporalem unctionem Davidis et Salomonis, fuisse typum et figuram internæ et spiritualis unctionis Christi. 4° Tametsi pontifices et reges familiæ Davidis fuerint uncti eodem oleo sancto; reges tamen unctos fuisse per modum coronæ: pontifices, per modum crucis decussatæ. 5° Illud oleum sanctum (quod à Moyse confectum erat) durâsse à tempore Moysis usque ad captivitatem Babylonicam, id est, per nongentos annos; et tametsi omnes pontifices et reges familiæ Davidis, ex eo fuerint uncti, nunquàm tamen diminutum esse, sed per miraculum integrum perstitisse. 6° Pontifices post captivitatem Babylonicam unctos fuisse oleo novo, quod ad similitudinem prioris erat confectum. Alii rectiùs sentiunt, nec Davidem, nec Salomonem, nec ullum alium regem potuisse ungi oleo pontificali. Ità Oleaster, Cajet. Lipoman. quos citat et sequitur noster Lorin. in Ps. 88, v. 21. Et hoc convincunt argumenta superiùs à nobis allata. Nec obstat illud: *Oleo sancto meo unxi eum;* nam indè non sequitur, Davidem unctum fuisse oleo unctionis, seu unguento composito ex oleo et variis aromatibus (de quo solo hìc disputamus), sed tantùm, unctum fuisse oleo sancto; at oleum sanctum latiùs patet quàm oleum unctionis pontificale. Cùm enim duplex oleum fuerit usitatum in lege Mosaicâ; alterum compositum ex oleo et aromatibus, alterum simplex ac purum, utrumque poterat dici sanctum, sed diverso modo. Oleum unctionis dicebatur sanctum, quia per illud sanctificabantur et consecrabantur pontifices et sacerdotes. Oleum simplex, quo unctus est David, et alii reges et prophetæ, dicebatur sanctum, ratione mysterii, quia erat figura illius olei, quo posteà sanctificatus est Christus. Undè sicut de Davide dicitur: *Oleo sancto meo unxi eum;* ità de Christo: « Unxit te Deus, Deus tuus, « oleo lætitiæ, præ consortibus tuis. (Ps. 44, « v. 8.) »

Neque verum est, quod objicitur, non aliud oleum quàm oleum unctionis, quo ungebantur pontifices et sacerdotes, asservatum fuisse in tabernaculo. Nam præter illud asservabatur etiam oleum, quo quotidiè lucernæ instaurabantur à sacerdotibus, de quo Levit. 24, v. 2-3: « Præcipe filiis Israel, ut afferant tibi « oleum de olivis purissimum, ac lucidum, ad « concinnandas lucernas jugiter, extrà velum « testimonii in tabernaculo fœderis. » Cur similiter non poterat asservari oleum pro ungendis regibus et prophetis?

Quod dicitur de factâ dispensatione, non est probabile. Nam neque Samuel, neque alii prophetæ poterant dispensare in lege divinâ, quæ vetabat ne quis a'ius præter pontifices et sacerdotes, ungeretur oleo unctionis. Multò minùs alii, ex eorum consilio, poterant dispensare. Quod additur, unctionem Davidis fuisse figuram unctionis Christi, lubens concessero. De quo paulò post. Nec improbabile est oleum unctionis per nongentos annos, sine ullâ suî diminutione, suffecisse pro ungendis pontificibus et sacerdotibus. Nam etiam Remis in Galliâ, conservatur ampulla cum sacro chrismate, quæ similiter sine ullâ suì diminutione, per mille et centum annos suffecit pro ungendis regibus. De quâ Genebrard. et Lorin. loco cit. Reliqua quæ adferuntur, parùm ad rem faciunt.

Quæres quarè reges fuerint uncti in vetere Testamento; non disputo jàm de genere olei, de quo satis dictum est, sed de ipsâ unctione, quarè adhibita fuerit in regum inauguratione? Resp. Adhibita fuit propter has causas, scilicet ut sicut per unctionem pontificum significabatur summa illorum dignitas et excellentia inter ministros Synagogæ; ità per unctionem regum significabatur summa illorum dignitas et excellentia inter principes seculares. (Abul. in 1 Reg. 10, quæst. 1.) Ut etiam per hanc cæremoniam insinuaretur regibus dari gratiam et robur animi ad defensionem religionis et subditorum (Augustinus, Triumphus de potest. Eccles. quæst. 38, art. 2). Ut insuper repræsentarent Messiam, sivè Christum regem. Sicut enim pontifices per suam unctionem erant figura Christi pontificis, ità reges per suam unctionem erant figura Christi regis. Undè reges in Scripturâ vocabantur Christi Domini, ut patet 1. Reg. 24, v. 7, ubi David, loquens de Saüle, ait: « Propitius sit mihi Dominus, ne « faciam hanc rem Domino meo, Christo Do- « mini, ut mittam manum meam in eum, quia « Christus Domini est. » Et 2 Reg. 1, v. 14, de eodem. « Quarè non timuisti mittere manum « tuam, ut occideres Christum Domini? » Et Psalm. 104, v. 15: « Nolite tangere Christos « meos. » Et Isai. 45, v. 1: « Hæc dicit Domi- « nus Christo meo Cyro, » (Vide Serar., l. 1 Reg. cap. 10, in Comment.)

QUÆSTIO VIII. — *Quod fuerit officium regum apud Hebræos?* — Officium regis summatim describitur Deut. 17, v. 18 et seq. his verbis : « Postquàm autem sederit in solio regni sui, « describet sibi Deuteronomium legis hujus in « volumine accipiens exemplar à sacerdotibus « leviticæ tribûs, et habebit secum, legetque « illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat ti« mere Dominum Deum suum, et custodire « verba et cæremonias ejus, quæ in lege præ« cepta sunt. Nec elevetur cor ejus in super« biam super fratres suos, neque declinet in « partem dexteram vel sinistram, ut longo tem« pore regnet ipse, et filii ejus super Israel. »

Hìc tria potissimùm præscribuntur regi. Primò, ut habeat apud se exemplar legis Deuteronomii; illud assiduè legat; præcepta ejus custodiat. Quod etiam mandatum fuit Josue, cap. 1, v. 8 : « Non recedat volumen legis « hujus ab ore tuo; sed meditaberis in eo die« bus ac noctibus, ut custodias et facias omnia « quæ scripta sunt in eo; tunc diriges viam « tuam, et intelliges eam. » Contrà hoc peccârunt aliqui reges Juda; præsertìm qui Josiam proximè præcesserunt. Nam tempore Josiæ, repertus est liber Deuteronomii in domo Domini, ubi multo tempore latuerat occultus et incognitus. (2 Paral. 34, v. 14.) Undè necesse est, proximos illius antecessores, Manassen, et Amon, nec habuisse, nec servâsse legem Deuteronomii. Quod etiam dicendum est de regibus Israel, qui omnes, ut dixi, fuerunt idololatræ. Longè aliter David, qui de seipso fatetur, psal. 118, v. 97 : *Quomodò dilexi legem tuam Domine? Totâ die meditatio mea est.* Secundò, ut non superbè efferat se suprà fratres suos, id est, suprà Hebræos, vel suprà gentem suam. Rex enim debebat eligi ex gente Hebræorum, Hebræus ex Hebræis, juxtà illud Deut. 17, v. 15 : *Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non sit frater tuus.* At frater non debet se superbè elevare suprà fratrem. Non quòd non possit auctoritate vel jurisdictione, aut alio titulo esse superior suo fratre; sed quòd non debeat prætextu regiæ dignitatis et eminentiæ, vel o primere subditos, vel facere contrà fraternam charitatem. Contrà hoc peccavit Salomon, qui gravissimum jugum imposuit suis subditis, immoderatas exactiones et tributa ab iis exigendo. (3 Reg. 12, v. 4.) Et Roboam, filius ejus, qui rogatus ut minueret aliquid de gravissimo illo jugo, respondit : *Pater meus posuit super vos jugum grave; ego autem addam super jugum vestrum; pater meus cæcidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus* (ibid.). Et Achab, qui injustè occidit Naboth, et vineam ejus occupavit. (3 Reg. 21, v. 14 et seq.) Et alii multi. Tertiò, ut non declinet in partem dexteram vel sinistram. Quod potest dupliciter intelligi, vel ut servet justitiam, et ab eâ non declinet, vel in dexteram vel in sinistram partem; quod solet fieri vel ex favore et acceptione personarum, vel ex spe lucri et utilitatis; vel ex odio, aut aliâ perversâ affectione. Etiam ut constanter et perfectè custodiat legem Dei. Hic sensus colligitur ex illo Deut. 28, v. 13 : « Si tamen « audieris mandata Domini, Dei tui, quæ ego « præcipio tibi hodiè.... ac non declinaveris « ab eis, nec ad dexteram, nec ad sinistram, « etc. » Et cap. 31, v. 29 : « Novi, quòd post « mortem meam iniquè agetis, et declinabitis « citò de viâ, quam præcepi vobis, » id est, non eritis constantes in observatione legis Dei. Et Josue 1, v. 7 : « Confortare igitur, et esto « robustus valdè ; ut custodias, et facias om« nem legem, quam præcepit tibi Moyses ser« vus meus; ne declines ab eâ, ad dexteram « vel ad sinistram. » Ubi hortatur illum ad constantiam in observatione legis. Hanc constantiam habuit David, ps. 118, v. 157 : « Multi qui persequuntur me, et tribulant me ; « à testimoniis tuis non declinavi. » Non habuit Saül, Salomon, Roboam, Jeroboam, Joas, Amasias, qui initio quidem servârunt legem, sed posteà ab eâ declinaverunt, et impii facti sunt. De quibus suprà.

Præmium autem temporale, quod constitutum est regi, qui hæc tria servaverit, insinuatur illis verbis : *Ut longo tempore regnet ipse, et filii ejus, super Israel.* Quod non contigit Saüli, qui post biennium amisit jus regni, nec potuit illud transferre in filios suos, sed in familiam Davidis à Deo translatum est. Nec Salomoni, qui filio suo reliquit minimam regni partem. Nec Jeroboam, Baasa, Jehu; et similibus, qui propter peccata sua meruerunt spoliari regno, vel in se, vel in proximis filiis suis; neque potuerunt ultrà tertium aut quartum hæredem, illud propagare. Quò spectant sequentia testimonia, 1 Reg. 13, v. 13-14 : « Dixitque Sa« muel ad Saül : Stultè egisti, nec custodisti « mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. « Quòd si non fecisses, jàm nunc præparâsset « Dominus regnum tuum super Israel in sem« piternum, sed nequaquàm regnum tuum ul« trà consurget. » Et cap. 15, v. 26 : « Projeci« sti sermonem Domini, et projecit te Dominus

« ne sis rex super Israel. » Et infrà, v. 28 : « Scidit Dominus regnum Israel à te hodie, et « tradidit illud proximo tuo meliori te. » Et Eccli. 10, v. 8 : « Regnum à gente in gentem « transfertur propter injustitias, et injurias, et « contumelias, et diversos dolos. Non desunt exempla christianorum regum ac principum.

Quæstio ix. — *Quod fuerit jus regum in subditos?* — Hoc Samuel ostendit, 1 Reg. 8, v. 11 et seq., his verbis : « Hoc erit jus regis, qui « imperaturus est vobis : Filios vestros tollet et « ponet in curribus suis, facietque sibi equites « et præcursores quadrigarum suarum, et « constituet sibi tribunos, et centuriones, et « aratores agrorum suorum, et messores se- « getum, et fabros armorum et curruum suo- « rum. Filias quoque vestras faciet sibi un- « guentarias, et focarias, et panificas. Agros « quoque vestros, et vineas et oliveta optima « tollet, et dabit servis suis. Sed et segetes ve- « stras, et vinearum reditus addecimabit, ut « det eunuchis et famulis suis. Servos etiam « vestros, et ancillas, et juvenes optimos, et « asinos auferet, et ponet in opere suo, greges « quoque vestros addecimabit, vosque eritis ei « servi. Et clamabitis in die illâ à facie regis « vestri, quem elegistis vobis; et non exaudiet « vos Dominus in die illâ, quia petistis vobis « regem. »

Quæres 1° quale fuerit hoc jus regale? Resp. Fuit jus tyrannicæ potestatis, quod reges Gentilium solent sibi usurpare, ut rectè docet D. Thom. in 1-2, quæst. 105, art. 1 ad 5; Serar. 1 Reg. 8. Torniell. in Annal. anno mundi 2959, n. 3; Azor 2 p. Instit. moral., lib. 11, cap. 4, et plures alii. Et probatur primò, quia tria potissimùm continentur hoc jure. 1° Subditos, qui liberi sunt, facere mancipia et in servitutem redigere. 2° Eorum filios et filias pro libito in propria servitia et commoda destinare. 3° Eorum vineas, agros, oliveta, et alia bona externa, vel penitùs auferre, vel omni tributorum genere vexare. At hæc tria, nec jure naturali, nec divino licita sunt; sed tantùm usurpantur jure quodam, seu consuetudine tyrannorum. Secundò, quia populus petiverat à Samuele talem regem sibi dari, qualem habebant aliæ gentes, 1 Reg. 8, v. 5 : *Constitue nobis regem, ut judicet nos, sicut et universæ habent nationes.* Et infrà, v. 19-20 : *Rex enim erit super nos, et erimus nos quoque sicut omnes gentes.* Itaque volens Samuel, eos deterrere ab hâc petitione (quâ graviter Deum offendebant), prædixit illis jus, quo uti solent reges Gentilium, ut eo audito mutarent sententiam. Tertiò, quia si illud jus, de quo Samuel loquitur, esset verum ac legitimum jus regium, certè Achab rex non peccâsset, petendo vineam Naboth, quia usus fuisset suo jure; sed potiùs peccâsset Naboth, non obtemperando regi utenti suo jure. At hoc falsum est; ergò et illud ex quo sequitur. Quartò, consensit Clem. Alexand., lib. 3 Pædagogi, cap. 4, ubi sic ait : « Deus petenti regem po- « pulo, non humanum pollicetur Dominum, « sed quemdam se insolentem daturum eis mi- « natur tyrannum, libidini et voluptati dedi- « tum. » Et D. Gregor., l. 4 exposit., cap. 1 : « Jura hominum proponuntur contemnentibus « jura Dei, et his qui mitia et salubria divini- « tatis consilia spreverant, dura et importabi- « lia humanæ servitutis onera prædicuntur. » Et ibid. : « Ad hoc propheta grave jus regis « exposuit, ut nequaquàm peteretur. »

Quæres 2° An hoc jus fuerit concessum regibus, ità ut licitè potuerint illud usurpare? Duplex sententia est. Una, fuisse jus concessum, tanquàm bonum, sed respectu Judæorum contumacium, quos tyrannicè gubernari expediebat, in perpetuam eorum pænam et correctionem. Altera, fuisse jus pravum et illegitimum, ac malè usurpatum; sed tamen à Samuele propositum, per modum prædictionis, non approbationis. Prædixit enim, si Judæi peterent sibi regem dari, fore ut rex abuteretur suo jure, et redigeret ipsos in servitutem. Et hâc ratione, ut antè dixi, voluit eos deterrere à petendo rege. Hæc sententia verior est, quam sequitur D. Thomas, Serarius, Azor et Torniellus, locis suprà citatis. Et juxtà hanc sententiam, nomen juris non sumitur pro vero jure, sed pro jure vel consuetudine usurpatâ tyrannis, ut sensus sit : Reges vestri sequentur consuetudinem tyrannorum, redigendo vos in servitutem, et vestra iniquè deripiendo. Quod etiam factum est à Salomone, Roboam et Achab.

Notandum est aliud esse regem uti personis et bonis subditorum, quandò id postulat commune bonum totius regni; aliud uti personis et bonis subditorum, in proprium commodum ac libidinem. Prius licet, posterius non licet. Et de posteriori loquitur Samuel. (Vide D. Thomam ibid.)

Quæstio x. — *An reges Hebræorum potuerint habere plures uxores?* — Dicam, 1° quid reipsâ factum sit; 2° quo jure factum. Primò igitur constat, aliquot reges habuisse plures uxores. Saül habuit duas, unam primariam, nomine

Achinoam; alteram secundariam, nomine Respha (quæ aliquandò vocatur concubina; ut 2 Reg. 3, v. 7.) Ex priori genuit tres filios, Jonathan, Jessui, et Melchisua ; et duas filias, Merob et Michol. (1 Reg. 14, v. 49.) Ex posteriori, duos filios, Armoni et Miphiboseth. 2 Reg. 21, v. 8.) David, antequàm regnaret, habuit duas, nempè Achinoam, Jezraelitidem, et Abigail, quæ fuerat uxor Nabal Carmeli. (1 Reg. 25, v. 39 et 43.) Deindè septem annis regnavit in Hebron, super solam tribum Juda. (2 Reg. 2, v. 11, et 3 Reg. 2, v. 11.) Intrà hoc septennium, præter duas supradictas uxores, accepit alias quatuor : Maacha, filiam Tholmai, regis Gessur; Aggith; Abital; Eglam. Habuit igitur sex uxores, et ex iis genuit sex filios in Hebron, singulos filios ex singulis uxoribus : Amnon, primogenitum, ex Achinoâ; Cheleab, ex Abigail; Absalonem, ex Maachâ; Adoniam, ex Agith; Sephatiam, ex Abital; Jethraham, ex Eglâ, 2 Reg. 3, v. 2, et 1 Paral., v. 3. Posteà verò cùm factus esset rex super reliquas tribus, et habitaret in Jerusalem, duxit aliam uxorem, nempè Bethsabee, ex quâ natus est Salomon, qui posteà successit in regno, 2 Reg 11, v. 27. Et hæ omnes fuerunt fœcundæ. Præter has habuit unam, ex quâ nullam suscepit prolem, nempè Michol, filiam Saülis regis, quæ primò quidem fuit illi desponsata à Saüle, 1 Reg. 18, v. 21, deindè rursùs abducta, et alteri tradita, ibidem, cap. 25, v. 44, postremò Davidi restituta, 2 Reg. 3, v. 14. Fuit autem sterilis in pœnam peccati; quia illuserat Davidi, coràm Arcâ Domini saltanti, 2 Reg. 6, v. 20 et 23.

Salomon habuit uxores quasi reginas septingentas, et concubinas trecentas, ut Scriptura loquitur, 3 Reg. 11, v. 3, ubi nomine concubinarum intelliguntur uxores minùs principales, ut notat Serarius. Habuit igitur uxores mille, quarum septingentæ dicuntur *quasi reginæ*, qui vel regio cultu utebantur, vel regum ac principium erant filiæ. Mirum autem est, quòd ex tanto uxorum numero, non nisi unum filium genuerit, nempè Roboam ; eumque ex matre Ammonitide, ut notat Suidas, et ex eo Serarius, 3 Reg. 12 ; sine dubio, fuit pœna peccati, ut paulò post dicam.

Roboam, filius Salomonis habuit uxores octodecim, et concubinas sexaginta. Et genuit 28 filios, et 60 filias, 2 Paral. 11, v. 21. Similiter Abia, filius Roboam, confortato regno suo, accepit uxores 14; et procreavit 22 filios et 16 filias, 2 Paral. 13, v. 21.

Nunc quæstio est, an jure potuerint habere plures uxores, necne? Ratio dubitandi ex unâ parte est, quia polygamia ex peculiari Dei dispensatione fuit Hebræis concessa; ex alterâ, quia regi speciatim fuit prohibita, Deut. 17, v. 17 : *Non habebit uxores plurimas.* Et quia Salomon transgressus est hoc præceptum, ideò peccavit, et punitus est, ut colligitur ex illo 3 Reg. 11, v. 4 : *Depravatum est cor ejus per mulieres.* Resp. Polygamia fuit concessa populo Hebræorum, cum hâc duplici limitatione. Primò, ut non alio fine, quàm prolis propagandæ causâ acciperent plures uxores, ut docet D. Thom. in Suppl. q. 5, a. 2, et alii. Secundò, ut non acciperent uxores alienigenas, seu idololatricas, propter periculum subversionis, Exod. 34, v. 16, et Deut. 7, v. 3. Et hùc spectat illud citatum : *Non habebit plurimas uxores quæ alliciant animum ejus,* nempè ad cultum falsorum deorum. Itaque duplici nomine poterat quis peccare contrà concessionem polygamiæ, vel voluptatis aut libidinis gratiâ plures uxores acciperet, vel si acciperet alienigenas seu idololatricas. Utroque modo peccavit Salomon, tùnc quia plures accepit libidinis gratiâ, juxtà illud 3 Reg. 11, v. 2 : *His itaque copulatus est Salomon ardentissimo amore.* Et in pœnam hujus peccati non habuit ex tot uxoribus et concubinis, nisi unum filium in gratiam Davidis, ne regia Davidis familia deficeret; tùm quia accepit plures alienigenas, à quibus depravatus est; et idololatra factus (Ibidem.) Et in pœnam hujus peccati, scissum est regnum illius, et datum Jeroboam, 3 Reg. 11, v. 11. Verum de polygamiâ dicam plura inferiùs, cap. 21.

Quæstio xi. — *An reges Hebræorum potuerint habere plures equos?* — Videtur hoc illis prohibitum esse, Deut. 17, v. 16 : « Cùmque fuerit constitutus (rex) non multiplicabit sibi « equos. » Et ità sentiunt Haymon et Arias Montanus apud Pinedam, l. 7 de rebus Salom., cap. 14. Et probatur primò quia in Scripturâ nusquàm legimus de equo regio, sed tantùm de mulo vel mulâ regiâ, 2 Reg. 13. v. 29 : « Omnes filii regis ascenderunt singuli mulas « suas, et fugerunt. » Et cap. 18, v. 9 : « Accidit autem, ut occurreret Absalon (filius re« gis) servis David, sedens mulo; » et 3 Reg. 1, v. 38 : « Imposuerunt Salomonem super mulam « regis David. » Secundò, quia Scriptura solet ferè in malam partem loqui de equitibus, tanquàm de rebus propriis Ægyptiorum et aliorum gentilium, ut Exod. 15, v. 1 : « Can-

« temus Domino; gloriose enim magnificatus « est, equum et ascensorem dejecit in mare. » Et Ps. 19, v. 8: « Hi in curribus, et hi in « equis; nos autem in nomine Domini, Dei no- « stri, invocabimus. » Et Ps. 32, v. 17: « Fallax equus ad salutem. » Et Ps. 75, v. 7: « Dormitaverunt qui ascenderunt equos. » Et Ps. 146, v. 10: « Non in fortitudine equi vo- « luntatem habebit. » Et Isaiæ 31, v. 1: « Væ « qui descendunt in Ægyptum ad auxilium, in « equis sperantes! » Et infrà, v. 8: « Ægy- « ptus, homo et non Deus; et equi eorum, « caro, et non spiritus. » Et Zach. 10, v. 5: « Confundentur ascensores equorum. » Undè etiam Dominus exprobrat Judæis quòd more gentilium alant equos, Isaiæ 2, v. 8: « Re- « pleta est terra ejus equis; et innumerabiles « quadrigæ ejus. » Tertiò, idem sentiunt Patres, qui asserunt non solùm regi, sed toti Hebræorum populo prohibitum fuisse usum equorum; ut Origenes, hom. 15 in Josue, et Hieron. in illud Psal. 75, v. 17: « Dormitave- « runt qui ascenderunt equos. » Ubi sic ait: « Præceptum est in lege, ut Hebræus non ha- « beat equos, » et confirmari potest, tùm ex illo Josue 11, v. 6: Equos eorum subnerva- « bis, » ubi Deus mandat Josue, ut pugnaturus contrà reges Gentilium, non accipiat eorum equos, sed potiùs subnervet, id est, pedes et crura eorum incidat, et inutiles reddat. Quare hoc? Quia nolebat populum Hebræorum habere equos more Gentilium. Volebat potiùs debilitari et interfici, quàm ab Hebræis possideri; tùm ex illo Isaiæ 36, v. 8: « Dabo tibi « duo millia equorum, nec poteris ex te præ- « bere ascensores eorum; » ubi Rabsaces, missus à rege Assyriorum, objicit Ezechiæ regi, quòd non habeat homines, qui possunt equos ascendere, eò quòd nullus esset equorum usus apud Hebræos, vel ut interpretatur Hieron., quòd Hebræi non auderent ascendere equos propter legem Dei, quæ id prohibebat. Insuper ex illo 3 Reg. 10, v. 28: « Educebantur equi Salomoni de Ægypto; » quia scilicet in Judæà non erant equi, sed aliundè habebatur; ut notat Hieron. priori loc. cit.: « *Salomon*, inquit, *non habebat equum de Jerusa-* « *lem aut de Judæâ, sed emebat sibi de Ægypto.* »

His non obstantibus, dicendum est, in Deut. non fuisse regi absolutè prohibitum usum equorum, sed excessum et abusum. Hoc enim significat illud: *Non multiplicabit sibi equos*. Excessus autem, seu multiplicatio equorum fuit illi prohibita, triplici de causâ, nempè ne tempore belli confideret in multitudine et robore equorum, contrà illud Psal. 32, v. 17: « Fallax equus ad salutem; in abundan- « tià autem virtutis suæ non salvabitur. » Et illud Isaiæ 31, v. 11: « Væ qui descendunt in « Ægyptum ad auxilium, in equis sperantes! » Ne quoque erigeretur in superbiam, ex nimio equorum fastu ac pompâ. Ne tandem ad alendos tot equos et ad pompam sustinendam, imponeret subditis gravia onera ac tributa. Contrà hanc prohibitionem peccavit Salomon, qui alebat mille quadringentos currus, et duodecim millia equitum, 3 Reg. 10, v. 26, et ad eos alendos, onerabat subditos, ut ipsi posteà apud filium ipsius Roboam conquesti sunt, 3 Reg. 12, v. 4: « Pater tuus durissimum jugum imposuit nobis. »

Ad contraria argumenta sic respondetur: Primùm falsum est reges habuisse tantùm mulas, et non equos. Nam David, cùm in bello superâsset Adarezer, regem Soba, et cepisset equos et quadrigas ipsius, quosdam ex illis sibi reservavit, juxtà illud 1 Paral. 18, v. 4: « Ce- « pit ergò David mille quadrigas ejus, et « septem millia equitum.... subnervavitque « omnes equos curruum, exceptis centum « quadrigis, quas reservavit sibi. » Ex quo facto Davidis duo colligimus, unum, quòd regibus Hebræorum licuerit habere aliquos equos; alioquì peccâsset David aliquos sibi reservando; alterum, quòd non licuerit illis habere nimis multos; et ideò plerosque subnervavit juxtà mandatum Dei, quod Josue datum esse diximus. Secundò illa testimonia nihil aliud probant, quàm quòd Hebræi tempore belli non debuerint fiduciam ponere in multitudine equorum et curruum, sicut faciebant Ægyptii et alii gentiles, sed potiùs in virtute et protectione Dei. Hoc enim disertè significatur illis verbis: « Hi in curribus, et hi in equis; nos « autem in nomine Domini. » Et similiter illis: « Væ qui descendunt in Ægyptum ad auxi- « lium, in equis sperantes, et habentes fidu- « ciam super quadrigis, quia multæ sunt, et « super equitibus, quia prævalidi nimis; et « non sunt confisi super sanctum Israel et Do- « minum non requisiverunt. » Tertiò, eodem sensu, quo regi prohibitum fuit multiplicare equos, fuit etiam prohibitum aliis Hebræis. Nam neque illi debebant tempore belli confidere in equis, sed in Deo. Atque hinc factum est, ut rarus fuerit usus equorum apud Hebræos, antè tempora Salomonis; quia ad agriculturam, vel ad onera portanda utebantur

asinis et aliis jumentis. Salomon introduxit copiam equorum, ad luxum et splendorem Joram et alii reges, ad usum belli, 2 Paral. 21, v. 9 : « Cùmque transisset Joram cum princi« pibus suis, et cuncto equitatu, qui erant « secum, etc. » Reliqua quæ objecta sunt, ex dictis facilè diluuntur. Illud solùm, quod Rabsaces objecit Ezechiæ : « Dabo tibi duo millia « equorum, nec poteris ex te præbere ascen« sores eorum, » indiget explicatione. Sensus est : Vis tu resistere regi meo potentissimo, cùm habeas tàm paucos et imbelles tecum homines, ut ex iis non sint bis mille, qui possint equos ascendere et pugnare? In quo erravit Rabsaces.

Quæstio xii. — *An reges Hebræorum potuerint habere magnas divitias?* — Hoc etiam videtur prohibitum, Deut. 17, v. 16, 17 : Nam sicut ibi dicitur : *Non multiplicabit sibi equos;* et rursùs : *Non habebit uxores plurimas;* ità etiam additur : *Neque argenti et auri immensa pondera.* Sed facilis est responsio. Sicut enim non prohibetur usus uxorum, ità nec usus auri et argenti. Et è contrario, sicut prohibetur excessus et abusus uxorum et equorum, ità etiam excessus et abusus divitiarum. Et quidem triplici titulo, videlicet ne reges, cupiditate auri et argenti, incidant in peccatum avaritiæ. Ne etiam ex eâdem cupiditate spolient suos subditos. Ne tandem, si habeant copiam auri et argenti, in fastum et luxuriam diffluant. Quæ omnia contigerunt Salomoni. Is enim, primò quidem ex cupiditate factus est avarus, ut ipse confitetur, Eccles. v. 2, 8 : *Coacervavi mihi argentum et aurum, et substantias regum, ac provinciarum.* Deindè, spoliavit suos subditos, exigendo immodica tributa et vectigalia, ut suprà ostensum est ex querelâ ipsorum subditorum. Tertiò, in libidinem ac luxuriam prolapsus est, accipiendo septingentas uxores et trecentas concubinas.

Quæres an reges et principes non debeant habere fiscum, in quo recondant aurum et argentum? Resp. : Debent habere quantùm necesse est ad conservationem justitiæ et defensionem patriæ. Sed non debet esse immodicus. Quod eleganter expressit Trajanus imperator, cùm dixit, fiscum suum esse lienem. Sicut enim crescente et intumescente liene cæteri artus et membra tabescunt, ità crescente et intumescente fisco, signum est subditos exhauriri et spoliari. Nota : Duplex vitium cavendum est, unum, ne reges et principes omnia consumant, vel in privata commoda et luxum conferendo; vel in aulicos et consiliarios dissipando. Alterum, ne avaritiæ dediti iniquè exhauriant subditos, et accumulent thesauros sine modo in mensurâ. Utrumque reprehensione dignum.

Quæstio xiii.—*Qui et quales fuerint consiliarii regnum Hebræorum?* — Primò certum est ex Scripturâ, reges Gentiles habuisse apud se viros sapientes, ex quorum consilio agerent omnia, quæ alicujus essent momenti; ut constat de Assuero, rege Persarum, de quo legimus, Esther 1, v. 13 : « Rex.... interrogavit « sapientes, qui ex more regio semper ei ade« rant, et illorum faciebat cuncta consilio, « scientium leges ac jura majorum. Secundò certum est, reges Hebræorum de quibus nunc agimus habuisse etiam suos consiliarios, ut nominatim constat de Davide, Salomone, Roboam, Ochoziâ, Joâ, Oziâ. Davidis consiliarii fuerunt, hi duo potissimùm, Achitophel et Chusai Arachites. (2 Reg. 15, v. 12, et cap. 16, v. 16.) Achitophel posteà defecit à Davide, et adhæsit filio ejus Absaloni. Fuit autem vir prudentissimus, cui Scriptura dat hoc testimonium : « Consilium autem Achitophel, « quod dabat in diebus illis, quasi si quis con« suleret Deum; sic erat omne consilium « Achitophel, et cùm esset cum David, et cùm « esset cum Absalon. » (cap. 16, v. 23.) Tandem, cùm videret consilium suum, quod dederat Absaloni contrà Davidem, negligi, et consilio Chusai postponi, laqueo se suspendit, cap. 17, v. 23 : « Porrò Achitophel videns quòd « non fuisset factum consilium suum, stravit « asinum suum, surrexitque et abiit in domum « et in civitatem suam; et dispositâ domo suâ, « suspendio interiit. » Chusai mansit fidelis Davidi. Et ut magis illi prodesset, accessit ad Absalonem, et simulavit se illi fideliter serviturum, sicut anteà fideliter servierat Davidi patri ipsius. (cap. 16, v. 18.) Idque propterea fecit, ut coram intelligeret, quid Absalon ex consilio Achitophelis moliretur contrà Davidem; ut etiam hoc ipsum consilium suo consilio dissiparet; ut denique Davidem de his omnibus certiorem faceret. Quæ tria ex animi sententiâ successerunt. (cap. 17, per totum.) An autem Chusai hâc suâ simulatione mentitus sit, disputant interpretes : Serarius putat ab officioso mendacio excusari eum non posse. Quod probabile est. Et colligitur ex his ipsius verbis, quæ dixit Absaloni cap. 16, v. 18-19 : « Illius ero, quem elegit Dominus, « et omnis hic populus, et universus Israel,

« et cum eo manebo. Sed, ut et hoc inferam, « cui ego serviturus sum? Nonne filio regis? « Sicut parui patri tuo, ità parebo et tibi. » Priora prudenter, posteriora mendaciter dicta sunt.

Consiliarii Salomonis post mortem ipsius facti sunt consiliarii Roboami, filii Salomonis. Habuit autem Roboam duplices consiliarios, alios senes et expertos, quos acceperat à patre suo ; alios juvenes et inexpertos, qui cum ipso fuerant enutriti. (3 Reg. 12, v. 6-8.) Priores dabant illi sanum consilium, posteriores perniciosum. Hos secutus est Roboam, ideòque et stultè fecit, et majorem regni sui partem amisit. Quò spectat illud Eccli. 47, v. 26 et seq. : « Finem habuit Salomon cum patribus « suis et dereliquit post se de semine suo, gen- « tis stultitiam, et imminutum à prudentiâ, « Roboam. Qui avertit gentem consilio suo, » id est, consilio juvenum quod ipse approbavit.

Ochozias, seductus ab Athaliâ, matre suâ, usus est consiliariis ex domo impiissimi Achab qui erat pater Athaliæ. De quo 2 Paral. 22, v. 4-5 : « Fecit (Ochozias) malum in conspectu « Domini, sicut domus Achab ; ipsi enim fue- « runt ei consiliarii post mortem patris sui, in « interitum ejus. Ambulavitque in consiliis « eorum. Et perrexit cum Joram filio Achab, « rege Israel, in bellum contra Hazael, regem « Syriæ. » Eventus consilii et belli fuit malus, uti ibidem patet. Et hoc insinuat illa particula : *In interitum ejus.*

Joas initio regni habuit optimum consiliarium, Joiadam Pontificem. Et optimè se gessit, quamdiù illius consilio usus est ; pessimè, quandò, mortuo Pontifice, consilio principum aulicorum acquievit, 4 Reg. 12, v. 2 : « Fecit « Joas rectum coràm Domino cunctis diebus, « quibus docuit eum Joiada sacerdos. » Et 2 Paral. 24, v. 17-18 : « Postquàm autem obiit « Joiada, ingressi sunt principes Juda, et « adoraverunt regem ; qui delinitus obsequiis « eorum, acquievit eis. Et dereliquerunt tem- « plum Domini, Dei patrum suorum, servie- « runtque lucis et sculptilibus, et facta est ira « contrà Judam et Jerusalem propter hoc « peccatum. »

Ozias multa præclarè gessit ex consilio et directione Zachariæ videntis. Sic enim de illo legimus, 2 Paral. 26, v. 5 : *Exquisivit Dominum in diebus Zachariæ intelligentis et videntis Deum ; cùmque requireret Dominum, direxit eum in omnibus.* Iste Zacharias (ut notat Lyranus, Dionysius, Cajetanus, putatur fuisse filius Zachariæ pontificis, occisi à rege Joâ ; et consequenter nepos Joiadæ Pontificis, de quo jam dictum est. Itaque per illum, tanquàm prophetam, Ozias rex requirebat, id est, consulebat Deum, et per illum à Deo in suis actionibus dirigebatur. Nota. Joiada Pontifex, et Zacharias videns, quorum alter fuit consiliarius Joæ, alter Oziæ, debent dupliciter spectari, 1° quatenùs erant viri boni et prudentes ; 2° quatenùs alter erat pontifex, alter propheta. Utroque modo poterant dare consilium : priori quidem, ex prudentiâ humanâ posteriori verò, ex oraculo seu responso Dei. Nam pontifices solebant coràm propitiatorio consulere Deum et ab eo responsa accipere. Similiter prophetæ vel per internam locutionem, vel per visiones, vel per alia signa docebantur à Deo de futuris rerum eventibus. Hic posterior modus erat certior priori. Et in eo pontifices et prophetæ superabant alios consiliarios, qui solùm ex solertiâ et prudentiâ humanâ dabant consilium ; et ideò poterant errare. Undè David, Josaphat, et quidam alii reges, ut essent tutiores in conscientiâ, soliti erant in rebus majoris momenti consulere pontifices aut Prophetas, ut cap. 7, qu. 5, item c. 8, explicatum est.

Nota etiam : Joas et Ozias, quod attinet ad præsens institutum, in duobus fuêre similes. 1 Quia ambo benè se gesserunt initio regni, eò quòd ambo haberent bonos consiliarios ac directores, Joas quidem Joiadam pontificem ; Ozias verò Zachariam videntem ; 2° Ambo posteà, mortuis illis consiliariis, degenerârunt. Nam Joas, mortuo Joiadâ pontifice, concessit publicum idololatriæ exercitium; et Ozias, mortuo Zachariâ vidente, temerè usurpavit sibi officium sacerdotale. Ex quo manifestè apparet, salutem regum ac principum, magnâ ex parte, pendere à consiliariis. Qui si tales sint quales esse necesse est, benè agitur ; secùs si tales non sint. Quod etiam ostendunt alia exempla jam allata. Quales autem esse debeant, dicam seq. quæst. num. 4.

Quæstio xiv. — *Quid christiani reges ac principes discere debeant ex iis, quæ hoc capite dicta sunt?* — Multa sanè. Et hæc quidem generatim. Primò, ut sint viri boni, vel ut faciant, *quod rectum est in conspectu Dei ;* sicut fecit David, Asa, Josaphat, Joathan, Ezechias, Josias. Non possunt autem esse viri boni, nisi sint catholici, nisi conjuncti cum Deo, nisi justitiæ amantes. Ut autem sint tales, postulat illorum dignitas et tituli, quibus ornati sunt.

Vocantur enim dii. (Exod. 22, v. 8, et Psal. 81, v. 6.) Vocantur Christi, seu uncti Domini. (1 Reg. 24, v. 11, et Psal. 104, v. 15, et Isaiæ 45, v. 1.) Vocantur servi, ministri, vicarii Dei. (2 Paral. 6, v. 16, et Rom. 13, v. 4.) Vocantur lucernæ populorum. (2 Reg. 21, v. 17.) Nutritii Ecclesiæ. (Isaiæ 49, v. 23.) Hi tituli, ut veri sint, requirunt magnam sanctitatem. Secundò, ut non solùm sint boni, sed etiam zelosi in catholicâ fide et religione ; neque patiantur in suis regnis et provinciis ullam aliam fidem doceri et exerceri, quàm catholicam. Non sint similes illis, de quibus dictum est : « Fecit bonum in conspectu Domini ; verumtamen excelsa non abstulit. Adhuc enim populus sacrificabat, et adolebat incensum in « excelsis. » Tertiò, ut non contrahant matrimonia, vel affinitates, vel amicitiam, vel societatem belli cum infidelibus. In quo genere peccârunt, et puniti sunt Salomon, Joram, Josaphat, et alii. Nam Salomon contraxit matrimonium cum filiâ regis Ægypti, quæ erat idololatrica, Joram cum Athaliâ, filiâ regis Israel, quæ similiter erat idololatrica. Uterque malè, et malo eventu. Josaphat, tametsi aliàs bonus, iniit societatem belli cum impio Achabo, et negotiationis cum Ochoziâ, filio Achabi. Propterea dictum est illi : « Impio præbes auxilium, et his, qui oderunt Dominum amicitiâ jungeris ; et idcircò iram quidem Domini merebaris ; sed bona opera inventa sunt in te, eò quòd abstuleris lucos de terrâ « Juda, et præparaveris cor tuum ut requireres « Dominum Deum patrum tuorum. » (2 Paral. 19, v. 2-3.) Et iterùm : « Quia habuisti « fœdus cum Ochoziâ, percussit Dominus « opera tua, contritæque sunt naves ; nec potuerunt ire in Tharsis. » (Ibid., cap. 20, v. 37.) Audiant hoc christiani principes. Si volunt uxores ducere, amicitias contrahere, belli aut navigationis societatem inire ; abstineant à consortio Turcarum et aliorum infidelium. Alioqui dicetur ipsis, quod pio Josaphat dictum est : Quia habuisti fœdus cum infidelibus, percussit Deus opera vestra ; contritæ sunt naves vestræ ; amissa victoria ; thesauri consumpti ; subditi ad egestatem redacti ; familiæ exstinctæ. Non desunt exempla, quibus id confirmem. Sed quia nota et recentia, malim prætérire. Quartò, ut habeant apud se bonos consiliarios, non juvenes, imperitos, inexpertos, sicut habuit Roboam ; non idololatras aut hæreticos, sicut habuit Ochozias ; non perfidos et infideles, qualis fuit Achitophel ; sed qui sincerè catholici sint ; qui periti, prudentes, experti, cordati ; qui immunes ab avaritiâ et adulatione, qui liberi à passionibus et inordinatis affectibus ; qui pacis, justitiæ, patriæ amantes, qui religionis et Ecclesiæ patroni ; denique quibus unicus scopus sit, ubique Dei honorem et bonum publicum promovere. Procul verò facescant, et ab omnibus regum ac principium aulis arceantur illi, qui palàm quidem suam operam addicunt principi catholico, et ordinarium stipendium ab eo percipiunt : sed occultâ conspiratione de duplicato vel triplicato paciscuntur cum alio principe hæretico aut infideli, eâ conditione, ut quidquid apud catholicos in secreto consilio decisum est, et integrè aperiant, et de omnibus certiorem faciant. Non consiliarii isti, sed proditores sunt ; et tamen non paucos esse, fama est.

Et hæc quidem communia sunt quæ discant reges et principes christiani. Speciatìm, verò, hæc imitentur. David in rebus magni momenti consulebat Deum. Asa matrem suam, quæ erat princeps in sacris Priapi, amovit ab officio, malens illam offendere, quàm Deum. Josaphat misit Levitas et sacerdotes, ut in omnibus civitatibus docerent populum legem Dei. Joas curavit instaurari templum Domini. Amasias, collecto duplici exercitu contrà Idumæos, altero ex populo Juda, altero ex populo Israel, monitus à prophetâ, ut posteriorem tanquàm hæreticum dimitteret, mox obtemperavit, et victoriam obtinuit, quam non obtinuisset, si utroque exercitu pugnâsset. Ozias, in omnem eventum maturè prospexit regno suo de firmis munitionibus, et omni belli apparatu. Ideòque terrori erat vicinis hostibus. Ezechias reformavit cultum Dei, et in quâvis occurrente necessitate ad Deum confugiebat. Josias populum adjuravit, ut inito cum Deo fœdere, promitteret se servaturum legem à Deo datam.

Hæc verò caveant. Saül amisit regnum, quia non obedivit Deo et Samueli. David, tempore pacis et prosperitatis, in adulterium lapsus est. Salomon, regum sapientissimus, per mulieres depravatus et idololatra factus est. Roboam, quia relicto seniorum consilio, secutus est consilium imperitorum juvenum, qui præter delicias aulicas, nihil noverant, majori parte sui regni spoliatus est. Asa, cæteroqui bonus, cùm laboraret podagrâ, magis in medicorum arte, quàm in Dei ope confidebat. Quod in illo reprehensum est. Joram, cùm anteà esset catholicus et catholico natus parente, accepit

uxorem hæreticam, et in gratiam illius hæreticus factus est. Sed non impunè. Nam insanabili dolore alvi per biennium cruciatus, tandem egestis visceribus, miserè periit. Ochozias, patri similis, à matre in hæresim pertractus est, et in pœnam defectionis, à Jehu rege Israel interfectus. Joas, rex catholicus, mortuo Joiadâ pontifice, à quo dirigebatur, concessit publicum exercitium falsæ religionis in gratiam nobilium aulicorum. Et posteà à servis suis interfectus est. Amasias, propter eamdem culpam, à civibus trucidatus. Ozias, ob usurpatum temerè officium sacerdotale, leprâ percussus. Achaz, propter cultum impiæ religionis, sæpè bello oppressus. Manasses, quia restituit idololatriam, quam pater ejus exterminaverat, catenis vinctus, et in captivitatem abductus. Amon, simili de causâ, in propriâ domo à suis subditis jugulatus. Sedecias, quia non servavit fidem Nabuchodonosori datam, effossis oculis, in Babylonem ductus. Denique, ut alia omittam, Jeroboam, primus rex Israel, ut regnum suum confirmaret, subditos abstraxit à verâ religione, ut hoc modo, verâ religione destitutos faciliùs contineret in rebellione, ne ad legitimum suum regem, à quo defecerant, reverterentur. Nam sicut catholica religio aptissima est, ut subditos efficiat pios, et magistratui suo obtemperantes ; ità hæresis ad rebelliones, et defectiones concitandas efficacissima. Res nota, et multis exemplis, tùm hoc tempore, tùm superiori seculo confirmata.

CAPUT XVIII.

DE BELLO, CASTRIS ET MUNDITIA CASTRORUM.

Quæritur 1° an bellum fuerit licitum in vetere Testamento ? 2° Quænam fuerint leges belli à Deo præscriptæ ? 3° Quæ justæ causæ gerendi bellum ? 4° An Judæi potuerint bellum gerere contrà Judæos ? 5° An contrà quosvis Gentiles ? 6° An in bello potuerint implorare auxilium à Gentilibus, seu infidelibus ? 7° Quinam Judæorum reges aut principes feliciter gesserint bellum ? 8° Quid in lege Mosaicâ statutum fuerit de munditiâ castrorum?

Quæstio prima. — *An bellum fuerit licitum in veteri Testamento ?* — Manichæi docuerunt, bellum ex naturâ rei illicitum esse ; et ideò Moysen, Josue, Davidem, et alios veteris Testamenti reges ac principes qui bella gesserunt, tanquàm impios accusabant, ut refert Aug. l. 22. cont. Faust., cap. 74 et seq. Nos duo asserimus, 1° bellum ex naturâ rei licitum esse ; 2° ex eo rectè colligi, etiam Judæis in vetere Testamento fuisse licitum, præsertim cùm illis specialiter non fuerint prohibitum.

Prima conclusio. Bellum ex naturâ rei tunc licitum est, quandò adsunt hæ tres conditiones. 1° Legitima auctoritas indicendi bellum, qualis est in principe vel republicâ, non agnoscente superiorem in temporalibus ; 2° justa causa ; 3° recta intentio. Tunc illicitum, quandò vel omnes, vel aliqua earum conditionum deest. Ità D. Thom. 2-2, qu. 40, art. 1. Et quidem, si desit prima vel secunda conditio, non solùm charitati, sed etiam justitiæ contrarium est, cum onere restitutionis. Si desit sola tertia, non est contrarium justitiæ, sed charitati, ut benè notat Bellarm., lib. de Laicis, cap. 15. Ratio conclusionis est, quia bellum vel est defensivum, quod solius defensionis causâ suscipitur, vel offensivum, seu agressivum, quod ad vindicandam seu compensandam injuriam offertur. Si defensivum , constat ex naturâ rei licitum esse. Nam si jure naturali licitum est homini privato, vim vi repellere ; multò magis id licitum est principi aut communitati. Si offensivum, tunc etiam licitum est propter similem rationem. Nam si homo privatus potest adversario suo intentare litem, vel actionem injuriarum per viam juris ; cur princeps vel communitas non possit idem facere per viam belli, quandò via juris non est sufficiens ? Alioqui publica injuria, quæ principi vel communitati facta est, nunquàm posset resarciri aut vindicari ; et consequenter, nec publica justitia et indemnitas custodiri, quod est absurdum.

Dices : Etiamsi serventur conditiones quæ in conclusione assignatæ sunt, nihilominùs bellum videtur esse contrarium paci charitatis. Nam inter illos, qui bellum contrà se mutuò gerunt, non est pax sed pugna et dissensio. Resp. Ex parte illius qui injustam causam fovet, aut malam intentionem habet, contrarium est paci charitatis. De hoc nemo dubitat. At ex parte alterius, qui justam causam fovet, et rectam habet intentionem, non est contrarium, sed conforme charitati. Quod sic ostendo : Homo privatus, qui ex charitate diligit se et proximum suum, potest secundùm ordinem charitatis præferre se proximo. Ut si occurrat casus, in quo vel ipse, vel proximus debeat pati aliquod damnum, vel incommodum; potest salvâ charitate seipsum salvare, cum damno vel incommodo proximi, modò non faciat injuriam proximo ; ut theologi constanter docent. Idem dico de principe, vel com-

munitate. Si ergò principi inferatur injuria ab alio principe, potest salvâ charitate vindicare injuriam per bellum, et se indemnem conservare. In quo facto servatur simul charitas et justitia. Charitas, quia servatur regula charitatis, *Proximus sum egomet mihi.* Justitia, quia officium justitiæ est illatam injuriam legitimè vindicare.

Secunda conclusio. Bellum fuit licitum in vetere Testamento, servatis illis conditionibus, quæ suprà positæ sunt. Ratio sumitur ex dictis. Nam quod ex naturâ suâ licitum est, hoc etiam licitum fuit Judæis; nisi speciali mandato fuerit Judæis prohibitum; at bellum ex naturâ suâ licitum est, ut dixi; nec ullo speciali mandato fuit Judæis prohibitum, cùm nullum exstet tale mandatum in veteri Testamento. Et confirmatur tripliciter. Primò, quia Deus non solùm permisit bellum in veteri Testamento, sed etiam imperavit. (Num. 25, v. 16, et 1 Reg. 15, v. 3, et alibi.) Secundò, præscripsit leges et præcepta gerendi bellum, ut dicam sequenti quæstione. Tertiò, laudantur in Scripturâ, qui in veteri Testamento fortiter se gesserunt in bello. Sic laudatur Abraham. (Gen. 14, v. 19.) Sic Levitæ. (Exod. 32, v. 29.) Sic Gedeon, Barac, Samson, Jephte, Samuel, David, et alii. (Heb. 11, v. 32.)

Quæstio ii. — *Quæ fuerint leges belli à Deo præscriptæ in veteri Testamento?* — Resp. : Erant variæ; nam quædam obligabant, quandò castra erant movenda de loco in locum. Aliæ, quandò eundum ad prælium. Aliæ, quandò jam inchoandum prælium. Aliæ, quandò civitas obsidenda. Aliæ, quandò obsidio continuabatur. Aliæ denique, quandò victoria parta. Primò igitur, quandò castra erant movenda, obligabat hæc lex. Num. 10, v. 2 et seq. : « Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus convocare possis multitudinem, quandò movenda sunt castra. Cùmque increpueris tubis, congregabitur ad te omnis turba ad ostium tabernaculi fœderis. Si semel clangueris, venient ad te principes, et capita multitudinis Israel. Si autem prolixior atque concisus clangor increpuerit, movebunt castra primi qui sunt ad orientalem plagam. In secundo autem sonitu et pari ululatu tubæ, levabunt tentoria qui habitant ad meridiem, et juxtà hunc modum reliqui facient, ululantibus tubis in profectionem. Quandò autem congregandus est populus, simplex tubarum clangor erit, et non concisè ululabunt. Filii autem Aaron sacerdotes clangent tubis; eritque hoc legitimum sempiternum in generationibus vestris. » Hæ tubæ debebant esse argenteæ, tum propter reverentiam divini cultûs, tùm ut essent magis sonoræ. Serviebant autem ad varios usus, nempè ad convocandum populum ad concionem, juxtà ostium tabernaculi; ad convocandos principes ad consultationem; ad movenda castra. Quæ tria patent ex cit. textu; ad bellum, ad festa et sacrificia. Hæc duo patent ex textu sequenti eodem capite. Debebant autem inflari à sacerdotibus; et ex modo inflandi constabat, in quem usum inflarentur ut ex textu colligitur.

Secundò, quandò eundum erat ad prælium, triplex lex obligabat. Prima, Num. 10, v. 9 : « Si exieritis ad bellum de terrâ vestrâ contrà hostes qui dimicant adversùm vos, clangetis ululantibus tubis, et erit recordatio vestrî coràm Domino Deo vestro, ut eruamini de manibus inimicorum vestrorum. » Secunda, Deut. 23, v. 9 : « Quandò egressus fueris adversùs hostes tuos, in pugnam custodies et ab omni re malâ, » id est, ab omni peccato, ut à scortatione, ebrietate, rapinis, juramentis, blasphemiis, duellis, æmulationibus, itemque ab omni immunditiâ legali. Tertia, Deut. 20, 5, et seq. : « Duces quoque per singulas turmas, audiente exercitu, proclamabunt : Quis est homo, qui ædificavit domum novam et non dedicavit eam? Vadat, et revertatur in domum suam, ne fortè moriatur in bello, et alius dedicet eam. Quis est homo qui plantavit vineam, et necdùm fecit eam communem, de quâ vesci omnibus liceat? Vadat, et revertatur in domum suam; ne fortè moriatur in bello, et alius homo ejus fungatur officio. Quis est homo, qui despondit uxorem, et non accepit eam? Vadat, et revertatur in domum suam, nè fortè moriatur in bello, et alius homo accipiat eam. » Itaque ut summatìm dicam, quandò ibatur ad prælium, hæc tria debebant servari : nempè inflandæ erant tubæ per modum ululatûs, ad implorandum à Deo subsidium; et omnes debebant esse puri à peccato, et immunditiâ legali; et non admittebantur pavidi, sponsi, novam domum, aut vineam ædificantes.

Tertiò, quandò jam prælium erat inchoandum, servabatur hæc lex, Deut. 20, v. 2 et seq : « Appropinquante autem jam prælio, stabit sacerdos antè aciem et sic loquetur ad populum : Audi Israel : vos hodiè contrà inimicos vestros pugnam committitis; non pertimescat cor vestrum; nolite metuere,

« nolite cedere, nec formidetis eos; quia Dominus Deus vester, in medio vestri est, et « pro vobis contrà adversarios dimicabit, ut « eruat vos de periculo. » Magna consolatio.

Quartò, quandò civitas erat obsidenda, dabatur hæc lex, Deut. 20, v. 10 et seq. : « Si « quandò accesseris ad expugnandam civitatem, offeres ei primùm pacem, si receperit, « et aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui « in eâ est, salvabitur, et serviet tibi sub tributo. Sin autem fœdus inire noluerit, et cœperit contrà te bellum, oppugnabis eam. Cùmque tradiderit Dominus Deus tuus illam in « manu tuâ, percuties omne quod in eâ generis « masculini est, in ore gladii, absque mulieribus et infantibus, jumentis, et cæteris quæ « in civitate sunt. Omnem prædam exercitui « divides, et comedes de spoliis hostium tuorum, quæ Dominus Deus tuus dederit tibi. « Sic facies cunctis civitatibus, quæ à te procul « valdè sunt, et non sunt de his urbibus, quas « in possessionem accepturus es. De his autem « civitatibus, quæ dabuntur tibi, nullum omninò permittes vivere, sed interficies in ore « gladii, Hethæum videlicet, et Amorrhæum, et « Chananæum, Pherezæum, et Hevæum, et Jebuzæum, sicut præcepit tibi Dominus Deus « tuus : ne fortè doceant vos facere cunctas « abominationes, quas ipsi operati sunt diis « suis; et peccetis in Dominum, Deum vestrum. »

Quintò, quandò obsidium civitatis continuabatur, debebat servari hæc lex, Deut. 20, v. 19-20 : « Quandò obsederis civitatem multo « tempore, et munitionibus circumdederis ut « expugnes eam, non succides arbores, de « quibus vesci potest, nec securibus per circuitum debes vastare regionem ; quoniam lignum est, et non homo ; nec potest bellantium contrà te augere numerum. Si qua « autem ligna non sunt pomifera, sed agrestia, « et in cæteros apta usus, succide, et instrue « machinas, donec capias civitatem, quæ contrà te dimicat. »

Sextò, quandò victoria erat parta, ordinariè non licebat occidere innocentes, ut mulieres, infantes et pecora. Hoc colligitur ex dictis, Deut. 20, v. 13, 14 : *Percuties omne quod in eâ generis masculini est, in ore gladii, absque mulieribus et infantibus, jumentis et cæteris quæ in civitate sunt.* Non obstante hâc lege ordinariâ, mandabat aliquandò Deus, ut etiam mulieres, infantes et jumenta interficerentur, ut 1 Reg. 15, v. 3 : « Vade et percute Amalec, et demolire universa ejus, non parcas ei..... sed interfice à viro usque ad mulierem, et parvulum atque lactantem, bovem et ovem, camelum et asinum. » Aliquandò, ut omnes mulieres, exceptis puellis et virginibus. Num. 31, v. 17-18 : « Cunctos interficite quidquid « est generis masculini, etiam in parvulis ; et « mulieres, quæ noverunt viros in coitu, jugulate ; puellas autem, et omnes feminas virgines reservate vobis. » In his, et similibus casibus, Dei jussio pro lege est, ut ex Aug. notat Serar. in cap. Josue qu. 36.

Quæres quid Deus promiserit Judæis, si servarent has leges bellicas? Resp. Hæc duo. Primò, « Persequemini inimicos vestros, et corruent coràm vobis. » Levit. 26, v. 7-8 : « Persequentur quinque de vestris centum alienos, et centum de vobis, decem millia ; cadent inimici vestri gladio in conspectu « vestro ; » si autem non servarent, minatus est contrarium : *Ponam faciem meam contrà vos et corruetis coràm hostibus vestris, et subjiciemini his qui oderunt vos ; fugietis nemine persequente ;* ibid., v. 17. (Vide plura Deut. 28, v. 7-25.)

Hinc discant christiani quomodò se gerere debeant in bello. Tametsi enim quædam ex supradictis legibus fuerint cærimoniales, quæ jam abrogatæ sunt, tamen aliquæ erant morales, quæ nunquàm abrogantur, sed æquè nunc obligant Christianos, ac olìm Judæos obligant. Cujusmodi sunt hæ, nempè ut sint puri ab omni peccato; ut servent ordinem præscriptum in castris ; ut confidant in Deum, et ab ipso petant subsidium ; ut parcant innocentibus, quantùm fieri potest ; ut hosti offerant priùs pacem, antequàm illum bello offensivo invadant. Si servarentur hæ leges à Christianis, feliciùs pugnarent contrà hostem quàm hactenùs pugnàrunt. At raró servantur. Nam multi inter milites ac duces solent esse scortatores, ebriosi, blasphemi, raptores et similibus flagitiis inquinati, qui meritò à Deo deseruntur, et infeliciter rem gerunt.

Quæstio III. — *Quæ fuerit justa causa gerendi bellum in veteri Testamento?* — Suppono justam causam indicendi bellum, generatìm loquendo, esse gravem injuriam, quæ alicui principi aut reipublicæ vel imminet, vel facta est. Si imminet, ut impediatur per bellum defensivum jure defensionis ; si facta, ut vel resarciatur per bellum offensivum jure justitiæ vindicativæ, vel vindicetur jure justitiæ commutativæ. (Vide Aug. q. 10. super Josue ; D. Th. 2-2, q. 40, art. 1 ; Molinam de Jure et Just., disp. 102.) Hoc posito, quæstio est, quænam fuerint

speciales causæ belli in vetere Testamento? vel propter quas injurias, legitimè indicta fuerint bella in vetere Testamento? Resp.: Ex Scripturâ colliguntur hæ causæ. Prima publica principis contumelia. Sic David movit bellum contrà Hanon, regem Ammonitarum, eò quòd nuntios à Davide missos affecisset magnâ ignominiâ, quæ describitur 2 Reg. 10, v. 4, his verbis : « Tulit itaque Hanon servos David, rasitque « dimidiam partem barbæ eorum, et præscidit « vestes eorum medias usque ad nates, et dimi« sit eos. » Secunda, rebellio subditorum. Sic idem David suscepit bellum contrà Seba, filium Bochri, qui cum quibusdam aliis separaverat se à Davide, legitimo suo rege, 2 Reg. 20, v. 1 et seq. Tertia, defensio malefactorum, ne justè puniantur. Sic filii Israel pugnaverunt contrà Benjamitas, eò quòd nollent tradere quosdam ex suâ tribu, qui nefandum flagitium perpetraverant. Quin eos potiùs defendebant. Judic. 20, v. 14 et seq. Quarta, suppetiæ inimicis latæ. Sic David percussit viginti duo millia virorum de Syriâ Damasci, quia suppetias tulerant Adarezer, regi Soba, 2 Reg. 8, v. 5. Quinta, negatio innoxii transitûs per alienam terram, qui jure naturali negari non potest. Sic Israelitæ indixerunt bellum Arad, regi Chananæo, quòd negaret illis transitum per suam provinciam, Num. 21, v. 1. Sexta, violatum fœdus. Sic rex Joram indixit bellum regi Moab, qui nolebat illi solvere centum millia ovium, quæ ex antiquo fœdere tenebatur solvere, 4 Reg. 3, v. 5 et seq. Septima, idololatria subditorum. Sic Moyses cum filiis Levi, bello aggressus est filios Israel, et interfecit triginta tria millia hominum, propterea quòd aureum vitulum adorâssent. Exod. 32, v. 26 et seq.

Quæstio iv. — *An Judæi potuerint bellum gerere contrà Judæos?* — Ratio dubitandi est, quia quandò Roboam rex cum domo Juda et Benjamin, voluit bellum gerere contrà domum Israel (qui omnes ex utrâque parte erant Judæi) dixit illi Deus per Prophetam : *Non ascendetis neque bellabitis contrà fratres vestros filios Israel*, 3 Reg. 12, v. 24. Et tamen Roboam habuit legitimam causam indicendi bellum, quia volebat subditos rebelles ad obedientiam revocare. Ergò, quòd prohibitus fuerit gerere bellum, non erat alia causa, quàm quia volebat illud gerere contrà Judæos, fratres suos.

Sed contrarium facilè probari potest ex dictis. Primò, exemplo Moysis et Levitarum, qui pugnârunt contrà fratres suos, propter peccatum idololatriæ commissum, Exod. 32, v. 26. Secundò, exemplo filiorum Israel, qui communi consensu, et consulto priùs Deo, pugnârunt contrà Benjamitas, et totam ferè ipsorum tribum exstinxerunt, Judic. 20 per totum. Tertiò, exemplo Davidis, qui pugnavit contrà subditos rebelles, 2 Reg. 20, v. 1. Accedit ratio, quia si Judæi contrà Judæos non potuissent bellum gerere, non potuisset inter illos conservari justitia, nec injuria vindicari. Nam sæpè contingit, ut injuria ab unâ parte illata, non possit vindicari, nisi bello. Et si non vindicaretur, nulla servaretur justitia in communitate, quod est absurdum. Denique conditiones illæ, quæ efficiunt, ut bellum sit justum et legitimum, tàm benè reperiri possunt inter homines ejusdem gentis, quàm inter extraneos. Nec obstat exemplum Roboam. Nam is non est jussus cessare à bello, ex eo præcisè, quòd illud suscepisset contrà fratres suos; sed ex eo, quòd vellet illos ad suum regnum reducere, quod erat contrà Dei ordinationem. Nam Deus volebat regnum Salomonis, propter ipsius peccata in duas partes dividere; et majorem partem dare Jeroboam, servo Salomonis, minorem verò relinquere Roboam, filio Salomonis. Roboam autem nitebatur totum regnum solus obtinere; et omnes qui adhærebant Jeroboam, ad se reducere. Et quia hoc volebat perficere armatâ manu, monitus est à Deo ut à cœpto desisteret. 3 Reg. 12, v. 21 et seq.

Quæstio v.—*An Judæi potuerint bellum gerere contrà quosvis Gentiles?*—Resp.: Poterant, servatis conditionibus suprà positis. Nam si Gentiles, quicumque tandem illi fuissent, vel injustè invasissent Judæos, vel gravem aliquam injuriam irrogâssent, poterant ipsi se defendere, et illatam injuriam vindicare. Sic fecerunt contrà Chananæos, Amorrhæos et Madianitas, tempore Moysis. Sic contrà habitatores Jericho, et Hai, et vicinarum civitatum, tempore Josue. Sic contrà Syros, Madianitas, Amalecitas, Ammonitas, Philistæos, tempore Judicum. Sic contrà eosdem Philistæos, Syros, Arabes, Æthiopes, Moabitas, Idumæos, tempore regum. Sic contrà Antiochum, Appollonium, Nicanorem, Lysiam, Gorgiam, Bacchidem, Triphonem, Alexandrum, tempore Machabæorum. Et ratio est, quia sicut homo privatus, jure naturali, potest se legitimè defendere contrà quemcumque injustum invasorem, aut injuriantem, ità etiam princeps vel respublica potest.

Dices : Deus per prophetam prohibuit Judæis, ne susciperent bellum contrà Nabuchodonosorem, regem Babylonis, sed spontè se illi

subjicerent. Jerem. 27, v. 12. Resp. Verum est, quia Judæi non poterant justo bello, de quo hic agimus, contrà regem illum pugnare, idque ex duplici capite. Primò, quia Deus dederat Nabuchodonosori regnum Juda, et omnia regna vicina, Jerem. 27, v. 6. Ergò nec Judæi, nec vicini populi poterant justo bello hanc donationem impedire. Secundò, quia Judæi propter sua peccata meriti erant hanc pœnam, ut servirent Nabuchodonosori, et, nisi vellent spontè eam subire, futurum erat ut graviorem pœnam sustinere cogerentur, v. 13. Ergò non poterant justo titulo reluctari.

Quæstio vi. — *An Judæi in bello potuerint implorare auxilium à Gentilibus et infidelibus.* — Aliqui affirmant, quia Asa, rex Juda, imploravit auxilium Benadad, regis Syriæ, in bello contrà regem Israel, 2 Paral. 16, v. 2. Similiter Judas Machabæus iniit fœdus cum Romanis gentilibus, ut in bello se mutuò juvarent, 1 Machab. 8, v. 1. Alii negant, quia Deus severè prohibuit Judæis, ne contraherent fœdus et amicitiam cum infidelibus, et graves pœnas comminatus est, nisi obtemperarent. Deut. 7, v. 2, et Josue 23, v. 12, et Judic. 2, v. 2. Et quia non obtemperârunt, puniti sunt. Nam Deus permisit illos à gentilibus opprimi, et in servitutem redigi, ut patet ex lib. Judicum, et lib. 4 Regum, et libro Tobiæ, Esther, Prophetarum. Sed distinguendum est, juxtà sequentes conclusiones. Prima conclusio. Per se, et ex naturâ rei licitum est in bello justo implorare auxilium infidelium, etiam contrà fideles. Ità Dominicus Bannes in 2-2, qu. 40, art. 1, dub. 3, et alii ab eo citati. Ratio est, quia infideles possunt ex se suscipere justum bellum contrà quoscumque hostes; ergò possunt etiam alios juvare in justo bello contrà quoscumque hostes: ergò licitum est ab iis petere, ut nos juvent in justo bello. Et confirmatur, tùm quia actus justitiæ loquendo præcisè ex naturâ rei, potest ab omnibus, tàm fidelibus, quàm infidelibus exerceri; at gerere justum bellum, vel juvare in justo bello est actus justitiæ; ergò potest ab omnibus exerceri; tùm etiam quia in justo bello licitum est uti subsidio equorum, elephantorum, et aliorum brutorum animalium; ergò etiam hominum infidelium. Insuper, licitum est in justo bello præbere auxilium infidelibus contrà fideles; ergò etiam licitum est ab eis petere auxilium, cùm sit par ratio. Antecedens patet exemplo Davidis, qui auxilium præbuit Achis, regi Philistinorum, contrà populum Israel, 1 Reg. cap. 28, v. 1-2, et cap. 29, per totum. (Videatur ibidem Abulensis, cap. 28, qu. 5.) Secunda conclusio. Nihilominùs Judæi triplici titulo prohibebantur inire fœdus cum infidelibus. Primò, ratione periculi subversionis, quia periculum erat, ne ex tali fœdere et societate, desererent cultum Dei, et fierent idololatræ. Exodi 34, v. 12, et Deut. 7, et alibi. Secundò, ratione periculi perfidiæ, ex parte infidelium. Nam infideles, sæpe non servabant pacta cum Judæis inita. Non servavit rex Moab, 4 Reg. 3, v. 5; nec Demetrius, 1 Machab. 11, 53; nec Tryphon, 1 Mach. 12, à versu 42 ad 50 usque; nec Ptolomæus, 1 Mach. 16, v. 16; nec multi alii. Tertiò, ratione scandali, quod erat duplex: unum, quia qui in bello petebant auxilium ab infidelibus videbantur fiduciam suam in illis potiùs ponere, quàm in Deo, quod, quia erat contrà legem Dei, erat scandalosum. Et hoc nomine reprehensus fuit Asa, rex Juda, qui à Benadad, rege Syriæ, petiverat auxilium, juxtà illud 2 Paral. 16, v. 7: « Venit Hanani « propheta ad Asa, regem Juda, et dixit ei: « Quia habuisti fiduciam in rege Syriæ, et non « in Domino Deo tuo, idcircò evasit Syriæ « regis exercitus de manu tuâ. » Alterum, quia sicut erant socii et fautores infidelium in bello, sic etiam putabantur esse socii et fautores in impietate, quod æquè erat scandalosum. Undè dictum est Josaphat, regi Juda, qui auxilium præbuerat impio regi Achab, 2 Paral. 19, v. 2-3: « Impio præbes auxilium, et his qui « oderunt Dominum, amicitiâ jungeris; et id- « circò iram quidem Domini merebaris; sed « bona opera inventa sunt in te, eò quòd abs- « tuleris lucos de terrâ Juda. »

Quæstio vii. — *Quinam Judæorum reges aut principes feliciter gesserunt bellum?* — Resp.: Illi potissimùm, qui servârunt leges belli à Deo præscriptas, et maximè, qui spem suam ponebant in Deo, et ab eo subsidium petebant. Sic fecerunt Moyses, Josue, Othoniel, Aod, Barac, Gedeon, Jephte, Samson. Sic fecit rex David, quandò, consulto priùs Deo, pugnavit contrà hostes. Sic Abia, rex Juda, quandò, pugnaturus contrà Jeroboam, regem Israel, totam suam fiduciam collocavit in Deo, 2 Paral. 13, v. 4 et seq. Sic Josaphat, rex Juda, qui omnibus in circuitu hostibus erat terrori, quia Deus pugnabat pro ipso, 2 Paral. 17, v. 3-10. Sic Ezechias, quandò obsessus à Sennacherib, rege Assyriorum, cum ingenti exercitu, oravit Dominum pro liberatione, et obtinuit. Nam Angelus Domini missus in castra Assyriorum unâ nocte percussit centum octoginta quinque mil-

lia hostium, 2 Paral. 32, v. 20-21, et 4 Reg. 19, v. 35. Sic Machabæi, quorum bella et victoriæ describuntur in libris Machabæorum. Illi verò infeliciter pugnârunt, qui neglecto Deo confidebant in multitudine et potentiâ suorum exercituum.

Quæstio viii. — *Quid in lege Mosaicâ statutum fuerit de munditiâ castrorum?* — Generalis lex erat hæc. Deut. 23, v. 14 : « Sint castra « tua sancta, et nihil in eis appareat fæditatis. » Ratio additur : « Dominus enim, Deus tuus, « ambulat in medio castrorum, ut eruat te et « tradat tibi inimicos tuos. » Speciatìm vero statuta fuerunt hæc tria. Primò : « Si fuerit in- « ter vos homo, qui nocturno pollutus sit som- « nio, egredietur extrà castra, et non rever- « tetur, priusquàm ad vesperam lavetur aquâ ; « et post solis occasum regredietur in castra. » (Ibid., v. 10-11.) Secundò : « Habebis locum « extrà castra, ad quem egrediaris ad requisita « naturæ, gerens paxillum in balteo. Cùmque « sederis, fodies per circuitum, et egesta hu- « mo operies, quo revelatus es. » (Ibid. v. 12 et seq.) Tertiò : « Præcipe filiis Israel, ut ejiciant « de castris omnem leprosum, et qui semine « fluit, pollutusque est super mortuo. » (Num. 5, v. 2.) Igitur castra debebant esse munda à pollutione et semine, et stercore, et leprâ, et immunditiâ legali ex mortuo contractâ. Idque duplici de causâ. Primò, propter Arcam Dei quæ erat in medio castrorum, in quâ Deus dicebatur habitare. Secundò, ad conservandam in castris valetudinem. Quæres, an ista lex semper obligaverit Judæos? Abulensis putat, tunc solùm obligâsse, quandò Judæi erant in deserto, non autem posteà, quandò habitabant in terrâ promissionis. Nihilominùs Esseni, de quibus suprà, cap. 10, dictum est, dicuntur etiam in Judeâ observâsse eamdem legem, ut refert Josephus, lib. 2 de Bello judaico, cap. 7. Erant enim valdè studiosi legis et puritatis. (Vide Cornel. in cap. 23 Deut.)

CAPUT XIX.

DE FURTO ET USURA.

Duo quæri possunt. 1° Quæ fuerint leges circà furtum? 2° An usura Judæis fuerit licita necne? Ad prius sic respondeo : Principalis lex circà furtum fuit hæc : *Non furtum facies*, Exod. 20, v. 15. Ad hanc revocari debent sequentes.

Prima : « Non... decipiet unusquisque proximum suum. » Levit. 19, v. 11.—2. « Viduæ « et pupillo non nocebitis. Si læseritis eos, « vociferebuntur ad me, et ego audiam cla- « morem eorum ; et indignabitur furor meus, « percutiamque vos gladio, et erunt uxores « vestræ viduæ, et filii vestri pupilli. » Exod. 22, v. 22 et seq., et Deut. 10, v. 18. — 3. « Nolite « facere iniquum aliquid in judicio, in regulâ, « in pondere, in mensurâ. » Lev. 19, v. 35.— 4. « Statera justa, et æqua sint pondera ; ju- « stus modius, æquusque sextarius, » ibid., v. 36. — 5. « Non habebis in sacculo diversa « pondera, majus et minus ; nec erit in domo « tuâ modius major et minor. Pondus habebis « justum et verum ; et modius æqualis et verus « erit tibi. » Deut 25, 13 et seq. — 6. « Non as- « sumes, et transferes terminos proximi tui, « quos fixerunt priores in possessione tuâ. » Deut. 19, v. 14. — 7. « Non facies quod ini- « quum est, nec injustè judicabis. Non consi- « deres personam pauperis, nec honores vul- « tum potentis. Justè judica proximo tuo. » Levit. 19, v. 15. — 8. « Qui percusserit ani- « mal, reddet vicarium, id est, animam pro « animâ. » Levit. 24, v. 18. — 9. « Si quis fura- « tus fuerit bovem, aut ovem, et occiderit v e « vendiderit, quinque boves pro uno bove resti- « tuet, et quatuor oves pro unâ ove. » Exod. 22, v. 1. — 10. « Si inventum fuerit apud eum « quod furatus est, vivens, sive bos, sive asi- « nus, sive ovis, duplum restituet, » ibid., v. 4. — 11. « Si non habuerit quod pro furto red- « dat, ipse venumdabitur, » ibid., v. 3. — 12. Occidens furem nocturnum, innocens habeatur, occidens verò furem diurnum, occidatur, ibid., v. 2. — 13. Qui damnum fecerit proximo suo, confitebitur peccatum suum, et compensabit damnum ; et insuper addet quintam partem. Num. 5, v. 6. — 14. « Si læserit quispiam « agrum vel vineam, et dimiserit jumentum « suum ut depascatur aliena, quidquid opti- « mum habuerit in agro suo vel in vineâ, pro « damni æstimatione restituet. » Exod. 22, v. 5. — 15. « Si egressus ignis invenerit spinas, et « comprehenderit acervos frugum, sive stantes « segetes in agris, reddet damnum qui ignem « succenderit, » ibid., v. 6. — 16. Plagiarius, qui furatur hominem ut vendat, occidatur, Deut. 24, v. 17.

Dices : Aliquæ ex illis legibus videntur inter se pugnare, ut octava, nona, et decima. Nam octava præcipit simplum restitui ; nona, quadruplum aut quintuplum ; decima duplum. Resp. : Non pugnant, sed discrepant. Primò, quia octava est moralis, sumpta ex jure naturali ; reliquæ duæ sunt judicales, sumptæ ex liberâ voluntate legislatoris. Deindè, octava

præcipit, quod jure naturali debitum est; reliquæ duæ, quod per modum liberæ pœnæ à judice vel legislatore imponi potest. Juxtà octavam, qui furatur bovem, tenetur jure naturali illum restituere. Juxtà reliquas, tenetur jure positivo et pœnali vel duplum, vel quadruplum, vel quintuplum restituere, pro arbitrio legislatoris. Itaque qui unum bovem pro bove restituit, satisfacit jure naturali, non tamen positivo: vel quod idem est, satisfacit justitiæ commutativæ, non tamen vindicativæ.

Quæres, quare fur pro uno bove debuerit quinque boves restituere, et pro unâ ove quatuor tantùm oves, et non quinque? Respondet Theodoretus, quia majus furtum majori pœnâ plectendum est; at majus furtum est bovis, quàm ovis; quia bos est majoris pretii, quàm ovis. D. Th. in 1-2, qu. 105, art. 2 ad 9, sic respondet: Jubet Deus, ut fur pro uno bove reddat quinque; quia bos habet quinque utilitates. Nam immolatur; pascit nos carne suâ; arat; dat lac; dat corium. At ovis adfert quatuor tantùm commoda: Immolatur; pascit nos suâ carne; dat lac; dat lanam. Alii addunt mysticam causam; quia bos significat doctorem populi; ovis discipulum et auditorem. At graviùs punitur, qui aufert vel pervertit doctorem, quàm qui auditorem. Ità Rabanus, Exodi 22, v. 1. Quæ omnia probabilia sunt. Vera causa est, quia Deo, qui est supremus legislator, ità placuit.

Quæres etiam quare furem nocturnum licebat occidere, non autem diurnum? Resp.: Ob has causas, nempè quia non constat, an fur nocturnus veniat tantùm ad furandum, an etiam ad occidendum; et quia præsumitur ad utrumque venire, occidi poterat in vetere Testamento.

Alia causa est tùm quia noctu agnosci non potest, et ideò is, qui damnum patitur, non potest eum posteà in judicio accusare, et rem suam repetere; tùm quia nocturnus non potest tàm citò ac facilè deprehendi, ac diurnus. Nam nocte omnes dormiunt; ac proindè pater familias non potest statìm habere famulos paratos, qui furem apprehendant. Secùs est de die. Eamdem distinctionem furis diurni ac nocturni; quoad ejus occisionem habet Augustinus, et ex eo translata est in jus canonicum. (Extrav. de Homicidiis cap. *Si perfodiens.*) Notandum tamen est, si fur diurnus non tantùm furaretur, sed etiam gladio vel armis vellet tueri suum furtum, licere etiam illum occidere. Ità Aug., qu. 54, suprà Exodum. Et sancitum est in jure civili, L. Furem, ff. ad legem Corneliam, de Sicariis (1).

De Usurâ. — De usurâ erat duplex lex, una Exod. 22, v. 25: « Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi qui habitat tecum, « non urgebis eum quasi exactor, nec usuris « opprimes; » altera Deut. 23, v. 19-20: « Non fœnerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, « nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed « alieno. Fratri autem tuo absque usurâ id, « quo indiget, commodabis; ut benedicat tibi « Dominus Deus tuus in omni opere tuo. » Hìc duo decernuntur, nempè ut Judæi non exigant usuram à Judæis, id est, à fratribus suis; ut etiam possint exigere ab extraneis.

Quæstio est, quomodò hoc posterius sit intelligendum? Triplex est opinio. Prima Judæorum, qui putant sibi concessum esse à Deo, ut à quolibet extraneo possint usuram exigere sine peccato, ac proindè etiam hoc tempore se non peccare, exigendo usuram à Christianis et Gentilibus. Altera quorumdam theologorum, qui asserunt, Judæis non quidem concessum, sed tamen permissum esse, ut exigant usuram ab extraneis, propter duritiam cordis ipsorum; ac proindè ipsos quidem peccare usuram exigendo, non tamen per legem Mosaicam puniri. Ratio illorum est, quia usura absolutè, et sine ullâ distinctione fratris aut extranei, mala et prohibita est, ut patet Psal. 14, v. 5, et Psal. 54, v. 12, et Ezech. 18, v. 8. Ergò non potuit licitè concedi Judæis. Potuit tamen permitti, tanquàm minus malum, ad vitandum majus malum, ne scilicet suos fratres per usuram exhaurirent. Ità D. Th. in 2-2, qu. 78, art. 1 ad 2, et multi alii. Tertia est, Judæis non tantùm permissum, sed etiam concessum fuisse exigere usuram à vicinis hostibus, nempè Chananæis, Amorrhæis, Amalecitis; ità ut exigendo non peccarent. Ratio est, quia Deus concesserat illis, ut occiderent vicinos hostes, et eorum bona diriperent. Itaque sicut non peccabant occidendo Amorrhæos et Chananæos in bello; ità non peccabant accipiendo illorum pecuniam per usuram. Ità Conrardus qu. 24 de Contract.; Medina, qu. 2 de Usurâ, et apertè, de Amb., lib. de Tobiâ, cap. 15, ubi inter cætera sic ait: « Cui jure inferuntur arma, huic legitimè indicantur usuræ. » Item: « Ab hoc usuram exige, quem non sit crimen

(1) Hæc lex pro solius judicis directione lata est, præcipitque ut occidens furem nocturnum non sit reus sanguinis in foro externo, id est, morte non plectatur.

« occidere. » Item : « Ubi jus belli, ibi etiam « jus usuræ. » Hæ duæ posteriores opiniones sunt probabiles; prima manifestè falsa.

CAPUT XX.

DE HOMICIDIO, ET CIVITATIBUS REFUGII.

Homicidium est duplex, unum voluntarium, quod culpabiliter; alterum involuntarium, quod sine culpâ committitur. De priori hìc agam; posterius pertinet ad civitates refugii, de quibus paulò post. Igitur de homicidio voluntario exstat una lex moralis, Exod. 20, v. 13 : « Non occides; » et una cærimonialis, Deut. 21, v. 1 et seq. : « Quandò inventum « fuerit.... (in agro) hominis cadaver occisi... « seniores civitatis illius (vicinioris scilicet)... « ducent (vitulam) ad vallem asperam..... et « cædent in eâ cervices vitulæ. Et venient ma- « jores natu civitatis illius ad interfectum, « lavabuntque manus suas super vitulam.... et « dicent : Manus nostræ non effuderunt san- « guinem hunc, nec oculi viderunt. Propitius « esto populo tuo Israel, quem redemisti, Do- « mine, et ne reputes sanguinem innocentem « in medio populi tui Israel. Et auferetur ab « eis reatus sanguinis; tu autem alienus eris ab « innocentis cruore, qui fusus est, cùm fece- « ris quod præcepit Dominus. » (Videatur interpretes illius loci.) Judiciales sunt plures : Prima : « Qui percusserit, et occiderit ho- « minem, morte moriatur. » (Lev. 24, v. 17.) — 2. « Non accipietis pretium ab eo, qui reus « est sanguinis; statim et ipse morietur. » (Num. 35, v. 31.) — « Qui irrogaverit macu- « lam cuilibet civium suorum, sicut fecit, sic « fiet ei; fracturam pro fracturâ, oculum pro « oculo, , dentem pro dente restituet. Qualem « inflixerit maculam, talem sustinere cogetur. » Lev. 24, v. 19-20. — 4. « Qui percusserit ser- « vum suum vel ancillam virgâ, et mortui « fuerint in manibus ejus, criminis reus erit. « Sin autem uno die vel duos supervixerit, non « subjacebit pœnæ, quia pecunia illius est. » q. d. Emit eos suâ pecuniâ. Exod. 21, v. 20-21. — 5. « Si rixati fuerint viri, et percusserit quis « mulierem prægnantem et abortivum quidem « fecerit, sed ipsa vixerit, subjacebit damno « quantùm maritus mulieris expetierit, et ar- « bitri judicaverint. Sin autem mors ejus fue- « rit subsecuta, reddet animam pro animâ. Ibid., v. 22-23. — 6. « Si percusserit quispiam « oculum servi sui aut ancillæ, et luscos eos « fecerit, dimittet eos liberos pro oculo, quem « eruit; » pari modo si dentem ejus excusserit Ibid., v. 26-27. — 7. « Facies murum tecti « per circuitum, ne (si ex eo labatur aliquis) « effundatur sanguis in domo tuâ, et sis reus « labente alio. » Deut. 22, v. 8. — 8. « Sin « autem eum qui peccavit dignum viderint « (judices) plagis; prosternent et coràm se fa- « cient verberari. Pro mensurâ peccati erit et « plagarum modus. » Sed numerum quadragenarium non excedent. Deut. 25, v. 2. — 9. « Qui percusserit hominem, volens occi- « dere, morte moriatur. « Exod. 21, v. 12. — 10. « Si rixati fuerint viri, et percusserit « alter proximum suum lapide vel pugno, et « ille mortuus non fuerit, sed jacuerit in lec- « tulo; si surrexerit, et ambulaverit foris super « baculum suum, innocens erit qui percusserit; « ità tamen ut operas ejus et impensas in me- « dicos restituat. » Ibid., v. 18.

De civitatibus refugii. — Levitæ et sacerdotes (ut cap. 7, q. 6, dictum est) habebant quadraginta octo civitates sibi deputatas. Ex illis sex erant civitates refugii, ad quas, tanquàm ad asylum, confugere poterant illi, qui suâ culpâ homicidium commiserant. (Josue 20, v. 4, et Num. 35, v. 11.) Erant autem hæ civitates refugii : Cedes in Nephtali; Sichem in Ephraim; Hebron in Judâ; Bosor in Ruben; Raamoth in Galaad; Gaulon in Manasse. Tres primæ citrà, reliquæ trans Jordanem. (Josue 20, v. 7.) Omnes æquali spatio inter se distabant. (Deut. 19, v. 7.) Omnes sitæ erant in montibus, ut eminùs videri possent, exceptâ Bosor, quæ sola erat in plano, sed tamen patente loco et conspicuo. (Josue 20, v. 8.) Hìc aliqua notanda sunt. Primò, ad unam ex his civitatibus, tanquàm ad asylum poterat confugere homicida, et coràm senioribus illius loci, qui omnes erant levitæ et sacerdotes, probare suam innocentiam, id est, se sine suâ culpâ homicidium fecisse, juxtà illud Josue, cap. 20, v. 2 et seq. : « Separate urbes « fugitivorum... ut confugiat ad eas, quicumque « animam percusserit nescius; et possit eva- « dere iram proximi, qui ultor est sanguinis. « Cùm ad unam harum confugerit civitatum, « stabit antè portam civitatis, et loquetur se- « nioribus urbis illius ea quæ se comprobent « innocentem; sicque suscipient eum, et da- « bunt ei locum ad habitandum. » Secundò, debebat autem in aliquâ istarum civitatum, ad quam confugerat, manere usque ad mortem summi pontificis. Quòd si antè mortem pontificis inventus fuisset extrà civitatem refugii, poterat interfici à propinquis illius, quem in-

terfecerat. (Num. 35, v. 25 et seq.) Tertiò, præter sex civitates refugii, erat aliud asylum, ad quod confugere poterant homicidæ, nempè altare et tabernaculum. Eò confugit Joab, qui occiderat Abner et Amasam, 3 Reg. 2, v. 28: *Fugit ergò Joab in tabernaculum Domini, et apprehendit cornu altaris.* Sed quia non erat innocens, jussu Salomonis interfectus est, nec profuit illi asylum, ad quod confugerat. (Ibid., v. 31.) Erat enim lex lata, ut homicida voluntarius abstraheretur ab asylo, et interficeretur. Exod. 21, v. 14: *Si quis per industriam occiderit proximum suum, et per insidias, ab altari meo evelles eum, ut moriatur.* Quartò, sicut Judæi poterant confugere ad asylum, sic etiam advenæ et peregrini. (Num. 35, v. 15.) Disputant interpretes, an quilibet advenæ et peregrini, etiam Gentiles? Affirmant Masius, et Magalianus, in cap. 20 Josue. Negant Abulensis et Serarius, ibid., asserentes, advenas et peregrinos ad Judaismum conversos, id est, proselytos, non autem Gentiles in Gentilismo manentes, habuisse hoc privilegium. Nota: Judæi ex genere habebant quædam privilegia propria, quibus carebant proselyti; quædam communia cum proselytis. Propria erant hæc tria. Primum, servus, genere Judæus, anno septimo et quinquagesimo fiebat liber; non autem proselytus. (Deut. 15, v. 12 et seq.) Secundum, Judæi gaudebant privilegio remissionis debitorum anno septimo, non autem proselyti. Deut. 15, v. 3. Tertium, Judæi non poterant dare ad usuram Judæis, sed proselytis. Deut. 23, v. 19. Reliqua erant communia. Ità ex Abulensi, Cornelius in cap. 35 Num., v. 15. Quintò, homicidæ voluntarii, ut suprà dictum, non gaudebant privilegio asyli, sed tantùm involuntarii. Excipiebatur unus casus, ut si quis voluntariè occidisset injustum invasorem, vim vi repellendo. Is enim habebat jus asyli; et si probaret suam innocentiam, statim ex loco asyli domum remittebatur, nec tenebatur exspectare mortem Pontificis; quia non erat propriè homicida, sed inculpatus vitæ suæ defensor. Ità Abul. in cap. 20 Josue, qu. 3; Serarius, ibid., qu. 2; Cornel. loc. cit. Quid autem dicendum de eo, qui in ipso asylo, seu in ipsis refugi civitatibus homicidium perpetrâsset? Abul., ibid., qu. 19, putat, non habuisse jus asyli.

Quæres, an etiam Christiani habeant aliqua asyla pro homicidis? Resp.: Habent, sed in multis differunt à Judæis. Nam Christiani habent asyla jure humano; Judæi habebant jure divino constituta. Apud Christianos omnes ecclesiæ, cœmetaria, cœnobia, domus religiosæ et ecclesiasticæ, sunt asyla; apud Judæos erant multò pauciora, ut ex dictis patet. Judæi poterant extrahi ab asylo, ut causa eorum examinaretur; Christiani non possunt extrahi, nequidem à judice aut magistratu. Asyla Judæorum erant tantùm pro homicidis involuntariis; asyla Christianorum pro omnibus ferè reis. Excipiuntur nocturni agrorum depopulatores, publici latrones, et viarum obsessores. (Cap. *Inter alia*, de immunit. Eccles.). Item raptores virginum, proditores, sacrilegi, blasphemi, hæretici, apostatæ, Judæi, et quotquot in ipsis asylis delinquunt. (Vide Serar., in cap. 20 Josue, qu. 9.)

CAPUT XXI.

DE MATRIMONIO VETERIS TESTAMENTI.

De matrimonio exstant hæ leges in vetere Testamento. Prima: Nemo contrahet matrimonium in gradu prohibito. (Lev. 18, v. 6.) Secunda: *Ad mulierem, quæ patitur menstrua, non accedes* (Ibid., v. 19.) Tertia: Si unus ex fratribus mortuus fuerit sine prole, uxorem illius accipiet alter frater, et suscitabit semen fratri suo, et primogenitum nomine illius nominabit. (Deut. 25, v. 5.) Quarta: Si alter frater noluerit accipere uxorem fratris sui, tunc uxor mortui, coràm senioribus, tollet calceamentum de pedibus ejus, et spuet in faciem illius, dicens: *Sic fiet homini, qui non ædificat domum fratris sui.* (Ibid., v. 9.) Quinta: Si quis in bello captam mulierem alienigenam adamaverit propter pulchritudinem, et voluerit habere uxorem; introducet eam in domum suam; quæ radet caput suum, et præcidet ungues, et mutabit vestem, et flebit patrem et matrem suam uno mense. Et tunc fiet uxor illius. Si posteà ei displicuerit, non vendet, sed liberam dimittet. (Deut. 21, à v. 10 ad 15 usque.) Sexta: Si quis habuerit duas uxores, *unam dilectam, alteram odiosam*, et filius odiosæ fuerit primogenitus, dabit ei jura primogenituræ, nec præferet ei filium dilectæ. (ibid., v. 15.) Septima: « Omnes viri ducent uxores de tribu « et cognatione suâ: et cunctæ feminæ de « eâdem tribu maritos accipient; ut hæreditas « permaneat in familiis, nec sibi misceantur « tribus, sed ità maneant ut à Domino separatæ sunt. (Num. 36, v. 7 et seq.)

Circà has leges aliqua examinanda sunt. 1° An matrimonium fuerit præceptum in vetere Testamento? 2° In quo gradu licuerit, vel

non licuerit matrimonium contrahere? 3° An Judæi potuerint accipere uxores alienigenas? 4° An potuerint accipere uxores extrà suam tribum et familiam? 5° Quæ sit differentia inter matrimonium veteris ac novi Testamenti?

QUÆSTIO PRIMA.— *An matrimonium fuerit præceptum in vetere Testamento?* — Ratio dubitandi est, primò, quia Genes. 1, v. 28, et Gen. 9, v. 1, præcepit Deus : *Crescite et multiplicamini.* Secundò quia Deut. 7, v. 14, similiter præcipit : *Non erit apud te sterilis utriusque sexûs.* Tertiò quia non legimus aliquos in vetere Testamento vixisse cœlibes. Quartò quia ignominiosum erat, non habere prolem, undè vulgare erat omnium axioma : *Maledictus, qui non reliquerit semen in Israel.*

Resp. : Neque naturali, neque divino præcepto, singuli in vetere Testamento fuerunt obligati ad matrimonium. Prior pars patet, quia tametsi tota communitas naturali præcepto fuerit obligata, sicut etiam nunc est, conservare se per procreationem prolis, et consequenter per matrimonium, hoc tamen præceptum non obligat singulos de communitate, sed totam communitatem generatim ut docet D. Th. in suppl., qu. 41, art. 2. Simile est de agricultura. Nam præceptum naturale est colere agros ad conservandam vitam humanam, non minùs quàm procreare prolem; et tamen præceptum illud non obligat singulos; alioqui singuli deberent agros colere, quod est contrà communem hominum sensum ac consuetudinem. Posterior pars probatur, quia in vetere Testamento nullum exstat divinum præceptum, quod obliget singulos ad matrimonium. Nam illa verba : *Crescite et multiplicamini*, non continent præceptum, sed benedictionem. Nam Deus bis legitur dixisse illa verba hominibus, semel primis parentibus in paradiso, et semel Noe et filiis ejus post diluvium, cùm ex arcâ egressi essent. Utrisque dixit post matrimonium jam contractum. Igitur per illa verba non præcepit illis ut matrimonium contraherent, quod jam contractum erat; sed impertivit illis benedictionem, ut copiosam sobolem procrearent ad multiplicandum genus humanum, quod tunc valdè exiguum erat. Hoc constat ex ipso textu. Nam, primò certum est, Noe et filios ejus, antequàm Arcam ingrederentur, habuisse suas uxores, Gen. 7, v. 7 : *Ingressus est Noe et filii ejus, uxor ejus et uxores filiorum ejus cum eo, in arcam propter aquas diluvii.* Secundò, certum est, eumdem Noe et filios ejus cum suis uxoribus, peracto diluvio, egressos esse ex arcâ, Gen. 8, v. 18 : *Egressus est ergò Noe, et filii ejus, uxor illius, et uxores filiorum ejus, cum eo.* Tertiò, certum est, postquàm cum suis uxoribus egressi sunt ex arcâ, tunc illis dictum esse à Deo : *Crescite et multiplicamini.* Hoc enim disertè habet historia. Undè evidenter sequitur, his verbis non contineri præceptum de matrimonio ineundo, quia matrimonium jam initum erat, sed benedictionem in propagandâ posteritate. Et hoc significat textus, cùm ait, Gen. 9, v. 1 : *Benedixitque Deus Noe et filiis ejus, et dixit ad eos : Crescite et multiplicamini, et replete terram.* Idem dico de primis parentibus. Nam matrimonium inter illos statim contractum est, quando Deus ex costâ Adæ dormientis formavit Evam. Tunc enim vigilans ex sopore, dixit Adam, Gen. 2, v. 23-24 : « Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de « carne meâ; hæc vocabitur virago, quoniam « de viro sumpta est. Quamobrem relinquet « homo patrem suum, et matrem, et adhære« bit uxori suæ. » Quibus verbis tria indicat, tùm Evam esse uxorem, tùm majus esse vinculum inter virum et uxorem, quàm inter parentes et filios; tùm denique hanc conjunctionem conjugalem, quæ tunc inter ipsum et Evam facta est, fuisse figuram conjunctionis Christi cum Ecclesiâ. Sic enim verba Adami interpretatur Apostolus ad Ephes. 5, v. 32, cùm ait : *Sacramentum hoc magnum est, ergo autem dico in Christo et in Ecclesiâ.* Igitur quod posteà dictum est primis parentibus : *Crescite et multiplicamini*, non continet præceptum de matrimonio contrahendo, sed solemnem benedictionem in propagando humano genere. Similiter illa verba, Deut. 7, v. 14 : *Non erit apud te sterilis utriusque sexûs*, habent eumdem sensum. Est autem hic sensus : Si custodieritis præcepta mea, dabo vobis benedictionem temporalem, tàm in procreatione liberorum, quàm in aliis rebus. Hoc etiam constat ex textu, qui sic habet, Deut. 7, v. 12 et seq. : « Si « postquàm audieris hæc judicia, custodieris « ea, et feceris, custodiet et Dominus Deus « tuus pactum tibi, et misericordiam quam « juravit patribus tuis; et diliget te, ac multi« plicabit, benedicetque fructui ventris tui, et « fructui terræ tuæ, frumento tuo, atque vin« demiæ, oleo, et armentis, gregibus ovium « tuarum super terram, pro qua juravit patri« bus tuis, ut daret eam tibi. Benedictus eris « inter omnes populos. Non erit apud te steri« lis utriusque sexûs, tàm in hominibus quàm « in gregibus tuis. »

Quod autem objicitur, nullum in vetere Te-

stamento fuisse cœlibem, verum non est. Cœlibes fuerunt Melchisedech, Josue, Elias, Eliseus, Jeremias, Joannes Baptista, ut testatur S. Ignatius in epist. ad Philadelphos. Item Abel, frater Cain, ut tradunt Hieronymus, Basilius, Ambrosius, et alii apud Cornel. in cap. 4 Gen., v. 2. (Vide Genebrard. in Chronologiâ.)

Nec obstat, ignominiosum fuisse apud Hebræos, non habere prolem. Nam hæc ignominia non proveniebat ex virginitate, vel cœlibatu, sed ex sterilitate matrimonii. Cùm enim Deus promisisset iis, qui in matrimonio vivebant, benedictionem et fœcunditatem, sub hâc conditione, si custodirent legem Dei, suspicio erat, illos puniri à Deo, qui non habebant prolem tanquàm legis transgressores. Quæ erat magna ignominia. Nota : Aliqui in vetere Testamento propter suam culpam non habebant prolem, ità ut sterilitas esset pœna peccati; aliqui sine suâ culpâ. Prioris generis fuit Abimelech, rex Geraræ, qui non potuit habere prolem in suâ familiâ, propterea quòd eripuisset Abrahæ suam uxorem, juxtà illud Gen. 20, v. 18 : *Concluserat enim Dominus omnem vulvam domûs Abimelech, propter Saram, uxorem Abrahæ.* Item Michol uxor Davidis, quæ quòd derisisset Davidem saltantem coràm arcâ Domini, mansit sterilis usque ad finem vitæ. (2 Reg. 6, v. 23.) Item, illæ de quibus Oseæ 9, v. 14 : *Da eis, Domine. Quid dabis eis?* Nempè propter peccata sua. Sequitur : *Da eis vulvam sine liberis, et ubera arentia.* Posterioris generis fuerunt sanctæ feminæ. Sara, uxor Abrahæ; Rebecca, uxor Isaac; Rachel, uxor Jacob; Anna, uxor Elcanæ; Sara, filia Raguelis; Elisabeth, uxor Zachariæ, et aliæ plures. Quæ quidem longo tempore fuerunt steriles, non propter suam culpam, sed ut Deus novo miraculo ostenderet, filios, qui ex illis nascerentur, non naturæ viribus, sed Dei beneficio natos esse. Et quanquàm supradictæ feminæ coràm Deo non fuerint passæ opprobrium, aut ignominiam, quia Deus sciebat sanctas esse; tamen passæ sunt coràm hominibus : putabant eas à Deo puniri per sterilitatem. Hoc sensu dixit Rachel, postquàm peperisset, Gen. 30, v. 23 : *Abstulit Deus opprobrium meum.* Et Sara, filia Raguelis, post longam sterilitatem, oravit Deum, dicens : *Peto, Domine, ut de vinculo improperii hujus absolvas me, aut certè desuper terram eripias me.* (Tob. 3, v. 15.) Et Elisabeth, ablatâ sterilitate, cùm jam concepisset in utero, occultabat se mensibus quinque, dicens ; *Quia sic fecit mihi Dominus in diebus, quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines,* Luc. 1, v. 25. (Vide Maldon., ibid., v. 25.)

QUÆSTIO II. — *In quo gradu licuerit vel non licuerit contrahere matrimonium in vetere Testamento?*—Vel, qui gradus consanguinitatis et affinitatis fuerint prohibiti in lege Mosaicâ? Resp. : Ex Lev. cap. 18, colliguntur hæc duo : primò, ratione consanguinitatis, non licebat contrahere cum his, nempè cum patre vel matre; vel quod idem est, cum filio vel filiâ ; nec cum sorore; nec cum nepte, nec cum amitâ vel materterâ. Secundò, ratione affinitatis, non licebat cum his, scilicet cum novercâ, cum sorore privignâ, cum filiâ aut nepte privignâ, cum uxore patrui, cum uxore fratris relictâ (nisi frater reliquisset illam sine prole, juxtà tertiam regulam suprà assignatam); cum uxore filii, cum sorore uxoris propriæ, uxore adhuc vivente. Nam si mortua esset uxor, licebat.

Quæres an iidem gradus sint etiam prohibiti apud Christianos? Resp. Omninò sunt ; et præter illos alii plures; ut patet ex Conc. Trid. sess. 24, can. 3. Et quidem in consanguinitate, prohibiti sunt quatuor gradus, vel, quod idem est, consanguinitas usque ad quartum gradum inclusivè reddit matrimonium invalidum. (Cap. *Non debet.* De consanguin.) Similiter in affinitate prohibiti sunt quatuor gradus. (cap. cit.) Nisi quòd in Conc. Trid. sess. 24, cap. 4, statutum sit, ne affinitas ex fornicatione orta extendatur ultrà secundum gradum.

Hic pro majori intelligentiâ duo notanda sunt. Primò : Consanguinitas est propinquitas duarum personarum, orta ex naturali propagatione; quarum vel una descendit ex alterâ, ut filius ex parente, nepos ex avo, pronepos ex proavo; vel ambæ descendunt ex eàdem, ut duo fratres ex eodem patre, duo nepotes ex eodem avo, duo pronepotes ex eodem proavo. (Valentia qu. 5 de Matrim. puncto 3, § Cognatio; et alii passim.) Affinitas est propinquitas duarum personarum, orta ex carnali copulâ unius cum alterius consanguineo vel consanguineâ; sive copula fuerit licita, sive illicita. Quo pacto inter novercam et privignum est affinitas, quia intercessit carnalis copula inter novercam et consanguineum privigni, nempè privigni patrem. (Valentia ibid., § Affinitas.) Hinc sequitur gradus affinitatis distinguendos esse per ordinem ad gradus consanguinitatis, ut paulò post clariùs explicabo. Secundò, ut autem sciatur, quoto gradu consanguinitatis, una persona distet ab aliâ, tres regulæ servandæ sunt, prima : In lineâ rectâ quæ est ascen-

dentium et descendentium, tot gradus numerandi sunt, quot numerantur personæ, exceptâ primâ. Itaque filius est in primo gradu consanguineus patri, nepos in secundo, pronepos in tertio, et sic deinceps. Secunda : In lineâ transversâ, quandò utraque persona æqualiter distat ab eodem stipite communi, totidem gradibus distant inter se, quot gradibus distent à stipite. Undè fratres, qui æqualiter distant à patre, sunt consanguinei in primo gradu, quia quilibet illorum est consanguineus patri in primo gradu. Similiter filii fratrum sunt consanguinei in secundo gradu, propter eamdem causam. Tertia in lineâ transversâ, quandò utraque persona inæqualiter distat à communi stipite, quot gradibus distat persona remotior à stipite, totidem etiam distat ab alterâ. Undè filius fratris distat à suo patruo in secundo gradu. Hæ tres regulæ valent in jure canonico, et servantur in causis matrimonialibus. (Vide Valentiam, loco cit., Bellarm. de matrim. cap. 24, et alios.)

Ad cognoscendos autem gradus affinitatis, tradi solet hæc regula : Positâ copulâ carnali inter virum et feminam, quo gradu aliquis viro consanguineus est, eodem est affinis feminæ. Et vicissìm, quo gradu consanguineus est feminæ, eodem affinis est viro. Nota : Licèt omnes consanguinei viri contrahant affinitatem cum uxore illius, et rursùm, omnes consanguinei uxoris contrahant affinitatem cum viro; consanguinei tamen viri et uxoris non contrahunt affinitatem inter se. (Cap. *Super his*, de Consanguinitate.)

Jam facilè intelligitur differentia veteris ac novi Testamenti quoad gradus consanguinitatis, et affinitatis. In veteri prohibiti erant duo gradus consanguinitatis in lineâ rectâ. Primus, inter patrem et filiam, vel inter matrem et filium; secundus, inter avum et neptem, vel inter aviam et nepotem. In lineâ transversâ, similiter duo. Primus, inter fratrem et sororem. Secundus, inter nepotem et amitam vel materteram. Non tamen inter neptem et patruum vel avunculum, ut notat Bellar. cap. 17. At in novo prohibiti sunt quatuor gradus in utrâque lineâ. In rectâ quidem primus, inter patrem et filiam; inter matrem et filium. Secundus inter avum et neptem. Tertius inter proavum et proneptem. Quartus inter abavum et abneptem. In transversâ autem, primus, inter fratrum et sororem. Secundus inter fratrem et fratris vel sororis filiam; inter nepotem et amitam, vel materteram; inter neptem et patruum vel avunculum. Tertius inter fratrem et fratris vel sororis neptem; inter pronepotem et amitam vel materteram magnam. Quartus inter fratrem et fratris vel sororis proneptem.

Rursùm, in vetere Testamento prohibiti erant tres gradu affinitatis. In primo, non licebat contrahere cum novercâ; cum sorore privignâ; cum filiâ privignâ; cum uxore fratris; cum uxore filii; cum sorore uxoris. In secundo, cum uxore patrui. In tertio, cum nepte privignâ. At in novo, prohibetur etiam quartus gradus affinitatis. Itaque non licet contrahere cum uxore avi, vel pronepotis.

Solet disputari an omnes gradus qui lege Mosaicâ erant prohibiti, sint etiam jure naturali prohibiti? Resp. : Non omnes ; nam Ecclesia in quibusdam potest dispensare, ut definivit Conc. Trident. sess. 24, Can. 3. Non posset autem dispensare, si omnes jure naturali essent prohibiti. Qui ergò hoc modo prohibiti sunt? Primò, certum est, omnes gradus consanguinitatis lineæ rectæ inter ascendentes et descendentes, jure naturali prohibitos esse. An autem primus gradus in lineâ transversâ, qui est fratris cum sorore, prohibitus sit, dubium est. Plerique affirmant. Cajetanus negat, quia Cain, filius Adami, accepit sororem suam in uxorem. Nec peccavit contrà jus naturale. Bellarm., cap. 27, componit hanc litem. Ait quidem esse præceptum naturale, non contrahere cum sorore, sicut est præceptum naturale, non accipere alienum; sed non obligare in extremâ necessitate. Sicut ergò licitum est, in extremâ necessitate, accipere alienum panem et comedere, sic etiam licere in extremâ necessitate, contrahere matrimonium cum sorore. Fuit autem extrema necessitas in principio mundi; nam Cain non poterat aliam uxorem habere, nisi sororem suam. Secundò, probabile est, primum gradum affinitatis, qui est inter privignum et novercam, lege naturali prohibitum esse, ut docet Bellarmin., loco citato. Et probat ex eo, quia qui contrahebant matrimonium in gradibus lege naturali prohibitis, puniebantur morte; qui autem contrahebant in gradibus lege tantùm mosaicâ prohibitis, puniebantur leviori pœnâ, Levit. 20. At contrahentes cum novercâ puniebantur morte; ergò verisimile est, lege naturali prohibitum esse, contrahere cum novercâ. Ex dictis sequitur, reliquos gradus consanguinitatis et affinitatis, qui lege naturali non sunt prohibiti, prohibitos tantùm esse lege humanâ apud Chri-

stianos; quia tametsi apud Judæos prohibiti fuerint lege divinâ mosaicâ, tamen illa lex nunc abrogata est, nec Christianos obligat. Secundò sequitur, Pontificem in illis omnibus gradibus, qui lege naturali prohibiti non sunt, posse dispensare, sicut in multis dispensatum est.

QUÆSTIO III. — *An potuerint accipere uxores alienigenas?*—Videtur non potuisse. Primò, quia Deus severè id prohibuit in vetere Testamento, Exod. 34, v. 16, et Deut. 7, v. 3, et 3 Reg. 11, v. 2; secundò, quia graviter punivit illos, quòd contrà prohibitionem ipsius accepissent alienigenas, post mortem Josue. (Judic. 3, v. 5 et seq.) Tertiò; quia cùm Samson vellet accipere uxorem Philistæam, dixerunt ei parentes ejus : « Numquid non est mulier in filiabus « fratrum tuorum, et in omni populo meo, « quia vis accipere uxorem de Philistiim, qui « incircumcisi sunt? » Judic. 14, v. 3. Quibus verbis significabant, non licere accipere uxorem Gentilem. Quartò, quia juxtà septimam legem superiùs assignatam, omnes viri debebant ducere uxores ex suâ tribu et cognatione. Sed contrà est, primò, quia lex quinta superiùs assignata concedebat illis, ut acciperent alienigenas in bello captas. Secundò, quia multi acceperunt alienigenas, sine ullâ culpâ aut reprehensione. Sic Jacob accepit filias Laban idololatræ, Gen. 29, v. 28; Joseph filiam Putipharis, Ægyptiam, Gen. 41, v. 45; Moyses filiam Jethro, Æthiopissam, Exod. 2, v. 21; Mahalon et Chelion, uxores Moabitidas, Ruth 1, v. 4. Similiter Booz, Ruth Moabitidem, Ruth 4, v. 10; Salmon, Rahab Chananæam, Matth. 1, v. 5; Samson, Philisthæam, Jud. 14, v. 2; David filiam regis Gessur, 2 Reg. 3, v. 3; Salomon filiam Pharaonis regis Ægypti, 3 Reg. 5, v. 1; denique Esther nupsit Assuero, regi Persarum, qui erat Gentilis, Esther 2, v. 17.

Respondeo cum distinctione. Ordinariè non licebat Judæis accipere uxores alienigenas seu Gentiles; extraordinariè licebat in tribus casibus. Prior pars patet, quia erat illis prohibitum, propter periculum subversionis et idololatriæ. Hoc patet ex locis citatis. Exod. 34, v. 16 : « Nec uxorem de filiabus eorum accipies « filiis tuis; ne, postquàm ipsæ fuerint forni- « nicatæ, fornicari faciant et filios tuos in deos « suos, » id est, ne sint illis occasio idololatriæ. Et Deut. 7, v. 2 et seq. : « Non inibis cum eis « fœdus... neque sociabis cum eis conjugia. Fi- « liam tuam non dabis filio ejus, nec filiam « illius accipies filio tuo; quia seducet filium « tuum, ne sequatur me, et ut magis serviat « diis alienis. » Et 3 Reg. 11, v. 2 : » Non in- « grediemini ad eas, neque de illis ingredien- « tur ad vestras; certissimè enim avertent « corda vestra, ut sequamini deos earum. » Quæ testimonia intelliguntur potissimùm de feminis chananæis, quarum terram possessuri erant Judæi. Et quia post mortem Josue contempserunt hanc prohibitionem, meritò à Deo puniti sunt, juxtà illud Judic. 3, v. 5 et seq. : « Filii Israel habitaverunt in medio Chananæi, « et Hethæi, et Amorrhæi, et Pherezæi, et Hevæi, « et Jebusæi; et duxerunt uxores filias eorum, « ipsique filias suas filiis eorum tradiderunt, « et servierunt diis eorum. Feceruntque malum « in conspectu Domini, et obliti sunt Dei sui, « servientes Baalim et Astaroth, iratusque con- « trà Israel Dominus, tradidit eos in manus « Chusan Rasathaim, regis Mesopotamiæ, « servieruntque ei octo annis. » Posterior pars probatur; quia extraordinariè poterant accipere uxores gentiles, in his tribus casibus. Primò, si uxores, relicto Gentilismo, converterentur ad cultum veri Dei; tunc enim cessabat periculum subversionis et idololatriæ. Sic conversa fuit Ruth Moabitis; sic Rahab; sic aliæ plures; et hoc sensu concessum fuit accipere alienigenas bello captas, Deut. 21, v. 11 et seq. Non enim fuit concessum, nisi priùs raso capite, præcisis unguibus, mutatâ veste, defleto patre et matre. Nam per hujusmodi cæremonias significabatur, quòd priùs deberent ejurare ritus et mores patriæ, ac præcipuè cultum falsorum deorum. (Vide Serar. in cap. 6 Josue, q. 50.) Secundò, si Deus excitaret aliquem Judæum, ut acciperet uxorem gentilem, etiam in gentilismo permanentem. Sic excitavit Samsonem, ut acciperet Philistæam; quod parentes illius ignorabant, juxtà illud Judic. 14, v. 4 : « Parentes autem ejus nesciebant, « quòd res à Domino fieret, et quæreret occa- « sionem contrà Philistiim. » Sic excitavit Estherem, ut nuberet Assuero regi gentili; quia ex tali matrimonio multa bona toti Judæorum genti erant obventura. Tertiò, si esset aliqua necessitas vel urgens causa, cur acciperent uxores alienigenas. Sic excusari poterant Mahalon et Chelion, accipiendo uxores Moabitidas. Erant enim juvenes in fervore ætatis; erant in alienâ patriâ, erant egentes et famelici. Nullum apparebat remedium, vel contrà fervorem libidinis, vel contrà famem et egestatem, nisi ducerent uxores illius loci, à quibus sustentarentur. Undè Rupertus, lib. 1 in Matth. : « Illum (Mahalonem in-

« tellige) non lex justificat, sed necessitas excu-« sat, scilicet fames, quæ facta fuerat, et propter « quàm, ut Scriptura refert, abiit homo de « Bethlehem. » Et ibidem : « Nisi necessitas « illos excusaret, nec ipsi uxores ducere de-« buissent Moabitidas. » Quò enim spectat illud Valentiniani imperatoris in Novellis L. 11. Theodosiani codicis : *Nihil turpe, nihil vetitum credit esuries, sola cura est, ut qualicumque sorte vivatur.* (Vide Serarium in cap. 1, Ruth, q. 11.) Porrò, an omnes illi, quos antè diximus accepisse uxores gentiles, potuerint excusari uno istorum casuum, non est hujus loci disputare. Constat aliquos excusari potuisse, ut jam dictum est; Salomonem non potuisse, ut patet 3 Reg. 11, v. 1 et seq. De reliquis disputant suo loco interpretes. Quod ultimo loco objiciebatur, viros debuisse ex suâ tantùm tribu et cognatione accepisse uxores, jam examinandum est.

Quæstio iv. — *An Judæi potuerint accipere uxores extrà suam tribum et cognationem?* — Dictum est, ordinariè non potuisse accipere uxores gentiles, sed tantùm hebræas. Nunc quæstio est, an promiscuè potuerint accipere hebræas ex quâcumque tribu? An verò necesse fuerit, unumquemque accipere ex suâ tribu, et non ex aliâ? Ratio dubitandi sumitur ex illâ lege, quam suprà allegavi : « Omnes enim « viri ducent uxores de tribu et cognatione « suâ; et cunctæ feminæ de eâdem tribu ma-« ritos accipient; ut hæreditas permaneat in « familiis, nec sibi misceantur tribus, sed ità « maneant, ut à Domino separatæ sunt. » (Num. 36, v. 7 et seq.) Quæ sanè lex, si spectemus verba, videtur fuisse generalis, ità ut nulli licuerit contrahere matrimonium extrà suam tribum aut cognationem. Et sic sentiunt Lyran. et Abulens. in illum loc. et Torniell. in annal. anno mundi 2583, n. 31; nisi quod excipiant Levitas. Nam illa lex proptereà lata est, ne paternæ hæreditates, per matrimonia diversarum tribuum, de unâ tribu in aliam transferrentur, sed singulæ hæreditates manerent in suis tribubus. At Levitæ non habebant paternas hæreditates, nec ullius alterius hæreditatis erant capaces; ac proindè non fuissent translatæ hæreditates ex unâ tribu in aliam, etiamsi Levitæ contraxissent matrimonia cum hominibus aliarum tribuum. Alii probabiliter putant, non fuisse legem generalem, sed tantùm obligâsse eas feminas, quæ succedebant in hæreditatem patris, propter defectum masculæ prolis; et similiter eos tantùm viros, qui tales feminas ducebant in matrimonium. Hujusmodi enim viros ac feminas debuisse esse ejusdem tribus et cognationis. Ità Burgensis, Cajetanus, Oleaster, Vatablus, Cornelius in cap. 36 Num. Ratio sumitur ex occasione illius legis, quæ fuit hujusmodi : Deus dederat duplex præceptum Moysi in deserto, unum, ut filii Israel, quandò venirent in terram promissionis, sorte eam dividerent, et unaquæque tribus ac familia haberet suam certam portionem, ac hæreditatem, exceptâ tribu Levi. Alterum, ut si aliquis paterfamilias moreretur sine filiis, filiæ essent hæredes. (Num 27, v. 8.) Contigit posteà, ut Salphaad, qui erat de tribu Manasse, moreretur sine filiis et relinqueret tantùm filias. Ità filiæ erant hæredes. Hinc oriebatur quæstio, an istæ filiæ possent nubere maritis aliarum tribuum? Nam si nuberent, hæreditas illarum erat transitura ad alias tribus. Sin minùs; non erat libertas nubendi, quibus vellent. Igitur ad hanc quæstionem respondit Deus per Moysen, ut non nuberent, nisi in suâ tribu : ne, si extrà suam tribum nuberent, hæreditas ad alias tribus derivaretur. Hæc autem responsio non erat generalis, sed pertinebat ad eas tantùm feminas, quæ erant hæredes suorum parentum; ad alias minimè. Hæc sententia dupliciter confirmari potest. Primò, ex Hebræo textu, qui sic habet : *Omnis femina hæreditans hæreditatem, nubet uni ex tribu suâ.* Deindè exemplo eorum, qui, quòd isto casu non comprehenderentur, extrà suam tribum contraxerunt matrimonia. Sic David, qui fuit de tribu Juda, duxit Michol, filiam Saülis, de tribu Benjamin. Sic filii Israel jurârunt, quòd non vellent filias suas dare Benjamitis. (Judic. 21, v. 1.) Ex quo colligimus, illos id anteà facere solitos. Sic denique omnes illi, quos suprà diximus accepisse uxores Gentiles seu alienigenas.

Quæstio v. — *Quæ sit differentia inter matrimonium veteris ac novi Testamenti?* — Resp. Unum differt ab altero, sicut Synagoga ab Ecclesiâ, vel sicut matrimonium Abrahæ cum ancillâ, à matrimonio ejusdem cum liberâ, vel generatìm, sicut umbra imaginis, ab ipsâ imagine. Nam sicut Synagoga fuit imperfectior quàm Ecclesia; et matrimonium cum ancillâ imperfectius, quàm cum liberâ; et umbra imaginis imperfectior, quàm ipsa imago : ità matrimonium mosaicum fuit imperfectius, quàm matrimonium nostrum. Et quidem multis modis. Primò, quia nostrum matrimonium est sacramentum à Christo institutum, quod confert gratiam, sicut baptismus et alia sacramenta. (Trident. Sess. 24. Can. 1; D. Thom. in Suppl.,

qu. 42, art. 1 et 3, et alii passim.) At mosaicum non fuit sacramentum. Itaque duo spectanda sunt in nostro matrimonio. 1° Contractus civilis. 2° Ratio sacramenti, quæ contractui supervenit. In priori convenit cum mosaico, in posteriori differt. Secundò, mosaicum poterat dissolvi per libellum repudii, ut dicam cap. 23. Nostrum non potest hoc modo dissolvi. (Trid. Can. 5 et 7.) Sicut Synagoga à Deo repudiata est; Ecclesia verò nunquàm repudiabitur. Et hoc aptè significatur per Abraham, qui repudiavit Agar, quæ erat ancilla, non autem Saram, quæ erat libera. Tertiò, mosaicum admittebat polygamiam; nostrum non admittit. Itaque licebat per legem mosaicam, habere plures simul uxores (cap. seq.) per evangelicam non licet. (Trid. Can. 2.) Sicut Deus in vetere Testamento non solùm habebat filios adoptivos ex Synagogâ, sed etiam ex gentilitate; at in novo nullum habet, nisi ex Ecclesiâ, quam solam agnoscit pro suâ sponsâ. Quartò, in mosaico, duo tantùm gradus consanguinitatis, et tres affinitatis erant prohibiti; in nostro, plures. (Suprà quæst. 2). Quintò, mosaicum, ut plurimùm, debebat contrahi inter virum et feminam ejusdem tribûs; nostrum non adstringitur ad certam tribum. Sextò, in lege mosaicâ, frater debebat accipere uxorem fratris sui defuncti, si mortuus esset sine prole; in evangelicâ nulla talis est obligatio.

In eo tamen conveniunt, quòd, sicut juxtà legem mosaicam non licebat contrahere matrimonia cum infidelibus et idololatris; ità juxtà evangelicam non liceat cum infidelibus et hæreticis. Hoc interest, quòd si Christianus contrahat cum feminâ infideli non baptizatâ, matrimonium sit irritum; si cum hæreticâ, sit quidem illicitum, non tamen irritum.

CAPUT XXII.

DE POLYGAMIA.

Polygamia idem est, quod pluralitas uxorum; est ergò quæstio, an in vetere Testamento licuerit uni viro habere simul plures uxores? Ratio dubitandi est, quia nec Adam, nec ullus alius ab initio mundi, usque ad diluvium, habuit simul plures uxores, nisi solus Lamech. (Gen. 4, v. 19.) Qui idcircò reprehenditur à Nicolao Papâ in epist. ad Lotharium regem, ubi illum vocat adulterum. (Cap. an non 24, quæst. 3.) At si licuisset habere plures, cur Lamech eo nomine reprehenderetur? Cur nullus alius, ex tot millibus virorum, qui vixerunt antè diluvium, plures habuit? At contra est, quia multi sancti viri post diluvium, polygamiâ usi sunt, quod non fecissent, si fuisset prohibita. Nam Abraham habuit duas uxores: Saram et Agar; Jacob duas: Liam et Rachelem; Elcana duas: Annam et Phenennam; David plures: Achinoam, Abigail, Maacha, Haggith, Abital, Eglam, Bethsabee, Michol, et sic deinceps.

Respondetur: Polygamia repugnat primæ institutioni matrimonii, quæ à Deo facta est in paradiso; repugnat etiam aliquo modo legi naturæ; Deus tamen concessit, ut post diluvium liceret habere plures uxores, quod antè diluvium non licebat. Hæc concessio, quam alii dispensationem vocant, confirmata est per legem mosaicam; sed revocata per evangelicam, quia Christus in evangelio reduxit matrimonium ad primam institutionem, ità ut non ampliùs liceat habere plures simul uxores. Hæc singula confirmanda sunt per totidem conclusiones.

Conclusio prima. — *Polygamia repugnat primæ institutioni matrimonii, quæ à Deo facta est in paradiso.* — Sic docent Hieron., Chrysost., Theophil., Beda, Anselm. in cap. 19 Matth., Ambr. in lib. de viduis circà fin. Aug. lib. 1 de Nuptiis et Concupis. cap. 9, asserentes matrimonium initio institutum fuisse inter unum et unam, et consequenter exclusam polygamiam; quod dupliciter probari potest. Primò ex Scripturâ, quæ utitur numero singulari. Genes. 1, v. 27: *Masculum et feminam creavit eos.* Et cap. 2, v. 24: *Relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ; et erunt duo in carne unâ.* Non dixit in plurali; masculum et duas vel tres feminas creavit; nec adhærebit uxoribus suis; nec erunt plures in diversâ carne. Secundò, ex ipsâ hominis creatione. Nam si Deus voluisset Adamum habere plures uxores, sine dubio creâsset illi plures feminas, quas in uxores ducere potuisset, at unam tantùm creavit; voluit ergò unâ uxore contentum esse. Undè Innocentius, cap. *Gaudemus,* de Divortiis, accommodatè ait unam tantùm costam in unam feminam, non plures in plures feminas fuisse conversas.

Conclusio ii. — *Polygamia repugnat etiam aliquo modo legi naturæ.* — Ità Innoc. loco cit., D. Th., supp. quæst. 65, art. 1, et alii passim theologi, excepto Durando, et aliis pauculis. Et probatur ex dictis, quia si polygamia omninò conformis esset naturæ, Deus, qui est auctor naturæ, ab initio illam instituisset, præsertim cùm eo tempore fuisset maximè necessaria ad propagandum genus humanum; at Deus non instituit tunc polygamiam, sed mo-

nogamiam; ergò polygamia non est omninò conformis legi naturali. Secunda ratio est quòd contrà legem naturæ fit, quandò res uni tradita, et ab eo legitimè possessa, alteri traditur possidenda; sed maritus in matrimonio tradit corporis sui potestatem uxori; ergò jure naturæ non potest illam alteri tradere. Insuper, quidquid repugnat fini matrimonii à naturâ intento, hoc repugnat legi naturali; at pluralitas uxorum repugnat fini matrimonii à naturâ intento. Et quidem duplici fini. Alter est, mutuum obsequium viri et feminæ, alter remedium concupiscentiæ. Utrique repugnat pluralitas uxorum; priori quidem, quia nihil magis repugnat mutuæ charitati et obsequio conjugum in domesticâ vivendi ratione, quàm rixæ et contentiones; at si unus vir haberet plures uxores, facillimè inter eas oriretur contentio, æmulatio et invidia; maximè si una plus, alia minùs à viro diligeretur; vel si una esset sterilis, altera fœcunda. Exempla sunt in Scripturis; nam Sara non potuit ferre Agar. (Gen. 21, v. 10.) Rachel invidebat Liæ propter fœcunditatem. (Gen. 30, v. 1.) Phenenna affligebat Annam. (1 Reg. 1, v. 6.) Posteriori verò, quia qui plures haberet uxores, non posset omnibus et singulis satisfacere quoad ipsarum libidinem et concupiscentiam. Dixi in conclusione, *aliquo modo;* non enim absolutè et simpliciter contrà naturam est, habere plures uxores, sed tantùm ex parte; quod sic explico: Finis matrimonii triplex est, primus, procreatio seu propagatio prolis; secundus, mutuum obsequium conjugum in domesticâ vivendi ratione; tertius, remedium concupiscentiæ. Primus, est primarius, seu principalis; reliqui duo, secundarii. Igitur polygamia non repugnat fini primario, id est, procreationi et propagationi prolis, quia quò quis plures habet uxores, potest plures liberos procreare; sed repugnat finibus secundariis, ut ostensum est. Undè sequitur, polygamiam ratione finis primarii, conformem esse legi naturæ; ratione secundarii, repugnantem. Et hoc probant tria argumenta pro conclusione allata. Sed secundum debet explicari hoc modo: contrà legem naturæ fit, quandò res uni tradita ad certum finem, ità traditur alteri, ut ille finis impediatur; non autem, quandò res uni tradita ad certum finem, ità traditur alteri, ut ille finis non impediatur. Si ergò vir daret potestatem sui corporis uni feminæ, vel ad mutuum obsequium, vel ad remedium concupiscentiæ, faceret contrà legem naturæ, si eamdem traderet alteri feminæ ad eumdem finem; quia tunc finis ille impediretur. Si autem daret uni ad procreationem prolis, et alteri ad eumdem finem, non faceret contrà legem naturæ; quia per hoc finis ille non impediretur.

Conclusio iii. — *Deus concessit post diluvium, ut liceret habere plures uxores, quod anteà non licebat.* — Ità auctores citati; ratio sumitur ex ipso facto: nam constat, ut initio dixi, quosdam sanctos viros habuisse plures uxores, quas procul dubio non accepissent, nisi fuisset illis à Deo concessum; et quamvis aliqui dubitent de Abrahamo (de quo paulò post) tamen de Jacob, Elcanâ, Davide, et quibusdam aliis dubitari non potest. De Jacob constat ex illo Genes. 30, v. 25-26: « Dixit Jacob socero suo... « da mihi uxores, et liberos meos, pro quibus « servivi tibi, ut abeam. » De Elcanâ, 1 Reg. 1, v. 1-2: « Elcana... habuit duas uxores: nomen « uni Anna; et nomen secundæ Phenenna. » De Davide, 1 Reg. 25, v. 42-43: « Surrexit Abi« gail.... et secuta est nuntios David, et facta « est illi uxor. Sed et Achinoam accepit David « de Jezrael, et fuit utraque uxor ejus. » Et 2 Reg. 2, v. 2: « Ascendit ergò David, et duæ uxo« res ejus, Achinoam Jezraelites, et Abigail. »

Quæres 1° An hæc concessio polygamiæ primò omnium facta sit Abrahamo? Resp.: Non legimus quemquam post diluvium habuisse plures uxores, antè tempora Abrahami. De Abrahamo quæstio est; plerique docent, habuisse illum duas uxores, Saram et Agar. Alii contrà, Saram fuisse legitimam uxorem, Agar non uxorem, sed concubinam. Quod tripliciter probant. Primò, ex illo Gen. 25, v. 5-6: *Deditque Abraham cuncta quæ possederat Isaac, filiis autem concubinarum largitus est munera.* Ubi per concubinas intelliguntur Agar et Cetura. Secundò, ex verbis Judæorum, Joan. 8, v. 41: *Nos ex fornicatione non sumus nati*, id est, non sumus nati ex Agar, concubinâ Abrahæ, sed ex Sarâ, legitimâ ejus uxore. Tertiò, quia aliqui Patres ità sentiunt, ut Ambr. lib. 1 de Abrahamo, cap. 4, et Aug. lib. 2 contrà advers. Leg. et proph. cap. 19 et lib. 22 contr. Faust. cap. 30, et lib 16 de Civit. Dei, cap. 25: ambo enim excusant Abrahamum, quòd vivente legitimâ uxore quæsiverit filium ex ancillâ; asserentes eum id fecisse, non ex libidine, sed ex amore posteritatis. Quod si putâssent Agar fuisse legitimam ejus uxorem, non opus erat tali excusatione. Hæc tamen sententia non placet, primò, quia magnam injuriam facit Abrahamo, quasi sciens commiserit adulte-

rium ; quod absit à tanto patriarchâ ; secundo quia repugnat Apostolo ad Gal. 4, v. 22, ubi ait Abrahamum habuisse duos filios, unum de ancillâ, et unum de liberâ; et per hoc fuisse significatum, quòd Deus habiturus esset duos populos, unum ex Synagogâ, alterum ex Ecclesiâ. Ergò ex sententiâ Apostoli, Abraham fuit figura Dei; duo filii Abrahæ, Ismael et Isaac, fuerunt figura duorum populorum, nempè populi judaici, et populi christiani; Agar, mater Ismaelis, fuit figura Synagogæ; et Sara, mater Isaac, figura Ecclesiæ; at sicut Ecclesia est legitima, non autem adulterina mater Christianorum, ità Synagoga fuit legitima, non autem adulterina mater Judæorum : ergò similiter, sicut Sara fuit legitima mater Isaac, ità Agar, legitima mater Ismaelis : et consequenter, utraque legitima uxor Abrahæ.

Ad argumenta contraria sic resp. : Ad primum, nomen concubinarum sæpè sumitur pro veris uxoribus, secundariis scilicet et ignobilioribus. Nam inter plures unius viri uxores solebat una esse primaria, quæ erat domina et gubernatrix familiæ, cui reliquæ deferebant. Sic Sara erat domina, Agar ancilla, utraque tamen uxor. Tametsi igitur Agar et Cetura, loco citato, vocentur concubinæ Abrahami, erant tamen uxores; et alibi sic vocantur; Agar quidem, Gen. 16, v. 3, Cetura verò Gen. 25, v. 1. (Vide Pererium et Cornelium in cap. 25 Gen. 1, v. 5, et Bellarm. de Matrim. cap. 11.) Nota, Abraham habuit tres uxores, unam primariam, quæ erat Sara ; duas secundarias, quæ erant Agar et Cetura. Non tamen habuit tres simul, sed tantùm duas, Saram et Agar. Nam post mortem Saræ, duxit Ceturam. (Gen. 25, v. 1.) Ad secundum, Judæi non loquuntur de fornicatione carnali, sed de spirituali, id est de idololatriâ. Itaque sensus illorum non est hic : Nos non sumus nati ex Agar, concubinâ Abrahæ, sed hic potiùs : Nos non sumus idololatræ, sed cultores veri Dei. Hoc patet ex illis ipsorum verbis : *Nos ex fornicatione non sumus nati; unum patrem habemus Deum.* Quæ posteriora verba non cohærent cum prioribus, si esset sermo de fornicatione carnali. Non enim esset bona connexio, si dixissent : Nos non sumus nati ex concubinâ Abrahæ, sed unum patrem habemus Deum. Hæc autem est bona connexio : Nos non sumus cultores idolorum, sed unius veri Dei ; vel : Nos non descendimus ex gentilibus idololatris, sed ex Patriarchis unius Dei cultoribus. (Vide Aug. et Maldon. in illum locum, et Bellarm. de Matrim. cap. 11) Ad tertium Ambr. et Aug. non dissentiunt à nobis. Nam Ambr. tripliciter excusat Abrahamum, primò, quòd eo tempore nondùm esset prohibitum adulterium per legem scriptam ; secundò, quòd amore posteritatis, non ardore libidinis id fecerit, uxore consentiente et tandem pœnitentiam egerit ; tertio quòd non peccaverit, sed futurum mysterium significaverit, nempè illud mysterium, quod explicat Apost. ad Galat. 4, v. 24. (De quo supra.) Hæc tertia excusatio est vera ; ex quâ sequitur, Abrahamum ex instinctu Dei fecisse, quod fecit; ut in suo facto significaret, fore aliquandò ut Deus conjungeret sibi Synagogam et Ecclesiam, sicut ipsi conjunxerat sibi Agar et Saram. Porrò Aug. non negat Agar fuisse uxorem Abrahami (cùm Scriptura disertè hoc affirmet, Gen. 16, v. 3), sed solùm defendit Abrahamum contrà Manichæos, asserentes, illum, vivente adhuc Sarâ uxore, accepisse Agar ancillam, non ex libidine, ut putabant Manichæi, sed ex amore posteritatis ; et quidem Sarâ consentiente et instigante. Quod est verissimum, ut patet Gen. 16, v. 2. Notandum est autem quòd Sara, cùm adverteret se esse sterilem, videtur ex divinâ inspiratione instigâsse Abrahamum, ut acciperet Agar ancillam, et ex illâ prolem suscitaret, ad præfigurandum mysterium, de quo dictum est. Sicut etiam Rebecca, ex divino instinctu, instigavit Jacob, filium suum, ut fingeret se esse primogenitum, et hoc prætextu peteret à patre suo Isaac benedictionem ; quæ res etiam non carebat mysterio.

Quæres 2° Quarè Deus post diluvium concesserit polygamiam, quæ anteà non erat concessa? Respondeo : Concessit illam duplici de causâ, primò, ad propagandam prolem, qui est primarius finis matrimonii; secundò, ut esset figura seu typus pluralitatis seu multitudinis gentium, quæ Christo, tanquàm sponso, erat conjungenda. (Aug. lib. de bono conjug. cap. 18; D. Thom. suppl., qu. 65, art. 2 ad 5; Valentia, qu. 1 de Matrim., p. 3.) Sed quarè propter easdem causas, non concessit illam in principio? Respondeo hoc pendere ex liberâ ipsius voluntate. Potest tamen dari hæc causa, quia monogamia, quam instituit in principio mundi, poterat utrumque præstare, tùm, quia erat sufficiens ad propagandam prolem, tùm quia erat typus seu figura conjunctionis Christi cum Ecclesiâ. Notare est Christum posse conferri vel cum Ecclesiâ, quæ est una, vel cum multitudine gentium, quæ recipiuntur in Ecclesiam ; priori modo fuit repræsentatus per

monogamiam; posteriori per polygamiam: nam sicut antè diluvium, vir conjunctus uni tantùm uxori, erat figura conjunctionis Christi cum unâ Ecclesiâ, ità post diluvium, vir conjunctus pluribus uxoribus erat figura conjunctionis Christi cum multis populis ac gentibus. Sed cur Deus ad eumdem planè finem, nempè ad propagandam prolem, primò ordinavit monogamiam, deindè polygamiam? Respondeo quòd Deus solet pro diversitate temporum, ordinare diversa media ad eumdem finem. Sic ad dirigendum hominem in suis actionibus, ordinavit primò legem naturalem, deindè legem mosaicam, postremò legem evangelicam. Similiter ad sustentationem hominis, concessit primò carnes animalium, sine ullâ restrictione; posteà restrinxit hanc concessionem ad carnes eorum tantùm animalium, quæ in lege Mosaicâ habebantur munda; tandem sublatâ hâc restrictione rediit ad primam concessionem. Idem dico in proposito. Ad propagationem prolis ordinavit primò monogamiam, deindè concessit polygamiam; demùm, explosâ polygamiâ, revocavit monogamiam, et simul commendavit cœlibatum ad virginitatem.

Dices: Polygamia est utilior ad propagandam prolem, quàm monogamia. Resp.: Ità quidem nos putamus; sed aliter res habet in consilio et providentiâ Dei. Quod patet ex eventu. Nam quandò instituit monogamiam in paradiso, dixit Adamo et Evæ: *Crescite et multiplicamini;* quibus verbis dedit illis et posteris eorum benedictionem et fœcunditatem. Itaque monogamia, conjuncta cum hâc benedictione, erat sufficientissima ad humani generis propagationem. Quandò autem cessante hâc benedictione, cœperunt feminæ esse steriles, tunc concessit polygamiam, ut hâc ratione sterilitatem compensaret. Sic contigit Abrahamo; habebat uxorem sterilem; concessa est illi alia uxor, ut prolem suscitaret, Gen. 16, v. 2. Posteà, multæ aliæ steriles feminæ subsecutæ sunt, ut Rachel, uxor Jacob, Anna, uxor Elcanæ, Michol, uxor David; et sic deinceps.

Dices præterea: Polygamia, ut suprà ostensum est, repugnat secundario fini matrimonii, qui est mutuum obsequium conjugum, et remedium libidinis. Cur ergò Deus illam concessit? Respondeo: Deus pro suâ providentiâ, obtulit sufficiens subsidium, vel ad tollendam illam repugnantiam, vel certè ad cavendum ne obesset, sed potiùs prodesset, primò, quia feminas, quæ nubebant uni viro, hortabatur ad conservandam concordiam. Sic per Angelum hortatus est Agar ancillam Abrahæ, ut se submitteret et accommodaret Saræ, ad cavendas contentiones, Gen. 16, v. 9; secundò, aliquandò permittebat hujusmodi contentiones ad exercitium patientiæ, et posteà magno beneficio compensabat. Sic permisit Annam affligi à Phenennâ; et posteà consolatus est eam concessione insperatæ prolis, 1 Reg. 1, v. 20, et cap. 2, v. 1. Tertiò, aliquandò mitigabat æstum libidinis, ut non opus esset frequenti usu matrimonii. Sic fecit Saræ, filiæ Raguelis, quod ipsa fatetur, Tob. 3, v. 16: « Tu scis Domine, « inquit, quia nunquàm concupivi virum, et « mundam servavi animam meam ab omni con« cupiscentiâ. » Et infrà, v. 18: « Virum autem « cum timore tuo, non cum libidine meâ con« sensi suscipere.

Conclusio iv. — *Hæc concessio divina, quâ licebat habere plures uxores, confirmata est per legem mosaicam.* — Hoc tripliciter probari potest, 1° quia nusquàm est revocata per legem mosaicam; 2° quia viri sancti, qui vixerunt in lege mosaicâ, habuerunt plures uxores, ut Elcana, David et alii; 3° quia lex mosaica videtur polygamiam approbare, Deut. cap. 21, v. 15 et seq.: « Si habuerit homo uxores duas, unam « dilectam et alteram odiosam, genuerintque ex « eo liberos, et fuerit filius odiosæ primoge« nitus, volueritque substantiam inter filios « suos dividere; non poterit filium dilectæ fa« cere primogenitum, et præferre filio odiosæ; « sed filium odiosæ agnoscet primogenitum. » Ubi sermo est de veris uxoribus, tùm quia in textu vocantur uxores, tùm quia filii illarum poterant esse hæredes patris, et dividere substantiam illius; quod non licuisset, si altera fuisset uxor, et altera tantùm concubina, nam filii concubinæ non potuissent esse hæredes.

Conclusio v. — *Hæc concessio revocata est à Christo, ut jam non liceat habere plures uxores.* — Sic definitum est in Conc. Trid. Sess. 24, Can. 2, contrà Luther. et Anabaptistas. Kemnitius et alii Lutherani idem sentiunt contrà Lutherum, et meritò: nam Christus in Evangelio reducit matrimonium ad primam institutionem, et revocat concessiones, quæ Judæis erant factæ: nam duo erant illis concessa ex indulgentiâ. 1° Ut dato libello repudii, possent suas uxores dimittere, et alias ducere. 2° Ut possent plures simul habere uxores; utrumque à Christo revocatum est, Matth. 19, v. 6; priùs quidem his verbis: « Quod ergò Deus conjunxit, « homo non separet. » Et infrà, v. 8-9: « Moyses ad duritiam cordis vestri permisit

« vobis dimittere uxores vestras; ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis, quia « quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob « fornicationem, et aliam duxerit, mæchatur; « et qui dimissam duxerit, mæchatur. » Posterius verò his, v. 4-5 ejusdem capitis: « Qui « fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos; et dixit: Propter hoc dimittet « homo patrem et matrem, et adhærebit uxori « suæ. » Ubi illa particula, *Ab initio non fuit sic*, manifestè significat, ea quæ Judæis erant permissa, fuisse contrà primam matrimonii institutionem. Et est hic sensus: Ab initio non licebat dimittere uxores; ab initio fecit Deus masculum et feminam, id est, uni viro dedit unam tantùm uxorem. Igitur ab initio, nec fuit libellus repudii, nec polygamia; sed utrumque permissum fuit Judæis ex quâdam indulgentiâ. Nunc permissio illa revocatur, et reditur ad primævam institutionem; sic explicant interpretes. Eodem sensu loquitur Apostolus, Rom. 7, v. 3: « Mulier... vivente viro, vocabitur « adultera, si fuerit cum alio viro; si autem « mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege « viri; ut non sit adultera si fuerit cum alio « viro. » Quod est contrà concessionem repudii. Et 1 Cor. 7, v. 2: « Propter fornica- « tionem autem unusquisque suam uxorem « habeat, et unaquæque virum suum habeat. » Et rursùm, v. 4: « Mulier sui corporis potesta- « tem non habet, sed vir. Similiter autem et vir « sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Quod est contrà concessionem polygamiæ.

Ex dictis colligo tria argumenta contrà polygamiam, primum, Christus vult eo modo servari matrimonium apud Christianos, quo ab initio fuit institutum in paradiso; sed ab initio fuit institutum inter masculum et unam feminam, non inter masculum et plures feminas; ergò Christus vult eo modo servari apud Christianos. Alterum, Christus dicit eum mœchari, qui dimissâ uxore, aliam duxerit; ergò nec licet priorem dimittere, nec plures simul habere. Nam si non licet novam accipere, priore vivente, certè pluralitas uxorum prohibita est. Tertium, sicut mulier non habet potestatem sui corporis, ità nec vir; sed et mulier, ex eo præcisè, quòd non habeat potestatem sui corporis quam viro tradidit, non potest alterum virum accipere, priore adhuc vivente; ergò similiter de viro dicendum est. Hoc argumentum fundatur in jure evangelico; quidquid sit de jure naturali. Nam secundùm legem evangelicam, vir et mulier, in hâc parte, sunt paris conditionis. Sicut ergò secundùm legem evangelicam, non licet mulieri habere duos viros, ità nec viro duas uxores; quare? quia sicut uxor dat viro plenam potestatem sui corporis, quoad usum matrimonii, ità vicissim vir uxori; ergò sicut illa non potest alteri viro eamdem potestatem dare, nisi per injuriam, ità nec ille potest alteri uxori dare, nisi per injuriam. (Vide Aug. de adul. conjug., cap. 8 et 9, ubi pulchrè explicat æqualitatem viri et uxoris, de quâ hic agimus.)

Dices: Valentinianus imperator, qui fuit pius et catholicus, legem promulgavit ut liceret unicuique duas uxores habere, teste Socrate, lib. 4. Historiar., cap. 27. Resp.: Valentinianus meritò reprehenditur ab omnibus catholicis. Et quidem duplici titulo, primò, quòd arrogaverit sibi potestatem, quam non habuit. Non enim licebat illi abrogare legem evangelicam à Christo latam, et aliam contrariam statuere; secundò, quòd prætextu hujus legis, voluerit suam turpitudinem et libidinem occultare. Nam ipse, cùm haberet legitimam uxorem, nomine Severam, ex quâ susceperat Gratianum, aliam insuper duxit, nomine Justinam, cujus amore tenebatur. Ne igitur solus esset polygamus, quæsivit socios sui sceleris, permittendo omnibus polygamiam.

Juxta ea, quæ hactenùs dicta sunt, tria tempora distingui possunt, primum, ab initio mundi usque ad Abrahamum; secundum ab Abrahamo usque ad Christum; tertium à Christo usque ad finem mundi: in primo, fuerunt primi parentes cum suis posteris; in secundo, Judæi cum suis progenitoribus, Abrahamo, Isaac et Jacob; in tertio sunt Christiani. In primo viguit sola monogamia; in secundo concessa est polygamia; in tertio reducta est monogamia, et explosa polygamia. Quid hoc significat? Nihil aliud, quàm quòd Deus initio mundi instituerit matrimonium in perfecto statu; deindè, ex quâdam indulgentiâ permiserit quædam Judæis, quæ multùm derogabant perfectioni matrimonii; denique reduxerit matrimonium ad primævam perfectionem. Hoc in multis aliis solet evenire, v. g.: Natura humana ab initio fuit creata in suâ perfectione; paulatìm degeneravit per peccatum; tandem per Christum restaurata est. Omitto similia exempla, quæ nota sunt.

CAPUT XXIII.

DE ZELOTYPIA.

1. Zelotypia, ut hìc sumitur, frequens inter conjuges malum est: in eo consistit, quòd al-

ter alterum de adulterio suspectum habeat. De quâ lata fuit lex mosaica, Num. 5, v. 14, et seq., præscribens modum investigandi, an mulier, quam vir suspectam habebat de adulterio, verè adultera esset, necne? Adulteria enim solent occultè committi, ut per testes probari non possint. Deus igitur, qui occultorum judex est, præscripsit hunc modum explorandi : Vir suspectam uxorem ducebat ad sacerdotem coràm tabernaculo ; offerebat ibi oblationem zelotypiæ, nempè, farinam hordeaceam, sine oleo et thure; sacerdos accipiebat aquam sanctam in vase fictili, et in eam immittebat pauxillum terræ de pavimento tabernaculi, et ista aqua terræ permixta vocabatur *aqua amarissima ;* super hanc aquam proferebat maledictiones ; discooperiebat caput mulieris, et in manibus ejus ponebat oblationem zelotypiæ, id est, farinam hordeaceam ; tùm similiter proferebat maledictiones super mulierem, dicens: Si innocens es, non nocebit tibi aqua ista amarissima, in quam maledicta congessi; sin rea subjacebis his maledictionibus : *Dominus....* (in cujus conspectu stas)*putrescere faciat femur tuum; et tumens uterus tuus disrumpatur.* (Num. 5, v. 21.) Mulier respondebat: *Amen, amen;* sacerdos has secundas maledictiones scribebat in libro; mox scripturam abluebat aquâ, quam habebat in vase fictili ; farinam hordeaceam accipiebat ex manu mulieris, et partem illius adolebat, et partem sibi reservabat ; aquam maledictam dabat mulieri bibendam. Et si erat rea, statim femore putrescente, et utero intumescente, disrumpebatur, et sic expirabat. Addunt Rabbini, eodem tempore, quo adultera puniebatur, divinitùs punitum fuisse adulterum, etiam absentem, cum quo occultè peccaverat. Quod, an verum sit, non satis constat.

Quæres 1° quarè Deus instituerit hunc modum investigandi adulterium ? Resp. : Quia volebat ostendere se esse præsidem ac vindicem fidei conjugalis ; se esse testem et protectorem innocentiæ, ne scilicet zelotypia, si nullus esset innocentiæ testis, gigneret in matrimonio lites, rixas, homicidia; se occulta scelera videre, manifestare, punire ; adulterium esse gravissimum scelus, publicâ pœnâ et confusione plectendum, ut uxores, si non amore castitatis, saltem timore pœnæ et confusionis in officio continerentur.

Quæres 2° quid significaverint illæ cæremoniæ, quæ adhibebantur. Resp. : Erant ...riæ cæremoniæ, quæ adhibebantur, primò, oblatio farinæ hordeaceæ, sine thure et oleo. Quarè sine thure? quia thus symbolum est devotionis et bonæ famæ ; at zelotypia infamiâ plena. Quarè sine oleo ? quia oleum est symbolum lenitatis et misericordiæ, at zelotypia crudelis, tùm ex parte adulteræ, tùm ex parte pœnæ, quæ illi imponitur. Secundò, terra de pavimento sumpta, et in aquam immissa, utrumque vile et abjectum. Et declarat adulteram esse vilem instar lutosi pulveris, qui pedibus calcatur, juxtà illud Eccli. 9, v. 10 : *Omnis mulier, quæ est fornicaria, quasi stercus in viâ conculcabitur.* Tertiò aqua amarissima. Quorsùm ? quia adultera, coràm sacerdote et populo afficiebuntur magnâ amaritudine animi, propter publicam confusionem. Quartò, aqua maledictionibus sacerdotis onusta, quæ significabat, adulteras divinis maledictionibus obnoxias esse. Quintò, caput mulieris discoopertum, nempè, quia omnia Deo nuda et aperta sunt ; nec adulteria, quia in occulto fiunt, latere eum possunt. (Vide Theodoret., qu. 10.)

Quæres 3°, an etiam in novo Testamento sit similis modus explorandi adulteria ? Resp. : Olìm inter Christianos fuit hic modus usitatus, ut mulier, quæ erat suspecta de adulterio probaret suam innocentiam tangendo ferrum candens; et si adureretur à ferro candente, habebatur adultera ; sin minùs, innocens. Verùm cùm talis probatio seu purgatio non sit à Deo instituta, meritò à Canonibus damnata est. (cap. *Omnibus.* et cap. *Consuluisti* 2 qu. 4.) Vide Martin. Delrium, lib. 4 de Magiâ, cap. 4.

CAPUT XXIV.

DE LIBELLO REPUDII.

Certum est permissum fuisse Judæis, uxores suas dimittere, et dare illis libellum repudii, juxtà illud Deut. 24, v. 1. et seq. : « Si acceperit homo uxorem, et habuerit eam, et non « invenerit gratiam antè oculos ejus propter « aliquam fœditatem ; scribet libellum repudii, « et dabit in manu illius, et dimittet eam de « domo suâ. Cùmque egressa alterum maritum « duxerit, et ille quoque oderit eam, dederit« que et libellum repudii, et dimiserit de domo « suâ, vel certè mortuus fuerit ; non poterit « prior maritus recipere eam in uxorem ; quia « polluta est, et abominabilis facta est coràm « Domino. » Hìc aliqua examinanda sunt, 1° quo sensu permissum fuerit Judæis dimittere, seu repudiare suas uxores? an ità, ut dimittendo non peccarent? an verò, ut peccarent quidem, sed lege non punirentur? 2° Quibus de causis licuerit uxores dimittere, seu repudiare? 3° Quæ cæremoniæ adhiberi solitæ? Et

quæ fuerit formula verborum, quâ libellus repudii scribebatur? 4° An sicut viri poterant repudiare uxores, ità vicissim uxores potuerint repudiare viros?

Quæstio prima. — *Quo sensu permissum fuerit Judæis uxores dimittere?* — Multi putant, non fuisse licitum Judæis dimittere, seu repudiare suas uxores, sed solum permissum, ut impunè facerent, ad majus malum evitandum. Ità Magister in 4 dist. 33, Bonavent. et Richard. ibid., ac nonnulli alii. Et juxtà hanc sententiam peccabant Judæi dimittendo suas uxores, nec matrimonii vinculum dissolvebatur; ac proindè, si uxores acciperent novos maritos, non erat novum matrimonium, sed adulterium. Probatur primò quia loco cit. (Deut. 24, v. 4.) dicitur mulierem repudiatam, si alteri nupserit, fieri *pollutam et abominabilem coràm Deo;* quia scilicet nubendo alteri, committit adulterium: quod etiam repetitur Jerem. 3, v. 1, his verbis: « Vulgò dicitur: Si dimiserit vir uxorem suam « et recedens ab eo duxerit virum alterum; « numquid revertetur ad eam ultrà? Numquid « non polluta et contaminata erit mulier illa? Tu « autem fornicata es cum amatoribus multis; « tamen revertere ad me, dicit Dominus, et ego « suscipiam te. » Secundò, quia repudium fuit Judæis permissum propter duritiam cordis eorum. (Matth. 19, v. 8.) Ergò fuit permissum, tanquàm minus malum, ad evitandum majus malum, ne scilicet Judæi suas uxores occiderent, si non permitterentur eas dimittere. Nam minus malum erat dimittere illas, quàm occidere. Alii rectiùs docent, permissum fuisse Judæis dimittere uxores, non solùm impunè, sed etiam licitè, ità ut non peccarent dimittendo; sic D. Thom., Scotus, Durand. et Paludan. in 4 dist. 33; Bellarm. de matrim. cap. 17, ad object. 14; Maldon., in cap. 19 Matth.; Abul., ibid., qu. 49 et 50. Et juxtà hanc sententiam, quandò quis dato libello repudii, dimittebat uxorem, verè dissolvebatur matrimonium, et uterque tàm vir quàm femina poterat cum altero contrahere.

Probatur primò quia si matrimonium non fuisset solutum per libellum repudii, deterioris conditionis fuissent feminæ, quàm viri. Nam viri poterant alias uxores ducere, cùm eo tempore licita esset polygamia, ut suprà dixi. At feminæ non potuissent alios viros accipere, quia nunquàm licuit uni feminæ habere plures simul viros. Itaque debuissent fieri adulteræ, vel perpetuam continentiam servare. Non est autem verisimile, coactas fuisse ad perpetuam continentiam, cùm id in vetere Testamento esset planè inusitatum. Secundò, quandò mulier à suo viro repudiata, nubebat alteri viro, poterat impunè cum altero manere usque ad mortem illius. (Deut. 24, v. 4.) Ergò manens cum illo, non erat adultera, sed legitima uxor; si enim fuisset adultera, debuisset secundùm legem mosaicam lapidari. (Joan. 8, v. 3-5, et Levit. 20, v. 10.) Tertiò, quandò nupserat alteri viro, poterat etiam ipse dare illi libellum repudii, sicut prior maritus. (Deut. 24, v. 3.) Ergò non minùs erat ipsius uxor, quàm anteà fuerat prioris mariti. Nam libellus repudii non fuit concessus viro, nisi ratione suæ uxoris. Quartò, lex prohibebat ne repudiata, post mortem secundi mariti, rediret ad priorem maritum. (Deut. 24, v. 4.) At si per repudium non fuisset solutum vinculum matrimonii, non erat prohibendum, sed potiùs optandum ut uxor rediret ad suum legitimum maritum. Quintò, neque Moyses, neque alii prophetæ unquàm reprehenderunt matrimonia cum repudiatis. At si ejusmodi matrimonia fuissent adulterina, sine dubio debuissent illa palàm reprehendere, sicut reprehendebant alia vitia. Sextò, lex vetabat sacerdoti, ne duceret viduam, aut repudiatam, aut meretricem, sed tantùm virginem. (Levit. 21, v. 13.) Ergò aliis, qui non erant sacerdotes, licebat ducere repudiatas, sicut licebat ducere viduas et meretrices.

Ad contraria argumenta sic respondeo. Ad primum: Mulier repudiata vocabatur polluta et abominabilis coràm Deo, non ideò, quòd alteri viro nupsisset; sed quia à priori viro publicâ infamiâ erat notata, hoc ipso, quòd publicè esset repudiata. Ac proindè non decebat, ut ab illo iterùm reciperetur. (Bellarm. loc. cit.) Nec aliud colligi potest ex loco Jeremiæ, ubi sic Deus argumentatur: si vir non recipit repudiatam, quæ nupserit alteri; multò minùs ego deberem te recipere, quæ non nupsisti alteri, sed cum multis amatoribus fornicata es. Ad secundum: Verum est Deum permisisse Judæis repudium, propter duritiam cordis eorum, ne scilicet suas uxores, quas repudiare non possent, occiderent; sed indè non sequitur, eos peccàsse repudiando suas uxores, ex divinâ permissione. Potuit enim Deus hoc permittere, ut non peccarent, quia potuit dissolvere matrimonium inter ipsos contractum, et dare potestatem, ut viri acciperent alias uxores, et repudiatæ nuberent aliis viris. Nec illa permissio carebat mysterio. Nam Deus per illam volebat significare, se repudiaturum Synagogam Judæorum, et in locum illius desponsatu-

rum sibi Ecclesiam ex Gentibus colligendam.

Quæstio ii. — *Quibus de causis licuerit uxores dimittere, seu repudiare?* — Resp.: Non satis constat, tametsi enim Scriptura dicat, licuisse eas dimittere propter aliquam *fœditatem*, disputant tamen interpretes, quid per illam fœditatem intelligendum sit. Tertull. lib. 4 contrà Marcion, cap. 34, intelligit solum adulterium seu fornicationem; quod alii auctores refellunt. Primò, quia mulier adultera, secundùm legem mosaicam, non dimittebatur, sed vel lapidabatur, si constaret adulteram esse; vel per aquas zelotypiæ examinabatur, si suspecta esset de adulterio. Secundò, quia Pharisæi interrogabant Christum, *An quâcumque ex causâ liceret uxorem dimittere*, Matth. 19, v. 3. Ergo supponebant varias esse causas, sed cupiebant intelligere an Christus omnes approbaret. Quæ autem fuerint istæ causæ in particulari, non omnes eodem modo explicant. Lyranus putat fuisse quamcumque rem turpem, matrimonio supervenientem, quæ posset bonum prolis impedire; sive in corpore, ut est sterilitas, lepra, morbus caducus; sive in animâ, ut si uxor esset pravis moribus prædita. Consentit Cornel. qui assignat has causas, lepram, et sterilitatem veneficium, rixas perpetuas, ebriositatem, et alios pravos mores incorrigibiles. Adulterium videntur excludere. Pro quo notandum est, dimissionem uxoris potuisse fieri dupliciter, vel palàm, vel occultè. Prior dimissio fiebat per libellum repudii. De posteriori intelligendum est illud Matth. 1, v. 19: *Joseph autem vir ejus, cùm esset justus, et nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam*, nempè Mariam, sibi desponsatam, eò quòd videret illam, antequàm convenirent, gravidam esse. Quomodò occultè id facere voluerit, variæ sunt sententiæ apud Maldon. quæ non faciunt ad nostrum propositum. Itaque prior dimissio per libellum repudii, vel nunquàm, vel raró fiebat propter adulterium. Nam tribus modis possumus loqui de muliere adulterâ: primò, si in adulterio esset deprehensa, sic jubebatur lapidari; secundò, si solùm esset suspecta de adulterio, sic debebat examinari per aquas zelotypiæ. Tertiò, si quidem constaret adulteram esse, sed nec publicè constaret, nec in adulterio esset deprehensa, sed maritus aliundè id sciret. Sic fortassè poterat occultè dimitti. Si tamen maritus voluisset illam publicè accusare, et dato libello repudii solemniter dimittere, non video cur id fieri non potuerit.

Quæstio iii. — *Quæ cæremoniæ fuerunt adhibitæ in repudio, et quibus verbis libellus repudii consignatus?* — Cæremoniæ, et cautiones, quibus libellus repudii solebat dari, recitantur decem ab Hebræis, ut notat Maldonatus, 1° ut uxor non discederet, nisi volente marito; 2° ut libellus in manu uxoris traderetur; 3° ut scriberentur ut minimùm nomina duorum testium; 4° ut exprimerentur tres generationes viri, et tres mulieris, ut ex libelli formula intelligetur; 5° ut scriberetur libellus litteris rotundis, distinctis, atque perspicuis, ità ut una aliam non attingeret, ne aliquod scripturæ vitium irreperet; 6° ut si inter scribendum aliqua atramenti guttula in chartam decideret, libellus auctoritatem non haberet, sed alius de novo scriberetur; 7° ut in libello nullum rasuræ vestigium appareret, ne posset esse suspectus de vitio; 8° ut charta longior esset, quàm latior; 9° ut omnes testes, qui aderant, suum quique sigillum adhiberent; 10° ut maritus diceret: *Accipe libellum repudii, et esto à me abjecta, et cuicumque viro permissa.*

Formula libelli repudii, secundùm Hebræos, erat hæc: Ego Rabbi Simeon, filius Rabbi Abraham, filii Rabbi David, filii Rabbi Salomonis, die primâ mensis secundi, anno 5296 à creatione mundi, hìc et in hâc civitate, ex animi mei consensu et sine ullâ coactione repudiavi Rachel, filiam Rabbi Moysis, filii Rabbi Joseph, filii Rabbi Jacob; et dedi illi libellum repudii in manu, schedam abscissionis, et signaculum divisionis, ut sit à me abjecta, et abeat quòcumque velit, et nemo possit illi prohibere, juxtà constitutiones Moysis et Israel. Ità referunt Vatablus, Oleaster, Cornelius in cap. 24 Deut. et Maldon. in cap. 19. Matth.

Quæres an libellus repudii datus fuerit publicè coràm judice, et in formâ judiciariâ? Resp.: Id verisimile est, tùm quia datus fuit coràm testibus, ut ex dictis patet; tùm quia repudium apud Romanos fiebat coràm judice, ut patet ex jure civili, titulo de divortiis, ubi etiam describitur hæc formula apud Romanos usitata: *Res tuas curato, res tuas tibi habeto.* An etiam alii, præter Judæos et Romanos, usi fuerint repudio? Resp.: Etiam Medi et Persæ usi sunt, ut patet exemplo Assueri regis, qui uxorem suam Vasthi repudiavit. (Esther 1, v. 19 et seq.)

Quæstio iv. — *An sicut viri poterant repudiare uxores, ità vicissìm uxores potuerint repudiare viros?* — Resp.: Non poterant. Nam solis maritis concessum fuit jus repudii; nusquàm enim in lege mosaicâ invenies, uxoribus concessum esse. Quod etiam fatetur Joseph,

lib. 15, cap. 11, ubi refert, Salome sororem Herodis præter legem mosaicam fecisse, quod maritum suum Costobarum repudiaverit: « *Lex enim nostra*, inquit, *solis maritis jus repudii permittit: mulieribus autem, ne dimissis quidem fas est nubere, nisi prioris viri permissu.* » Quæ posterior pars non habetur expressè in lege mosaicâ. Videtur tamen colligi ex formulâ libelli repudii, in quâ vir dimittens uxorem, sic ait: *Abeat quocumque velit.* Quibus verbis concedit illi potestatem nubendi alteri marito. Et clariùs ex decimâ cæremoniâ superiùs recensitâ, in quâ maritus dicit: *Esto à me abjecta, et cuicumque viro permissa.* An ergò mulieres nullo modo poterant dimittere suos viros? Resp.: aliud est repudium, aliud divortium: non poterant illos dimittere per repudium; poterant tamen eos deserere per divortium, vel propter adulterium, vel propter alias legitimas causas. Hoc enim et Christianis, et Gentilibus mulieribus, jure naturali permissum est. Nota: In divortio fit tantùm separatio cohabitationis et thori, manente vinculo matrimonii. In repudio, etiam hoc vinculum dissolvitur, ut patet ex auctoribus, quæst. 1 allegatis.

CAPUT XXV.

DE ADULTERIO ET STUPRO.

In lege mosaicâ prohibentur et puniuntur hæc potissimùm peccata carnis. 1° Adulterium. 2° Incestus, id est, congressus cum consanguineâ, vel affine intrà gradus prohibitos. 3° Stuprum, id est, violatio virginis, maximè si per vim fiat. 4° Scortatio. 5° Sodomia. 6° Bestialitas. De singulis dicam aliquid.

Primò igitur, de adulterio exstant tres leges. Prima moralis. *Non mœchaberis.* (Exod. 20, v. 14.) Secunda, judicialis, *si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius.... morte oriantur et mœchus et adultera.* (Levit. 20, v. 10.) Tertia, partìm judicialis, partìm cærimonialis, quæ præscribit modum investigandi occultum adulterium, de quo suprà dictum est, cap. 23, de zelotypiâ.

De incestu exstat una generalis, et plures speciales. Generalis est: « Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet, ut revelet turpitudinem ejus. » (Levit 18, v. 6.) Speciales sunt hæ, prima: « Qui dormierit cum novercâ suâ, et revelaverit ignominiam patris sui, morte moriantur ambo. (Levit. 20, v. 11.) Secunda: « Si quis dormierit cum nuru suâ, uterque moriatur. » (Ibidem v. 12.) Tertia: « Qui suprà uxorem filiam, duxerit matrem ejus, scelus operatus est; vivus ardebit cum eis. » (Ibid., v. 14.) Quarta: « Qui acceperit sororem suam filiam patris sui, vel filiam matris suæ.... occidentur in conspectu populi sui. » (Ibid., v. 17.) Quinta: « Qui coierit cum uxore patrui, vel avunculi sui, et revelaverit ignominiam cognationis suæ, portabunt ambo peccatum suum, absque liberis morientur. » (Ibid., v. 20.) « Sexta: Qui duxerit uxorem fratres sui..... absque liberis erunt. » (Ibid., v. 21.)

De stupro duo exstant. Una, si quis in civitate concubuerit cum puellâ virgine, quæ alteri desponsata est, et illa non clamaverit, educes utrumque ad portam civitatis illius, et lapidibus obruentur. Si autem in agro id fecerit, ipse morietur solus; puella nihil patietur; præsumitur enim clamâsse; sed quia sola erat, non potuit audiri et liberari. (Deut 22, v. 23 et seq.) Altera, qui vim intulerit puellæ non desponsatæ, ducet illam in uxorem, nec unquàm poterit eam dimittere; et insuper patri illius dabit quinquaginta siclos argenti. (Ibid., v. 28-29.)

De scortatione similiter duæ, una, « Non erit meretrix de filiabus Israel, nec scortator de filiis Israel. » (Deut. 23, v. 17.) Altera: « Ne prostituas filiam tuam, ne contaminetur terra, et impleatur piaculo. » Levit. 19, v. 29.)

De sodomiâ sic statutum est: « Cum masculo non commiscearis coitu femineo, quia abominatio est. » (Levit. 18, v. 12.) Et iterùm: « Qui dormierit cum masculo coitu femineo, uterque operatus est nefas, morte moriantur; sit sanguis eorum super eos. » (Levit. 20, v. 13.) Solet hoc vocari peccatum contrà naturam, de quo Apost. ad Roman. 1, v. 27: « Masculi relicto naturali usu feminæ, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes. »

De bestialitate sic: « Cum omni pecore non coibis, nec maculaberis cum eo. Mulier non succumbet jumento, nec miscebitur ei, quia scelus est. » (Levit. 18, v. 23.) Et iterùm: « Qui cum jumento et pecore coierit, morte moriatur; pecus autem occidite. Mulier, quæ succubuerit cuilibet jumento, simul interficietur cum eo. » (Levit. 20, v. 15-16.)

Hæc de legibus. Porrò, quæ calamitates ex supradictis in vetere Testamento secutæ sint, notum est. Ego paucis insinuabo. David commisit adulterium cum Bethsabee, uxore Uriæ, Hethæi. Punitus est octo modis: 1° morte filii ex adulterio nati. 2° Incestu primogeniti filii sui Amnon cum Thamar. 3° Ejusdem primo-

geniti cæde; quia Absalon frater Thamar, occidit Amnon propter incestum. 4° Rebellione Absalonis. 5° Publicâ violatione uxorum. 6° Bello contrà se illato ab Absalone. 7° Morte Absalonis. 8° Novâ seditione à Sebâ, filio Bochri, excitatâ. (2 Reg. 12 et seq.) Amnon, filius Davidis, de quo jam dixi, oppressit Thamar sororem Absalonis. (2 Reg. 13, v. 1 et seq.) Absalon invitavit illum ad convivium; et cùm temulentus esset, curavit illum occidi. (Ibid., v. 28.) Quidam ex tribu Benjamin, in Gabaâ, abusi sunt uxore cujusdam Levitæ peregrinantis. (Judic. 19, v. 25.) Hoc facinus ulti sunt filii Israel, et communi concensu progredientes ad bellum contrà Benjamitas, occiderunt ex illis viginti quinque millia armatorum hominum. (Judic. 20, v. 46.) Adeò, ut ex toto numero Benjamitarum, remanserint tantùm sexcenti viri. (Ibid., v. 47.) Zambri ex tribu Simeon, publicè ingressus est in lupanar ad feminam Madianitidem. Pœna sequitur: *Quòd cùm vidisset Phinees.... arrepto pugione.... perfodit ambos simul.... in locis genitalibus.* Et propter hoc factum laudatus est Phinees, tanquàm vir zelosus pro honore Dei. Et loco præmii accepit à Deo promissionem sempiterni sacerdotii in suâ familiâ. (Num. 25, v. 6 et seq.) Sichem, filius Hemor, oppressit Dinam, filiam Jacob ex Liâ, sororem Simeonis et Levi. Gen. 34, v. 2. 1° Secuta est ultio. Nam Simeon et Levi, arreptis gladiis, occiderunt non tantùm Sichem et Hemor, sed omnes masculos totius civitatis, et civitatem deprædati sunt, auferentes eorum oves, armenta, asinos, uxores, parvulos. (Ibid., v. 26 et seq.)

De Sodomitis quomodò puniti sint, narratur Gen. 19, v. 24-25: « Dominus pluit super « Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem « à Domino de cœlo, et subvertit civitates « has et omnem circà regionem, universos habitatores urbium, et cuncta terræ virentia. »

Hæc omnia, teste Apostol., 1 Corinth. 10, v. 11, *scripta sunt ad correptionem nostram*, ut caveamus ab adulteriis, et aliis peccatis carnalibus, quæ jam recensita sunt; ne similiter, ac Judæi, à Deo puniamur. Potest et aliud hinc colligi, nempè, legem mosaicam, ut alibi dixi, multò fuisse imperfectiorem, quàm sit evangelica. Illa etenim prohibebat peccata externa; hæc etiam interna. Quò spectat illud Christi in Evangelio: « Audistis quia dictum « est antiquis: non mœchaberis. Ego autem dico « vobis: Quia omnis, qui viderit mulierem « ad concupiscendum eam, jam mœchatus est « eam in corde suo. » Matth. 5, v. 27-28

CAPUT XXVI,

DE SERVIS ET ANCILLIS, DE MERCENARIIS, PEREGRINIS, ET PAUPERIBUS.

De servis et ancillis multa statuta sunt in lege mosaicâ, præsertìm Exod. 21, Levit. 25, et Deut. 15. Compendium omnium est hoc. Scilicet Hebræi non poterant ex suo populo habere servum vel ancillam per modum mancipii, sed tantùm ex Gentilibus. Itaque soli Gentiles (quod etiam intelligitur de proselytis ad Judaismum conversis) poterant esse perpetui et hæreditarii Hebræorum servi. Si aliquis Hebræus fieret servus Gentilium, debebat redimi ab Hebræis. Si fieret servus Hebræorum, non tractabatur ut mancipium, sed ut mercenarius. Nec serviebat perpetuò, sed ad certum tempus. Si habebat uxorem Hebræam, serviebat usque ad annum septimum, seu sabbaticum: et tunc ambo liberi exibant. Si autem herus ipsius, qui ipsum emerat, dedisset illi uxorem gentilem (nam hebræam dare non poterat) quæ verè esset serva seu mancipium, et ex illâ haberet liberos; tunc quidem poterat liberari anno septimo, si vellet, sed relictâ apud herum uxore et liberis. Si tamen maluisset manere apud herum suum, et apud uxorem et liberos, poterat quidem id facere, sed tantùm usque ad annum jubilæum. Uxor tamen et liberi manebant in perpetuâ servitute; nisi vel redimerentur à suis Gentilibus, vel certè, nisi herus excussisset illi dentem aut oculum. Tunc enim pro compensatione illius injuriæ debebat eos liberos dimittere.

Hic tria notanda sunt. Primò, libertas Hebræorum erat corporalis, et opponebatur servituti corporali. At libertas Christianorum est spiritualis, et opponitur servituti spituali. De quo loquitur Joan. 8, v. 34: « Omnis, qui « facit peccatum, servus est peccati. » Et paulò post, v. 36: « Si vos filius liberaverit, « verè liberi eritis. » Et Apost. ad Rom. 8, v. 2: « Lex spiritûs vitæ in Christo Jesu li« beravit me à lege peccati et mortis. » Et ad Galat. 4, v. 31: « Non sumus ancillæ filii, sed « liberæ; quà libertate Christus nos libera« vit. » Secundò, sicut vetus Testamentum fuit figura novi Testamenti, ità libertas mosaica fuit figura libertatis evangelicæ. Et sicut Moyses eduxit Hebræos ex corporali servitute Ægyptiorum, ità Christus eduxit nos ex spirituali servitute diaboli et peccati. Tertiò, tanta est perfectio et prærogativa libertatis evange-

licæ, ut non curet aut timeat servitutem corporalem. Undè Apost. 1 Cor. 7, v. 20-21 : « Unusquisque in quâ vocatione (id est, vitæ « conditione) vocatus est, in eâ permaneat. « Servus vocatus es? Non sit tibi curæ ; sed et « si potes fieri liber, magis utere ; » scilicet servitute, et ob majorem utilitatem et patientiam.

De mercenariis. — De mercenariis hic statutum est : « Non morabitur opus mercenarii « tui apud te usque manè. » (Levit. 19, v. 13.) Quod alibi sic explicatur : « Non negabis « mercedem indigentis, et pauperis fratris « tui, sive advenæ, qui tecum moratur in « terrâ, et intrà portas tuas est ; sed eâdem « die reddes ei pretium laboris sui antè solis « occasum, quia pauper est, et ex eo sustentat animam suam ; ne clamet contrà te ad « Dominum, et reputetur tibi in peccatum. » (Deut. 24, v. 14-15.) Eodem sensu senior Tobias dixit juniori : « Quicumque tibi aliquid « operatus fuerit, statim ei mercedem restitue, et merces mercenarii tui apud te om« ninò non remaneat, » cap. 4, v. 15.

Nota. Nomen mercenarii in novo Testamento sumitur dupliciter, vel sensu jam dicto, nempè pro famulis, seu operariis qui mercede conducuntur ad laborandum, ut Marc. 1, v. 20 : « Et relicto patre suo Zebedæo in navi « cum mercenariis, secuti sunt eum. » Et Luc. 15, v. 17 : « Quanti mercenarii in domo « patris mei abundant panibus, ego autem hìc « fame pereo ! » Vel pro pastoribus Ecclesiæ, qui etiam accipiunt mercedem pro labore prædicandi evangelium, et sacramenta administrandi. Hi iterùm duplices sunt. Alii boni pastores, qui nihil aliud accipiunt, quàm necessariam vitæ sustentationem, neque tàm pecuniam subditorum desiderant, quàm salutem; de quibus Apost. 1 Tim. 5, v. 18 : « Dignus « est operarius mercede suâ. » Et 1 Cor. 9, v. 11 : « Si nos vobis spiritualia seminavimus, « magnum est, si nos carnalia vestra meta« mus? » Et infrà, v. 14 : « Ità et Dominus « ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, « de Evangelio vivere. » Alii mali, qui magis quærunt mercedem et proprium commodum, quàm salutem et utilitatem ovium sibi commissarum. De quibus Christus Joan. 10, v. 11-12 : « Ego sum pastor bonus. Bonus pastor « animam suam dat pro ovibus suis. Mercena« rius autem, et qui non est pastor, cujus « non sunt oves propriæ, videt lupum venien« tem, et dimittit oves, et fugit. » Et paulò post : « Non pertinet ad eum de ovibus. » De similibus conqueritur Deus per prophetam Ezech. 34, v. 2-3 : « Væ pastoribus Israel, qui « pascebant semetipsos ; nonnè greges à pa« storibus pascuntur? Lac comedebatis, et « lanis operiebamini et quod crassum erat « occidebatis ; gregem autem meum non pa« scebatis. » Tales non pauci hoc tempore.

De peregrinis et pauperibus. — De his sancita sunt hæc. Primò : « Cùm messueris segetes « terræ tuæ, non tondebis usque ad solum su« perficiem terræ ; nec remanentes spicas colli« ges. Neque in vineâ tuâ racemos et grana « decidentia congregabis, sed pauperibus et « peregrinis carpenda dimittes. » (Lev. 19, v. 9-10.) Idem facies in manipulo, quem oblitus es in agro, et in frugibus olivarum. (Deut. 24, v. 19.) Secundò : « Indigens et mendicus « non erit inter vos ; ut benedicat tibi Do« minus, Deus tuus, in terrâ quam traditurus « est tibi in possessionem. » (Deut. 15, v. 4.) Duplex potest esse sensus. Prior : Ne patiaris Hebræum mendicare, sed subveni, ut benedicat tibi Deus ; posterior : Tanta erit bonorum abundantia, si legem Dei serves, ut nemo cogatur mendicare. (Vide Emanuelem Sa in notationibus.) Tertiò : « Si unus de fratribus « tuis... ad paupertatem venerit, non obdura« bis cor tuum, nec contrahes manum, sed ape« ries eam pauperi, et dabis mutuum quo eum « indigere perspexeris. » (Ibid., v. 7-8.) Hæc sententia conformis est priori sensui præcedentis.

In lege evangelicâ, omnes debent se æstimare peregrinos, juxtà illud 1 Petri 2, v. 11 : « Charissimi, obsecro vos tanquàm advenas « et peregrinos abstinere vos à carnalibus de« sideriis, quæ militant adversùs animam. » Et 2 Cor. 5, v. 6 : « Dùm sumus in corpore, « peregrinamur in Domino. » Sicut enim Judæi quadraginta annis peregrinati sunt in deserto, antequàm venirent ad terram promissionis ; ità nos, toto tempore hujus vitæ, peregrinamur in hoc mundo, antequàm perveniamus ad patriam nostram cœlestem. Illorum peregrinatio fuit figura nostræ peregrinationis.

Paupertas, propter exemplum Christi, desiit ærumnosa et pudenda. Luc. 6, v. 20 : « Beati « pauperes, quia vestrum est regnum Dei. » Et Jac. 2, v. 5 : « Audite, fratres mei dilectis« simi, nonne Deus elegit pauperes in hoc « mundo, divites in fide, et hæredes regni, « quod repromisit Deus diligentibus se? » Et 1 Cor. 1, v. 28 : « Ignobilia mundi, et con« temptibilia elegit Deus. » Et cap. 4, v. 11 : « Usque in hanc horam et esurimus, et siti-

« mus, et nudi sumus » Et infrà, v. 16 : « Rogo ergò vos, imitatores mei estote, sicut « et ego Christi. »

CAPUT XXVII.

DE REFORMATIONE.

Respublica Hebræorum ab initio fuit benè à Deo constituta, et optimis ac sanctissimis legibus roborata. Sed quia sæpè defecit à primævâ suâ perfectione, et in varios abusus degeneravit; necesse fuit sæpè illam reformare, et in pristinum statum restituere. De hâc reformatione aliquid dicendum est. Fuit autem triplex reformatio, prima, circà cultum Dei; altera, circà justitiam inter Hebræos servandam; tertia, circà bellum. Incipiam à primâ.

Reformatio circa cultum Dei.—Igitur reformatio circà cultum Dei fuit valdè frequens, quia Hebræi sæpè à cultu veri Dei ad idololatriam delapsi sunt, primò sub Moyse, quandò vitulum aureum adorârunt. (Exodi 32, v. 4.) Secundò, post mortem Josue, quandò cœperunt adorare Baal et Astaroth. (Judic. 2, v. 11, et cap. 3, v. 7.) Tertiò, post mortem singulorum judicum sequentium. (Judic. 2, v. 19.) Et hoc duravit usque ad initium Samuelis. (1 Reg. 7, v. 3.) Quartò, tempore Salomonis, quandò et ipse, et uxores illius colebant idola. (3 Reg. 11, v. 5.)

Post Salomonem, factâ regni divisione, cœperunt esse duo regna, alterum Juda, in quo erant duæ tribus ; alterum Israel, in quo erant decem. Et quidem regnum Israel, sub primo suo rege Jeroboam, defecit à cultu veri Dei, et cœpit vitulos aureos adorare. 3 Reg. 12, v. 28. In quâ defectione permansit. At in regno Juda, sæpè quidem defectio facta est, sed non duravit; nempè facta est sub Roboam, 2 Paral. 12, v. 1. Deindè sub Joram, 2 Paral. 21, v. 11. Insuper sub Joas, mortuo Joiadâ pontifice, ibid., cap. 24, v. 18. Sub Amasiâ etiam, cap. 25, v. 14. Sub Achaz denique, cap. 28, v. 2, et sub Manasse, 4 Reg. 21, v. 3. Hæ sunt præcipuæ defectiones.

Reformatio fuit etiam multiplex. Prima à Moyse facta per interfectionem viginti trium millium hominum, qui vitulum adoraverant. Exodi 32, v. 28. Secunda à Deo, per varias calamitates et oppressiones, tempore judicum. Judic. 2, v. 14, et deinceps. Tertia à Samuele, per paternam monitionem, 1 Reg. 7, v. 3. Quarta ab Asâ, qui purgavit terram à sordibus idolorum, 3 Reg. 15, v. 12. Quinta à Josaphat, qui perfecit purgationem ab Asâ inchoatam, ibid, cap. 22, v. 47. Sexta à Joas, vivente adhuc Joiadâ pontifice, per instaurationem templi, 2 Paral. 24, v. 4. Septima ab Ezechiâ, qui abstulit omnem idololatriam, et verum Dei cultum restituit, 4 Reg. 18, v. 4, et 2 Paral. 29, v. 3. Octava à Josiâ, qui iterùm abstulit omnia idola, excelsa, lucos, et instauravit templum Domini ; et fecit phase Domino ; et adjuravit subditos, ut promitterent se legem Dei servaturos, 4 Reg. 22, et 3 Paral. 34 et 35.

Hæ reformationes factæ sunt in regno Juda. Porrò in regno Israel bis aliquid tentatum. 1° Ab Eliâ prophetâ, qui tempore Achab et Jezabelis, reduxit populum in duas partes claudicantem ad Deum, miraculo ignis de cœlo missi super sacrificium, et occidit 450 prophetas Baal, 3 Reg. 18, v. 21 et seq. Secundò à Jehu rege Israel, qui delevit totam familiam Achab ; et interfecit omnes prophetas et sacerdotes Baal ; quique statuam Baal combussit igne, et ædem Baal convertit in latrinam, 4 Reg. 10, v. 1. Nihilominùs non restituit cultum veri Dei. Sic enim habet textus ibidem, v. 28-29 : « Delevit itaque Jehu Baal de Israel; « verumtamen à peccatis Jeroboam, filii Nabat, « qui peccare fecit Israel, non recessit, nec « dereliquit vitulos aureos, qui erant in Be- « thel, et in Dan. » Tametsi ergò sustulerit unam sectam idololatriæ, quæ adhærebat Baal, non tamen sustulit, sed promovit aliam sectam idololatriæ, quæ vitulos aureos adorabat,

Similis vicissitudo in Ecclesiâ Christi hactenùs servata est. Multæ factæ sunt defectiones à verâ fide : non quidem universales, sed particulares. Prima, tempore Apostolorum, per Simonem Magum, Cerinthum, Ebionem, Menandrum, Nicolaum Antiochenum. Aliæ per alios hæreticos subsequentes ; ut per Saturninum, Basilidem, Cerdonem, Valentinum, Marcionem, Montanum, Novatianos, Donatistas, Manichæos, Sabellianos, Arianos, Macedonianos, Priscillianistas, Pelagianos, Nestorianos, Eutychianos, Berengarios. Novissimè, per Hussitas, Lutheranos, Calvinistas, Anabaptistas.

Multæ etiam reformationes adhibitæ, per vigilantiam Apostolorum ; per alios Ecclesiæ prælatos et doctores, inter quos excelluerunt Irenæus, Cyprianus, Athanasius, Hilarius, Optatus Milevitanus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Prosper ; per concilia generalia, in quibus hæretici damnati sunt, ut Ariani in

Nicæno, Macedoniani in Constantinopolitano, Nestoriani in Ephesino, Eutyches et Dioscorus in Chalcedonensi, et sic deinceps; per synodos provinciales; per Religiosos. Nam sicut in vetere Testamento multi extraordinarii judices à Deo excitabantur ad liberandum populum à servitute et oppressione, ità in Ecclesià Christi, varii variis temporibus religiosi ordines excitati sunt, qui populum in doctrinâ et moribus reformarent, hæreticos everterent, sanam fidem restituerent; per severas principum et imperatorum leges et pœnas in hæreticos constitutas, quales multæ sunt in codice Justiniani; per violentam hæreticorum extirpationem; per disputationes, et scriptiones, et similia certamina contrà hæreticos suscepta et inita. Denique, quæ optima reformandi ratio est, per seriam cleri ac prælatorum emendationem. Quæ si non adest, parùm proficitur. Et, ut nihil deesset ad plenam analogiam veteris ac novi Testamenti, sicut in veteri idololatræ idololatras aliquandò persequebantur, ità in novo hæretici hæreticis infesti sunt; in quà re imitantur exemplum Jehu. Nam is quidem, ut jam dixi, erat idololatra, et colebat vitulos aureos; et tamen ex quodam zelo reformationis, interficiebat Prophetas et cultores Baal. Sic faciunt hæretici. Non proferam vetera exempla, nova sufficiunt. Lutherani infesti sunt Calvinistis. Calvinistæ seipsos lacerant, perdunt, execrantur. Nam alii Arminiani sunt, alii Gomaristæ. Hi illos acerrimè persequuntur. Illi vicissim hos damnant, et diris omnibus devovent. Utrobique zelus prætenditur.

Reformatio circa justitiam inter Hebræos servandam. — Hujus reformationis illustre exemplum habemus in Josaphat, rege Juda, qui factâ priùs reformatione circà cultum Dei, voluit etiam externam politiam reformare, et pacis ac justitiæ conservandæ normam præscribere. Quo pacto id præstiterit, refertur 2 Paral. 19, v. 4 et seq. his verbis : « Habitavit « ergo Josaphat in Jerusalem; rursùmque « egressus est ad populum de Bersabee usque « ad montem Ephraim, et revocavit eos ad « Dominum Deum patrum suorum. Constituitque judices terræ in cunctis civitatibus « Juda munitis per singula loca, et præcipiens judicibus : Videte, ait, quid faciatis; non enim hominis exercetis judicium, « sed Domini; et quodcumque judicaveritis, « in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, et cum diligentià cuncta facite; non « est enim apud Dominum Deum nostrum « iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum. »

Et v. 8 et seq. : « In Jerusalem quoque « constituit Josaphat Levitas, et sacerdotes, et « principes familiarum ex Israel, ut judicium « et causam Domini judicarent habitatoribus « ejus. Præcepitque eis, dicens : Sic agetis in « timore Domini fideliter et corde perfecto. « Omnem causam, quæ venerit ad vos fratrum vestrorum, qui habitant in urbibus « suis inter cognationem et cognationem, ubicumque quæstio est de lege, de mandato, et « cæremoniis, de justificationibus, ostendite « eis, ut non peccent in Dominum, et ne veniat ira super vos, et super fratres vestros; « sic ergò agentes non peccabitis. »

Et v. 11 : « Amarias autem sacerdos et pontifex vester, in his quæ ad Deum pertinent, « præsidebit. Porrò Zabadias, filius Ismahel, « qui est dux in domo Juda, super ea opera « erit, quæ ad regis officium pertinent. »

Dixi cap. 12, qu. 1, duplex fuisse tribunal seu judicium apud Judæos, unum majus, quod erat in Jerusalem, ad difficiliores controversias decidendas; alterum minus, quod erat in aliis civitatibus Juda, ad communes et quotidianas causas judicandas. Utrumque progressu temporis fuerat penè collapsum. Hoc loco Josaphat utrumque restituit ac reformat. Et primò generatim monet judices, ut cogitent se non hominis, sed Dei judicium exercere. Et hoc sensu vocari solent dii, id est, vicarii Dei. (Exod. 22, v. 8.) Deindè speciatim, ut abstineant à tribus peccatis quæ solent esse in corruptis et perversis judicibus. 1° Ab iniquitate. 2° A personarum acceptione. 3° Ab acceptione munerum. Hujusmodi perversi judices fuerunt filii Samuelis, 1 Reg. 8, v. 3 : *Non ambulaverunt filii illius in viis ejus; sed declinaverunt post avaritiam, acceperuntque munera, et perverterunt judicium.*

De reformatione circa bellum. — In hâc reformatione duo spectanda sunt. 1° Leges belli à Deo præscriptæ, de quibus cap. 18, quæst. 2, dictum est; 2° apparatus belli, de quo hic dicendum. Est autem duplex apparatus. Unus consistit in munitionibus, præsidiis militaribus, armaturâ, commeatu; alter in ipsâ exercitûs dispositione, ductione, et ad certamen itione. De priori agam. Est autem hæc regula servanda, quòd ejusmodi apparatus non debeat fieri in ipso belli initio aut progressu; sed longè ante belli susceptionem, juxtà illud Christi Luc. 14, v. 31-32. « Quis rex iturus

« committere bellum adversùs alium regem, « non sedens priùs cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti « millibus venit ad se? Alioquin adhuc illo « longè agente, legationem mittens rogat ea, « quæ pacis sunt. » Quod hìc dicitur de apparatu militum, debet etiam intelligi de apparatu armorum, munitionum, et aliorum, quæ ad bellum necessaria sunt. Ex hac parte fuit magnus defectus tempore Saülis, quandò filii Israel debebant pugnare contrà Philistæos, vel quia erant tantùm sexcenti Israelitæ (reliqui enim præ timore erant delapsi) contrà infinitam Philistæorum multitudinem; quia nullus in toto exercitu Israelitarum habebat gladium aut hastam, nisi solus Saül, et filius ejus Jonathas, 1 Reg. 13, v. 5 : « Philistiim congregati « sunt ad præliandum contrà Israel, triginta « millia curruum, et sex millia equitum, et « reliquum vulgus sicut arena quæ est in lit- « tore maris plurima. » Et infrà, v. 6 : « Quod « cùm vidissent viri Israel... absconderunt se « in speluncis et in abditis. » Et iterùm, v. 15 : « Recensuit Saül populum, qui inventi « fuerant cum eo, quasi sexcentos viros. » Et ibid., v. 19 : « Porro faber ferrarius non in- « veniebatur in omni terrâ Israel. Caverant « enim Philistiim, ne fortè facerent Hebræi « gladium, aut lanceam. » Et denique, v. 22 : « Cùmque venisset dies prælii, non est inven- « tus ensis et lancea in manu totius populi, « qui erat cum Saüle et Jonathâ, excepto Saül « et Jonathâ, filius ejus. » Hunc defectum restauravit Azarias, seu Ozias, rex Juda, qui et in munitionibus, et in militibus, et in omni armorum genere et in commeatu, fecit magnum belli apparatum; ità ut omnibus vicinis hostibus esset terrori. Sic enim de eo legimus, 2 Paral. 26, v. 9 et seq. : « Ædificavit Ozias turres in Jerusalem « super portam anguli, et super portam vallis, « et reliquas in eodem muri latere, firmavit- « que eas. Exstruxit etiam turres in solitudine, « et effodit cisternas plurimas, eò quòd habe- « ret multa pecora, tàm in campestribus, « quàm in eremi vastitate; vineas quoque ha- « buit et vinitores in montibus, et in Carmelo; « erat quippè homo agriculturæ deditus. Fuit « autem exercitus bellatorum ejus qui proce- « debant ad prælia, sub manu Jehiel scribæ, « Maasiæque doctoris, et sub manu Hananiæ, « qui erat de ducibus regis, omnisque nume- « rus principum per familias virorum fortium, « duorum millium sexcentorum. Et sub eis « universus exercitus, trecentorum et septem « millium quingentorum; qui erant apti ad « bella, et pro rege contrà adversarios dimica- « bant. Præparavit quoque eis Ozias, id est, « cuncto exercitui clypeos, et hastas et galeas, « et loricas, arcusque et fundas ad jaciendos « lapides. Et fecit in Jerusalem diversi gene- « ris machinas; quas in turribus collocavit, « et in angulis murorum, ut mitterent sagit- « tas, et saxa grandia; egressumque est nomen « ejus procul, eò quòd auxiliaretur ei Domi- « nus, et corroboràsset illum. »

Et hoc Oziæ exemplo discant reges et principes, duo potissimùm esse necessaria ad apparatum bellicum, nempè ut sint conjuncti cum Deo; hoc enim significatur ultimis verbis, *eò quòd auxiliaretur ei Dominus.* Ut etiam adhibeant humana præsidia, cujusmodi sunt tùm munitiones : *Ædificavit Ozias turres in Jerusalem;* tùm exercitus : *Universus exercitus trecentorum et septem millium quingentorum;* insuper armatura : *Præparavit cuncto exercitui clypeos, et hastas, et galeas;* denique commeatus : *Eò quòd haberet multa pecora et vineas.*

HUETII VITA.

Huetius, gallicè Huet (Petrus-Daniel) inclytos inter viros quorum se parentem esse jactat neustriaca tellus, decus insigne, Cadomi natus est octavâ februarii die, anno reparatæ salutis 1630. Vix vicenarius erat, cùm jam multiplici doctrinarum, geometriæ scilicet, theologiæ, archæologiæque et poeseos ornamento conspicuus, Lutetiam venit, ibique cartesianæ studuit philosophiæ, cujus errores tantâ judicii securitate erat posteà profligaturus. Eodem propè tempore seriùs incubuit, ut tot et tantis cognitionibus geographiæ sacræ cognitionem adderet, auxiliantibus libris colloquiisque Bocharti, quocum aliquantò post in Sueciam profectus

est. Juvenem sciolum non aliter excepit ac viros ingenio illustrissimos Christina, Suecorum regina, honoribusque eum cumulavit.

Huetius redux academiam in patriâ procreavit, cui Ludovicus XIV crebra munificentiæ testimonia impertitus est. Mox adjutor accessit Bossuetio, cui Delphinum instituendum rex crediderat, præclarèque adeò gessit munus illud difficillimum, ut Alnetanâ primùm abbatiâ et paulò post episcopali Suessionis sede donatus fuerit; voluntariâ autem permutatione, priùs quàm in possessionem induceretur, sedi Abrincensi præpositus est. Mira quâ ardebat scientiæ aviditas malè cùm novo ministerio consentiebat, hujusque detrimento eum aliquoties litterariis occupationibus inserviisse fatendum est. Quod persuasum habens ipsemet Huetius, episcopatûs pondere deposito, Fonteniacus abbas haud procul à Cadomo fuit institutus. Denique ut studio pleniùs posset indulgere, in parisiacam Jesuitarum societatem secessit, cui bibliothecam legavit testamento. Obiit vigesimâ sextâ januarii die, anno salutis 1721, ætatis 91.

Multa scripsit opera Huetius, et propè omnis generis : inter quæ eminet celebris *Demonstratio evangelica*, ex quâ *Parallelismum veteris et novi Testamenti* litteraliter deprompsimus.

Quod opus plus quàm satis est ad vindicandam auctori immortalitatem : adeò mirabiliter ordinatam factorum, prophetiarum, figurarumque seriem, atque argumentorum omnis generis quasi catenam indestructibilem in Religionis gratiam suppeditat. Cætera ejusdem opera longum foret hic recensere. Etenim paucis admodum contigit scriptoribus, ut tantam disciplinarum varietatem complecterentur, studiique sudores tantos sustinerent. Nonnullos sufficiat ingenii fœtus, præter supradictum, enuntiare : 1° *De claris interpretibus, et de optimo genere interpretandi*, Hagæ-Comitis, 1683, in-8°. *Editio* commentariorum Origenis in Scriptur. Sacr. Rothodami, 1668, 2 vol. in-f° græco-latinè; et iterùm Agrippinæ Coloniæ, 1685, 3 vol. in-f°. *Quæstiones Alnetanæ de concordiâ rationis et fidei*, Cadomi, 1690, in-4°. De situ Paradisi terrestris, Amstelodami, 1701, in-12. Historia mercaturæ et navigationis apud veteres, in-12; quæ Lugduni Galliarum recusa est 1763, in-8°. *Commentarius de rebus ad eum pertinentibus*, 1718, in-12. *Censura philosophiæ cartesianæ*, in-12. *Cadomi Origines*, Rothodami, 1706, in-8°. Multa præterea texuit Huetius, tùm græco, tùm latino sermone poeseos volumina, multasque de litteris aut de philosophiâ dissertationes; in quibus quid magis mirêre, stylum comptum ac facilem, an judicii rectitudinem infinitamve ingenii dexteritatem, incertum est.

Huetium inter sodales recipere sibi honori duxit gallica Academia.

VETERIS TESTAMENTI
CUM NOVO PARALLELISMUS
IN IIS QUÆ AD MESSIAM PERTINENT.

Prædicta in Veteri Testamento. — Completa in Novo.

CAPUT PRIMUM.

Jesus de semine Abrahami.

Gen. c. 12, v. 1, 3 : « Dixit Dominus ad Abraham.... In te benedicentur universæ cognationes terræ. »

Gen. c. 18, v. 17, 18 : « Dixitque Dominus : Num celare potero Abraham quæ gesturus sum, cùm futurus sit in gentem magnam ac robustissimam, et benedicendæ sint in illo omnes nationes terræ? »

Gen. c. 22, v. 15, 18 : « Vocavit autem Angelus Domini Abraham secundò de cœlo, dicens.... Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. »

Matth. c. 1, v. 1 : « Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham. »

Luc. c. 3, v. 23, 34 : « Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta; ut putabatur, filius Joseph, qui fuit Heli,... qui fuit Isaac, qui fuit Abrahæ. »

Gal. c. 3, v. 16 : « Abrahæ dictæ sunt promissiones et semini ejus. Non dicit : Et seminibus, quasi in multis; sed quasi in uno : Et semini tuo, qui est Christus. »

CAPUT II.

Jesus de semine Isaaci.

Gen. c. 26, v. 2, 4 : « Apparuitque ei (Isaaco) Dominus, et ait .... Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. »

Matth. c. 1, v. 1, 2 : « Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. »

Luc. c. 3, v. 23, 34 : Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Joseph,.... qui fuit Jacob, qui fuit Isaac. »

CAPUT III.

Jesus de semine Jacobi.

Gen. c. 28, v, 12, 14 : « Viditque (Jacob) ..... Dominum innixum scalæ, dicentem sibi : Benedicentur in te et in semine tuo cunctæ tribus terræ. »

Num. c. 24, v. 15, 17 : « Dixit Balaam filius Beor :.... Orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israel : et percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth.

Matth. c. 1, v. 1, 2 : « Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Judam et fratres ejus. »

Luc. 3, v. 23, 34 : « Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Joseph,... qui fuit Jacob, qui fuit Isaac, qui fuit Abrahæ. »

Nobile hoc Balaami prædictum nobis eripere contendunt Judæi recentiores, ac in primis R. Lipman in Libro Nitzachon, qui et totum κατὰ λέξιν exponendum censet. Undè cum juxtà hanc interpretationem nec duces Moab interfecerit Jesus, nec vastaverit filios Seth, nec Idumæam possederit, nec Israelis opes ac robur à Jesu temporibus creverint, perperàm hæc in Jesum conferri arbitratur. Grotius, qui pleraque Prophetarum de Christo oracula eruditis quidem et acutis interpretationibus, at non itidem veris labefactavit, Judæos illos novitios ferè assectatur, atque hæc ad Davidem flectit, quod et anteà fecisse Julianum imperatorem notat Cyrillus. (Libr. 8, contr. Julian., 2 Reg. 8, 2.) A Davide autem attritos esse Moabitas et Idumæos traditum est in libro secundo Samuelis, et ipsi Davidis Psalmi indicant. Mysticè tamen ad Messiam hoc Balaami prædictum Grotius referri posse concedit. Nos hæc negamus sumi posse κατὰ λέξιν, sed tantùm κατὰ μεταληπτικὸν τρόπον interpretanda esse affirmamus, eoque sensu Christum Jesum notari. Nam quid hæc sibi volunt, si sumantur κατὰ λέξιν, *Orietur stella ex Jacob?* quid ista, *Et consurget virga de Israel?* atque hæc, *Vastabit omnes filios Seth?* an universum genus humanum vastavit David? Grotium appello : an id facturus est Messias ille à Judæis expectatus? Lipmannum, gregalesque ipsius interrogo. Nam quòd Sethum nescio quem Moabitarum regem comminiscitur Grotius, vel imaginariam quamdam urbem Moabitidem R. Nathan, aliique Rabbini absurdissimas interpretationes excogitant, nonnè fuit satius apertis oculis lucem intueri, quam micare in tenebris? Hæc igitur, quæ merè metaphorica sunt, quà eundum sit in reliquæ prædictionis expositione manifestè demonstrant. Stellam dicimus Jesu Christi symbolum esse, quem solis itidem, et lucis, et ignis symbolis significari ostendemus infrà in Parallelismo. Virga quoque appellatur, שבט hoc est *Sceptrum*, id regiam dignitatem ac potestatem signat, quam Jesu quoque convenire Parallelismus declarabit. At septuaginta Interpretes reddunt ἄνθρωπος : in quo præclaram Christi notationem animadverto. Nam cùm R. Abraham Seba in Fasciculo myrrhæ observaverit כוכב per cabalisticam artem Dei nomen continere, שבט Interpretes Septuaginta exposuerunt ἄνθρωπος, ut intelligeremus divinitatem pariter et humanitatem Messiæ eodem commate significari. Principes Moab, quæ gens fuit idolorum cultui impensè dedita, et hoc nomine in Libris sacris sæpè perstricta, simulacrorum cultores exprimunt, quorum superstitionem Christus Jesus emendavit et repressit, ut probabit quoque noster Parallelismus. Filios Seth intellige mortales omnes : à Setho enim ortus est Noe, humani generis reparator. Optimè itaque vertit hanc clausulam Onkelos : *Et dominabitur omnium filiorum hominum*; quod in Christum quàm aptè quadret abundè discetur ex Parallelismo. Unum hìc proferam Isaiæ testimonium, undè alteri huic Balaami lux et robur accedet (Isa. c. 11, v. 1, 4, 10) : *Et egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet... et percutiet terram virga oris sui.* Ergò veteres Ju-

dæorum magistri Messiam hic à Balaamo fuisse prædictum bonâ fide fatentur, atque hoc oraculum præ cæteris admiratione dignum arbitrantur. Sic intellexit et interpretatus est Onkelos; sic Jonathan ben Uziel; sic et impius ille Bar-Cokeba, qui cùm Messiam se ferret, temporibus Adriani, id nominis ex hoc Balaami vaticinio adscivit, ac si *Filium stellæ* diceres, et in se oraculum hoc exitum habere jactavit: quod et R. Akibam, ab eo ità deceptum, ut apud ipsum armigeri munus obiverit, dicere consuêsse legitur in Midrasch Threnorum, et in libro Taanit Thalmudis Hierosolymitani, et apud Maimonidem in Jad Chazacah. (Jad Chaz., libr. de Reg., cap. 2.) Hic verò suam prædicti hujus interpretationem ità temperat in *Sententiis*, ut partìm ad Davidem, primum nempè Messiam, partìm ad secundum, verumque Messiam spectare velit; atque hæc quidem ad Davidem: *Videbo eum, sed non modò. Orietur stella ex Jacob. Percutiet duces Moab. Et erit Idumæa possessio ejus;* ista verò ad Messiam: *Intuebor illum, sed non propè. Consurget virga de Israel. Vastabitque omnes filios Seth. Hæreditas Seir cedet inimicis suis.* Messiæ autem convenire ista: *Vastâbitque omnes filios Seth;* probat ex his Zachariæ, c. 9, v. 10: *Et potestas ejus à mari usque ad mare:* quod ut hìc totius orbis, ità illic omnium hominum significetur imperium. Eamdem opinionem persecutus est R. Joseph Albo in libro Fundamentorum, quam et à magistris suis accepisse se ait.

CAPUT IV.

Jesus de semine Judæ.

Gen. c. 49, v. 10: « Non auferetur sceptrum de Judâ, et dux de femore ejus; donec veniat qui mittendus est; et ipse erit exspectatio gentium. »

Matth. c. 1, v. 3, 16: « Judas autem genuit Phares et Zaram de Thamar.... Jacob autem genuit Joseph, virum Mariæ, de quâ natus est Jesus, qui vocatur Christus. »

Luc. c. 3, v. 23, 34: «Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Joseph.... qui fuit Phares, qui fuit Judæ. »

Hebr. c. 7, v. 14: « Manifestum est enim quòd ex Judâ ortus sit Dominus noster. »

Apoc. c. 5, v. 5: « Et unus de Senioribus dixit mihi: Ne fleveris, ecce vicit Leo de tribu Juda, radix David. »

1° Ex omnibus, quæ in Scripturâ sacrâ venturi Christi prænuntia exstant, oraculis, ut splendidum imprimis ac illustre, ità controversiis etiam et disputationibus vexatissimum illud est, quod Judæ filio moriens Jacob edidit, cùm cæteris quoque filiis futuros rerum exitus panderet: « Juda, inquit, te laudabunt fratres tui: manus tua in cervicibus inimicorum tuorum; adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Juda; ad prædam, fili mi, ascendisti: requiescens accubuisti ut leo, et quasi leæna; quis suscitabit eum? Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus; donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium. Ligans ad vineam pullum suum, et ad vitem, ô fili mi, asinam suam. Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ pallium suum. Pulchriores oculi ejus vino, et dentes ejus lacte candidiores, » Venturi Messiæ prædictionem his inesse constans est et perpetua Christianorum omnium opinio. Idem quoque priscorum Judæorum arbitrium fuit. Verùm inter utrosque id discriminis interest, quòd nondùm exitum habuisse vaticinationem hi existimant; illi in Christo Jesu fuisse completam certissimè credunt. At recentiores Judæi nova doctrinæ suæ jam labascentis ac convictæ colligentes præsidia, et Christianorum argumenta declinare conantes, aliò clarissimi oraculi deflexerunt sententiam, ullamque Messiæ prædictionem his contineri præfractè negarunt. Nos hìc illorum, vetustiorumque Judæorum, et si quorum par insanitas est, vanitatem oppugnabimus.

2° Quod ut ordine fiat, præcipuæ primùm et magis probabiles exponendæ sunt nostrorum interpretum sententiæ; quibus diligenter excussis, nostram deindè subjiciemus; ac Judæos demùm veritati offucias prætendere studentes refellemus. Cùm multæ sint à Christianis excogitatæ vaticinii hujus interpretationes, tùm quinque occurrunt, vel plurium roboratæ consensu, vel similiores veri. Prima statuit semper è tribu Judâ exstitisse principes, donec Christus Jesus advenerit; non ergò postremum Sedeciam è Judæ tribu sceptrum gessisse, sed transiisse illud ad ipsius posteros, atque in eàdem hâc tribu ad Christum usque per Assamonæos perseverâsse, quorum suprema inter Judæos potestas erat; his autem ab Herode sublatis, à quo et regnum Judaicum usurpatum est, tùm unà defecisse sceptrum de Judâ; Assamonæos porrò, quamvis paterno genere Levitæ essent, per matres tamen Judâ esse prognatos: conjugatas quippè per matrimonia fuisse tribus Levi et

Juda, atque id ex sexto capite Exodi probari, in quo Aaron Aminadabi filiam duxisse uxorem legitur; et ex vicesimo secundo libri Paralipomenon posterioris, in quo Joiada pontifex filiam Jorami regis in matrimonio narratur habuisse.

Hujus doctrinæ antesignanus Origenes (Hom. 17, in Gen.) plerosque è Patribus sequaces habuit. Verùm validè obtrita ea est à viris eruditis, quorum in propatulo scriptiones sunt, neque nunc à nobis eas compilari decet. Paucis tantùm dicam eam apertè à Jeremiâ jugulari, cujus de Jechoniâ insigne illud exstat oraculum (Jer. c. 22, v. 30) : *Hæc dicit Dominus; Scribe virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur; nec enim erit de semine ejus vir qui sedeat super solium David, et potestatem habeat ultrà in Judâ.* Adde juxtà Thalmudicum scitum nullo numero maternam stirpem censeri. Arbitrantur prætereà R. Moses ben Nachman, et R. Bechai, idcircò periisse infeliciter Saülem et Assamonæos, quod neutiquàm orti genere regio alieni juris sceptrum usurpâssent; quodque Lege ac priscis Judæorum decretis in Thalmude collectis cautum sit ne sacerdotes regnum capessant; quæ, etsi ferè falsa sunt, ut dicemus paulò post, ostendunt tamen quàm translatitium fuerit, nullum ex hâc cum tribu Judâ affinitate jus ad sceptrum Judaicum Assamonæis accessisse. Quæ cum intellexissent Genebrardus (Chron.) et Baronius (Appar., cap. 5), Assamonæorum stemma paternum ad Judam retulerunt, freti hoc testimonio libri prioris Machabæorum (1 Mach. c. 5, v, 63): *Et viri Juda magnificati sunt valdè in conspectu omnis Israel;* quo Machabæos, Machabæorumque patrem Judam significari volunt. Aliter haud dubiè sensissent, si ad Græcum exemplar attendissent, quod verba hæc præfert : καὶ ὁ ἀνὴρ Ἰούδας, καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ. Idem habet interpres Syrus. Neque hanc patitur interpretationem Pauli Epistola ad Hebræos, quæ de tribu Judâ *nullum altari præstò fuisse* docet (Hebr. c. 7, v. 13); nec liber Numerorum (c. 16, v. 39), in quo legitur Eleazarum sacerdotem, Dei jussu, impiorum Core, Dathanis, et Abironis thuribula ænea produxisse in laminas, et affixisse altari; *ut haberent posteà filii Israel, quibus commonerentur ne quis accedat alienigena, et qui non est de semine Aaron, ad offerendum incensum Domino, ne patiatur sicut passus est Core.* Rem verò apertissimè conficit secundum caput Machabaici prioris v. 1, in quo Mathathias, Machabæorum parens, Joaribo prognatus fuisse legitur, cujus sors prima exiit in descriptione stationum et ἐφημεριῶν, quas ordine debebant obire Aaronitides familiæ, ut habetur vicesimo quarto capite prioris Paralipomeni v. 7. Eodem Machabaici prioris loco, cap. 2, v. 54, se Phineâ oriundum prædicat Mathathias eo qui, Eleazari filius, Aaronis nepos fuit. Itaque hæc agnovit demùm Baronius, prioremque sententiam homo candidi et ingenui moris ejuravit. Fac tamen Judæ tribules fuisse Assamonæos, an verò hoc ipsum de sacerdotibus aliis poterit approbari, penès quos jamdiù antè hæc tempora suprema potestas fuit? Verùm demus id quoque, et à Sedeciâ ad Christi usque tempora propagatam fuisse in tribu Judâ regiam dignitatem constet; at certè à Judâ ipso ad Davidem, neutiquàm id juris suprà reliquas obtinuisse certum est. Ruit ergò pessùm prior hæc sententia.

3° Altera è Judæ tribu exstitisse principes ad Christi usque tempora definit; quòd supremus Hebræorum consessus, à Mose Dei jussu institutus, ut habetur undecimo Numerorum capite, septuaginta viris conflatus, in Evangelio dictis πρεσβυτέροις, et ἄρχουσι, et πρώτοις τοῦ λαοῦ, quem *Synedrium magnum*, sive *Domum judicii magni Hierosolymitani* appellabant; cui commissam fuisse cabalam et legis interpretandæ munus ferunt Judæi; penès quem summa erat auctoritas; quòd hic, inquam, consessus totus senatoribus tribu Juda prognatis constaret. Δικαστήριον autem illud Hierosolymis Jebanam captivum fuisse abductum quadraginta annis antè secundi templi excidium narratur in Thalmude, nempè circà tempora mortis Christi, ac penitùs demum fuisse sublatum. Designatos autem hos arbitrantur à Jacobo dictione מחקק. Cùm ergò ad Messiæ usque tempora non defuerint מחקקים de tribu Judâ, sic oraculum completum fuisse volunt; atque eo pacto sceptrum in Judâ non defecisse, quoad venit ille qui mittendus erat. Ex Beresith Rabba ferè hausta hæc sunt; quæ שבט, *virgam judicis* interpretatur; et מחקק, *scribam;* et utroque designari statuit Synedrium magnum, quod ex Judæ stirpe ad venturum usque Messiam semper propagandum sit.

Nutat ea sententia, quod neque probari possit, neque verisimile sit, ex unâ tribu Judâ selectos fuisse synedrii viros, cùm tulisse videatur populi Judaici consuetudo, et præceperit Deus, ut ex senibus Israel deligerentur hi principes viri. Quòd si ex unâ tribu Juda sumpti

fuissent, minimè id profectò à Mose fuisset prætermissum. Quod cum animadvertissent eruditi homines, non totum senatum ex Judâ prodiisse dixerunt, sed principem tantum senatûs. Princeps ille successerat in locum Mosis, qui pro jure suo senatui à se instituto præfuerat, et præter septuaginta illorum numerum censebatur. Dicebatur autem à Judæis, *caput scholæ;* dicebatur et *princeps*, et *princeps in omni loco;* cui secundarius alter addebatur, vulgò dictus, *pater domûs judicii*. Hunc ergò נשיא Hebrææ gentis velut sceptrum tenuisse volunt, eamque ex legis statutis rexisse, ac judicia exercuisse (cùm alter ex aliâ familiâ, puta Assamonæorum, etiam regis titulum gerens et insignia, munia obiret militaria); et in tribu Judâ, quâ oriundus erat, Jacobi vaticinationem complevisse: cujus πληρώματος signum publicè ut exstaret, sceptrum suspensum fuisse in medio conclavi supremi illius Hierosolymitani Synedrii. Verùm cum hæc Thalmudicorum solùm librorum fide nitantur, neque ullam in sacro codice probationem habeant, celebratissimi oraculi ambagibus explicandis parùm videntur idonea; cùm presertìm jam indè à captivitate, et post solutam captivitatem Babylonicam, verum ac supremum Judaicæ gentis imperium penès Persarum et Macedonum reges fuerit; umbram verò tantum summæ potestatis, idque precariò, retinuerint Judæi; quam inter illos non posteri quidem Judæ, sed Pontifices, postquàm Hierosolymam reversi sunt, ferè exercuerunt. Quâ ergò fide dici potest sceptrum tenuisse illum Nasi, qui sub Pontificum erat potestate, ab alieno ferè arbitrio pendentium? Quid quòd neutiquàm inter Rabbinos constat de tribu Judâ semper delectum fuisse Nasi, sed ex aliâ quâvis deligi potuisse eorum plerique censent?

4° Tertia sententia hoc oraculum, non ad Judæ tribum separatìm, sed ad eamdem cum reliquis conjunctam, at præstantiâ quâdam et excellentiâ florentem, inque iis primas tenentem refert: quod perindè sanè est ac si ad omnes tribus referret. Id igitur sibi velle Jacobum statuunt, non defuturos ex Judaicâ gente principes, ex quâlicunque ortos tribu, eamque gentem legibus suis usuram, quoad Messias veniat: qui cùm venit, ad Herodem, hominem ut ipsi volunt extraneum, sceptrum transiisse. Magni sententiæ hujus patroni, Justinus, Eusebius, Diodorus Tarsensis, aliique Patres à recentioribus ejus defensoribus Pererio (in Gen. 49) et Casaubono (adv. Bar., Exerc. 1, ad App.) laudantur. Cujus hæc afferuntur argumenta. Complures post Jacobum exstiterunt Judaicæ gentis duces ac principes, ad Davidem usque, Judâ neutiquam prognati: puta Moses è Leviticâ tribu; Josue et Debbora ex Ephraimiticâ; Barac è Nephthaliticâ; Gedeon è Manassæâ; Samson è Daniticâ; Saul è Benjamiticâ. Rursùm à Roboamo, Salomonis filio, defecerunt tribus decem, seque principibus ex tribu Judâ neutiquàm ortis permiserunt, ac primùm quidem Jeroboamo Ephraimi nepoti. Post solutam autem Babylonicam captivitatem, ad ætatem Messiæ, per quingentos et ampliùs annos, aristocratiæ formam assumpsit Judæorum respublica, cùm summæ rerum Sacerdotes præessent, non Judæ posteri. Undè id effici volunt, cùm sceptrum tribules Judæ non semper tenuerint, sed aliis, aliisque tribubus orti principes ac magistratus, primas tamen tenente tribu Judâ præ aliis, tantùmdem valere oraculi verba, ac si dixisset Jacobus: Non desinet Judaica gens autonomiam et imperii majestatem ac formam retinere, præstante ac præcellente inter reliquas tribu Judâ. Quod jam indè à Jacobo ità se habuisse contendunt: quippe Judæ jussis fratres paruisse, cum Josephum exemit letho, et ut Ismaelitis venderetur persuasit; Judæ potestatem à Jacobo patre factam Benjaminis ad Josephum in Ægyptum deducendi, cùm idem Rubeno jam antè negâsset; Judam præ cæteris fratribus oratum accessisse propiùs ad Josephum, ne Benjaminem apud se detineret. Aiunt præthereà secundo capite Numerorum in castris metandis primas partes Judæ dari: item et septimo libri ejusdem capite, et decimo, locum eumdem assignari Nahassoni de tribu Juda, in muneribus offerendis, et castris movendis; priore quoque loco numerari tribum Juda tricesimo quarto Numerorum capite, in recensendis Chanaanææ terræ erciscundæ præfectis, et in ipsâ divisione terræ primam sortem tulisse, ut est in decimo quinto capite libri Josuæ; in designatione quoque Leviticarum urbium primum locum obtinere vicesimo primo capite Josuæ; post obitum Josuæ, in bellis adversùs Chanaanæos gerendis ducatum eidem Dei oraculo concedi, Deumque cum eâ esse dici; quamdiù populum rexerunt Judices, etiamsi è variis illi tribubus seligerentur, semper tamen præcelluisse tribum Juda, quoad rege creato Davide rerum summæ præfuit tribus Juda, ad Zorobabelem usque: rursùm in Paralipomenis priore numero inter Israelitas recenseri tri-

bules Judæ. (1 Par. c. 2, v. 3.) Atque hanc denique dignitatem retinuisse aiunt ad Christi tempora, undè factum ut et genti toti nomen de se fecerit; ab eâ quippè Judæos et Judæam terram nomen traxisse. Quamvis autem tribui huic, totique adeò genti complures duces ex aliis tribubus orti præfuerint, tribum tamen Juda primas habuisse, ac tenuisse imperium dici et credi jubent; quemadmodùm Romani populos imperio regere dicti ac crediti sunt, etiamsi Romanum imperium tenuerint imperatores plurimi exteris gentibus orti. Hanc autem nominationem, quam ex Judâ tribus ista habuit, præcipuum argumentum habent, quo suam opinionem approbent; in eâque præcipuè completum esse statuunt Jacobi vaticinium. Pluribus ista persequitur Eusebius (Dem. Evang. libr. 3 et 8, et Hist. Eccl. l. 1, c. 5), quæ nos in pauca contraximus. Nec longè hìnc abit R. Isaac Abrabaniel, qui veterem quemdam magistrum secutus, tenue aliquod imperium et exiguam jurisdictionem Judæ promitti vult à Jacobo, quâ ad Messiæ usque adventum fruatur. Hujus sententiam exponens R. Manasses in conciliatore (Quæst. 65), argumenta eadem affert quæ mox adduximus; atque hoc prætereà, seorsùm à reliquis Hebræis numeratos fuisse à Saüle Judæ posteros, cùm exercitum Israelitarum lustraret (1. Reg. c. 2, v. 8, et c. 15, v. 4); quòd propter tribûs præstantiam suprà cæteras factum putat. Sed et in secundam sententiam prolabitur, cùm ut perpetuum Judæ imperium et ἀξίωμα fuisse ostendat, principes illos Synedrii commemorat, et capita captivitatis, cùm Babylonicæ, tùm etiam ejus quâ per universum orbem Judæi ad hanc ætatem premuntur. Cui probando affirmat nunquàm defuisse per Europam Davidis nepotes. Quod et de liberis suis jactabat, per matrem oriundis stirpe Abrabanielum, qui genus ad Davidem referebant. Sed nos cum Judæis velitabimur infrà : nunc cum Christianis tertiæ sententiæ defensoribus rem geramus.

Horum etsi una videtur simplexque sententia, multiplex tamen reipsà est ac varia. Nam Pererius (in Gen. c. 49, v. 10) Eusebii sententiam impugnat, quòd *sceptrum* significare voluerit præstantiam tribûs Juda, cùm supremus principatus voce hâc exprimatur; quodque sceptrum remansisse docuerit in aliâ tribu, Leviticâ nempè, post solutam captivitatem; præstantiam verò et honorem in tribu Judâ : quasi sceptrum, dignitatem videlicèt regiam, præstantia et honos non consequantur. Idem tamen Pererius Eusebii auctoritate sententiam suam confirmat, quòd sceptrum Judæ intellexerit sceptrum Judaicæ gentis, non tribûs Judâ, sceptrumque in stirpe Judaicâ non defecisse doceat, usque ad Herodem externum hominem et peregrinum. Arbitrabatur enim Pererius Judæ vocabulo hic notari totam gentem Hebræam, atque id sibi velle Jacobum, Hebræos ex suâ stirpe, suoque sanguine principes habituros, quoad Messias veniat; proptereà autem Judæ nomen toti genti accommodâsse Jacobum, et partem pro toto posuisse, quòd populi Judaici pars esset nobilissima; quemadmodùm Jerusalem et Sion pro Judæis, Babylon pro Chaldæis, Samaria pro regno tribuum decem, nonnunquàm posita sunt. Verùm ne sibi quidem satis constat Pererius; hâc enim magno apparatu propositâ sententiâ, multisque Patrum suffragiis et rationibus suffultâ, aliam statim affert, quam verisimiliorem et ad intelligendum planiorem esse agnoscit : prophetiam nempè hanc propriè ad tribum Juda pertinere, principatumque ipse spondere, nunquam ab eâ auferendum, donec veniat Messias; atque id eventu fuisse comprobatum; postquàm enim sceptrum adepta est tribus Juda per Davidem, id retinuisse ad captivitatem usque Babylonicam, quâ solutâ nec id amisisse; quamvis enim leviticæ personæ tùm sceptrum tenuerint, id tamen sceptrum Judaicum fuisse, sive tribus Juda, quòd et regio et subditi essent de tribu Judâ, atque id esset verè regnum Juda, et de tribûs hujus nomine, et tota gens, et regnum ipsum appellaretur; tùm autem defecisse illud, cùm ad Herodem ἀλλόφυλον transiit. Cùm ergò à seipso discrepat Pererius, tùm etiam ab Eusebio dissentire se putat, quòd hìc sceptrum Judæ, præstantiam tantùm et dignitatem tribûs illius præ aliis significare velit, Pererius verò supremam potestatem et imperium, quod in tribu Judâ fuisse ait, etiam cum aliarum tribuum personæ sceptrum gererent, sive post solutam captivitatem Babylonicam, cùm gens tota de nomine hujus tribûs nomen haberet; sive post Ægyptiam, cùm tribui Juda ducatus in gerendis bellis à Deo concessus est. Verùm hoc ipsum sensisse Eusebium, nec ullâ re à Pererio discrepare, manifestum est ex eâ quam proponit, et nos suprà attulimus, Romani imperii comparatione, cui præfuerunt externi imperatores et peregrini; licèt tùm quoque Romani rerum domini et dicerentur, et essent, sceptrumque ac suprema

potestas penès illos esset, non præstantia tantùm præ aliis gentibus et excellentia.

Pererii vestigia assectatus Casaubonus, eamdemque sententiam persecutus, ducem tamen suum tùm deserit, cùm completa hæc in Herode Ascalonitâ, viro nempè extraneo et alterius gentis Pererius decernit; nam et Herodem hunc non fuisse extraneum eruditè probat (quod et jam antè fecerat Scaliger (in Euseb. Chron. lib. 2); et multò priùs Nicolaus Damascenus (apud Jos. Ant. lib. 14, cap. 2), Herodis regis familiaris, qui ex primis Judæis oriundum fuisse docet; et Strabo (lib. 16), qui ἀνέρα ἐπιχώριον appellat; et Josephus (Antiq. lib. 20, cap. 6), qui genere Judæum esse scripsit; quibus viri docti assensi sunt), neque ante sceptrum amisisse Judaicam gentem, quàm Hierosolyma cum templo diruta est. Is porrò in Jacobæo oraculo quatuor contineri prædictiones observat; primam, adventus Messiæ : *Donec veniat Siloh;* secundam, vocationis gentium : *Et ipse erit exspectatio gentium;* tertiam, desituræ reipublicæ Judaicæ : *Recedet sceptrum et dux;* quartam temporis quo venturus erat Messias : *Priùsquam recederet sceptrum de Judâ, et dux de femore ejùs.* Has autem prædictiones quatuor ad omnes tribus in commune spectâsse docet Casaubonus, non ad unam aliquam singularem; atque id tamen in hoc vaticinio præcipuum habuisse tribum Juda, quod ex illâ oriturum Messiam prædictum sit; quod prærogativa natalium Judæ attribuatur his verbis : *Juda, te laudabunt fratres tui;* quæ Rubeno ablata fuerat : *Prior in donis, major in imperio; effusus es sicut aqua; non crescas.* Prærogativa scilicet honoris et dignitatis; nam quæ ad facultates et bona pertinebant, ea in Josephum fuisse translata traditur quinto capite prioris Paralipomeni, v. 2. Hanc autem præcellentiam tribui Juda concessam esse ait propter Messiam ex eâ olim proditurum. Observat præthereà αἰχμαλωτάρχας Babylonios, quos Judæi, *capita*, sive *duces captivitatis* appellant, de tribu Judâ semper fuisse delectos, hodièque deligi, uti quidem præ se ferunt Judæi; nam in hâc confusione tribuum fieri id posse credibile non est, et jamdiù notavit Origenes (lib. 4, περὶ ἀρχ. cap. 1), et alii, falsò jactare ipsos Patriarcharum suorum ortum ex Davide. Atque id affert Casaubonus, ut ostendat ne post solutam quidem captivitatem tribum Juda principatu excidisse. Docet postremo ex Justino (Dial. cum Tryph.), *sceptrum*, non regnum præcisè notare potestatem, sed rectorum omnium reipublicæ Judaicæ, sive regum, sive magistratuum, vel etiam sacerdotum; tùmque oraculum verè esse completum, non cùm Herodes regnum invasit, sed cùm omnis magistratus civilis et hierarchicus abolitus est, captâ nimirùm et deletâ urbe; minimè verò esse existimandum semel ac simul contigisse reipublicæ excidium, sed diversis temporibus, uti evenit in priore captivitate; initiumque postremæ hujus fuisse, cùm à Pompeio domiti Judæi ac libertate mulctati sunt; ad quam calamitatem variis subindè accessionibus factis, extremam demùm gentis cladem totiusque reipublicæ eversionem consecutam esse, captâ per Titum urbe et solo æquatâ, temploque funditùs diruto.

Multa sunt quamobrem his non assentior. Nam primùm si quis negaverit (quod ego tamen libenter concesserim) tribubus aliis præcelluisse semper tribum Juda, et à Jacobo ad Davidem ullam apparere ipsius præstantiam, non ità facilè convinci ipsum posse puto. Nam quòd suasioni Judæ morem gesserunt fratres, cùm auctor ipsis fuit ut Josephum Ismaelitis venderent; aliud est impetrare quippiam precibus vel consilio, quod hic fecit Judas, aliud pro imperio jubere. Deindè Rubeno (Gen. cap. 37, v. 21, 22) jam antè paruerant suadenti *ne interficerent animam* Josephi, *nec effunderent sanguinem, sed projcerent eum in cisternam, manusque suas servarent innoxias :* nec indè tamen Rubeniticæ tribui primas quisquam arrogare velit. An et Judæ auctoritati id tribuisse Jacobum patrem dicent, ut licentiam ei concederet Benjaminis in Ægyptum ducendi, an potiùs urgenti fami et penuriæ frumenti, quâ nondùm ità premebatur, cùm idem postulanti Rubeno abnuit? Quòd autem ad Josephum confidenter accessit Benjaminis libertatem flagitaturus, nempè patri fidem suam pro reditu fratris obligaverat, itaque polliciti memor rem ipse suam procurabat, quæ in fratris salute agebatur. Cæterùm nihil ipsi præ fratribus vel juris vel honoris tùm fuisse concessum cognoscitur ex convivio quo apud Josephum excepti sunt; illic siquidem *Sederunt coram eo* (Gen. c. 43, v. 33), *primogenitus juxtà primogenita sua, et minimus juxtà ætatem suam.* Quòd in tribuum recensione prior nonnunquàm numeratur tribus Juda, nullum idcircò prærogativæ jus ipsi attribuitur, nihilò certè magis quàm Rubeno, qui variis Scripturæ locis prior recensetur, potissimùm vero hoc Geneseos capite quod tractamus, in quo Jacobus primas Rubeno partes

in recensione filiorum, non Judæ concedit, *prioremque* eum *in donis* (v. 3, 4) *majorem in imperio* esse ait. Quod addit autem : *Non crescas*, hoc ipsum est quod de eo postmodùm prædixit Moses (Deut. c. 33, v. 6) jam morti proximus : *Sit parvus in numero*. Nam יתר, non qualitatem solùm, excellentiam nempè et præstantiam; sed et quantitatem, frequentiam scilicet, abundantiam et multitudinem notat. Nec enim in magnum numerum Rubenitica tribus excrevit. Id sibi vult Septuaginta virorum interpretatio : *Ne effervescas*, sumptâ metaphorâ ab aquâ ebulliente, quæ proximè usurpata fuerat à Jacobo, cum diceret : *Effusus es sicut aqua*. Clariùs etiam Aquila : *Ne redundes* : Symmachus : *non eris copiosior*. Sin bonorum copiam intelligi velis, quæ jure prærogativorum ad Rubenum pertinebant, Josepho concessam esse, non Judæ, docet quintum caput prioris Paralipomeni, ut dixi. Primum quoque locum in recensendis tribubus Rubeno Moses tribuit; at prior ab eodem recensetur Simeon vicesimo septimo capite Deuteronomii, cùm ordinem præscribit, quo ab Israelitis pii faustis precationibus, impii contrà diris execrationibus de montibus Garizim et Hebal erant prosequendi. Exodi prætereà sexto capite Rubenitarum, Simeonitarum, et Levitarum stemmata describuntur, ne memorata quidem tribu Judâ. In castrorum metatione erecto tabernaculo ad ortum ea statui jubetur capite numerorum secundo, non prærogativorum jure, sed opinor propter tribulium multitudinem, quæ in libris Numerorum (cap. 1 et c. 2, v. 9) et Samuelis (2 Reg. cap. 24, v. 9) tanta fuisse narratur, ut eam alia nulla exæquaverit; vel propter fortitudinem, quâ pollebant præ reliquis : *Porrò Judas qui erat fortissimus inter fratres suos, de stirpe ejus principes germinati sunt*; verba sunt Paralipomeni prioris cap. 5, v. 2, cùm alioquin ex hoc loco non magna videatur tribui Juda facta esse dignitatis accessio; non major certè quam tribubus Issachar et Zabulon, quæ ad eamdem partem locatæ sunt, præ aliis ejusdem sortis, vel tribubus Ruben, Gad et dimidiæ Manasse, quas in divisione Terræ sanctæ sitas ad ortum reliquæ tribus habuerunt. His robur conciliatur ex Bemidbar Rabba, ubi legitur ad eamdem partem, quâ tendebat Judas, tetendisse quoque Mosem et Aaronem, de gente Levitarum, quorum in studio legis valdè nobilitata est industria, Issacharem etiam et Zabulonem, qui insigni quoque legis peritiâ præstabant. Capite enim duodecimo prioris Paralipomeni scriptum id exstat : *De filiis quoque Issachar viri eruditi, qui noverant singula tempora, ad præcipiendum quid facere deberet Israel, principes ducenti*; de Zabulone verò istud quinto Judicium, v. 14, juxtà hebræum exemplar, quod interpretationes omnes præter Vulgatam secutæ sunt : *Et de Zabulon scribentes calamo scribæ*. Quasi id velit interpres, ad ortum sitas esse has tribus, perindè ut illam Judæ, quòd ut hæc fortitudine et numero superabat reliquas, sic illæ peritiâ Legis cæteris præcellebant. Atqui indè potest colligi, tantùm his tribubus concessisse illam Judæ, quantùm sacræ legis doctrina potior est audaciâ et multitudine. In castris autem movendis, muneribusque offerendis, idem ordo servatus est qui in metandis castris, proindèque et in recensione loco priore recenseri Judas debuit. In deligendis erciscundæ terræ præfectis, priores numerantur tribus Judæ, Simeonis, Benjaminis, et Danis, quæ ternionum ad quatuor mundi plagas in castris sitorum principes erant : singulas enim plagas terræ tribus hæ respiciebant. Prior in divisione Chanaanææ terræ sors tribûs Juda recensetur, non, ut videtur, prærogativæ causâ, sed quòd proximè fuerit narratum quemadmodùm Calebo, qui fuit de hâc tribu, Hebron ἀκληρωτὶ concessa sit; undè data occasio est uno tenore commemorandi, ecquam sortem reliqua tribus tulerit. Sed et tribubus Ruben, Gad et dimidiæ Manasse, sortes suæ jam antè fuerant attributæ. Obtinet quoque locum præcipuum in designatione urbium Leviticarum tribus Juda, quòd à meridionali plagâ initium numerandi, factum sit, versùs quam sita est, itidem ut Benjamitica tribus et Simeonitica, quæ cum illâ Judæ priores appellantur. Israelitis bella gerentibus præire jubetur, propter insignem ejus in adeundis periculis fortitudinem, ingentemque bellantium numerum. Nec plus ipsi indè accrescit dignationis ac excellentiæ, quàm Rubenitis, Gaditis et dimidiæ tribui Manasse, quòd fratribus suis in subigendis Chanaanææ terræ incolis duces se præbuerint. Addit ad superiora R. Manasse in Conciliatore (Quæst. 65) seorsùm numeratos fuisse à Saule Judæ tribules in exercitûs Israelitici recensione (1 Reg. c. 11, v. 8, et c. 15, v. 4) : quod nos, non ob gentis ἀξίωμα, sed ob bellicam virtutem quâ superabant reliquos, factum interpretamur. Quòd autem in Paralipomenis priore loco numerantur nepotes Judæ, factum id propter reveren-

tiam dignitatis regiæ, quam tribus hæc multò antè obtinuerat, quàm liber iste scriberetur. Priscis igitur reipublicæ Hebraicæ temporibus nullum prærogativæ jus videtur habuisse tribus Juda. Largiamur id tamen, ne omnia negemus Josepho, apud quem (Antiq. lib. 7, cap. 10) David pronuntiat disertis verbis Judam Jacobi filium inter fratres fuisse delectum, qui rex designaretur; non tamen quòd prior fuerit, sequitur sceptrum habuisse, quod futurum prædixit Jacobus. « Me verò illud argumentum non magis movet », inquit verè et apposité Cunæus (lib. 1 de Rep. Hebr., c. 9), « quàm si Romæ, aut Athenis quispiam sceptri majestatem, non apud populum Romanum aut Atheniensem, sed apud unam dicat tribum fuisse, quæ cæteris nobilior florentiorque erat. » Sed neque post solutam captivitatem Babylonicam, eximium aliud habuit tribus Juda, quàm pristinæ dignitatis regiæ memoriam. *Porrò Judas*, inquit Paralipomenon prius (cap. 5, v. 2), *qui erat fortissimus inter fratres suos, de stirpe ejus principes germinati sunt.* Quo quid ad illam idem præcipuum haberet tribus ista, significatur. Adde et nominis à se impositi prærogativam; non toti quidem genti, ut scribunt Eusebius, et Casaubonus, sed imperio huic quod tribu Judâ, et Benjamiticæ ac Leviticæ parte constabat; cùm intereà Levitica tribus, præter honorem sacerdotii perpetuum, regno etiam ac supremâ potestate aucta esset, et suprà reliquas tribus longo evecta intervallo. Nomen autem ut his tribubus de se faceret tribus Juda ex eo contigit, quòd in defectione Jeroboami, sola tribus Juda Roboamo adhæsit. Sic enim habet tertius Regum undecimo capite, v. 32: *Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, et dabo tibi decem tribus: porrò una tribus remanebit ei*; sic et capite sequenti, v. 20, de Jeroboamo: *Constituerunt eum regem super omnem Israel, nec secutus est quisquam domum David præter tribum Juda solam.* Sola enim, ut dixi, Roboamo tota hæsit, cùm tamen Simeoniticæ tribus pars aliqua, ea videlicet quæ Judæ finibus continebatur, Benjamiticæ verò longè major ei se adjunxerit. In hunc autem censum neutiquàm venire solet Levitica tribus, quæ inter alias tribus minimè numerabatur. Hinc illud è duodecimo capite libri tertii Regum, v. 21, 22, 23: « Venit autem Roboam Jerusalem, et congregavit universam domum Juda, et tribum Benjamin, centum octoginta millia electorum virorum bellatorum, ut pugnarent contrà domum Israel, et reducerent regnum Roboam, filio Salomonis. Factus est autem sermo Domini ad Semeiam virum Dei, dicens: Loquere ad Roboam filium Salomonis, regem Juda, et ad omnem domum Juda et Benjamin, et reliquos de populo dicens: Hæc dicit Dominus: Non ascendetis, neque bellabitis contrà fratres vestros filios Israel. » Ergò Roboamum sequebantur domus Juda et Benjamin; illa quidem tota, hæc verò ex parte tantùm. Quocirca hic rex Juda solum, non rex Juda et Benjamin dictus est, uti neque successores ejus. Postquam autem à Theglathphalasare et Salmanasare in Assyriam deportati sunt ii qui regibus Israel parebant, sola tribus Juda pristini imperii imaginem retinuit. Sic quartus Regum decimo septimo capite v. 18: *Iratusque est Dominus vehementer Israeli, et abstulit eos à conspectu suo, et non remansit nisi tribus Juda tantummodò.* Undè evenit ut sequentibus annis de ejus nomine superstes hæc ditio dici cœpta sit. In quo Eusebium, ejusque sectatorem Casaubonum longè fefellit ratio, qui tribus duodecim à tribu Judâ nomen traxisse scribunt. Decem quippè ex illis trans Euphratem degentes longa procul longis terris via dividebat, nec ulla iis erat cum tribu Juda consuetudo. Hunc errorem meritò castigavit Cunæus (lib. 1, de Rep. Hebr., cap. 10). Minime verò πρωτοτοκείων jure, nec propter tribûs hujus dignitatem et excellentiam in socias tribus nomen ipsius defluxit, sed propterea quòd post secessionem decem tribuum, quæ pars erat Hebraici regni, jam de se solà regnum effecit; tùm deindè regno Israel deleto, sola superfuit quæ reipublicæ retineret formam, quæ patrias sedes servaret, et veteris imperii Hebræorum majestatem tueretur. Cùm tamen hoc tempore, ut dixi, longè potior esset Leviticæ tribûs dignatio, cui ad avitum sacerdotium, quo exciderat nunquàm, regius prætereà splendor accesserat. Agamus tamen liberaliter, præcipuamque fuisse demus tribûs Juda præcellentiam à Jacobo ad Christum. Demus quoque aliquam πρωτοτοκείων adumbrationem penès ipsam fuisse, quod persuadere potest Jacobi denuntiatio: *Juda, te laudabunt fratres tui...... adorabunt te filii patris tui.* (Gen. c. 49, v. 8.) Similia enim sunt istorum quibus Isaacus πρωτοτοκείων dignitatem Esau transfert ad Jacobum: *Esto Dominus fratrum tuorum, et incurventur antè te filii matris tuæ.* (Gen. c. 27, v. 29.) Quanquàm ne id quidem satis valet ad πρωτοτοκεῖα Judæ adscribenda, quæ in Josephum fuisse transcripta docet prius Paralipomenon, atque his quidem verbis,

quibus velut refellantur ii, qui propter ortos ex Juda principes, et huic indè conflatam dignitatem, πρωτοτοκεῖα ipsi attributa poterant arbitrari : « Filii quoque Ruben primogeniti Israel : ipse quippè fuit primogenitus ejus; sed cum violâsset thorum patris, data sunt primogenita ejus filiis Joseph, filii Israel, et non est ille reputatus in primogenitum. Porrò Judas qui erat fortissimus inter fratres suos, de stirpe ejus principes germinati sunt; primogenita autem reputata sunt Joseph 1 Paralip. 5, 1, 2. » Sed fateamur nihilominùs translata fuisse ad Judam πρωτοτοκεῖα, non sic tamen causam obtinebunt sententiæ istius, quam tractamus, patroni. Volunt enim hæc verba : *Non auferetur sceptrum de Judâ*, res duas planè diversas significare, Judaicæ nempè gentis αὐτονομίαν, et tribûs Juda præ reliquis tribubus præstantiam : quod neutiquàm pati potest ratio. Qui enim prius illud aiunt, cùm indè urgentur quòd nihil in hoc vaticinio peculiare habitura sit tribus Juda, si ad omnes tribus in commune referatur, cùm singulæ tamen tribus in testamento Jacobi suas sibi prædictiones habeant, tùm ad tribus Juda dignitatem confugiunt, quam hic secundùm congruam quamdam applicationem intelligendam esse portendunt. Quod perindè est, ut si partem pro toto sumi dicerent. Et ità sanè sensit Pererius, opinionis hujus insignis assertor : « De Judâ, inquit, idem valet atque, de populo Judaico; vel de Juda, significat propriè tribum Juda ; sed posita est pars illius populi nobilisima pro toto populo. » Adde et ex præcedentibus ac sequentibus significationem verborum istorum esse spectandam : nam si ad tribus duodecim referri nequeunt præcedentia, frustrà ad eas sequentia detorquentur. Quis ista autem ad duodecim Hebraicæ gentis tribus pertinere dicat : « Juda, te laudabunt fratres tui ; » et ista : « Adorabunt te filii patris tui ? » Nonnè et hæc fertilitatem indicant regionis quam insedit tribus Juda : « Ligans ad vineam pullum suum, et ad vitem, ô fili mi, asinam suam. Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ pallium suum. Pulchriores sunt oculi ejus vino, et dentes ejus lacte candidiores. » Frustrà autem Justini auctoritas obducitur; nam si verba illius expendantur attentè, nihil indè elicietur hujusmodi. Sic ille in Dialogo cum Thryphone : « Igitur in gente vestrâ desiisse unquàm prophetam, aut principem, ab ipsis ejus primordiis, quoad is Jesus Christus et natus et passus est, non adeò estis impudentes ut dicere audeatis, neque demonstrare potestis. Nam Herodem, sub quo passus est, Ascaloniten fuisse dicentes, nihilominùs tamen in gente vestrâ summum Sacerdotem esse dicitis. » Ex his concluditur visum esse Justino Judæ nomine Jacobum totam gentem, non tribum solam appellâsse : quod non est ità. Notandum quippè est Justino propositum esse solum ostendere hoc oraculo præsignificatum esse adventum Christi, tùmque esse completum cùm Jesus advenit. Ergò ad id satis ipsi fuit declarare, tùm desiisse Judæos regibus suis parere, cùm Jesus apparuit. Nihil autem conducebat ad ipsius propositum accurata vocabuli *Juda* interpretatio. Utrùm enim totam gentem Judaicam, an solam tribum Juda significari dixisset, planè idem erat quoad vim argumenti. Totum itaque usurpavit pro parte, aliud haud dubiè facturus, si interpretem egisset. Quemadmodùm enim qui Romæ natus est, in Italiâ natus meritò dici potest, et principem Borboniâ stirpe ortum, rectè Francicâ domo prognatum dicas, propterеà quòd in toto continetur pars, et quæ ad partem pertinent, de toto prædicari possunt; ità qui ex tribu Judâ proditurus erat, jure eum ac meritò Justinus genere Judaico nascendum esse dixit. Id sibi voluisse ipsum manifestò probat pericope altera ex Apologiâ secundâ : « Vestrûm est igitur accuratè disquirere et discere, quousque princeps fuerit et rex apud Judæos ipsorum proprius, nempè quoad apparuit Jesus Christus, magister noster, et ignorabilium prophetiarum interpres; quemadmodùm prædictum est à divino sancto prophetico Spiritu per Moysem, non defore principem ex Judæis, donec veniat is quem regia dignitas manet. Judas enim Judæorum progenitor fuit, à quo et Judæorum nomen habuerunt. » Vides hìc Judæ posteros designari, non totam gentem, sed tribum solam. Nec aliter sumenda sunt verba Athanasii, quæ afferuntur è libro de incarnatione Verbi : nam cùm ait Mosem hac ῥήσει, quam nunc expendimus, circumscripsisse regnum Judæorum, neque ullum superesse apud Judæos regem vel prophetam, totum pro parte nominavit; et de gente Judaicâ generatìm dixit, quæ de tribu Judâ Moses pronuntiaverat. Ex hâc enim propositione : tribus Juda semper potietur sceptro, necessariò consequitur isthæc : Gens Judaica semper potietur sceptro. Idem est verborum Ambrosii intellectus in libro de Benedictionibus Patriarcharum, aliorumque Patrum, qui in hujus sententiæ subsidium adducuntur.

5° **Quarta autem loci hujus interpretatio**, cujus vindices laudantur Epiphanius, Cyrillus, Augustinus, et recentiores plerique, nimis latè patentem sententiam superiorem in arctum cogit, et Jacobæi oraculi vim, quæ pertinebat ad tribus duodecim, in unâ tribu Judâ concludit, ab eâque vult non antè ablatum iri sceptrum, formam nempè reipublicæ legibus suis utentis, seque ipsam regentis ac gubernantis, postquàm semel ad eam pervenerit, quàm Messias exoriatur; quo tempore solutum iri communitatem ac regimen tribus Juda; atque id rerum ipsarum eventum confirmare; nam decem tribubus in dissitas oras expulsis ac dissipatis, solam tribum Juda sedibus propriis ac pristinis restitutam, jurisdictionem suam, imperium, civilis corporis formam, et πολιτείαν servâsse, quoad Christus in terras venit. Duo autem hìc notari jubent sententiæ hujus defensores, ad illius oraculi intellectum necessaria; primum, ad locum ac terram quam insessura erat tribus Juda respectum habuisse Jacobum: quemadmodùm enim promissa Zabuloni, Issachari, aliisque à Jacobo data, ad portionem Chananææ terræ sortito ipsis eventuram spectant; sic quod Judæ datum est promissum, ad sedes posteris ejus in Terrâ sanctâ olim tribuendas pertinere, ac si dixisset Jacobus, ad Messiæ usque tempora tribum Juda in portione promissæ Terræ olim ipsi assignandâ mansionem ac reipublicæ formam habituram. Alterum hoc est, quod et superioris sententiæ patronis visum est, non hìc determinari punctum aliquod temporis, quo cùm affuerit Messias, tùm tribus Juda momento eodem potestate excidat, regiminisque formam amittat: verùm intelligendam diuturnitatem aliquam temporis, quæ à Pompeio vel ab Herode cœpta, videlicèt antè Christi ortum, in clade Hierosolymis à Tito illata desinat. Enimverò qui sic sentiunt, oraculo huic exitum præparâsse aiunt Spiritum sanctum jam indè ab Jeroboami divortio, cùm altera populi Hebraici pars Israel dici cœpta est, altera assumpto Judæ nomine veteris regni formam retinuit, et legitimorum regum seriem propagavit. Quarum populi partium altera profligata et in longinquas terras abducta est, nec unquàm posteà in patriam restituta; altera ad Christi tempora πολιτείαν suam et αὐτονομίαν habuit. Hoc ergò à primâ et tertiâ discrepat quarta hæc sententia, quòd statuit prima nunquàm defuturos aliquos Juda satos, qui Hebraicæ gentis teneant imperium, ad Messiam usque; tertia non singularibus quibusdam personis, sed toti Hebraicæ genti id adscribit, ut de se rectores det populi sui, quoad Messias existat; quarta vero neque certis aliquibus hominibus, neque duodecim tribubus, sed toti Judæ tribui regimen ac imperium ad id usque tempus esse destinatum velit. Quanquàm et tertiæ assertores sententiæ in quartam istam prolabuntur. Pererius certè postquàm in defendendâ tertiâ sententiâ multùm æstuavit, aliam demùm subjicit, ut suprà jam monui, quam esse fatetur « non minùs quàm superiorem probabilem, quinimò planiorem ad intelligendum, et ad credendum procliviorem, totam nempè hanc prophetiam ad tribum Juda pertinere; » atque his deindè exponendis ea affert, quæ adstruendæ quartæ sententiæ utilia esse possunt.

Sententiam hanc multùm habere probabilitatis fatendum est, et ad similitudinem veri longè propiùs accedere, quàm superiores. Sed tamen id concoquere non possùm quòd *sceptrum*, interpretantur totius tribûs Juda πολιτείαν et αὐτονομίαν, cùm principes aliquos Juda oriundos intelligi debere sequentia ista liquidò demonstrent: *Neque dux de femore ejus.* Nec enim ullam afferunt distinctionis notam, undè probent ad diversa pertinere, *sceptrum* et *ducem*. Atqui *dux* ad totam tribum hìc referri haudquaquàm potest. Id ostendit hæc locutio *de femore ejus*, quâ ῥήσει patrem virilem Scriptor sacer significavit. Sic et capite vicesimo octavo Deuteronomii sumitur, et apud Isaiam non semel. (Isa. c. 7, v. 20, et 36, 12.) Vertunt ergo Onkelos et Hierosolymitanus interpres, *De filiis eorum*: Jonathan, *de semine ejus*. Quæ eò refero, ut appareat notari hìc singularium quarumdam personarum successionem, quarum interitus gignendo reparatur; cujusmodi sanè nihil de totâ tribu vel dici vel cogitari potest; nam singulares homines generantur et intereunt, sibique hoc pacto succedunt alii ex aliis progeniti: at cœtus hominum coguntur et dissipantur, minimè verò gignuntur et obeunt. Quod cùm intelligerent quartæ hujus sententiæ patroni, veram ac genuinam verborum istorum explicationem aspernati, Aben Ezram sectari maluerunt, qui Judam, ut in superioribus, sic et in istis leoni assimilari censuit. Ut enim prædam inter pedes firmissimè retinet leo, nec eam sibi extorqueri patitur, sic à Jacobo prædictum esse volunt, πολιτείαν, imperium, ac sceptrum, quod olim habiturus erat Judas, haudquaquàm ab eo ereptum iri. Cujus statim interpretationis velut

pertæsi ad aliam decurrerunt, quæ proponitur in Beresith Rabba, et est hujusmodi : respexisse Jacobum ad consuetudinem scribarum et actuariorum, qui ad judicum pedes sedere solent. Hæc quam inepta sint et sale Rabbinico digna, nihil attinet pluribus demonstrare. Cùm ergò ex ipsorum o trinâ ad eadem referantur *sceptrum* et *dux;* cùmque *ducis* nomen ad certas quasdam personas de tribu Judâ referri debeat, *sceptri* quoque vocabulum ad eas itidem pertinere, non ad tribum Juda universam dicendum est. Hoc insuper in eâdem sententiâ improbo, quòd non ad solam tribum Juda, sed ad Levitas quoque, et Benjamitas, qui Judæ nomine continebantur, et unum cum eâ tribu imperium conflabant, vim oraculi prorogant. Atqui ad unam tribum Juda id spectare clarissimè indicat Moses eodem Geneseos capite v. 28 : *Omnes hi in tribubus duodecim : hæc locutus est eis pater suus, benedixitque singulis benedictionibus propriis.* Quippè suam sibi habet Benjamin, suam Levi ; ergò tota illa Judæ propria est, neque cum ullis aliis tribubus ipsi communis esse potest. Neque argumenti hujus robur frangunt ea quæ è libris Regum suprà attulimus testimonia, in quibus sola tribus Juda Roboamo hæsisse dicitur, cùm tamen Benjamitica tribus, et Simeoniticæ pars, ac item Leviticæ, cum sint secutæ : usitatum quippè est et familiare scriptoribus nobiliorem partem pro toto nominare, si modò partes ipsæ discernendæ inter se, vel à toto distinguendæ non sint. Nam id si sit, tùm certè hoc figuræ genere abstinetur, quæ opacaret stylum, et res confunderet. Roma ad Romanum imperium significandum nominari et potest et solet, cùm ab ipso Romano imperio, vel ab ejus partibus distinguenda non est. Sin roget aliquis, ecqua sit Romani imperii præcipua urbs, et Romam eam esse dicam ; vel quærat alter, ecquæ fuerint Romani imperii nobilissimæ urbes, et Romam ac Constantinopolim nominem ; tùm sanè Romam haudquaquàm Romanum ipsum imperium vel Constantinopolim significare censendum est. Par est de tribu Judâ ratio, cujus nomine sociæ tribus tùm sunt comprehensæ, cùm earum discrimen afferre nihil necesse erat; at cùm segregandæ invicem erant, singularumque futuræ dotes prædicandæ, quod facere instituerat Jacobus, tùm vero alteri alterius nomen commodari nec potuit nec debuit. Adde Judæos, post Babylonicam captivitatem, ex Babyloniorum Persarumque nutibus pependisse, iisque ac Græcis deindè tributa solvisse ; non supremum igitur ac verum penès ipsos fuisse imperium, sed precarium et alienis arbitriis obnoxium, proindèque sceptrum à tribu Judâ tùm fuisse ablatum. Id tertiam sententiam, perindè ut quartam impugnat, et à nobis adversùs secundam oppositum est. Aliud prætereà subjiciam argumentum, quo propositæ omnes sententiæ ex æquo convelluntur. Cùm enim Messiâ prodeunte sceptrum Judæ ablatum esse volunt, regiâ utique potestate Judam excidisse statuunt. Nam cum hìc vox *donec* rem cui inseritur desituram indicet, sequitur sceptri possessionem amisisse Judam, cùm prodiit Christus. Atqui id adversâ fronte pugnat cum clarissimis prædictionibus Prophetarum, quas mox sum allaturus, quibus regnum æternum posteris Judæ spondetur.

6° Quinta denique sententia patronos habet Caietanum cardinalem (in Gen. c. 49, v. 10), et anonymum quemdam virum Hebraicis litteris eruditum, Isidoro Clario (in Gen. c. 49, v. 10) commemoratum, quam ipsi ex recentiorum Hebræorum apothecis eruerunt. Hæc quoniam strictìm ab iis est proposita, neque ullis roborata argumentis, uberiùs à nobis pro ratione instituti dilatanda est, suisque rationibus fulcienda. Aiunt illi res duas valdè notabiles et omni observatione dignas hìc prædici à Jacobo, primùm fore ut prodeat aliquandò Messias è tribu Judâ, deindè ut æternum eadem tribus Juda regnum obtineat, à Messiâ videlicet tribuli Judæ propagandum. Æternitatem igitur imperii posteris Judæ his verbis promitti volunt : *Non auferetur sceptrum de Judâ, et dux de femore ejus :* quippè si nunquàm de hâc tribu sceptrum ac ducatus auferendus est, nullâ utique fine possessionem ejus circumscriptum iri, proindèque æternam fore manifestum est. Sequentia verba liquidò declarant futurum ut perpetuitas hæc imperii tribui Judæ per Messiam olim ex ipso proditurum contigat : *Donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium.* Sed enim aliud omninò, inquies, sonare videntur verba ipsa, nempè tùm desiturum Judæ imperium, cùm venerit ille qui mittendus est. Hic verò unica oraculi hæret difficultas, quam sexcentis tamen Scripturæ sacræ exemplis, sexcentis interpretum suffragiis, sexcentis scriptorum exoticorum testimoniis eximere promptum est. Jamdiù enim monuerunt nos doctissimi Librorum sacrorum explanatores vocem עד, quam habet Hebraicum exemplar, quamque dictione *donec*,

retulit Vulgatus interpres, Septuaginta verò Senes vocabulo ἕως, non semper finem, cessationem, ac παῦσιν ejus rei notare de quâ sermo fit, sed ejus nonnunquàm continuationem, cum interventu alterius cui dictio *donec*, adjungitur. Sic octavo Geneseos capite, v. 7, de Noetico corvo : *Non revertebatur, donec siccarentur aquæ super terram :* an ergò postquàm siccatæ sunt aquæ, corvus reversus est? minimè vero. Itaque τὸ *donec*, nunquàm reversum corvum significat, ne post siccatas quidem aquas. Sic vicesimo octavo Geneseos capite, v. 15, Jacobo ait Deus : *Nec dimittam te,* עד אשר, *donec fecero quod locutus sum tibi*, an postquàm ea fecisset Deus, Jacobum deserturus erat? neutiquàm sanè; sed interpretum omnium consensio est, auxilii divini Jacobo exhibendi perpetuitatem hic sponderi, cum interventu eorum quæ ipsi Deus fuerat locutus. Sic Job vicesimo septimo capite v. 5 : *Donec deficiam, non recedam ab innocentiâ meâ;* an cùm defecit Jobus, innocens esse desiit ? Sic sexto capite secundi libri Samuelis (2 Reg. c. 6, v. 23) : *Igitur Michol filiæ Saul non est natus filius,* עד, *usque in diem mortis suæ :* an die mortis suæ filios parere cœpit Michol? Imò verò perpetua ejus significatur sterilitas, cum mortis interventu, quam cùm obiit Michol, sterilis esse non desiit, sed longè magis sterilis facta est, utpotè quæ in vivis esse desiit. Sic apud Homerum (Iliad. α) Agamemnon Chryseidem se patri redditurum negat, quoad ipsam Argis apud se telam texentem senectus invadat; quod perindè esse docet Eustathius, ac si nunquàm se redditurum dixisset. Sic Achilles (Iliad. χ) nulla sibi futura dixit cum Hectore fœdera, quoad alter alterum confecerit. Multa in eam sententiam collegit Hieronymus (adv. Helvid., cap. 3), quibus impii Helvidii obtrivit hæresim, et veram sententiam celeberrimi hujus loci defendit, in quo de Josepho et Mariâ ità disserit Matthæus cap. 1, v. 25 : *Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum;* an post uxoris Mariæ partum eam cognovit Josephus, quòd sentiebat impius hæreticus? haudquaquàm certè; verùm perpetuam Mariæ virginatem prædicat Evangelista, cum interventu partûs, quo primogenitum suum edidit. Ergò vocis hujus similem intellectum esse vult Caietanus in Jacobi vaticinio, assentientibus recentiorum Judæorum eruditissimis, ut sensus hic indè exsurgat; imperii firmam ac perpetuam possessionem tribui Judà promitti; quod à Davide, posterisque ejus per aliquot ætates gestum, et ad alios deinde nonnunquàm translatum est, cùmque ab his gereretur, mere terrenum erat; tùm pervenit demùm ad Messiam, unum ex ipsius posteris, à quo ex terreno cœleste factum est et æternum, ità ut ab eo auferri deinceps et extorqueri nunquam possit.

Hæc ex officinis Rabbinicis (Fag. et Tost. in Gen. c. 49, v. 10) fere deprompta Caietanus interpolavit. Adscribit ea quippe Judæis Fagius et refellit. Refellit et Tostatus, qui contineri ea ait Rabbinica quâdam scriptione, cui titulus est : Defensorium fidei. Congruum huic prætereà quippiam proponitur in Rabboth, et in Schebet Jehudâ, et alibi, nempè sceptrum à Judâ nunquàm iri ablatum, postquàm semel venerit Siloh. Id probant ex accentu musico Jethib, qui voci עד adjungitur, cuique vim διακριτικὴν inesse volunt; ita ut עד, cui inhæret, divellat à sequentibus, et dictio hæc exponenda sit *In æternum :* ut locus sic interpungendus sit et interpretandus : *Non recedet sceptrum ex Judâ, et legislator de inter pedes ejus in æternum, quando veniet Siloh.* Duo habet hæc expositio sententiæ Caietani planè consona, et quòd regni perpetuitatem spondet Judæ, et quòd voci עד, *donec*, cessationis significationem non adscribit : verùm in quibusdam discrepat; primùm quòd regni tempus à Messiâ inchoat, cùm longè vetustiora regni hujus initia statuat Caietanus; deindè quòd regnum illi temporarium et cum mundo finem habiturum intelligant; adeò ut עד, tempus indefinitum, non infinitum notet, cùm Caietani doctrina regnum primo temporarium signatum esse decernat, quod per Messiam spiritale fiat et æternum, ne ipso quidem mundi occasu finiendum. Prætereà futilis est interpunctio illa, quâ עד à sequentibus disjungunt, cùm sequatur כי, quod cum עד præcedenti conjungendum esse sciunt qui litteris Hebraicis vel leviter tincti sunt. Tùm verò עד significat *donec,* uti exponi vulgò solet, non *in æternum*, quod illi volunt. Nec quicquam juvantur accentu Jethid, qui non semper διακριτικὸς est, velut in commate sequenti dictionem יבא, cui adnexus est, à sequentibus non divellit. Adde nec vocem כי rectè exponi, *quandò*.

Quantumvis probabilis videatur hæc Caietani sententia, causas habeo tamen cur ab eâ cogar discedere. Nam primùm notam et significationem temporis, quo venturus erat Christus, detrahit vaticinio Jacobi, adversùs constantem et consentientem, non omnium modò Patrum Ec-

clesiæ, sed et vetustiorum etiam Judæorum opinionem, qui hoc oraculo tempus adventûs Messiæ signari fassi sunt. De Patribus satis multa jam diximus, undè res appareat. Ex Judæis sic intellexisse videtur Josephus (de bell. Jud. l. 3, c. 28, et libr. 7, c. 31), et cùm Vespasianum papo perculeret, huic ejus exitum adscripsisse, uti superiùs à me observatum est. Sic intellexerunt et ii qui ab Origenis ævo ad hoc tempus, æchmalotarcham de tribu Judâ, gentis suæ principem ac ducem esse, et porrò fore ad ortum usque exspectati sibi Messiæ, censuerunt; quos jamjam sumus adorturi. Sic intellexerunt etiam R. Moses ben Nachman, ejusque sequaces, qui vocibus שבט et מחקק, *sceptrum*, et *dux*, notari volunt sæva imperia, quibus ubique gens eorum premitur, quæque veniente Messia abroganda sint. Idem præhtereà Nachmanides, et R. Bechai, hunc ex eâ prædictione sensum elici posse crediderunt, licèt non semper Israelis imperium teneat tribus Juda, non alios tamen quam tribules Juda legitimè id arrepturos, donec oriatur Messias. Sic intellexerunt denique, qui ὑποθετικῶς sceptrum Judæ promissum esse rati sunt ad Christi usque adventum, si nimirùm Dei præceptis morigeram se tribus illa præstet. Quæ quamvis inepta omnia sint, et proximè à nobis refellenda, perpetuus tamen ille priscorum Rabbinorum cum sanctis Ecclesiæ Patribus consensus, et constans ac πατροπαράδοτος traditio in assignandâ Jacobææ huic prophetiæ notâ ac significatione temporis ortus Messiæ, mihi non videtur temerè spernenda. Aliud præthereà vitium inhæret Caietani sententiæ, quod nimirùm iisdem Jacobi verbis, *sceptrum* et *dux*, duas res planè diversas signari putet, regnum nempè temporarium et regnum æternum, licèt nullam distinctionis interpositam notam assignet, quâ aliud secernatur ab alio, temporarium ab æterno; nullam conjunctionis, quâ duo hæc prorsùs disjuncta simul comprehendi debere approbet.

7° Expositis præcipuis nostrorum hominum interpretationibus et sententiis, ac explosis, nostra nunc proponenda superest, suisque probationibus et argumentis instruenda. Res quatuor dico his notari Jacobi verbis : *Non auferetur sceptrum de Judâ, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium.* Prima prædictionis pars hæc est : *Non auferetur sceptrum de Judâ,* quâ æterna sceptri possessio Judæ spondetur. Alterum prophetiæ membrum hoc est : *Et dux de femore ejus,* quo temporarius et caducus Judæ præsignificatur principatus. Tertium est istud : *Donec veniat qui mittendus est,* quo temporarii hujus regni finis et Messiæ adventus prædicuntur. Postremum hoc : *Et ipse erit exspectatio gentium,* quo Messiæ regnum, non Chananææ terræ claudendum angustiis, sed quaquaversùs per omnem orbem patens, et spiritale futurum nuntiatur. Harum quatuor prædictionis partium inobservata distinctio, maximam opinionum diversitatem nec minorem rerum perturbationem ac confusionem peperit. Caietano suboluit legitimus primi, secundi, ac postremi membri sensus, quibus regnum Judæ ex temporario æternum, ex terreno spiritale promittitur : sed tertii sententiam, quo mutatio isthæc et tempus adventûs prædicuntur, non olfecit. Temporarii et terreni regni pollicitationem his inesse, ac notam præthereà temporis quo proditurus erat Messias, perviderunt plerique interpretes, ac ferè omnes; reliqua non attigerunt. Cautè hæc distinxeris, omnibus angustiis ac difficultatibus nullo negotio te expediveris. Sed planum id ut fiat, accuratiùs perscrutanda loci sententia est. Dico priorem oraculi partem : *Non auferetur sceptrum de Judâ,* generale quippiam proponere, et Judam erigere in spem æternæ regni possessionis posteris tribuendæ; sed ità tamen ut modum, quo continget æternitas isthæc, non exponat, nec regni hujus genus designet, futurumne sit spiritale, an temporarium. Pars altera à genere et indistinctâ rerum propositione descendit ad species, et promissi principatûs naturam enucleatè definire incipit; nam verba isthæc : *Et dux de femore ejus,* temporarium quid denotant et caducum, per humanam generationem et personarum mortalium successionem reparandum. Sic enim suprà intelligendum esse dixi istud, *de femore ejus,* sive, ut sonant Hebraica, *de inter pedes ejus;* quod vertit Jonathan, *de semine ejus,* Onkelos et Hierosolymita, *de filiis eorum.* Deindè dictio מחקק, quam Vulgatus interpres exponit *dux,* aliud quid sonat ac שבט, *sceptrum,* quod præcedit, uti proximè ostendam : hoc enim regiam dignitatem simpliciter sonat, illud potestatem duntaxat tradendorum præceptorum, et juris dicendi ac præscribendi; ut significetur principatum temporarium ac terrenum, quo potituri erant Judæ posteri, angustum fore, accisum, et sæpè alienis imperiis obnoxium, velut in Zorobabele; ità ut possent quidem jus dicere inter suos, sed supremo tamen imperio libero, omnique aliâ dominatione soluto, et verè regio interdùm exciderent, quoad

adesset Messias, per quem hæc qualiscunque potentia abroganda erat, juxtà illud Oseæ, c. 3, v. 4 : *Dies multos sedebunt filii Israel sine rege, et sine principe, et sine sacrificio, et sine altari, et sine ephod, et sine theraphim.* At solutâ hâc potentiâ, nova constituenda erat per eumdem Messiam, sed diversa et generis alterius, spiritalis nimirùm et æterna, nullis temporum curriculis definita, nullis locorum spatiis contracta, nec jam Israelitas solum regens, sed orbis universi gentes ditioni suæ subjiciens. Id clarissimè prædixit Amos, cap. 9, v. 8 et seq. : *Ecce oculi Domini Dei super regnum peccans, et conteram illud à facie terræ : verumtamen conterens non conteram domum Jacob.* Pollicetur Deus non contriturum se penitùs domum Jacobi, sed ejus ζώπυρα servaturum, quod eventu comprobatum est, primùm dissipatis per universum orbem Israelitis, quippè subjicit Amos : *Ecce enim mandabo ego, et concutiam in omnibus gentibus domum Israel, sicut concutitur in cribro;* deindè terreno Israelitarum et caduco imperio reformato in spiritale et æternum per Messiam, Davidis nepotem et hæredem ; subnectit enim Propheta : « In die illâ suscitabo tabernaculum David quod cecidit, et reædificabo aperturas murorum, et ea quæ corruerant instaurabo ; et reædificabo eum sicut in diebus antiquis ; ut possideant reliquias Idumææ et omnes nationes, eo quòd invocatum sit nomen meum super eos, dicit Dominus. » Quamobrem addit Jacobus : *Et ipse erit exspectatio gentium.* Designare autem isthæc spiritalem et æternam potestatem, cùm alia plurima evincunt oracula Prophetarum, quæ recitabimus infrà, cùm Christi legem et regnum, spiritalia fore et æterna demonstrabimus, tùm istud maximè è Psalmo septuagesimo primo, v. 1 et seq. : « Deus, judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis....... et dominabitur à mari usque ad mare, et à flumine usque ad terminos orbis terrarum...... et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient ei ; » quæ de Davidis et regum Hebræorum ipsius successorum regno sumi non possunt, nec enim id ad terminos orbis terrarum propagatum est ; nec omnibus regibus terræ, omnibusve gentibus jura posuit ; at aliud quoddam regnum notant, tantum quantum nullus unquàm rex obtinuit, quod tamen posteritas Davidis obtinebit. Clarum hoc quoque è Psalmo octogesimo octavo, v. 21 et seq. : « Inveni David servum meum ; oleo sancto meo unxi eum....... et ego primogenitum ponam illum, excelsum præ regibus terræ. In æternum servabo illi misericordiam meam, et testamentum meum fidele ipsi, et ponam in sæculum sæculi semen ejus, et thronum ejus sicut dies cœli. » Memorabilis vero et prorsùs apposita ad rem nostram vaticinatio hæc Isaiæ, cap. 9, v. 6, 7 : « Parvulus enim natus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus, et vocabitur nomen ejus, Admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis ; super solium David et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, et corroboret in judicio et justitiâ, à modò et usquè in sempiternum. » Ecce Davidis regnum Messiæ spondetur in posterum tempus, sic ut postquàm ad ipsum pervenerit, nullo casu intercidat, sic ut immensum sit ac pacificum, ut judiciorum æquitate firmetur, et per Messiam, Deum fortem et admirabilem, in perpetuum administretur. Quibus succinit Daniel, cap. 7, v. 13, 14, cum ait Antiquum dierum Filio hominis dedisse potestatem, et honorem, et regnum ; omnes populos, tribus, et linguas ipsi servituras ; potestatem ejus fore æternam, nunquàm ab eo auferendam, nec regnum ejus unquàm iri corruptum. Etsi testimonia hæc, aliaque multa hùc pertinentia infrà sum corrasurus in hoc Parallelismo, abstinere tamen non possum, quin et istud Jeremiæ, cap. 33, v. 20, 21, quod causam hanc juvat, in antecessum proferam : « Hæc dicit Dominus : Si irritum potest fieri pactum meum cum die, et pactum meum cum nocte, ut non sit dies et nox in tempore suo ; et pactum meum irritum esse poterit cum David servo meo, ut non sit ex eo filius qui regnet in throno ejus. » Addam et hoc Michææ, c. 5, v. 2 : « Et tu, Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda ; ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israel, et egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis. » Duo hic prædicuntur, quæ in Jacobæo itidem oraculo prædicta sunt ; proditurum nempè Messiam è tribu Judâ, et æterno regno potiturum. Quæ et Mariæ Virgini pollicitus est Angelus Gabriel, cum de Christo ex eâ nascendo talia prænuntiaret, (Luc. c. 1, v. 32, 33) : « Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regni ejus non erit finis. » Quorum promissorum memores Christi Discipuli, postquàm hunc vitæ restitutum viderunt, « Interrogabant eum dicentes : Si in tempore hoc restitues regnum Israel? (Act. c. 1, v. 6). » Adjiciam prætereà id Isaiæ, cap. 11, v. 1 et seq. : « Et egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et

requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectûs, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini. Non secundùm visionem oculorum judicabit, neque secundùm auditum aurium arguet, sed judicabit in justitiâ, et arguet in æquitate pro mansuetis terræ, et percutiet terram virgâ oris sui, et spiritu l biorum suorum interficiet impium. » His apertissimè prædicitur spiritale fore Messiæ regnum; quanquàm satis est æternum dixisse, ut spiritale intelligatur. Sententiæ nostræ plurimùm lucis et roboris affert illud Ezechielis, è vicesimo primo capite, v. 26, 27 : « Hæc dicit Dominus Deus : Aufer cidarim, tolle coronam; nonne hæc est quæ humilem sublevavit, et sublimem humiliavit? Iniquitatem, iniquitatem, iniquit.tem ponam e m : et hoc non factum est, donec veniret cujus est judicium, et tradam ei. » Sedeciam regem Juda, qui postremus filiorum Davidis qui regnavêre fuisse dicitur Josepho (Antiq. libr. 10, cap. 11), his pe stringit Deus, et regio fastigio dejectum iri denuntiat. Nam quod Vulgata reddidit *iniquitatem*, si Hebraicum exemplar consulas, reperies עוה, hoc est *perversam*, coronam videlicèt, quam se conversurum promittit Deus, temporariam nempè istam Sedeciæ in æternam, cùm is venerit de quo dixit Deus apud Isaiam, cap. 42, v. 1 : « Dedi spiritum meum super eum, judicium gentibus proferet : » et Joannes, cap. 5, v. 22 et seq. : « Nec enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio....... et potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est » Atque huic coronam illam regum Juda traditurum se denique Deus affirmat. Tùm vero id eveniet quod apud Amosum, cap. 9, v. 11, prædixit Deus : « In die illâ suscitabo tabernaculum David quod cecidit, et reædificabo illud sicut in diebus antiquis. » Rivos hosce claudam, postquàm recitavero voces magnas de cœlo editas, quas memorat Joannes in Apocalypsi, cap. 11, v. 15 : « Factum est regnum hujus mundi, Domini nostri et Christi ejus, et regnabit in sæcula sæculorum; » quibus temporarium hoc regnum, Domino Jesu Christo attributum, et æternum factum esse sine ambage declaratur. Et verò vel ipsa, quam tractamus, Jacobi prædictio, si rectè intelligas, rem conficit. Nam cùm prædicit desiturum ducem de posteris Judæ, ejusque abolitum iri potestatem temporariam et terrenam prodeunte Messiâ, à quo novum statuendum sit et erigendum imperium, alterius utique generis esse debet imperium illud; alioqui nec prius abolere fuisset necesse, atque id continuare potiùs diceretur Messias, quippè in eâdem gente, iisdemque locis paternum administrans regnum, quàm novum fundasse. Itaque dictio *donec*, rerum, quibus inserta est, cessationem significans, vim suam hoc loco depromit quidem in secundum oraculi membrum : *Et dux de femore ejus*, quibus terrena et caduca potestas notatur; verùm ad superiora isthæc non prorogat : *Non auferetur sceptrum de Judâ*, quod regnum æternum, nec à Messiâ abrogandum Judæ nepotibus pollicetur. Ergò querimonias omnes ac dissensiones interpretum hâc expositione sopimus; nam satisfacimus iis, et qui notationem temporis ab oraculo Jacobi detrahi sine piaculo non posse censent, et qui regni Judæ, quod Prophetæ perpetuum fore clamant, mutationem ac finem his prænuntiari nolunt.

8° Quin et egregiè refellemus eos, si qui causabuntur falsam esse hanc quam damus partis primæ Jacobæi vaticinii interpretationem, quâ æternum posteris Judæ sceptrum sponderi volumus; atque item secundæ partis, quâ statuimus iisdem promitti continuam ac perpetuam ducum, sive dominorum ac principum ex eadem tribu successionem, quæ Messiæ temporibus finem sit habitura; cùm certum sit à Jacobo ad Davidem usque, et post solutam etiam captivitatem Babylonicam, principes nullos exstitisse qui Israelitis jura legesque posuerint. At nos cum firmam sceptri possessionem promissam Judæ posteris et attributam fuisse dicimus, κτήσει quidem et mancipio ac proprietate ad eos pertinuisse intelligimus, etiamsi χρήσις et ususfructus ad alios interdùm transierit; atque id demùm regnum agnationis jure Messiam recuperâsse, et velut debitam sibi hæreditatem crevisse, at immutatam, longèque auctiorem ac nobiliorem, maximisque incrementis et insigni accessione amplificatam; quam enim terrenam, angustam et temporariam reliquerat David, immensam, cœlestem, æternam, nullisque deinceps mutationibus obnoxiam Christum cepisse. Mutabile enim fuit regnum Davidis et caducum, adeò ut id ex asse tertius hæres non possederit; perpetuum verò est illud Christi, neque ullis finibus circumscribendum, quod totum nos *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi* (Rom. c. 8, v. 17) adituri sumus. Ut autem Christi typus fuit David, quod inferiùs à me demonstrabitur, sic regnum Davidis typus fuit regni Christi; seu regnum potiùs idem unumque primus è tribu

Judâ David obtinuit, postremus Messias. Igitur etsi ususfructus sceptri à tribu Judà sit aliquandò ablatus, ipsa tamen proprietas, ipsum jus auferri non potuit, illiusque aliquandò per Messiam de se nascendum recuperandi spes in eà superfuit. Atqui jus ad sceptrum, sive sceptri κτῆσις, sceptrum rectè appellari potest et solet. Dicere enim possumus non ablatum fuisse Angliæ sceptrum à Stuartorum gente, postquàm in eam semel concessit, quamvis per multos annos Carolus II ex patriâ regnoque depulsus vixerit; nam tùm quoque jus suum retinebat. Hunc sensum, præter alios quos indicavimus Judæos, ferè secutus est Onkelos in interpretatione vaticinii Jacobæi de Judâ: dicit quippè non defuturos principem et scribam de tribu Juda, *in æternum.* Secutus est eamdem expositionem R. Selomoh, eique confirmandæ attulit locum hunc ex Daniele, cap. 2, v. 44: *In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, et regnum ejus alteri populo non tradetur.*

9° Opponi quoque nobis potest id quod Caietano objicit Pererius, non de spiritali potestate agere Jacobum, quæ in Hebræo populo nunquàm fuit; et ut fuerit, in tribu Levi, non Juda fuisse, sed tantùm de terrenâ; hàc autem excidisse tribum Juda, neque posteà recuperâsse, ne per Messiam quidem, cujus regnum non fuit de hoc mundo, quique prognatus est hoc Jechoniâ, de quo futurum prædixit Jeremias, ut nepotum ipsius nullus imperium teneat. At ista discutere facile est; temporariam enim solùm et terrenam potestatem in Hebræo populo fuisse fatemur antè exortum Messiam, sed quæ deindè in æternum regnum conversa sit per eumdem Messiam, qui et ipse Hebræus fuit, Hebræis prognatus, tribulis Judæ, Davidis nepos; sic ut prior illa potestas, velut rudimentum esset quoddam et adumbratio posterioris. Quemadmodùm enim Pharamundi successor verè est et habetur Ludovicus XIV, cujus imperiis Francia felicissimè gubernatur, licèt hujus ne minimam quidem ditionis partem tenuerit Pharamundus, alterique ac planè diversæ regioni præfuerit; ità verus ac legitimus Davidici regni successor habendus est Christus, licèt alterius generis imperium obtineat; præsertìm cùm hic Davidico sanguine cretus sit, ille Pharamundino non sit. His ità distinctis et explicatis, irritum cadit argumentum Pererii: potestatem enim spiritalem in tribu Judâ vel populo Hebræo fuisse dicimus, quatenùs Messias tribus Juda et populi Hebræi pars hanc tenuit et exercuit; quo factum est ut cùm terrenâ potestate excideret tribus Juda, cœlestem per Messiam recuperaret. Utramque autem à Jacobo præsignificatam et prædictam fuisse meritò arbitramur.

10° Facilè quoque telum hoc alterum Pererii retundimus, quo per Caietani latus nostrum petitur, cùm ait nullam sceptri vel κτῆσιν vel χρῆσιν habuisse tribum Juda temporibus iis quæ Davidem præcesserunt; defecisse itaque saltem hoc tempore sceptrum de Juda, quod oraculo repugnat. Quo telo non nostram solùm, sed et alias etiam quas attulimus loci hujus interpretationes, suamque adeò Pererius oppugnat; cùm probari non posse adversùs eum disputantes ostenderimus, ullum prærogativæ jus in hâc tribu fuisse antè Davidem. Utut est, malè certè hæc Pererio temporibus divisa sunt; nec enim id sibi vult Jacobus, statim post suam prædictionem Judam regni possessionem aditurum; imo verò prospiciebat in longitudinem cum hæc diceret; ait enim (Gen. c. 49, v. 1): *Congregamini ut annuntiem quæ ventura sunt vobis in diebus novissimis.* Igitur tùm primùm Judæ jus ad regnum Israeliticum declaravit et attribuit Deus, spemque ei dignitatis hujus fecit; non ipsi statim, sed posteris ejus post aliquot ætates concedendæ.

11° Postquàm Christianorum super hoc oraculo sensus satis exploravimus, nostrosque ipsi proposuimus et confirmavimus, superest nunc ut adoriamur Judæos, quorum non uniusmodi opinio est, sed in duas sectas dissipatur. Alii enim Messiam quidem hìc prænuntiatum agnoscunt, at Jesum hunc fuisse negant; alii ad Messiam id ullo modo pertinere inficiantur. Ex his duobus fontibus sententiæ oriuntur complures, quas collegit horum temporum clarissimus Judæus Manasse ben Israel (Conc., Quæst. 65, in Gen.), et ad undecim capita revocavit. Ad convincendum simul errorem utrumque, totam hanc prædictionem in Jesu completam fuisse palàm faciam. Ac ista primùm manifestò ad Jesum spectant: *Juda, te laudabunt fratres tui; manus tua in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui.* Ad filium Judam verba facit Jacobus, quatenùs Messiæ pater futurus est, vel Messiam potiùs in patre alloquitur. Nam quemadmodùm Davidis avi nomen Messiæ nepoti tribuunt Prophetæ, quod declarabimus in hoc Parallelismo, sic et Messiæ Jacobus avi ejus nomen tribuit. A fratribus suis laudatus et adoratus est Jesus, Christianis videlicet, quos fratrum loco habere se profitetur apud Mat-

thæum 12, 50 : *Quicunque*, inquit, *fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, et soror, et mater est.* Itaque fratres non semel appellat, cùm in Evangelio, tùm et in Psalmo vicesimo primo, v. 23, sub personâ Davidis: *Narrabo nomen tuum fratribus meis.* Undè et cohæredes Christi Paulus non esse ait. (Rom. c. 8, v. 17.) Ab iis autem primùm laudatus est, cùm prodigiosa eum patrantem opera aspexerunt; postquàm autem viderunt eum ad vitam rediisse, tùm verè Deum esse cognoverunt, eoque nomine adorârunt. Quamobrem servos se Christi in Epistolis sæpè Apostoli profitentur. Et nos hodièque, qui fidem ipsius amplexi sumus, divinos ipsi honores exhibemus. Cervices vero inimicorum vel cædit, vel sub jugum mittit; quippè (Apoc. c. 19, v. 11, et seq.) *de ore ejus procedit gladius ex utraque parte acutus, ut in ipso percutiat gentes, et ipse reget eas in virgâ ferreâ..... et cæteri occisi sunt in gladio sedentis super equum, qui procedit de ore ipsius.* Principem hujus mundi se foràs ejecturum jactat. (Joan. c. 12, v. 31.) *Exspoliavit principatus, et potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* (Col. c. 2, v. 15.) Quod et futurum præsenserat Balaamus, cum diceret (Num. c. 24, v. 17) : *Et percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth;* item David (Psalm. c. 17, v. 38 et seq.) : *Persequar inimicos meos, et comprehendam illos, et non convertar donec deficiant: confringam illos, nec poterunt stare, cadent subtùs pedes meos; et præcinxisti me virtute ad bellum, et supplantâsti insurgentes in me subtùs me; et inimicos meos dedisti mihi dorsum, et odientes me disperdidisti:* et alibi (Pslam. 109, 1, 2): *Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.*

Pergit Jacobus (Gen. c. 47, v. 9) : *Catulus leonis Juda; ad prædam, fili mi, ascendisti; requiescens accubuisti ut leo et quasi leæna; quis suscitabit eum?* Quæ de Christi Jesu potentiâ dixerat : *Manus tua in cervicibus inimicorum tuorum*, leonis comparatione illustrat, quo inter quadrupedes nihil validius, quippè earum princeps et rex habetur. Hâc ergò similitudine significantur et Christi Jesu robur, et regium genus, quæ ipsi competere in Parallelismo à nobis demonstrabitur. Ascendit ad prædam, tùm cùm ex orci faucibus, dæmonumque tyrannide humanum genus eripuit. Deindè victoriæ hujus modum, rationemque adumbrat, cum ait : *Requiescens accubuisti ut leo*, quæ mortem Christi exprimunt; dormitionis enim ac somni vocabulis mortem significare consueverunt Scriptores sacri; et utramque notionem habet Hebraica dictio שכב; et somnus Homero dicitur κασίγνητος θανάτοιο. Prædictâ Jesu morte consequens fuit ipsius reditum ad vitam prædicere; quod et fecit his verbis : *Quis suscitabit eum?* ac si dicat : Non alius præter ipsum ac Patrem potest eum ad vitam revocare. Id sibi volebat Jesus, cum diceret (Joan. c. 2, v. 19) : *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.... Ille autem dicebat de Templo corporis sui;* id Paulus, cùm Patris potentiam ac virtutem prædicaret hoc modo (Eph. c. 1, v. 20) : *Quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, et constituens ad dexteram suam in cœlestibus.* Igitur Christum Jesum respiciebat Balaamus, cùm de Israele, undè ortum erat habiturus, sic vaticinaretur (Num. c. 24, v. 3) : *Accubans dormivit ut leo, et quasi leæna quam suscitare nullus audebit.*

Sic deindè futurorum prædictionem Jacobus prosequitur : *Non auferetur sceptrum de Judâ, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est; et ipse erit exspectatio gentium.* Hæc jam satis excussimus. Addemus id tamen, geminis istis vocibus, *sceptrum* et *dux*, regiam dignitatem, et jus condendarum legum, esse expressa. Nam qui rex est leges condere potest et vivendi normam præscribere. Undè fit, ut in Psalmo centesimo septimo, v. 9, Juda, ad quem pertinebat sceptrum, quique à Septuaginta Interpretibus vocatur βασιλεὺς, in Vulgatâ *rex*, Hebraice dicatur מחקק. Apud Isaiam (c. 33, v. 22), Deus, qui Rex regum est, eodem afficitur nomine, quod exponunt Septuaginta ἄρχων; Vulgata *Legifer*, cui adsonat et *Jonathan*. At non quisquis leges ferre potest, proindè et rex est. Jura Hebræis posuit Moses, Atheniensibus Solon, Lacedæmoniis Lycurgus; quorum tamen nullus verè rex fuit. Quamobrem Aben Ezra, et R. David Kimchi, et R. Selomoh, vocabulum istud in oraculo Jacobi reddunt, *Dominum, et Principem;* R. Lipman in libro Nitzachon, מושל, *Dominatorem;* non verò dixerunt *Regem*. Ergò regis potestas major est, legumlatoris angustior. Priorem potestatem, juxtà Prophetarum vaticinationes, verè obtinuisse Christum Jesum, et paulò superiùs ostendimus, et in Parallelismo etiam infrà probabimus. Legum quoque ferendarum jus, etsi regiâ potestate continetur, seorsùm tamen Christo tribuitur; uti, præter alia testimonia in Parallelismo quoque à nobis afferenda, vel unum hoc Isaiæ declarat : *Non erit tristis, neque turbulentus, donec*

ponat in terrâ judicium; et legem ejus insulæ exspectabunt. Ait deinde Jacobus : *Donec veniat qui mittendus est* : Hebraice, *donec veniat* שילה : quâ voce Messiam notari consentiunt Chaldæi Paraphrastæ, et Thalmudistæ, aliique magistri quos suprà adduxi in testimonium. Existimârunt multi legisse Hieronymum, שילוח, à שלח, *misit* : quæ lectio Judæis nonnullis, et Steucho postmodùm, Huntlæo ac Grotio placuit; Chaldæos quoque ipsam fuisse secutos, at Judæos deindè adulterâsse, censet Steuchus; Grotius verò approbare eam satagit, cùm ex aliis Scripturæ sacræ locis, in quibus Messias à Patre missus esse dicitur, adhibitis ad id significandum verbis ἀποστέλλειν et πέμπειν, tum maxime ex nono capite Joannis, vers. 7, ubi agitur de *natatoriis Siloe, quod interpretatur Missus;* quæ loca ad id Jacobi vaticinium spectare putat. Fuit in eâdem opinione Eusebius, eamque libro septimo Demonstrationis prodidit, et Grotio id argumentum ex Siloe petitum subministravit. His addi poterant testimonia quædam auctorum sacrorum, in quibus nomen ἐρχόμενος, *Venturus*, Messiæ proprium videtur esse et caracteristicum. Quale illud est Discipulorum Joannis ad Christum (Matth. c. 11, v. 3) : *Tu es qui Venturus es, an alium exspectamus?* et hoc Pauli ad Hebræos (Hebr. c. 10, v. 37) : *Adhuc enim modicùm aliquantulùm : qui Venturus est veniet, et non tardabit;* quod ex secundo capite Habacuc, v. 3, depromtum est; et hoc Epistolæ ejusdem (Hebr. c, 10, v. 7) ex personâ Messiæ : *Tunc dixi : Ecce venio :* quod è tricesimo nono Psalmo prodiit. Quò refertur et hoc Samaritanæ ad Christum (Joan. c. 4, v. 25): *Scio quia Messias venit* (qui dicitur Christus); *cum ergò venerit ille, nobis annuntiabit omnia :* atque id etiam Aggæi (2, 8) : *Et veniet desideratus cunctis gentibus.* Venturus autem et mittendus reciproca sunt. Verùm tantis licèt suffragiis, tantisque argumentis se tueatur hæc opinio, ab eâ tamen me revocat unius Samaritani exemplaris auctoritas, ex cujus ductibus intelligitur, eam, quæ nunc obtinet in Hebraico contextu, scripturam esse vetustissimam, nec ullius vitiositatis suspectam. Nec abhorret à vero legisse Hieronymum שילה, etiamsi vocis hujus originem repetiverit à שלח; quidni enim crediderit ח in ה, ejusdem instrumenti litteram, mutari posse per variationem dialectorum, uti mutatur nonnunquàm in ע? Nihilò magis Septuaginta Senum interpretationi assentiri possum : ἕως ἂν ἔλθῃ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ, vel, ut alii legunt, ᾧ ἀπόκειται, vel juxta nonnullos, ὃ ἀπόκειται. His significatas putat Eusebius (Euseb. Dem., lib. 8) Dei promissiones, quibus futurum spopondit (Gen. c. 35, v. 11) ut in Abrahami, Isaaci, et Jacobi semine *benedicerentur omnes cognationes terræ, et reges de lumbis* Jacobi egrederentur. At idem paulopost ἀποκείμενα illa aliter explicat, eaque opinatur esse, quæ Judæ Jacobus mox pollicitus est : *Juda, te laudabunt fratres tui; manus tua in cervicibus inimicorum tuorum; adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Juda; ad prædam, fili mi, ascendisti; requiescens accubuisti ut leo et quasi leæna; quis suscitabit eum?* At Onkelos, et Hierosolymitanus Paraphrastes, et Syrus Interpres, et Arabs, et R. Selomoh, regnum putant id fuisse quod Messiæ erat ἀποκείμενον. Quam interpretationem Chrysostomus (Chrysost. in Gen. 49) et Hieronymus (Hieron. Epit. Paul. cap. 4, et alibi sæpè) arripuerunt. Ità videntur eamdem lectionem secuti ac Septuaginta; nempè שלו, hoc est, juxtà ipsorum interpretationem, *quod ei*, ut ה pro ו usurpetur, et ש pro אשר; quæ sanè nimis coacta videntur, et parùm omninò verisimilia : nam præter ה in ו mutatum, vides י intrusum; deindè antè Davidis tempora contractum fuisse אשר in ש, nullo exemplo probari potest, ut notavimus ad Origenem. Esto tamen, contractionem hanc tulerit ista ætas, quodnam hoc loquendi genus est, unâ duabusve dictionibus triplicem involvens ἀποσιώπησιν. Ut enim aliquis indè exsculpatur sensus, τῷ *quod* primum præfigendum est *regnum;* subjungendum verò, *repositum est* : at τῷ *ei* subjiciendum *Messiæ;* quæ connexa hanc sententiam dabunt : *Donec veniat regnum quod repositum est ei Messiæ.* Pateremur, si ulla præcessisset, vel regni, vel Messiæ mentio : quod cùm non ità sit, explicationem hanc meritò repudiamus. Nec illi anteferimus alteram R. Davidis Kimchi, quam proponit in libro Radicum. Is שילה exponit בנו, *filius ejus*, et vocem derivat à שליה, quod *secundas* significat, sive χορίον. Id ut constare possit, dictio hæc parte suî ultimâ multanda est, et pro affixo ו supponendum ה, deinde י inferciendum, et dicendum demùm *secundas* pro fœtu συνεκδοχικῶς hic usurpari. Hæc sententia, quantumvis ab oratione communi abhorrens, recentioribus tamen plerisque interpretibus Christianis placuit, quòd Messiæ ortus ex matre, absque ullo patris opere, his designari visus sit. Nos verò, non quæ acutiora cogitatu, vel dictu pulchriora, sed quæ veriora sunt persequimur. Ea mihi arridet præ reliquis vocabuli hujus interpretatio, quæ *pacificum* reddit, à שלה, quod

est : *Quievit, in pace et otio fuit.* Id quàm Christo conveniat, liquet ex Davide, qui de eo prædixit (Psalm. 71, v. 3, 7) futurum ut *oriatur in diebus ejus justitia et abundantia pacis, donec auferatur luna :* et ex Isaia (Isa. c. 9, v. 6, 7), qui hæc de eo : *Vocabitur nomen ejus, Admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri seculi, princeps pacis; multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis.* Quid quod conceptis de eo verbis præcinit Michæas, cap. 5, v. 5 : *Et erit iste pax :* et Zacharias cap. 9, v. 10 : *Et loquetur pacem gentibus?* Quæ in Domino Jesu re fuisse completa evincet noster Parallelismus. An et vocis hujus veriloquium tangitur apud Isaiam, cap. 8, v. 6, cùm ait aquas Siloe vadere cum silentio, ἡσυχῇ πορεύεσθαι, juxtà Septuaginta Interpretes? Fieri enim potuit, ut quemadmodùm in oraculo Jacobi שילה Hieronymus, aliique arcessiverunt à שלח, *misit,* ita Isaias שלח, quod fontis nomen est, derivaverit שלה, *quievit, tranquillus fuit.* Jam verò quatenùs Messias fuerit exspectatio gentium, vel juxtà Onkelon et Hierosolymitam, quatenùs ipsi dicto audientes fuerint populi; vel juxta Kimchium et alios, quatenùs ad eum aggregati fuerint populi, præclarè R. Moses Hadarsan in Beresith Rabba ostendit ex Isaiâ (c. 11, v. 10, et c. 42, v. 4, et c. 49, v. 8, et c. 55, v. 4), qui futurum prædicit ut *ipsum gentes deprecentur,* ut *legem ejus insulæ exspectent,* ut Deus *det eum in fœdus populi, ut suscitet terram et possideat hæreditates dissipatas,* ut Deus *testem populis det eum, ducem ac præceptorem gentibus.* His adde et istud Aggæi (2, 8) : *Et movebo omnes gentes, et veniet desideratus cunctis gentibus.* Simili promisso Deus Patriarcharum Messiæ proavorum, Abrahami, Isaaci, et Jacobi spes sustentabat, futurum spondens, ut in illis *benedicerentur universæ cognationes terræ.* (Gen. c. 12, v. 3.) Hìnc ista Simeonis viri sancti, cùm Jesum in sinu gestaret (Luc. c. 2, v. 30 et seq.): *Quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parâsti antè faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium.* Sin R. Jonam Gerundensem quis sequatur, qui ῥῆσιν hanc sic intelligit : *Non à judâ abscedet virga exactoris, quoad veniat filius ejus, qui gentium robur franget,* uti quoque poterit Davidis suffragio, qui Deum inducit sic alloquentem Christum (Psalm. 2, v. 7) : *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodiè genui te. Postula à me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virgâ ferreâ, et tanquàm vas figuli confringes eos.*

His demùm verbis Jacobi oraculum concluditur (Gen. c. 49, v. 11, 12) : *Ligans ad vineam pullum suum, et ad vitem, ô fili mi, asinam suam. Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ pallium suum. Pulchriores sunt oculi ejus vino, et dentes ejus lacte candidiores.* Quadrare et hæc in Christum ex Joanne intelligitur, apud quem Jesus hæc de se prædicat (Joan. c. 15, 1 et seq.) : *Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est;* tum : *Ego sum vitis, vos palmites; qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum.* Asinam autem et asellum, quibus invectus Hierosolyma iniit juxtà Zachariæ vaticinium, Judæorum et ethnicorum symbola esse uno ore asseverant interpretes. Porrò significari à Jacobo his verbis eumdem, qui à Zachariâ, cap. 9, v. 9, deindè asinâ equitans descriptus est, traditur in Beresith utràque, Rabbâ et Ketannâ. Cùm illos ergò cœlestis gratiæ laqueis irretitos ad se pertrahit, sibique adjungit, tùm verè ad vitem pullus et asina religantur. Flectimus hæc nos quidem in allegoricum sensum, quod et fecerunt Chaldæi Paraphrastæ. Onkelos vitem interpretatur Deum, Deique doctrinam, tùm et ipsius templum ac civitatem; asinam verò et asellum exponit Israelem et ethnicos, tùm et æqui bonique amantes homines ac divina præcepta facessentes. Onkelon sequitur R. Selomoh. Jonathan et Hierosolymitanus Interpres iis quæ sequuntur cruentas Messiæ victorias portendi putant. Ego verò aio Jesu Christi supplicium his præsignificari, isto Isaiæ loco c. 63, v. 1, 2, fretus, quem ad Messiam pertinere arbitratur optima pars interpretum : *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosrâ, iste formosus in stolâ suâ?....... Quarè ergò rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* Quamobrem in sacrosancto Eucharistiæ sacramento de vino sanguinem suum fieri voluit, seque cruentâ veste indutum obtulit in Apocalypsi (c. 19, v. 13). Nec ipse solùm suo sanguine stolam tingit, at Discipulorum quoque suorum vestes eodem ablui jubet : *Hi sunt,* inquit unus de Senioribus Joannem alloquens, *qui venerunt de tribulatione magnâ, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni.* Alio loco sic ipse Jesus (Apoc. 12, 14) : *Beati qui lavant stolas suas in sanguine Agni.* Quæ sequuntur de oculorum pulchritudine et candore dentium, valent ea ad Messiæ speciem ac decorem commendandum; non eum qui in externâ corporis formâ, sed qui in animi dotibus ac virtute positus est. Quò pertinet illud è Psalmo quadra-

gesimo quarto, v. 3 : *Speciosus formâ præ filiis hominum; diffusa est gratia in labiis tuis, proptereà benedixit te Deus in æternum.* An æternum illum Dei favorem formâ corporis quisquam promereri potest ? minimè profectò. Simile est et hoc Isaiæ, v. 17 : *Regem in decore suo videbunt oculi ejus.* Eumdem igitur sensum accommoda et Cantico, in quo Sponsi pulchritudo tenerrimis et mollissimis verbis describitur: accommoda verò his præcipuè : *Dilectus meus candidus et rubicundus;* quibus candidi mores et, ut Virgilii utar verbis, ardens virtus denotantur, quorum symbola sunt lac et vinum. Rubor autem oculis maximè Messiæ tribuitur, perindè ut vis flammea in Apocalypsi (c. 1, v. 14, et c. 2, v. 18, et c. 19, v. 12), et apud Danielem (c. 10, v. 6), et Deo ipsi apud Ezechielem (c. 1, v. 27), nimirùm ut perspicacitas ejus significetur, et oculorum vis omnia pervadens, etiam intima cordis. Quocircà Christus Jesus in Apocalypsi, postquàm flammeos et ignitos sibi esse oculos dixit, subjicit continuò (Apoc. c. 2, v. 18, 23) : *Novi opera tua;* et deindè : *Ego sum scrutans renes et corda.* Sic et Paulus ad Hebræos (4, 13) : *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus : omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus.* Cui vi exprimendæ nihil excogitari potest igne aptius, qui calore suo omnia penetrat, lumine collustrat universa. Candor autem adscribitur dentibus, propter fandi vim lacteam, quâ Christum valuisse ex his Lucæ (4, 22) discimus : *Et omnes testimonium illi dabant, et mirabantur in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ipsius;* id quod tantò antè præmonitum fuerat in Psalmo quadragesimo quarto, v. 3 : *Diffusa est gratia in labiis tuis.* Id sibi quoque volebat Matthæus, c. 7, v. 29, cum diceret : *Erat enim docens eos sicut potestatem habens :* et ministri Pontificum et Pharisæorum apud Joannem c. 7, v. 46 : *Nunquàm sic locutus est homo sicut hic homo.* Nihil est enim ad persuadendum efficacius, nihil accommodatius ad delectandum, nativâ hâc oratione et simplici, quæ detracto omni ornatu verborum, rebus ipsis placet quas expromit, in earumque delectu laborem omnem et industriam consumit.

12° His animadversis, videant nunc Judæi an commentitias suas loci hujus interpretationes nostræ possint opponere, et levi saltem aliquâ veritate comprobare. Eorum, ut dixi, de Prophetiæ hujus intellectu duplex exstat opinio ; alii enim Messiæ quidem prædictionem ei fatentur inesse, at Jesum eum fuisse negant; alii ad Messiam id ullo modo pertinere inficiantur. Qui in priori versantur hæresi, non in eamdem omnes conspirant sententiam : quidam enim Messiam à Jacobo promissum nondùm venisse arbitrantur, venturumque exspectant : quæ sententia tradita exstat in Thalmudico libro Sanhedrin ; item in Beresith utrâque, Rabbâ et Ketannâ ; et in Echâ Rabbathi ; apud Onkelon quoque, et alios Paraphrastas Chaldæos, Jonathanem et Hierosolymitam ; apud R. Davidem Kimchi, R. Abrahamum Aben Ezram, R. Salomonem Jarchi, et R. Josephum in Ikkarim sive Fundamentis fidei, qui et id Onkelon accepisse narrat à Schemaiâ et Abthalione, stante etiamnum templo secundo ; cujus rei fides penès auctorem esto. Eadem est etiam persuasio eorum qui Babylonicæ captivitatis principem, quem *Æchmalotarcham* appellant, magnis Judæorum copiis, uti quidem fingunt, Bagdadi præfectum, de tribu Judâ nunquàm non diligi aiunt; undè oraculi veritatem peti censent; quippè nondùm ablatum esse sceptrum de tribu Judâ, nec proindè Christum venisse. Vigebat hæc jam inter Judæos opinio Origenis temporibus, quam plerique partium harum gregales sectati sunt. Pluribus de eâ re disserunt Benjamin Tudelensis in Itinere, et R. Abraham Zachuthus in libro Juchasin. Quidam verò Messiam geminum hoc Jacobi oraculo promissum arbitrantur ; Mosem alterum Messiam κατ' ἐξοχὴν dictum : quem errorem secutus est R. Bechai. Adde et alios jam suprà confutatos à nobis, qui Judæ hìc promissam agnoscunt perpetuitatem regni, in Messiâ initium habituri. Qui verò nullam Messiæ his inesse prædictionem contendunt, vocem hebraicam, quam reddit Vulgatus Interpres, *Qui mittendus est*, vel ad Davidem, vel ad Saülem, vel ad Jeroboamum, ipsamque adeò Siloh urbem, vel ad Nabuchodonosorem referunt ; quam postremam opinionem Julianus Apostata (apud Cyrill. libr. 8) tueri videtur. Has sententias, utpotè insigniores refellisse contenti erimus ; alias quas scimus in Beresith Rabbâ, aliisque locis esse propositas, studiosorum industriæ discutiendas relinquemus.

13° Ac priores quidem, qui Messiam hoc oraculo prædictum fatentur, at nondùm venisse eum contendunt, nullum opinionis suæ afferunt argumentum, neque verò ullum aliud afferre possunt, præterquàm quòd nondùm exstitit quisquam, in quem partes oraculi hujus omnes aptè congruerent. Quod manifestè falsum esse probavimus. Deindè cùm suprà docuerimus

eum habendum esse Messiam, cui uni Prophetiæ omnes Veteris Testamenti de Messia conveniunt, hìnc efficitur eum in quem appositè quadrabit Prophetia hæc Jacobi, si modo reliqua Veteris Tèstamenti vaticinia consentiant, Messiam esse habendum. Hanc autem Jacobi prophetiam in Jesum convenire luculenter demonstravimus, et reliquas præctereà Veteris Testamenti vaticinationes huic consentire suis à me probatur locis. Undè efficitur Jesum esse Messiam, proindèque jam Messiam venisse.

14° Vanissima verò præ cæteris eorum opinio est, qui *Æchmalotarcham* quemdam confingunt, Judæorum imperium in Asiâ tenentem, et tribu Judâ oriundum, quem Patriarcham appellant, perpetuâque successione dignitatem eam ad Christum usque exstituram asseverant. Vetus illud quidem Judæorum commentum est, ut intelligi potest ex Seder olam Zuthâ; jam indè ab Origenis, ut dixi, superioribusque deductum temporibus; quod ità recentiores amplificarunt magistri, ut Patriarcham hunc genealogiæ suæ seriem detexere, scriptisque ac legitimis instrumentis approbare posse putent. Atque ad hanc fabulam ordiendam una ipsis causæ videtur fuisse Jacobi de Judâ prophetia, quam in *Æchmalotarchâ* exitum habuisse prisci Rabbini existimabant, ut auctor est Maimonides in Jad Chazacah (libr. ult., cap. 4). Opinioni huic profligandæ, inconstantiam ipsiuset varietatem satis est prodidisse: Nam Benjamin Tudelensis, qui in Itineris sui historiâ Israelitarum multitudinem ac potentiam fictitiis narrationibus commendare unicè videtur habuisse propositum, multa de *Æchmalotarchâ* congerit, ac ipsum Bagdadi sedem habere narrat, et imperium ejus Asiæ finibus circumscribit. Tùm paulòpost infinitas Judæorum copias versùs Eurum statuit, sui juris, rerum omnium ubertate affluentes, amplissima et beatissima loca latè incolentes, et ab omni commercio ac reliquorum hominum aditu seclusas, propter vastissimas solitudines interjectas. Pleraque tamen horum se fando tantùm accepisse fatetur, quæ deindè R. Isaac ben Aramah in suis Legis explanationibus dicendo dilatavit. Auctor est etiam Aben Ezra ætate suâ nepotes quosdam Davidis exstitisse Bagdadi. Sed et narrant R. Gedalias ben Jechaia in Catenâ cabalæ, atque item auctor Schevet Jehuda, posteris Davidis apud Persas summum honorem habitum fuisse. Multa quoque de maximis Judæorum ἀποδασμοῖς et regnis in deserto Chabor et ad mare Rubrum sitis disserit R. Abraham Peritzol in Orchath olam (cap. 14), sed de quibus nihil ipse quoque præter auditum habere se agnoscit. Multa idem, multa et ad nauseam usque insignis mendaciorum et ineptiarum fictor Eldad Danita, qui quatuor Israelitarum tribus, Danitidem, Gaditidem, Aseritidem, et Nephthalitidem in Æthiopiâ locat, Sabbathio flumine septas, et omnibus copiis circumfluentes; reliquas sex in Asiâ suis legibus utentes; nonnulla et R. Simeon in Jalcut, et antè illos Beresith Rabba et Thalmud in libro Sanhedrin, cap. 10, de Judæis ultrà Sabbathium flumen, quod ab aliis plerisque in Mediâ statuitur, habitantibus, et regna illic obtinentibus; quos et mœnibus igneis protectos, et ab omni hominum commercio sejunctos esse quidam per summam vecordiam affirmare ausi sunt. Idem Peritzol Judæos versùs orientem solem locat, et montibus immensis circumclusos fingit. Postellus (Hist. Orient., Part. 1, cap. 5 et 6), popularis meus, vir magni, sed immoderati et effrænis ingenii, intrà has montium angustias diù latitâsse decem tribus ait, sed tandem prognatos ex iis Tartaros et Turcas indè erupisse, vastissimasque regiones armis occupâsse. Quod ex Haythoni Armeni Historiâ (cap. 17) probare conatus, viris gravibus et eruditis persuasit. Magni etiam Judæorum exulum cœtus in Indiâ, magni ad Daphnen Antiochiæ suburbium statuuntur. Quidam et in Americâ decem tribus requirunt. In quem errorem mirarer animum suum demisisse, eique defendendo studium suum et operam accommodâsse doctissimum Manassem ben Israel, Amstelodami olim familiariter mihi notum, nisi Judæum fuisse meminissem. At res est omnibus cachinnis digna, asseverâsse ipsum in Conciliatore, inter Judæos, qui per Hispaniam et Galliam antè annos aliquot dispersi erant, duces ac principes Davide prognatos semper exstitisse, videlicet Abrabanieles; et post excidium secundi templi duas ex hâc gente familias in has oras migrâsse; quarum altera eorum erat qui Beni Daud, *Filii David;* altera eorum qui Abrabanieles appellabantur. Quod et R. Isaaci ben Guiat auctoritate confirmat. In quo tamen non gentilium solùm suorum, sed et suam ipsius causam agit homo non incallidus; nam duxerat uxorem de stirpe Abrabanielum, magnoque sibi ducebat honori Davidicam gentem affinitate contingere. Itaque Davidis nepotes se genuisse jactabat. Redeamus verò ad decem tribus, quas Thalmud Hierosolymitanum, omnes

ineptias putidissimo figmento superans, nubibus protectas et à reliquis mortalibus hujusmodi sepimento separatas comminiscitur, proindèque et ab *Æchmalotarchæ* ipsius imperio discretas. Quomodò enim ultrò citròque ad eum illinc commeare, vel ab eo illùc penetrare legati potuissent, cùm omnis aditus esset interclusus? Nisi dicant fortassè solis Judæis hanc facultatem divinitùs fuisse concessam, quod *credet Judæus Apella*, non ego. Scio memoriæ proditum esse à Josepho (Antiq. libr. 11, cap. 5) tribus decem trans Euphratem deportatas in immensam multitudinem suâ ætate excrevisse, quod ab eo edoctus Orosius (libr. 2, cap. 7) retulit; verùm nulla illic regna commemorant; imò barbarorum imperiis fuisse subjectas optimè à Sulpitio Severo observatum est. (Sulpit. Sev., Hist. sacr. l. 2.) Nec moror auctoritatem scriptoris libri quarti Esdræ, qui decem tribus in longinquas terras abiisse somniat (4 Esdr. 13, 41, et seq.), ut ritus suos sine impedimento possent observare; discessisse illis aquas Euphratis, ut olim Rubri maris et Jordanis; et post anni unius iter in regionem Arsareth pervenisse, quæ nemo hactenùs penetraverat; ibique summâ pace frui, quoad ipsis reditum Deus paret. Quæ impuri auctoris et otio suo abutentis mera figmenta sunt.

Atqui nos argumenta non deficiunt, quibus inanem hanc Jacobæi prædicti expositionem possimus difflare. Nam primum constat adeò permistas esse Judæorum tribus ac confusas, ut ne levi quidem suspicione origines familiarum internosci queant, nedùm scriptis comprobari. Atqui ineptum est credere ea venientis Messiæ signa præmonstrâsse Jacobum, eventuram nempè tribui Juda sceptri amissionem et ducum defectum, quæ deprehendi haudquaquàm possent; cùm ne ipsa quidem tribus Juda secerni ab aliis ac distingui queat. Aio prætereà nusquàm gentium jus sceptri, ditionemve ullam aut imperium Judæos obtinere. Hâc enim ætate frequentibus mercatorum commerciis, et longinquis viatorum peregrinationibus, satis accurata terræ habitabilis percepta notitia est, ut fabulosa hujusmodi imperia contingere nemini liceat. Scimus verò quoquoversùm dissipatam infelicem hanc gentem alienis parere legibus, nec quidquam eorum attentare fas ipsi esse, quibus constat regia potestas; puta reos morte plectere, bella denuntiare, monetam cudere, leges proponere; imò verò, ludibrio ubique ac despicatui habitam, velut in celeberrimo orbis universi theatro atrocissimas se lerum suorum pœnas luere. Mirum foret profectò tantam hominum multitudinem, bonis omnibus florentem, ità delituisse ad hanc diem, ut post tot ac tantas hominum nostrorum peregrinationes adiri non potuerit. At jamdiù est quòd Origenes (περὶ ἀρχ., lib. 4, cap. 1) et Theodoretus (in ἀπορ.). Patriarcharum originem de tribu Judâ arcessitam vanitatis insimulârunt. Nec uno loco scribit ille, jus gladii Judæis fuisse ademptum, eòque exitum habuisse Jacobi vaticinium Judæ filio editum. Quòd si in reos aliquandò animadvertisse leguntur ipsorum ethnarchæ, id quod suis factum temporibus, seque expertum affirmat Origenes in Epistolâ ad Africanum, hoc sibi juris sumpsisse illos ait, vel dissimulantibus Romanis, vel gratificantibus. Proditum deindè est variis locis à Maimonide, quam angustis finibus coercita fuerit Judæorum potestas et jurisdictio. Iis quidem extrà terræ Chanaanitidis limites judicia capitalia exercere fas jusque non erat; itaque Babylone, et Alexandriæ, et Antiochiæ, ab iis, quibus subditi erant, principibus capitalia jura petebant, vel eorum reddendorum licentiam impetrabant. At intrà Chanaanitidem soli Palæstini Judæi jure gladii pollebant, non Babylonii, aut Ægyptii, aut Antiocheni, quibus id nullibì gentium erat concessum; undè efficitur ineptum esse, Babyloniis Judæis, quorum accisa adeò potestas erat, sceptrum et regiam dominationem adscribere. Quid quod et *æchmalotarcham* ipsum à Muhammedanorum Caliphâ potestatem per sigilli traditionem accipere solitum Benjamin testificatur; quo minimè proprium, sed fiduciarium dominium habuisse confitetur? Sed ne Synagogas quidem, collegia, aut scholas, nisi de principum licentiâ, habere poterant; et si quibus fruebantur privilegiis, totum id benignitati principum eorumdem acceptum referebant. Hæc quidem pro temporibus variè mutârunt. Id juris quo pollebant olim Palæstini Judæi, ad hanc diem minimè retinuerunt; penès Turcas est suprema potestas, à quibus omni juris dicendi facultate mulctati sunt. Quod ad regna verò illa imaginaria è decem tribubus propagata attinet, etiamsi nunc exstare fateremur, quis ea credat se hominibus tribu Juda prognatis subjecisse? Quamvis enim legamus in Beresith Rabbâ deportatas esse decem tribus incertum quemdam locum; in omnes verò regiones quoquoversùs dispersas fuisse tribus Juda et Benjamin, ità ut unum aliquem ex tribu Judâ apud se reperire potuerint, quem

sibi præficerent; ex quo tamen Israel detrectavit imperium tribus Juda, seque ab illâ segregavit, *Non coutuntur Judæi Samaritanis*, quemadmodum ex Christi Jesu et Samaritanæ mulieris colloquio cognoscimus (Joan. c 4, v. 9). Itaquè R. Isaac Abrabaniel in suâ Isaiæ interpretatione, quæ de Christi contumeliis et tormentis quinquagesimo tertio capite prædicta sunt, ea ad popularium suorum miserias detorquet, eorumque calamitates et ærumnas multis exaggerat; immemor beatorum illorum Orientis regnorum, præclaræque *æchmalotarchæ* dignitatis et potentiæ; regiâque potestate, sceptro, ac dominio Israelitas penitùs excidisse, nec ullum Synedrium habere fatetur. Enimverò futurum id animo præsentiebat Amos (cap. 9, v. 8, 11), cum diceret : *Ecce oculi Domini Dei super regnum peccans, et conteram illud à facie terræ : verumtamen conterens non conteram domum Jacob, dicit Dominus :* hoc est, regnum illud temporarium ut terrenum Judæorum exscindam; at in aliud æternum deindè reparabo. Subjicit enim : *In die illâ suscitabo tabernaculum David quod cecidit; et reædificabo aperturas murorum ejus, et ea quæ corruerunt instaurabo.* Caduci quoque hujus Israelitarum regni ruinam prævidebat Osee, cùm diceret c. 3, v. 4 : *Dies multos sedebunt Filii Israel, sine rege, et sine principe, et sine sacrificio, et sine altari, et sine Ephod, et sine Theraphim.* Quâ prædictione Origenes Judæorum meritò contundit vecordiam, qui tribum Juda ad Messiam usquè per Patriarchas suos sceptrum retenturam esse jactabant. Jonathan quoque tempus illud eâdem vaticinatione prænuntiari docet, quo nullis regibus Davide oriundis Judæi parebunt. Candidiùs etiam R. David Kimchi (in Ose. 3, 4) præsens popularium suorum exilium illìc indicari censet, quo regibus ac principibus generis sui penitùs destituti barbararum gentium imperiis continentur. Atque hæc prophetia jam compleri cœperat, cùm dicebat Azarias (Dan. c. 3, v. 38) : *Non est in tempore hoc princeps, et dux, et propheta, neque holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum coràm te.* Candidè quoque R. Bechai, et R. David Ganz, et R. Manasse, à nullis gentis suæ regibus vel principibus populares suos regi testantur. Disertissimè verò omnium R. Isaac Akrisch, narationes hujusmodi fictitias esse declarat, et ad sublevandos suorum animos excogitatas. Esto tamen, tantùm patuerit Babyloniorum Judæorum ditio, quantùm gentiles ipsorum volunt, constat certè nunc attonsam ac resectam ubicumquè terrarum ità esse, ut exstincta potiùs et sublata penitùs dicenda sit, ac proindè oraculo Jacobæo neutiquàm accommodari posse. Nec enim ad id satis est, verum aliquandò fuisse quod de fictitio illo et stamineo gentis suæ sceptro commemorant, sed ad Messiam usque in exspectatum perseverare debuit. Quod cùm secùs evenerit, nullaque hodiè sceptri umbra apud ipsos supersit, nullâ ratione defendi potest ea quam afferunt prædicti Jacobæi interpretatio.

15° Nihilò validior illa est quam proposui R. Bechai, à quo libri Mosis explanationibus sunt illustrati. Is super hoc loco Geneseos, et in libro quem, *Mensam quadratam* inscripsit, geminum hic Messiam prædictum esse opinatur, Mosem alterum, alterum Messiam propriè dictum quem Judæi exspectant. Nec enim credibile esse ait Jacobum futura animo prospicientem, longinquam et remotam Israeliticæ gentis liberationem prædicendam suscepisse; instantem verò et proximam, cujus auctor futurus erat Moses, silentio prætermisisse; utramque ergò uno vaticinio prænuntiâsse; præsertìm cum altera alterius typus et exemplar, juxtà doctrinam à Prophetis traditam, futura esset; præstereà Siloh Mosem esse per artem gematricam; nam si vocabulorum שילה, et משה, valorem arithmeticum colligas, habebis utrobìque summam 345; ad Mosis verò tempora Israelitarum sceptrum tenuisse tribum Juda, et ab eâ demùm ad Levitas per Mosem translatum esse. Regem porrò fuisse Mosem probat hoc testimonio Deuteronomii, cap. 33, v. 5 : *Erit apud rectissimum rex congregatis principibus populi, cum tribubus Israel :* quod adsonat huic prædicto Jacobi : *Et ei erit aggregatio populorum;* sic enim Hebraica verba reddi possunt. Israelitæ autem populorum nomine afficiuntur eodem loco Deuteronomii v. 3 : *Dilexit populos : omnes sancti in manu illius sunt.* Hæc Bechai, cui respondeo nugatoriam esse et futilem gematricam artem, per quam ex hoc Jacobi oraculo, et ex quocumque Scripturæ loco sexcenta ejusmodi figmenta quivis queat extundere. Aio deindè etsi sceptri jus in tribu Judâ semper fuerit, usum tamen non fuisse antè Davidem, quod vult Bechai; nedùm antè Mosem, cujus ævo Judaica tribus, totaque Israelitica gens durissimâ apud Ægyptios servitute premebatur. Fac tamen sceptro tùm potitam fuisse tribum Juda, repugnantia sibique contraria implicabit hæc opinio : nam ut

ei accedat fides, dicendum est, reipsàque dicit R. Bechai, sceptrum de tribu Judâ fuisse ablatum, postquàm venit prior Messias Moses. At sciscit idem magister, non oblatum iri sceptrum de Juda, antequàm postremus Messias advenerit. Igitur Mosis ætate neutiquam ablatum fuit. Corruit ergò sententia hæc, seque ipsa jugulat.

16° R. Moses ben Nachman, R. Joel ben Suib, aliique partium illarum Magistri, dictiones, שבט, *sceptrum*, et מחקק, quod Vulgata *ducem* reddit, designare putant sævum et impotentem dominatum, quo misera ipsorum gens passim vexatur. Cui calamitati tùm à Deo finem impositum iri censent, cùm Christus advenerit. Facilè enimverò confutatur opinatio hæc ex verbis à Scriptore sacro adjectis, quibus מחקק, *ducem*, sive *legislatorem* hunc *de femore* Judæ proditurum præcinit. Unde liquet, non externos, quibus parere coguntur, principes, sed gentiles eorum ac tribules prædici. Indè se ut expediant alii, exponunt *doctores Legis* : ut sententia hæc sit, legis Doctores semper fore inter Judæos, qui eos officii sui commonefaciant, nec legis oblivisci patiantur, etiamsi iniquum ethnicorum principatum et dominationem tolerare cogantur. Verùm ne id quidem defendi potest : nam si sacrorum annalium replicemus memoriam, falsum esse reperiemus, duris semper Judæos imperiis fuisse afflictos, cùm mitissimis et æquissimis regibus, quos gens hæc plerosque tulit, paruerint. Nego denique vocem שבט, si solitaria sit, tyrannicum imperium sonare. Dominationem generatìm significat, tàm æquam et legitimam, quàm impotentem ; quæ sane adjuncto epitheto determinanda erat, cùm in eo rei totius cardo verteretur ; uti in Psalmo secundo, v. 9, determinata est : בשבט ברזל, *in virgâ ferreâ*. Qui verò שבט hìc tribum sonare rentur, ut sensus sit : Non ablatum iri tribum Juda, ità ut decem tribus ab Assyriis in longinquas regiones deportatæ sunt, semperque suos ipsam doctores habituram, veritati manifestè contradicunt, cùm Judaicæ gentis reliquiæ ablatæ, deportatæ, miserrimis exiliis mulctatæ sint. Igitur si patriam ac penates servare debuit tribus Juda ad Messiam usque, Messiam jampridem venisse necesse est.

17° Existimârunt prætereà R. Selomoh Alcabitzius, in libro Manoth hallevi R. Obadias Saphornus in suis legis expositionibus, proximè memoratus R. Moses ben Nachman, aliique hujus gregis, non hoc sibi voluisse Jacobum, ad Messiæ usque ætatem temporarii sceptri possessionem penès tribum Juda semper futuram, cum eâ sæpè excidisse ipsam certum sit, sed non alios reges quam tribu Juda ortos Israelitis imperaturos : sin res secùs eveniat, causæ futura ipsorum peccata ; regnumque à Judâ ad tempus ablatum, ipsi aliquandò restitutum iri ; proindèque punitos fuisse à Deo, quicunque aliis prognati tribubus sceptrum usurpârunt : cùm ergò Saul qui Benjamita fuit, et Assamonæi qui Levitæ fuerunt, sceptrum sibi arrogâssent, infeliciter ipsos periisse, Deo sic jus tribûs Juda persequente. Meminissent doctrinæ hujus patroni, quibus verbis Saülem Samuel compellaverit (Reg. c. 10, v. 1), cùm uncturâ regem eum Israelitarum consecraret : *Ecce unxit te Dominus super hæreditatem suam in principem.* Meminissent quibus eum verbis Samuel Regem renuntiaverit (1 Reg. c. 10, v. 24) : *Certè videtis quem elegit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni populo.* Eane injusta est regni possessio, cujus auctor est Deus ? Meminissent quàm demisso sermone Samueli responderit Saül, cùm in amplioris fortunæ spem excitaretur (1 Reg. c. 10, v. 21) : *Numquid non filius Jemini ego sum, de minimâ tribu Israel, et cognatio mea novissima inter omnes familias de tribu Benjamin ? quarè ergò locutus es mihi sermonem istam?* quasi regni honorem refugiens ac detrectans. Ex his intelligitur Judæ sceptrum non contrà jus, sed Deo sic volente et jubente Saülem occupâsse ; adeò ut qui secùs sentiunt, apertissimo Dei judicio et clarissimis Scripturæ sacræ verbis contraire videantur. Meminissent etiam Jeroboamum tribu Judâ haudquaquàm oriundum certo Dei nutu Israelitis imperâsse : sic enim ipsum Ahias Silonites compellat (2 Reg. c. 11, v. 31, 37, 38) : « Hæc dicit Dominus « Deus Israel : Ecce ego scindam regnum de « manu Salomonis, et dabo tibi decem tribus ; » et deindè : « Te autem assumam, et regnabis « super omnia quæ desiderat anima tua, erisque rex super Israel. Si igitur audieris omnia quæ præcepero tibi, et ambulaveris in « viis meis, et feceris quod rectum est coràm « me, custodiens mandata mea et præcepta « mea, sicut fecit David servus meus, ero tecum, et ædificabo tibi domum fidelem, quomodò ædificavi David domum, et tradam « tibi Israel. »

18° Futilis verò penitùs et absurda est eorum interpretatio, qui prophetiam hanc, non planam ac simplicem, sed hypotheticam, et connexis quibusdam determinatam esse sta-

tuunt : atque eâ lege et omine principatum ad Messiæ usque tempora esse Judæ promissum, si modò legi divinæ obsequatur. Cùm enim opinionem istam nulla Scripturæ sacræ prosequantur testimonia, uti nullo jure proponitur, sic optimo jure repudiatur. Cùm alioqui pari exceptione, si huic adhibetur fides, omnia sanctorum Prophetarum vaticinia eludi possint.

19° Proponitur præthereà hæc loci interpretatio in Beresith Rabbâ ; Judæos, dispersos licèt et captivos, non ità tamen vexatum et afflictum iri, ut omni penitùs præsidio careant; futurumque semper ut ex uno loco expulsi, in alium benignè suscipiantur, quoad Messias veniat ; haud aliter atque à Machiro, Ammielis filio, David Absalomum fugiens exceptus est, et omnibus copiis liberaliter adjutus. Atqui hoc non tribûs Juda privatìm proprium est, sed ad omnes Israelitas generatìm pertinet ; cum tamen demonstrandum fuerit promissionem hanc, Judæ privatam et propriam fuisse; nam Jacob (Gen. c. 49, v. 28) *benedixit singulis benedictionibus propriis.* Deindè vix assignari regem, gentemve posse puto, quæ eos ità foveat ac protegat, vel tàm certis prosequatur auxiliis, quàm Machir Davidem ; cùm per universum orbem, quantùm fando accepimus, æque viles habeantur, despicatui sint, gravissimis tributis obruti spolientur, diripiantur.

20° Postremam hanc ex R. Manassis Conciliatore proponam oraculi Jacobæi expositionem ; nunquàm ità sublatum iri tribum Juda, et ex hominum notitiâ ac commercio segregatum, uti decem tribubus contigit, sed semper doctores suos per quos erudiatur ad Messiæ usquè ortum habituram. Ego verò aio non magìs ex hominum societate et usu sepositas esse decem tribus, ac illam Judæ ; nam qui per orbem sparsi sunt Judæi, quibusnam prodierint tribubus ; an ex decem, an ex Judæâ tribu, valdè incertum est ; tàmque credibile est decem tribus ab Assyriis in orientem abductas, Judæos illìc superstites progenuisse, quàm quæ à Romanis in has oras dissipatæ sunt, Judæos in occiduis partibus habitantes procreâsse. Præthereà post deportatas decem tribus, aliqui tamen iis orti in patriâ reperti sunt, velut Anna Prophetissa, quæ fuit de tribu Aser. Nunc verò cùm inter tot inflictas à Deo genti huic calamitates, non postrema sit tribuum confusio et permistio, et certæ stirpium seriei ac stemmatum ignoratio, et post tot direptiones, sectiones, publicationes, proscriptiones, vetustorum instrumentorum jactura ; unam aliquam à reliquis, Judæam ab aliis decem, nunc internoscere velle, id verò est Judæum agere, hoc est desipere.

21° Nunc ii refellendi veniunt Judæi, qui majorum suorum spretâ auctoritate ad Messiam ullo modo pertinere hoc oraculum præfractè inficiati sunt ; qui ut à viâ veritatis recesserunt semel, in varios protinùs errores sunt delapsi. Quidam Siloh, nominis hujus urbem sonare censent, et verba hæc : *Donec veniat Siloh,* exponunt : Donec desinat Siloh et finem habeat ; ista autem : *Non auferetur sceptrum de Judâ,* id putant sibi velle : Præstantia Judæ in regium dominatum mutabitur; ut loci totius hæc sit sententia : Dignitas tribûs Juda et præstantia in regnum mutabitur, cùm Siloh arcæ sedes esse desinet. Hanc sententiam qui tuentur, vocem *donec* ità exponant necesse est, quemadmodum à Caietano exponi suprà diximus, sic nempè ut cessationem ejus rei, de quâ habetur sermo, non significet, sed continuationem potiùs cum alterius interventu ; continuationem videlicèt possessionis sceptri, hoc est præstantiæ, cum interventu finis Siloh. Sic intellexerunt doctissimi magistri, quos inter præcipua est suprà jam memorati R. Bechai auctoritas ; atque id completum esse arbitrati sunt, cùm rerum potitus est David et regiam potestatem est consecutus. Verùmenimverò quid tandem est locum corrumpere, si hoc non est? partìm enim hæc cum historiæ veritate, partìm cùm manifestâ loci ipsius pugnant sententiâ. Falsum enim est tùm regnum capessivisse Davidem, cùm de Siloh arca sublata est ; nam Saül Davidis decessor hoc tempore rex nondùm fuerat creatus. Quænam præthereà hæc animi perversitas est, ut verba hæc : *Donec veniat Siloh,* significare existimentur : *Donec desinat Siloh* ? Ait Jacobus non ablatum iri sceptrum de Judâ, quoad venerit Siloh ; quod significat jam antè non venisse Siloh ; aiunt Rabbini tunc sceptrum capessiturum Judam, cùm desinet Siloh, quod significat jam antè venisse Siloh. Vides in quam rerum repugnantiam imprudentes magistri se induxerint. Cùm enim בוא significare portendunt, *occidit, occubuit,* indoctorum credulitati illudunt ; nam non tantùm sonat, *venit,* sed etiam, *iit, abiit ;* quo sensu in solem occidentem convenit, qui cùm à nobis abit, occumbere et occidere dicitur. Sic in Genesi, cap. 15, v. 17 : השמש באה ויהי, *Et fuit sol abiens,* hoc est occidens. Ergò ea vox propriè significat *abiit;* quod reddi potest, *occidit,* tùm cùm de sole agitur ; nun-

quàm verò aliàs. Deindè quò sequentia verba pertinebunt : *Et ipse erit exspectatio gentium?* nulla quippè antecessit Davidis mentio. Nempè hiulca erit prædictionis sententia, nisi quid suppleveris, puta : *Et nascatur David;* quod si fieri patimur, jam verò vanis Rabbinorum somniis Scripturam sacram inquinari patiamur necesse est. Perspectum id aliis fuit, qui notatum hìc quidem Davidem senserunt, at שילה exponunt בנו, quasi שילה idem sit quod שלו, *qui ejus;* nempè Judæ. Hæc interpretatio est Aben Ezræ, et R. Levi ben Gerson, haud paulò quidem superiore tolerabilior, sed historiæ tamen fidei contraria.

22° Nonnulli urbem Siloh hìc quidem intelligendam esse putant, non quatenùs ad Davidem, sed quatenùs ad Saülem pertinet, qui in eâ rex à Samuele per unctionem creatus et consecratus est. Ut loci hic sit intellectus : Non auferetur sceptrum de Judâ, quoad veniat tempus Silohensis uncturæ, quâ Saül est consecrandus. Sed hæc quoque veritati historiæ adversantur; non enim in Siloh, sed in Ramathaim Sophim unctus est Saül à Samuele; in Masphâ verò rex ab eo renuntiatus est, ut liquet ex nono et decimo capite prioris libri Samuelis. Deindè quonam auctore Jacobæis verbis sensum hunc affingunt, ut voce Siloh uncturam Silohensem notari decernant? Largiamur hæc tamen : ne sic quidem litem vincent ; nec enim ad id usque temporis sceptrum obtinuit Juda, ut dixi, quod non multò post unctionem hanc contigit.

23° Iisdem propemodùm argumentis alios convincimus, qui Siloh urbis nomen hìc expressum, et ad Jeroboamum in Siloh, uti contendunt, regem creatum referunt. Nam quo auctore probabunt in Siloh regem creatum fuisse Jeroboamum, quod in Sichem factum longè verisimilius est? Quis credet nomine Siloh, Silohense hoc factum fuisse notatum? Quæ tamen si concedamus, tùm sceptrum amisisse tribum Juda non proindè fatebimur, quod penès Roboamum et reliquos Davidis nepotes ad Sedeciam usquè mansisse certum est. Utilior etiam est eadem hæc ratio refellendo Ezechiæ auctori Chazcuni, qui in dictione Siloh latere autumat Ahiam Silonitem prophetam, eum qui Jeroboamo prædixit futurum ut decem tribuum rex crearetur. Quo jure verò, *Expectationem gentium,* Ahiam dictum fingent? cur prædictum, cum de Jeroboamo sileatur? quo exemplo de patriæ nomine appellatum? ut si Nathan Salomonis ortum Davidi prænuntians dixisset : *Suscitabo Jerusalem post te,* Salomone patriæ nomen sic gerente.

24° Jam verò suprà ex auctoritate vetustissimi exemplaris Samaritani eos castigavimus, qui pro שילה legunt שילוה, *qui mittendus est.* Quidam enim, etiam è Judæis, lectionem hanc præferunt, et Nabuchodonosorem hic prænuntiatum opinantur, qui Judaicum abolevit imperium, capto Sedeciâ et Babylonem deportato. Verùm ut dixi, non patitur lectionem hanc Samaritanus codex. Ut prætercam regium titulum, decus, et ornamenta Jechoniæ concessa ab Evilmerodacho, Nabuchodonosoris successore et filio; licèt dominatus ipse et regia potestas in Sedeciâ à Nabuchodonosore extincta essent.

25° Concludemus disputationem hanc in tollendo scrupulo, quem movet Pererius, nec eximit. Quæri posse ait cur hoc Jacobi oraculum ad fidem sibi conciliandam, neque Christus Jesus, neque Apostoli, neque Evangelistæ in testimonium adduxerint. Tùm respondet proptereà id evenisse, quòd indè cognosci tantùm potuerit hoc tempore venturum fuisse Messiam, quo natus est Jesus; at Jesum esse Messiam illum, neutiquàm indè colligi. Quæ mihi parùm omninò roboris videtur habere responsio : nam pari ratione prædictio hæc Oseæ : *Ex Ægypto vocari filium meum,* Filium quidem ex Ægypto vocatum iri prænuntiat; at eum esse Jesum non ostendit. Itaque ab eâ proferendâ Matthæus poterat abstinere, quod tamen non fecit. Nos hanc in Parallelismum retulimus, non quasi solam per se probare existimemus Jesum esse Messiam, sed quòd unà cum aliis omnibus spectata, in unum Jesum quadrare possit. Quocircà poterat Matthæus aliique Evangelistæ nobilem hanc Jacobi prophetiam non omittere. Plurima occurrunt in veteri Testamento generis ejusdem vaticinia, quæ Messiam respicere fatentur Judæi, ad Jesum pertinere præcisè negant : quorum tamen auctoritatem usurpàrunt Evangelistæ; plurima etiam è contrario occurrunt ab iis prætermissa, quæ Christum Jesum merè respiciunt. Aliud igitur causæ fuisse censeo, quamobrem hoc Jacobi testimonium in novo Testamento non compareat : nempè quòd neque Christo, neque Apostolis, neque scriptoribus sacris propositum unquàm fuerit Prophetarum oracula sigillatìm recensere; cùm Testamentum vetus ad unum Christum spectare, in eoque finem ac *pleroma* nactum esse scirent. Totum igitur Testamentum vetus sibi recitandum putàssent, si prophetiis pugnare voluissent. At paucula

his verbis rem totam Christus concludebat (Luc 16, 29): *Habent Moysem et Prophetas, audiant illos*; rursùm (Joan. 5, 39, 45, 46): *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsi. vitam æternam habere, et illæ sunt quæ testimonium perhibent de me:* et paulò post: *Nolite putare quia ego accusaturus sim vos apud Patrem; est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi; de me enim ille scripsit.* His admonitionibus Christus Jesus Judæos in memoriam vaticiniorum ad se pertinentium revocabat; ut quotiescunque ea sibi prælegerentur, quod in Synagogis fieri consueverat quotis quibusque sabbathis, pium adhiberent animum et veritatis studiosum, et in se exitum hæc habuisse agnoscerent (1).

CAPUT V.

Jesus de semine Jesse et Davidis.

2. *Reg.* c. 7, v. 4, 5 *et seq.:* « Ecce sermo Domini ad Nathan, dicens: Vade et loquere ad servum meum David.... Cùm completi fuerint dies tui, et dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum ejus; ipse ædificabit domum nomini meo, et stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum. Ergò ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium..... Et fidelis erit domus tua, et regnum tuum usquè in æternum antè faciem tuam, et thronus tuus erit firmus jugiter. » *Et* 1 *Par.* c. 17, v. 11 *et seq.*, *et* 12, 6, *et* 28, 6.

Psalm. c. 88, v. 4 *et seq.*: « Disposui testamentum electis meis, juravi David servo meo, usquè in æternum præparabo semen tuum.... Et ponam in sæculum sæculi semen ejus.... Semel juravi in sancto meo, si David mentiar; semen ejus in æternum manebit. »

Isa. c. 11, v. 1 *et seq.*: « Et egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum spiritus Domini... In die illâ radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur. »

Jerem. c. 23, v. 5, 6: « Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen justum, et regnabit rex, et sapiens erit, et faciet judicium et justitiam in terrâ. In diebus illis salvabitur Juda, et Israel habitabit confidenter; et hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus justus noster. »

Jerem. c. 33, v. 15 *et seq.*: « In diebus illis et in tempore illo germinare faciam David germen justitiæ; faciet judicium et justitiam in terra.... Hæc dicit Dominus: Si irritum potest fieri pactum meum cum die et pactum meum cum nocte, ut non sit dies et nox in tempore suo; et pactum meum irritum esse poterit cum David servo meo, ut non sit ex eo filius qui regnet in throno ejus. »

Matth. c. 1, v. 1 *et seq.*: « Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham..... Jesse autem genuit David regem. David autem rex genuit Salomonem... genuit Joseph, virum Mariæ, de quâ natus est Jesus, qui vocatur Christus. »

Matth. c. 1, v. 20: « Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam. »

Matth. c. 9, v. 27: « Et transeunte indè Jesu, secuti sunt eum duo cœci, clamantes et dicentes: Miserere nostri, fili David. »

Matth. c. 12, v. 23: « Et stupebant omnes turbæ, et dicebant: Numquid hic est filius David? »

Matth. c. 15, v. 22: « Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa clamavit dicens ei: Miserere mei, Domine fili David. »

Matth. c. 20, v. 30, 31: « Et ecce duo cœci sedentes secùs viam audierunt quia Jesus transiret, et clamaverunt dicentes: Domine, miserere nostri, fili David. Turba autem increpabat eos, ut tacerent; at illi magis clamabant dicentes: Domine, miserere nostri, fili David. » *Et Marc.* c. 10, v. 46, *et Luc.* c. 18, v. 38, 39.

Matth. c. 21, v. 9: « Turbæ autem quæ præcedebant, et quæ sequebantur, clamabant dicentes: Hosanna filio David. »

Matth. c. 22, v. 41, 42: « Congregatis autem Pharisæis, interrogavit eos Jesus, dicens: Quid vobis videtur de Christo? cujus filius est? Dicunt ei, David. » *Et Marc.* c. 12, v. 35, *et Luc* c. 20, v. 42.

Luc c. 1, v. 26, 27: « In mense autem sexto, missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David. »

Luc c. 1, v. 31, 32: « Vocabis nomen ejus Jesum: hic erit magnus, et filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis. »

Luc c. 1, v. 69, 70: « Et erexit cornu salu-

(1) Disputationis hujus difficultates propè sustulit, aut saltem multùm elucidavit R. P. Tournemine, propositâ levi punctationis mutatione. Quippè qui jacobæam prædictionem sic legendam existimat: *Non auferetur sceptrum de Judâ et dux, de femore ejus donec veniat*, etc.

tis nobis in domo David pueri sui. Sicut locutus est per os Sanctorum, qui à sæculo sunt, Prophetarum ejus. »

Luc c. 2, v. 4 : « Ascendit autem et Joseph à Galilæâ, de civitate Nazareth, in Judæam, in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem, eò quòd esset de domo et familiâ David. »

Luc c. 3, v. 23, 31 : « Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Joseph, qui fuit Heli... qui fuit Nathan, qui fuit David. »

Joan. c. 7, v. 42 : « Nonne Scriptura dicit, quia ex semine David, et de Bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus?

Act. c. 13, v. 23 : « Hujus (*David*) Deus ex semine, secundùm promissionem, eduxit Israel Salvatorem Jesum. »

Rom. c. 1, v. 1 : « Paulus segregatus in Evangelium Dei, quod antè promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis, de filio suo, qui factus est ei ex semine David secundùm carnem. »

Rom. c. 15, v. 12 : « Et rursùs Isaias ait : Erit radix Jesse, et qui exsurget regere gentes; in eum gentes sperabunt. »

2 *Tim.* c. 2, v. 8 : « Memor esto Dominum Jesum Christum resurrexisse à mortuis, ex semine David. »

Apoc. c. 5, v. 5 : « Ecce vicit leo de tribu Judâ, radix David.

Apoc. c. 22, v. 16 : « Ego Jesus misi Angelum meum testificari vobis hæc in Ecclesiis; ego sum radix et genus David.

1° Depromptum è libri secundi Samuelis capite septimo testimonium, quo Davidi templum Deo excitare paranti futurum denuntiat Nathan, ut id olim exequatur prognatus ipso filius, cujus regnum sæcula durando vincet; hoc, inquam, testimonium, quoniam anceps est et vocari potest in controversiam, nos Christo Jesu certis argumentis addicemus. Id ex eo est vaticiniorum genere, quibus multiplex inest significatio. Quædam enim ejus partes Christo Jesu et Salomoni communes sunt, puta Davide prognatum esse, Dei Filium esse, Christum naturâ, Salomonem gratiâ; Deo templum extruere; regem esse. Quædam ad Salomonem solùm spectant : *Si iniquè aliquid gesserit, arguam eum in virgâ virorum, et in plagis filiorum hominum.* Christo autem soli hæc competunt : *Stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum:* atque hoc etiam : *Et fidelis erit domus tua, et regnum tuum usque in æternum antè faciem tuam, et thronus tuus erit firmus jugiter.* Regnum enim Salomonis æternum non fuit. Perennitatem fine carituram illic designari ostendit hoc loquendi genus, עד עולם, quo utitur Scriptor sacer. Scitum est enim Maimonidæ (More Nevoch., Part. 2, c. 28) : עולם, *non necessariò significat æternitatem, nisi ei conjungatur* עד ;*idque vel post illud, ut* עולם ועד, *vel antè,* עד עולם. Idem arguitur prætereà ex compluribus Scripturæ sacræ testimoniis, in quibus Davidi regnum promittitur, non diuturnum solùm, quod in temporario Judæ regno verum fuit, sed nullis omninò annorum curriculis determinandum, quod in solo Christi Jesu regno evenit. Tale hoc est ex octogesimo octavo Psalmo v. 28 et seq. : *Et ego primogenitum ponam illum, excelsum præ regibus terræ. In æternum servabo illi misericordiam meam, et testamentum meum fidele ipsi. Et ponam in sæculum sæculi semen ejus et thronum ejus sicut dies cœli... Semel juravi in sancto meo, si David mentiar : semen ejus in æternum manebit, et thronus ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in æternum, et testis in cœlo fidelis.* Et illud Isaiæ de Christo, cap. 9, v. 7 : *Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis; super solium David, et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud et corroboret in judicio et justitiâ, à modò et usquè in sempiternum.* Necnon illud Jeremiæ, cap. 33, v. 17 : *Quia hæc dicit Dominus : Non interibit de David vir qui sedeat super thronum domûs Israel :* deindè, cap. 33, v. 20, 21 : *Hæc dicit Dominus : Si irritum potest fieri pactum meum cum die, et pactum meum cum nocte, ut non sit dies et nox in tempore suo ; et pactum meum irritum esse poterit cum David servo meo, ut non sit ex eo filius qui regnet in throno ejus.* Et istud Danielis de Christo regno, cap. 2, v. 44 : *In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, et regnum ejus alteri populo non tradetur; comminuet autem et consumet universa regna hæc, et ipsum stabit in æternum;* atque hoc quoque ejusdem Prophetæ, cap. 7, v. 14, 27 : *Et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum; et omnes populi, tribus, et linguæ ipsi servient; potestas ejus, potestas æterna quæ non auferetur, et regnum ejus quod non corrumpetur.* Vides omnem omninò extremitatem et determinationem à regno Davidis et à regno Christi excludi. Undè Gabriel Angelus apud Lucam, cap. 1, v. 33 : *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum : et regni ejus non erit finis.* Nempè hæc

pertinent ad ea quæ attulimus Prophetarum prædicta, quibus non hunc affinxisset sensum Evangelista, nisi communi omnium consensu sic intelligi solita hoc tempore fuissent. Perperàm ergò Grotius testimonium hoc Christianis eripit, nec quicquam aliud hìc significatum esse vult, quam temporarii Davidis regni diuturnitatem, quæ annorum quingentorum spatium excessit. Ad Jesum item istud congruit, 2 Reg. cap. 7, v. 13 : *Ipse ædificabit domum nomini meo;* Ecclesiam videlicet, quæ Domus symbolo sæpè in libris sacris exprimitur. Sic David in Psalmis 92, v. 5 : *Domum tuam decet sanctitudo, Domine.* Sic Angelus apud Lucam, cap. 1, v. 33 : *Et regnabit in domo Jacob in æternum.* Sic Paulus ad Timotheum, Ep. 1, cap. 3, v. 15 : *Ut scias quomodò oporteat te in Domo Dei conversari, quæ est ecclesia Dei vivi.* Ergò hæc Nathanis vaticinatio, tanquàm Christum Jesum sine dubio præmonstrans, à Paulo usurpatur, Hebr. cap. 1, v. 5 : *Cui enim dixit aliquandò Angelorum ; Filius meus es tu, ego hodiè genui te? Et rursùm : Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in Filium?*

2° Si quis Isaiæ prædictum, quod ex undecimo capite attulimus, ut Jesum Jesse prognatum esse probaremus, aliò detorquere paret quàm ad Messiam refragantes Judæos omnes experietur, ut suprà demonstravimus. Messiam certè germinis, et floris, et virgæ, et radicis symbolis sæpè à Prophetis expressum ostendemus infrà in hoc Parallelismo, et iisdem quoque à Novi Testamenti Scriptoribus Jesum fuisse signatum. Spiritum Domini super Jesum requievisse manifesto indicio declaravit Deus, tùm cùm Spiritus Dei descendit sicut columba, et venit super eum recens à Joanne baptizatum. Stetit Jesus in signum populorum, quod et de eo post Isaiam futurum prædixit Simeon, Luc c. 2, v. 34 : *Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur.* Ipsum gentes deprecari cœperunt, tùm cùm ad eum vocatæ, Apostoli dicto audientes fuerunt. Judicavit in justitià pauperes, ità ut Justus κατ' ἐξοχὴν sit dictus. Percussit terram virgà oris sui, et spiritu labiorum suorum interfecit impium; bellator quippè Jesus. Idem tamen pacificus, quod lupi et agni, pardi et hœdi concordià Isaias significavit. Quæ omnia suis locis apparebunt in hoc Parallelismo.

CAPUT VI.

Davidis nomen Jesu tribuitur.

Isa. c. 55, v. 3 : « Feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles.

Jerem. c. 30, v. 9 : « Servient (*Israel et Juda*) Domino Deo suo, et David regi suo, quem suscitabo eis. »

Ezech. c. 34, v. 23 : « Hæc dicit Dominus Deus : ... Suscitabo super eas (*oves meas*) pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David. »

Ezech. c. 37, v. 23 *et seq.* : « Ego ero eis Deus, et servus meus David rex super eos..... Et David servus meus princeps eorum in perpetuum. »

Ose. c. 3, v. 5 : « Post hæc revertentur filii Israel, et quærent Dominum Deum suum, et David regem suum. »

Act. c. 13, v. 34 ; « Quod autem suscitavit eum à mortuis, ampliùs jam non reversurum in corruptionem, ità dixit, quia dabo vobis sancta David fidelia. »

CAPUT VII.

Jesus de semine Salomonis.

Psalm. c. 71, v. 1, 6 : « Deus, judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis..... Permanebit cum sole et antè lunam in generatione et generationem. »

Matth. c. 1, v. 1 *et seq.* : « Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham. Abraham genuit Isaac... David autem rex genuit Salomonem ex eà quæ fuit Uriæ. Salomon autem genuit Roboam..... Jacob autem genuit Joseph, virum Mariæ, de quâ natus est Jesus, qui vocatur Christus. »

CAPUT VIII.

Tempus adventûs Jesu.

Gen. c. 49, v. 10 : « Non auferetur sceptrum de Judâ, et dux de femore ejus; donec veniat qui mittendus est. »

Psalm. c. 71, v. 1, 7 : « Deus, judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis..... Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis. »

Isa. c. 2, v. 2 *et seq.* : Et erit in novissimis diebus præparatus mons domûs Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi, et dicent : Venite, et ascendamus ad montem Domini, et ad Domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus ; quia de Sion exhibit Lex, et verbum Domini de Jerusalem; et judicabit gentes, et arguet populos multos; et conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces; non

levabit gens contrà gentem gladium, nec exercebuntur ultrà ad prælium. »

Isa. c. 11, v. 1 *et seq.* : « Et egredietur virga de radice Jesse..... Habitabit lupus cum agno, et pardus cum hædo accubabit... Non nocebunt, et non occident in universo monte sancto meo...... In die illâ radix Jesse qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabantur. »

Isa. c. 40, v. 3 *et seq.* : « Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. Omnis vallis exaltabitur, et omnis mons et collis humiliabitur, et erunt prava in directa, et aspera in vias planas. Et revelabitur gloria Domini, et videbit omnis caro pariter quòd os Domini locutum est. »

Jerem. c. 30, v. 18 *et seq.* : « Hæc dicit Dominus : Ecce ego convertam conversionem tabernaculorum Jacob, et tectis ejus miserebor, et ædificabitur civitas in excelso suo, et templum juxtà ordinem suum fundabitur........ Et erit dux ejus ex eo, et princeps de medio ejus producetur, et applicabo eum, et accedet ad me. Quis enim iste est, qui applicet cor suum ut appropinquet mihi, ait Dominus? »

Dan. c. 2, v. 40 *et seq.* : « Et regnum quartum erit velut ferrum; quomodò ferrum comminuit et domat omnia, sic comminuet et conteret omnia hæc. Porrò quia vidisti pedum et digitorum partem testæ figuli, et partem ferream; regnum divisum erit, quod tamen de plantario ferri orietur, secundùm quod vidisti ferrum mistum testæ ex luto; et digitos pedum ex parte ferreos, et ex parte fictiles; ex parte regnum erit solidum, et ex parte contritum. Quod autem vidisti ferrum mistum testæ ex luto, commiscebuntur quidem humano semine, sed non adhærebunt sibi, sicuti ferrum misceri non potest testæ. In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus cœli regnum quod in æternum non dissipabitur, et regnum ejus alteri populo non tradetur; comminuet autem et consumet universa regna hæc, et ipsum stabit in æternum. »

Dan. c. 9, v. 24 *et seq* : « Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergò et animadverte : Ab exitu sermonis ut iterùm ædificetur Jerusalem usquè ad Christum ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duæ erunt, et rursùm ædificabitur platea, et muri in angustiâ temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, et non erit ejus populus qui eum negaturus est, etc. »

Agg. c. 2, v. 7 *et seq.* : « Quia hæc dicit Dominus exercituum : Adhùc unum modicum est, et ego commovebo cœlum, et terram, et mare, et aridam; et movebo omnes gentes, et veniet Desideratus cunctis gentibus; et implebo domum istam gloriâ, dicit Dominus exercituum. Meum est argentum, et meum est aurum, dicit Dominus exercituum; magna erit gloria domûs istius novissimæ plus quàm primæ, dicit Dominus exercituum; et in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.

Zach. c. 3, v. 8, 10 : « Ecce enim ego adducam servum meum Orientem......... In die illâ, dicit Dominus exercituum, vocabit vir amicum suum subter vitem et subter ficum. »

Malach. c. 3, v. 1 : « Ecce ego mitto Angelum meum, et præparabit viam antè faciem meam. Et statim veniet ad templum suum Dominator quem vos quæritis, et Angelus Testamenti quem vos vultis.

Matth. c. 2, v. 1 : « Cùm ergò natus esset Jesus in Bethlehem Juda, in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam. »

Matth. c. 14. v. 1 : « In illo tempore audivit Herodes Tetrarcha famam Jesu. »

Luc. c. 2, v. 1 *et seq.* : « Factum est autem in diebus illis, exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis. Hæc descriptio prima facta est à præside Syriæ Cyrino. Et ibant omnes ut profiterentur singuli in suam civitatem. Ascendit autem et Joseph à Galilæâ, de civitate Nazareth, in Judæam, in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem; eo quòd esset de Domo et familiâ David, ut profiteretur cum Mariâ, desponsatâ sibi uxore prægnante. Factum est autem, cum esset ibi, impleti sunt dies ut pareret. Et peperit Filium suum primogenitum.

Luc. c. 3, v. 1 *et seq.* : « Anno autem quintodecimo imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam, tetrarchâ autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus tetrarchâ Ituræ et Trachonitidis regionis, et Lysaniâ Abilenæ tetrarchâ, sub principibus sacerdotum Anna et Caipha factum est verbum Domini super Joannem, Zachariæ filium, in

deserto. Et venit in omnem regionem Jordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum....... Factum est autem cùm baptizaretur omnis populus, et Jesu baptizato et orante, apertum est cœlum...... Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta.

1° Ut major constet fides testimoniis, quibus ortum Christi et obitum prædicto à Prophetis tempore contigisse demonstravimus, exponenda sunt nonnulla, undè toti disputationi lux accedet. Certum est, quo tempore natus est Jesus, receptissimam fuisse inter Judæos et ethnicos opinionem, nasci tunc debere Messiam. De ethnicis egimus suprà ; egimus et de Josepho ; videamus de reliquis Judæis. Persuasione hâc imbutus erat Simeon, quem testificatur Lucas (c. 2, v. 25, 38.) *exspectâsse consolationem Israel ;* eàdem et ii quos alloquebatur Anna prophetissa, Phanuelis filia, quos ait idem Lucas *exspectâsse redemptionem Israel.* Eadem mens erat Samaritanæ, cùm Christo diceret (Joan. c. 4, v. 25) : *Scio quia Messias venit.* Redemptio illa, sive consolatio Israel, Messiæ adventus est, quem et *Regnum cœlorum* et *Regnum Dei* sacri scriptores appellant; Thalmudici *consolationem;* et jurejurando affirmantes quippiam, per consolationem hanc, velut sanctissimum religionis mysterium, jurare solent. Pleni sunt sacramenti hujus eorum libri, in quibus, ut et in reliquorum porrò Rabbinorum scriptis, doctrina eadem consignata est. Legimus in libro Sanhedrin, capite ultimo, Scholam Eliæ non prophetæ hujus celebris, sed Hebræi doctoris, mundi tempus sex annorum millibus definivisse, quorum duo millia priora fuerint Thohu, duo sequentia Lex, postrema duo futura sint Messias. Atqui circà finem quartæ chiliadis reipsà venit Christus Jesus. Itaque ex eorum doctrinâ sequitur tempus adventûs Messiæ præteriisse. Fertur et in libris Rabbinorum, confessos esse majores ipsorum, qui temporibus Christo Jesu paulò superioribus vixerunt, Messiæ adventum imminere ; qui non multò recentiores fuerunt, et templum exscindi viderunt, Messiæ tempus jam venisse. Sunt qui non alium quàm Ezechiam fuisse velint. Quam sententiam penitùs damnari posse negat R. Joseph Albo in libro Ikkarim. Tradit R. Selomoh Jarchi asseverâsse vetustos gentis suæ doctores, jam venisse Messiam, eoque die esse natum quo excisa Hierosolyma. Referunt R. Gedalias in Catenâ cabalæ, et R. Azarias in Lumine oculorum, quid ipsi de tempore adventûs Messiæ, quid R. Bechai, quid R. Saadias, quid is quem proximè laudavi R. Selomoh Jarchi, quid R. Levi ben Gherson, quid R. Abraham Hannasi, quid R. Moses Gerundensis, quid Abrabaniel senserint, quid et in libro Zohar proditum sit ; ex quorum rationibus sequitur, jam id tempus esse elapsum. Quocircà in eodem libro Sanhedrin venisse quidem Messiam aiunt de verporum grege nonnulli, at Romæ inter ægros lepris laborantes latitare (nam ex his Isaiæ cap. 53, v. 4, verbis : *Et nos putavimus eum quasi leprosum,* nomen ipsi Leproso esse fingunt) ; ratum verò tempus, quo ex his latebris emersurus sit, non assignant. Quidam inter horti Eden delicias ævum agitare volunt cum Eliâ, à quo ungendus sit olìm lætitiæ oleo, cùm ad muneris sui administrationem foràs prodibit. Nam quamvis Messiæ adventum negare per Judaicas leges fas non sit, ejus tamen tempus non ex Scripturæ sacræ prædictionibus, sed ex cabalâ tantùm cognosci posse censent. Verùm egregiè refelluntur hæc commenta ex Daniele ipso, qui post hebdomades septuaginta duas occisum iri Christum pronuntiat ; et paulò post desiturum sacrificium et hostiam. Jam antè ergò venerat Christus, et fuerat trucidatus, ac pactum Dei cum hominibus confirmaverat, omnibusque officiis et muniis fuerat defunctus, quibus explendis missus erat et promissus.

2° Constabat prætereà apud plerosque è veteribus magistris, stante templo secundo vel venturum fuisse Christum, vel venisse. Testis Cantici canticorum Thargumista (Cant. 7, 8) ; testis et Echa Rabbathi, et sæpiùs jam memoratus liber Sanhedrin, capite ultimo, qui in hunc sensum traxisse *R.* Akibam narrat celeberrimam vaticinationem Aggæi, in quâ Deus eâ spe Zorobabelem et Jesum, Josedeci filium, solatur, ut cùm venerit *Desideratus cunctis gentibus,* templum tantâ gloriâ completurus sit, ut prioris templi gloriam superet (Agg. 2, 7, 8). Atqui res quinque enumerant Thalmudici doctores, quibus templum prius posteriori antecelluit, Urim et Thummim, Arcam, Ignem, Oleum unctionis (pro quo liber Thalmudicus Joma, Jarchi, et Kimchi, præsentiam Dei ponunt) et Spiritum sanctum. Adjicit Sepher Aemana et Laminam auream, in Pontificis fronte gestari solitam. Adjicit et multa Abrabaniel prioris templi decora, quæ in secundo desiderabantur. Adde

et prioris magnificentiam, quâ posterius tanto post se intervallo reliquit, ut qui illud viderant, cùm secundum aspicerent, à lacrymis temperare non possent. Undè Aggæus (2, 4) : « Quis « in vobis est derelictus, qui vidit domum « istam in gloriâ suâ primâ? et qui videtis « hanc nunc? numquid non ità est, quasi non « sit in oculis vestris? » Gloria igitur templo promissa, per eum concilianda ipsi erat qui à cunctis gentibus desiderabatur, et erat exspectatio gentium, Messiam videlicet, tùm cùm loco huic pacem erat daturus. Aggæum mirificè illustrat Malachias, cap. 3, v. 1, cum ait : « Ecce ego mitto Angelum meum, et « præparabit viam antè faciem meam; et « statim veniet ad templum suum Dominator « quem vos quæritis, et Angelus testamenti « quem vos vultis. » Dominatorem enim hunc esse Messiam palàm agnoscunt Hebræi, ut suprà docuimus. Quod per Aggæum spondet Deus, idem jam antè per Jeremiam fuerat luculentis verbis pollicitus, cap. 30, v. 18 et seq. : « Hæc dicit Dominus : Ecce ego convertam « conversionem tabernaculorum Jacob, et te« ctis ejus miserebor, et ædificabitur civitas in « excelso suo, et templum juxtà ordinem « suum fundabitur..... Et erit dux ejus ex eo, « et princeps de medio ejus producetur; et « applicabo eum, et accedet ad me. Quis enim « iste est, qui applicet cor suum ut appropin« quet mihi? ait Dominus. Et eritis mihi in « populum, et ego ero vobis in Deum. » Hæc in Messiam congruere docet Jonathan; docet et R. Jehuda in libro Sanhedrin.

3° Clarissimam quoque adventûs Christi notam præmonstravit Deus, cùm futurum prædixit ut *oriatur in diebus ejus justitia et abundantia pacis* (Psalm. 71, v. 7); ut gladii conflentur in vomeres; ut habitet lupus cum agno; ut deprimantur montes; ut complanentur valles, et scabra ac prærupta terrarum exæquentur (Isai. c. 2, v. 4, et cap. 11, v. 6, et c. 40, v. 3); ut amici curis omnibus soluti sub ramis arborum conveniant (Zach. c, 3, v. 8, 10). Quibus læta pax, summaque tranquillitas significatur. Atque hæc partim κατὰ σχῆμα, partim κατὰ λέξιν interpretanda sunt. Ac priori quidem modo sumpsisse ea videtur Jonathan in Thargum. Nam cum initium undecimi capitis Isaiæ allegoricè intelligendum esse docuerit, sequentia similiter interpretatum esse credi par est. Jonathanem asssectatur Selomoh Jarchi, assectantur et alii. Sumpsit quoque allegoricè R. David Kimchi; sumpsit et Maimonides in Jad Chazacah, popularesque suos luculenter refellit, qui lupum inter et agnum futuras Messiâ veniente inducias, aliasque rerum vices stolidissimè imaginati sunt; cùm Israelitarum, in nefariorum et impiorum hominum colluvie, securitas tantùm et tranquillitas promittantur. Nos gentium vocationem hic præmonstratam censemus, quæ superbiâ et morum feritate depositâ, mansuefactæ doctrinâ Christi Jesu, et ad ejus obsequium ac fidem traductæ sunt. Insignis enim hic est et propè singularis Christi Jesu ipsiusque sectatorum character, mansuetudo ac lenitas; cujus præscius Michæas, non pacis tantùm amatorem, sed Pacem futurum ipsum præcinuit. Undè discipulos suos Jesus ad sui imitationem his verbis provocabat (Math. c. 11, v, 29) : « Tol« lite jugum meum super vos, et discite à me, « quia mitis sum et humilis corde, et inve« nietis requiem animabus vestris. Jugum « enim meum suave est, et onus meum « leve. » Sed hæc fusiùs in Parallelismo prosequemur. Sic intellexit Justinus Apol., sic Eusebius Dem., libr. 2, sic Hieronymus in Isai 2, sic Christiani interpretes universi. At iidem etiam oraculum hoc κατὰ λέξιν completum esse docent, nato Domino Jesu Augusti temporibus, quâ tempestate omnes bellorum resederant motus, quibus quassatus paulò antè fuerat universus propemodùm orbis, altissimâque pace genus humanum fruebatur. Nec multò antè templum Jani obsecraverat Augustus, quod per multos annos clausum Variana clades aperuit. Inscriptio vetus Emeritæ, quam proponit Gruterus, p. 149 :

IMP. CAES. DIVI. F. AUG. PON. MAX.
COS. XII. TRIBUNIC. POTEST. X. IMP. VIII.
ORBE. MARI. ET. TERRA. PACATO.
TEMPLO. JANI. CLUSO. ET. REP. PO.
ROM. OPTIM. LEGIB. SANCTISS.
INSTIT. REFOR.

Ubi non pax solùm terrâ marique constituta, sed et legibus optimis, ac sanctissimis institutis reformata Romana respublica dicitur. Quippè non pacem solùm, sed et justitiam ætati huic sacer Vates spoponderat, Psalm. 71, 1 : *Orietur in diebus ejus justitia, et abundantia pacis.* Quibus ista consonant è Psalmo octogesimo quarto, vers. 11 : *Misericordia et veritas obviaverunt sibi, justitia et pax osculatæ sunt.* Audiendus quoque Suetonius : « Janum Quirinum semel atque iterùm à conditâ Urbe memoriam antè suam clausum, in multo bre-

viore temporis spatio, terrâ marique pace partâ, ter clusit. » Disertissimum verò et ad rem nostram aptissimum est Orosii testimonium, libr. 6, cap. 22: « *Anno ab U. C. DCCLII. Cæsar Augustus ab Oriente in Occidentem, à Septentrione ad Meridiem, ac per totum Oceani circulum, cunctis gentibus unà pace compositis,* Jani portas tertiò ipse tunc clausit. Quas ex eo per duodecim ferè annos quietissimo semper obseratas otio ipsa etiam rubigo consignavit: nec priùs unquàm nisi sub extremâ senectute Augusti pulsatæ, Atheniensium seditione, et Dacorum commotione patuerunt. Clausis igitur Jani portis, rempublicam, quam bello quæsiverat, pace enutrire atque amplificare studens, leges plurimas statuit, per quas humanum genus liberâ reverentiâ disciplinæ morem gereret. Domini appellationem, ut homo, declinavit. » Verus quippè rerum Dominus, omnis justitiæ ac pacis auctor, sanctissimarumque legum conditor nascebatur; de quo cecinit Isaias, cap. 9, v. 7: *Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis.* In eum enim annum, quem notat Orosius, vel proximos certè annos, de communi doctissimorum chronologorum consensu, incidit ortus Christi Jesu. Neque verò prætermittendus hic est Tacitus, qui pacis hujus, quam Augustus sanxit, diuturnitatem commemorat in eo fragmento, quod idem promit Orosius, libr. 7, cap. 3: « Deindè, ut verbis Cornelii Taciti loquar, sene Augusto Janus patefactus, dùm apud extremos terrarum terminos novæ gentes sæpè ex usu, et aliquandò cum damno quæruntur, usquè ad Vespasiani duravit imperium. » Quibus hæc subjungit Orosius: « Cæterùm et tunc captâ eversâque urbe Hierosolymorum, sicut Prophetæ prænuntiaverunt, exstinctisque Judæis, Titus, qui ad vindicandum Domini nostri Jesu Christi sanguinem judicio Dei fuerat ordinatus, victor triumphans cum Vespasiano patre Janum clausit. Igitur etsi sub extremis Cæsaris temporibus apertus est Janus, tamen per multa ex eo tempora, quamvis in procinctu esset exercitus, nulla bella sonuerunt. » Consentanea sunt istis quæ subjecit Eusebius utrique prædictioni, ex Psalmo septuagesimo primo, et ex secundo capite Isaiæ suprà allatæ (Euseb. Præp. Evang. libr. 1, cap. 4: « Consentaneæ prædictionibus res consecutæ sunt. Statim enim sublatus est apud Romanos dominatus ille à multis usurpatus, cùm ad unum Augustum imperii summa sub ipsum Servatoris nostri ortum rediisset. Ab eo enim tempore, ad hanc usque ætatem, minimè videas civitates cum civitatibus, ut priùs decertantes, neque gentem cum gente prœliantem, neque res hominum omni perturbationis genere attritas. » Pacem hanc orbi per Christum conciliatam, jus sancitum, refrænatam licentiam, res in melius compositas, Augusto gratificaturus Virgilius splendidis versibus prædicavit, Eneid. lib. 1, v. 295 et seq.:

Aspera tùm positis mitescent secula bellis:
Cana fides, et Vesta, Remo cum fratre Quirinus
Jura dabunt; diræ ferro et compagibus arctis
Claudentur belli portæ; furor impius intùs
Sæva sedens super arma, et centum vinctus ahenis
Post tergum nodis, fremet horridus ore cruento.

Duplex igitur per Christum Jesum pax hominibus parta est, temporaria, et æterna. Hæc ea est quam Jesus moriturus discipulis suis reliquit; aiebat enim (Joan. c. 14, v. 27): *Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis; non quomodò mundus dat, ego do vobis:* Hæc motus animorum sedat, et mentes humanas, etiam dùm inquietis illigatæ sunt corporibus, tranquillat et componit, et beatitatis æternæ nulli unquàm rerum turbini obnoxiæ compotes efficit; illa verò Christo Jesu venienti orbem præparavit, sopitis bellis, et pace terrâ marique sancitâ; quæ etiam post Christum diù perseveravit. Utramque pacem statim post natum Jesum beati Angeli cantibus celebrabant; et æternam quidem ac cœlestem, his verbis (Luc. c. 2, v. 14): *Gloria in altissimis Deo;* terrenam verò ac temporariam, istis: *Et in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis.* Undè facilis est adversariorum depulsio, qui pacem illam Augusti ævo florentem, post annos aliquot turbatam fuisse causantur; quamobrem ad Jesum minimè pertinere volunt istud Prophetæ, Psalm. 71, v. 7, quod attulimus: *Orietur in diebus ejus justitia, et abundantia pacis, donec auferatur luna;* nec istud quoque Isa. c. 9, v. 7: *Et pacis non erit finis:* nec illud Isa. c. 54, v. 10: *Fœdus pacis meæ non movebitur.* Perperàm enim ad terrenam pacem flectuntur ista, quæ pertinent ad æternam. In eumdem trahi possunt sensum et ista Isaiæ, cap. 2, v. 4: *Nec exercebuntur ultrà ad prælium:* et hæc Ezechielis, cap. 34, v. 28: *Et non erunt ultrà in rapinam in gentibus;* quamvis et pacem temporariam notare possunt: dictio enim *ultrà*, sive ut hebraicè concepta est, עוד, nonnunquàm æternitatem, diuturnitatem aliquam nonnunquàm, sæpè etiam brevitatem temporis significat. Postremum hoc docet R. David

Kimchi in libro Radicum, et exemplis probat. Aliquandò etiam particulæ neganti conjuncta aliquam rei partem detrahit, non totam inficiatur. Sic tricesimo quinto Geneseos capite, vers. 10, Jacobo dixit Deus : *Non vocaberis ultrà Jacob;* quamvis sæpè deinceps, et hoc ipso capite aliquotiès vocatus sit Jacob. Plura ejusmodi exempla sunt in promptu. Non ergò penitùs id negatum est vocibus iis, *non ultrà,* sed pars tantùm aliqua detracta est : nam cùm semper deinceps Jacob vocari debuisset, Israel aliquandò vocatus est. Similem iis significationem tribue in allatis Isaiæ et Ezechielis testimoniis, non ut in æternum, sed ut in multos annos magnàque ex parte extinctum iri bella intelligas.

4° Ad hæc florente Romanorum imperio proditurum Messiam prædixit Daniel, quo certum adventûs ipsius indicium continetur. Atque hìc Judæorum consensu juvamur, apud quos commune effatum est, vigente imperio Idumæorum (quo nomine Romanos signare solent) proditurum Messiam. Cùm enim Nabuchodonosoris somnium interpretaretur Daniel, futurum prænuntiavit, ut regno ipsius succedat regnum aliud argenteum, Persarum videlicèt et Medorum ; huic tertium æreum, quo latè dominaturum sit, Alexandri nimirùm, qui maxima terrarum spatia subegit ; atque isti demùm quartum ferreum, robore longè præstans, quod reliqua hæc domet et conterat, quemadmodùm omnia ferrum comminuit. De quarto hoc regno magna apud interpretes controversia est, aliis Seleucidarum et Lagidarum regna, Romanum aliis imperium eo signari contendentibus. Ego verò postremam hanc opinionem sequi me profiteor. Exstat quippè ex his ipsis vaticinii verbis prioris confutatio : *Et regnum quartum erit velut ferrum : quomodò ferrum comminuit et domat omnia, sic comminuet et conteret omnia hæc* (Dan. 2, v. 40) ; aureum nimirùm Nabuchodonosoris regnum argenteum Cyri, æreum Alexandri. Regna autem Lagidarum et Seleucidarum, regnum ipsum Alexandri ex parte fuerunt. At quamvis magnis sese oppugnârunt et appetierunt bellis, minimè tamen se comminuerunt ; uti neque regnum Macedoniæ, quod æreí regni Alexandri caput fuit. Deindè regnum illud quartum, regnum unicum fuit ; duo verò Lagidæ et Seleucidæ regna tenuerunt. Quantò aptiùs hæc ad Romanum imperium congruunt, quod priora hæc regna contrivit ! Sequitur (Dan. c. 2, v. 41-42) : « Porrò quia vidisti pedum et digitorum partem testæ figuli, et partem ferream, regnum divisum erit ; quod tamen de plantario ferri orietur, secundùm quod vidisti ferrum mistum testæ ex luto ; et digitos pedum ex parte ferreos, et ex parte fictiles ; ex parte regnum erit solidum, et ex parte contritum. » Aio bella Cæsaris et Pompeii, Augusti et Antonii his portendi. Tempora enim hæc pedibus comparantur, quòd Messiæ ortum proximè præcesserint. Romana respublica bellis hisce civilibus scissa in duas partes et divisa est. Cæsariana pars robore pollens prævaluit ; Pompeiana et Antoniana contritæ sunt. Utraque autem pars victrici gente et fortissimis majoribus prodiit. Labascit hìc eorum ratio, qui imperii Romani divisionem in veterem, novamque Romam comminiscuntur ; utram enim partem luteam, utram ferream esse dicent ? utraque enim contrita est. Addit Propheta (Dan. c. 2, v. 43) : « Quod autem vidisti ferrum mistum testæ ex luto, commiscebuntur quidem humano semine, sed non adhærebunt sibi, sicut ferrum misceri non potest testæ. » Connubia significat, quibus Cæsarem inter et Pompeium, Augustum et Antonium affinitates contractæ sunt ; minimè tamen animi coaluerunt, conjunctionem dirimente insanâ regnandi cupiditate. Tùm hæc subnexa sunt (ibid. 2, 44) : « In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, et regnum ejus alteri populo non tradetur ; comminuet autem et consumet universa regna hæc, et ipsum stabit in æternum. » Grotius, aliique Grotio vetustiores, qui quarto regno notari censent Ægypti et Syriæ regna, ad Romanum imperium ista referunt, quatenùs futurum erat sedes Ecclesiæ. At hoc cùm aiunt, vel sibi volunt in Romano imperio Ecclesiam solam spectari, vel Ecclesiam cum Romano imperio. Si primum, profectò verisimile non est Danielem vaticiniis suis nobilissima notantem imperia, longè omnium nobilissimum, Romanum præteriisse ; si postremum, at falsum est quod affingunt Danieli, Romanum imperium nunquàm iri dissipatum, cujus vix umbra nomenque superest, nec alteri populo traditum, quod Francis, Germanis, Turcis, aliisque traditum est. Suscitandum præterea fuit regnum illud æternum *in diebus regnorum illorum,* quæ proximè commemoravit. Atqui penitùs jam conciderant regna Syriæ et Ægypti, cùm Ecclesiæ regnum fundavit Christus ; nondùm verò excitata illa erant, cum Romanum regnum exortum est. Undè sequitur stan-

tibus regnis Syriæ et Ægypti, neque Romanorum, neque Ecclesiæ regnum fuisse suscitatum: igitur vel regna Syriæ et Ægypti regna illa non sunt, quibus stantibus regnum illud æternum suscitandum esse prædicit Daniel, vel regnum hoc æternum, neque Romanorum imperium, neque Ecclesiæ regnum est. Ego verò regno ferreo notari censeo Romanum imperium, ut dixi; regno verò æterno, regnum Christi, quod æternum fore sacræ Litteræ passim docent, et nos in Parallelismo docebimus. Regna autem universa consumpturum apertissimè testificatur Paulus in priore Epistolâ ad Corinthios, cap. 15, v. 24: « Deindè finis, cùm tradiderit regnum Deo et Patri, cùm evacuaverit omnem principatum, et potestatem, et virtutem, oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus; » et in posteriore, cap. 10, v. 4 et seq.: « Nam arma militiæ nostræ, non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum; consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversùs scientiam Dei. » Et David in secundo Psalmo, v. 8-9: « Postula à me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ; reges eos in virgâ ferreâ, et tanquàm vas figuli confringes eos. » Isaias quoque, cap. 60, v. 12: « Gens et regnum quod non servierit tibi, peribit, et gentes solitudine vastabuntur. » Præcipuè verò Daniel, optimus suî interpres, cap. 7, v. 13, 14, 27: « Et ecce cum nubibus cœli, quasi Filius hominis veniebat, et usquè ad Antiquum dierum pervenit, et in conspectu ejus obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum; et omnes populi, tribus, et linguæ ipsi servient; potestas ejus, potestas æterna quæ non auferetur, et regnum ejus quod non corrumpetur. » Deindè: « Regnum autem, et potestas, et magnitudo regni, quæ est subter omne cœlum, detur populo sanctorum Altissimi; cujus regnum, regnum sempiternum est, et omnes reges servient ei et obedient. » Lapidem præterea hunc, de monte sine manibus abscissum, qui statuâ aureâ, argenteâ, æreâ, et ferreâ disjectâ et comminutâ, mons evasit magnus, et universam terram replevit (Dan. c. 2, v. 34, 35, 45), Christi symbolum esse certissimis argumentis suprà vicimus. Sed et regnum illud æternum, regnum esse Christi, ibidem tùm auctoritate Scripturæ sacræ, tùm et Rabbinorum suffragiis abundè probavimus.

5° In nono vero capite Danielis luculentum et haud scio an clarissimum omnium, quotcumque sacri Codices Veteris Testamenti suppeditant, vaticinium proponitur; idemque longè obscurissimum. Ac clarissimum quidem, quoad Christum pertinet, qui disertis illic prænuntiatur verbis; Jesum videlicet, cujus ætas illìc, undecumque tandem computandi ducantur exordia, tàm manifesto indicatur, ut indè potissimum ad spem venturi circà hæc tempora Messiæ excitatos Judæos et ethnicos plerosque crediderim. Obscurissimum verò, quoad prædictarum illìc septuaginta hebdomadum initia spectat et exitus. Quidquid igitur chronologorum est, quidquid theologorum, quidquid Scripturæ sacræ interpretum, eorum uberrimæ exstant argumenti hujus disceptationes. Verùm tantis undiquè angustiis ac difficultatibus circumsepta quæstio est; tot, tàmque diversæ ac pugnantes proponuntur sententiæ, ut penitùs molesta sit ac operosa earum dijudicatio; novum verò aliquid ac certius afferre, longè etiam operosius. Quod cum nuper vir cæteroquin eruditus tentâsset, in magnas ineptias delapsus est. Libenter ergò ab hac tractatione manum abstinuissem, nisi eam à me invito propositi operis ratio exprimeret.

6° Cùm in hujus prædicti interpretatione multiplex exstiterit opinionum diversitas, quæ diligenter ab aliis collectæ sunt et expositæ, complures ex illis ἀλογιστίας convictæ exoleverunt. Quamvis autem virorum aliquot doctorum patrociniis sese etiamum tueantur benè multæ, nos tamen consulentes brevitati, tres duntaxat afferemus in medium, quarum præcipua inter cæteras auctoritas est, quæque majoris nominis patronos habent. Prima in anno Artaxerxis Longimani septimo septuaginta hebdomadum ponit exordium, quas in Christi morte concludit. Quod spatium quadragintorum nonaginta annorum est, sive hebdomadum septuaginta. Hanc opinionem magnâ contentione defendunt Jacobus et Ludovicus Cappelli, viros graves chronologicæ et astronomicæ disciplinæ peritos secuti, accuratisque hujus annorum curriculi delineatis tabulis, et rationibus subtiliter disputatis fidem sibi conciliare conati sunt.

Fatendum sanè est veri eos quàm simillima disserere, atque hanc quæsiti annorum numeri cum historiæ veritate convenientiam penè nobis assensum extorquere. Verùm ad hanc calculi fidem reliqua non congruunt; inchoandas quippè hebdomadas esse definit

apud Danielem Angelus Gabriel, *ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem* (Dan. c. 9, v. 24), ab edicto videlicet, quo Hierosolymorum instauratio permissa est. At in Artaxerxis edicto, quo Esdræ reditum anno regni sui septimo concessit, de reparandis Hierosolymis, nulla omninò mentio fit, sed de instaurando tantùm templi cultu, et Lege restituendâ. Nec nodum solvit Ludovicus Cappellus, cùm ait licentiam reficiendorum murorum, etsi verbis non expressam, at re ipsâ fuisse Esdræ concessam : « Cur enim, inquit, instaurationem murorum vel prohibuisset, vel non concessisset Artaxerxes ille, qui se usque adeò benevolum ergà Judæos eo edicto præbet? » Eamdem nimirùm ob causam, quæ Cyrum ergà Judæos itidem benevolum, quæ Darium absterruit, quominùs id iis permitterent, experta nimirùm gentis pervicacia et mobilitas, et cupidus rerum novarum animus. Quòd si promovendi cultûs templi expressa verbis facultas tacitam instaurandi muri continet facultatem, jam igitur non à septimo anno Artaxerxis, sed à primo Cyri, vel à secundo Darii septuaginta hebdomadum sumenda sunt initia, qui Judæis, restituendi templi fecit potestatem. Veri profectò simile non est hoc Artaxerxis edictum, cùm res alias momenti minoris sigillatìm exprimat, sumptusque ad templi cultum conferendos minutatìm percenseat, concessam murorum et urbis extruendæ facultatem, sic tanquàm rem nihili, silentio prætermisisse. Crederemus fortassè, si rem in edicto prætermissam opere ipso Esdras complevisset. Verùm nec ex edicti verbis, nec ex gestis ab Esdrâ rebus ulla sumi possunt opinionis hujus argumenta; proptereàque à nobis exploditur.

7° Altera Scaligeri sententia est (libr. 6, de emend. Temp.), quam à Sulpitio Severo, aliisque, ut ipse ait, scriptoribus antiquis acceptam renovavit, virisque eruditis, Joanni Drusio (in Sulp. Sever. Hist. libr. 2) et Constantino l'Empereur (Const. l'Emp, Præf. in Jach. et in Jach. in Dan. cap. 9, 1. Esdr. c. 4, v. 24, et c. 6, v. 5), ut eamdem defenderent pro suâ auctoritate persuasit. Is in anno Darii Nothi secundo septuaginta hebdomadum exordium statuit, finem in annum Neronis duodecimum, quo anno Judæos inter et Romanos bellum tumescebat: undè si annos tres dimidio numeres, incides in excidium Hierosolymitanum. Darium ergò illum, cujus anno secundo inchoatam templi refectionem sexto absolutam esse tradit Esdræ liber, non Hystaspiden Darium esse credit, uti vulgò creditur, sed Nothum Artaxerxis Longimani successorem, alterius Artaxerxis, cognomento Memoriosi, decessorem. Prætereà aliter spectari vult hanc septuaginta septimanarum ἑβδομάδα, aliter expressam à Daniele ipsarum partitionem in septem, sexaginta duas, et unam; sexaginta quippè et duas hebdomadas, ductas à quinto anno Artaxerxis Memoriosi, quo anno de restituendâ Hierosolymâ edictum promulgatum fuisse ait, cadere in interitum Christi. Septem reliquæ septimanæ quò pertineant nescire se fatetur. De postremâ nihilò certiora affert. Probationes doctrinæ suæ nullas dat Sulpitius, has Scaliger et Scaligerani suæ. Tria lata sunt de instaurandis Hierosolymis et templo edicta: prius à Cyro, alterum à Dario, quem Nothum esse volunt, tertium ab Artaxerxe, quem Mnemonem esse statuunt. Non patitur annorum disputatio, ut inchoatum ab edictis, Cyri vel Artaxerxis illius Memoriosi intervallum, quod præscripsit Daniel, desinat in assignatis ab eo temporibus : igitur Darii Nothi edictum à Daniele notatur. Alterum ex his Zachariæ verbis cap. 7, v. 5, depromunt argumentum : *cum jejunaretis et plangeretis in quinto et septimo per hos septuaginta annos, numquid jejunium jejunâstis mihi?* Ex jejuniis, inquiunt, illis, per septuaginta annos celebratis, intelligitur septuaginta jam annos Hierosolymis ritus suos et cæremonias obiisse Judæos ; nam ejusmodi solemnibus in Captivitate Judæi abstinebant. Atqui à reditu ad Darium Hystaspiden tot anni non effluxerant. Ergò Darius ille, cujus ævo hæc vaticinabatur Zacharias, Nothus erat, non Hystaspides. Deindè verba hæc ex quarto Esdræ capite, lib. 1, vers. 5 et seq., proferunt : « Conduxerunt autem adversùs eos consiliatores, ut destruerent consilium eorum omnibus diebus Cyri regis Persarum, usquè ad regnum Darii, regis Persarum. In regno autem Assueri, in principio regni ejus scripserunt accusationem adversùs habitatores Judæ et Jerusalem. Et in diebus Artaxerxis scripsit Beselam Mithridates, et Thabeel, et reliqui qui erant in consilio eorum, ad Artaxerxem regem Persarum. » Quibus hæc ad calcem capitis subjiciuntur : « Tunc intermissum est opus Domini in Jerusalem, et non fiebat usquè ad annum secundum Darii, regis Persarum. » Proferunt et ista è sexto capite vers. 14, 15 : « Seniores autem Judæorum ædificabant, et prosperabantur, juxtà prophetiam Aggæi prophetæ, et Za-

chariæ, filii Addo; et ædificaverunt, et construxerunt jubente Deo Israel, et jubente Cyro, et Dario et Artaxerxe, regibus Persarum; et compleverunt domum Dei istam, usquè ad diem tertium mensis Adar, qui est annus sextus regni Darii regis. » Ordine, inquiunt, hic recensentur Persarum reges, sub quibus inchoata, affecta, et perfecta demùm est templi exstructio, Cyrus, Darius, Assuerus, Artaxerxes, Darius alter, sive Nothus; Artaxerxes verò alter, à quo Esdras ad templum colendum missus est, is est Artaxerxes Memoriosus. Magnum insuper sententiæ hujus propagnaculum statuunt in spatio temporis quod Cyri edictum et annum Darii secundum intercessit. Nam cùm necesse habuerit Darius hoc Cyri edictum consulere, et archiva lustrare, ut de concessâ olim Judæis à Cyro redeundi facultate constaret, liquet utique rem fuisse non novam, neque heri vel nudius tertius factam; fuisset autem, si Darius ille esset Hystaspides; nam à primo anno Cyri, quo latum est de Judæorum postliminio edictum, ad secundum Hystaspidæ annum, omninò elapsi sunt anni, ut ipse putat, duodecim, vel ut rectiùs putare debuit, octodecim, brevius scilicet intervallum, quàm ut archivorum reserandi fuerint foruli, et lustranda tabularia, ad rem explorandam, cujus testes in vivis ferè supererant. Undè efficitur Darium illum fuisse Nothum, ad cujus secundum annum, à primo Cyri, excurrunt anni aliquot suprà decem et centum.

His nititur rationibus isthæc sententia, quas si revocamus ad examen, fidem amittent. Nam in eo quòd disserunt de tribus edictis, Cyri, Darii, et Artaxerxis, non uno modo peccant: quatuor enim de Hierosolymæ et templi restitutione lata sunt edicta, primum anno primo Cyri, secundum secundo Darii, tertium et quartum septimo et vicesimo Artaxerxis. Deindè tria illa priora ad Templum duntaxat, vel templi cultum instaurandum, non ad urbem ipsam spectârunt. Nam neque in edicto Cyri, neque in Darii rescripto, neque in illo priore Artaxerxis, ulla apparet instaurandæ urbis mentio. Quærit Scaliger (Proleg. de emend. Temp.): « Quarè Nehemias non solùm miratur, sed etiam dolet, mœnia Hierosolymorum adhuc diruta jacere, nisi quia putabat jam instaurata esse? » Dolere fatemur, mirari negamus; nam mœnia et præcipua ædificia urbis in ruinis jacere noverat. Verùm ex Hanani relatu, rei indignitatem exaggerantis, atque oculis penè subjicientis, novum animo concepit dolorem, et ad impetrandam reficiendæ urbis facultatem accensus est. Exstat quidem quarto capite Esdræ exemplar epistolæ præfectorum Persicorum ad Artaxerxem, quâ Judæos instauratæ urbis ac mœnium accusant, ac responsum quoque regis ad præfectos, quo jubentur providere ne urbs reficiatur. Sed si animum diligenter velimus advertere, confictam hànc fuisse deprehendemus ac falsam nefariorum hominum et Judæis invidentium expostulationem; qui cùm domos in urbe excitari viderent, quod necessariò faciendum Judæis erat, urbem reædificari conquesti sunt ambiguâ et flexiloquâ accusatione. Aliud enim est domos in urbe habitandi causâ exstruere, quod pro jure suo Judæi faciebant, aliud publica ædificia et munita loca instaurare, quod concessum neutiquàm erat, nec faciendi potestatem Judæi sibi arrogaverant. Et utrumvis tamen qui faciunt, urbem condere dici possunt. Addunt iidem accusatores, muros urbis reparari. Ambiguum hoc quoque, nam mœnia templi, eadem urbis mœnia dici poterant et firmissimum munimentum, ab eâ parte quæ obversa erat ad orientem. Ancipiti ergò hâc denuntiatione regi persuaserunt, postremum hoc à Judæis fuisse attentatum: atque hic porro ne id facere pergerent, edicto sanxit. Verissima hæc esse, quæ proponimus, sequentia illa demonstrant: *Tunc intermissum est opus domus Domini in Jerusalem;* non opus urbis dixit, sed *opus domus Domini.* (1 Esdr. c. 4, v. 24.) Deindè verò cùm hoc edicto ab urbis, non templi instauratione prohiberi se intellexissent demùm Judæi, Aggæi et Zachariæ hortatu rursùm se ad absolvandam templi exstructionem anno secundo Darii accinxerunt, nullâ priùs impetratâ vel postulatâ veniâ, cùm hoc Artaxerxis edictum aliò pertinere cognovissent. At iterùm opus à præfectis interpellatum est. Refertur ad Darium de eâ re; is edictum Cyri confirmat, quo permissa fuerat templi instauratio. Atque ea denique sexto anno Darii absoluta est. Scio aliter visum doctissimo viro Dionysio Petavio. (De doctr. Temp. libr. 12, cap. 21.) Existimat ille Persarum reges, quicumque reparandi templi licentiam Judæis dederunt, ædificandæ urbis jus iisdem tribuisse. Pugnat autem auctoritate Isaiæ, cujus hæc denuntiatio est quadragesimo quarto capite: « Qui dico Cyro: Pastor meus es, et omnem voluntatem meam complebis; qui dico Jerusalem ædificaberis, et templo: Fundaberis; » atque hæc etiam capite sequenti: *Ego suscitavi*

eum (Cyrum) *ad justitiam, et omnes vias ejus dirigam: ipse ædificavit civitatem meam.* Pugnat et auctoritate Josephi, qui conceptis verbis docet, Cyrum Judæis instaurandæ Urbis et Templi potestatem fecisse. (Joseph. Antiq. lib. 11, cap 5.) At urbs instaurari, ut monui, duplici modo dici potest, vel excitatis ad habitandum domibus, vel exstructis publicis ædificiis, mœnibus ac munimentis. Priore modo reædificari Hierosolymam permiserunt Persarum reges; quidni enim permisissent, qui Judæos in unam civitatem coalescere, et templum exstrui permiserant? Arcendi profectò fuerunt imbres, æstus et frigora; non sub dio agitandum. De publicis ædificiis reparandis nihil omninò concessum est, usque ad annum vicesimum Artaxerxis. Id præsignificabat Gabriel Angelus, cum diceret Danieli: *Rursùm ædificabitur platea et muri in angustiâ temporum* (Dan. 9, v. 25); ædificia nimirùm publica, et munimenta urbis ac mœnia. Cùm ergò Darii deindè temporibus Judæos insimularet Aggæus Propheta, quòd magnificas sibi ædes construerent, neglectâ templi structurâ, apertè indicat, non de securitate et mœnibus urbis cogitàsse ipsos, quod procul dubio non tacuisset Propheta, sed de commodis suis. Cùm verò in apocrypho libro tertio Esdræ, cap. 4, vers. 43, revocatur Darius in memoriam voti de ædificandâ Jerusalem suscepti, ædificationem domorum intellige, quæ ad excipiendos Judæos templum exstructuros necessaria erat; nam ex iis quæ in eodem libro subnexa sunt, apparet templi solùm exstructionem, non mœnium fuisse quæsitam. Nec causæ suæ utile quicquam conficere potest Petavius ex his verbis septimi capitis libri prioris Esdræ cap. 7, v. 6: *Ipse Esdras ascendit de Babylone... et dedit ei rex secundum manum Domini Dei ejus super eum, omnem petitionem ejus.* Cultum templi, ac Legis observationem sibi proposuerat Esdras; id sibi juris tantùm depoposcit à rege et impetravit; de mœnibus reficiendis neque transactum fuisse, neque omninò actum, gestæ rei narratio indicat. Parùm quoque juvatur ex iis quæ nono capite refert Esdras, lib. 1, v. 9, Dei nempè nutu fuisse factum, ut permitteret Persarum rex domûs Dei solitudines exstrui; quod ad urbis instaurationem pertinere vult, non templi solius, cujus exstructionem sexto Darii anno fuisse absolutam sextum Esdræ caput ostendit. (1 Esdr. c. 6, v. 15.) Certè precatione hâc noni capitis, non res tantùm quæ temporibus iis, sed et quæ superioribus sibi suisve evenerunt, commemorare Esdras instituit, majorum videlicet suorum flagitia, urbis excidium, Judæorum captivitatem, reditum et templi instaurationem. Adjicere poterat Petavius, quæ subnectit Esdras, cap. 9, v. 9: *Et daret nobis sepem in Judâ et Jerusalem;* nam dictione *sepis,* hebraice גדר, mœnia urbis possunt intelligi. At longè frequentior ejus usus est ad significandam maceriam, infirmum nempe parietem, rudi et tumultuario opere fabricatum, quales erant illi domuncularum, quas Judæi reduces properanter videntur Hierosolymis extruxisse. גדר etiam notat septa cratitia ovium. Quâ significatione vocem adhibere potuit Esdras, nempè κατα σχῆμα, præsertìm Deum alloquens gentis suæ pastorem: ac si id vellet, dissipatas oves, Judæos nempè, jam à Deo pastore coactas, et ad pristinas caulas ac antiqua ovilia esse reductas. Sed hæc nihil ad mœnia Hierosolymorum, his temporibus disjecta etiamnum et diruta, et à Nehemia deinde excitata. Manifestissima rei probatio consistit in primo Nehemiæ capite, in quo de statu Hierosolymorum interrogatos à se Judæos quosdam narrat Nehemias id sibi responsum dedisse: *Murus Jerusalem dissipatus est, et portæ ejus combustæ sunt igni* ibid. c. 2, v. 13. Quò cùm ipse pervenisset, vidisse se ait *murum Jerusalem dissipatum, et portas ejus consumptas igni* (2 Esdr. c. 2, v. 3); tùm deindè Judæorum magistratus sic fuisse allocutum: « Vos nôstis afflictionem in quâ sumus, quia « Jerusalem deserta est, et portæ ejus con- « sumptæ sunt igni; venite, et ædificemus « muros Jerusalem. » (2 Esdr. c. 2, v. 17.) Quæ cùm à Judæis fieri accepisset Sanaballat: *Numquid ædificare poterunt*, inquit (1 Esdr. c. 4, v. 2, 7), *lapides de acervis pulveris, qui combusti sunt?* deindè hæc subjungit Nehemias; « Factum est autem cum audisset Sanaballat, « et Tobias, et Arabes, et Ammonitæ, et Azotii, « quòd obducta esset cicatrix muri Jerusalem, « et quòd cæpissent interrupta concludi, irati « sunt nimis. » His adjunge hoc Nehemiæ elogium ex libro Ecclesiastici, cap. 49, v. 15: « Et Nehemias in memoriâ multi temporis, « qui erexit nobis muros eversos, et stare fe- « cit portas et seras, qui erexit domos nos- « tras. » Ex quibus omni luce clarius est ad Nehemiam usque, et ad annum Artaxerxis vicesimum, disjecta penitùs jacuisse Hierosolymorum mœnia, neque antè hunc diem esse refecta, *utpotè rei hujus potestate non factâ,* inquit Africanus (apud Euseb. Dem., lib. 8);

quod non ità profectò fuisset, si rei tàm necessariæ, tantisque votis à se expetendæ Judæi jus fasque habuissent. Nunc redeamus ad Scaligerum. Patet ex superioribus nullum anno secundo Darii de urbe exstruendâ latum esse edictum; undè sequitur ab hoc anno capi non posse initium hebdomadum septuaginta, quæ juxtà Danielem, cap. 9, v. 25, decurrerunt *ab exitu sermonis, ut iterùm ædificetur Jerusalem.* Demus tamen instaurationem urbis his edictis fuisse permissam, negamus certè ducto calculo à septimo Artaxerxis anno, non congruere prædictionem Danielis cum eventibus rerum ab eodem notatis, quod Cappello utrique contrà visum esse diximus. Artaxerxem dico, non Memoriosum, quod putat Scaliger, sed Longimanum, quem in Esdrâ significatum esse, ac Darium itidem Hystaspiden, non Nothum, adversùs Scaligerum à Petavio validè demonstratum est. Quod autem causæ suæ præsidium collocat Scaliger in ultimo Zachariæ capite, et jejuniis quæ per septuaginta annos observata fuisse narrantur, solidis argumentis disjecit Petavius (De doctr. temp. libr. 12, cap. 31), et nos quoque suprà, cùm de Aggæi et Zachariæ prophetiis ageremus. Undè commoda quoque peti potest responsio ad ῥήσεις duas è quarto capite Esdræ depromptas, in quibus reges Persarum recensentur hi, Cyrus, Darius, Assuerus, Artaxerxes, Darius, cujus sexto anno absoluta est templi instauratio, quemque ex propositâ hàc regum serie non alium esse concludunt quam Nothum. Illìc enim docuimus ex optimorum chronologorum doctrinâ, Darium illum utrobique designatum, Hystaspiden esse; insertos verò Assuerum et Artaxerxem, vel Cambysen unicum et πολυώνυμον, pro more à regibus Persarum usurpato, nomina Xerxis et Artaxerxis asciscendi, postquàm summa rerum tradita ipsis fuisset. Cassa quoque est ratio ex intervallo petita, quod Cyri edictum inter et annum Darii secundum interjacet. Nec enim idcircò ad tabularia recurrere opus fuit, quòd de facultate à Cyro concessâ dubitaretur, sed ut facultatis hujus conditiones, ac cuncta item edicti, ad quod provocaverant Judæi, capita cognoscerentur, ad ejusque formam illud Darii conscriberetur. Quod haud seciùs fuisset factum, si antè mensem vel annum edictum hoc tulisset Cyrus, quod antè octodecim annos latum fuisse dixi. Frustrà ergò Dario Notho adscribuntur illa, quæ ad Hystaspiden egregiè congruunt. Nihil verò ad rem faciunt μακροβιότητος καὶ πολυετίας exempla à Scaligero, ipsiusque sequacibus collecta, ut mirum non esse probent, quod ex doctrinâ ipsorum consequitur, Zorobabelem et Jesum Josedeciden vitæ humanæ diuturnitatem excessisse, ut qui centum et quinquaginta annos vivendo superâsse fatendi sint, si Scaligeri opinio admittatur. Ducentesimum verò annum attigerit, vel superaverit Esdras, si septimo anno Artaxerxis Memoriosi, ut putat, non Longimani, Babylone profectus sit, ut potè Saraiâ Pontifice natus, qui eodem anno quo Sedecias captus est, à Nabuchodonosore fuit interfectus. Minùs id fortassè mirum esset in uno aliquo vel altero, cùm vivaces et diuturnos homines identidem oriri sciamus; verùm hos, quos dixi, coætaneos viros, eodem genere oriundos, ejusdem consilii ac negotii participes et socios, iisdem casibus exercitos, in iisdem locis moratos, velut de compacto in eamdem ætatis longinquitatem conspirâsse incredibile sanè est. Quod cùm subjicit Scaliger, factum esse à Deo in eorum gratiam, quos populo suo et Ecclesiæ suæ præfecerat, et imaginariis miraculis causam suam fulcire conatur, tùm verò maximè ejus infirmitatem prodit. Neque hos solùm, quos dixi, tàm diuturnos et vivaces facere cogitur Scaliger, sed illos etiam, quos his verbis compellare jubetur Aggæus cap. 2, v. 4 : « Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloriâ suâ « primâ? et quid vos videtis hanc nunc? num« quid non ità est, quasi non sit in oculis ves« tris? » Cujus loci frivolam quoque expositionem affert Scaliger : nam perindè hoc esse putat, ac si dixisset Propheta : Si quis vestrûm domum priorem olim vidisset, hanc illi minimè æquiparandam esse fateretur. Sed vanitatem interpretationis hujus suprà jam patefecimus. Adversatur insuper Scaligeri ratiocinium Judæorum verbis, qui secundo capite Joannis, v. 20, sic alloquuntur Christum : *Quadraginta et sex annis ædificatum est templum hoc, et tu in tribus diebus excitabis illud?* nam à locatis sub Cyro templi fundamentis, ad positum sexto anno Darii Nothi fastigium, anni interjacent centum et viginti. Apparet quoque vel maximè opinionis hujus absurditas, cùm ad septuaginta hebdomadum partitionem confertur, quam exposui suprà, quamque exposuisse, refutâsse est; id quod à Petavio quoque factum abundè est.

8° Tertiam proponemus Joannis Lucidi sententiam, qui ab anno vicesimo Artaxerxis Longimani ducto septuaginta hebdomadum initio,

in quarto post Christi mortem anno exitum ipsarum constituit, mediumque inter extrema hæc intervallum annorum esse putat quadringentorum et nonaginta, sive hebdomadum septuaginta. Nulla certè convenientior loci hujus excogitari posset interpretatio, si mediorum annorum constaret ille, quem ponit Daniel, numerus. Nam rectissimè positum initium est in vicesimo anno Artaxerxis Longimani; quo anno sine controversiâ de restituendâ urbe Hierosolymâ edictum latum est, reique conficiendæ curam Nehemias suscepit, atque opus effectum dedit. Egregiè quoque finem huic annorum curriculo præscripsit in anno quarto ab obitu Christi, juxtà illud Danielis cap. 9, v. 7: « Confirmabit autem pactum multis hebdomadâ unâ, et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium. » Verùm in medii intervalli numerandis annis toto decennio aberrat Lucidus; tot enim ad explendas septuaginta hebdomadas desunt anni.

Hanc opinionem exagitans Pererius (Comm. in Dan. libr. 11, Part. 2, Opin. 15), et in omnem partem excutiens, omniaque effugia præcludens, hanc sibi ipse opponit exceptionem, non ab obitu Xerxis numerandum esse initium regni Artaxerxis, in cujus regni vicesimo caput septuaginta hebdomadum Lucidus posuit, sed à duodecimo circiter anno Xerxis, quo anno in regni societatem adscivisse Artaxerxem filium Xerxes videri potest, pro more Persicorum regum, quibus ad bella extrà Persidem gerenda proficiscentibus regni hæredem designare solemne fuit, ut non uno loco Herodotus asseverat (libr. 1 et 7); atque hoc eò videri verisimilius, quòd Thucydides (apud Plut. in Them.) Charon Lampsacenus libr. 1, aliique probatissimi auctores tradant Themistoclem Græciâ profugum ad Artaxerxem Xerxis filium, νεωστὶ βασιλεύοντα, *recens regnantem,* litteras dedisse; scribere verò Diodorum Siculum, anno secundo septuagesimæ septimæ olympiadis Themistoclem adiise ad Xerxem, non ad Artaxerxem, quod et à claris historiarum scriptoribus, Ephoro, Dinone, Clitarcho, et Heraclide litteris mandatum esse Plutarchus docet; idem quoque apud Strabonem, lib. 14, et Eusebium (in Chron.) reperiri; atque hæc contraria et repugnantia ità conciliari posse, si simul regnâsse detur patrem Xerxem, et Artaxerxem filium, hoc ad participandum regnum assumpto. Conjectura hæc Petavio placuit (de doctr. temp. libr. 10, cap. 25, et libr. 12, cap. 32), et totam in suum de temporum Doctrinâ librum transtulit, quasque adversùs suum hoc commentum præscriptiones attulerat Pererius, partem earum Petavius discutere et solvere conatus est, ipsumque commentum adversùs ejus auctorem tueri. Sic autem disputat Pererius: Si Xerxes ad bellum proficiscens regni successorem designare debuit, profectò cùm anno primo septuagesimæ quintæ olympiadis ferale bellum adversùs Græciam moveret, jam inde regni paticipem facere debuit Artaxerxem. Ab eo igitur initio si septuaginta annorum decurrant hebdomades, citrà obitum Christi consistent. Nihil huic argumento obduxit Petavius. Quærit prætereà Pererius, cur regni socium allecturus Xerxes Dario natu majori filio Artaxerxem minorem ac impuberem, et rebus gerendis imparem prætulerit. Acutè sanè et eruditè respondet Petavius, Darium Xerxe nondùm regnum adepto, sed privato genitum fuisse, proptereàque antepositum ipsi fuisse Artaxerxem in purpurâ natum, et patre jam rege procreatum, quemadmodùm Xerxes ipsemet ob easdem causas Artobazani fratri à patre Dario fuerat antelatus. Cùm autem per conjecturam proposuisset Xerxe nondùm rege natum esse Darium, id alia firmat conctura ex Herodoti libro nono, cap. 107, ducta, ubi legimus Xerxem post Salaminiam pugnam Sardibus agentem, Masistis fratris filiam Artayntam in matrimonium Dario filio dedisse; cùm autem commissa fuerit pugna Salaminia octo circiter annis postquàm regni consors factus est Xerxes, sequitur antè id tempus natum esse Darium; nam alioqui nuptiis maturus non fuisset. Verùm quid proderit hoc argumentum, si dicamus non exspectatâ fortassè maturitate ætatis uxorem duxisse Darium, uti sæpè fit inter principes viros? quid si antè annos nuptiis in regionibus nostris præfinitos, maturitatem, et pubertatem, et genitalem vim adipisci solitos fuisse Persas? Apud Indos quidem, Persarum vicinos, septennes pueri nuptias contrahunt, ac liberos etiam gignunt. Nihilò opportuniora sunt verba è Diodoro, libr. 11, deprompta, quibus Artabanus, post interfectum à se Xerxem, significavit Artaxerxi sceleris auctorem esse Darium, καὶ τὴν βασιλείαν εἰς ἑαυτὸν περισπᾶν, *et regnum affectare.* Nec enim hujus loci sententia est, regnum Artaxerxi jure debitum intervertere conari Darium, sed regnum quod jure Xerxes pater obtinebat, parricidio ad se traducere. Corruit ergò conjectura hæc Petavii. Sed et alia nobis suppetunt argumenta, quibus ejus sententiam oppugnemus; hoc primum, aliud

esse regni designare successorem, aliud regni socium adsciscere. Prius hoc Persis solemne fuisse fateor; at Artaxerxem ad successionem regni à Patre fuisse destinatum si concessero, nihil indè causæ suæ opportunum Petavius eliciet. Scribit præterea Plutarchus in Themist. ex Thucydide, Charonte Lampsaceno, et vetustis quibusdam chronicis, defuncto jam Xerxe Themistoclem ad Artaxerxem venisse. Quo testimonio labefactatur penitùs Petavii opinio; quippè quòd apertè demonstret neutiquàm fuisse persuasum Plutarcho, vel iis quos laudat Scriptoribus, simul regnâsse patrem et filium cum in Persidem Themistocles secessit. Id si fuisset, aliqua procul dubio ejus exstaret apud auctores significatio, quæ penitùs nulla est: nec in diversis eorum referendis sententiis laborarent Cornelius Nepos et Plutarchus; nulla enim tùm foret eorum discrepantia. Ad hæc consentaneum est rationibus Petavii, puerum fuisse Artaxerxem, cùm ad eum venit Themistocles; nam post interfectum quoque patrem fuisse etiam tùm puerum testificatur Justinus libr. 3; longè igitur magis puer fuit, cùm patre etiamnum vivo, ut Petavius sentit, Themistoclem excepit. Deindè à Xerxe jam rege procreatum eum esse Petavius asseverat; adscitum verò in communionem regni duodecimo circiter anno postquàm rex Xerxes creatus est. Ergò minor erat duodecim annis, cùm particeps regni factus est. Atqui ad Artaxerxem, *recens regnantem* fugisse Themistoclem narrat locuples auctor Thucydides. Ex quibus colligitur nondùm eum excessisse pueritiæ annos hoc tempore. Id verò manifestè repugnat Thucydidis et Plutarchi testimonio, qui adveniente Themistocle ea gesta ab Artaxerxe, dictaque referunt, quæ nonnisi ab homine virilem prudentiam jam adepto poterant proficisci. Nec satis Petavio constat ratio in reperiendâ causâ, quamobrem tùm abesset Xerxes. Abfuisse enim tunc temporis à Perside et urbe regiâ, et in aliquam expeditionem profectum disertis verbis affirmat. Expeditionem autem hanc adversùs Græcos fuisse susceptam conjectat, post detectam Pausaniæ, Lacedæmoniorum regis, conjurationem, sumptumque de eo supplicium; atque id bellum causæ fuisse cur Artaxerxem regni socium faceret. Fulcit alteram hanc conjecturam Petavius auctoritate Justini, cujus hæc verba sunt: « Nec multò post accusatus Pausanias damnatur. Igitur Xerxes, cùm proditionis dolum publicatum videret, ex integro bellum instituit. Græci quoque ducem instituunt Cimonem Atheniensem, filium Miltiadis. » Bellum illud significat Justinus, quo Græci, Cimone duce, Persas navali prælio ad Cyprum, terrestri ad Eurymedontem fluvium uno die fuderunt. Id contigit tertio anno septuagesimæ septimæ Olympiadis, qui annus Themistoclis fugam proximè consecutus est. Fraus autem Pausaniæ supplicio compressa fuit sub finem septuagesimæ quintæ olympiadis. Igitur inter Pausaniæ obitum et Cimonis victoriam anni intercesserunt septem. Allectum verò ad regnum à Patre Artaxerxem anno tertio septuagesimæ sextæ olympiadis statuit Petavius, videlicet inter Pausaniæ casum et Cimonis prælium. Sanè si filium allegit Xerxes, cùm Græcos esset invasurus, eoque allecto profectus est ad id bellum gerendum, quo Persæ fracti à Cimone et profligati sunt, quod Petavio dicendum omninò est, cur Babylonem ad Artaxerxem contendit Themistocles tanto locorum intervallo dissitum, cùm labori ac tempori parcere potuisset, Xerxem ipsum conveniens in propinquis locis bellum administrantem? Quod attinet ad Justinium, non id sibi vult, statim ab interitu Pausaniæ Xerxem adversùs Græcos bellum movisse: Diodorus quippè, lib. 2, prius illud bellum Persicum, quod duorum annorum fuit, finem habuisse ait post fractos Persas ad Platæas et Mycalen, et captam ab Atheniensibus Sestum, quæ anno secundo septuagesimæ quintæ olympiadis contigerunt; nec quicquam deinceps adversùs Græciam Persas apertè moliri fuisse ausos antè Cimonis expeditionem, ex ipsius apparet narrationibus; sollicitatum tantummodò fuisse ad defectionem Pausaniam, sed clàm et occultè. Quod ergo ex Justini verbis excipit Petavius, nimirùm detectis Pausaniæ fraudibus, Xerxem in Græcos arma movisse, proptereaque filium regni socium fecisse, historiæ haudquaquàm consentaneum est, cùm inter Pausaniæ supplicium et Cimonis res gestas ac victoriam adversùs Persas, nullum Xerxis memoretur bellum, propter quod filium in regni societatem adsciscere debuerit, Cimonis autem expeditio nimio distet temporis intervallo à Pausaniæ obitu, quàm ut ex eo bellum hoc ortum censeri possit, et longiùs quoque absit à fictitiâ illa cooptatione, quàm ut ei causam præbuisse putemus. Hunc potiùs credamus Justini verborum esse intellectum; post publicatum Pausaniæ dolum, irrogatamque ipsi pœnam, dolore accensum Xerxem ulciscendæ injuriæ de-

siderium concepisse animo, bellique olim moliendi facultatem optàsse sibi dari, ad rem tamen non pervenisse. Nulla ergò in potentatûs communionem cooptandi filii tunc occasio Xerxi, vel necessitas fuit, neque ullum conjecturæ huic præsidium Justinus subministrat. Concedamus tamen liberaliter, quod meritò pernegavimus, adscitum fuisse in regni societatem Artaxerxem hoc tempore quod præfinit Petavius, aio enimverò non propereà annos regni Artaxerxis computantem Nehemiam, ab hoc tempore initium computandi fuisse ducturum, sed ab eo quo post defunctum Xerxem plenam ac integram potestatem adeptus est, ac solus regnavit. Postulabat id historiæ ratio, et historicorum omnium consuetudo, quam in hoc opere suo Petavius ipse tenuit; nam tempus regni Xerxis definiens, annos ei viginti assignavit, petito nempè initio ab obitu Darii, cùm duos tamen suprà viginti assignare debuisset annos, si ab eo tempore numerum inivisset, quo à Dario regni successor institutus est.

9° Discussis aliorum sententiis, quæ majorem veritatis speciem præ se ferunt, iis verò prætermissis, quarum deprehensa jam ab aliis falsitas est, vel quæ à viris eruditis propositæ tantùm, nullis autem allatis argumentis fultæ sunt, nobis nunc ipsis in arenam descendendum est. Ergò existimo septuaginta hebdomadum initium non aliundè peti posse, quàm à vicesimo anno Artaxerxis Longimani, quo anno *exiit sermo, ut iterùm ædificaretur Jerusalem,* cùm nullam antè id tempus restituendæ Hierosolymæ potestatem Judæis factam fuisse approbaverim. Vicesimum autem hunc annum à Xerxis obitu et aditâ ab Artaxerxe regni hæreditate numerari velim, non à commentitiâ hâc Artaxerxis cooptatione, quæ superiori disputatione confutata est. Septuaginta verò hebdomadum finem, non in mortem Christi præcisè, sed in inferiora tempora conjicio, ut sexagesima nona hebdomas antè Christi mortem desinat, Christi verò mors intrà septuagesimæ hebdomadis spatium contingat. Nam si conveniret septuagesimæ hebdomadis finis in mortem Christi, occisus utique fuisset Christus post septuaginta hebdomadas, quod secùs esse debuit; Danieli quippè prædixerat Angelus, futurum ut post hebdomades sexaginta novem occideretur Christus. Quod et apertè significavit cùm diceret, cap. v. 24: *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum et super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum.* Hæc completa sunt cùm natus est et obiit Christus, et ad vitam rediit. Contractas autem ac decurtatas fuisse ait septuaginta hebdomadas, quia non effluxerant totæ, nec curriculum suum absolverant, cùm prædictum hoc evenit; septuagesima quippè adhùc erat in cursu. Atque hæc est simplicissima loci hujus interpretatio, et iis longè verisimilior quæ hactenùs allatæ sunt; si Hebraicam dictionem quâ usus est Propheta, ità intelligas, ut intellexit Vulgatus interpres, et ut intellexerunt Senes Septuaginta, qui verterunt, συνετμήθησαν. Quæ notio dictionis hujus aptissimè in nostram sententiam convenit. Atque ea quoniam verbis non satis perspicuis expressa vidi poterant, clariora subjicit Angelus, quæ rem apertè explanant: *Scito ergò, et animadverte; ab exitu sermonis, ut iterùm ædificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duæ erunt: et rursùm ædificabitur platea et muri in angustiâ temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus.* (Dan. c. 9, v. 25, 26). Nunc autem instituenda ratio est, quâ demonstrare possimus sexagesimam nonam hebdomadem antè Christi obitum effluxisse, septuagesimam verò antè eumdem obitum inchoatam post eum desiisse, atque intrà ejus decursum Christum fuisse in crucem actum. Facili id consequemur negotio, si à vicesimo anno Artaxerxis computemus sexaginta novem hebdomadas, sive quadringentos octoginta tres lunares annos, quorum singuli sint trecentorum quinquaginta et quatuor dierum. Constituto enim anni vicesimi initio in quarto olympiadis octogesimæ tertiæ, sive periodi Julianæ 4269, fine verò anni ejusdem vicesimi in primo olympiadis octogesimæ quartæ sive periodi Julianæ 4270; edictum Artaxerxis, quo Nehemiæ facultatem Hierosolymæ restituendæ concessit, datum mense Nisan, incidere potuit in annum periodi Julianæ 4270, qui primus est olympiadis octogesimæ quartæ. Hùc si annos solares addideris quadringentos sexaginta novem, incides in annum periodi Julianæ 4739, qui secundus est olympiadis ducentesimæ primæ, Tiberii decimus tertius. Atqui anni solares quadringenti sexaginta novem, annos lunares efficiunt quadringentos octoginta tres, sive sexaginta novem hebdomadas cum dimidiâ circiter anni parte. Cùm autem mortem obierit Christus anno Tiberii decimo octavo, periodi Julianæ 4744, olympiadis ducentesimæ

secundæ tertio, convenit id in quintum annum septuagesimæ hebdomadis, quæ proindè absoluta est duobus post Christi obitum annis. Superest nunc ut afferamus causam, cur hoc septuaginta hebdomadum systema in septem, sexaginta duas et unam Angelus distribuerit. Scaliger (Proleg. de emendat. temp. et libr. 6) et Grotius (Grot. in Dan. c. 9, v. 24, 25) nullum partitioni huic subesse mysterium arbitrantur, non plùs quàm isti distributioni minæ in siclos apud Ezechielem, 45, 12: *Porro viginti sicli, et viginti quinque sicli, et quindecim sicli, minam faciunt.* Ego et minæ, et hebdomadum partitionem, non vanam esse et inutilem, sed occulti alicujus mysterii argumentum continere puto. Ac minam quidem Ezechielis non sine causâ sic divisam esse testantur Semoloh Jarchi, David Kimchi, atque imprimis Abrabaniel, qui singulas distributionis hujus partes nummos fuisse usitati ac vulgaris commercii asseverat. De Danielis hebdomadibus sic statuo, priores septem definire spatium, quo urbis instauratio planè est absoluta; sexaginta duas, ut dixi, ad eam usque decurrere, quâ interfectus est Christus, quæ postrema septuagesima est. Itàne verò, inquies, quadraginta novem annis refecta urbs est, cujus murus quinquaginta duobus diebus est absolutus, ut habet liber Nehemiæ? Respondeo propter circumstantes adversarios summâ festinatione muros fuisse excitandos; quibus absolutis lentiores in reliquis operibus fuisse progressus. Non enim muri duntaxat, sed et plateæ fuerunt reficiendæ, juxta Gabrielis prædictum Dan. 9, v. 25: *Rursùm ædificabitur platea et muri.* Nec muros solùm, sed et fossam simul intellige, ut significat Hebraïcum exemplar; neque solùm plateas, sed et publica ædificia, strata viarum, fora, porticus, cisternas, aquæductus, aliaque hujus generis quàmplurima, quæ disturbaverat Nabuchodonosor. Domus etiam tumultuario opere anteà exstructæ, in meliorem formam directis ordinibus metandæ fuerunt. Audiamus Nehemiam (2 Esdr. c. 7, v. 1, 4): *Postquàm autem ædificatus est murus, et posui valvas..... Civitas erat lata nimis et grandis, et populus parvus in medio ejus, et non erant domus ædificatæ.* Audiamus et Sirachiden (Eccli. 49, v. 15): *Et Nehemias in memoriâ multi temporis, qui erexit nobis muros eversos, et stare fecit portas et seras, qui erexit domos nostras.* Quæ non minùs postulabant spatium temporis, quàm templi ipsius ædificatio, cui quadraginta sex annos fuisse impensos Judæi testificantur apud Joannem cap. 2, v. 20, ac tres prætereà externo templi ornatui perficiendo, quemadmodùm ex Josepho Eusebius observat (In Dem. libr. 8.) Eò pertinent verba isthæc Gabrielis Angeli ad Danielem cap. 2, v. 25: *Et rursùm ædificabitur platea et muri, in angustiâ temporum.* Angustiam temporum dicit, pro Hebræorum consuetudine, quod nos angustum tempus diceremus, ut paulò inferius, *Abominationem desolationis*, quod nos abominandam desolationem. Sic apud Isaiam, cap. 18, v. 1, *Cymbalum alarum*, pro eo quod est, cymbalum alatum: sic apud Osee, 1, 2, *Uxor fornicationum*, hoc est, uxor meretrix; sic Paulus dicitur in Actis 9, 15, *Vas electionis*, hoc est, vas electum; sic in Epistolâ ad Romanos 8, 3. *Caro peccati*, dicitur caro facinorosa. Alter prætereà locutioni huic inest Hebraismus, usurpato θετικῷ αὐτὶ τοῦ συγκριτικοῦ, nam *angustum tempus*, hìc sonat, angustius tempus. Sic in Genesi, cap. 25, v. 23, *Major serviet minori*, ubi Hebraica sonant: Magnus serviet parvo. Cùm igitur divisisset Angelus sexaginta novem hebdomadas in septem et sexaginta duas, subjungit: *Et rursùm ædificabitur platea et muri, in angustiore tempore;* è duobus nempè illis temporibus quæ proposuerat; altero septem hedomadum, quod angustius est; altero sexaginta duarum, quod longius. Hoc igitur cùm dixit, perindè est ac si dixisset: Et rursùm ædificabitur platea et muri intrà septem illas hebdomadas.

Primus eas, quas indicavimus, numerandarum Danielis hebdomadum, et intricatæ ac perplexæ prophetiæ exponendæ vias iniit Julius Africanus, cùm peculiari opere De septuaginta hebdomadibus et prophetia Danielis, tùm libro quinto χρονογραφιῶν, unde totam ejus dissertationem repræsentârunt Eusebius libr. 1 Chron. Gr., et libr. 8 Dem., Hieronymus, ni Dan. et Georgius Syncellus Sync. chronogr. ad A. M. 5534. Hunc secuti sunt deindè Theodoretus, Beda, Zonaras, aliique complures. Verùm aliter rationes suas disputat; nam vicesimum annum Artaxerxis addicit anno quarto olympiadis octogesimæ tertiæ, nos primo octogesimæ quartæ; annum verò secundum olympiadis ducentesimæ secundæ, Tiberii decimo sexto, vel potiùs decimo quinto, ut vertit Hieronymus, proclivi in numerorum notis lapsu, nos anno decimo septimo. Finem ille septuagesimæ hebdomadis collocat in morte Christi, nos in anno à morte Christi secundo. Mortem Christi confert in annum decimum quintum, vel decimum septimum Tiberii, quem secun-

dum esse putat olympiadis ducentesimæ secundæ, nos in decimum octavum Tiberii, quem tertium esse statuimus hujus olympiadis. Decurtatas denique ideò dici ab Angelo hebdomadas septuaginta censent Africani sequaces, quòd constent lunaribus annis, qui breviores sunt solaribus; nos sic arbitramur dictas, quòd nondùm totæ præteriissent, cùm prædictæ res exitum habuerunt.

10° Atenim gravi pulsamur argumento, quod tantùm apud Scaligerum et Petavium valuit, ut non aliam ob causam ab hàc sententiâ discesserit uterque; ille etiam, Scaligerum dico, pro suâ αὐθαδείᾳ, anilem, ridiculam, asininam appellare non dubitârit, cùm ipse tamen in absonam penitùs et vitiosam incurrerit. Cujus persuasionis argumentum hoc habuit, lunari anno non usos fuisse Hebræos, sed Agarenos; hos quidem lunarem annum simplicem observâsse, nullâ intercalatione adhibitâ; Hebræos verò, etsi ad lunæ motus menses accommodabant suos, annum tamen juxtà solarem cursum determinâsse, et utriusque anni conciliandi et ad idem principium revocandi gratiâ, embolismos menses lunaribus annis jam indè à Mosis temporibus adjecisse, in quam rem præclara exstat Aben Ezræ testificatio; nec probabile esse Angelum verba facientem ad hominem Hebræum, alterius significationem anni adhibuisse, quàm qui inter Hebræos usu communi erat receptus. Non id utique nesciebat Africanus (apud Euseb. lib. 8, Dem.), qui opinionem suam proponens hàc eam admonitione præmunit: *Græci et Judæi tres embolimos menses ad octo annos adjiciunt.* Non est ergò cur eum inscitiæ quisquam insimulet. Porrò petitionem istam sic excipit Pererius (in. Dan. libr. Quæst 9), idcircò annos lunares præfiniendo vaticinii sui tempore adhibuisse Gabrielem, quòd Hebræis parùm cogniti, nedùm usitati forent; quo nimirùm majori prædictionem suam obscuritate involveret, pro more in vaticiniis recepto; eamdem ob causam per hebdomadas Angelum septem annorum designâsse curricula; et in superioribus capitibus vocabulo temporis, anni spatium non semel expressisse; his ambagibus et involucris rerum futurarum exitus data opera contegentem, ut ab intuendâ nudâ veritate profani vulgi oculos prohiberet; atque idcircò præmonuisse, *septuaginta hebdomadas abbreviatas esse super populum*, ut de vulgatâ et populari annorum hebraicorum formâ delibandum aliquid et decerpendum Daniel intelligeret.

Optimè id quidem, sed et aliâ responsione frangere possumus oppositum argumentum. Danieli prædictionem hanc edidit Gabriel Angelus in ditione Darii Medi, quem ait ipse Daniel *imperâsse super regnum Chaldæorum.* Hinc sequitur probabile esse in annorum designandis intervallis ad eam anni formam spectâsse Angelum, quæ popularis et pervulgata iis erat gentibus, inter quas versabatur Daniel, ad quem tùm verba faciebat. Daniel enim, unus è Darii Medi purpuratis, in actis scriptisve et communi vitæ usu eam temporum putandorum procul dubio rationem tenuit, quam gens illa, cui pro suâ parte regendæ præfectus erat, quam rex ipse, cujus continebatur imperio, tenere consueverat. Etsi ratio id suadet, nec ampliori probatione indiget, minimè tamen possum quiddam prætermittere, quo res validè confirmatur. Antè Babylonicam captivitatem menses non aliter appellare consueverant Judæi, quàm ex numero et ordine quem ii inter se continebant. At postquàm transmigrârunt in Babyloniam, Chaldaica mensium nomina paulatìm adsciscere cœperunt, atque ea in libris suis frequenter adhibuerunt quicumque è Scriptoribus sacris captivitate recentiores sunt. Adeò vulgare est ac proclive, ad eorum, quibuscum versamur et vivimus, mores et usus nos nostraque componere. Ergò vel anni Chaldaici, vel Medici, vel Persici formam Daniel observabat. Qui anni solaresne fuerint, an lunares, incertum planè est, neque de iis quicquam à veteribus scriptoribus est traditum. Nam quæ à Josepho Scaligero super hoc argumento disputata sunt (de emend. Temp. lib. 2 et 3), ea ex proprio conjecturarum suarum penu, nullis veterum subnixus præsidiis, homo confidens et ἰδιογνώμων deprompsit, et à Petavio (de doctr. temp. libr. 3, cap. 4, et 5. et 16) sunt confutata. Et ille tamen lunari anno usos fatetur Chaldæos et Persas, etsi non mero ac simplici. Cùm igitur ex veterum monumentis anni Chaldaici, Medici, et Persici ratio haudquaquàm satis possit intelligi, superbè sanè et confidenter faciunt, qui Julium Africanum, priscum scriptorem, eruditum, et chronologicæ consultissimum artis, de quâ libros ævo sequenti laudatissimos reliquit, et antiquorum commentariis, quibus nunc caremus, instructum reprehendere audent, et de anni lunaris formâ ab Angelo et Daniele usurpatâ pronuntiantem ac statuentem in crimen vocare. Concedamus tamen ultrò Gabrielem Angelum cum Hebræo

homine de rebus Hebræorum disserentem, earumque intervalla ac tempora metantem, ad anni inter Hebræos pervulgati rationem ea exegisse; non sic tamen labefiet Africani sententia. Nam de formâ prisci Hebræorum anni magna est inter chronologos controversia. Solarem ad Macedones usque fuisse ostendere conatus est in Eclogis chronicis astronomus doctrinâ et ingenio præstans Joannes Keplerus. At Petavius, ibid., lib. 1. cap. 8, à quo oppugnatus est Africanus, geminum statuit Hebræorum fuisse annum, lunarem et solarem. Operæ pretium est verba ipsius referre : « Judæi veteres, quorum civilem an« num fuisse lunarem omnes existimant, « licet in civilibus actionibus reliquis ac so« lennibus lunarem annum observarent, ta« men cùm de anno simpliciter loquebantur, « ejusque conversione, solarem intellige« bant. » Tùm alio loco lib. 2, cap. 27, ex Josephi, Philonis, et Agathobulorum duorum auctoritate hæc colligit : « Quare aliquot antè « Christum sæculis saltem lunarem observa« tum esse annum extrà controversiam habe« tur; antè illud verò tempus, atque ex « Moysis instituto, crediderim idem factita« tum; tametsi nihil ex Scripturis evinci « posse videatur. » Hoc ergò teste, duplex erat hebraicus annus, lunaris et solaris, quos certis temporibus ad easdem metas revocare necesse fuit, ad determinandos nimirùm annos Schemitah sive Remissionis, hoc est Sabbathicos, tùm et Jubilæos. In describendis quoque annalibus, solaris anni rationem fuisse habitam non inficior; in communi verò et populari usu lunarem adhibitum fuisse verisimile est, utpotè notiorem populo, cujus captum subtilis hæc embolismorum doctrina superabat. Adeò ut gemina fuerit Judæis temporis putandi consuetudo, altera eruditiorum hominum ac Sacerdotum, per solares annos, perque lunares solaribus accommodatos et intercalationibus emendatos; altera profani vulgi et indocti, per lunares annos simplices embolismis mensibus solutos. Quod ne cui novum videatur, simile quid de Arabibus et Ægyptiis Scaliger opinatus est; sic enim ille libro tertio Canonum Isagogicorum : « Et sanè videtur ipse embolismus apud peri« tiores (Arabes) fuisse; annus autem retextus « apud vulgus remansisse; quemadmodùm « apud Ægyptios anni vagi usus apud vulgus, « intercalatio diei ex quatuor quadrantibus « collecti penes Hierophantas et Sacerdotes « erat. » Græcos quoque veteres duplici usos esse anno constat, altero civili ac vulgari, ad lunæ motus ordinato, recondito altero et sacerdotibus tantùm cognito, ad solis nimirùm curricula exacto. Contrà verò nos Christiani hoc tempore annum habemus duplicem, civilem alterum et popularem, ex motu solis constitutum, alterum ecclesiasticum, paucis intellectum, ad lunæ motus digestum, Sacerdotibus in festis diebus designandis usitatum. Minimè ergò mirandum est duplicem Hebræis fuisse annorum modum, lunarium, et solarium; atque horum usum inter doctos, illorum in vulgo fuisse acceptum; Angelum verò in præfiniendo annorum intervallo vulgi tenuisse morem, et popularem annum adhibuisse. Audiendus omninò super eâ re Theodoretus in Dan. 9 : « Sciendum est enim Hebræos, ad « lunæ cursum annum ordinantes, undecim « dies superstites facere, quos nos etiam inter« calares appellamus. Nam lunæ cursus intrà « viginti novem dies et horas sex absolvitur. « Sic autem numerantes, trecentorum quin« quaginta quatuor dierum annum faciunt. « Cùm ergo sanctus Archangelus beatum Da« nielem, virum Hebræum alloquens, ipsumque « docens annorum numerum, usitatum annum « omninò significaret, necessariò addendi sunt « anni ex intercalaribus collecti. » Atque ex lunæ cursu tempora sua descripsisse vulgus Hebræorum eò credibilius est, quòd à finitimis gentibus idem factitatum videbant. Phœnices enim, Madianitas, Arabes, aliasque lunæ cultui impensè deditas Orientis gentes, anni formam juxtà ejus cursum crediderim digessisse.

11° Alterum, quo sententiam nostram oppugnat Scaliger (Proleg. de emendat. temp.), telum hoc est : perperam ab ejus regis temporibus septuaginta hebdomadum duci initium, cujus toto tempore cessavit ædificatio; « *quod planè,* inquit, *est dicere Esdram falli aut mentiri* » (adsit verbis reverentia), cujus quarto capite legimus, Artaxerxis edicto jussos præfectos, darent operam ne Hierosolyma à Judæis instauraretur, tantâ alacritate rem præstitisse, ut templi exstructio ad annum secundum Darii intermitteretur. Gesta hæc esse fatemur; falli verò Esdram aut mentiri, nec dicimus nec dictum volumus. *Di meliora piis.* Artaxerxem hunc esse Longimanum, id verò pernegamus. Consulantur interpretes, quorum alii Cyrum, alii Cambysen esse putant.

12° Postremum hoc nobis objici potest, pugnare doctrinam nostram cum ipsis Angeli ad

Danielem verbis, cap. 9, v. 27 : *Et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium;* quibus significatur in dimidio septuagesimæ hebdomadis letho datum iri Christum; nos verò, non in dimidium postremæ hujus hebdomadis, quartum videlicet annum, sed in quintum conjicere mortem Christi. Hujus argumenti facilis depulsio est; nam quod vertit Vulgatus interpres, *Et in dimidio*, hebraice scriptum est › ‏וחצי‏, à verbo ‏חצה‏, *divisit*, *distribuit in duas partes*, sive æquales illæ sint, sive non sint. Sic decimo sexto capite tertii Regum, v. 21 : *Tunc divisus est populus Israel in duas partes*, ‏לחצי‏. In hâc divisione qui accuratam partium æqualitatem quæsiverit, hallucinabitur. Indè fit ut interpretes quidam, non tempus inter partes duas æquales medium hìc significatum velint, sed alteram è dimidiis partibus, quâ se circumagente Christus obiturus sit.

13° Perrogandæ nobis deinceps supersunt Judæorum sententiæ; quod priusquàm facere ingrediamur, ut facilior earum confutatio sit, in Domino Jesu eventum habuisse hoc Danielis oraculum probabimus. Ubicumque enim septuaginta putandarum hebdomadum ponas initium, planè elapsas eas esse necesse est. Atqui exactis iis ungi debuit Sanctus sanctorum, nasci Christus, et occidi. Ergò unctum esse Sanctum sanctorum, natum et occisum Christum fatendum est. Hoc deindè occiso, dirui debuerunt templum et urbs. Atqui hæc diruta sunt. Ergò ille occisus est. Prætereà in dimidio postremæ hebdomadis abrogari debuerunt sacrificia et veteris Legis cæremoniæ. Atqui abrogata ea sunt. Ergò postrema hebdomas præteriit. Ad hæc septuaginta hebdomadibus hic præstitutus est finis, ut obliterentur delicta hominum, ut æterna adducatur justitia, et ut compleantur vaticinia Prophetarum. Atqui hæc in Christo nacta esse exitum partìm demonstravimus suprà, partìm demonstraturi sumus. Ergò venit Christus. Adversùs ea nulla valere potest exceptio. Itaque apud Hieronymum (in Dan.) sic disserit Africanus : « Nulli dubium, quin de adventu Chisti prædictio sit, qui post septuaginta hebdomadas mundo apparuit, post quem consummata sunt delicta, et finem accepit peccatum, et deleta est iniquitas, et annuntiata justitia sempiterna, quæ Legis justitiam vincet, et impleta est visio et prophetia. » Primores quidem Rabbinorum ad Christum pertinere hoc Gabrielis oraculum haudquaquàm sunt inficiati : non R. Barachias in Beresith Rabba; non R. Moses ben Nachman in Danielem; non is R. Samuel, cujus epistolam ad R. Isaac exhibet Dionysius Carthusianus. Verum quo liquidiùs appareat, rectè id eos, atque item Christianos, meritòque sentire, singulas hujus prædicti partes attentiùs paulò perlustremus. « Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum. (Dan. c. 9, v. 24.) Noxas hominum eluere, eosque redimere, præcipuum fore Christi munus Prophetæ omnes uno ore cecinerunt, atque id in Jesu completum fuisse manifesto docebimus infrà ex Evangeliis. Præclarum hoc Isaiæ c. 61, v. 1 et seq. : « Spiritus Domini super me, eo quòd unxerit Dominus me; ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et prædicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem, ut prædicarem annum placabilem Domino. » Utrobique prædicitur Unctus, sive Christus, ad id mittendus, ut hominum eluat peccata, et Deum propitiet. Præclarum et illud Zachariæ cap. 3, v. 8, 9: « Ecce enim adducam servum meum Orientem... et auferam iniquitatem terræ illius in die unâ. » Hinc Petrus in Actis (cap. 10, v. 43) de Jesu : « Hinc omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes qui credunt in eum. » Hinc de eodem Paulus ad Romanos cap. 3, 34 et seq. : « Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem, in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum, in sustentatione Dei, ad ostensionem justitiæ ejus in hoc tempore; ut sit ipse justus, et justificans eum, qui est ex fide Jesu Christi; » et ad Colossenses (cap. 2, v. 13, 14 : « Et vos, cùm mortui essetis in delictis, et præputio carnis vestræ, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta, delens quod adversùs nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci. » Plura qui volet, Parallelismum consulat, undè intelligi poterit delicta hominum, quæ lex vetus detergere non potuerat, ea sanguinem Christi, quantùm in ipso erat, eluisse; cujus fructu nemo nisi volens fraudari queat. Valdè sanè ineptus est R. Selomoh, qui hæc interpretans ait, post templi

ac urbis cladem, futurum ut peccatis abstineat Judaica gens, jusque et fas colat. Nam cui persuadeat Judæos, tùm cùm idolorum cultui dediti essent, et in omnem impietatem profusi, levi brachio à Deo fuisse castigatos, paternamque ipsius benignitatem identidem sensisse, laribus suis, undè ejecti fuerant, restitutos, et hostium, à quibus oppressi fuerant, dominatu exemptos; nunc verò, cùm nullius sunt culpæ affines, uti quidem vult Selomoh, justitiamque incorrupto tenore retinent, tot annorum affligi calamitatibus, opprobriis, suppliciis, nulla melioris statûs ostentatâ spe? Adde per versos Judæorum mores in Thalmude non semel carpi; et in primo capite Thalmudici libri Joma causam moræ Messiæ conferri in stupra virginibus oblata Nahardeæ, ubi celebris fuit Judæorum academia; contrà verò affirmare R. Judam in libro Sanhedrin, capite undecimo, quo tempore veniet Messias, infames fore impudicitiâ et corruptelâ doctorum Judæorum conventus. Justitiam porrò illam sempiternam, quid aliud esse dicamus quam Christum ipsum, vel individuam Christi comitem justitiam, de quâ Jeremias, cap. 33, v. 15 : « In diebus illis, et in tempore illo, germinare faciam David germen justitiæ; faciet judicium et justitiam in terrâ. » Et Malachias cap. 4, v, 2 : « Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ. » Isaias quoque, cap. 45, v. 8 : « Rorate cœli desuper, et nubes pluant Justum; aperiatur terra, et germinet Salvatorem, et justitia oriatur simul ; » tùm alibi, cap. 61, v. 11 : « Sicut enim terra profert germen suum, et sicut hortus semen suum germinat, sic Dominus Deus germinabit justitiam. » Sanè R. Levi in hujus prædictionis interpretatione pessimè versatus, non aliud tamen *justitiam sempiternam* hìc significare quam Messiam fatetur. Ergò Paulus in priore ad Corinthios cap. 1 v. 30 : « Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia à Deo, et justitia : » et in sequenti Epistola cap. 5, v. 21 : *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* Quod autem subjicit Gabriel : *Et impleatur visio et prophetia,* hujus duplex præcipuè potest esse intellectus; nam vel finem prophetiis Christo nato impositum iri vult, quod confirmat Jesus apud Matthæum cap. 11, v. 13 : *Omnes enim Prophetæ et lex usque ad Joannem prophetaverunt.* Quò pertinet et istud in Epistolâ ad Hebræos cap. 1, v. 1, 2 : « Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio. » Atque hoc eventu completum cernimus; cùm nulli in hâc Judæorum fæce ac colluvie Prophetæ existant, nulla eos Dei aspiratio prosequatur, nullisque miraculis Dei adversùm se favorem agnoscant. Vel ad Christum spectare omnia Prophetarum oracula significat Angelus, quod et de se in Joanne prædicat Jesus : « Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, et illæ sunt quæ testimonium perhibent de me, » Joan. cap. 5, v. 39. » Et apud Matthæum, cap. 5, v. 17 : « Nolite putare quoniam veni solvere Legem aut Prophetas ; non veni solvere, sed adimplere. » Prædicat et Paulus in Epistola ad Romanos cap. 10, v. 4 : « Finis enim Legis Christus, ad justitiam omni credenti. » Eum denique Sanctum sanctorum, quem ungendum esse vaticinatur Angelus, Messiam esse demonstrat istud è Psalmo quadragesimo quarto, v. 8 : « Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis ; » quæ in Jesum confert Paulus in Epistolâ ad Hebræos, cap. 1, v. 8, 9. Et hoc Isaiæ, cap. 61, v. 1 : « Spiritus Domini super me, eo quòd unxerit Dominus me ; » quod de se itidem prædictum esse Jesus in Nazarenâ Synagogâ palàm professus est. (Luc c. 4, v. 17 et seq.) Petrus etiam in Actis, cap. 10, v. 37, 38 : « Vos scitis quod factum est verbum per universam Judæam ; incipiens enim à Galilæâ, post baptismum quod prædicavit Joannes, Jesum à Nazareth, quomodò unxit eum Dominus Spiritu sancto. » Adscribitur et Jesu in Actis, cap. 4, v. 26, 27, prædictio hæc è Psalmo secundo : « Adstiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum, adversùs Dominum, et adversùs Christum ejus. Convenerunt enim verè in civitate istâ adversùs sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes et Pontius Pilatus ; » ubi Sanctus et Unctus, perindè ut apud Danielem Jesus nuncupatur. Sic et homo ille dæmone vexatus apud Marcum, cap. 1 v. 23, 24 : « Quid nobis et tibi, Jesu Nazarene? venisti perdere nos ? scio quis sis, Sanctus Dei. » Sic et Petrus in priore Epistola, cap. 1, v. 14 et seq. : « Secundùm eum qui vocavit vos Sanctum, et ipsi in omni conversatione sancti sitis : quoniam scriptum est : Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum. » Joannes quoque in primâ itidem Epistolâ, cap. 2, v. 20 : « Sed vos unctionem habetis à Sancto ; » et in Apocalypsi, cap. 3, v. 7 : « Et Angelo Philadelphiæ Ecclesiæ scribe : Hæc dicit Sanctus et Verus,

qui habet clavem David. » Plura è Parallelismo nostro peti poterunt. Atqui hoc Danielis oraculum, etsi apertam continet Messiæ prædictionem, plus tamen suo cum aliis prophetiis consensu valuisse puto, ad exprimendam ab Hebræis magistris veritatis confessionem, quos suprà docui hoc ad Christum retulisse. Pergit Gabriel Angelus (Dan. c. 9, v. 25, 26) : « Scito ergo et animadverte ; Ab exitu sermonis, ut iterùm ædificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem et hebdomades sexaginta duæ erunt; et rursùm ædificabitur platea et muri, in angustiâ temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, et non erit ejus populus qui eum negaturus est. » Christum illum ducem, Jesum esse probant ista Matthæi, cap. 2, v. 4, 5 : Sciscitabatur ab eis, ubi Christus nasceretur; at illi dixerunt ei : In Bethlehem Judæ ; sic enim scriptum est per Prophetam : Et tu, Bethlehem, terra Juda, nequaquàm minima es in principibus Juda ; ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israel. » Propheta ille, Michæas est, cui concinit Isaias, cap. 55, v. 2: « Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus. » In nece verò ejus prædicendâ Prophetæ consentiunt. Sic David, Psalm. 21, v. 15 : In pulverem mortis deduxisti me, quoniam circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me, foderunt manus meas et pedes meos. » Sic Isaias, cap. 53, v. 7 : Sicut ovis ad occisionem ducetur. » Sic Zacharias, cap. 12, v, 10 : « Aspicient ad me quem confixerunt, et plangent eum planctu, quasi super unigenitum, et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti. » Quæ in Jesum Dominum convenire docebit noster Parallelismus, et de se Jesus ipse apud Emmauntios viatores prædicabat : « Tunc aperuit illis censum, inquit Lucas, cap. 24, v. 45, 46, ut intelligerent Scripturas, et dixit eis : Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati. » Prædicabat et de eo Philippus apud Eunuchum Candaces reginæ, quem cùm proximè memoratam Isaiæ de Christi interitu prædictionem legentem offendisset, « Incipiens à Scripturâ istâ evangelizavit illi Jesum. » (Act. c. 8, v. 3o et seq.) Quod autem subest : « Et non erit ejus populus, qui eum negaturus est, « aliter hebraicè scriptum exstat : ואין לו, *Et non ei;* sive potius, *et non sibi*, hoc est : Et non propter se occidetur ; quæ postrema vox ἀπὸ κοινοῦ repetenda est. Nempè hoc ipsum est, quod de eo nuntiaverat Isaias, cap. 53, v. 4 et seq. : « Verè languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit... Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras; attritus est propter scelera nostra ; disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus... Propter scelera populi mei percussi eum... et ipse peccata multorum tulit. » Cui adstipulatur Jeremias in Threnis, cap. 4, v. 20 : « Christus Dominus captus est in peccatis nostris. » Atque id muneris obiisse Jesum Christum, et de se ipse sæpiùs, et novi Testamenti Scriptores passim affirmant, ut constabit ex nostro Parallelismo. Sic demùm prophetiam hanc Angelus absolvit, Dan. c. 9, v. 26, 27 : « Et Civitatem et Sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomadâ unâ, et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium : et erit in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio. » Hanc propter interemptum Christum irrogandam Judæis pœnam jam antè præviderat David, cùm diceret Psalm. 68, v. 26, 27 : « Fiat habitatio eorum deserta, et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet : quoniam quem tu percussisti persecuti sunt, et super dolorem vulnerum meorum addiderunt. » Præviderat item Zacharias, cum diceret, cap. 13, v. 6 et seq., et cap. 14, v. 1 et seq. : « Et dicetur ei : Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum ? Et dicet : His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me... Ecce venient Dies Domini, et dividentur spolia in medio tuį ; et congregabo omnes gentes ad Jerusalem in prælium, et capietur civitas, et vastabuntur domus. » Præviderat et Osee, cùm diceret cap. 3, v. 4 : « Quia dies multos sedebunt filii Israel sine rege et sine principe. » Atque hæc clarissimis ac repetitis oraculis à veteris Testamenti Prophetis tantò antè prædicta Jesus ipse Judæis denuntiavit : ***Ecce relinquetur vobis domus*** *vestra deserta.* » (Matth. c. 23, v. 38.) Item de templo : Non relinquetur hìc lapis super lapidem, qui non destruatur... Cùm ergò videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele prophetâ, stantem in loco sancto, qui legit, intelligat ; tunc qui in Judæâ sunt, fugiant ad montes. » (Matth. c. 24, v. 1 et seq.) Rursùs de Hierosolymâ : « Venient dies in te, et circumdabunt te, et coangustabunt te undique, et ad terram prosternent te, et filios tuos qui in te sunt, et non relinquent in te lapidem super

lapidem, eo quòd non cognoveris tempus visitationis tuæ. » (Luc c. 19, v. 41 et seq.) Quæ nos item complectemur in Parallelismo, ubi et pacti illius, quod confirmatum iri prædicit Gabriel, sequestrum fore Christum Jesum demonstrabimus. Nam quid aliud sibi velle dicas istud Isaiæ, cap. 42, v. 6, et cap. 49, v. 8, et cap. 55, v. 3, 4 : « Dedi te in fœdus populi ; » et hoc : «Feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles ; ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus ? » Similia his habent Ezechiel, cap. 16, v. 60, 62, et Osee, cap. 2, v. 18 et seq. et Osee, cap. 2, v. 18 et seq., et sæpè Jeremias, potissimùm verò cùm ait, c. 31, v. 31 et seq. : « Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et feriam domui Israel, et domui Juda fœdus novum ; non secundùm pactum quod pepigi cum patribus eorum... pactum quod irritum fecerunt... Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus : Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam. » Quam prædictionem per Jesum fuisse perductam ad exitum in Epistolâ Pauli ad Hebræos accuratè declaratum est. (Hebr. c. 8, v. 6 et seq.) Sacrificiorum Judaicorum abrogatio, quæ deinceps ab Angelo prædicta subest, à Davide quoque præcinebatur his verbis, Psal. 39, v. 7 et seq. : « Sacrificium et oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi. Holocaustum, et pro peccato non postulasti ; tunc dixi : Ecce venio. » Quæ in Jesu contigisse probat Paulus in Epistolâ ad Hebræos, cap. 40, v. 4 et seq., et nos in Parallelismo probabimus. Quo loco et Oseam de Israele sic disserentem producemus : «Cessare faciam omne gaudium ejus, solemnitatem ejus, neomeniam ejus, sabbathum ejus, et omnia festa tempora ejus. » (Osee, c. 3, v. 4.) Producemus eumdem monentem Israelitas, futurum ut diù sedeant, non sine rege solùm, et sine principe, sed *et sine sacrificio, et sine altari, et sine Ephod, et sine Theraphim.* Producemus et hoc Amosi, cap. 5, v. 21 : « Odi et projeci festivitates vestras, et non capiam odorem cætuum vestrorum ; » et hoc Malachiæ, cap. 1, v. 10, 11 : « Quis est in vobis qui claudat ostia, et incendat altare meum gratuitò ? non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suspiciam de manu vestrâ ; ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda. » Id significabat Christus Jesus, cùm moriens diceret, *Consummatum est* (Joan. 19, v. 30) ; et cum *velum templi scissum est.* (Matth. c. 27, v. 51.) Ruinas deindè urbis et templi nunquàm instauratum iri prædicit, quod populares suos jam antè monuerat Isaias, c. 24, v. 2 : « Posuisti, inquit Deum alloquens, civitatem in tumulum, urbem fortem in ruinam, domum alienorum, ut non sit civitas, et in sempiternum non ædificetur ; » et alibi, cap. 5, v. 25 : « Ideò iratus est furor Domini in populum suum, et extendit manum suam super eum, et percussit eum, et conturbati sunt montes, et facta sunt morticina eorum quasi stercus in in medio platearum. In his omnibus non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta. » Eadem est sententia istorum Jeremiæ, cap. 19, v. 11 : «Hæc dicit Dominus exercituum : Sic conteram populum istum, et civitatem istam, sicut conteritur vas figuli, quod non potest ultrà instaurari. » Id suffragio suo Jesus ipse confirmavit, cùm hâc denuntiatione Judæos perterrefaceret : *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* (Matth. c. 23, v. 27.) Rei veritatem comprobavit eventus ; nam cùm ad instaurandum templum sese comparâssent Judæi sub Adriano et Constantino, ab his quidem fuerunt prohibiti ; sed id tertium Juliani imperatoris nutu attentantes vis divina prodigialiter compressit ; nam inceptum opus motu primùm terræ disturbatum est, deindè è fundamentis erumpentes flammæ Judæos rei auctores invasêre. Christianorum scriptorum temporis illius et proximè sequentis vix ullus rem pressit silentio. Adiri præcipuè velim Chrysostomum, cùm alibi passìm, tùm maximè Sermone tertio contrà Judæos. Quodque omnem dubitationem tollit, Ammianus Marcellinus, lib. 23, scriptor ethnicus, minimè vanus, quique sub Juliano stipendia meruit, portentum illud testificatione confirmavit suâ. Nec nos ista in Parallelismo prætermittemus.

14° Nunc exploremus Judæorum sententias. Horum alii, nec postremi inter illos, nec recentes, vi veritatis convicti, in Messiam oraculum hoc, ut dixi, contulerunt. Scribunt Thalmudistæ Jonathanem, Chaldæum paraphrasten Prophetarum, cùm ad interpretanda hagiographa se accingeret, monitum fuisse per Bath col, ne faceret ; quippè ab iis enim, Daniele nimirùm, prædictum esse tempus adventûs Messiæ, qui finis est. Alii contrà insimulare erroris Danielem fœdissimis ipsi erroribus impliciti per summam impudentiam ausi sunt, cùm non aliâ adversùs oraculi perspicuitatem

præscriptione uti possent. Pari audaciâ Porphyrius, nullis prolatis rationibus, librum hunc Antiochi Epiphanis temporibus conscriptum finxit, rerumque gestarum narrationes, non futurarum prædictiones, illic contineri. Quam insaniam suo loco castigavimus. Tolerabiliore alii errore legitimum sententiæ intellectum pervertere conati sunt. Quidam enim, non hic hebdomadas annorum, sed decenniorum, quos Origenes secutus est (in Tract. 29, in Matth.), vel Jubilæorum, vel centum annorum intelligunt, sed parata eorum est confutatio. Nam civitatem et templum excisum iri post septuaginta hebdomadas; sacrificia verò in medio postremæ hebdomadis abolitum iri prædicit Daniel. Atqui multò antè hæc evenerunt, quàm forent elapsæ hebdomades decem vel quinquaginta vel centum annorum, undecumque tandem numerandi ducatur exordium; cùm alioquin hujusmodi hebdomades nullo Scripturæ sacræ, vel sui Thalmudis testimonio Judæi nobis approbare queant. Puduit hujus commenti magistros plerosque, et repudiatis his hebdomadibus, cùm hebdomades dierum nihilò magis locum haberent, in hebdomadibus annorum, quas idoneo Levitici loco, cap. 25, v. 8, niti sciebant, quadrigentorum videlicet et nonaginta annorum spatio acquieverunt. Sic Saadias Gaon, et Aben Ezra in Danielem; sic auctor libri qui Domus Israel inscribitur; sic et Seder olam.

15° Verùm in hebdomadum metandis intervallis, per summam historiæ et chronologicæ artis inscitiam immaniter lapsi sunt. Narrat enim Hieronymus veteres quosdam ex hoc grege, hebdomadum putandarum exordium à primo anno Darii Medi repetere, quo anno oraculum hoc Gabriel effatus est; sexaginta verò duarum hebdomadum finem conjicere in tempora excisi à Tito templi, auspiciis Vespasiani; undè rursum deductas hebdomades septem in clades ab Adriano Judæis illatas conferri; postremam verò hebdomadem, seorsùm ab Angelo commemoratam, juxtà nonnullos ex illis, in Vespasianum et Adrianum ex æquo distrahi. Verùm qui nobis absurdum hoc commentum retulit Hieronymus, idem ejus refellendi argumentum subministravit, ex chronologiâ petitum. Certè à primo Darii Medi anno, ad initum ab Adriano imperium, anni plus septuaginta suprà sexcentos excurrunt. Consultiùs paulò factum est ab Origene, libro decimo Stromatum, et Tertulliano, libro quem adversùs Judæos scripsit, cùm exordio hebdomadum sumpto ab eo tempore, quo prædictionem hanc Danieli Angelus edidit, primo nempè anno Darii Medi, eas in adventu Christi aut morte concludunt. Quanquàm et ipsi in magno errore versantur; nam hebdomadum est novem et septuaginta intervallum, inter Darii primum annum, et ortum Christi.

16° Stolidus quoque Judæis iis error illusit, qui posito hebdomadum initio in primâ templi eversione, finem in secundâ constituunt, et per septuaginta annos jacuisse templum volunt, viginti verò suprà quadringentos toto huic adscribunt spatio, quo templum secundum stetit; ex quibus numeris summam quadringentorum et nonaginta annorum, sive septuaginta hebdomadum colligunt; ut inter templi utriusque cladem, et quæ per Nabuzardanem primo, et quæ per Titum secundo illata est, spatium illud decurrat. Hanc sententiam tuentur, non R. Selomoh solùm, et Saadias Gaon, et Seder olam Rabba, sed ipsum etiam Thalmud in primo capite Avoda Zara. At ejus vitiositatem solerter deprehendit Aben Ezra, et in Saadiâ castigavit. Et meritò quidem: nam si à captis undecimo Sedeciæ anno Hierosolymis, et incenso templo, ad Vespasiani secundum, quo Hierosolyma et templum à Tito deleta sunt, numerum ducas, nonaginta quatuor hebdomades annorum exsurgent.

17° Cùm autem ad singulas vaticinii partes exponendas ventum est, valdè æstuant. Nam à sequentibus excerpunt verba hæc Angeli: ***Ab exitu sermonis, ut iterùm ædificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem.*** et Christum illum R. Saadias et R. Selomoh Cyrum, R. Levi Jesum Josedeciden, alii Zorobabelem esse putant, contrà veterum Hebræorum sententiam, quos refert Hieronymus Messiam hìc significatum sensisse. Verùm præterquàm quòd decurtata Angeli verba proferunt, ac postremâ suî parte mutila, quæ sicut jacent repræsentari debuerant: ***Ab exitu sermonis, ut iterùm ædificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duæ erunt*** (quanquàm et hæc à Pagnino disjuncta sunt), perperàm priora commatis verba accipiunt, ac si scriptum foret: ***Ab exitu sermonis, ut exscindatur Jerusalem.***

18° De Christo etiam, quem post hebdomades sexaginta duas occisum iri prædicit Angelus, nihilò meliora afferunt Judæi. Sacerdotium interpretantur R. Levi in Danielem, et Saadias Gaon in Sepher Haemunoth; Templum Jachiades. In Agrippam verò juniorem id confert R.

Selomoh, quem à Romanis trucidatum fuisse scribit, cùm templum secundum exscinderetur. Magna inest his opinionibus labes, quòd hebdomadas Hierosolymitanam usque ἁλώσιν proferunt. Alterum quoque vitium acutè animadvertit Raymundus Martini (Pug. Fid., Part. 2, cap. 3, §. 29), quòd neque Sacerdotes, neque reges, qui post solutam captivitatem Judæis præfuerunt, Christi, sive uncti fuerunt. Quinque enim rebus templum primum secundo antecelluisse Judæi docent, quarum duæ fuerunt Oleum unctionis, et Spiritus sanctus, sine quibus nulla esse potest legitima unctio, nec quisquam Christi titulum meritò consequi. Cùm iis ergo templum secundum caruerit, qui eo cadente regium et pontificale obtinebant munus, Christi haudquaquàm fuerunt. Alio præterea, eoque gravi laborat vitio ea opinio, quæ Agrippam minorem decernit Christum hunc esse, cujus mortem prædixit Angelus. Eum quippè Romanorum partes fuisse secutum, et Hierosolymis, tùm cùm expugnarentur, abfuisse, belloque huic annos aliquot fuisse superstitem, Josephi (de bell. Jud. libr. 2, cap. 16, et de vitâ suâ) et Taciti (Hist. libr. 5) historiæ demonstrant. At prisci illi Hebræi, quorum sententiam retulit Hieronymus (in Dan. c. 9), hæc ad Messiæ mortem pertinere candidè, ut dixi, confessi sunt.

19° Privatìm refellendus venit Aben Ezra, cùm propter insignem hominis apud suos auctoritatem, tùm quòd suos ipse populares, velut meliùs quidpiam allaturus, refellere instituit. Primùm is Saadiam arguit, quòd septuaginta annos à primi templi clade ad secundum Darii interposuerit. Hæc enim sunt verba Saadiæ in Dan. c. 9 : *Septuaginta anni captivitatis Babylonicæ, jàm indè ex quo Nabuchodonosor evertit templum, usque ad annum secundum Darii :* Hystaspidæ nimirùm. Septuaginta annos interesse negat Aben Ezra (in Dan. 9); quadraginta solùm et novem annos interesse vult. In quo suus ipsum calculus fallit : nam juxtà computationem Petavii (quam alii aliter ineunt) ab excidio primi templi ad solutam per Cyrum captivitatem, anni intercedunt circiter quinquaginta; indidem verò ab excidio templi hujus ad secundum annum Darii Hystaspidæ, anni excurrunt propemodùm septuaginta. Tùm ipse deindè Aben Ezra hebdomadum numerum proficisci vult, *Ab exitu sermonis, in oratione*, nempè ab anno primo Darii Medi, quo Daniel orationem hanc fudit ad Deum, quæ exstat nono ipsius capite. Indè computat septem hebdomadas ad profectionem Nehemiæ, quæ in annum Artaxerxis Longimani vicesimum incidit, cùm intercedant hebdomades plus quindecim. Ab hoc deindè Artaxerxis anno numerat sexaginta duas hebdomadas cum dimidiâ ad secundi templi conflagrationem, cùm plus tres suprà septuaginta intercedant. Indè patet *Christum ducem*, ex ipsius sententiâ, esse Nehemiam, ac si dixisset Angelus id tantùm : *Ab exitu sermonis, ut iterùm ædificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem;* cùm dixerit : *hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duæ erunt*. Secundum denique Christum, quem occidendum prænuntiat Angelus, regiam potestatem denotare putat, quæ inter Judæos cum templo et urbe delendâ esset. In quo multiplex inest hallucinatio; nam, ut dixi, legitimâ unctione post templi primi occasum caruerunt Judæi; proptereàque Christi haudquaquàm fuerunt, qui populum Judæum stante templo secundo rexerunt. Deindè nec cùm templo secundo regia potestas inter Judæos exstincta est, cùm et Agrippa rex cladi huic diù fuerit superstes, ut cognoscitur ex Josephi vitâ à Josepho ipso conscriptâ.

CAPUT IX.

Jesus natus de Virgine.

Isa. c. 7, v. 14 : « Propter hoc dabit Dominus vobis signum : Ecce virgo concipiet et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. »

Jerem. c. 31, v. 22 : « Usquequò deliciis dissolveris, filia vaga? quia creavit Dominus novum super terram : Femina circumdabit virum. »

Ezech. c. 44, v. 2, 3 : « Hæc dicit Dominus ad me : Porta hæc clausa erit : non aperietur, et vir non transibit per eam; quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa principi. Princeps ipse sedebit in eâ, ut comedat panem coràm Domino; per viam portæ vestibuli ingredietur, et per viam ejus egredietur. »

Matth. c. 1, v. 18 *et seq.* : « Christi autem generatio sic erat : cùm esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequàm convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. Joseph autem vir ejus, cùm esset justus, et nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens : Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in eâ natum est, de Spiritu sancto est; pariet autem Filium, et vocabis nomen ejus Jesum; ipse enim salvatum faciet

populum suum à peccatis eorum. Hoc autem factum est, ut adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem : Ecce Virgo in utero habebit, et pariet Filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel. Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum, et vocavit nomen ejus Jesum.»

Luc. c. 1, v. 26 *et seq.*: « In mense autem sexto missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Virginis Maria...... et ait Angelus ei : Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum ; ecce concipies in utero, et paries Filium, et vocabis nomen ejus Jesum...... Dixit autem Maria ad Angelum : Quomodò fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus dixit ei : Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi ; ideòque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. »

1° Ostendimus jam suprà pertinere ad Messiam celeberrimum hoc Isaiæ oraculum : *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum : Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium ; et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Multa verò illic attulimus ad præsens institutum opportuna, quæ antè repeti jubemus et cognosci, quàm progressus fiat ad sequentia, quibus idem hoc oraculum in Jesu demùm, qui Mariâ Virgine natus est, eventu completum esse probaturi sumus. Tribus adversùs prophetiæ hujus veritatem et Christianorum interpretationem exceptionibus uti solent Judæi. Ac primùm hebraicam dictionem hoc loco usurpatam, עלמה, non Virginem, sed puellam adolescentulam, sive integram, sive corruptam significare portendunt. Aiunt prætereà, etiamsi concedatur vocabulo עלמה, virginem notari, non indè effici virginem notari quæ virginitatem in conceptu et partu retinuerit, sed quæ aliarum more puellarum delibatâ virginitate filium conceperit et enixa sit. Denique ut ea significetur virgo, quæ integritatem in partu et conceptu servaverit, id tamen in Mariam matrem Jesu neutiquàm convenire volunt ; quo in errore, non Judæi solùm, sed Judæorum etiam fraterculi, Carpocrates, Cerinthus, et Ebion, Nazaræi quoque et Helcesæi sunt. Nos hæc silligatim refellemus.

2° Judæi igitur de significatione vocabuli עלמה sic disputant : eâ notari puellam quamcunque, sive virum expertam, sive intactam ; sive nuptam, sive innuptam. Sic R. David Kimchi in libro Radicum, qui et עלמה nihil differre ait à נערה, quâ dictione puella quæcumque, sive integræ virginitatis, sive imminutæ vulgo significatur. Quæ verò virgo sit, eam proprio vocabulo בתולה exprimi contendunt ; ità ut עלמה ætatem indicet, בתולה virginalem corporis integritatem ; proindè Interpretes Aquilam, Theodotionem, et Symmachum vertisse νεᾶνιδα, non παρθένον ; in Cantico etiam Salomonis, cap. 1, v. 1, 3, et 6, 7, in eumdem sensum usurpari vocem עלמות, quippè amatoriis rebus virgines adhibere fuisse indecorum; in Proverbiis dictione hâc manifestò eam notari, cap. 30, v. 19, quæ viriles congressus experta sit. Quæ cum ità sint, absurdum fuisse dicunt in prædicendâ re tanti momenti, quanti fuit Christum de Virgine matre nasci, quod ad Christiani nominis pertineret decus, ancipiti voce uti Prophetam.

Nos verò dictionem עלמה, ancipitem esse, et in puellam, sive quæ virum passa sit, sive quæ ejus sit expers, congruere præcisè negamus; sed ei convenire affirmamus, quæ virginitatem adhibitâ custodiâ servaverit, ad eamque custodiendam abstinuerit publico, et intrà παρθενῶνος septa sese continuerit ; עלמה enim idem esse ac *absconditam;* à themate עלם; quamobrem vocabulum hoc, quod Rebeccæ tribuitur in Genesi, cap. 24, v. 43, vertisse Aquilam *absconditam*, ut observatum est ab Hieronymo in Isai. c. 7. Magnâ à veteribus diligentiâ asservabantur virgines, et ab omni ferè virorum accessu prohibebantur. Mentio fit in libro Esther, cap. 2, v. 11, 15, *domûs in quâ electæ virgines servabantur* apud Persas, appositis earum custodiæ eunuchis. Alexandrum laudat Plutarchus hoc nomine, quòd Darii uxorem ac filias ab omni petulantiâ ità tutas præstiterit, ac si non in hostilibus castris, sed in occulto intrà sacros παρθενῶνας ab hominum conspectu remotæ fuissent. Judæi quoque concludebant virgines, ut ex secundo Machabaico, et ex tertio apocrypho cognoscitur. Est apud Josephum, lib. 7 Antiq., cap. 7, Amnonem, Davidis filium, vix Thamaris sororis, quam amabat, fieri compotem potuisse, propter ipsius virginitatem, *propter accuratam custodiam* quâ servabatur. Philo ait : « Feminis autem convenit custodia domus, et assidua intùs mansio; et virginibus quidem, intrà penetralia quæ mediâ casâ continentur, mulieribus verò jam maturis, intrà reliquam domum. » Heliodorus,

Æth. lib. 5 et 6, Charicleam in Ægypto cum Nausicleâ puellâ, « in gynæceum seorsùm secessisse » ait; et deindè, dùm hæc Cnemoni nuberet, illam « solam ab aliis segregatam in solitum conclave venisse, et fores ad securitatem clausissè; » vecte nempè intùs objecto, quem nisi dimoveret ipsa, ostium aperire nemo posset. Elegans est in Achillis Tatii Erotica, *lib.* 2, historia thalami descriptio, Tyri in viri opulenti ædibus constructi, et mulieri cuidam, filiæ, ancillæ, ad habitandum, penumque asservandum concessi. Is in aliquot cellas, seu cubicula distributus erat; ad ea per angustam semitam erat aditus; semitæ ipsius limen porta muniebat, quâ quæcumque intrà thalamum erant omnia continebantur. Hanc mater cubitum discedens, intùs ipsa quidem claudebat, forìs verò claudi curabat, sibique per foramen claves tradi. Quæ eo refero, ut appareat quanta in his oris matrum esset in filiarum tuendâ virginitate sollicitudo. Intrà munitas etiam turres à Græcis fuisse aliquandò conclusas ostendunt Danaes, Herus, et filiarum Lycomedis fabulæ. Ad quarum exemplum Rhodanthen suam in turriculam à patre conclusam finxit Theodorus Prodromus, lib. 2, p. 65, undè vix unquàm pedem huic licebat efferre, ne lascivis obtutibus virorum objiceretur. Ferè autem intrà materni thalami claustra cohibebantur. Undè Hesiodus ventorum frigoribus obnoxiam non esse virginem ait :

Quæ intrà domum propè caram matrem manet,
Nondùm operum aureæ Veneris perita.

Hero puellam scribit Musæus intrà turrim, ut dixi, à parentibus inclusam, pudoris et castitatis studio æqualium suarum ac juvenum cœtus et tripudia vitâsse. In Euripidis Phœnissis, regia puella Antigone, cùm exercitum Argivorum de summo tecti fastigio spectare vellet, conclavi non exit sine matris licentiâ, et senis nutritii, viri gravis ac sapientis comitatu; qui priusquàm virgo prodeat, vicina ipse lustrat loca, ne in curiosi alicujus oculos temerè hæc incurrat. Phocylides in Præceptis :

Virginem autem custodi intrà thalamos diligenter,
Neque eam sinas antè domum videri, quoad nupserit.

In Terentii Eunucho, quæ Comœdia palliata est, Thais, quamvis meretrix, Chæreæ habitum eunuchi, speciemque gerenti commendat virginem, edicit ne vir quisquam ad illam adeat, et ne ab eà abscedat ipse imperat, in interiore parte ædium maneat solus cum solâ. Virginem Catullus, Carm. Nupt., comparat flori secreto in septis hortis nascenti, tutoque à pecoris aut aratri accessu. Sibylla eadem et virgo dicitur à Virgilio, et intrà immanis antri secreta delitescere fingitur, propthereàque *Alma* non semel appellatur, ἐπιθέτῳ ex re concinne adjuncto. Statius ex Virgilio virginem dicit domum et penates servare. Eustathius Eroticorum scriptor dentes virginibus comparat, quod labellis obsepti sint et contecti. Apud eumdem viris et feminis ad Jovis templum sacrificandi causâ proficiscentibus, sola Ismene virgo in cubiculo relicta est, « quod virgines non deceat in virorum conspectum venire. » Atque indè est, quòd munera quædam novæ nuptæ dabantur à sponso et cognatis, cùm primum videndi suî potestatem faciebat, quæ et ὀπτήρια, et θεώρητα, et ἀθρήματα, et ἀνακαλυπτήρια dicebantur; quòd nempè revelatâ tùm facie videndam se præberet, cùm anteà latuisset in abdito, hominumque visus studiose vitâsset. Itaque Phurnutus, sive potius Cornutus (de nat. Deor. de Neptun.), novas nuptas censet νύμφας, idcirco dici, « quòd tùm primum prodeant in publicum, cùm anteà latuissent. » Indè etiam est, quòd apud Romanos è matris gremio rapi ad nuptias virgo simulabatur, quasi ad id tempus in gremio matris abdita fuisset. Patet ergò intrà domorum latebras, et in secretis locis et à virorum consortio semotis eductas fuisse virgines, propthereàque dictionem hanc עלמה, quæ *occultam* significat, non cuilibet feminæ, sed ei quæ occultam coluerit vitam congruere, quod vitæ genus virgines persequi solebant. Præclarè Hieronymus in hunc locum Isaiæ : « Alma, non solùm puella vel virgo, sed cum ἐπιτάσει virgo abscondita dicitur et secreta, quæ nunquàm virorum patuerit aspectibus, sed magnâ parentum diligentiâ custodita sit; » quod et repetit in Libris contrà Jovinianum. Undè sequitur hoc inter עלמה, et בתולה discriminis interesse, quòd hoc virginem simpliciter, illud virginem accuratâ septam custodiâ significet. *Virginem abditam* appellat Horatius (lib. 3, Od. 16), Danaen, utpotè intrà turrim æneam et robustas fores inclusam. Imo verò, ne vox quidem בתולה, *Virginem* simpliciter, propriè, ac semper sonat; nam apud Joelem, cap. 1, v. 8, manifestò usurpatur ad significandam viduam; undè sequitur solam dictionem עלמה habere Hebræos, quâ virginem propriè designent. Probabilis alia afferri potest vocis עלמה notatio, quasi sic dicatur virgo, quòd tegendas corporis sui partes nulli patefecerit unquàm, sed occultas eas ac diligenter velatas servaverit; ut עלמה pe-

rindè sit ac si *tectam, velatam, amictam* dicas. Moses in Levitico, cap. 18, v. 6, incestos affinium et consanguineorum vetans concubitus, σεμνῶς rem sic expressit: *Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet, ut revelet turpitudinem ejus:* et in Deuteronomio, cap. 22, v. 30: *Non accipiet homo uxorem patris sui, nec revelabit operimentum ejus;* et postmodum, cap. 27, v. 20: *Maledictus qui dormit cum uxore patris sui, et revelat operimentum lectuli ejus.* Simili ergò locutionis figurâ puella, cujus nunquam turpitudo vel operimentum revelatum fuisse, hoc est, quæ tecta semper ac velata fuisse dicitur, ea virgo ac עלמה planè intelligenda est. Id etiam nomen virgini eâ de causâ adscriptum suspicari possumus, quasi *clausam, obseratam, et obsignatam* dicas, quòd inviolatum virginitatis suæ sigillum, et integra claustra servaverit. Quò spectat istud Salomonis in Cantico: *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus* (Cant. c. 4, v. 12). Quamobrem virginem integram veteres *signatam* dixerunt, ut notat Nonius, quod et Lucilii auctoritate confirmat. Nihilominùs tamen fac ambiguum esse vocabuli עלמה intellectum, et ad virgines integras æquè ac imminutas referri, priorem certè obtinere hìc significationem verba ipsa Isaiæ indicant. Conceptum enim virginis, tanquàm signum proponit, hoc est velut rem novam, inusitatam, et prodigialem. Quod fuisset secùs, si puella post delibatam virginitatem more communi feminarum concepisset. Hoc argumentum, ut opportunum et utile, validè urgent Justinus in Tryph., Tertullianus adv. Jud. cap. 9, Origenes contr. Cels. lib. 1 Eusebius, lib. 7 Dem., Hieronymus, Basilius, Cyrillus, et Procopius in Isai. c. 7, v. 14. Porrò quod ab Isaiâ *Signum* appellatum est, à Jeremiâ dictum est *Novum*, seu *Novitas. Creavit*, inquit, *Dominus novum super terram: Femina circumdabit virum.* Quibus mirabilem Jesu ortum prædici, ex iis quæ suprà diximus liquidum est. Cùm ergò signum hoc loco inusitatum videlicet quippiam et præter communem naturæ legem promitti intelligerent R. Selomoh Jarchi, et R. David Kimchi, filii ortum hìc prædici aiunt, non ex virgine quidem integrâ, sed ex puellâ quæ viro nondùm matura esset. Ergò his animadversis, Septuaginta interpretes עלמה nullâ circuitione usi verterunt παρθένον, et Syrus Interpres Novi Testamenti in primo Matthæi capite, בתולא. Virginem etiam Punicâ linguâ, quæ hebraicæ propago est, *Alma* appellari testificatur Hieronymus in Isaiam; qui et subindè addit haudquaquàm se meminisse vocabulum hoc ad mulierem nuptam significandam unquam fuisse adhibitum, sed ad notandam virgunculam. Idem fusè exaggerat Traditionibus Hebraicis. « Alma, inquit, quod interpretatur Abscondita, id est Virgo nimiâ diligentiâ custodita, majoris mihi videtur laudis esse quam virgo. Virgo quippe, juxta Apostolum, potest esse corpore, et non spiritu. Abscondita verò, quæ virgo est, ἐπίτασιν virginitatis habet, ut et virgo sit, et abscondita; et quæ abscondita est, juxtà idioma linguæ hebrææ, consequenter et virgo est: quæ autem virgo, non statim sequitur ut abscondita sit. Atque hæc demum sic concludit: Ostendant igitur Judæi in Scripturis alicubi positum Alma, ubi adolescentulam tantum, et non virginem sonet, et concedimus eis illud, quod in Isaiâ apud nos dicitur: *Ecce Virgo concipiet et pariet*, non absconditam virginem, sed adolescentulam significare jam nuptam. » Fidem sibi præterea exemplis conciliat Hieronymus, in quibus vox עלמה, ad notandam virginem adhibetur; velut in Geneseos vicesimo quarto capite, v. 16 et 43, Rebecca etiam tùm virgo, בתולה, et עלמה, promiscuè appellatur. Et in secundo Exodi, v. 8, Mariæ sorori Mosis, quæ virgo erat, idipsum nomen tribuitur. Nam quod objiciunt quidam, Rebeccam, quæ appellatur עלמה, non fuisse tamen absconditam, utpotè quæ aquationis causâ non thalamo solùm materno, non paternâ domo, sed urbe etiam exiret, id facili negotio refellitur. Nec enim volumus ità fuisse absconditas virgines, ut extrà limen numquàm omninò pedem efferrent; sed prodiisse foràs, vel sacrorum causâ, vel ubi necessitas aliqua, aut patria consuetudo postularet; custodiam verò noctu maximè fuisse circà illas adhibitam, ut ab omni virorum accessu seclusæ penitùs ac tutæ essent. Patet id ex illis Machabaici secundi. cap. 3, v. 19: *Accinctæque mulieres ciliciis pectus, per plateas confluebant; sed et virgines, quæ conclusæ erant, procurrebant ad Oniam, aliæ autem ad muros, quædam verò per fenestras aspiciebant;* et ex istis Machabaici tertii, cap. 1, v. 18: *Virgines etiam in thalamis cum matribus conclusæ exierunt, et pulvere ac cinere capita conspersæ fletibus et gemitibus plateas impleverunt.* Hero licet in turre conclusa à parentibus, foràs tamen exit festo Veneris die ad sacrificium, seque publicè videndam præbet. Achilles Tatius (de amor. Clit. et Leuc. lib. 1) in eâ quam commemoravimus thalami descriptione, quo Leucippe cautè à matre asservabatur, nar-

rat fores noctu diligenter fuisse clausas, mane verò exoriente aurorâ easdem fuisse apertas. Quamvis igitur domesticis ministeriis interdiù vacaret Rebecca, juxtà patrios mores, haud minùs sollicitè propterea à parentibus, noctuque præcipuè custodiebatur; undè meritò עלמה sive *Abscondita* dicta est. Adstipulatur R. David Kimchi in libro Radicum, et huic nomini quod Rebeccæ adscriptum est, absconsionis significationem inesse docet. Aquila quoque, ut dixi, hoc Geneseos loco vertit, *Absconditam*. Quæ verò ex Salomonis Cantico, cap. 1, v. 3 et 6, 7, testimonia proferunt adversarii, in quibus vocabulum עלמות, puellas jam virum passas notare putant, quippè virgines parùm decuisse amatoriis colloquiis interesse, valdè eos sua fallit opinio; innupti enim pueri sponsum, innuptæ puellæ sponsam comitabantur ad nuptias; et carminibus, tùm κατακοιμητικοῖς, tùm διεγερτικοῖς prosequebantur. Testis Theocritus in Helenæ epithalamio, ubi virgines antè Menelai et Helenæ thalamum tripudiis et cantionibus indulgent. Testis Aristænetus Epist. 10, in narratione amorum Acontii et Cydippes. Testis et Catullus in Epithalamio Juliæ et Manlii :

> Vos item simul integræ
> Virgines, quibus advenit
> Par dies, agite, in modum
> Dicite.

Et in carmine nuptiali :

> Cernitis, innuptæ, juvenes?

Et deindè :

> Aspicite, innuptæ secum ut meditata requirant.

Ex Cantico autem Salomonis ethnicos Epithalamiorum modum formamque sumpsisse docet nos Origenes, Hom. 1 in Cant. Quapropter illas עלמות, virgines fuisse credendum est. Thori quoque expertes illas fuisse aio, de quibus sic in eodem Cantico Salomon : *Sexaginta sunt reginæ et octoginta concubinæ et adolescentularum* (עלמות) *non est numerus*. Nam quis non videt virgines intelligi, quæ si imminutæ fuissent, vel in reginarum, vel in concubinarum numerum referrentur.

3° Magna quoque in explicandâ hâc clausulâ è Proverbiorum tricesimo capite controversia est : *Tria sunt difficilia mihi, et quartum penitùs ignoro, viam aquilæ in cælo, viam colubri super terram, viam navis in medio mari, et viam viri in adolescentiâ*. Hebraica habent, בעלמה, *in virgine;* quibus Christi ortum è Virgine præsignificâsse Salomonem Christianorum plerique conjectant; integris quippè virginitatis septis ex utero virgineo Christum Jesum prodiisse. Ità intellexerunt Raymundus Martini (Pug. fid. part. 3, dist. 3, c. 7), et Nicolaus de Lyra in Prov. 30, 19, aliique subindè, qui et tria superiora ad Christum referunt; viam aquilæ in cœlo, ad ejus ascensum in cœlum; viam colubri super terram, ad reditum ejus à morte ad vitam, cùm saxum ostio monumenti appositum penetravit, nullumque exitûs sui reliquit vestigium; viam denique navis in medio mari, ad mirabilem ejus inter homines et mundi tempestates vitam. Adeò ut ortus ejus, vita, reditus à morte ad vitam, et ascensus in cœlum ordine præpostero hìc prædicta sint. Cujus interpretationis auctorem fuisse vetustum quemdam hebræum ferunt. Nos simpliciter locum hunc possumus explicare, difficile esse virginis à viro clàm imminutæ vestigia deprehendere, si ea cautè et studiosè occulere studeat; quod non magno negotio fieri notum est, cùm et impuras quasdam mulieres operam ad id suam venditare et præstare nimis verum sit, ut celent viam viri in adolescentulâ; exponunt alii amatorias artes à viris ad virginum devinciendos animos adhiberi solitas. Quarum expositionum quamlibet secteris, dictio עלמה propositum à nobis retinebit intellectum, et virginem significabit. Nam quod objicere pergunt Judæi, aliam loco huic explicationem postulare subjecta Salomonis verba : *Talis est via mulieris adulteræ, quæ comedit, et tergens os suum dicit : Non sum operata malum;* cùm עלמה mulieri corruptæ comparetur, proindèque puellam vitiatam significet, nullâ id ratione concludunt, cùm עלמה, juxtà ipsos, de nuptis æquè dicatur et innuptis; atque ità idem secum compararet : aut quod proximum est, scortum concubitûs sui celans indicia, cum muliere adulterâ idem agente; quæ quòd eadem sint, vel certè quàm proxima, inepta penitùs et absurda esset comparatio. Dicendum potiùs id sibi voluisse Salomonem, tantâ arte virginem oblatum sibi vitium celare, ut vix majore mulier adultera usu perita uti possit. Parùm verò auctoritatis est in Aquilæ, Theodotionis, et Symmachi interpretatione, qui עלמה vertunt νεᾶνιδα. Proselyti quippè fuerunt Aquila et Theodotion; Ebionita verò Symmachus, ac iis proindè adhæserunt sectis, quæ virginitatem Mariæ Jesu matri derogarent. Νεᾶνις præterea vox anceps est, puellam vel integram vel vitiatam notans : quo verò eam usurpaverint sensu ambiguum est. His demùm opponimus Senes Septuaginta, ac in-

terpretem Vulgatum, quorum longè potior nobis auctoritas est. Cadunt ergo omnia hæc Judaicæ expositionis fulcimenta.

4°. At aliud prætereà adversariis præcludendum effugium est, quo scilicet se proripiunt, postquàm vocabuli עלמה legitima ab eis significatio extorta est. Aiunt enim non ex eo rectè concludi Virginem illam, de quâ futurum prædixit Isaias ut concipiat filium et pariat, in hoc conceptu et partu haudquaquàm imminutum iri, sed id tantùm posse colligi virginem fore ad hunc usque conceptum, ac proindè Isaiam, cùm dixit : *Ecce Virgo concipiet et pariet Filium,* id sibi voluisse, tùm concepturam et parituram Virginem, postquàm virgo esse desierit. Verùm ecquod erit signum illud quod pollicetur Deus, si virgo amissâ virginitate concipiat et pariat, more matrum omnium? Respondet Bodinus in pestifero et exitiali libro nondùm edito, et nunquàm edendo, quem *de abditis rerum sublimium arcanis* inscripsit, conceptum hunc et partum signum quidem fuisse, at non prodigium. Quasi verò vocabulum, אות, quo utitur Propheta, non prodigium quoque significet, atque eo sensu in Libris sacris sæpè adhibitum reperiatur; quasi Jeremias rem eamdem prænuntians, חדשה, *Novum* non appellaverit, quod Isaias אות, *Signum* dixerat. Neque sanè est cur verum hunc Christi Jesu ortum prædicantibus nobis, religionis nostræ perduelles detrahant fidem, quam de Homeri, Platonis, aliorumque simili ortu falsa jactantibus ethnicis habuerunt. Ex Apolline enim, et Perictione ab omni mortalium complexu integra, natum Platonem ferunt; Remum et Romulum ex Iliâ virgine et Marte. Jove satos esse Alexandrum et Scipionem incredibile visum non est. Ponticæ cuidam mulierculæ ex Apollinis congressu gravidam se dicenti, multos adhibuisse fidem narrat Plutarchus in Lysandr.; tùm Sileno puero ex eâ nato fraudibus suis texendis uti decrevisse Lysandrum, virosque insignes produxisse, qui rei confirmabant famam, rumoremque spargebant Delphis petitum, sacerdotes in arcanis habere sacra quædam oracula, quæ nemini legere fas esset, nisi qui patrem haberet Apollinem. Adeò incredibilis non habebatur ortus hujusmodi. Scribit Hieronymus adversùs Jovinianum lib. 1, cap. 26, creditum Buddam Gymnosophistarum principem è latere virginis prodiisse. Alterum Buddam, Terebinthum priùs dictum, commemorat Socrates lib. 1, cap. 22, qui ortum quoque suum ad virginem referebat; prioris Buddæ usurpato nomine et ortu commentitio. Minervâ natum se credi volebat Domitianus, ut est apud Philostratum de vit. Apoll. libr. 7, cap. 12. Celebrem illum Anglorum vatem Merlinum sine virili congressu procreatum fabulantur. Sunt apud Turcas pueri, quos ἀπάτρας et virginibus tantùm prognatos vulgus credit. Animæ filii, *Nephes-ogli* appellantur Turcico idiomate, et miranda facinora edere putantur. Scribit Pomponius Mela, lib. 1, cap. 2, Apim, Ægyptiorum deum, qui « bos niger erat, certis maculis insignis, et caudâ linguâque dissimilis aliorum, raró nasci, nec coitu pecoris (ut aiunt) sed divinitùs et cœlesti igne conceptum. » Adamum sine patre et matre de luto à Deo confictum, Evam ex Adami costâ procreatam Judæi fatentur. Qui mundum factum putant, quod Græcorum philosophorum plerisque placuit, primos homines sine patre et matre editos fuisse dicant necesse est; quod minùs credibile est, quam ex matre tantùm, sine patre Christum Jesum prodiisse, ut optimè adversùs Celsum disputat Origenes libr. 1. contr. Cels. Ex sexto Geneseos capite arbitrati sunt plerique memoratos illic gigantes haudquaquàm à viris esse progenitos. Optimè quoque Justinus Tryphoni objicit, steriles feminas et genitales annos prætergressas, Saram, Annam Samuelis matrem, et Elizabetham, Dei beneficio fecundas exstitisse. Et Judæi ipsi in Midrasch Echâ futurum tradunt, ut Redemptor à se exspectatus sine patre nascatur. Idem habet R. Simeon ben Jochai in Genesin, et R. Moses Hadarsan in Psalmum octogesimum quintum. Falsus est ergo Plutarchus in Præc. conjug., cùm scripsit feminam omninò nullam dictam esse sine viri consortio infantem peperisse.

5° Nunc verò nobis incumbit probandum prædictionem hanc Isaiæ, quâ futurum prænuntiatur ut Virgo concipiat et pariat Filium, integrâ etiam in conceptu et partu virginitate, in Mariâ matre et Jesu filio esse completam. Christi enim Jesu adversarii, tàm splendidum ei testimonium ut eriperent, ex adulterio natum prodiderunt. Impii maximè Judæi impuro suo et maledico ore Mariam matrem Jesu, ornatricem fuisse, hoc est comendis mulierum crinibus operam suam locàsse blaterant. Quod artificium quæ exercebant feminæ, quam parùm pudicæ essent, ex Nape et Cypassi, quæ in libris Amorum Sulmonensis poetæ memorantur, satis notum est.

Proindè Mariam appellare solent *Adulteram;* Jesum verò *Adulteræ filium;* quod equidem sine indignatione referre non possum. Sic sæpè Thalmud utrumque. Sed et illic quoque, et in Midrasch Coheleth, et in damnoso libro, quem *Generationes Jesu* inscripserunt, eum *filium Pantheræ,* et *Jesum Pantherinum* nuncupant. Atqui Pantheram illum, Mariæ maritum fuisse narrant in libro Thalmudico Sanhedrin, cap. 7; verùm adulterum eam admisisse Pombeditanæ scholæ magistri illic asseverant. Celsus verò, utpotè Judaicarum rerum parùm consultus, Pantheram, non Mariæ maritum, sed adulterum fuisse dixit; atque eam demùm in adulterio à marito deprehensam, domo ejectam, Jesum ex illicito hoc Pantheræ concubitu procreatum clàm peperisse. Verba ipsa Celsi hæc adversùs Christum Jesum vomentis refert Origenes lib. 1. Nempè familiare progenitorum Jesu cognomentum in ludibrium contumeliamque versum est : nam Jacobum, Josephi patrem, Pantherem cognomine appellatum fuisse tradit Epiphanius in Hæresi Antidicomarianitarum. At Joannes Damascenus de Orth. fid. libr. 4, cap. 15, genealogiam Christi pertexens, Mariam narrat patrem habuisse Joacimum, Barpantheris filium, hujus patrem fuisse Pantherem. Undè fit verisimile, Pantheris cognomentum à Mariæ, vel quod potiùs credimus, Josephi parentibus gestum, Josepho quoque ipsi inhæsisse. Nos quod dant accipimus, Jesum Josepho non esse prognatum, adulterii verò crimen sanctissimæ et integerrimæ Virgini impactum facilè diluimus. Nam quod adulterum ejus appellat Celsus Pantheram, quem Judæi ipsius maritum fuisse volunt, id calumniam coarguit. Deindè quis credat tantâ patientiâ fuisse Josephum, ut manifestam criminis ejus, quod legibus Judæorum tàm severa animadversione puniebatur, securam vivere permiserit? Quis credat infamem mulierem, inter consanguineas et affines, inter infensos filio suo legisperitos magistros, Sacerdotes et Pharisæos tutam fuisse, ità ut de Mariâ Virgine Evangelistæ prodiderunt? Quis credat Jesum ipsum, tàm spurco et damnato genitum concubitu, cujusmodi homines Mamzeri dicebantur, in Ecclesiam Domini fuisse admissum, contrà Mosis interdictum? neque id ipsi ab invidis et inimicis, quos complures sua ei virtus pepererat, objectum publicè et exprobatum? Quis credat Nazarenos Jesu populares, quibus nemo meliùs noscere potuerat ipsius parentes, spurcum hunc et probrosum ortum ità esse oblitos, ut fabrum eum, Josephi fabri et Mariæ filium esse, fratresque ejus ac sorores apud se manere palàm prædicarent? *Nonne,* inquiunt Joan. c. 6, v. 42, *hic est Jesus filius Joseph, cujus nos novimus patrem et matrem?* Quamobrem Nathanaeli dicit Philippus Joan. c. 1, v. 45 : *Quem scripsit Moyses in Lege et Prophetæ, invenimus Jesum, filium Joseph à Nazareth.* Ecquid fuit causæ duobus illis cæcis, quid Chananææ mulieri, quid populo Hierosolymitano, cur hominem furtivis et illegitimis procreatum amplexibus, Filium Davidis altâ voce nuncuparent? Quis credat denique Evangelistas et Apostolos in manifestâ re tàm præfractè mentiri ausos (absit dictis impietas) et adversùs rei propalàm editæ notitiam, superstitibus etiam pervulgati facinoris testibus, mirabilem quemdam Jesu ortum fuisse commentos, et ad Davidem retulisse?

Tantùm verò abest, ut adulterino satu conceptum Jesum tempora ipsius mentita sint, ut eum potius Virgine matre natum crediderint. Simon enim, Jesu simius, quique Jesus ipse Christus haberi voluit, ut ei perquàm similem se præstaret, non aliam ob causam virgine natum se ferebat, quàm quòd id ipsum de Christo Jesu accepisset. De Jesu hæc scribit Matthæus cap. 1, v. 18 : *Cùm esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequàm convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* De se hæc jactabat Simon, ut perhibent Recognitiones Clementis libr. 2, cap. 7 et 14 : « Antequàm mater mea Rachel conveniret cum eo (Antonio), adhuc virgo concepit me. » Domitianum quoque, nisi mea me fallit conjectura, Christi de Virgine nati fama adduxit, ut matrem sibi Minervam virginem adscisceret. Jam enim Romæ pervulgatæ erant res Christianorum, nec ignorare poterat Domitianus, quid de Christi ortu ferretur. Meminerat idem prætereà Josephum, Matathiæ filium, Vespasiano patri suo accommodâsse vaticinium à Jacobo patriarchâ Judæ filio editum : *Non auferetur sceptrum de Judâ, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium;* quod, ut erat rerum Judaicarum parùm consultus, hæreditario forsitan jure ad se quoque pertinere posse arbitrabatur, subdolè præsertìm id ipsi fortassè suadente Josepho. Cùm ergò ab Isaiâ prædictum accepisset, futurum ut de Virgine Messias nasceretur, atque id de Jesu Christiani vulgò dicerent, id sibi decus arrogare conatus est, Minervâ se natum fin-

gens. Messiæ quippè dignitatem ipsum affectâsse vel id persuadet, quòd cùm inaudivisset esse in oraculis Davide genus ducturum esse Messiam, potentissimum videlicet regem quemdam, Davidis extinguere reliquias ac de medio tollere tentavit; quod Vespasianum eamdem ob causam hoc ipsum jam antè aggressum esse sciret, seque in id genus inserere non posse intelligeret. Nam quod adducti ad eum nepotes quidam Davidis, Christi Jesu consanguinei. intacti abierunt, id fortunæ suæ tenuitate meriti sunt; ut apud Eusebium narrat Hegesippus. Nec enim humiles adeò ac viles homines ad regni Christo destinati opes assurgere posse existimavit, quas jam possidere se credebat. Muhammedus ipse qui pleraque Jesu ornamenta ac dotes detraxit, Mariæ virginitati pepercit, eamque laudavit in Alcorano Sur. 3, et 20, et Jesum Adamo comparavit, qui sine virili congressu in lucem editus est. Non abs re erit priscam hùc afferre historiam, quam ex traditione ad sua tempora propagatam narrant Origenes in Tract. 26 in Matth., et Basilius Basil. De hum. Christi gener. Fuisse tradunt in templo locum, quò solis virginibus pateret aditus, exclusis reliquis quæ thorum virilem fuissent expertæ; illùc ingressa Maria Virgo jam Jesum enixa cùm arceretur, atque ad mulieres ablegaretur, intercessisse Zachariam, quominùs illa loci dignitatem amitteret; quâ re offensos Judæos Zachariam interfecisse, vel quòd in templo inter virgines mulierem contrà jus fasque consistere pateretur, vel quòd feminam jam filio auctam, virginem haberi vellet. Traditioni huic tantùm tribuet fidei unusquisque, quantùm volet; eam certè à gravissimis auctoribus memoriæ proditam prætermittere piguit. Longè etiam minor est apud me traditionis alterius auctoritas, quam refert Suidas, in Ἰησοῦς, è vetustis, ut ipse ait, Judæorum commentariis Tiberiade servatis exceptam; Jesum nempè Dominum in Sacerdotum numerum fuisse cooptatum aliquandò, cùmque ipsius patris item ac matris nomina in codicem de more essent referenda, matrem ad ea ex ore ipsius cognoscenda accitam, suum quidem ac filii dedisse nomen, patrem verò Deum ipsum indicâsse, quippè quæ Filium illibatâ virginitate, Spiritûs sancti afflatu peperisset, et integritate demùm ipsius testibus idoneis, accuratoque examine comprobatâ, non alium patrem quàm Deum vivum codici fuisse adscriptum. Hæc temerè admitti nolumus, narrante præsertim Suida, levissimo scriptore; nam Jesus Judâ prognatus inter Sacerdotes, qui Levitici generis erant, admitti haudquaquàm potuit. Respondet quidam apud Suidam, mistum fuisse genus Josephi patris Jesu, sed frustrà; ait quippè Paulus eâ tribu oriundum esse Christum Jesum, *de quâ nullus altari præstò fuit; manifestum esse enim quod ex Judà ortus sit Dominus noster; in quâ tribu nihil de Sacerdotibus Moyses locutus est.* (Hebr. c. 7, v. 13, 14.) Adde per Leviticas matres in tribum Juda insertas, non eam fieri mistionem generis, ut quis indè procreatus possit Levita censeri. Scitum est enim Hebraici juris, in Thalmude sæpè traditum, familiam maternam, neque appellari familiam, neque esse, et deficiente masculâ prole, superstitibus licet filiabus, genus interire.

6° At futile est quod objicitur ex his verbis Epistolæ ad Galatas : *Misit Deus Filium suum factum ex muliere.* Quasi Paulus postremam hanc dictionem eo sensu adhibuerit, quo virgini opponitur : quemadmodùm et in priore ad Corinthios palam adhibuit dicens : μεμέρισται ἡ γυνὴ καὶ ἡ παρθένος. At res aliter se habet; nam sexum tantùm et naturam denotat ea vox priore loco, ut et aliàs sæpè, et ad integras vitiatasque feminas ex æquo congruit. « Naturale vocabulum est femina, inquit Tertullianus : naturalis vocabuli generale mulier; generalis etiam speciale virgo, vel nupta, vel vidua, vel quot etiam ætatis nomina accedunt. » (Tert. de virg. veland. c. 4). » Quorum hæc sententia est, dictionem *Femina,* hominum et brutorum esse communem; dictionem *Mulier,* generalem esse, et ad virgines, nuptas, et viduas pertinere. Quod probat subindè ex his secundi capitis Geneseos, v. 22 : *Et ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem, et adduxit eam ad Adam.* Illic enim Eva *mulier* appellatur, Hebraice אשה, Græce γυνὴ, priusquàm Adamo traderetur. Probat et ex Gabrielis salutatione; nam cùm conceptum Mariæ et partum salvâ virginitate sponderet, ait nihilominùs Luc. c. 1, v. 28 : *Benedicta tu in mulieribus.* Observatum est etiam grammaticorum filiis, Græcam vocem γυνὴ, ut et Latinam *mulier,* naturam simpliciter nonnumquàm significare. Utrumque vocabuli intellectum optimè distinxit, ut reliquos taceam, Eustathius, cùm alibi, tùm præcipuè in hunc versum Odysseæ è Rhapsodiâ χ.

Cum mulieribus autem ancillis vi concumbebatis,
Meique viventis ambiebatis mulierem.

« Mulieres inquit, ancillas dicit, juxtà id

quod naturâ significat Mulier, nempè, homines feminas. Continuò autem subjungens : Ambiebatis mulierem, eam notat quæ est sub viri potestate. » *Mulierem* verò Plautus vocat in Curculione, act. 2. sc. 3, v. 64, 69, quam proximè *virginem* dixerat. Et in Pœnulo, act. 5, sc. 4, v. 81, sic filias suas virgines Hanno compellat : *Advertite animum, mulieres.* Cicero in oratione de Præturâ urbanâ, Philodami Lampsaceni filiam, quæ cum patre habitabat, propterea quòd virum non haberet, mulierem sæpiùs appellat. Ulpianus quoque jurisconsultus libro quadragesimo quarto ad Sabinum ait « mulieres omnes dici, quæcumque sexûs feminini sunt ; » et libro primo ad edictum Ædilium Curulium, eam quæ propter corporis vitium mulier fieri non possit, *mulierem* tamen appellat.

7° Nec incastigatam dimittemus Joannis Bodini calumniam, qui in quinto libro *de abditis rerum sublimium Arcanis*, ex Judæi personâ, duo priora Lucæ capita, in quibus splendidissimum exstat virginitatis Mariæ testimonium, germana ac legitima esse negat, hoc argumento, quod tertii capitis initium operis totius exordium esse videatur ; præfixâ nimirum notatione temporis, undè ordo sequentis historiæ proficiscitur, quemadmodùm ab auctoribus sacris plerisque scripta sua ordientibus factum est. Fuit ea quidem Marcionis teterrimi hæretici sententia, multas inesse coruptelas et vitia Evangelio Lucæ, quod unum tamen, repudiatis cæteris, admittebat. Depravatum id quoque Helvidius credidit. Cùm pleraque autem falsitatis suspecta habebat Marcion, tùm præcipuè priora duo capita, sic tanquàm insinceras partes recidebat. Cujus opinionis cùm rationes nullas, vel valdè infirmas proferret, ut ex ψευδωνύμῳ Origenis dialogo contrà Marcionistas intelligitur, solâ suâ temeritate fretum id attentâsse apparet. Quam verò dat Bodinus, petitam ex notatione temporis, quæ capiti tertio præfixa est, ficulneam prorsùs esse vel hoc ipsum, quo utitur, auctorum sacrorum exemplum manifestè arguit. Solent enim illi mediis quoque suis scriptionibus temporum notationes inserere. Undè si quis colligat antecedentia esse supposita, risum movebit. Nec aliter sanè constare possunt rerum præteritarum historiæ, nisi descriptæ res temporibus commodè dividantur. Quid quod Regum et Paralipomenon libri, nullis præmissis temporum notis, subindè tamen, procedente narratione, certis distinguuntur temporum cardinibus? Adde tertium caput Lucæ ab his inchoari verbis : ἐν ἔτει δὲ πεντεκαιδεκάτῳ, in quibus particula δὲ, connexum esse indicat cum superioribus. Nam quod regerit Bodinus, facile ei fuisse, qui duo priora supposuerat capita, et hanc particulam in tertium intrudere, inane est ; quippè quam repræsentent vetustissimi codices et interpretationes antiquæ, si unam Æthiopicam excipias, quæ cùm ad Græcum et Syrum exemplar sit expressa, in quibus ea comparet particula, interpretationis id esse vitium fatendum est. Eodem prætereà tertio capite virgine matre natum esse Jesum satis ostendit Lucas, cap. 3, v. 22, 23, cùm ait : *Descendit Spiritus sanctus corporali specie, sicut columba, in ipsum, et vox de cœlo facta est : Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi. Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Joseph :* quæ declarant Josepho natum eum non esse, nec alium ipsi patrem tribuunt, quàm qui clarâ voce de cœlo missâ prolem suam ipsum esse fassus est. Ac mihi quidem cogitanti quasnam maximè ob causas priora hæc duo capita resecanda esse hæretici illi censuerint, quos dixi, hæc mihi præter alias veri quoque similis visa est, quemadmodùm à Joannis missione et baptismo initium capit Marci Evangelium, nec aliundè inchoandum illud Lucæ absurdè eos collegisse. Verùm si quis librorum amborum inter se conferat exordia, non leve discrimen deprehendet. Marcus quippe, cap. 1, v. 1, τηλαυγὲς πρόσωπον operi suo præfixit : *Initium Evangelii Jesu Christi, Filii Dei,* quo totius libri series præmonstratur et promittitur. Tùm postquàm de Joannis baptismo paucis disseruit, deque ipsius concionibus, quibus de instante Christi adventu et οἰκονομίᾳ populum commonefaciebat, statim subjicit : *Et factum est in diebus illis, venit Jesus à Nazareth Galilææ, et baptizatus est à Joanne in Jordane.* Quæ rectè sanè et ordine procedunt. At de Lucæ Evangelio si duo priora capita detraxeris, nihil de Jesu, ad quem tamen unum totum hoc Evangelium pertinet, præfatum Lucam reperies, sed ejus mentionem velut obiter et aliud agentem injecisse. *Factum est autem,* inquit Luc. c. 3, v. 21, *cùm baptizaretur omnis populus, et Jesu baptizato, et orante, apertum est cœlum.* Quæ cum de viro historicæ artis haudquaquàm imperito, ut Evangelium hoc et Acta Apostolorum indicant, existimare non liceat ; omninò dicendum est, jam antè ipsum Christi Jesu, in primis nempè duobus capitibus meminisse. Denique vel ex Actorum Apostolorum

exordio, quo Theophilum compellat Lucas, judicare possumus eamdem in Evangelio præmittendi quoque exordii rationem tenuisse. Quod si exordio Evangelii γνησιότης sua constet, constabit utique et sequentibus duobus capitibus.

CAPUT IX.

Jesus natus Bethlehemi.

Mich. c. 4, v. 8, 9 : « Et tu, turris gregis, nebulosa filia Sion, usque ad te veniet; et veniet potestas prima, regnum filiæ Jerusalem. Nunc quare mœrore contraheris ? numquid rex non est tibi, aut consiliarius tuus periit, quia comprehendit te dolor sicut parturientem? »

Mich. c. 5, v. 2 : « Et tu, Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda; ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, et egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis. »

Matth. c. 2, v. 1 : « Cùm ergò natus esset Jesus in Bethlehem Juda..... congregans (Herodes) omnes Principes Sacerdotum, et scribas populi, sciscitabatur ab eis, ubi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei : In Bethlehem Judæ; sic enim scriptum est per Prophetam : Et tu, Bethlehem terra Juda, nequaquàm minima es in principibus Juda; ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel. »

Luc. c. 2, v. 4, *et seq.* : « Ascendit autem et Joseph à Galilæâ, de civitate Nazareth in Judæam, in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem; eo quòd esset de domo et familiâ David, ut profiteretur cum Mariâ, desponsatâ sibi uxore prægnante. Factum est autem cum esset ibi, impleti sunt dies ut pareret. Et peperit filium suum primogenitum. »

Joan. c. 7, v. 40 et seq. : « Ex illâ ergò turbâ, cum audîssent hos sermones ejus, dicebant : Hic est verè Propheta; alii dicebant : Hic est Christus : quidam autem dicebant : Numquid à Galilæâ venit Christus ? nonne Scriptura dicit, quia ex semine David, et de Bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus? »

Quæ duo Michææ prædicta de Jesu Bethlehemi orituro à nobis allata sunt, ea signare Messiam luculenter suprà probavimus. Nunc superest ut ostendamus ipsa hæc in Domino Jesu habuisse exitum, ut Messiam hunc esse efficiamus. Quamvis enim Bethlehemi natum eum esse Evangelistæ prodiderint, testes idonei, ac coævi scriptores, eorumque hâc in parte valere debeat auctoritas ex secundo nostro axiomate; « et tam distincta fuerit à primordio Judæa gens per tribus, et populos, et familias, et domos, inquit Tertullianus (Adv. Marc. lib. 4, cap. 36), ut nemo facilè ignorari de genere potuisset, vel de recentibus Augustianis censibus, adhuc tunc fortassè pendentibus, » ac per ea etiam me silente obteratur Bodini impietas, qui adversùs Bethlehemiticum Christi ortum argumenta aliquot attulit, hæc nos tamen sigillatim retundemus.

Primum hoc est, Jesum Nazarethi esse natum; patriamque hanc, utpotè ignobilem, opprobrio ipsi fuisse; atque hinc Nathanaelem Philippo, Jesum Nazarenum eum esse quem Moses et Prophetæ prædixerant sibi nuntianti, respondisse : *A Nazareth potest aliquid boni esse?* (Joan. c. 1, v. 45, 46.) Jesum quoque ipsum, cùm Paulum de cœlo compellaret (Act. c. 22, v. 8), seipsum Nazarenum, non Bethlehemitam dixisse. Quibus testimoniis consimilia afferri plura possunt, in quibus non populus solùm Judaicus, sed Jesu etiam discipuli et sequaces, Nazarethum patriam hunc habuisse, atque hinc prodiisse fatentur, ac Nazarenum, et Nazaræum, et Galilæum dicunt; quo postremo nomine Julianus Apostata ipsum contumeliæ causâ appellabat. Adde et ad Herodem, Galilææ tetrarcham, à Pilato esse remissum, ut hominem Galilææ ditionis. At benè est, quòd qui Nazarenum vel appellant ipsi, vel appellatum narrant Scriptores sacri, Bethlehemi natum esse iidem asseverant, undè manifestum est de Nazarethi nomine ipsi fecisse vocabulum, ad significandum locum, non in quo natus erat, sed quem ejus parentes incolebant, et in quo ipse fuerat eductus. Sic Virgilius Trojanum Cæsarem dixit, lib. 1, Æneid., quòd Trojâ majores ipsius venissent. Augusto cognomen Thurino fuisse narrat Suetonius, c. 7, « in memoriam majorum originis. » Idem inter illustros Grammaticos quintum Cæcilium Epirotam, Tusculi natum refert de illustr. Gram., cap. 16, cognomine, non à loco ortus, sed à loco originis indito. Florentissimus etiam Homeri interpres Eustathius, patriam eam esse ait, non in quâ quis natus sit, sed in quâ educatus. Ejus verba in Hom. Od., quoniam ad hanc quæstionem mihi videntur esse per opportuna, referre dignum est : « Hæc est patriæ definitio : patria enim urbs est quædam in quâ quis post ortum eductus est. Adeò ut qui talis non sit, sed post ortum patriâ sit privatus, is urbe hujusmodi exciderit, neque tàm eam habeat patriam, ac illam quæ ipsum deinceps aluit. » Verè igitur Vajiera Rabba, et Bemidbar Rabba Messiæ patriam Aquiloni assignant, rerum verò ab eo gerendarum locum, Austro.

2° Alterum hoc objicit Bodinus, censum ab Augusto indictum, et à Cyrenio actum, cum historiâ Jesu haudquaquàm congruere, quippè auctorem esse Dionem, evenisse id anno qui mortem Augusti proximè præcessit, atque eo anno Jesum jam annum decimum quartum attigisse. Ad id autem quod opponi potest, duplicem ab Augusto factam descriptionem, postremam eam quam commemorat Dio, priorem verò per Cyrenium à Lucâ memoriæ proditam, quæ cùm ageretur natus est Christus; ad id, inquam, subjicit Bodinus, rem aliter se habere, quippè hoc tempore Quintilium Varum Syriæ præsidem fuisse, non Cyrenium, qui multò post Herodis obitum Judææ censum egit; quorum omnium testem citat Josephum. A Bodino hìc exagitari Bezam manifestum est, cujus hæc est opinio, Augustum, ut breviarium illud imperii conficeret, cujus Suetonius, cap. ult. Aug., et Dio, lib. 56, meminerunt, necesse habuisse orbis totius, quâ Romanum patebat imperium, descriptionem instituere, citrà ullam tributorum exactionem; id autem in Syriâ factum per Cyrinum, sive Quirinium, illùc eâ tantùm de causâ cum potestate missum, cùm præses esset, sive Saturninus, sive Varus; post Archelai verò exilium, rursùs eodem missum Quirinium, ut Archelai confiscaret pecunias, Syrorumque omnium, ac jam Syriæ contributorum Judæorum facultates censeret; posteriorem hunc censum litteris à Josepho proditum, lib. 18, Antiq., cap. 1, priorem à Lucâ. Itaque inane est quod adversùs ea objicit Bodinus, Quintilium Varum præsidem fuisse, cùm prior sensus actus est, non Quirinium; cùm præmonuerit eum Beza Varo muneris participem ac socium adjunctum fuisse Quirinium, quemadmodùm Saturnino collegam datum Volumnium scribit idem Josephus, lib. 16, c. 14. Quæ verane sint, jam non inquiro; absque examine certè, et confutatione à Bodino haudquaquàm debuerunt prætermitti. Verùm sic agitur: quod boni est, excerpit; dicit quod mali est, vel quod mali esse putat; cùm nihil sit, quin malè narrando depravari possit. Profectò in Bezæ sententiam concesserunt viri eruditionis famâ nobilissimi, Scaliger, Casaubonus, Drusius, Petavius, Grotius; plurimùmque juvari videtur causa hæc ipsis Lucæ verbis: *Hæc descriptio prima facta est à præside Syriæ, Cyrino:* quasi innuens post primam illam descriptionem à Cyrenio factam, aliam deindè fuisse institutam ab eodem, nempè postquàm Archelai pecuniæ in fiscum sunt redactæ, quæ et ab eodem Luca in Actis, cap. 5, v. 37, commemoratur. Nos quoque tantorum virorum sententiæ poteramus adhærere, et Bodini cavillationum securi ad alia pergere; verùm quoniam dignus vindice nodus hic est, in eo industriam quoque nostram experiemur.

3° Aliorum igitur acutè excogitatis super illo Quirinii censu à Lucâ memorato interpretationibus compendii causâ prætermissis nostram proferemus. Censum Romani imperii ab Augusto ter actum fuisse testificatur Suetonius (Aug. cap. 17). Docent idem nos Ancyranæ tabulæ, quas in Pandectis suis Turcicis Leunclavius, et in inscriptionibus suis Gruterus repræsentant; atque id insuper, primum censum habitum fuisse Augusto VI, Agrippa II, Coss., qui annus congruit cum Juliano 18; secundum, Marcio Censorino et Asinio Gallo Coss., anno nimirùm Juliano 38; tertium, Sexto Pompeio et Sexto Apuleio Coss., Juliano anno 59. Aio secundum hunc censum eum esse, qui cùm ageretur, natum Christum Lucas refert. Sciendum enim est rem fuisse censum diuturnioris operæ, quæque in plurium annorum spatium excurreret. Cùm Davidis Hebræos percensuit Joab, decem propè menses in eam rem insumpsit; quamvis in censum non venerint Levitæ et Benjamitæ, ut habet Josephus, lib. 7, cap. 10. Hinc existimari potest, quantæ fuerit molis ac temporis Romanum totum imperium romanum lustrare et censere. Facilè ergò crediderim ab anno 38 Juliano cœptum hunc centum, ad Christi usque ortum perseverâsse. Atqui Q. Sentius Saturninus, vir consularis, præses in Syriam missus est circà hunc ipsum annum Julianum 38, Syriamque per quinquennium circiter rexit. Extremis itaque præfecturæ suæ temporibus, eum puto mandatum accepisse de censu habendo per Syriam. Nam priùs per Italiam, finitimasque provincias institui censum oportuit, quàm in extremis imperii finibus. Etsi enim res eodem tempore per universas provincias administrari potuit, quoniam tamen tabulæ censuales ad Augustum, postquàm perfectæ erant, mittebantur, ut imperii facultates haberet perspectas, vix credibile est tot rebus simul cognoscendis, et ad examen suum revocandis animum adhibere potuisse; quod perfacile erat, si res ordine gesta esset. Ex his autem censualibus tabulis videtur breviarium imperii Suetonio et Dioni memoratum Augustus confecisse. Igitur si meditullio imperii percensendo tribuamus quadriennium, censum agi cœptum in Syriâ dicemus eo anno, qui postre-

mus fuit Saturnini. Cùm autem res abiret in diem, videtur excessisse magistratu ante absolutum censum, ejusque peragendi curam successori suo P. Quintilio Varo reliquisse. Qui cùm instaret operi, tùm natus est Jesus Dominus. Præside Quintilio Varo natum esse Jesum colligi potest ex Josephi Antiquitatum libro decimo septimo, capite septimo, ubi legimus ab aliquo jam tempore Varum præfuisse Syriæ, cùm ad patrem Herodem Antipater rediit. Aliquantùm etiam intercessit temporis inter Antipatri reditum et Herodis obitum. Atqui anno ipso quo natus est Christus Jesus, vel proximo certè obiisse Herodem, optimorum chronologorum sententia est. Ergò mihi veri videtur quàm proximum, Syriam regente Quintilio Varo Jesum Christum natum esse, atque in censum venisse à Saturnino inchoatum, cùm eum Quintilius Varus absolveret. Omnes igitur omninò extricaverimus difficultates, si apud Lucam pro κυρηνίου, legamus κυϊντιλίου, quod facilè patitur similitudo nominum et characterum affinitas. Ut sic recudatur totus ille versiculus Lucæ: αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς συρίας κυϊντιλίου. Prima dicitur illa descriptio, quòd non antea vocata fuisset ad censum Judæa. Patet ex Justino adversùs Tryphonem: « Cùm primus ille census sub Cyrenio tunc ageretur, ascendit (Joseph) Nazaretho, ubi domicilium habebat, Bethlehemum, undè erat oriundus, ut in censum referretur. » Jam verò promptus est et liquidus Tertulliani intellectus, qui libro quarto adversus Marcionem, cap. 19, sic disserit: « Sed et census constat actos sub Augusto nunc in Judæam per Sentium Saturninum, apud quod genus ejus inquirere potuissent. » Census ait actos per Saturninum, qui eos inchoavit et provexit, sed magistratu abire jussus opus absolvendum Quintilio reliquit. Si quis nostram hanc opinionem cum aliis omnibus hactenùs propositis contendat, longè simpliciorem esse angustiisque longè sese expedire faciliùs et minùs sibi permittere reperiet. Nam Beza, cujus expositionem Scaliger, aliique quos dixi, tanto consensu, illaudato ipsius auctore, exceperunt, fingit duos à Quirinio census actos, quod nullius defendi potest auctoris suffragio, et à Josepho fuisse prætermissum vix credibile est. Multò minùs etiam probabile est συρίας ἡγεμόνα, *Syriæ præsidem* appellari, qui censitor et τιμητὴς tantùm fuit. Atenim temeritatis fortassè aliquis non arcesset et audaciæ, qui receptam in Evangelio Lucæ lectionem sollicitemus, quasi sacros illos apices refingamus ad libitum, et divina oracula ad arbitrium nostrum revocemus. A quo tantùm certè absumus, ut summam illis reverentiam a nobis et ab aliis exhiberi velimus. Neque vero quicquam hàc in parte putamus esse peccatum, cùm viros orthodoxos habeamus itidem et heterodoxos, quorum exemplum sequamur. Præterea in Lucæ Evangelium maximas Marcionistarum, priscorumque hæreticorum corruptelas incubuisse memoriæ ab Epiphanio, Hær. 42, c. 11, proditum est. Legi velim quæ in eam rem scripta sunt à Sixto Senensi libro Bibliothecæ septimo, hær. 4. Neque hunc duntaxat, sed reliquos etiam Testamenti utriusque libros mendis fuisse obnoxios, cùm variantes lectiones quæ à multis sunt collectæ, et veterum interpretationes quas observare licet, tùm et crebræ sanctorum Patrum, Origenis præsertim, Chrysostomi et Hieronymi testificationes nos edocent. Objici id etiam potest, probabile non esse censum illum secundum ab Augusto institutum, à magistratu Romano habitum fuisse in Judeâ, cujus rex erat Herodes summo et optimo jure, et ad cujus pertinebat officium tributa exigere à subditis. Respondeo à beneficiario jure regnum hoc Herodem tenuisse, proptereàque certa tributa Romanis pependisse, quemadmodùm tradit Appianus (Bell. civil., lib. 5). Census autem agebantur non ad exigenda solùm tributa, sed ad cognoscendas etiam singulorum facultates, ætates, familias, artes, et officia. Intererat autem Romanorum perspectas habere vires Judææ terræ, cujus supremum dominium ad se pertinebat; et ex quâ stipendia Pompeius, aliique Romanorum magistratus jam antè perceperant. Venerunt ergo in censum Judæi, sed pro suâ conditione; alius enim fuit eorum census, qui jure Quiritium, alius eorum qui jure Latii, vel qui jure Italico, vel qui jure Provinciarum, vel qui jure beneficiario censebantur. Nec regnorum solum et provinciarum, sed et urbium etiam diversa erant jura. Patet id ex Digestorum titulo de censibus. Suo ergo jure ad censum venit Judæa, cùm ab Augusto census est institutus, nempè citrà indictionem tributi.

4° Tertio hoc argumento Evangelii Lucæ veritatem oppugnat Bodinus, quòd ad hunc censum neutiquàm vocati sint peregrini, aut socii, aut vectigales, sed cives tantùm Romani; testemque citat Eusebium (Chron. lib. 2), qui et civium hoc censu descriptorum numerum designat; Jesus autem, cùm non fuerit Romanus civis, censeri non debuerit. Verùm etsi

Romanorum civium numerum expressit Eusebius, non indè rectè colligitur cives tantùm professionem edidisse; nec civium omnium, sed eorum tantùmmodò qui arma ferre possent, nomina in publicum edi solebant. Livius de primo censû quem fecit Servius Tullius : « Millia octoginta civium censa dicuntur. Adjicit scriptor antiquissimus Fabius, eorum qui ferre arma possent eum fuisse numerum. » (Lib. 1, cap. 44.) Nihilominùs tamen in tabulas censuales reliquorum quoque omnium relata fuêre nomina. Undè Justinus, Tertullianus et Chrysostomus, apographas consuli jubent, in quibus Jesu nomen à Quirinio descriptum erat. Porrò provinciarum, itidem ut civium, habebantur census lustrales aliquandò, hoc est quibus completis lustrum conderetur, aliquandò sine lustro. Extrà lustrum missus est ab Augusto in Syriam Quirinius, « qui jus genti redderet, et facultates censeret : » Verba sunt Josephi lib. 18, cap. 1. Extrà lustrum quoque censum à tribus Galliis egit Augustus, cùm Narbone conventum ageret; et deindè Germanicus, et Claudius, et Volusius, Africanus, ac Trebellius sub Nerone, et Adrianus et Julianus. At census ille in Syriâ per Saturninum et Varum actus, cùm secundi censûs Augusti pars fuerit, ut dixi, per lustrum actus fuit; tres enim Augusti census, de quibus suprà diximus, lustrales fuisse docet nos monumentum Ancyranum. Præthereà per ordinarios magistratus, aliquandò census habebantur, velut iste, nascente Christo, actus fuit per Saturninum et Varum, Syriæ præsides, item alter ille post Archelai exilium in Syriâ per Quirinium præsidem actus. Aliquandò verò agebantur per extraordinarios magistratus, censûs tantùm habendi causâ missos. Velut ille, quem commemorat Dio, lib. 56, ab Augusto institutus penultimo vitæ anno, aliis aliò ob hanc causam missis. Vigenti viros spectatæ probitatis ad id ab Augusto delectos fuisse scribit Suidas in Απογρ., Tit. 57, de cens. et censit. et Peræq. et Inspect. Cod. lib 11. Hanc curam qui suscipiebant, censitores, et peræquatores, et inspectores appellantur in codice. Græci ἐξισωτὰς dicunt : cujusmodi fuerunt Hellenius et Julianus, in Cappadociam ad id munus missi, quos scriptis suis celebravit Gregorius Nazianzenus in Orat 91 ad Jul. ἐξισωτάς. Igitur manifesta est Bodini Semijudæi inscitia, qui Christum Jesum censum fuisse negat hoc argumento, quòd vectigales, socii, et peregrini minimè censi fuerint.

5° Summæ etiam imperitiæ ac supinitatis illud est, quòd objicere pergit Bodinus, nullum unquam fuisse tàm acerbum censorem, qui homines censendi causâ loca mutare coegerit; molestiæ futurum id fuisse intolerabilis, et sumptûs infiniti; sed illic censum fuisse unumquemque, moribus Romanorum, ubi domicilium habuit; Cæsarem ipsum dictatorem, cùm censum populi haberet, ad singulas domos civium Romæ tunc habitantium adiisse. Respondeo primo censum hunc Julii Cæsaris fuisse extraordinarium, nec more, nec loco solito habitum, ut observat Tranquillus, c. 42, in Jul., nec eum censum fuisse lustralem, nec à Cæsare tanquàm censore, sed tanquàm præfecto morum actum, cujusmodi censum et ab Augusto fuisse deindè initum, præter tres eos census suprà memoratos; itaque non *censum* à Suetonio, sed *recensum* appellari, quemadmodum et in Epitome Livii, lib. 115. Alio prætereà falsum esse, neminem coactum fuisse censendi causâ loca mutare. Notat Livius, lib. 38, cap. 37, et lib. 42, cap. 9, Coss. Valerio Messalâ, et Livio Salinatore, Campanos ex Senatusconsulto Romæ censeri fuisse coactos, cùm incertum fuisset anteà ubi censerentur. Notat idem, C. Popillio Lænate, et P. Ælio Ligure Coss. cùm lustrum conderent censores Q. Fulvius Flaccus, A. Postumius Albinus, minorem aliquantò fuisse numerum, « quia Postumius consul pro concione edixerat, qui sociûm Latini nominis, ex edicto C. Claudii consulis redire in civitates suas debuissent, ne quis eorum Romæ, sed omnes in suis civitatibus censerentur. » Ulpiani libro tertio de Censibus verba hæc sunt : « Is verò qui agrum in aliâ civitate habet, in eâ civitate profiteri debet, in quâ ager est; agri enim tributum eam civitatem debet levare, in cujus territorio possidetur. » Exstat id l. Forma, § 2. D. de Censibus. Habetur quoque lex imp. Theodosii et Valentiniani, cod. de naturalibus liberis, quam hìc referre operæ pretium est : « Si quis, seu liber ipse, seu curiæ sit nexibus obligatus, et tradendi filios naturales, vel omnes, vel quos quemve maluerit; ejus civitatis curiæ, undè ipse oritur, et in solidum hæredes scribendi liberam ei concedimus facultatem. Quòd si cui non ex urbe, sed ex vico, vel possessione quâlibet oriundo naturales liberi contigerint, eosque velit sub definitione prædictâ curiæ splendore honestare, et hæreditatis opibus adjuvare, civitatis adscribendi sunt ordini, sub quâ vicus ille ac possessio censetur. » His adsonat No-

vella 89, cap. 2, § 2. « Si quis igitur ex quâlibet oriatur civitate, sive curialis, sive etiam liber hujus modi sit fortuna, licebit ei suum naturalem offerre filium curiæ illius undè oritur civitatis. Si verò nec civis ipse consistat, sex ex villâ quâdam aut vico sit oriundus, illi à patre offeratur civitati, aut semetipsum offerat, sub quâ civitate villa aut vicus tributa persolvit. » Ex his sequitur professionem, legibus Romanis, sequi debuisse locum undè origo ducebatur. Peculiare etiam id Judæis fuit, qui in tribus, familias et domos distributi erant. Cùm censeri populum jussit David, censum tribûs Juda seorsùm adnotavit sacer historicus, quod non fecisset utique, nisi seorsùm censa fuisset. Moribus ergò Romanorum et Judæorum conferre se Josephus debuit in tribum suam, quæ Judæ fuit, et in patriam Davidis patrumque ipsius, undè genus ducebat, quæ Bethlehem fuit.

6° Nec minoris tarditatis plenum est ac stuporis postremum Bodini argumentum, quo feminas in censum venisse negat, nedùm gravidas et partui proximas (cujusmodi fuit Maria, Christi Jesu mater, cùm censendi causâ Bethlehemum venit), ad tantum iter suscipiendum fuisse coactas. Cui probando Livium citat, quem ait, quotiescunque civium numerum ex censibus describit, hæc ferè verba subjicere: *Præter mulieres;* neque verò Mosem aut Davidem, habitis à se censibus, feminas aut pueros annis viginti minores censuisse. Ego verò existimo verba, quæ post descriptionem censuum aliquibus locis adjecit Livius, *Præter orbos, orbasque,* vel, *Præter pupillos et viduas,* longè aliter explicanda esse ac à Bodino explicantur; non enim censu exclusos significant *orbos et orbas,* sed potiùs in censum eos quoque venisse, etsi numerum non exprimit Livius. Locupletem damus fidejussorem Dionysium Halicarnasseum, lib 1 et 5, et 9. Is de censûs institutione disserens, cujus auctor fuit Servius Tullius, singulorum ait relata fuisse in censum nomina, parentum item, liberorum, et conjugum. Idem alibi censum à Servio Tullio rege institutum docet à T. Largio primo dictatore fuisse instauratum, descriptis singulorum nominibus, uxorumque et liberorum. Liquet id etiam ex Ciceronis libro tertio de Legibus: « Censores populi, ævitates, soboles, familias pecuniasque censento. » Factum id dicet Bodinus Romæ, non in provinciis, proindèque nec in Syriâ. At os illi occludet Ulpianus, homo Syrus, Tyro oriundus cujus verba hæc sunt è libro secundo de Censibus: « In Syriis, à quatuordecim annis masculi, à duodecim feminæ, usque ad sexagesimum annum, tributo capitis obligantur. » Id legas lib. 3 D. de Censibus. De nihilo est quod subjicit Bodinus, censibus à Mose et Davide actis exclusos fuisse pueros et feminas; nam etiamsi eorum expressa sint duntaxat nomina qui arma ferre possent, non ex eo colligitur reliquam multitudinem, senum, feminarum et puerorum in censum non venisse; sæpè enim et Livius, ut monui, eorum tantùm describit numerum, qui armis erant idonei, quamvis et alii quoque, cujuscumque tandem ætatis essent vel sexûs, censerentur. Prætereà Mariam matrem Christi fuisse ἐπίκληρον, proptereàque Josepho proximo agnato ex lege Mosis nupsisse, à viris eruditis demonstratum est. Quo posito, eam certè ad censum venisse oportuit, alioqui sublatum fuisset nomen patris illius de familiâ suâ, quia non habuit filium; atque ità violata esset lex à Deo sancita, cum Salphaadi filiabus ἐπικλήροις paterna hæreditas adjudicata est. Rectè ergo Tertullianus: « Apud Romanos in censu descripta est Maria, ex quâ nascitur Christus. »

CAPUT XI.

De nomine Jesu, quod Servatorem sonat.

Isa. c. 12, 3: « Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. »

Isa. c. 51, v. 5: « Propè est Justus meus; egressus est Salvator meus. »

Isa. c. 62, v. 1, 11: « Propter Sion non tacebo, et propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor Justus ejus, et salvator ejus ut lampas accendatur...... Ecce Dominus auditum fecit in extremis terræ: Dicite filiæ Sion: Ecce Salvator tuus venit, ecce merces ejus cum eo, et opus ejus coràm illo. »

Isa. c. 63, v. 8, 9: « Et dixit (Dominus): Verumtamen populus meus est, filii non negantes; et factus est eis Salvator. In omni tribulatione eorum non est tribulatus, et Angelus faciei ejus salvavit eos. »

Habac. c. 3, v. 13. *juxtà Sextam editionem:* « Ἐξῆλθες τοῦ σῶσαι τὸν λαόν σου διὰ Ἰησοῦν Χριστόν σου. Exiisti ad servandum populum tuum per Jesum Christum tuum. »

Habac. c. 3, v. 17: « Ego autem in Domino gaudebo, et exultabo in Deo Jesu meo. »

Zach. c. 9, v. 9: « Exulta satis filia Sion; jubila, filia Jerusalem: Ecce rex tuus veniet tibi justus et Salvator.

Matth. c. 1, v. 20 *et seq.*: « Angelus Domini

apparuit in somnis ei (Josepho) dicens : Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in eà natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem Filium, et vocabis nomen ejus Jesum ; ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum...... Et non cognoscebat eam (Joseph), donec peperit Filium suum primogenitum, et vocavit nomen ejus Jesum. »

Luc. c. 1, v. 30, 31 : « Et ait Angelus ei : Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero, et paries Filium, et vocabis nomen ejus Jesum. »

Luc. c. 2, v. 21 : « Et postquàm consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo, priusquàm in utero conciperetur. »

Hebraicum Christi nomen est ישוע unde prisci Judæi et recentiores postremam litteram detriverunt, ut superesset ישו, sive quod litteram illlam pronuntiare difficile sit, sive quod salutare hoc nomen Christo Jesu tribuere verpi illi recusarent. Rem enim dubiam relinquit Elias in Thisbi. Utut est, vulgatum inter illos Christi Jesu nomen est ישו, quod in aliquibus Veteris Testamenti locis ad Christum pertinentibus reperitur; collectis ראשי תיבות, *capitibus dictionum*, per eam Cabalæ artem quam Rabini appellant כתב נוטריקון, hoc est, *scripturam quæ fit per notas*. Velut in quadragesimo nono capite Geneseos, commate decimo, quod Messiam prædicere satis constat ex iis quæ superius disseruimus, hæ voces extant : ולו יבא שילה, quarum achrostichis est ישו. Item in Psalmo septuagesimo primo, qui venturi Messiæ vaticinium est, hæc legas commate decimo septimo : ינון שמו ויתברכו, quarum dictionum si summa elementa conjunxeris, exurget dictio ישו. Messiam quoque prænuntiat Psalmus nonagesimus quintus, cujus duodecimus versiculus ab his vocibus capit initium : יעלוז שדי וכל, quarum siglia dant vocabulum ישו. Quæ quanquam sunt Judæicæ vanitatis plenissima, suis tamen artibus impuri homines revincendi sunt, et suo sibi gladio jugulandi. Quin et serpentium morsus, et haustus veneni, nomine Jesu sanatos fuisse Thalmudistæ referunt in libro De sabbatho, capite decimo quarto, et in Avoda Zara, secundo capite.

CAPUT XII.

De nomine Emmanuel, quod significat : Nobiscum Deus.

Isa. c. 7, v. 14 : « Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. »

Matth. c. 1, v. 20 *et seq.* « Angelus Domini apparuit in somnis ei (Josepho) dicens : Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in eà natum est, de Spiritu sancto est ; pariet autem Filium, et vocabis nomen ejus Jesum ; ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem : Ecce Virgo in utero habebit, et pariet Filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum : Nobiscum Deus : »

Joan. c. 1, v. 14 : « Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. »

Etsi gematricæ artis Judæorum summa inanitas est, quoniam tamen ad oppugnandam Christianorum causam eâ utuntur aliquandò Judæi, retorquenda in auctores hæc stoliditas est. Legitur in Sepher Aemana, cap. 2, juxtà disciplinæ hujus ratiocinia, ἰσοψήφοις esse, dictionem hanc *Emmanuel*, עמנואל, et illam *Jesus*, ישועה. Undè unum eumdemque esse Emmanuelem illum ab Isaiâ prænuntiatum, ac Jesum Dominum, si sibi constare et doctrinæ suæ præceptis consentanea loqui velint, fateri omninò necesse habent Masorethæ.

CAPUT XIII.

Magi Jesum adorant, eique munera offerunt.

Psalm. 71, v. 9 *et seq* : « Coràm illo procident Æthiopes, et inimici ejus terram lingent. Reges Tharsis et insulæ munera offerent reges Arabum et Saba dona adducent..... Et vivet, et dabitur ei de auro Arabiæ. »

Isa. c. 8, v. 3, 4 : « Et dixit Dominus ad me : Voca nomen ejus, accelera spolia detrahere, festina prædari ; quia antequàm sciat puer vocare patrem suum, et matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, et spolia Samariæ coràm rege Assyriorum.

Isa. c. 60, v. 6 : « Omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes. »

Matth. c. 2, v. 1 *et seq.* : « Cùm ergò natus esset Jesus in Bethlehem Juda, in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam, dicentes : Ubi est, qui natus est Rex Judæorum ?.... Intrantes domum invenerunt puerum cum Mariâ, matre ejus, et procidentes adoraverunt eum, et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham. »

CAPUT XIV.

Jesus fugit in Ægyptum, et post diuturnam moram redit in patriam.

Ose, cap. 2, v. 1 : « Ex Ægypto vocavi filium meum. »

Matth., c. 2, v. 14 et seq. : « Qui (Joseph) consurgens accepit puerum, et matrem ejus nocte, et secessit in Ægyptum, et erat ibi usque ad obitum Herodis; ut adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem : Ex Ægypto vocavi filium meum...... Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Ægypto, dicens : Surge, et accipe puerum et matrem ejus, et vade in terram Israel; defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri. Qui consurgens accepit puerum et matrem ejus, et venit in terram Israel. »

CAPUT XV.

Infantium cædes ab Herode perpetrata.

Jerem. c. 31, v. 15 : « Hæc dicit Dominus : Vox in excelso audita est lamentationis, luctus, et fletus Rachel plorantis filios suos, et nolentis consolari super eis, quia non sunt. »

Matth. c. 2, v. 16 et seq. : « Tunc Herodes videns quoniam illusus esset à Magis, iratus est valdè, et mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem, et in omnibus finibus ejus, à bimatu et infrà, secundùm tempus quod exquisierat à magis. Tunc adimpletum est quod dictum est per Jeremiam Prophetam dicentem : Vox in Rama audita est, ploratus et ululatus multus; Rachel plorans filios suos, et noluit consolari, quia non sunt. »

Memorabile est, et ad fidem Evangelicæ historiæ conciliandam peropportunum Augusti dictum, de Herodis sævitiâ in Judæorum infantes, ipsumque adeò ejus filium, quod refertur à Macrobio lib. 2, cap 4. « Cum audisset, *inquit*, inter pueros, quos in Syriâ Herodes, rex Judæorum intrà bimatum jussit interfici, filium quoque ejus occisum, ait : Melius esse Herodis porcum esse quàm filium. » Filius ille Herodis inter pueros Judæos Bethlehemitas à patre interfectus, ecquis tandem fuerit, variè est ab eruditis disceptatum. Baronius aliique censent fuisse eum infantem recens natum, jussu patris cum aliis interfectum, ne is foret ad quem, ex Magorum vaticinio, regnum Judæorum esset perventurum; ejus mentionem fuisse prætermissam à Josepho, quem alias res complures memoriâ dignas silentio quoque pressisse constat; velut Jobi historiam et Piscinæ ad Probaticam portam, cujus præter Joannem Benjamin quoque meminit in Itinerario. Hanc opinionem meritò refellit Casaubonus. (adv. Baron. Exercit. 2, cap. 16. Opinatur Grotius, in Matth. c. 2, v. 16, duas historias in unam confudisse Macrobium, alteram de Bethlehemitarum infantium cæde, quam ex libris Christianorum, Christianus fortassè et ipse acceperat; alteram de cæde Antipatri à patre Herode interfecti; cujus opinionis argumenta profert nonnulla. Equidem Antipatrum à Macrobio notari existimo, sic tamen ut non duas in unum confuderit historias, sed unicam historiam, eamque distinctam ac veram narraverit. Nam quod scribit occisum eum fuisse inter pueros Bethlehemitas, non sic intelligendum est, quasi unus fuerit ex his pueris, sed quo tempore trucidati illi sunt, eodem et hunc morte fuisse affectum. Inane ergò est quod objicit Grotius, Antipatrum jam provectum ætate, quique Bethlehemi non erat, cùm interficerentur Bethlehemitici infantes, non satis rectè dici inter eos fuisse occisum. Cædes modo Antipatri et infantium eodem circiter tempore, ejusdemque hominis jussu patrata sit, etiamsi magnum inter hos illumque fuerit discrimen ætatis, nec eodem loco cæsi sint, jure dicetur inter illos fuisse necatus : cùm præsertìm non intrà Bethlehemi oppidi muros laniena hæc grassata sit, sed omnes ejus fines fuerit pervagata, ut habet Evangelista. Addit Grotius Antipatrum quinto antè Herodis mortem die fuisse occisum : puerorum autem cædem aliquantò antè contigisse, idque intelligi ex eo quòd defuncto Herode in patriam ex Ægypto statìm Joseph cum Jesu et Mariâ redierit. Si tempora rectè distinxeris, plana omnia fient. Nam post discessum Magorum, de capessendâ in Ægyptum fugâ admonitus Joseph ab Angelo, illùc statìm profectus est. Secuta est deindè aliquantò post cædes. Hanc excepit Antipatri interitus. Exstinctus est quinto post die Herodes ipse. Rumor postmodùm confusus, ut fit, et indistinctus de cæde infantium et Antipatri dissipatur, venitque ad Augustum; qui re nondùm accuratè exploratâ, neque discrimine locorum, aut facinoris modo, causisve intellectis, memor jam duos ab Herode filios priùs interfectos, Alexandrum et Aristobulum, melius esse dixit Herodis porcum esse quàm filium. Instat Grotius, aitque dictum ad Antipatri, non ad puerorum cædem pertinere, atque indè apparere priùs illud solùm ad Augustum esse perlatum, Macrobium vero illuc παιδοκτονίας men-

tionem perperam attexuisse. Quod ità se habere non concedimus : nam ut atrocius Augusto visum est, Herodem in provectæ jam ætatis filium, regnique sui successorem testamento designatum, ac suæ jam dignitatis participem sæviisse, quam in ignobile puerorum vulgus, ità illud potiùs dicto falso, quam istud prosecutus est. Fortassè et de παιδοκτονία quid sentiret adjecit, sed à Macrobio, vel ab eo undè accepit Macrobius, prætermissum hoc est, cui jocos tantùm Augusti referre fuerat propositum. Constet ergò hâc in parte sua fides Macrobio, qui illustri testimonio Evangelicam hanc historiam asseruit.

CAPUT XVI.

Jesus habitat Nazarethi, et Nazaræus appellatur.

Judic. c. 13, v. 5, 7 : « Concipies et paries filium, cujus non tanget caput novacula; erit enim Nazaræus Dei ab infantiâ suâ, et ex matris utero; et ipse incipiet liberare Israel de manu Philistinorum....... Ecce concipies et paries filium, cave ne vinum bibat, nec siceram, nec aliquo vescaris immundo; erit enim puer Nazaræus Dei ab infantiâ suâ, ex utero matris suæ, usque ad diem mortis suæ. »

Isa. c. 11, v. 1, *juxtà hebraicum exemplar :* « Et egredietur virga de radice Jesse, et Nazaræus de radice ejus ascendet. »

Isa. c. 53, v. 2 : « Et ascendet sicut virgultum, et sicut radix de terra sitienti. »

Matth. c. 2, v. 22, 23 : « Admonitus (Joseph) in somnis, secessit in partes Galilææ. Et veniens habitavit in civitate quæ vocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum est per prophetas : Quoniam Nazaræus vocabitur. »

Luc. c. 9. v. 39 et seq. : « Et ut perfecerunt (Joseph et Maria) omnia secundùm legem Domini, reversi sunt in Galilæam, in civitatem suam Nazareth. Puer autem crescebat....... Et descendit (Jesus) cum eis, et venit Nazareth, et erat subditus illis. »

CAPUT XVII.

Joannes Christi Præcursor.

Isa. c. 40, v. 3 et seq. : « Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. Omnis vallis exaltabitur, et omnis mons et collis humiliabitur, et erunt prava in directa, et aspera in vias planas. Et revelabitur gloria Domini, et videbit omnis caro pariter quòd os Domini locutum est. »

Mal. c. 3, v. 1 : « Ecce ego mitto Angelum meum, et præparabit viam antè faciem meam; et statìm veniet ad templum suum Dominator quem vos quæritis, et Angelus Testamenti quem vos vultis. »

Matth. c. 3, v. 1 et seq. : « In diebus autem illis venit Joannes Baptista prædicans in deserto Judææ, et dicens : Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum. Hic est enim qui dictus est per Isaiam Prophetam dicentem : Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus. »

Matth. c. 11, v. 7, 10 : « Cœpit Jesus dicere ad turbas de Joanne....... Hic est de quo scriptum est : Ecce ego mitto Angelum meum antè faciem tuam, qui præparabit viam tuam antè te. » *Et Luc.* c. 7, v. 27.

Marc. c. 1, v. 1 et seq. : « Initium Evangelii Jesu Christi, filii Dei : sicut scriptum est in Isaiâ Prophetâ : Ecce ego mitto Angelum meum antè faciem tuam, qui præparabit viam tuam antè te. Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.

Luc. c. 1, v. 76 : « Et tu, puer, Propheta Altissimi vocaberis; præibis enim antè faciem Domini, parare vias ejus. »

CAPUT XVIII.

Spiritus sanctus descendit super Jesum recens baptizatum; cui et testimonium perhibetur à Deo Patre, tunc, et cùm transfiguratus est.

Isa. c. 11, v, 1 *et seq. :* « Et egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum spiritus Domini. »

Isa. c. 42, v. 1 *et seq. :* « Ecce servus meus, suscipiam eum; electus meus, complacuit sibi in illo anima mea; dedi spiritum meum super eum; judicium gentibus proferet. Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox ejus foris; calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non exstinguet; in veritate educet judicium. Non erit tristis, neque turbulentus, donec ponat in terrâ judicium, et legem ejus insulæ exspectabunt. »

Isa. c. 61, v. 1 *et seq. :* « Spiritus Domini super me, eo quòd unxerit Dominus me; ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et prædicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem, ut prædicarem annum placabilem Domino, et diem ultionis Deo nostro. »

Matth. c. 3, v. 16, 17 : « Baptizatus autem Jesus confestim ascendit de aquâ, et ecce aperti

sunt ei cœli; et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se. Et ecce vox de cœlis dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. » *Et Marc.* c. 1, v. 9 *et seq., et Luc.* c. 3, v. 21, 22.

Matth. c. 12, v. 15 *et seq.* : « Jesus autem sciens recessit indè, et secuti sunt eum multi, et curavit eos omnes: et præcepit eis ne manifestum eum facerent. Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam dicentem : Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus, in quo benè complacuit animæ meæ. Ponam Spiritum meum super eum; judicium gentibus nuntiabit. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus; arundinem quassatam non confringet, et linum fumigans non exstinguet; donec ejiciat ad victoriam judicium : et in nomine ejus gentes sperabunt. »

Matth. c. 17, v. 5 : « Adhuc eo loquente, ecce nubes obumbravit eos. Et ecce vox de nube dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui : ipsum audite. » *Et Marc.* c. 9, v. 6, *et Luc.* c. 9, v. 34, 35.

Joan. c. 1. v. 32 *et seq.* : « Et testimonium perhibuit Joannes dicens : Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cœlo, et mansit super eum. Et ego nesciebam eum; sed qui misit me baptizare in aquâ, ille mihi dixit : Super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Et ego vidi, et testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei. »

2 *Petr.* c. 1, v. 17 : « Accipiens enim à Deo Patre honorem et gloriam, voce delapsâ ad eum hujuscemodi à magnificâ gloriâ : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui; ipsum audite. »

CAPUT XIX.

Jesus unctus à Deo.

Psalm. 2, v. 2 : « Adstiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum; adversùs Dominum et adversùs Christum ejus. »

Psalm. 44, v. 8 : « Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem, propterea unxit te, Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis. »

Isa. c. 61, v. 1 : « Spiritus Domini super me, eo quòd unxerit Dominus me. »

Thren. c. 4, v. 20 : « Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris; cui diximus : In umbrâ tuâ vivemus in gentibus. »

Luc. c. 4, v. 17 *et seq.* : « Et traditus est illi liber Isaiæ Prophetæ. Et ut revolvit librum, invenit locum ubi scriptum erat : Spiritus Domini super me, propter quòd unxit me....... Cœpit autem dicere ad illos : Quia hodiè impleta est hæc Scriptura in auribus vestris. »

Act. c. 2, v. 36 : « Certissimè sciat ergò omnis domus Israel quia et Dominum eum et Christum fecit Deus hunc Jesum quem vos crucifixistis. »

Act. c. 4, v. 26, 27 : « Adstiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum, adversùs Dominum et adversùs Christum ejus : convenerunt enim verè in civitate istâ adversùs sanctum puerum tuum Jesum quem unxisti, Herodes et Pontius Pilatus. »

Act. c. 10, v. 37, 38 : « Vos scitis quòd factum est verbum per universam Judæam; incipiens enim à Galilæâ, post baptismum quod prædicavit Joannes, Jesum à Nazareth, quomodò unxit eum Deus Spiritu sancto et virtute. »

Hebr. c. 1, v. 8, 9 : « Ad Filium autem : Thronus tuus Deus in sæculum sæculi; virga æquitatis, virga regni tui; dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem; propterea unxit te, Deus, Deus tuus, oleo exsultationis præ participibus tuis. »

CAPUT XX.

Jesus jejunat et esurit.

Psalm. 33, v. 13 : « Humiliabam in jejunio animam meam, »

Psalm. 68, v. 11 : « Et operui in jejunio animam meam. »

Psalm. 108, v. 24 : « Genua mea infirmata sunt à jejunio. »

Matth. c. 4, v. 2 : « Et cùm jejunâsset (Jesus) quadraginta diebus et quadraginta noctibus, posteà esuriit. » *Et Luc.* c. 4, v. 2.

Matth. c. 21, v. 18 : « Mane autem revertens (Jesus) in civitatem esuriit. » *Et Marc.* c. 11, v. 12.

CAPUT XXI.

Jesus Verbum Dei.

Psalm. 106, v. 20 : « Misit Verbum suum, et sanavit eos, et eripuit eos de interitionibus eorum. »

Isa. c. 55, v. 10, 11 : « Quomodò descendit imber et nix de cœlo, et illùc ultrà non revertitur, sed inebriat terram, et infundit eam, et germinare eam facit, et dat semen serenti, et panem comedenti; sic erit Verbum meum quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me

vacuum, sed faciet quæcumque volui, et prosperabitur in his ad quæ misi illud. »

Joan. c. 1, v. 14 : « Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. »

Apoc. c. 19, v. 11, 13 : Et vidi cœlum apertum, et ecce equus albus, et qui sedebat super eum vocabatur fidelis et Verax...... et vestitus erat veste aspersâ sanguine, et vocatur nomen ejus Verbum Dei. »

Christum Jesum esse Verbum Dei agnoscunt Muhammedani; adeò ut Verbum Dei, proprium ipsi nomen Alcoranus assignet in sur. 4, quod et à Rabbinis observatum est. Sed et R. Isaac ben Aramah librum Numerorum explanans hanc clausulam, quam hic è Psalmo centesimo sexto proponimus : « Misit Verbum suum et sanavit eos, et eripuit eos de interitionibus eorum, » non in Messiâ solùm, sed et in Jesu eventum habere satis clarè docet; venisse enim ait ad sanandos omnes, sed non ab omnibus fuisse receptum, verùm ab aliquibus tantùm, iisque rudioribus et obtusi ingenii viris, piscaturam in mari exercentibus. Quod et probat sequenti Psalmi ejusdem commate : « Quid descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis, ipsi viderunt opera Domini et mirabilia ejus in profundo. » Quæ Christi Jesu Apostolos haudquaquàm obscurè notant. Plurima afferuntur Thargumistarum loca, quibus יהוה redditur, *Verbum Dei.* Scio quid contrà afferat Theodoricus Hackspanus (De usu libror. Rabbinic. cap. 2), ut ostendat מימר idem significare ac αὐτὸς, quemadmodùm et נפש, *Anima;* adeò ut *Verbum meum* et *Anima mea* nil aliud sonent quam, *Ego :* Ut in Levitico, c. 25, v. 46 : « Hæc sunt judicia, atque præcepta et leges quas dedit Dominus inter se, et inter filios Israel. » Pro, *inter se,* Onkelos habet : *inter Verbum suum.* Sexcenta hujusmodi proferuntur. Sed alia sunt, in quibus locum habere non potest hæc interpretatio; cujusmodi est istud è Psalmi centesimi noni primo commate : *Dixit Dominus Domino meo*, quod Christum haud dubiè respicit, vel ipsis priscis Judæis testibus, ut suprà ostendi. Id ità exponit Jonathan : *Dixit Dominus verbo suo.* Ex quo conjicere possumus in aliis quoque Thargumistarum sententiis vocem מימר, licet ambiguæ sit significationis, et ad Deum simpliciter, vel ad Verbum Dei referri possit, non semper tamen priorem obtinere sensum, quod vult Hackspanus, sed et aliquandò secundum.

CAPUT XXII.

Jesus Filius Dei.

Reg. c. 7, v. 13, 14 : « Ipse ædificabit domum nomini meo, et stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum. Ego ero ei in Patrem, et ipse erit mihi in Filium. »

Psalm. 2, v. 7 : « Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodiè genui te. »

Psam. 88, v. 28, 20 : « Ipse invocabit me : Pater meus es tu, Deus meus, et susceptor salutis meæ. Et ego primogenitum ponam illum, excelsum præ regibus terræ. »

Psalm. 109, v. 1, *et seq.* : « Dixit Dominus Domino meo : Sede à dextris meis..... Ex utero antè luciferum genui te. »

Prov. c. 8, v. 22 *et seq.* : « Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequàm quidquam faceret à principio...... Nondùm erant abyssi, et ego jam concepta eram...... antè colles ego parturiebar. »

Prov. c. 30, v. 4 : « Quis ascendit in cœlum atque descendit? Quis continuit spiritum in manibus suis? quis colligavit aquas quasi in vestimento? quis suscitavit omnes terminos terræ? quod nomen est ejus, et quod nomen filii ejus, si nôsti? »

Sap. 2, v. 1, 12 *et seq.* : « Dixerunt cogitantes apud se non recte.... Circumveniamus Justum, quoniam inutilis est nobis..... Promittit se scientiam Dei habere, et Filium Dei se nominat.... gloriatur patrem se habere Deum.... Si est verus Filius Dei, suscipiet eum. »

Isa. c. 45, v. 8 : « Rorate cœli desuper, et nubes pluant Justum, aperiatur terra, et germinet Salvatorem, et justitia oriatur simul : ego Dominus creavi eum. »

Ose. c. 11, v. 1 : « Ex Ægypto vocavi Filium meum. »

Mich. c. 5, v. 2 : « Et tu, Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda; ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel : et egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis. »

Matth. c. 3, v. 17, et c. 17, v. 5 : « Et ecce vox de cœlis dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. » *Et Marc.* 1, v. 11, *et Luc.* 3, v. 22, *et Joan.* c. 1, v. 34. »

Matth. c. 4, v. 3, 6 : « Et accedens Tentator dixit ei : Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant..... Si Filius Dei es, mitte te deorsùm. » *Et Luc.* c. 4, v. 3, 9.

Matth. c. 8, v. 29 : « Et ecce clamaverunt dicentes : Quid nobis et tibi, Jesu, Fili Dei? *Et Marc.* c. 5, v. 7, *et Luc.* c. 8, v. 28.

Matth. c. 10, v. 32 : « Omnis qui confitebitur me coràm hominibus, confitebor et ego eum coràm Patre meo, qui in cœlis est ; qui autem negaverit me coràm hominibus, negabo et eum coràm Patre meo, qui in cœlis est. » *Et Luc.* c. 9, v. 26, *et Apoc.* c. 3, v. 5.

Matth. c. 11, v. 25 *et seq.* : « In illo tempore respondens Jesus dixit : Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus et prudentibus, et revelâsti ea parvulis. Ità, Pater, quoniam sic fuit placitum antè te. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo, et nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. » *Et Luc.* c. 10, v. 21 *et seq., et Joan.* c. 3, v, 34, *et* c. 13, v. 3, *et* c. 17, v. 1, 2.

Matth. c. 12, v. 50 : « Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, et soror, et mater est. »

Matth. c. 14, v. 33 : « Qui autem in naviculâ erant, venerunt, et adoraverunt eum dicentes : Verè Filius Dei es. »

Matth. c. 16, v. 15 *et seq.* : « Dicit illis Jesus : Vos autem, quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit : Tu es Christus, Filius Dei vivi. Respondens autem Jesus dixit ei : Beatus es, Simon Barjona; quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est. » *Et Joan.* c. 6, v. 69.

Matth. c. 26, v. 63, 64 : « Jesus autem tacebat, et princeps Sacerdotum ait ei : Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus, Filius Dei. Dicit illi Jesus : Tu dixisti. »

Matth. c. 27, v. 39 *et seq.* : « Prætereuntes autem blasphemabant eum.... dicentes.... Si Filius Dei es, descende de cruce.... Dixit enim : quia Filius Dei sum. »

Matth. c. 27, v. 54 : « Centurio autem, et qui cum eo erant, custodientes Jesum, viso terræ motu, et his quæ fiebant, timuerunt valdè, dicentes : Verè Filius Dei erat iste. »

Similia apud reliquos novi Testamenti Scriptores per se quisque passim reperire potest, quæ brevitatis studio prætermittimus.

Tertullianus adversus Praxean, cap. 24, sic disserit : « Nobis omnes Scripturæ, et veteres Christum Dei, et novæ Filium Dei præfiniunt. » Hæc Judæorum fermentum sapiunt, qui in veteri Testamento prædictum quidem fatebantur esse Christum, filium verò Dei futurum præsignificâsse ullo modo Vetus Testamentum negabant. Origenes contrà Celsum, lib. 1, ait : « Judæus verò haudquaquàm sanè fateatur Prophetam aliquem dixisse venturum Filium Dei. Quod enim dicunt, hoc est, venturum nempè Christum Dei. Et sæpè in disputationibus quærunt statim à nobis de Filio, quasi nullus sit hujusmodi vel à Prophetis prædictus. » Aliter tamen Philoni visum est, qui non semel verbum Dei, primogenitum ipsius Filium appellat. Atqui proximè ostendimus Verbum Dei Hebræos Messiam interpretari. Unde sequitur juxtà Hebræos Messiam esse Filium Dei. Adde illustrem hanc ῥῆσιν è Psalmo secundo, v. 7 : « Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodiè genui te ; » et alteram illam è Psalmo centesimo nono, v. 1, 3 : « Dixit Dominus Domino meo : Sede à dextris meis; » quibus et Filium Dei esse Messiam, et divinæ naturæ consortem significatur. Sic Apollinem (si sacra licet profanis miscere) ad dextram Jovis sedere canit Callimachus, quòd Jovis esset filius. Itaque cùm istis ad dignitatem suam asserendam uteretur Christus, in Matth. c. 22, v. 46, « Nemo poterat ei respondere verbum : neque ausus fuit quisquam ex illâ die eum ampliùs interrogare. » Subdit Psaltes : « Ex utero antè Luciferum genui te ; » quod itidem ut superiora ad Messiam Hebræorum doctissimi referunt, ut suprà declaravimus. Notabilis quoque est ad rem nostram accommodata priscorum Judæorum observatio, qui ex his septuagesimi primi Psalmi verbis : *Antè solem permanet nomen ejus;* ubi hebraica habent, לפני שמש ינון שמו, finxerunt ינון unum esse ex Messiæ nominibus. Sic Thalmud in libro Sanhedrin, capite ultimo; sic Beresith Rabbah R. Mosis Hadarsan; sic Echa Rabbathi; sic Midrasch Thehillim; sic R. Selomoh in Michæam. Atqui ינון sit à radice נין, quæ dictio *filium* sonat; ut ינון idem sit ac υἱωθεὶς, *in filium adscitus*. Quamobrem ex ipsorum sententiâ Messias antè orbem conditum vocabatur ינון, hoc est υἱωθεὶς. Cujus autem filius esse vel dici potuit? non alterius certè quam Dei. Nam quod sic dictum volunt, υἱώσει sive ortum dabit mortuis, ut habet Beresith Rabbah, frustrà sunt, cùm ינון sit in niphal, et habeat significationem passivam, quemadmodùm optimè docet R. David Kimchi in Michlol. Hæc observatio Rabbinica est, hoc est frigida et insulsa, verùm prætermitti non debuit, ut intelligat lector credidisse illos Messiam fore Filium Dei. Quid quòd de Messiâ dictum hoc fatentur Hebræi, quod exstat in Psalmo octogesimo octavo : « Ipse invocabit me : Pater meus es tu, Deus meus, et susceptor salutis meæ ; et ego primogenitum ponam illum excelsum præ regibus terræ ; »

ut apertè docetur in Veelle Schemoth Rabbah. Cavillantur hîc Judæi pro more suo, et Messiam Dei filium dici censent, quòd cum sic amaturus sit Deus, ut pater filium suum amare solet, hoc est Deum Messiæ patrem fore amore, non naturâ; quemadmodùm Israel filius Dei primogenitus appellatur; proptereàque dixisse : *Filius meus es tu;* non : *Filius mihi es tu;* quod dixisset utique, si naturâ pater fuisset. Hæc leges in Midrasch Thehillim. Ergò affectu et amore, non naturâ, Jacobi filius erat Judas, quem sic compellabat pater moriens : *Ad prædam, fili mi,* בני, *ascendisti;* non בר לי; amore item filius Davidis Absalom, quem mortuum desiderii impatiens pater sic affabatur : *Absalom, fili mi, fili mi, Absalom;* בני, non, בר לי.

CAPUT XXIII.

Jesu Discipuli, Filii Dei.

Sap. c. 5, v. 3 *et seq.:* « Hi sunt quos habuimus aliquandò in derisum, et in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore : ecce quomodò computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est. »

Eccli. c. 4, v. 10 *et seq.* : « In judicando esto pupillis misericors ut pater, et pro viro matri illorum; et eris tu velut filius Altissimi obediens, et miserebitur tui magis quam mater.

Isa. c. 1, v. 2, 4 : « Audite, cœli, et auribus percipe, terra, quoniam Dominus locutus est : Filios enutrivi, et exaltavi; ipsi autem spreverunt me..... Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis. »

Isa. c. 63, v. 16 : « Tu enim pater noster, et Abraham nescivit nos, et Israel ignoravit nos; tu Domine, pater noster, redemptor noster, à sæculo nomen tuum. »

Isa. c. 64, v, 8 : « Et nunc, Domine, pater noster es tu; nos verò lutum. »

Jer. c. 3, v. 19 : « Ego autem dixi : Quomodò ponam te in filios, et tribuam tibi terram desiderabilem, hæreditatem præclaram exercituum gentium ? Et dixi : Patrem vocabis me, et post me ingredi non cessabis. »

Osc. c. 1, v. 10 : « Et erit numerus filiorum Israel, quasi arena maris, quæ sine mensurâ est, et non numerabitur; et erit in loco ubi dicetur eis : Non populus meus vos; dicetur eis : Filii Dei viventis. »

Matth. c. 5, v. 16, 44 *et seq.* : « Sic luceat lux vestra coràm hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est..... Orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est..... Estote ergò vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est. » Et Matth. c. 6, v. 1, 4, 6, 14, 15, 18, 26, 32; et c. 7, v. 11; et c. 10, 20, 29; Luc. c. 11, v. 13; et c. 12, v. 30, 32. *Joan.* c. 8, v. 38.

Matth. c. 6, v. 9 : « Sic ergò vos orabitis : Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum. » Et Marc. c. 11, v. 25, 26 ; Luc. c. 11, v. 2 et seq.

Matth. c. 23, v. 9 : « Et patrem nolite vocare vobis super terram; unus est enim Pater vester, qui in cœlis est. »

Joan. c. 1, v. 12 : « Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus; qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. »

Joan. c. 20, v. 17 : « Dicit ei Jesus..... Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum. »

Rom. c. 1, v. 17 : « Gratia vobis et pax à Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo. » *Et* 1 *Cor.* c. 1, v. 3, *et* 2 Cor. c. 1, v. 2, et Ephes. c. 1, v. 2, et Phil. c. 1, v. 2, et c. 4, v. 20, et Col. c. 1, v. 3, et 1 Thess. c. 1, v. 3, et c. 3, v. 11, 13, et 2 Thess. c. 1, v. 2, et c. 2, v. 15, et Phil. c. 3.

Rom. c. 8, v. 14, *et seq.* : « Quicumque enim spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Non enim accepistis spiritum servitutis iterùm in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba, Pater. Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filii Dei; si autem filii, et hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi..... Nam exspectatio creaturæ, revelationem filiorum Dei exspectat; vanitati enim creatura subjecta est non volens, sed propter eum qui subjecit eam in spe; quia et ipsa creatura liberabitur à servitute, in libertatem filiorum Dei.... ipsi intrà nos gemimus, adoptionem filiorum Dei exspectantes, redemptionem corporis nostri.... Nam quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. »

Rom. c. 9, v. 6, 7, 8, 25, 26 : « Non enim omnes qui ex Israel sunt, ii sunt Israelitæ ; neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filii : sed in Isaac vocabitur tibi semen; id est, non qui filii carnis, hi filii Dei; sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine...... Sicut in Osee dicit : *Vocabo non plebem meam, plebem meam, et non dilectam, dilectam; et non miseri-*

cordiam consecutam, misericordiam consecutam; et erit in loco ubi dictum est eis: *Non plebs mea vos*, ibi vocabuntur filii Dei vivi. »

Gal. c. 3, v. 26 : « Omnes enim filii Dei estis per fidem, quæ est in Christo Jesu. »

Gal. c. 4, v. 4 et seq. : « At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub Lege, ut eos qui sub Lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam autem estis filii, misit Deus spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem : Abba Pater. Itaque jam non est servus, sed filius. Quòd si filius, et hæres per Deum..... Nos autem, fratres, secundum Isaac promissionis filii sumus. »

Eph. c. 1, v. 5 : « Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum. »

Phil. c. 2, v. 15 : « Ut sitis sine querelâ, simplices filii Dei. »

1 *Joan.* c. 3, v. 1 et seq. : « Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus..... Charissimi, nunc filii Dei sumus..... Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non fecit; quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. In hoc manifesti sunt filii Dei, et filii Diaboli. »

1 *Joan.* c. 4, v. 4, 7 : « Vos ex Deo estis, filioli..... Et omnis qui diligit, ex Deo natus est, et cognoscit Deum. »

1 *Joan.* c. 5, v. 1, 4, 18 : « Omnis qui credit quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est..... Quoniam omne quod natum est ex Deo, vincit mundum..... Scimus quoniam omnis qui natus est ex Deo, non peccat, sed generatio Dei conservat eum. »

CAPUT XXIV.

Jesus primogenitus.

Psalm. c. 88, v. 28 : « Et ego primogenitum ponam illum, excelsum præ regibus terræ. »

Eccli. c. 24, v. 5 : « Ego (Sapientia) ex ore Altissimi prodivi, primogenita antè omnem creaturam. »

Zach. c. 12, v. 10 : « Et effundam super domum David, et super habitatores Jerusalem, spiritum gratiæ et precum : et aspicient ad me quem confixerunt ; et plangent eum planctu, quasi super unigenitum ; et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti. »

Rom. c. 8, v. 29 : « Nam quos præscivit, et prædestinavit, conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. »

Col. c. 1, v. 15 et seq. : « Qui (Jesus) est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ : quoniam in ipso condita sunt universa in cœlis, et in terra, visibilia, et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates ; omnia per ipsum et in ipso creata sunt, et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant. »

Hebr. c. 1, v. 6 : « Et cùm iterùm introducit *(Deus)* primogenitum in orbem terræ dicit : *Et adorent eum omnes Angeli Dei.* »

Apoc. c. 1, v. 4, 5 : « Gratia vobis et pax à Jesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum. »

CAPUT XXV.

Jesus Deus.

Gen. c. 19, v. 24 : « Igitur Dominus pluit super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem à Domino de cœlo. »

Psalm. c. 44, v. 7, 8 : « Sedes tua, Deus, in seculum seculi : virga directionis, virga regni tui. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem : proptereà unxit te, Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis. »

Psalm. 109, v. 1 *et seq.* : « Dixit Dominus Domino meo : Sede à dextris meis... Ex utero antè luciferum genui te. »

Isa. c. 7, v. 14 : « Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum : Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium ; et vocabitur nomen ejus Emmanuel. »

Isa. c. 9, v. 6 : « Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus ; et vocabitur nomen ejus Admirabilis, consiliarius, Deus fortis, papater futuri seculi, princeps pacis. »

Isa. c. 25, v. 6 *et seq.* : « Præcipitabit mortem in sempiternum, et auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, et opprobrium populi sui auferet de universâ terrâ, quia Dominus locutus est. Et dicet in die illâ ; Ecce Deus noster iste, exspectavimus eum, et salvavit nos ; iste Dominus, sustinuimus eum, exultabimus et lætabimur in salutari ejus. »

Isa. c. 35, v. 4 *et seq.* : « Deus ipse veniet, et salvabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt ; tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum. »

Isa. c. 40, v. 3 *et seq.* : « Vox clamantis in deserto ; Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri... Dic civitatibus Juda ; Ecce Deus vester, ecce Dominus Deus

in fortitudine veniet, et brachium ejus dominabitur ; ecce merces ejus cum eo, et opus illius coràm illo. Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit, fætas ipse portabit. Quis mensus est pugillo aquas, et cœlos palmo ponderavit? quis appendit tribus digitis molem terræ, et libravit in pondere montes et colles in staterâ? quis adjuvit spiritum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit, et ostendit illi? »

Isa. c. 45, v. 14, 15 : « Hæc dicit Dominus : Labor Ægypti, et negotiatio Æthiopiæ, et Sabaim viri sublimes ad te transibunt, et tui erunt; post te ambulabunt, vincti manibus pergent, et te adorabunt, teque deprecabuntur. Tantùm in te est Deus, et non est absque te Deus. Verè tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvatòr. »

Isa. c. 48, v. 12 *et seq :* « Audi me, Jacob et Israel, quem ego voco : Ego ipse, ego primus, et ego novissimus. Manus mea mensa est cœlos, ego vocabo eos, et stabunt simul... Accedite ad me, et audite hoc : non à principio in abscondito locutus sum ; ex tempore antequàm fieret, ibi eram ; et nunc Dominus Deus misit me, et Spiritus ejus. »

Isa. c. 51, v. 16 : « Posui verba mea in ore tuo, et in umbrâ manûs meæ protexi te, ut plantes cælos, et fundes terram, et dicas ad Sion : Populus meus es tu. »

Jerem. c, 23, v. 5, 6 : Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen justum, et regnabit rex, et sapiens erit, et faciet judicium et justitiam in terrâ. In diebus illis salvabitur Juda, et Israel habitabit confidenter ; et hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster. » *Et Jerem.* c. 33, v. 1, 16.

Bar. c. 3, v. 36, *et seq.* : « Hic est Deus noster, et non æstimabitur alius adversùs eum. Hic adinvenit omnem viam disciplinæ, et tradidit illam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus. »

Hab. c. 3, v. 38 : « Ego autem in Domino gaudebo, et exsultabo in Deo Jesu meo. »

Zach. c. 2, v. 8 *.et seq. :* « Hæc dicit Dominus exercituum : Post gloriam mi sit me ad gentes, quæ spoliaverunt vos ; qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei ; quia ecce ego levo manum meam super eos, et erunt prædæ his qui serviebant sibi ; et cognoscetis quia Dominus exercituum misit me. Lauda, et lætare, filia Sion, quia ecce ego venio, et habitabo in medio tuî, ait Dominus. Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illâ, et erunt mihi in populum, et habitabo in medio tuî ; et scies quia Dominus exercituum misit me ad te. »

Zach. c. 12, v. 19 : « Et effundam super domum David et super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ et precum ; et aspicient ad me quem confixerunt, et plangent eum planctu quasi super unigenitum ; et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti. »

Malach. c. 3 v. 1 : « Ecce ego mitto Angelum meum, et præparabit viam antè faciem meam : et statìm veniet ad templum suum Dominator quem vos quæritis, et Angelus testamenti quem vos vultis. »

Matth. c. 3, v. 3 : « Hic est enim (Joannes) qui dictus est per Isaiam Prophetam dicentem : *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini; rectas facite semitas ejus.* Et Marc. c. 1. v. et seq., et Luc, c. 1, v. 76.

Joan. c. 1, v. 1. « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. »

Joan. c. 5, v. 18 : » Propterеà ergò magìs quærebant eum Judæi interficere ; quia non solùm solvebat sabbatum, sed et Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. »

Joan. c. 10, v. 30 *et seq :* « Ego et Pater unum sumus... Responderunt ei Judæi... Tu homo cùm sis, facis teipsum Deum. Respondit eis Jesus... Quem Pater sanctificavit, et misit in mundum, vos dicitis : Quia blasphemas, quia dixi : Filius Dei sum. »

Joan. c. 14, v.1 *et seq :* « Creditis in Deum, et in me credite... Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis, et à modo cognoscetis eum, et vidistis eum. Dicit ei Philippus : Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis. Dicit ei Jesus : Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt et Patrem. »

Joan. c. 16, v. 15 : « Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. » Et Joan. c. 17, v. 10. »

Joan. c. 20, v. 27, 28 : « Deindè dicit Thomæ : Infer digitum tuum hùc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum, et noli esse incredulus, sed fidelis. Respondit Thomas, et dixit ei : Dominus meus, et Deus meus. »

Act. c. 20, v. 28 : « Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. »

Rom. c. 9, v. 3 : « Ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula. »

Rom. c. 14, v. 10, 11 : « Omnes enim stabimus antè tribunal Christi, scriptum est enim : *Vivo ego,* dicit Dominus, *quoniam mihi flectetur omne genu, et omnis lingua confitebitur Deo.* »

Cor. c. 10, v. 9 : « Neque tentemus Christum sicut quidam eorum (Patrum nostrorum Num. c. 21, v. 5) tentaverunt et à serpentibus perierunt. »

Gal. c. 1, v. 1, 11, 12 : « Paulus Apostolus, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, et Deum Patrem..... Notum enim vobis facio, fratres, Evangelium quod evangelizatum est à me, quia non est secundùm hominem ; neque enim ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi. »

Philipp. c. 2, v. 5, 6 : « Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu ; qui cùm in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. »

Col. c. 1, v. 15 *et seq* : « Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ ; quoniam in ipso condita sunt universa in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates; omnia per ipsum et in ipso creata sunt, et ipse est antè omnes, et omnia in ipso constant. »

Hebr. c. 1, v. 2 *et seq* : « Novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit et secula..... Ad Filium autem : *Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi, virga æquitatis, virga regni tui. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem ; propterea unxit te, Deus, Deus tuus, oleo exsultationis præ participibus tuis. Et : Tu in principio, Domine, terram fundâsti, et opera manuum tuarum sunt cœli ; ipsi peribunt, tu autem permanes, et omnes ut vestimentum veterascent, et velut amictum mutabis eos, et mutabuntur. Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.*

Joan. c. 5, v, 7 : « Tres sunt qui testimonium dant in cœlo : Pater, Verbum, et Spiritus sanctus ; et hi tres unum sunt. »

Joan. c. 5, v. 20 : « Scimus quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero filio ejus. Hic est verus Deus, et vita æterna. »

Apoc. c. 1, v. 7, 8 : « Ecce venit (Jesus Christus) cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt, et plangent se super eum omnes tribus terræ ; etiam, amen. Ego sum Alpha et Omega, principium et finis, dicit Dominus Deus, qui est, et qui erat, et qui venturus est, omnipotens. »

Apoc. c. 4, v. 8 : « Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, et qui est, et qui venturus est. »

Non hic referre instituo quæcumque adversùs horum temporum Samosatenos à recentioribus theologis feliciter disputata sunt. Nihilò magis ea mihi repetere consilium est, quæ supra disseruimus, cùm ea ferè vaticinia, quibus contextum est hoc caput, Christi prænuntia esse probaremus ; nec ea referre, quæ à Kimchio et Lipmanno sunt opposita, ut præcipuas quasdam ex allatis hoc capite prædictionibus Christo Jesu detraherent, cùm solitis responsionibus jam ab aliis excepta sint. Proponam duntaxat paucula quædam, quæ ad hanc Parallelismi nostri partem illustrandam pertinent, in quâ Christi Jesu divinitatem ex utriusque Testamenti consensu asseruimus. Ac primum adversùs splendidum illud ex nono Isaiæ capite vaticinium, in quo futurum prænuntiatur, ut Parvulus ille, quem Messiam esse suprà declaravimus, appelletur *Deus,* אל ; et adversùs alterum ex Prophetæ ejusdem septimo capite, in quo prædicitur futurum ut Filius ille ex Virgine nascendus, quem et Messiam esse evicimus, vocetur *Emmanuel,* hoc est, *Nobiscum Deus ;* opponunt Judæi, eorumque gregalis Bodinus in opere de Rerum subl. Arcan. lib. 5, vocem אל, nihil aliud sonare, quàm *fortem, robustum, et potentem,* propterèaque principibus interdùm et optimatibus aptari. Cujus exceptionis levitatem vel ipsa Isaiæ verba manifestò aperiunt : *Et vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus fortis,* אל גבור. Si אל, *fortem* hìc significat, quid attinebat vocem גביר subjicere, cui idem inest intellectus? Scio Aquilam et Symmachum vertisse ἰσχυρὸς, δυνατὸς, Theodotionem vero, ἰσχυρὸς, δυνάστης. Verum quid à proselytis Judæis Aquilâ et Theodotione, quid ab Ebionita Symmacho fidei exspectemus ? His opponimus Septuaginta Interpretes, qui sic reddiderunt verba ista, θεὸς ἰσχυρὸς, ἐξουσιαστής. *Deus, robustus, potens.* Ità quidem habet Aldina editio, ità Complutensis, ità vetustissimi Patres Irenæus, lib. 4, cap. 66, et Ignatius, Epist. ad Antioch., ità Eusebius, Dem. lib. 7 et 9, testimonium hoc conceptum referunt. Procopius in Isai., cap. 9, v. 6, quoque vocabulum θεὸς, exstare apud Senes Septuaginta disertè testificatur. Quamobrem Aquilam falsi meritò accusat Theodoretus, quòd hebraica

אל גבור, reddiderit ἰσχυρὸς, δυνατὸς, cùm reddere debuisset θεὸς ἰσχυρὸς. Rem verò planè conficit, quòd observat Procopius, ipsa hæc verba אל גבור, in sequenti capite ad Deum manifestè referri. Hic enim locus, quòd controversus non esset, adulteras interpretum manus non sensit. Certè dictio אל in sacris Codicibus sæpè Deo tribuitur, vel idolis, quæ pro diis ab Ethnicis habentur. Nec alii prætereà quàm Deo adscribi, optimè à Pagnino observatum est (Thes. in איל). Unicum excipit locum, qui est in tricesimo primo capite, v. 11, Ezechielis, ubi Chaldæorum rex, אל גוים appellatur. Quanquàm et illìc Munsterus et Vatablus legunt, איל גוים, hoc est, *Fortis gentium, in gentes potestatem habens.* At אל, quod ab איל arcessunt plerique, alii ab אלה per contractionem fieri volunt, ut יה à יהוה.

2° Ad infringendum loci hujus robur, aliam quoque Judæi fallaciam excogitàrunt; nam ויקרא, quod vertendum est : *Et vocabitur*, ipsi reddiderunt, *et vocabit*, totamque pericopen sic interpretati sunt ; *Et admirabilis, consiliarius, Deus fortis, Pater futuri seculi, vocabit eum Principem pacis.* Ergò isti, אל significare sentiunt *Deum*, et in congerrones suos proximè castigatos incurrunt. Verum est dictionem יקרא, pro diversitate punctorum, vel activam vel passivam significationem habere ; sæpiùs tamen passivam. Cur autem hìc activam inesse velint, nullam probabilem causam afferre possunt. Nam quo nobis approbabunt argumento, hoc potiùs modo intelligendum esse locum hunc : « Et admirabilis, consiliarius, Deus fortis, Pater futuri seculi, vocabit eum Principem pacis, » quam isto : « Et admirabilis, consiliarius, Deus fortis, vocabit eum Patrem futuri seculi, Principem pacis; » vel illo : « Et admirabilis, consiliarius, vocabit eum Deum fortem, Patrem futuri seculi, Principem pacis; » aut hoc denique, « Et admirabilis vocabit eum consiliarium, Deum fortem, Patrem futuri seculi, Principem pacis. » Quam igitur gratis nobis dant interpretationem, gratis possumus repudiare. Verumtamen sine fidejussoribus tantùm nobis non arrogamus. Ergò Septuaginta Senes verterunt, καλεῖται, *vocatur*; Aquila, ἐκλήθη, *vocatus est*, juxtà Eusebium; nam juxtà Procopium vertit, ἐκάλεσεν, *vocavit*; juxtà alios, καλεῖται; Symmachus κληθήσεται, *vocabitur.*

3° Legitimum prætereà prophetiæ hujus sensum obtundit Grotius, cùm verba hæc : יועץ אל גבר, sic vertenda autumat : *Consultator Dei fortis*, ab interpretum omnium auctoritate desciscens, qui reddunt : *Consiliarius, Deus fortis.* Septuaginta, σύμβουλος, θεὸς ἰσχυρὸς, ἐξουσιαστής. Aquila, σύμβουλος, ἰσχυρὸς, δυνατός. Theodotion, βουλεύων, ἰσχυρὸς, δυνατός. Symmachus, βουλευτικὸς, ἰσχυρὸς, δυνατός. Deindè vocem hanc יעץ usurpare consueverunt Scriptores sacri, in eum qui consilium dat, non qui petit, nec unum puto facilè reperiri posse locum, in quo eum obtineat sensum, quem hìc ipsi Grotius affingit. Promptiùs itaque nobis est interpretationem hanc respuere, quàm Grotio nobis eam approbare.

4° Postremum Zachariæ testimonium è duodecimo capite, v. 10, fallaciis Judæorum adulteratum est : nam pro eo quòd Hebraici Codices habent, והביטו אלי, *Et aspicient ad me*, legunt, אליו, *ad eum*, nimirùm ne idem sit, qui effundit spiritum gratiæ, et qui confixus est; sive ne Deus sit qui in crucem actus est, Jesus nempè Dominus noster. Dei quippè solius est spiritum gratiæ largiri. Verùm falsitatem evincunt Septuaginta Senes qui vertunt, καὶ ἐπιβλέψονται πρὸς με, *Et aspicient me;* quos sequuntur Syrus et Arabs. Jonathan ben Uziel : *Et rogabunt de antè me.* Nec corruptum Uzieliden causari possunt, cùm sic scripsisse eum fateatur R. Selomoh Jarchi. Eamdem sequuntur lectionem Thalmudistæ in libro Sucah ; eamdem R. Moses Hadarsan in Beresith Rabbâ, et Aben Ezra. Cùm ergò fraudem hanc non aliam ob causam commentos esse Judæos liquidum sit, quàm ne divinitatem ejus cogerentur agnoscere, qui fuerat confixus, quemque Messiam esse confitebantur, ut infèriùs suo loco probabitur, patefactâ hâc fraude et revictâ, consequens est, vel Judæorum judicio, Deum esse Messiam qui confixus est, et magno planctu comploratus. Prætereà etsi legendum concedamus, אליו, eòdem redibit sententia, cùm prima persona, si relativum sequatur, per tertiam sæpè in his libris exprimatur, ut verè à Grotio observatum est. Sequentia id ostendunt : *Et plangent* עליו, *super eum*, hoc est, *super me.*

5° Prisci porro Hebræi recentioribus candidiores, Messiæ divinitatem in Veteri Testamento clarissimis consignatam monumentis perspexerunt. Alii jam antè nos Rabbinorum collegerunt testimonia, quibus Messiam futurum Deum et hominem prædicarunt, atque ea etiam quibus tetragrammaton Dei nomen in sacris Voluminibus scriptum ad Messiam congruere docuerunt. Item in eâ, quam mox ex-

cussimus, Isaiæ clausulâ e nono capite, filium illum nascendum, quem אל Propheta appellat, Deum et Messiam fore Jonathanis Paraphasis apertè significat. Aiunt prætereà Rabbini verba hæc è centesimo septimo Psalmo, sibi Jesum accommodàsse · *Exaltare super cælos, Deus.* Sæpè etiam Chaldæi Paraphrastæ nomen sanctum Dei, יהוה, vertunt מימר יהיה; quod in Messiam, atque adeò in Jesum convenit. Idem et à Philone traditum reperias in libro de Somniis. Nec illud præterire decet, quod habetur apud R. Abraham Seba, in צרור המור, videlicet vocem כוכב, quæ *stellam* sonat, et à Balaamo ad Messiam præsignificandum usurpata est, cabalisticè nomen יהוה exprimere; cùm priores duæ litteræ כוכב, eumdem numerum dent ac quatuor litteræ in יהוה, nempè 26: reliquæ duæ efficiant numerum 22, qui numerus est litterarum quibus descripta est Lex Dei, quæ tùm complebitur cùm Messias advenerit. Undè ex magistri hujus sententiâ efficitur, Dei simul et Messiæ mysterium in unâ eâdemque voce contineri, proindèque Messiam Deum futurum. Est prætereà apud Ludovicum Carretum in Libro visorum divinorum, priscos Judæos, comma hoc Isaiæ, c. 52, v, 13, quod Messiæ προλεκτικὸν est: *Ecce intelliget servus meus, exaltabitur, et elevabitur, et sublimis erit valdè*, sic esse interpretatos: *Exaltabitur* suprà Abrahamum, *elevabitur* plusquàm Moses, et *sublimis erit* plusquàm Angeli ministerii. Undè colligit Carretus Deum ex horum sententiâ fore Messiam, cùm Deum inter et Angelos medium nihil sit. Ergò Jesus Dominus, Messiam se, ut erat, apud Judæos ferens, θεότητα quoque suam prædicabat apud Joan., c. 10, v. 30 et seq.: *Ego et Pater unum sumus.* Quod indignantes Judæi respondebant: *Tu homo cum sis, facis teipsum Deum.* Validissimum hoc est adversùs dogmatis nostri adversarios argumentum: nam vel Jesum fatebuntur fuisse Messiam, proindèque cùm seipsum Deum fecerit, Deum fuisse fateri cogentur; nam si non fuisset, quis credat Messiam, virum quippe sanctum et pium, tàm nefariæ et atrocis impietatis sese alligàsse, ut non divinos solùm honores ambiret; sed Dei quoque interverteret titulos, sibique adscisceret? vel Jesum Messiam fuisse negabunt; et necesse saltem habebunt agnoscere, cùm se Messiam simul et Deum esse jactaret; haudquaquàm id fuisse facturum nisi Judæis persuasum fuisse scisset, eum quem exspectabant Messiam Deum fore. Ex his quoque Jesu, Judæorumque apud Joannem verbis, manifestus est Lactantii error, qui Jesum nunquam seipsum Deum dixisse ausus est, asseverare. Juliani verò τοῦ παραβάτου impudentia, qui dixit neque Paulum neque Matthæum, neque Marcum, neque Lucam Christo Jesu θεότητα tribuisse, cùm ex Parallelismo nostro, tùm et ex Cyrilli disputationibus contr. Jul. lib. 10, facile retunditur. Plerique sane è recentioribus Judæis dicere solent, non aliam ob causam gentem suam diuturnis calamitatibus et miserabili exilio esse damnatam, quàm quòd unus ex eâ, Jesus nempè, se Deum facere ausus sit. Desino in testimonio ex Epistolâ 97, lib. 10, Plinii ad Trajanum, in quo priscos Christianos solitos fuisse affirmat *carmen Christo, quasi Deo, dicere secum invicem.* Tertullianus Epistolæ hujus auctoritate in Christianorum defensionem utens, sic ista Plinii reddit: « Nihil aliud se de sacris eorum comperisse, quam cœtus antelucanos; ad canendum Christo ut Deo. » Sic enim legendum esse indicant Plinii verba; non ut vulgò, *Christo et Deo.* Quod jam antè observavit Scaliger in Animadversionibus ad Eusebium, à quo sic exponitur Tertulliani locus, χριστὸν ὡς θεὸν ὑμνοῦσιν, Hieronymus interpres ipsis utitur Tertulliani verbis: *Ad canendum Christo ut Deo.* Hoc ipsum aliis dictionibus, at non alio sensu transtulit Eusebius Chronici in quibusdam, et Historiæ locis: τὸν χριστὸν θεοῦ δίκην ὑμνεῖν. *Christum, sic tanquàm Deum, hymnis concelebrare;* adeò constans erat vel primævis illis Christianæ religionis initiis opinio, Christum à Christianis Deum haberi. Alibi etiam Eusebius (Hist. l. 5, c. 28), ex vetustis quibusdam Commentariis docet Justinum, Miltiadem, Tatianum, Clementem, Irenæum, Melitonem aliosque complures Christo divinitatem tribuisse; tùm subjicit, jam indè à primis Ecclesiæ temporibus Christianos Christo ut Deo carmina cecinisse: « Quot autem Psalmi et Odæ fratrum, ab initio à fidelibus scriptæ, Verbum Dei Christum ut Deum prædicant. »

CAPUT XXVI.

Jesus Homo.

Gen. c. 3, v. 15: « Inimicitias ponam inter te et mulierem, semen tuum et semen illius. »

2 *Reg.* c. 7, v. 4, 5, 12: « Ecce sermo Domini ad Nathan dicens: Vade, et loquere ad servum meum David.... Cùm completi fuerint dies tui, et dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum ejus. »

Isa. c. 7, v. 14: « Ecce Virgo concipiet, et

pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. »

Isa. c. 9, v. 6 : « Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis. »

Isa. c. 45, v. 8 : « Rorate cœli desuper, et nubes pluant justum; aperiatur terra, et germinet Salvatorem. »

Isa. c. 52, v. 14, et c. 53, v. 2, 3 : « Sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros aspectus ejus, et forma ejus inter filios hominum.... Vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum, despectum et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem. »

Jerem. c. 31, v. 22 : « Creavit Dominus novum super terram : Femina circumdabit virum. »

Dan. c. 7, v. 13 : « Aspiciebam ergò in visione noctis, et ecce cum nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat, et usque ad Antiquum dierum pervenit. »

Dan. c. 9, v. 26 : « Post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus. »

Matth. c. 1, v. 25 : « Peperit Filium suum primogenitum, et vocavit nomen ejus Jesum. »

Matth. c. 4, v. 2 : « Et cùm jejunâsset quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, posteà esuriit. » Et Luc. c. 4, v. 2.

Matth. c. 8, v. 20 : « Filius hominis non habet, ubi caput reclinet. » Et Matth. c. 9, v. 6; et sic passim appellatur in Novo Testamento.

Matth. c. 12, v. 46 : « Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater ejus, et fratres stabant foris, quærentes loqui ei. Dixit autem ei quidam : Ecce mater tua, et fratres tui foris stant quærentes te. » Et Marc. c. 3, v. 31 et seq. Et Luc. c. 8, v. 19 et seq.

Matth. c. 21, v. 18 : « Mane autem revertens (Jesus) in civitatem esuriit. » Et Marc. c. 11, v. 12.

Matth. c. 26, v. 71 et seq. : « Exeunte autem illo (Petro) januam, vidit eum alia ancilla, et ait his qui erant ibi : Et hic erat cum Jesu Nazareno. Et iterùm negavit cum juramento : Quia non novi hominem.... Tunc cœpit detestari, et jurare quia non novisset hominem. »

Luc. c. 1, v. 31 : « Ecce concipies in utero, et paries Filium, et vocabis nomen ejus Jesum. »

Luc. c. 2, v. 52 : « Et Jesus proficiebat sapientiâ, et ætate, et gratiâ apud Deum et homines. »

Luc. c. 23, v. 4 *et seq.* : « Ait autem Pilatus ad principes Sacerdotum et turbas : Nihil invenio causæ in hoc homine.... Pilatus autem audiens Galilæam, interrogavit si homo Galilæam esset.... Pilatus... dixit illos.... Nullam causam invenio in homine isto. »

Luc. c. 23, v. 46, 47 : « Hæc dicens (Jesus) expiravit. Videns autem Centurio quod factum fuerat, glorificavit Deum, dicens : Verè hic homo justus erat. »

Joan. c. 1, v. 14 : « Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. »

Joan. c. 7, v. 3 et seq. : « Dixerunt autem ad eum fratres ejus : Transi hinc..... Neque enim fratres ejus credebant in eum.... Ut autem ascenderunt fratres ejus, tunc et ipse ascendit ad diem festum. »

Joan. c. 18, v. 17 : « Dixit ergò Petro ancilla ostiaria : Numquid et tu ex discipulis es hominis istius ? »

Joan. c. 19, v. 28 : « Posteà sciens Jesus, quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit : Sitio. »

Act. c. 2, v. 14, 22 : « Stans autem Petrus cum Undecim levavit vocem suam, et locutus est eis.... Viri Israelitæ, audite verba hæc : Jesum Nazarenum, virum approbatum à Deo in vobis..... interemistis. »

Act. c. 5, v. 27, 28 : « Interrogavit eos princeps Sacerdotum, dicens..... Vultis inducere super nos sanguinem hominis istius. »

Rom. c. 5, v. 15 : Gratia Dei, et donum in gratiâ unius hominis Jesu Christi in plures abundavit. »

Cor. c. 15, v. 47 : « Primus homo de terrâ, terrenus; secundus homo de cœlo, cœlestis. »

Gal. c. 1, v. 19 : « Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini. »

Phil. c. 2, v. 7 : « Semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. »

Tim. c. 2, v. 5 : « Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus. »

Hebr. c. 2, v. 17 : « Undè debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, et fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi. »

Hebr. c. 4, v. 15, 16, et c. 5, v. 1 : « Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris ; tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. Adeamus ergò cum fiduciâ ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Omnis namque Pontifex, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum. »

CAPUT XXVII.

Jesus frater hominum.

Psalm. 21, v. 23 : « Narrabo nomen tuum fratribus meis : in medio Ecclesiæ laudabo te. »

Psalm. 68, v. 9 : « Extraneus factus sum fratribus meis, et peregrinus filiis matris meæ. »

Matth. c. 12, v. 48 et seq. : « At ipse respondens dicenti sibi ait : Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei? Et extendens manum in discipulos suos dixit : Ecce mater mea, et fratres mei; quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, et soror, et mater est. » Et Marc. c. 3, v. 31 et seq. et Luc. c. 8, v. 19 et seq.

Matth. c. 25, v. 40 : Et respondens Rex dicet illis : Amen dico vobis, quamdiù fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.

Matth. c. 28, *v.* 10 : « Tunc ait illis Jesus : Nolite timere, ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam ; ibi me videbunt. »

Joan, c. 20, *v.* 17 : « Dicit ei Jesus : Noli me tangere, nondùm enim ascendi ad Patrem meum ; vade ad fratres meos. »

Rom. c. 8, *v.* 16, 17 : « Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filii Dei ; si autem filii, et hæredes ; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. »

Hebr. c. 2, *v.* 11 *et seq.* : « Qui enim sanctificat, et qui sanctificatur, ex uno omnes. Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare dicens : *Nuntiabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te*...... Undè debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, et fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi. »

CAPUT XXVIII.

Jesus sacerdos.

Psalm. 44, *v.* 8 : « Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem : propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. »

Psalm. 109, *v.* 4 : « Juravit Dominus et non pœnitebit eum : Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. »

Hebr. c. 2, *v.* 17 : « Undè debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, et fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi. »

Hebr. cap. 3, *v.* 1 : « Considerate Apostolum et Pontificem confessionis nostræ Jesum. »

Hebr. c. 4, *v.* 14, 15 : « Habentes ergò Pontificem magnum, qui penetravit cœlos, Jesum Filium Dei, teneamus confessionem. Non enim habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris. »

Hebr. c. 5, *v.* 5 *et seq.* : « Sic et Christus, non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum : *Filius meus es tu, ego hodiè genui te*; quemadmodum et in alio loco dicit : *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*.... appellatus à Deo Pontifex juxtà ordinem Melchisedech. »

Hebr. cap. 6, *v.* 19, 20 : « Usque ad interiora velaminis, ubi præcursor pro nobis introivit Jesus, secundùm ordinem Melchisedech Pontifex factus in æternum. »

Hebr. cap. 7, *v.* 3, 11, 20 *et seq.* : « Assimilatus Filio Dei (Melchisedech) manet sacerdos in perpetuum..... Si ergò consummatio per sacerdotium Leviticum erat...... quid adhuc necessarium fuit secundùm ordinem Melchisedech alium surgere sacerdotem, et non secundùm ordinem Aaron dici?...... Alii quidem sine jurejurando sacerdotes facti sunt ; hic autem cum jurejurando per eum qui dixit ad illum : *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum; tu es sacerdos in æternum*..... Et alii quidem plures facti sunt sacerdotes, idcircò quòd morte prohibentur permanere ; hic autem eo quòd maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium.... Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, et excelsior cœlis factus, qui non habet necessitatem quotidiè, quemadmodùm sacerdotes, priùs pro suis delictis hostias offerre, deindè pro populi; hoc enim fecit semel seipsum offerendo. Lex enim homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes, sermo autem jurisjurandi, qui post Legem est, Filium in æternum perfectum. »

Hebr. c. 8, *v.* 1, 2 : « Capitulum autem super ea quæ dicuntur : Talem habemus Pontificem, qui consedit in dexterà sedis magnitudinis in cœlis, sanctorum minister, et tabernaculi veri, quod fixit Dominus, et non homo. »

Hebr. c. 9, *v.* 10, 11 : « Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum, non manu factum, id est, non hujus creationis ; neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, æternà redemptione inventa. »

Hebr. c. 10, *v.* 11, 12 : « Omnis quidem sacerdos præstò est quotidiè ministrans, et easdem sæpè offerens hostias, quæ nunquàm possunt auferre peccata ; hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dexterà Dei. »

Splendidum est, et ad reprimendam Judæorum contumaciam accommodatum prædictum illud, quod exstat in Psalmo centesimo nono, ubi Christus futurus esse prædicitur sacerdos secundùm ordinem Melchisedech. Ac Psalmum quidem hunc humano generi Christum promittere satis probavimus. Jesu verò imaginem in Melchisedecho positam fuisse ostendemus ad calcem Parallelismi, ubi varios Jesu typos colligemus è Veteri Testamento. Quo uno argumento Messiam sive Christum, hoc est Unctum, meritò dici, ac reverà esse Jesum Dominum facilè vincimus. Triplex enim hominum genus inter Hebræos unctionis cæremoniis consecrabatur, Sacerdotes, Reges et Prophetæ. At utramque saltem dignitatem Sacerdotis ac Regis gessit Melchisedech, rex Salem, et Dei altissimi sacerdos: gessit utramque et Jesus, rex justitiæ et pacis, æternus Pontifex, *semper vivens ad interpellandum pro nobis* (Hebr. c. 7, v. 25); gessit et propheticam prætereà, ut suo docebimus loco; proindèque verè Christus est sive Messias, Unctus videlicet, non oleo illo de arboribus expresso, sed oleo lætitiæ, cùm nimirùm gratiâ et virtute Spiritûs sancti natura ejus humana perfunderetur; quod et ipse de se prædicat apud Isaiam cap. 61: *Spiritus Domini super me, eò quòd unxerit Dominus me.* Egregiè hoc argumentum prosequitur Eusebius non uno loco. « Cautum erat, inquit, Judæorum legibus, ne quis sine unctione sacerdotium gereret; quamobrem et sacerdotes dicebant ır Christi. Quem ergò sacerdotem Psalmus declarat, Unctum fuisse necesse est. » Tùm subjicit, juxtà doctrinam capite octavo Epistolæ ad Hebræos traditam, unctionem illam Aaronis à Mose administratam, secundùm exemplar ipsi in monte monstratum, figuram fuisse unctionis Christi, ipsumque Aaronem σκιώδη καὶ εἰκονικὸν sacerdotem fuisse, typum videlicet ac simulacrum veri sacerdotis Christi, Filii Dei, qui in cœlo Patri assidet. Cùm ait autem Philo in libro de Somniis, et in libro de Exulibus, Primogenitum Verbum Dei esse Pontificem, consentit popularium suorum doctrinæ, qui Filium Dei et Verbum Dei fore Messiam credunt, Messiam autem sacerdotem; atque id in Psalmo centesimo nono significatum esse arbitrantur. Cæterùm notabile est, quod in Midrasch Thehillim legitur, sacerdotii dignitatem ab Israelitis propter peccata ablatam, ad gentes fuisse translatam. Quâ re et gentem suam reprobatam, et vocatos esse à Deo ethnicos, proindèque et Christum jam venisse fatentur. Messiam quippè vocationis gentium auctorem suis hìc sæpè probatur locis.

CAPUT XXIX.

Jesus Propheta.

Deut. c. 18, v. 15 *et seq.* : « Prophetam de gente tuâ, et de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus; ipsum audies.... Et ait Dominus mihi : Benè omnia sunt locuti : Prophetam suscitabo eis de medio fratrum tuorum, similem tuî; et ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi; qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam. »

1 *Mach.* c. 14, v. 41 : « Judæi et Sacerdotes eorum consenserunt eum esse ducem suum, et summum Sacerdotem in æternum, donec surgat Propheta fidelis. »

Matth. c. 10, v. 16 *et seq.* : « Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum. Estote ergò prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ. Cavete autem ab hominibus : tradent enim vos in consiliis, et in Synagogis suis flagellabunt vos; et ad præsides et ad reges ducemini propter me, in testimonium illis et gentibus..... Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium; et insurgent filii in parentes, et morte eos afficient; et eritis odio omnibus propter nomen meum. » *Et Marc.* c. 13, v. 9; *Luc.* c. 12, v. 11, *et* c. 21, v. 16.

Matth. c. 12, v. 39, 40 : « Qui respondens ait illis : Generatio mala et adultera signum quærit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus. »

Matth. c. 13, v. 57 : « Et scandalizabantur in eo. Jesus autem dixit eis : Non est Propheta sine honore, nisi in patriâ suâ, et in domo suâ. » Et Marc. c. 6, v. 4; Luc. c. 4, v. 24; Joan. c. 4, v. 44.

Matth. c. 16, v. 21 *et seq.* : « Exindè cœpit Jesus ostendere Discipulis suis, quia oporteret eum ire Jerosolymam, et multa pati à Senioribus et Scribis et Principibus Sacerdotum, et occidi, et tertiâ die resurgere. » Et Matth. c. 17, v. 21, 22, et c. 20, v. 17 et seq. et c. 21, v. 33 et seq. Marc. c. 8, v. 31 et c. 9, v. 30, et c. 10, v. 32 et seq. et c. 12, v. 1 et seq. Luc. c. 9, v. 22, et c. 17, v. 25, et c. 18, v. 31, 32, et c. 20, v. 9 et seq. et c. 24, v. 7. Joan. c. 2, v. 19 et seq. et c. 3, v. 14. et c. 8, v. 28. et c. 12, v. 32, 33.

Matth. c. 21, v. 11 : « Populi autem dicebant: Hic est Jesus propheta à Nazareth Galilææ. »

Matth. c. 21, v. 43 *et seq.* : « Ideò dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus... Et quærentes eum tenere, timuerunt turbas, quoniam sicut prophetam eum habebant. »

Matth. c. 24, v. 1 et seq. : « Et egressus Jesus de templo ibat. Et accesserunt Discipuli ejus, ut ostenderent ei ædificationes templi. Ipse autem respondens dixit illis : Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hìc lapis super lapidem qui non destruatur. Sedente autem eo super montem Oliveti, accesserunt ad eum Discipuli secretò dicentes : Dic nobis quandò hæc erunt, et quod signum adventûs tui, et consummationis seculi. Et respondens Jesus dixit eis : Videte ne quis vos seducat ; multi enim venient in nomine meo dicentes : Ego sum Christus, et multos seducent. Audituri enim estis prælia, et opiniones præliorum... consurget enim gens in gentem, et regnum in regnum, et erunt pestilentiæ, et fames, et terræ motus per loca. Hæc autem initia sunt dolorum. Tunc tradent vos in tribulationem, et occident vos, et eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. Et tunc scandalizabuntur multi, et invicem tradent, et odio habebunt invicem, et multi Pseudoprophetæ surgent et seducent multos.... Et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio.... Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modò, neque fiet... Surgent Pseudochristi et Pseudoprophetæ, et dabunt signa magna et prodigia, ità ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi. Ecce prædixi vobis. Statìm autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cœlo, et virtutes cœlorum commovebuntur. Et tunc parebit signum Filii hominis in cœlo, et tunc plangent omnes tribus terræ, et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multâ et majestate. Et mittet Angelos suos cum tubâ et voce magnâ; et congregabunt electos ejus à quatuor ventis, à summis cœlorum, usque ad terminos eorum. » Et Marc. c. 13, v. 1 et seq. Luc. c. 17, v. 20 et seq.; et c. 21, v. 5 et seq.

Matth. c. 26, v. 13 : « Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur et quod hæc fecit in memoriam ejus. » Et Matth. c. 24, v. 14. Marc. c. 13, v. 10.

Matth. c. 26, v. 31 *et seq.* : « Tunc dicit illis Jesus : Omnes vos scandalum patiemini in me in istâ nocte...... Postquàm autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam. Respondens autem Petrus ait illi : Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquàm scandalizabor. Ait illi Jesus : Amen dico tibi, quia in hâc nocte, antequàm gallus cantet, ter me negabis. » Et Marc. c. 14, v. 27 et seq. Luc. c. 22, v. 34. Joan. c. 13, v. 38.

Marc. c. 16, v. 17 et seq. : « Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur : In nomine meo Dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit; super ægros manus imponent, et benè habebunt. » Et Joan. c. 14, v. 12, et c. 16, v. 23.

Luc. c. 7, v. 16 : « Accepit autem omnes timor et magnificabant Deum dicentes : Quia Propheta magnus surrexit in nobis. »

Luc. c. 7, v. 39 : « Videns autem Pharisæus qui vocaverat eum, ait intrà se dicens : Hic si esset Propheta, sciret utique quæ et qualis est mulier quæ tangit eum. »

Luc. c. 13, v. 33 : « Verumtamen oportet me hodiè, et cras, et sequenti die ambulare, quia non capit Prophetam perire extrà Jerusalem. »

Luc. c. 19, v. 41 et seq. : « Et ut appropinquavit, videns civitatem flevit super illam dicens : Quia si cognovisses et tu, et quidem in hâc die tua, quæ ad pacem tibi ; nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te, et coangustabunt te undiquè : et ad terram prosternent te, et filios tuos qui in te sunt, et non reliquent in te lapidem super lapidem ; eo quòd non cognoveris tempus visitationis tuæ. » Et Luc. c. 21, v. 20. Matth. c. 24, v. 15. Marc. c. 13, v. 14.

Luc. c. 24, v. 19 : « De Jesu Nazareno, qui fuit vir propheta. »

Joan. c. 1, v. 45 : « Invenit Philippus Nathanael, et dixit ei : Quem scripsit Moyses in Lege, et Prophetæ, invenimus Jesum filium Joseph à Nazareth. »

Joan. c. 4, v. 19 : « Dicit ei mulier : Domine, video quia Propheta es tu. »

Joan. c. 5, v. 43 : « Ego veni in nomine Patris mei, et non accipitis me : si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. »

Joan. c. 6, v. 14 : « Illi ergò homines cùm vidissent quòd Jesus fecerat signum, dicebant : Quia hic est verè Propheta, qui venturus est in mundum. »

Joan. c. 6, v. 71, 72 : « Respondit eis Jesus : Nonne ego vos Duodecim elegi, et ex vobis unus diabolus est? Dicebat autem Judam Simonis Iscariotem; hic enim erat traditurus eum, cùm esset unus ex Duodecim. »

Joan. c. 7, v. 40 : « Ex illâ ergò turbâ, cùm audissent hos sermones ejus, dicebant : Hic est verè Propheta. »

Joan. c. 9, v. 17 : « Dicunt ergò cæco iterùm : Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit : Quia propheta est. »

Joan. c. 10, v. 16 : « Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere; et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor. »

Joan. c. 13, v. 19 : « A modò dico vobis priusquàm fiat, ut cùm factum fuerit, credatis quia ego sum. »

Joan. c. 16, v. 16 : Modicum, et jam non videbitis me; et iterùm modicum, et videbitis me, quia vado ad Patrem. »

Joan. c. 16, v. 20 *et seq.* : « Amen, amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit; vos autem contristabimini; sed tristitia vestra vertetur in gaudium.... In mundo pressuram habebitis; sed confidite, ego vici mundum. »

Joan. c. 18, v. 32 : « Ut sermo Jesu impleretur quem dixit, significans quâ morte esset moriturus. »

Joan. c. 21, v. 17, 18 : « Dixit ei : Pasce oves meas. Amen, amen dico tibi, cùm esses junior, cingebas te, et ambulabas ubi volebas; cùm autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet quò tu non vis. Hoc autem dixit, significans quâ morte clarificaturus esset Deum. »

Act. c. 1, v. 8 : « Sed accipietis virtutem supervenientis Spiritûs sancti in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem, et in Judæâ et Samariâ, et usque ad ultimum terræ. »

Act. c. 3, v. 21 *et seq.* : « Quem oportet quidem cœlum suscipere usque in tempora restitutionis omnium, quæ locutus est Deus per os sanctorum suorum à seculo Prophetarum. Moyses quidem dixit : *Quoniam Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris; tanquàm me ipsum audietis, juxtà omnia quæcumque locutus fuerit vobis; erit autem, omnis anima quæ non audierit Prophetam illum, exterminabitur de plebe.* » Et Act. c. 7, v. 37.

Inter Messiæ virtutes, propheticam facultatem non postremam recensent Thalmudistæ. Quin et futurum perhibent ut Messias de odore virum nequam à probo secernere possit et internoscere. Atqui facultate hâc propheticâ floruisse Jesum ne ethnici quidem inficiati sunt. Fassus est id quidem Phlegon Trallianus in Chronicis, teste Origene contrà Celsum. Sed quid testimoniis pugnare attinet, cùm nos plerasque Jesu prophetias, ab Evangelistis memoriæ proditas, et hoc capite à me expositas, in exoticis historiis, Evangelio recentioribus, eventu comprobatas fuisse legamus? Cùm autem initio operis hujus propheticam facultatem à Deo solo esse, tanquàm axioma vulgo receptum ac confessum sumpserimus, sequitur Christum Jesum à Deo afflatum ac veracem fuisse. Atqui se ipse Messiam dixit; undè sequitur verè Messiam fuisse.

CAPUT XXX.

Prophetiæ post Jesum desitæ.

Dan. c. 9, v. 24 : « Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum. »

Matth. c. 11, v. 13 : « Omnes enim Prophetæ et Lex usque ad Joannem prophetaverunt. » Et Luc. c. 16, v. 16.

De prophetiis hìc agimus, adventûs Christi prænuntiis. Vaticinia protulisse Agabum, et quatuor virgines Philippi filias, Apostolorum Acta referunt. Quid aliud esse dicas Apocalypsin Joannis, quàm futurorum prædictiones? « *Quandò ergò dicitur,* inquit Hieronymus, *omnes Prophetæ et Lex usque ad Joannem prophetaverunt, Christi tempus ostenditur, ut quem illi dixerunt esse venturum, Joannes venisse ostenderet* (Hier. in Matth. 11). »

CAPUT XXXI.

Jesus pastor.

Psalm. 94, v. 7 : « Ipse est Dominus Deus noster, et nos populus pascuæ ejus, et oves manûs ejus. »

Isa. c. 40, v. 10, 11 : « Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, et brachium ejus dominabitur; ecce merces ejus cum eo, et opus illius coràm illo. Sicut pastor gregem suum pascet; in brachio suo congregabit agnos,

et in sinu suo levabit, fœtas ipse portabit. »

Isa. c. 53, v. 6 : « Omnes nos quasi oves erravimus; unusquisque in viam suam declinavit, et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm. »

Jerem. c. 31, v. 10 : « Qui dispersit Israel, congregabit eum; et custodiet eum, sicut pastor gregem suum. »

Ezech. c. 34, v. 11 et seq. : « Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego ipse requiram oves meas, et visitabo eas; sicut visitat pastor gregem suum, in die quandò fuerit in medio ovium suarum dissipatarum, sic visitabo oves meas, et liberabo eas de omnibus locis, in quibus dispersæ fuerint in die nubis et caliginis, et educam eas de populis, et congregabo eas de terris, et inducam eas in terram suam, et pascam eas in montibus Israel, in rivis, et in cunctis sedibus terræ. In pascuis uberrimis pascam eas, et in montibus excelsis Israel erunt pascua earum; ibi requiescent in herbis virentibus, et in pascuis pinguibus pascentur super montes Israel. Ego pascam oves meas, et ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus..... Salvabo gregem meum, et non erit ultrà in rapinam, et judicabo inter pecus et pecus. Et suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas servum meum David; ipse pascet eas, et ipse erit eis in pastorem. »

Ezech. c. 37, v. 24 : « Et servus meus David rex super eos, et pastor unus erit omnium eorum. »

Mich. c. 2, v. 12 : In unum conducam reliquias Israel, pariter ponam illum quasi gregem in ovili, quasi pecus in medio caularum tumultuabuntur à multitudine hominum. »

Zach. c. 13, v. 7 : « Framea suscitare super pastorem meum, et super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum; percute pastorem, et dispergentur oves. »

Matth. c. 25, v. 32, 33 : « Congregabuntur antè eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis : et statuet oves quidem à dextris suis, hædos autem à sinistris. »

Matth. c. 26, v. 31 : « Tunc dicit illis Jesus : Omnes vos scandalum patiemini in me istâ nocte. Scriptum est enim : *Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis.* » Et Marc. c. 14, v. 27.

Joan. c. 10, v. 11 et seq. : « Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis; mercenarius autem et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit; et lupus rapit, et dispergit oves; mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus.

« Ego sum pastor bonus, et cognosco meas, et cognoscunt me meæ. Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem, et animam meam pono pro ovibus meis. Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili; et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor. »

Hebr. c. 13, v. 20 : « Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis Pastorem magnum ovium in sanguine Testamenti æterni, Dominum nostrum Jesum Christum, aptet vos in omni bono. »

1 *Petr.* c. 2, v. 25 : « Eratis nunc sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem et episcopum animarum vestrarum. »

1 *Petr.* c. 5, v. 4 : « Cùm apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam. »

CAPUT XXXII.

Angeli ministrant Jesu.

Psalm. 96, v. 8 : « Adorate eum omnes Angeli ejus. »

Psalm. 103, v. 4 : « Qui facis Angelos tuos spiritus, et ministros tuos ignem urentem. »

Matth. c. 4, v. 11 : « Et ecce Angeli accesserunt, et ministrabant ei. » Et Marc. c. 1, v. 13.

Luc. c. 2, v. 10 *et seq.* : « Et dixit illis Angelus, Nolite timere, ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo; quia natus est vobis hodiè Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David..... Et subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum, et dicentium : Gloria in altissimis Deo, et in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis. »

Joan. c. 1, v. 51 : « Et dicit ei : Amen, amen dico vobis, videbitis cœlum apertum, et Angelos Dei ascendentes et descendentes suprà Filium hominis. »

Hebr. c. 1, v. 6, 7 : « Et cùm iterùm introducit primogenitum in orbem terræ, dicit : Et adorent eum omnes Angeli Dei; et ad Angelos quidem dicit : Qui facit Angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis. »

1 *Petr.* c. 3, v. 22 : « Profectus in cœlum, subjectis sibi Angelis, et Potestatibus et Virtutibus. »

Apoc. c. 5, v. 11, 12 : « Et vidi, et audivi vocem Angelorum multorum in circuitu Throni, et animalium, et seniorum, et erat numerus

eorum millia millium, dicentium voce magnâ : Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem. »

CAPUT XXXIII.

Jesus venit in Galilœam et Capharnaum.

Isa. c. 9, v. 2 : « Primo tempore alleviata est terra Zabulon, et terra Nephthalim et novissimo aggravata est via maris trans Jordanem Galilææ gentium : populus qui habitabat in tenebris vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis. »

Matth. c. 4, v. 12 et seq. : « Cùm autem audisset Jesus quòd Joannes traditus esset, secessit in Galilæam ; et relictâ civitate Nazareth venit et habitavit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon et Nephthalim ; ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam : *Terra Zabulon, et terra Nephthalim, via maris trans Jordanem, Galilœa gentium; populus qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam, et sedentibus in regione umbræ mortis lux orta est eis.* »

CAPUT XXXIV.

Jesus inter homines frequenter versatur.

Prov. c. 8, v. 31 : « Deliciæ meæ esse cum filiis hominum. »

Isa. c. 7, v. 24 : « Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. »

Isa. c. 12, v. 6 : « Exsulta et lauda, habitatio Sion, quia magnus in medio tuî sanctus Israel. »

Bar. c. 3, v. 38 : « Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est. »

Soph. c. 3, v. 15 : « Rex Israel Dominus in medio tuî, non timebis malum ultrà. »

Agg. c. 2, v. 5, 6 : « Ego vobiscum sum, dicit Dominus exercituum ; verbum quod pepigi vobiscum, cùm egrederemini de terrâ Ægypti ; et spiritus meus erit in medio vestrûm ; nolite timere. »

Matth. c. 1, v. 22, 23 : « Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem : *Ecce Virgo in utero habebit, et pariet Filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel,* quod est interpretatum : *Nobiscum Deus.* »

Matth. c. 28, v. 20 : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi. »

Joan. c. 1, v. 14 : « Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis; et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre ; plenum gratiæ et veritatis. »

CAPUT XXXV.

Jesus concionator, doctor et magister.

Psalm. 2, v. 6 : « Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus. »

Psalm. 21, v. 23 : « Narrabo nomen tuum fratribus meis : in medio Ecclesiæ laudabo te. »

Psalm. 39, v. 10 et seq. : « Annuntiavi justitiam tuam in ecclesiâ magnâ ; ecce labia mea non prohibebo; Domine, tu scisti, justitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam et salutare tuum dixi : non abscondi misericordiam tuam et veritatem tuam à concilio multo. »

Isa. c. 2, v. 3 : « Ibunt populi multi, et dicent: Venite et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus ; quia de Sion exibit lex, et Verbum Domini de Jerusalem. »

Isa. c. 30, v. 19, 20 : « Miserans miserebitur tuî ad vocem clamoris tui ; statìm ut audierit respondebit tibi, et dabit vobis Dominus panem arctum, et aquam brevem, et non faciet avolare à te ultrà doctorem tuum, et erunt oculi tui videntes præceptorum tuum. »

Isa. c. 50, v. 4, 10 : « Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum qui lassus est verbo..... Quis ex vobis timens Dominum, et audiens vocem servi sui ? »

Isa. c. 52, v. 6, 7 : « Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illâ ; quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum. Quàm pulchri super montes pedes annuntiantis et prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis salutem, dicentis Sion : Regnabit Deus tuus! »

Isa. c. 55, v. 4 : « Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus. »

Isa. c. 61, v. 1 et seq. : « Spiritus Domini super me, eo quòd unxerit Dominus me ; ad annuntiandum mansuetis, misit me, ut mederer contritis corde, et prædicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem ; ut prædicarem annum placabilem Domino, et diem ultionis Deo nostro, ut consolarer omnes lugentes. »

Joel. c. 2, v. 23 : « Filii Sion exsultate, et lætamini in Domino Deo vestro ; quia dedit vobis doctorem justitiæ. »

Mich. c. 4, v. 2 : « Et properabunt gentes multæ, et dicent : Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et doce-

bit nos de viis suis, et ibimus in semitis ejus; quia de Sion egredietur lex, et Verbum Domini de Jerusalem. »

Nahum. c. 1, v. 15 : « Ecce super montes pedes evangelizantis et annuntiantis pacem; celebra, Juda, festivitates tuas, et redde vota tua: quia non adjiciet ultrà ut pertranseat in te Belial; universus interiit. »

Matth. c. 4, v. 17, 23 : « Exindè cœpit Jesus prædicare et dicere : Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum..... Et circuibat Jesus totam Galilæam docens in Synagogis eorum, et prædicans Evangelium regni. » Et c. 5, v. 1 et seq. et c. 7, v. 29. et c. 9, v. 35. Et c. 11, v. 1. Et c. 13, v. 54. Marc. c. 1, v. 14 et seq. Et c. 1, v. 21, 22. Et c. 1, v. 38, 39, 45. Et c. 2, v. 13. Et c. 4, v. 1. Et c. 5, v. 20. Et c. 6, v. 2, 34. Et alibi sæpè. Et Luc. c. 4, v. 15. Et c. 5, v. 3, 17. Et c. 6, v. 6. Et alibi sæpè. Et Joan. c. 6, v. 60. Et c. 7, v. 14, 28, Et c. 8, v. 2, 20.

Matth. c. 8, v. 19 : « Et accedens unus Scriba ait illi : Magister, sequar te quocumquè ieris. » Et c. 12, v. 38. Et c. 19, v. 16 et alibi sæpè. Et Marc. 9, v. 16, 37, et alibi sæpè. Et Luc. c. 3, v. 11, et c. 7, v. 40, et alibi sæpè. Et Joan. c. 11, v. 28.

Matth. c. 23. v. 10 : « Magister vester unus est Christus. »

Matth. c. 26, v. 55 : « Quotidiè apud vos sedebam docens in templo. » Et Marc. c. 14, v. 49. Luc. c. 19, v. 47, et c. 21, v. 37. Joan. c. 18, v. 20.

Luc. c. 2, v. 46, 47 : « Et factum est post triduum, invenerunt illum in templo, sedentem in medio doctorum, et audientem illos, et interrogantem eos. Stupebant autem omnes qui eum audiebant super prudentiâ et responsis ejus. »

Luc. c. 4, v. 16 et seq. : « Et venit Nazareth, ubi erat nutritus, et intravit secundùm consuetudinem suam die sabbati in Synagogam, et surrexit legere. Et traditus est illi liber Isaiæ prophetæ. Et ut revolvit librum, invenit locum ubi scriptum erat : *Spiritus Domini super me, propter quòd unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captivis remissionem, et cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum, et diem retributionis.* Et cùm plicuisset librum, reddidit ministro, et sedit. Et omnium in Synagogâ oculi erant intendentes in eum. Cœpit autem dicere ad illos : Quia hodiè impleta est hæc Scriptura in auribus vestris. Et omnes testimonium illi dabant, et mirabantur in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ipsius. »

Luc. c. 5, v. 5 : « Et respondens Simon dixit illi : Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus. » Et Luc. c. 8, v. 24, 45 ; et c. 9, v. 33, 49 ; et c. 17, v. 13 ; et c. 21, v. 7.

Luc. c. 23, v. 5 : « At illi invalescebant dicentes : Commovet populum, docens per universam Judæam, à Galilæâ usque hùc. »

Joan. c. 1, v. 38 : « Qui dixerunt ei : Rabbi, quod dicitur interpretatum, Magister, ubi habitas ? » Et c. 20, v. 26.

Joan. c. 3, v. 1, 2 : « Erat autem homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Judæorum. Hic venit ad Jesum nocte, et dixit ei : Rabbi, scimus quia à Deo venisti, nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. »

Joan. c. 13, v. 13, 14 : « Vos vocatis me, Magister et Domine; et benè dicitis, sum etenim. Si ergò lavi pedes vestros dominus et magister, et vos debetis alter alteri lavare pedes. »

Act. c, 10, v. 36 : « Verbum misit Deus filiis Israel, annuntians pacem per Jesum Christum; hic est omnium Dominus. »

Hebr. c. 2, v. 11, 12 : « Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare, dicens : *Nuntiabo nomen tuum fratribus meis : in medio Ecclesiæ laudabo te.* »

CAPUT XXXVI.

Jesus in Galilæâ de Deo prædicat.

Isa. c. 9, v. 1, 2 : « Primo tempore alleviata est terra Zabulon, et terra Nephthalim; et novissimo aggravata est via maris trans Jordanem Galilææ gentium. Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam ; habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. »

Matth. c. 4, v. 12 *et seq.* : « Cùm autem audisset Jesus quòd Joannes traditus esset, secessit in Galilæam, et relictâ civitate Nazareth venit et habitavit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon et Nephthalim ; ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam : *Terra Zabulon, et terra Nephthalim, via maris trans Jordanem, Galilæa gentium, populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam, et sedentibus in regione umbræ mortis, lux orta eis.* Exindè cœpit Jesus prædicare et dicere : Pœnitentiam agite; appropinquavit enim regnum cœlorum. »

Marc. c. 1, v. 14 : « Postquàm autem traditus

est Joannes, venit Jesus in Galilæam, prædicans Evangelium Dei. »

Luc. c. 4, v. 14, 15, 31 : « Et regressus est Jesus in virtute spiritûs in Galilæam, et fama exiit per universam regionem de illo ; et ipse docebat in Synagogis eorum, et magnificabatur ab omnibus... Et descendit in Capharnaum, civitatem Galilææ, ibique docebat illos Sabbatis. »

Joan. c. 4, v. 45 : « Post duos autem dies exiit indè, et abiit in Galilæam. Ipse enim Jesus testimonium perhibuit, quia Propheta in suâ patriâ honorem non habet. Cùm ergò venisset in Galilæam, exceperunt eum Galilæi, cùm omnia vidissent quæ fecerat Hierosolymis in die festo; et ipsi enim venerant ad diem festum. Venit ergò iterùm in Canâ Galilææ, ubi fecit aquam vinum. » Et alibi passìm.

CAPUT XXXVII.

Jesus parabolis inter concionandum et docendum sæpissimè utitur.

Psalm. 77, v. 2 : « Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio. »

Matth. c. 13, v. 3 *et seq.* : « Locutus est eis multa in parabolis... Et accedentes discipuli dixerunt ei : Quarè in parabolis loqueris eis ? Qui respondens ait illis... Ideò in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, et audientes non audiunt, neque intelligunt... Hæc omnia locutus est Jesus in parabolis ad turbas, et sine parabolis non loquebatur eis, ut impleretur quod dictum erat per Prophetam dicentem : *Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita à constitutione mundi.* » Et Marc. c. 4, v. 2 et seq. ; et c. 12, v. 1. Luc. c. 8, v. 9, 10 ; et aliàs sæpè.

Joan. c. 16, v. 25, 29 : « Hæc in proverbiis locutus sum vobis ; venit hora, cùm jam non in proverbiis loquar vobis, sed palàm de Patre annuntiabo vobis... Dicunt ei discipuli ejus : Ecce nunc palàm loqueris, et proverbium nullum dicis. »

Septuagesimum septimum Psalmum ab antecedente haudquaquàm disjungendum esse Judæi quidam tradiderunt. Atqui præcedens ille Psalmus, juxtà Midrasch Psalmorum, querimonia est Israeliticæ gentis Sponsæ ad Deum Sponsum ; quorum uterque in Cantico Canticorum exhibetur. Sponsum verò hunc, Messiam esse fatentur iidem Hebræi ; proindèque consequens est eam περιοχὴν, quam ex septuagesimo septimo Psalmo hìc affert Matthæus, totumque adeò Psalmum, juxtà Hebræorum doctrinam ad Messiam referri.

CAPUT XXXVIII.

Sermonum Jesu vis et efficacia.

Isa. c. 11, v. 4 : « Percutiet terram virgâ oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium. »

Isa. c. 49, v. 2 : « Posuit os meum quasi gladium acutum. »

Apoc. c. 1, v. 16 : « De ore ejus gladius utrâque parte acutus exibat. » Et c. 2, v. 12, 16.

Apoc. c. 19, v. 15, 21 : « Et de ore ejus procedit gladius ex utrâque parte acutus, ut in ipso percutiat gentes; et ipse reget eas in virgâ ferreâ..... Et cæteri occisi sunt in gladio sedentis super equum, qui procedit de ore ipsius. »

CAPUT XXXIX.

Jesus miranda facinora edit, et omnis generis languores sanat.

Psalm. 4, v. 4 : « Et scitote quoniam mirificavit Dominus Sanctum suum. »

Psalm. 102, v. 3 : « Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis; qui sanat omnes infirmitates tuas. »

Isa. c. 42, v. 6, 7 : « Ego Dominus dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum, et educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris. »

Isa. c. 53, v. 4 : « Verè languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. »

Isa. c. 61, v. 1 *et seq.* : « Spiritus Domini super me, eo quòd unxerit Dominus me : ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et prædicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem; ut prædicarem annum placabilem Domino, et diem ultionis Deo nostro; ut consolarer omnes lugentes : ut ponerem lugentibus Sion, et darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris. »

Ezech. c. 14, v. 15, 16 : « Ego pascam oves meas, et ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus. Quod perierat, requiram; et quod abjectum erat, reducam; et quod confractum fuerat, alligabo; et quod infirmum fuerat, consolidabo; et quod pingue et forte, custodiam. »

Matth. c. 4, v. 23, 24 : « Et circuibat Jesus totam Galilæam, docens in Synagogis eorum,

et prædicans Evangelium regni, et sanans omnem languorem, et omnem infirmitatem in populo. Et abiit opinio ejus in totam Syriam, et obtulerunt ei omnes malè habentes variis languoribus et tormentis comprehensos, et qui dæmonia habebant, et lunaticos, et paralyticos, et curavit eos. » Et Matth. c. 9, v. 20 et seq. et c. 9, v. 35. et c. 11, v. 20. et c. 15, v. 22 et seq. et c. 21, v. 15. Marc. c. 1, v. 32 et seq. et c. 5, v. 2 et seq. et c. 6, v. 5. et c. 7, v. 25, et seq. et c. 7, v. 32 et seq. Luc. c. 4, v. 33 et seq. et c. 4, v. 40, 41. et c. 5, v. 18 et seq. et c. 8, v. 2, 27 et seq. et c. 9, v. 38 et seq. et c. 11, v. 14 et seq. et c. 13, v. 11 et seq. et c. 14, v. 2 et seq. Joan. c. 2, 1 et seq. et c. 4, 46 et seq. et c. 5, v. 5 et seq. et c. 6, v. 2. et sæpissime in Evangeliis.

Matth. c. 8, v. 16, 17 : « Vespere autem facto obtulerunt ei multos dæmonia habentes, et ejiciebat spiritus verbo, et omnes malè habentes curavit; ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam dicentem : *Ipse infirmitates nostras accepit, et ægrotationes nostras portavit.* »

Luc. c. 4, v. 17 et seq. : « Et traditus est illi liber Isaiæ prophetæ. Et ubi revolvit librum, invenit locum ubi scriptum erat : *Spiritus Domini super me; propter quòd unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captivis remissionem et cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum, et diem retributionis.* Et cùm plicuisset librum, reddidit ministro, et sedit. Et omnium in Synagogâ oculi erant intendentes in eum. Cœpit autem dicere ad illos : Quia hodiè impleta est hæc Scriptura in auribus vestris. »

Luc. c. 6, v. 18, 19 : « Qui vexabantur à Spiritibus immundis, curabantur. Et omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes. » Et Luc. c. 7, v. 21. et c. 8, v. 43 et seq. et c. 19, v. 37.

Joan. c. 2, v. 11 : « Hoc fecit initium signorum Jesus in Canâ Galilææ. »

Joan. c. 2, v. 23 : « Cùm autem esset Jerosolymis in Paschâ in die festo, crediderunt in nomine ejus, videntes signa ejus quæ faciebat. »

Joan. c. 3, v. 1, 2 : « Erat autem homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Judæorum. Hic venit ad Jesum nocte, et dixit ei : Rabbi, scimus quia à Deo venisti magister, nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. »

Joan. c. 6, v. 2 : « Sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa quæ faciebat super his qui infirmabantur. »

Joan. c. 7, v. 31 : « De turbâ autem multi crediderunt in eum, et dicebant : Christus cùm venerit, numquid plura signa faciet, quàm quæ hic facit ? »

Joan. c. 11, v. 47 : Collegerunt ergò Pontifices et Pharisæi concilium, et dicebant : Quid facimus, quia hic homo multa signa facit ? »

Joan. c. 12, v. 37, 38 : « Cùm autem tanta signa fecisset coràm eis, non credebant in eum, ut sermo Isaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit : Domine, quis credidit auditui nostro ? et brachium Domini, cui revelatum est? »

Joan. c. 20, v. 30 : « Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu Discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. »

Act. c. 2, v. 22, 23 : « Viri Israelitæ, audite verba hæc : Jesum Nazarenum, virum approbatum à Deo in vobis virtutibus, et prodigiis, et signis, quæ fecit Deus per illum in medio vestrî, sicut et vos scitis..... interemistis. »

1° Miracula Jesum edidisse, inter Judæos confessa res est. Ac ne iis quidem temporibus, quibus inter eos versabatur Jesus, et prodigia edebat, rem inficiabantur; sed vel magicis artibus fieri hæc causabantur, cùm dicerent, *Hic non ejicit Dæmones, nisi in Beelzebub principe Dæmoniorum*, ut est apud Matthæum : vel id querebantur fieri die sabbathi, ut refert Joannes. Hæc « operatum Christum nec vos diffitemini, » ait Judæis Tertullianus de miraculis Jesu, « utpotè qui dicebatis, quòd propter « opera eum non lapidaretis, sed quoniam ista « sabbathis faciebat. » Mirabilium operum editorem fuisse Jesum disertis verbis scripsit quoque Josephus. In libro Thalmudico Avoda Zara, et in Midrasch Coheleth, aliisque veterum Hebræorum libris, vim veneni per nomen Jesu repressam fuisse traditur, quod et futurum Jesus prædixerat. Nominis ejusdem invocatione dæmones expellere tentabant circumforanei quidam Judæi exorcistæ, Paulum salutari hâc arte morbos sanantem, et impuros spiritus abigentem imitari conantes. Quod filiis Scevæ Principis Sacerdotum infeliciter cessit, cùm malè mulctaret eos dæmon, atque his verbis incesseret : *Jesum novi, et Paulum scio; vos autem qui estis ?* quod in Actis memorat Lucas. Narrant Evangelistæ, discipulis Joannis Jesum interrogantibus, essetne ipse Messias à Judæis exspectatus, respondisse illum : *Euntes renuntiate Joanni quæ audistis et vidistis : cæci vident,*

claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt. Quod tantumdem erat, ac si Messiam se esse dixisset, cùm ex factis à se miraculis quivis eum posset agnoscere. Quamobrem contumaciam eorum alibi damnat, qui tot perspectis prodigiis, nihil de pertinaciâ suâ remittebant : *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent,* ait Joan. 15, v. 24. Atqui maximâ patrandorum prodigiorum facultate præditum fore Messiam, ac Mose longè superiorem, ab iisdem Thalmudistis et Midrasch Coheleth traditum est. Revocaturum quoque eumdem mortuos ad vitam scripsit R. Levi ben Gerson. Quæ cùm à Domino Jesu præstita iidem sentiant, hoc certè signo, quod illustrissimum est, Messiam hunc esse vel palàm fateri, vel suspicari saltem debuerunt.

2° Ad ethnicos etiam mirandorum Jesu facinorum fama pervasit. Relata ea fuisse in publicos Pilati commentarios testificatur Justinus in Apologiâ secundâ, ad eosque illic et alibi provocat : quod non fecisset utique, Christianorum causam apud imperatores agens, nisi re exploratâ. Julianus Apostata nihil præclarum gessisse Jesum ait, apud Cyril. lib. 6 adv. Jul. « nisi quis existimat, sanâsse claudos et cæcos « aliquos, et dæmone correptos adhibitis obte« stationibus liberâsse in viculis Bethsaidâ et « Bethaniâ, maxima opera esse. » Quod mihi stolidissimè dictum videtur; quasi nihil magnum aut memorabile sit, quàm quod magnis sumptibus, et in magnâ hominum frequentiâ administratur; plusque admirabilitatis insit acutis ingeniosorum hominum repertis, aut magnificis regum molitionibus, vel exercitibus comparandis, urbibus vel exstruendis vel expugnandis, gentibus vel regendis vel domandis, quæ omnia sunt intrà naturæ artisque fines, et ab hominum industriâ et ingenio proficiscuntur, quàm iis quæ naturæ superant vires, quæ suprà humanum captum posita sunt, et peculiari Dei nutu certoque consilio geruntur; quæ verè maxima et miranda opera sunt. Longè itaque majoris potentiæ est mortuo vitam restituisse, quàm vel Ægyptiacas ædificâsse Pyramides, vel totum orbem subegisse armis, et in suas leges coegisse. Hæc ab hominibus fieri possunt, istud à Deo solo. Muhammedani verò non solùm prodigiis à Christo Jesu perpetratis adjungunt fidem, sed pleraque etiam ipsi affingunt in Alcorano, quæ vel ex incertis auditionibus, vel quod potiùs reor ex apocryphis libris à fœneo ipsorum Prophetâ hausta sunt.

3° Atenim quam Jesu concesserunt virtutem θαυματυργικὴν Judæi, in dedecus et ignominiam trahere conantur, patrum suorum secuti vestigia, qui Jesu ipsi in os objiciebant, ut dixi, in Beelzebub dæmonum principe dæmones ipsum expellere. Magum ergò fuisse causantur, « clandestinis artibus omnia illa perfecisse, « Ægyptiorum ex adytis Angelorum potentium « nomina et remotas furatum esse disciplinas. » Verba sunt Arnobii idem hoc argumentum tractantis. Quanquàm nec ab omnibus Judæorum magistris damnatur ea ars, quam cabalæ genus esse volunt. Cabalam practicam appellant, quâ nec se usum diffitetur R. Moses ben Nachman. In eliciendis autem dictionum ac elementorum sacræ Scripturæ occultis quibusdam virtutibus consistit omne hoc, qualecumque est, artificium. Quin et ex his Jesu apud Matthæum cap. 24, verbis : *Tùm si quis vobis dixerit : Ecce hìc est Christus, aut illìc, nolite credere. Surgent enim Pseudochristi et Pseudoprophetæ, et dabunt signa magna et prodigia, ità ut in errorem inducantur, si fieri possit, etiam electi; ecce prædixi vobis,* Judæus quidam apud Celsum colligebat ultrò confessum esse Christum Jesum se præstigiatorem esse, pseudochristum, et pseudoprophetam; quippè qui iisdem uteretur artibus, quibus qui utuntur, jure existimantur præstigiatores, pseudochristi, et pseudoprophetæ. Egregiè verò calumniam hanc depellit Origenes, ostenditque hoc monitu discipulos suos præmuniise Christum, adversùs eorum fraudes qui incantationibus et præstigiis sibi Christi nomen arrogare vellent. Tantùm verò abest ut prodigiorum editores damnaverit Christus, ut potiùs miraculorum perpetrandorum facultatem discipulis suis pollicetur. *Signa autem,* inquit, *eos qui crediderint hæc sequentur : in nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit, super ægros manus imponent, et benè habebunt* (Matth. c. 16.) Non ergò portentificam vim aversatur Christus, quâ pollebat ipse, et fore spondebat ut discipuli quoque sui pollerent; at eam quâ futurum sciebat, ut ad munus suum ac titulos usurpandos impii olìm homines abuterentur, eam, inquam, probabat, quam ad conciliandos sibi hominum animos suis quandoque largitur Deus, quæque reformandis in melius hominum moribus adhibetur; eam repudiabat, quæ in hominum perniciem, et divini cultûs corruptelam, dæmonem auctorem habet. Eam denique jubebat admitti, quæ Mosaicæ similis

esset; eam respui, quæ Ægyptiarum incantationum.

4° Impietatem suam alio mendacio cumulârunt Christiani nominis hostes, supposito sub Jesu nomine libro magicas artes complexo, quibus eum miracula fecisse volunt. Verùm inscitè in fallaciam ingressi sunt, cùm Petro et Paulo inscriptum à Jesu opus finxerunt. Nam hos, præ reliquis, Christi discipulos magiæ insimulant: uti factum ab Hierocle, in libro cui titulus, Φιλαλήθης, quem refellit Eusebius. Quasi Jesu familiaris fuerit Paulus, qui aliquantò post Jesu mortem in Christianorum castra transiit. Adversùs conditores figmenti hujus vehementer excandescit Augustinus, libro primo de Consensu Evangelistarum c. 9, quæritque cur qui librum hunc legere possunt, in quo portentifica Jesu ars tradita est, eadem quæ ipse patrare miracula non possunt. Quærit prætereà, an qui tantùm γοητείαις suis et τερατουργήμασι vivus mortuusque valuit, iisdem antequàm natus esset efficere potuit, ut sancti Prophetæ divino spiritu afflati de se ea prædicerent, quæ opere deindè completa sunt. Quod argumentum alibi quoque urget non segniter. Adde nemini sano persuaderi posse huic doctrinæ favere dæmonem, quæ dæmonis cultum evertit, et idola pessumdat. Quâ ratiocinatione adversùs Judæos Christus Jesus utebatur apud Matth. cap. 12. *Omne* inquit, *regnum divisum contrà se, desolabitur; et omnis civitas, vel domus divisa contrà se, non stabit. Et si Satanas Satanam ejicit, adversùs se divisus est; quomodò ergò stabit regnum ejus?* Homines præterеà ab omni, non actorum solùm et verborum, sed cogitationum etiam pravitate revocabat Jesus; ad quam eosdem impellit dæmon. Docet nos etiam Lucas in Actis, cap. 19, Ephesi Pauli discipulos, *qui fuerant curiosa sectati, contulisse libros, et combussisse coràm omnibus.* Curiosa hæc fuerunt magicæ artes, quarum studio infames fuisse Ephesios antiqui scriptores produnt. Memorabile est Porphyrii Christianorum adversarii testimonium, ab Eusebio recitatum libro quinto Præparationis Evangelicæ, quo nullam hominibus opem præstari ait à Diis ethnicorum, ex quo Jesus coli cœptus est; morbosque vulgò grassari, ejecto jam et profligato Æsculapio, aliisque Diis. Quamobrem Dionysius Alexandrinus, in Epistolà ad Hermammonem apud Euseb. hist. lib. 7, cap. 10, Christianos dicit « sceleratis et execrandis incantationibus adversari et impedimento esse. » Tum subjicit : « Poterant enim, ac etiamnum possunt, si adsint et cernantur, flatu solummodò, vel verbo omnes impiorum dæmonum technas discutere. » Narrat quoque Constantinus imperator, in Edicto ad Provinciales de eorum errore qui plures deos colunt, Apollinem ex oraculo esse profatum, impedimento sibi esse viros quosdam justos, Christianos videlicet, quominùs vera ex tripode prædiceret. Hùc adjungendus oraculorum defectus, cujus causam curiosè scrutati sunt, cùm alii scriptores, tùm potissimum Plutarchus; ex quo discas, paulatim ea conticescere cœpisse, ad Christi usque tempus, quo obmutuerunt; quasi fractâ tùm penitùs dæmonum vi, silentioque ipsis imposito. Respondebat Julianus ὁ παραβάτης, Prophetas apud Christianos, perindè ut oracula apud ethnicos defecisse. At falsitatem convincit liber Actorum, in quo et Agabus propheta, et quatuor Philippi Evangelistæ filiæ prophetides commemorantur, juxtà id Joelis cap. 2, quod in iisdem Actis descriptum est: *Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus, effundam de spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri, et filiæ vestræ, et juvenes vestri visiones videbunt, et juvenes vestri somnia somniabunt. Et quidem super servos meos et super ancillas meas, in diebus illis effundam de spiritu meo, et prophetabunt.* Scribit præterеà Justinus adversùs Tryphonem, ad suam usque ætatem prophetiæ donum in Ecclesia viguisse. Idem tradit Irenæus lib. 3, cap. 37. Quodque majus est, scriptor quidam vetus apud Eusebium libro quinto Historiæ, affirmat, auctore Apostolo, prophetiæ donum ad postremum usque Christi adventum in Ecclesiâ minimè desiturum.

5° Pervulgata est et ab aliis jam obtrita Rabbinorum quorumdam de Christo Jesu fabula, quæ nec à nobis sileri debet. Narrant Helenæ reginæ temporibus in Hierosolymitano templo exstitisse lapidem, cui olim arca imponi solita fuerat, in eoque descriptum fuisse nomen Dei propriis elementis expressum; cujus ea vis erat, ut quicumque illud didicisset, omnium prodigiorum potens esset; veritos ergò Sapientes ne quis eà facultate abuteretur, canes æreos portæ custodes apposuisse, qui hàc arte fuerant fabricati, ut si quis memoriæ mandato nomine pararet exire, magnis eorum territus latratibus sacri nominis oblivisceretur; horum igitur gnarum Jesum descripsisse nomen in membranâ, eamque vulnere deindè facto cruri insuisse; sicque egressum templo, membranâ extractâ oblitum nomen iterùm didicisse, et

ejus ope tot deindè prodigialis virtutis opera edidisse. Placet enimverò hæc Judæorum confessio, non præstigiis, aut incantationibus, non dæmonum ope, sed divini nominis virtute miracula Jesum patrâsse. Verùm ecquem nobis narrationis hujus testem dabunt? quis lapidis hujus et descripti in eo divini nominis? quis canum æneorum latrantium? an libros sacros? an Josephum, qui templum, et quidquid templo memoratu dignum inerat, accuratè recensuit? minimè sanè. Quis sacri nominis saxo insculpendi auctor fuit? an Salomon? quæso cur Salomon, aut quicumque rei artifex fuit, arte ipse suâ usus non est, et nullis miraculis inclaruit? cur non Sapientes ipsi canum æreorum fabricatores, *prodigiosâ* virtute, in gentis suæ salutem, urbisque ac templi tutelam usi sunt? Helenam illam, quâ regnante id contigisse ferunt, Adiabenorum reginam fuisse sciendum est, Monobazi uxorem, Izatæ matrem, quæ susceptâ Judæorum religione venit Hierosolymam, maximisque beneficiis affectâ gente, et clarissimis in regione excitatis monumentis, perpetuam apud eos nominis sui memoriam reliquit. Cùm autem post Agrippæ regis obitum, vel iisdem circiter temporibus sacros Judæorum ritus sequi instituerit, ac deindè etiam Hierosolymam sit profecta, facilè intelligitur Claudio imperante hæc evenisse, quod optimè vidit R. Azarias in Meor enajim, proindèque insignem esse Rabbinorum ἀνιστορησίαν, qui horum temporum æqualem Jesum faciunt. Quo etiam commenti hujus vanitas deprehenditur.

6° Postremò ad extenuanda Christi Jesu prodigia, alia afferuntur ab ethnicis aut impiis edita, de quibus universè dici potest, vel conficta esse et commentitia, vel magicâ arte, ac præstigiis facta. Mirifica illa quidem Vespasiani opera, quibus cæco cuidam visum restituisse, et alium manu ægrum sanâsse fertur, à subdolis Ægyptiorum artibus videntur profecta, inter quos acta res est. Famâ acceperant illi, fortassè à Judæis, quorum multitudo ingens erat Alexandriæ, Josephum sacra quædam oracula Vespasiano accommodâsse, quemadmodùm alibi diximus, quæ in Judæorum Messiam conveniebant. Ilis hinc quid in adulatoriâ arte concederent Ægyptii, deum facere, divinæ virtutis opera ipsi affingendo, voluerunt, quem Judæi Messiam fecerant. Cùm ergò inaudissent Jesum, qui Messias habebatur à plerisque, cæcum illito oculis sputo sanâsse, et claudos ac debiles morbo liberâsse, duos in eum cultum subornant, quasi ille manu, hic oculis captus esset. Tabe oculorum notum hunc fuisse scribit Tacitus in Hist. lib. 4 : quibus notum? an Vespasiani comitibus recens illùc appulsis? haudquaquàm certè; sed Ægyptiis commenti artificibus, qui falsò id testificabantur. « Vespasianus primò irridere, aspernari, » verba sunt Taciti; quippè fraudem et palpum sentiens: tandem « vocibus adulantium in spem induci; » medicis præsertìm rem fieri posse suadentibus, quippè doli fortassè consciis, cùm dicerent « huic non esse exesam vim luminis, et redituram, si pellerentur obstantia; illi elapsos in pravum artus, si salubris vis adhibeatur, posse integrari. » Agnoscis, lector, simulatos morbos, quales illi sunt mendicorum æruscatorum, qui ad movendam misericordiam ægrorum habitu sese componunt. Re intellectâ, Vespasianus falsis morbis falsam medicinam adhibuit, alterius calcatâ manu, insputatis alterius oculis. Ergò mirabile non est quod addit Tacitus : « Utrumque qui interfuêre nunc quoque memorant, postquàm nullum mendacio pretium. » Rem geri visam fuisse non negamus, gestam fuisse negamus. Alium prætereà dolum imperatori instruxerunt : Serapeum adeunti visus ponè tergum adesse Basilides, unus è primoribus Ægyptiorum, qui tunc morbo implicitus octoginta millium itinere aberat. Nempè hominem aliquem corporis filo Basilidis consimilem in fanum clàm inductum imperatori admovent, ut ex Basilidis nomine regni omen caperet, visumque statìm subducunt. At de Christo Jesu similes strophas fucosque suspicari non possumus : nam quis viro tenui et obscuro ad fraudem, mimumque subservire in animum induxisset? quis fallaciæ fructus? quàm facilè à magistratibus suspiciosis ac invidis, et Jesum exosis fraus omnis retecta fuisset! An in hominibus valetudinis incertæ ac dubiæ? an in cæcis, quibus non exesa esset vis luminis? imò, in eo quem captum esse oculis ab ipso ortu parentes, vicini, populus universus sciebat, in mortuo jam fœtente. Igitur non Judæi, non ethnici miraculis Jesu fidem derogare audent.

Simili arte febri laborantem Adrianum, et vitæ pertæsum, ac manus sibi inferre volentem aggressus est Antoninus; mulierem induxit, quæ in somnis monitam se diceret brevi convaliturum Adrianum, atque id imperatori renuntiare jussam, quod cùm non fecisset, esse cæcatam; iterùm deindè jussam esse ca-

dem facere, et genua ipsius osculari; quod si ecisset, visum esse recepturam; paruit demùm illa, et oculos aquâ, quæ in fano erat, ablutos recepisse se finxit. Subornavit Antoninus et Pannonium quemdam, cæcum natum, qui febrientem Adrianum tangeret; quo facto sanatum utrumque. His commemoratis subjicit Spartianus, Adr. cap. 25: « Quamvis Marius « Maximus hæc per simulationem facta com« memoret. » Quibus opportunè monemur, quid de supposititiis his Adriani miraculis æstimare debeamus; quid quòd et hominum quorumdam ea est εὐκρασία, seu potiùs ἰδιοκρασία, ut certos aliquos morbos contactu sanare possint: quale est quod de Hiberno quodam et litteris et sermone multorum nuper ad nos ex Angliâ perlatum est; et quod de Pyrrho narrat Plutarchus, splene ægros sanâsse, pede dextro visceribus supinorum leviter impresso. At non certos aliquos, verùm omnis generis languores Jesus Dominus sanavit.

CAPUT XL.

Jesus cæcis visum restituit.

Psalm. 145, *v.* 8: « Dominus illuminat cæcos. »

Isa. c. 29, v. 18: « Et audient in die illâ surdi verba libri, et de tenebris et caligine oculi cæcorum videbunt. »

Isa. cap. 35, v. 4, 5: « Deus ipse veniet, et salvabit vos; tunc aperientur oculi cæcorum. »

Isa. c. 42, v. 6, 7: « Et dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum.

Isa. cap. 42, v. 16 et seq.: « Et ducam cæcos in viam quam nesciunt, et in semitis quas ignoraverunt ambulare eos faciam; ponam tenebras coràm eis in lucem, et prava in recta....... Surdi, audite, et cæci, intuemini ad videndum. »

Matth. c. 9, v. 7 *et seq*: « Et transeunte indè Jesu, secuti sunt eum duo cæci, clamantes et dicentes: Miserere nostrî, fili David. Cùm autem venisset domum, accesserunt ad eum cæci: et dicit eis Jesus: Creditis quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei: Utique, Domine. Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundùm fidem vestram fiat vobis. Et aperti sunt oculi eorum. » Et Matth. c. 20, v. 30. Marc. c. 10, v. 46 et seq. Luc. c. 18, v. 35 et seq.

Matth. c. 11, v. 4, 5: « Et respondens Jesus ait illis: Euntes renuntiate Joanni quæ audistis et vidistis; cæci vident. » Et Luc. c. 7, v. 18 et seq.

Matth. c. 12, v. 22: « Tunc oblatus est ei dæmonium habens, cæcus et mutus, et curavit eum, ità ut loqueretur et videret. » Et Luc. c. 11, v. 4.

Matth. c. 15, v. 30, 31: « Et accesserunt ad eum turbæ multæ, habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, et alios multos; et projecerunt eos ad pedes ejus, et curavit eos; ità ut turbæ mirarentur videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes. »

Matth. c. 21, v. 14: Et accesserunt ad eum cæci et claudi in templo, et sanavit eos. »

Marc. c. 8, v. 22 *et seq.*: Et veniunt Bethsaidam, et adducunt ei cæcum, et rogabant eum ut illum tangeret; et apprehensâ manu cæci eduxit eum extrà vicum; et exspuens in oculos ejus, impositis manibus suis, interrogavit eum si quid videret; et aspiciens ait: Video homines velut arbores ambulantes. Deindè iterùm imposuit manus super oculos ejus, et cœpit videre; et restitutus est, ità ut clarè videret omnia. »

Luc. c. 4, v. 17 *et seq.*: « Et traditus est illi liber Isaiæ prophetæ; et ut revolvit librum, invenit locum ubi scriptum erat: *Spiritus Domini super me, propter quòd unxit me; evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captivis remissionem, et cæcis visum.* ..... Cœpit autem dicere ad illos: Quia hodiè impleta est hæc scriptura in auribus vestris. »

Luc. c. 7, v. 21: « In ipsâ autem horâ multos curavit à languoribus et plagis, et spiritibus malis, et cæcis multis donavit visum. »

Joan. c. 9, v. 6, 7: « Hæc cùm dixisset, exspuit in terram, et fecit lutum ex sputo, et linivit lutum super oculos ejus, et dixit ei: Vade et lava in natatoriâ Siloe (quod interpretatur Missus.) Abiit ergò, et lavit, et venit videns. »

Joan. c. 10, v. 21: « Alii dicebant: Hæc verba non sunt dæmonium habentis. Numquid dæmonium potest cæcorum oculos aperire? »

Joan. c. 11, v. 37: « Quidam autem ex ipsis dixerunt: Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere ut hic non moreretur? »

CAPUT XLI.

Jesus surdorum aures aperit.

Isa. c. 29, v. 18: « Et audient in die illâ surdi verba Libri, et de tenebris et caligine oculi cæcorum videbunt. »

Isa. c. 35, v. 4, 5: « Deus ipse veniet, et

salvabit vos, tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt. »

Isa. c. 42, v. 1 : « Surdi, audite, et cæci, intuemini ad videndum. »

Matth. c. 11, v. 4, 5 : « Et respondens Jesus ait illis : Euntes renuntiate Joanni quæ audistis et vidistis : cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt. » *Et Luc. c.* 7, *v.* 22.

Marc. c. 7, v. 32 *et seq.* : « Et adducunt ei surdum mutum, et deprecabantur eum ut imponat illi manum. Et apprehendens eum de turbâ seorsùm, misit digitos suos in auriculas ejus; et exspuens tetigit linguam ejus; et suspiciens in cœlum ingemuit, et ait illi : Ephphetha, quod est : Adaperire; et statìm apertæ sunt aures ejus, et solutum est vinculum linguæ ejus, et loquebatur rectè. »

Marc. c. 9, v. 24 : « Et cùm videret Jesus concurrentem turbam, comminatus est spiritui immundo, dicens illi : Surde et mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, et ampliùs ne introeas in eum; et exclamans, et multùm discerpens eum exiit ab eo. »

CAPUT XLII.

Jesus mutorum linguam solvit.

Sap. c. 10, v. 21 : « Sapientia aperuit os mutorum, et linguas infantium fecit disertas. »

Isa. c. 35, v. 4, 6 : « Deus ipse veniet, et salvabit vos...... Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum. »

Matth. c. 9, v. 32, 33: «Egressis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentem; et ejecto dæmonio, locutus est mutus. » Et Luc. c. 11, v. 14.

Matth. c. 12, v. 22: «Tunc oblatus est ei dæmonium habens, cæcus, et mutus; et curavit eum, ità ut loqueretur et videret. »

Matth. c. 15, v. 30, 31 : « Et accesserunt ad eum turbæ multæ habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, et alios multos, et projecerunt eos ad pedes ejus, et curavit eos; ità ut turbæ mirarentur videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes. »

Marc. c. 7, v. 32 *et seq.* : « Et adducunt ei surdum et mutum, et deprecabantur eum, ut imponat ei manum. Et apprehendens eum de turbâ seorsùm, misit digitos suos in auriculas ejus, et exspuens tetigit linguam ejus, et suscipiens in cœlum ingemuit, et ait illi : Ephphetha, quod est : Adaperire; et statìm apertæ sunt aures ejus, et solutum est vinculum linguæ ejus et loquebatur rectè. »

Marc. c. 9, v. 24, 25 : « Et cùm videret Jesus concurrentem turbam, comminatus est spiritui immundo, dicens illi : Surde et mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, et ampliùs ne introeas in eum. Et exclamans, et multùm discerpens eum, exiit ab eo. »

CAPUT XLIII.

Jesus claudos sanat.

Isa. c. 35, v. 4, 6 : « Deus ipse veniet, et salvabit vos... Tunc saliet sicut cervus claudus. »

Matth. c. 11, v. 4, 5: « Et respondens Jesus ait illis: Euntes renuntiate Joanni quæ audistis et vidistis : cæci vident, claudi ambulant. » Et Luc. c. 7, v. 22.

Matth. c. 15, v. 30, 31 : « Et accesserunt ad eum turbæ multæ, habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, et alios multos, et projecerunt eos ad pedes ejus, et curavit eos; ità ut turbæ mirarentur videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes. »

Matth. c. 21, v. 14: « Et accesserunt ad eum cæci et claudi in templo, et sanavit eos. »

CAPUT XLIV.

Jesus debiles sanat.

Isa. c. 35, v. 3, 4 : « Confortate manus dissolutas, et genua debilia roborate...... Deus ipse veniet, et salvabit vos. »

Matth. c. 4, v. 24 : « Obtulerunt ei omnes malè habentes variis languoribus, et tormentis comprehensos, qui dæmonia habebant, et lunaticos, et paralyticos; et curavit eos. »

Matth. c. 8, v. 5 *et seq.* : «Cùm autem introisset, Capharnaum, accessit ad eum Centurio rogans et dicens : Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, et malè torquetur. Et ait illi Jesus : Ego veniam, et curabo eum...... Et dixit Jesus Centurioni : Vade, et sicut credidisti fiat tibi; et sanatus est puer in illâ horâ. »

Matth. c. 9, v. 2 *et seq.* : « Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto..... tunc ait paralytico : Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam. Et surrexit et abiit in domum suam. » Et Marc. c. 2, v. 3 et seq.; Luc. c. 5, v. 18 et seq. »

Joan. c. 5, v. 5 *et seq.* : « Erat autem quidam homo ibi, triginta et octo annos habens in infirmitate suâ...... Dicit ei Jesus : Surge,

tolle grabatum tuum, et ambula; et statim sanus factus est homo ille, et sustulit grabatum suum, et ambulabat.»

CAPUT XLV.

Jesus mortuos revocat ad vitam.

Psalm. 102, v. 2 *et seq.*: «Benedic, anima mea, Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus; qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam.»

Isa. c. 26, v. 19: «Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent; expergiscimini, et laudate qui habitatis in pulvere.»

Matth. c. 9, v. 18 *et seq.*: «Ecce Princeps unus accessit, et adorabat eum dicens: Domine, filia mea modò defuncta est; sed veni, impone manum tuam super eam et vivet...... Et cùm ejecta esset turba, intravit et tenuit manum ejus, et surrexit puella.» Et Marc. c. 5, v. 22 et seq. Luc. 8, v. 41 et seq.»

Matth. c. 11, v. 4, 5: «Et respondens Jesus ait illis: Euntes renuntiate Joanni quæ audìstis et vidistis: cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt.» Et Luc. c. 7, v. 18 et seq.»

Luc. c. 7, v. 12 *et seq.*: «Cùm autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur, filius unicus matris suæ...... et accessit et tetigit loculum..... et ait: Adolescens, tibi dico, surge. Et resedit qui erat mortuus, et cœpit loqui; et dedit illum matri suæ.»

Joan. c. 11, v. 43, 44: «Hæc cùm dixisset, voce magnâ clamavit: Lazare, veni foràs. Et statìm prodiit qui fuerat mortuus.»

CAPUT XLVI.

Jesus esurientes cibo reficit.

1 *Reg.* c. 2. v. 5: «Famelici saturati sunt, donec sterilis peperit plurimos, et quæ multos habebat filios infirmata est.»

Psalm. 21, *v.* 27: «Edent pauperes, et saturabuntur.»

Psalm. 32, *v.* 18, 19: «Ecce oculi Domini super metuentes eum, et in eis qui sperant super misericordiâ ejus; ut eruat à morte animas eorum, et alat eos in fame.»

Psalm. 36, *v.* 18, 19: «Novit Dominus dies immaculatorum, et hæreditas eorum in æternum erit; non confundentur in tempore malo, et in diebus famis saturabuntur.»

Psalm. 106, *v.* 4 *et seq.*: «Erraverunt in solitudine in inaquoso, viam civitatis habitaculi non invenerunt; esurientes et sitientes, anima eorum in ipsis defecit. Et clamaverunt ad Dominum cùm tribularentur, et de necessitatibus eorum eripuit eos.»

Psalm. 131, *v.* 15: «Pauperes ejus saturabo panibus.»

Psalm. 145, *v.* 7: «Qui custodit veritatem in seculum, facit judicium injuriam patientibus, dat escam esurientibus.»

Prov. c. 10, *v.* 3: «Non affliget Dominus fame animam justi.»

Isa. c. 23, *v.* 18: «His qui habitaverint coràm Domino, erit negotiatio ejus, ut manducent in saturitatem.»

Isa. c. 49, *v.* 9 *et seq.*: «Hæc dicit Dominus..... Dedi te in fœdus populi, ut suscitares terram, et possideres hæreditates dissipatas, ut diceres his qui vincti sunt: Exite, et his qui in tenebris: Revelamini; super vias pascentur, et in omnibus planis pascua eorum; non esurient, neque sitient.»

Isa. c. 65, *v.* 13: «Propter hoc, hæc dicit Dominus Deus: Ecce servi mei comedent et vos esurietis.»

Jerem. c. 21, *v.* 25: «Omnem animam esurientem saturavi.»

Joel. c. 2, *v.* 23, 26: «Et filii Sion, exsultate et lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem justitiæ...... Et comedetis vescentes, et saturabimini, et laudabitis nomen Domini Dei vestri, qui fecit mirabilia vobiscum.»

Matth. c. 14, *v.* 15 *et seq.*: «Vespere autem facto, accesserunt ad eum discipuli ejus dicentes: Desertus est locus, et hora jam præteriit; dimitte turbas, ut euntes in castella emant sibi escas; Jesus autem dixit eis: Non habent necesse ire; date illis vos manducare. Responderunt ei: Non habemus hìc nisi quinque panes et duos pisces. Qui ait eis: Afferte mihi illos hùc. Et cùm jussisset turbam discumbere super fœnum, acceptis quinque panibus et duobus piscibus, aspiciens in cœlum benedixit, et fregit, et dedit discipulis panes; discipuli autem turbis. Et manducaverunt omnes, et saturati sunt. Et tulerunt reliquias, duodecim cophinos fragmentorum plenos. Manducantium autem fuit numerus quinque millia virorum, exceptis mulieribus et parvulis.» Et Marc. c. 6, v. 35 et seq. Luc. c. 9, v. 12 et seq. Joan. c. 6, v. 5 et seq.; et c. 6, v. 26 et seq.

Matth. c. 15, *v.* 32 *et seq.*: «Jesus autem convocatis discipulis suis dixit: Misereor turbæ, quia triduò jam perseverant mecum, et

non habent quod manducent, et dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in viâ. Et dicunt ei discipuli : Undè ergò nobis in deserto panes tantos, ut saturemus turbam tantam ? Et ait illis Jesus : Quot habetis panes ? Et illi dixerunt : Septem, et paucos pisciculos. Et præcepit turbæ ut discumberent super terram. Et accipiens septem panes et pisces, et gratias agens fregit, et dedit discipulis suis, et discipuli dederunt populo. Et comederunt omnes, et saturati sunt. Et quod superfuit de fragmentis, tulerunt septem sportas plenas. Erant autem qui manducaverunt, quatuor millia hominum, extrà parvulos et mulieres. » Et Marc. c. 8, v. 1 et seq.

Luc. c. 1, *v.* 53 : « Esurientes implevit bonis. »

Joan. c. 6, *v.* 32 *et seq.* : « Dixit ergò eis Jesus : Amen, amen dico vobis, non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Panis enim Dei est qui de cœlo descendit, et dat vitam mundo. Dixerunt ergò ad eum : Domine, semper da nobis panem hunc. Dixit autem eis Jesus : Ego sum panis vitæ, qui venit ad me non esuriet, et qui credit in me non sitiet unquàm...... Ego sum panis vitæ. Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt : hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi : si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum ; et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vitâ. » Vide et reliquum caput.

Apoc. c. 7, *v.* 15, 16 : « Ideò sunt antè thronum Dei, et serviunt ei die ac nocte in templo ejus : et qui sedet in throno, habitabit super illos ; non esurient, neque sitient ampliùs. »

CAPUT XLVII.

Apostolos, discipulos et sectatores de gente Judaicâ Jesus deligit, et ad se vocat; à quibus deindè propagata est Christiana Religio. Delectus et vocatio quæ fit per Jesum, initium est salutis.

Psalm. 67, *v.* 27, 28 : « In Ecclesiis benedicite Deo Domino de fontibus Israel. Ibi Benjamin adolescentulus in mentis excessu. Principes Juda duces eorum ; principes Zabulon, principes Nephthali. »

Isa. c 1, v. 9 : « Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, et quasi Gomorrha similes essemus. »

Isa. c, 4, *v.* 2, 3 : « In die illâ erit germen Domini in magnificentiâ, et gloria et fructus terræ sublimis, et exsultatio his qui salvati fuerint de Israel. Et erit, omnis qui relictus fuerit in Sion, et residuus in Jerusalem, sanctus vocabitur, omnis qui scriptus est in vitâ in Jerusalem. »

Isa. c. 9. *v.* 1 : « Primo tempore alleviata est terra Zabulon, et terra Nephthalim, et novissimo aggravata est via maris trans Jordanem Galilææ gentium. Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam ; habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. »

Isa. c. 10, *v.* 20 *et seq.* : « Et erit in die illâ, non adjiciet residuum Israel, et hi qui fugerint de domo Jacob, inniti super eo, percutit eos ; sed innitetur super Dominum sanctum Israel in veritate. Reliquiæ convertentur ; reliquiæ, inquam, Jacob, ad Deum fortem. Si enim fuerit populus tuus Israel, quasi arena maris, reliquiæ convertentur ex eo : consummatio abbreviata inundavit justitiam. Consummationem enim et abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ. »

Isa. c. 17, *v.* 4 *et seq.* : « Et erit in die illâ, attenuabitur gloria Jacob, et pinguedo carnis ejus marcescet. Et erit sicut congregans in messe quod restiterit, et brachium ejus spicas leget, et erit sicut quærens spicas in valle Raphaim. Et relinquetur in eo sicut racemus, et sicut excussio oleæ duarum vel trium olivarum in summitate rami, sive quatuor aut quinque in cacuminibus ejus fructus ejus, dicit Dominus Deus Israel. In die illâ inclinabitur homo ad factorem suum, et oculi ejus ad Sanctum Israel respicient, et non inclinabitur ad altaria quæ fecerunt manus ejus. »

Isa. c. 28, *v.* 5 : « In die illâ erit Dominus exercituum corona gloriæ, et sertum exsultationis residuo populi sui. »

Isa. c. 37, *v.* 31, 32 : « Et mittet id quod salvatum fuerit de domo Juda, et quod reliquum est, radicem deorsùm, et faciet fructum sursùm ; quia de Jerusalem exibunt reliquiæ, et salvatio de monte Sion. Zelus Domini exercituum faciet illud. »

Isa. c. 65, *v.* 8, 9 : « Hæc dicit Dominus : Quomodò si inveniatur granum in botro, et dicatur : Ne dissipes illud, quoniam benedictio est, sic faciam propter servos meos, ut non disperdam totum ? Et educam de Jacob semen, et de Judâ possidentem montes meos ; et hæ-

reditabunt eam electi mei, et servi mei habitabunt ibi. »

Jerem. c. 3, *v.* 14, 15 : « Convertimini, filii revertentes, dicit Dominus, quia ego vir vester; et assumam vos, unum de civitate, et duos de cognatione, et introducam vos in Sion. Et dabo vobis pastores juxtà cor meum, et pascent vos scientiâ et doctrinâ ; cùmque multiplicati fueritis et creveritis in diebus illis, ait Dominus, non dicent ultrà : Arca Testamenti Domini ; neque ascendet super cor, neque recordabuntur illius, nec visitabitur, nec fiet ultrà. »

Jerem. c. 16. *v.* 16: « Ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, et piscabuntur eos (Israelitas), et post hæc mittam eis multos venatores, et venabuntur eos de omni monte, et de omni colle, et de cavernis petrarum. »

Mich. c. 2, *v.* 12 : « Congregatione congregabo Jacob totum te ; in unum conducam reliquias Israel ; pariter ponam illum quasi gregem in ovili, quasi pecus in medio caularum ; tumultuabuntur à multitudine hominum. »

Mich. c. 5, *v.* 2 *et seq.* : « Et tu, Bethlehem Ephraim, parvulus es in millibus Juda ; ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israel, et egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis. Propter hoc dabit eos usque ad tempus in quo parturiens pariet, et reliquiæ fratrum ejus convertentur ad filios Israel. Et stabit, et pascet in fortitudine Domini, in sublimitate nominis Domini Dei sui, et convertentur, quia nunc magnificabitur usque ad terminos terræ. Et erit iste pax, cùm venerit Assyrius in terram nostram, et quandò calcaverit in domibus nostris ; et suscitabimus super eum septem pastores, et octo primates homines.... Et erunt reliquiæ Jacob in medio populorum multorum, quasi ros à Domino, et quasi stillæ super herbam quæ non exspectat virum, et non præstolatur filios hominum. Et erunt reliquiæ Jacob in gentibus, in medio populorum multorum, quasi leo in jumentis silvarum, et quasi catulus leonis in gregibus pecorum ; qui cùm transierit, et conculcaverit, et ceperit, non est qui eruat. »

Soph. c. 3, *v.* 12 *et seq.* : « Et derelinquam in medio tui populum pauperem et egenum, et sperabunt in nomine Domini. Reliquiæ Israel non facient iniquitatem, nec loquentur mendacium, et non invenietur in ore eorum lingua dolosa..... Lauda, filia Sion..... rex Israel Dominus in medio tui, non timebis malum ultrà. In die illâ dicetur Jerusalem : Noli timere, Sion ; non dissolvantur manus tuæ. Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipse salvabit..... Nugas, qui à lege recesserant, congregabo, quia ex te erant, ut non ultrà habeas super eis opprobrium. Ecce ego interficiam omnes qui afflixerunt te in tempore illo, et salvabo claudicantem, et eam quæ ejecta fuerat, congregabo ; et ponam eos in laudem, et in nomen, in omni terrâ confessionis eorum. »

Zach. c. 13, *v.* 7 *et seq.* : « Framea, suscitare super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum ; percute pastorem, et dispergentur oves ; convertam manum meam ad parvulos. Et erunt in omni terrâ, dicit Dominus ; partes duæ in eâ dispergentur, et deficient, et tertia pars relinquetur in eâ. Et ducam tertiam partem per ignem, et uram eos sicut uritur argentum, et probabo eos sicut probatur aurum. Ipse vocabit nomen meum, et ego exaudiam eum. Dicam : Populus meus es tu ; et ipse dicet : Dominus Deus meus. »

Matth. c. 4, *v.* 18 *et seq.* : « Ambulans autem Jesus juxtà mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, et Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare (erant enim piscatores) et ait illis : Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum. At illi continuò, relictis retibus, secuti sunt eum. Et procedens indè vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedæi, et Joannem, fratrem ejus, in navi cum Zebedæo, patre eorum, reficientes retia sua, et vocavit eos. Illi autem, statim relictis retibus et patre, secuti sunt eum. » Et Matth. c. 9, v. 9. Marc. c. 1, v. 16 et seq. ; et c. 2, v. 14. Luc. c. 5, v. 2 et seq. Joan. c. 1, v. 37 et seq.

Matth. c. 10, *v.* 1 *et seq.* : « Et convocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, et curarent omnem languorem et infirmitatem.... Hos duodecim misit Jesus, præcipiens eis, dicens : In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis, sed potiùs ite ad oves, quæ perierunt, domûs Israel. Euntes autem prædicate dicentes : Quia appropinquavit regnum cœlorum. »

Marc. c. 3, *v.* 13 *et seq.* : « Et ascendens in montem vocavit ad se quos voluit ipse, et venerunt ad eum. Et fecit ut essent duodecim cum illo, et ut mitteret eos prædicare. Et dedit illis potestatem curandi infirmitates et

ejiciendi dæmonia. » Et Marc. c. 6, v. 7. Luc. c. 6, v. 13 ; et cap. 9, v. 1 et seq.

Rom. c. 9, *v.* 27 : « Isaias clamat pro Israel : Si fuerit numerus filiorum Israel tanquàm arena maris, reliquiæ salvæ fient ; verbum enim consummans et abbrevians in æquitate, quia verbum breviatum faciet Dominus super terram ; et sicut prædixit Isaias : *Nisi Dominus reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, et sicut Gomorrha similes fuissemus.* »

Rom. c. 11, *v.* 1 *et seq.* : Dico ergo : Numquid Deus repulit populum suum ? absit : nam et ego Israelita sum ex semine Abraham, de tribu Benjamin. Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit. An nescitis in Eliâ quid dicit Scriptura, quemadmodùm interpellat Deum adversùm Israel ? *Domine, Prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt, et ego relictus sum solus, et quærunt animam meam.* Sed quid dicit illi divinum responsum ? *Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua antè Baal.* Sic ergò et in hoc tempore, reliquiæ secundùm electionem gratiæ salvæ factæ sunt. »

1 *Cor. c.* 1, *v.* 26 *et seq.* : « Videte enim vocationem, fratres, quia non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus ut confundat sapientes ; et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia ; et ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus. »

Jac. c. 9, *v.* 5 : « Audite, fratres mei dilectissimi, nonnè Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se ? »

Operæ pretium erit testimonii è Psalmo sexagesimo septimo hìc allati propheticam sententiam exponere. *In Ecclesiis benedicite Deo Domino de fontibus Israel.* Ad laudes Deo concinendas hortatur Propheta Ecclesias Christianorum, qui Israelitarum sunt propago. Nam ex stirpe Jacobi prodiit Christus Jesus, prodierunt et Apostoli ac discipuli Christi complures. Ab Israeliticis Prophetis prædicta est Christi οἰκονομία, ità ut Lex et Testamentum vetus Israeliticum, umbra sit et antecessio, fons etiam et origo novi Jesu Christi Testamenti. *Ibi Benjamin adolescentulus in mentis excessu.* Paulum Apostolum hìc præsignari manifestum est, qui fuit de tribu Benjamin, et per mentis alienationem à Deo *vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei.* Dicitur à Prophetâ *adolescentulus,* quemadmodùm *adolescens* à Luca in Actis : *Et testes deposuerunt vestimenta sua secùs pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus* (Act. c. 7, v. 57). An potiùs quòd postremus Apostolorum vocatus sit ? Sic enim ille de se ad Corinthios 1, cap. 15, v. 8 et 9 : *Novissimè omnium tanquàm abortivo visus est et mihi ; ego enim sum minimus Apostolorum.* Et alibi 1 Cor. c. 4, v. 9 : *Puto enim quòd Deus nos Apostolos novissimos ostendit.* Subjungit Propheta : *Principes Juda, duces eorum ; principes Zabulon, principes Nephthali.* Principes Juda ii sunt, qui fratres Christi appellantur in Evangelio, tribu Juda oriundi. Principes verò Zabulon et Nephthali, reliqui ferè Apostoli, qui Galilææ sunt orti, in quâ Zabulonitis tribus et Nephthalitis. In eamdem sententiam conspirat Isaias hoc prædicto, quod subjunximus in Parallelismo : *Primo tempore alleviata est terra Zabulon, et terra Nephthali, et novissimo aggravata est via maris trans Jordanem Galilææ gentium. Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam ; habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.* Sibi itaque lucem commodant Psaltes et Isaias, sibique consentiunt. Qui plura volet, consulat Eusebium libro nono Demonstrationis ; item Theodoretum, Hilarium, Augustinum, et auctorem Expositionis Psalmorum, quæ Hieronymi operibus subnecti solet.

2° Interim hoc etiam obiter adnotare libet, quod in Martini Martinii historiâ Sinicâ lib. 4, memini me legere, insignem illum philosophum Sinensem Confucium septuaginta duos sibi delegisse discipulos, quorum è numero duodecim præ cæteris potiori curâ instituendos suscepit ; sive hebraicæ reipublicæ formam secutus, quam Moses per duodecim tribuum principes, et septuaginta senes administrabat ; sive jam tùm Deo scintillis aliquibus et radiis veritatis animum ejus collustrante, futurum prospiciens, ut Messias, cujus notitiam aliquam ex Librorum sacrorum lectione perceperat, quemadmodùm suprà monui, ad Mosis exemplum totidem duces ac magistros Ecclesiæ suæ præficeret.

CAPUT XLVIII.

Apostoli Jesu piscatores.

Psalm. 106, v. 20, 23, 24 : « Misit Verbum suum et sanavit eos, et eripuit eos de interitionibus eorum. Qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis

ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia ejus in profundo. »

Jerem. c. 16, v. 16 : « Ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, et piscabuntur eos. »

Ezech. c. 47, v. 8 *et seq.* : « Aquæ istæ quæ egrediuntur ad tumulos sabuli orientalis, et descendunt ad plana deserti, intrabunt mare, et exibunt, et sanabuntur aquæ. Et omnis anima vivens, quæ serpit, quocumquè venerit torrens, vivet ; et erunt pisces multi satis, postquàm venerint illùc aquæ istæ, et sanabuntur, et vivent omnia ad quæ venerit torrens. Et stabunt super illas piscatores ; ab Engaddi usque ad Engallim siccatio sagenarum erit ; plurimæ species erunt piscium ejus, sicut pisces maris magni, multitudinis nimiæ. »

Matth. c. 4, v. 18 : « Ambulans autem Jesus juxtà mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, et Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare, erant enim piscatores, et ait illis : Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum. » Et Marc. c. 1, v. 10 et seq. Luc. c. 5, v. 2 et seq.

Matth. c. 13, v. 47, 48 : « Iterùm simile est Regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti ; quam cùm impleta esset, educentes, et secùs littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foràs miserunt. »

Comma istud è Psalmo centesimo sexto, non in Messiam solùm, sed et in Jesum quoque satis apertè confert R. Isaac Aramæus in Expositionibus libri Numerorum. Nam Verbum Dei ad omnes sanandos missum fuisse dicit, verùm ab omnibus non fuisse receptum, sed ab aliquibus tantùm tardioris ingenii viris, iisque piscatoribus, qui cùm rudes essent et hebetes, veritatem tamen prophetiæ receperunt, et Verbo Dei fidem habuerunt. Quibus Christi Jesu Apostoli manifestè designantur.

CAPUT XLIX.

Paucos numero Jesus deligit.

Isa. c. 17, v. 4 *et seq.* : « Et erit in die illâ, attenuabitur gloria Jacob, et pinguedo carnis ejus marcescet. Et erit sicut congregans in messe quod restiterit, et brachium ejus spicas leget, et erit sicut quærens spicas in valle Raphaim. Et relinquetur in eo sicut racemus, et sicut excussio oleæ duarum vel trium olivarum in summitate rami, sive quatuor aut quinque in cacuminibus ejus fructus ejus, dicit Dominus Deus Israel. »

Isa. c. 24, v. 13 *et seq.* : « Hæc erunt in medio terræ, in medio populorum : quomodò si paucæ olivæ quæ remanserunt excutiantur ex oleâ, et racemi, cùm fuerit finita vindemia ? Hi levabunt vocem suam atque laudabunt ; cùm glorificatus fuerit Dominus, hinnient de mari. Propter hoc in doctrinis glorificate Dominum, in insulis maris nomen Domini Dei Israel. A finibus terræ laudes audivimus, gloriam Justi.

Isa. c. 65, v. 8, 9 : « Hæc dicit Dominus : Quomodo si inveniatur granum in botro, et dicatur : Ne dissipes illud, quoniam benedictio est ; sic faciam propter servos meos, ut non disperdam totum ? Et educam de Jacob semen, et de Juda possidentem montes meos, et hæreditabunt eum electi mei, et servi mei habitabunt ibi. »

Jerem. 3, 14 : Convertimini, filii revertentes, dicit Dominus, quia ego vir vester, et assumam vos unum de civitate, et duos de cognatione, et introducam vos in Sion.

Ezech. 12, 15, 16 : Et scient quia ego Dominus, quando dispersero illos in gentibus, et disseminavero eos in terris, et relinquam ex eis viros paucos, à gladio, et fame, et pestilentia ; ut enarrent omnia scelera eorum in gentibus ad quas ingredientur, et scient quia ego Dominus.

Matth. c. 9, v. 37, 38 : « Tunc dicit discipulis suis : Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergò Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. » Et Luc. c. 10, v. 2.

Matth. c. 10, v. 1, 5 : « Et convocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, et curarent omnem languorem, et omnem infirmitatem..... Hos duodecim misit Jesus. » Et Marc. c. 3, v. 13 et seq. ; et c. 6, v. 7. Luc. c. 9, v. 1 et seq.

Matth. c. 20, v. 16 : « Multi sunt vocati, pauci verò electi. » Et Matth. c. 22, v. 14.

Luc. c. 6, v. 33 : « Et cùm dies factus esset, vocavit discipulos suos, et elegit duodecim ex ipsis, quos et Apostolos nominavit. »

CAPUT L.

Apostoli præcones Jesu et nuntii.

Psalm. c. 18, v. 5 : « In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. »

Psalm. c. 147, v. 4 : « Qui emittit eloquium suum terræ, velociter currit sermo ejus. »

Isa. c. 24, v. 14 : « Hi levabunt vocem suam atque laudabunt ; cùm glorificatus fuerit Dominus, hinnient de mari. Propter hoc in doctrinis glorificate Dominum, in insulis maris nomen Domini Dei Israel. A finibus terræ laudes audivimus, gloriam Justi. »

Isa. c. 28, v. 9 *et seq.* : « Quem docebit scientiam (Dominus), et quem intelligere faciet auditum ? ablactatos à matre, avulsos ab uberibus. Quia manda, remanda, manda, remanda ; exspecta, reexspecta ; exspecta, reexspecta ; modicùm ibi, modicùm ibi. In loquelâ enim labii, et linguâ alterâ loquetur ad populum istum. Cui dixit : Hæc est requies mea, reficite lassum, et hoc est meum refrigerium. »

Isa. c. 29, v. 22 *et seq.* : « Propter hoc, hæc dicit Dominus ad domum Jacob, qui redemit Abraham : Non modò confundetur Jacob, nec modò vultus ejus erubescet, sed cùm viderit filios suos, opera manuum mearum, in medio suî sanctificantes nomen meum, et sanctificabunt Sanctum Jacob, et Deum Israel prædicabunt, et scient errantes spiritu intellectum, et mussitatores discent legem. »

Isa. c. 52, v. 6 *et seq.* : « Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illâ, quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum. Quàm pulchri super montes pedes annuntiantis et prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis salutem, dicentis Sion : Regnabit Deus tuus ! Vox speculatorum tuorum, levaverunt vocem, simul laudabunt ; quia oculo ad oculum videbunt, cùm converterit Dominus Sion. »

Isa. c. 66, v. 19, 20 : « Mittam ex eis qui salvati fuerint, ad gentes in mare, in Africam et Lydiam tendentes sagittam, in Italiam et Græciam, ad insulas longè, ad eos qui non audierunt de me, et non viderunt gloriam meam, Et annuntiabunt gloriam meam gentibus, et adducent omnes fratres de cunctis gentibus donum Domino. »

Nahum. c. 1, v. 15 : « Ecce super montes pedes evangelizantis et annuntiantis pacem ; celebra, Juda, festivitates tuas, et redde vota tua ; quia non adjiciet ultrà ut pertranseat in te Belial ; universus interiit. »

Matth. c. 10, v. 5 *et seq.* : « Hos duodecim misit Jesus præcipiens eis, dicens..... Euntes prædicate dicentes : Quia appropinquavit regnum cœlorum..... Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, et quod in aure auditis, prædicate super tecta. » Et Marc. c. 3, v. 14. Luc. c. 9, v. 1, 2 ; et c. 12, v. 3.

Matth. c. 24, v. 14 : « Prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus. » Et Marc. c. 13, v. 10.

Matth. c. 28, v. 19 : « Euntes ergò docete omnes gentes. »

Marc. c. 6, v. 12 : « Et exeuntes prædicabant, ut pœnitentiam agerent. »

Marc. c. 16, v. 15, 20 : « Et dixit eis : Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ..... Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante, sequentibus signis. »

Luc. c. 24, v. 46, 47 : « Sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere à mortuis tertiâ die, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerosolymâ. »

Act. c. 2, v. 4 : « Repleti sunt omnes (discipuli Jesu) Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. »

Act. c. 5, v. 42 : « Omni autem die non cessabant (Apostoli) in templo et circa domos, docentes et evangelizantes Christum Jesum. »

Act. c. 8, v. 5 : « Philippus autem descendens in civitatem Samariæ, prædicabat illis Christum. »

Act. c. 9, v. 20 : « Et continuò in Synagogis prædicabat (Paulus) Jesum, quoniam hic est Filius Dei. »

Act. c. 10, v. 42 : « Et præcepit (Jesus) nobis (Apostolis) prædicare populo, et testificari quia ipse est qui constitutus est à Deo judex vivorum et mortuorum. » Et Act. c. 11, v. 26, et c. 13, v. 2 *et* seq. *et* c. 21, v. 31. et alibi sæpè in Actis.

Rom. c. 1, v. 8 : « Primùm quidem gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annuntiatur in universo mundo. »

Rom. c. 10, v. 14 *et seq.* : « Quomodò credent ei quem non audierunt ? quomodò autem audient sine prædicante ? quomodò verò prædicabunt nisi mittantur ? sicut scriptum est : *Quàm speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona !* Sed non omnes obediunt Evangelio ; Isaias enim dicit : *Domine, quis credidit auditui nostro ?* Ergò fides ex auditu, auditus autem per Verbum Christi. Sed dico : Numquid non audierunt ? Et quidem *in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.* »

Rom. c. 15, v. 19 *et seq.* : « Ità ut ab Jerusalem per circuitum, usque ad Illyricum, repleverim Evangelium Christi. Sic autem prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem, sed sicut scriptum est : Quibus non est annuntiatum, de eo videbunt ; et qui non audierunt, intelligent. Et 1 Cor. c. 1, v. 23, et c. 2, v. 1, et c. 9, v. 14, et c. 15, v. 1, 2, et 2 Cor. c. 1, v. 19, et c. 4, v. 5 ; et Gal. c. 2, v. 2; et 1 Thess. c. 2, v. 9. et alibi sæpè in Epistolis.

Col. c. 1, v. 23 : « Immobiles à spe Evangelii, quod audistis, quod prædicatum est in universâ creaturâ quæ sub cœlo est ; cujus factus sum ego Paulus minister. »

1. *Joan.* c. 1, v. 2, 3 : « Annuntiamus vobis vitam æternam quæ erat apud Patrem, et apparuit nobis ; quod vidimus et audivimus, annuntiamus vobis. »

Hoc è decimo octavo Psalmo testimonium, ut Davidis verbum à Paulo in Epistolâ ad Romanos allegoricè expositum, non ut prophetiam in argumentum propositam afferimus. Quod contestatò denuntiatum volumus, ne nobis negotium facessant adversarii, quasi Scripturæ sacræ vim inferamus.

CAPUT LI.

Apostoli et discipuli Jesu, rudes et indocti.

Psalm. 93, v. 8 : « Intelligite, insipientes in populo, et stulti, aliquandò sapite. »

Isa. c. 39, v. 14 : « Ideò ecce ego addam, ut admirationem faciam populo huic miraculo grandi et stupendo; peribit enim sapientia à sapientibus ejus, et intellectus prudentium ejus abscondetur. »

Isa. c. 32, v. 4 : «Et cor stultorum intelliget scientiam, et lingua balborum velociter loquetur et planè. »

Isa. c. 33, v. 18 : « Cor tuum meditabitur timorem. Ubi est litteratus? ubi legis verba ponderans ? ubi doctor parvulorum ? »

Matth. c. 5, v. 3 : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. »

Matth. c. 11, v. 25 : « In illo tempore respondens Jesus dixit : Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus et prudentibus, et revelâsti ea parvulis. » Et Luc. 10, 21.

Joan. c. 7, v. 47 et seq. : « Responderunt ergò eis Pharisæi : Numquid et vos seducti estis? numquid ex principibus aliquis credidit in eum? »

1. *Cor.* c. 1, v. 17 et seq. : « Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare, non in sapientiâ verbi, ut non evacuetur crux Christi. Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est; iis autem qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est. Scriptum est enim : *Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo.* Ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor hujus sæculi? nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? Nam quia in Dei sapientiâ non cognovit Deus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam salvos facere credentes. Quoniam et Judæi signa petunt, et Græci sapientiam quærunt; nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis Christum Dei virtutem et Dei sapientiam; quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus : et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Videte enim vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles; sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes. »

1 Cor. c. 3, v. 18, 19 : « Nemo se seducat : si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat ut sit sapiens : sapientia enim hujus mundi stultitia est apud Deum. Scriptum est enim : *Comprehendam sapientes in astutiâ eorum.* Et iterùm : *Dominus novit cogitationes sapientium, quoniam vanæ sunt.* »

1 Cor. c. 4, v. 10 : « Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo; nos infirmi, vos autem fortes; nos nobiles, nos autem ignobiles. »

CAPUT LII.

Apostoli et discipuli Jesu miranda facinora edunt, et omnis generis languores sanant.

Psalm. 67, v. 36 : « Mirabilis Deus in sanctis suis ; Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ ; benedictus Deus. »

Isa. c. 8, v. 18, 19 : « Ecce ego et pueri mei quos dedit mihi Dominus in signum et in portentum Israel, à Domino exercituum qui habitat in monte Sion. Et cùm dixerint ad vos : Quærite à Pythonibus et à divinis, qui strident in incantationibus suis, numquid non populus à Deo suo requiret pro vivis ac mortuis? »

Matth. c. 10, v. 1, 5, 8 : « Et convocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, et curarent omnem languorem et omnem infirmi-

tatem... Hos duodecim misit Jesus, præcipiens eis dicens... Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite. » Et Marc. c. 3, v. 14, 15, et c. 6, v. 7, 13. Luc. c. 9, v. 1 et seq.

Marc. c. 16, v. 15, 17 : « Dixit eis... Signa eos qui crediderunt, hæc sequentur : In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit ; super ægros manus imponent, et benè habebunt... Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis. »

Luc. c. 10, v. 17 *et seq.* : «Reversi sunt autem septuaginta duo cum gaudio dicentes : Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo. Et ait illis... Ecçe dedi vobis potestatem calcandi suprà serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici, et nihil vobis nocebit. »

Joan. c. 14, v. 11, 12 : « Non creditis quia ego in Patre, et Pater in me est? Alioquin propter opera ipsa credite. Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio et ipse faciet, et majora horum faciet. »

Act. c. 2, v. 43 : « Multa quoque prodigia et signa per Apostolos in Jerusalem fiebant. »

Act. c. 5, v. 12 et seq. : « Per manus autem Apostolorum fiebant signa et prodigia multa in plebe..., ità ut in plateas ejicerent infirmos, et ponerent in lectulis ac grabatis, ut veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, et liberarentur ab infirmitatibus suis. »

Act. c. 6, v. 8 : « Stephanus autem, plenus gratiâ et fortitudine, faciebat prodigia et signa magna in populo. »

Act. c. 8, v. 6 *et seq.* : « Intendebant autem turbæ his quæ à Philippo dicebantur, unanimiter audientes, et videntes signa quæ faciebat. Multi enim eorum qui habebant spiritus immundos, clamantes voce magnâ, exibant. Multi autem paralytici et claudi curati sunt... Tunc Simon et ipse credidit ; et cùm baptizatus esset, adhærebat Philippo. Videns etiam signa et virtutes maximas fieri, stupens admirabatur. »

Act. c. 14, v. 3 : « Multo igitur tempore demorati sunt fiducialiter agentes in Domino, testimonium perhibente verbo gratiæ suæ, dante signa et prodigia fieri per manus eorum. » Et c. 15, v. 12, et c. 19, v. 11 et seq. Vide etiam Act. c. 2, v. 4 ; et c. 3, v. 2 et seq. ; et c. 5, v. 3 et seq. et c. 9, v. 32, 36 ; et c. 10, v. 46, et c. 13, v. 11 ; et c. 16, v. 18, 26 ; et c. 19, v. 6 ; et c. 20, v. 10 ; et c. 28, v. 6, 8.

Rom. c. 15, v. 18, 19 : « Non enim audeo aliquid loqui eorum quæ per me non efficit Christus in obedientiam gentium, verbo et factis, in virtute signorum et prodigiorum, in virtute Spiritûs sancti. »

2 Cor. c. 12, v. 12 : « Signa tamen Apostolatûs mei facta sunt super vos, in omni patientiâ, in signis et prodigiis, et virtutibus. »

Hebr. c. 2, v. 3 *et seq.* : « In nos confirmata est (salus), contestante Deo signis, et portentis, et variis virtutibus, et Spiritûs sancti distributionibus, secundùm suam voluntatem... Ecce ego, et pueri quos dedit mihi Deus. »

CAPUT LIII.

Jesus super mare incedit.

Job. c. 9, v. 8 : « Qui extendit cœlos solus, et graditur super fluctus maris. »

Matth. c. 14, v. 25, 26 : Quartâ autem vigiliâ noctis, venit ad eos super mare. Et videntes eum super mare ambulantem, turbati sunt. » Et Marc. c. 6, v. 48, 49. Joan. c. 6, v. 19.

Ne huic quidem Jobi verbo è nono capite, prophetiam inesse volumus, sed ex eâ manifestum peti posse argumentum divinitatis Christi Jesu. Nam quæ divinæ virtutis opera hìc recenset Jobus, ad Deum unum pertinere vult ; neque alii prætereà cuiquam posse adscribi manifestum est. Undè efficitur eum esse Deum, qui eadem prodigia ediderit. Atqui unum ex illis est, incedere super mare, quod Christus Jesus fecit, et propriâ quidem virtute, atque idem ut faceret Petrus, effecit; undè sequitur Christum Jesum esse Deum. Adiri velim librum nonum Eusebianæ *Demonstrationis,* in quo exponuntur verba hæc Jobi, et Christo Domino accommodantur.

CAPUT LIV.

Jesus lux.

Psalm. 35, v. 10 : « Quoniam apud te est fons vitæ et in lumine tuo videbimus lumen. »

Psalm. 118, v. 105 : « Lucerna pedibus meis Verbum tuum, et lumen semitis meis. »

Psalm. 131, v. 17 : « Illùc producam cornu David, paravi lucernam Christo meo. »

Sap. c. 7, v. 25, 26 : « Vapor est enim (Sapientia) virtutis Dei, et emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera, et ideò nihil inquinatum in eam incurrit ; candor est enim lucis æternæ. »

Isa. c. 9, v. 2 : « Populus qui ambulabat in

tenebris vidit lucem magnam : habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. »

Isa. c. 42, v. 6 : « Et dedi te in fœdus populi, in lucem gentium. »

Isa. c. 49, v. 6 : « Parùm est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, et fæces Israel convertendas; ecce dedi te in lucem gentium. »

Isa. c. 60, v. 1 *et seq.* : « Surge, illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebræ operient terram, et caligo populos; super te autem orietur Dominus, et gloria ejus in te videbitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortûs tui. »

Isa. c. 60, v. 19, 20 : « Non erit tibi ampliùs sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te; sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet ultrà sol tuus, et luna tua non minuetur; quia erit Dominus in lucem sempiternam. »

Isa. c. 62, v. 1 : « Propter Sion non tacebo, et propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor Justus ejus, et Salvator ejus ut lampas accendatur. »

Dan. c. 2, v. 22 : « Ipse revelat profunda et abscondita, et novit in tenebris constituta; et lux cum eo est. »

Mich. c. 7, v. 8 : « Consurgam cùm sedero in tenebris; Dominus lux mea est. »

Matth. c. 4, v. 13 *et seq.* : « Relictâ civitate Nazareth, venit et habitavit in Capharnaum maritimâ, in finibus Zabulon et Nephthalim; ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam : *Terra Zabulon, et terra Nephthalim, via maris trans Jordanem, Galilæa gentium, populus qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam, et sedentibus in regione umbræ mortis lux orta est eis.* »

Matth. c. 17, v. 2 : « Et resplenduit facies ejus sicut sol; vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix. » Et Marc. c. 9, v. 2. Luc. c. 7, v. 29.

Matth. c. 24, v. 27 : « Sicut enim fulgur exit ab oriente, et paret usque in occidentem, ità erit et adventus Filii hominis. » Et Luc. c. 17, v. 24.

Luc. c. 1, v. 78, 79 : « Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto; illuminare his qui in tenebris, et in umbrâ mortis sedent. »

Luc. c. 2, v. 32 : « Lumen ad revelationem gentium. »

Joan. c. 1, v. 4 *et seq.* : « In ipso vita erat, et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo, missus à Deo, cui nomen erat Joannes : hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. »

Joan. c. 3, v. 19 : « Lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. »

Joan. c. 8, v. 12 : « Iterùm ergò locutus est eis Jesus, dicens : Ego sum lux mundi; qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. » Et Joan. c. 9, v. 5; et c. 12, v. 46.

Joan. c. 12, v. 35, 36 : « Dixit ergò Jesus : Adhuc modicum lumen in vobis est; ambulate dùm lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant; et qui ambulat in tenebris nescit quò vadat. Dùm lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis. »

Act. c. 13, v. 47 : « Sic enim præcepit nobis Dominus : Posui te in lucem gentium, ut sis salus usque ad extremum terræ. »

2 Cor. c. 4, v. 4, 6 : « Deus hujus seculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei... quoniam Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Jesu. »

Eph. c. 5, v. 14 : « Propter quod dicit : Surge qui dormis, et exsurge à mortuis, et illuminabit te Christus. »

2 Tim. c. 1, v. 10 : « Manifesta est autem nunc per illuminationem Salvatoris nostri Jesu Christi, qui destruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam, et incorruptionem per Evangelium. »

Heb. c. 1, v. 3 : « Qui cùm sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus. »

Apoc. c. 21, v. 23 : « Civitas non eget sole neque lunâ, ut luceant in eâ; nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna ejus est Agnus. »

Quæcumque testimonia hoc capite deprompsimus è Veteri Testamento, ea fere à Judæis ad Messiam referuntur. Velut prius è Psalmo tricesimo quinto, juxtà Beresith Rabba et Midrasch Thehillim, in Christum congruit. Aliud quoque è Psalmo centesimo primo, Christo addicitur in Midrasch Thehillim. Suprà etiam ostendimus Christum, ex Judæorum sententiâ,

ista sibi vindicare testimonia propemodùm omnia, quæ ex Isaiâ attulimus. Denique et eam quam ex Daniele petivimus prophetiam, Christo adjudicant Beresith Rabba et Echa Rabbathi.

CAPUT LV.

Jesu discipuli lux.

Psalm. 96, v. 11 : « Lux orta est eis, et rectis corde lætitia. »

Psalm. 109, v. 3 : « Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum. »

Prov. c. 9, v. 18 : « Justorum autem semita, quasi lux splendens. »

Prov. c. 13, v. 9 : « Lux justorum lætificat. »

Sap. c. 3, v. 7 : « Fulgebunt justi, et tanquàm scintillæ in arundineto discurrent. »

Isa. c. 58, v. 7, *et seq.* : « Cùm videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum..... Cùm effuderis esurienti animam tuam, et animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux tua, et tenebræ tuæ erunt sicut meridies. »

Dan. c. 12, v. 3 : « Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti; et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. »

Matth. c. 5, v. 14 *et seq.* : « Vos estis lux mundi....... luceat lux vestra coràm hominibus. »

Matth. c. 13, v. 43 : « Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum. »

Luc. c. 12, v. 35 : « Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris. »

Luc. c. 16, v. 8 : « Filii hujus seculi prudentiores filiis lucis in generatione suâ sunt. »

Joan. c. 5, v. 35 : « Ille (Joannes) erat lucerna ardens et lucens; vos autem voluistis ad horam exsultare in luce ejus. »

Joan. c. 12, v. 36 : « Dùm lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis. »

Eph. c. 5, v. 8, 9 : « Eratis enim aliquandò tenebræ, nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate : fructus enim lucis est in omni bonitate, et justitiâ, et veritate. »

Philipp. c. 2, v. 15 : « Ut sitis sine querelâ et simplices filii Dei, sine reprehensione in medio nationis pravæ et perversæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo. »

1 *Thess.* c. 5, v. 5 : « Omnes enim vos filii lucis estis, et filii diei; non sumus noctis, neque tenebrarum. »

CAPUT LVI.

Jesus ignis.

Exod. c. 3, v. 2 : « Apparuitque ei Dominus in flammâ ignis de medio rubi; et videbat quòd rubus arderet, et non combureretur. »

Exod. c. 13, v. 21 : « Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam, per diem in columnâ nubis, et per noctem in columnâ ignis. »

Exod. c. 19, v. 18 : « Totus autem mons Sinai fumabat; eo quòd descendisset Dominus super eum in igne, et ascenderet fumus ex eo quasi de fornace. »

Exod. c. 24, v. 17 : « Erat autem species gloriæ Domini, quasi ignis ardens super verticem montis. »

Deut. c. 4, v. 24 : « Dominus Deus tuus ignis consumens est. »

Deut. c. 9, v. 3 : « Scies ergò hodiè quòd Dominus Deus tuus ipse transibit antè te, ignis devorans atque consumens. »

2 *Reg.* c. 22, v. 9, 13 : « Ascendit fumus de naribus ejus, et ignis de ore ejus vorabit : carbones succensi sunt ab eo..... Præ fulgore in conspectu ejus succensi sunt carbones ignis. » Et Psalm. 17, 9, 13, 14. »

1 *Par.* c. 21, v. 26 : « Et ædificavit ibi altare Domino; obtulitque holocausta et pacifica, et invocavit Dominum, et exaudivit eum in igne de cœlo super altare holocausti. »

Psalm. 49, v. 3 : « Deus manifestè veniet; Deus noster, et non silebit. Ignis in conspectu ejus exardescet, et in circuitu ejus tempestas valida. »

Psalm. 96, v. 3, 4 : « Ignis antè ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus. Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ. »

Isa. c. 10, v. 16, 17 : « Propter hoc mittet Dominator Dominus exercituum in pinguibus ejus tenuitatem; et subtùs gloriam ejus succensa ardebit quasi combustio ignis. Et erit lumen Israel in igne, et sanctis ejus in flammâ, et succendetur, et devorabitur spina ejus, et vepres in die unâ. »

Isa. c. 31, v. 9 : « Dixit Dominus, cujus ignis est in Sion, et caminus ejus in Jerusalem. »

Isa. c. 66, v. 15, 16 : « Ecce Dominus in igne veniet, et quasi turbo quadrigæ ejus, reddere in indignatione furorem suum, et increpationem suam in flammâ ignis; quia in igne Dominus dijudicabit.

Ezech. c. 1, v. 26, 27 : « Super similitudinem throni, similitudo quasi aspectus homi-

nis desuper. Et vidi quasi speciem electri, velut aspectum ignis, intrinsecùs ejus per circuitum; à lumbis ejus et desuper, et à lumbis ejus usque deorsùm vidi quasi speciem ignis splendentis in circuitu. »

Ezech. c. 8, v. 2 : « Et vidi, et ecce similitudo quasi aspectus ignis; ab aspectu lumborum ejus et deorsùm ignis; et à lumbis ejus et sursùm quasi aspectus splendoris, ut visio electri. »

Joel c. 2, v. 3 : « Antè faciem ejus ignis vorans, et post eum exurens flamma. »

Matth. c. 3, v. 11 : « Ego quidem baptizo vos in aquâ in pœnitentiam; qui autem post me venturus est, fortior me est..... ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni. » Et Luc. c. 3, v. 16.

Luc. c. 12, v. 49 : Ignem veni mittere in terram; et quid volo, nisi ut accendatur?

Hebr. c. 12, v. 29 : « Etenim Deus noster ignis consumens est. »

Apoc. c. 1, v. 14 : « Et oculi ejus (Filii hominis) tanquàm flamma ignis. »

Apoc. c. 2, v. 18 : « Hæc dicit Filius hominis, qui habet oculos tanquàm flammam ignis. »

Apoc. c. 19, v. 11 *et seq.* : Et vidi cœlum apertum, et ecce equus albus, et qui sedebat super eum, vocabatur Fidelis et Verax, et cum justitiâ judicat et pugnat : oculi autem ejus sicut flamma ignis..... et vestitus erat veste aspersâ sanguine, et vocatur nomen ejus Verbum Dei. »

CAPUT LVII.

Jesus sol.

Isa. c. 60, v. 19, 20 : « Non erit tibi ampliùs sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te; sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet ultrà sol tuus, et luna tua non minuetur; quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam. »

Mal. c. 4, v. 2 : « Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ. »

Matth. c. 17, v. 2 : « Et transfiguratus est antè eos, et resplenduit facies ejus sicut sol. »

Apoc. c. 1, v. 16 : « Et facies ejus sicut sol lucet in virtute suâ. »

CAPUT LVIII.

Jesus stella.

Num. c. 24, v. 17 : « Orietur stella ex Jacob. »

Apoc. c. 1, v. 16 : « Et habebat in dexterâ suâ stellas septem. »

Apoc. c. 22, v. 16 : « Ego Jesus misi Angelum meum, testificari vobis hæc in Ecclesiis; Ego sum radix et genus David, stella splendida et matutina. »

CAPUT LIX.

Jesum germen sive oriens, radix, flos, virga.

Num. c. 24, v. 17 : « Orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israel. »

Cant. 2, v. 1 : « Ego flos campi et lilium convalli um»

Isa. c. 4, v. 2 : « In die illâ erit germen Domini in magnificentiâ et gloriâ, et fructus terræ sublimis, et exsultatio his qui salvati fuerint de Israel. »

Isa. c. 11, v. 1 : « Et egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. »

Isa. c. 45, v. 8 : « Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant Justum; aperiatur terra, et germinet Salvatorem. »

Isa. c. 53, v. 1, 2 : « Quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est? et ascendet sicut virgultum coràm eo, et sicut radix de terrâ sitienti. »

Jerem. c. 23, v. 5 : « Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen justum. »

Jerem. c. 33, v. 15 : « In diebus illis, et in tempore illo germinare faciam David germen justitiæ. »

Ezech. c. 34, v. 29 : « Et suscitabo eis germen nominatum. »

Zach. c. 3, v. 8 : « Ecce enim ego adducam servum meum Orientem. »

Zach. c. 6, v. 12 : « Hæc ait Dominus exercituum, dicens : Ecce vir, Oriens nomen ejus. »

Luc. c. 1, v. 78 : « Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto. »

Joan. c. 15, v. 1 : « Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est. »

Rom. c. 6, v. 5 : « Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus. »

Rom. c. 11, v. 16 : « Si radix sancta, et rami. »

Apoc. c. 5, v. 5 : « Et unus de Senioribus dixit mihi : Ne fleveris; ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperire Librum. »

Apoc. c. 22, v. 16 : « Ego Jesus misi Angelum meum testificari vobis hæc in Ecclesiis; Ego sum radix et genus David. »

1° Præclaram affert ex Philone Zachariani hujus loci expositionem Eusebius Præp. lib. 11,

cap. 15. Inusitatum est, inquit, vocabulum hoc, Oriens, si eum intelligas qui corpore et animo constet. Quòd si incorporeum illum divinam imaginem gerentem accipias, aptissimè in eum convenire fateberis dictionem istam : hunc quippè antiquissimum Filium oriri fecit rerum omnium parens Deus, quem alibi Primogenitum appellat, qui Patris vias secutus, et ad primigenia illius exemplaria respiciens, formas effinxit.

2° Porrò quemadmodùm Germen, et Radix, et Virga, et Flos dicitur Christus, ita heroas suos antiqui deorum germina appellabant. Scatent exemplis libri poetarum. Hic, *germen Martis,* ille, *Jovis germen,* et *Jovis ramus.* At Christus Germen est, et Radix Davidis, Virga Israelis, Virga Jesse, Vitis vera, Radix sancta.

CAPUT LX.

Discipuli Jesu, germina, plantæ, palmites, rami.

Psalm. 79, v. 15 *et seq. :* « Deus virtutum convertere; respice de cœlo, et vide, et visita vineam istam : et perfice eam quam plantavit dextera tua, et super Filium hominis, quem confirmâsti tibi..... Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, et super Filium hominis, quem confirmâsti tibi. »

Isa. c. 35, v. 1 *et seq. :* « Lætabitur deserta et invia, et exsultabit solitudo, et florebit quasi lilium. Germinans germinabit, et exsultabit lætabunda et laudans; gloria Libani data est ei; decor Carmeli et Saron; ipsi videbunt gloriam Domini, et decorem Dei nostri. »

Isa. c. 60, v. 21 : « Populus autem tuus omnes justi, in perpetuum hæreditabunt terram, germen plantationis meæ. »

Isa. c. 61, v. 1 *et seq. :* « Spiritus Domini super me, eò quòd unxerit Dominus me..... ut ponerem lugentibus Sion, et darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris, et vocabuntur in eâ fortes justitiæ, plantatio Domini ad glorificandum. »

Jerem. c. 32, v. 41 : « Et lætabor super eis, cùm benè eis fecero, et plantabo eos in terrâ istâ in veritate. »

Matth. c. 15, v. 13 : » At ille respondens ait : Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur. »

Joan. c. 15, v. 5 : « Ego sum vitis, vos palmites : qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum. »

Rom. c. 6, v. 5 : « Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus. »

Rom. c. 11, v. 16 *et seq. :* « Si radix sancta, et rami. Quòd si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cùm oleaster esses, insertus es in illis, et socius radicis, et pinguedinis olivæ factus es; noli gloriari adversùm ramos. Quòd si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te. »

1 *Cor.* c. 3, v. 6 *et seq. :* « Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Qui autem plantat, et qui rigat, unum sunt. Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem. Dei enim sumus adjutores; Dei agricultura estis. »

CAPUT LXI.

Jesus fons.

Psalm. c. 35, v. 10 : « Quoniam apud te est fons vitæ; et in lumine tuo videbimus lumen.

Eccli. c. 1, v. 5 : « Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis. »

Eccli. c. 24, v. 40 et seq. : « Ego Sapientia effudi flumina; ego quasi trames aquæ immensæ de fluvio; ego quasi fluvii dioryx, et sicut aquæ ductus exivi de Paradiso. Dixi : Rigabo hortum meum plantationum, et inebriabo prati mei fructum; et ecce factus est mihi trames abundans, et fluvius meus appropinquavit ad mare. »

Isa. c. 11, v. 9 : « Repleta est terra scientiâ Domini, sicut aquæ maris operientes. » Et Hab. c. 2, v. 14.

Isa. c. 12, v. 3 : « Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. »

Isa. c. 35, v. 6, 7 : « Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum; quia scissæ sunt in deserto aquæ, et torrentes in solitudine; et quæ erat arida, erit in stagnum, et sitiens in fontes aquarum. »

Isa. c. 44, v. 2, 3 : « Hæc dicit Dominus..... Effundam aquas super sitientem, et fluenta super aridam. »

Isa. c. 49, v. 10 : « Non esurient, neque sitient, et non percutiet eos æstus et sol, quia miserator eorum reget eos, et ad fontes aquarum potabit eos. »

Isa. c. 55, v. 1 : « Omnes sitientes venite ad aquas. »

Isa. c. 59, v. 19 : « Et timebunt qui ab occidente nomen Domini, et qui ab ortu solis gloriam ejus, cùm venerit quasi fluvius violen-

tus, quem spiritus Domini cogit, et venerit Sion redemptor. »

Isa. c. 65, v. 13 : « Propter hoc, hæc dicit Dominus Deus : Ecce servi mei comedent, et vos esurietis; ecce servi mei bibent, et vos sitietis. »

Jerem. c. 2, v. 13 : « Duo enim mala fecit populus meus; me dereliquerunt, fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. »

Jerem. c. 17, v. 23 : « Exspectatio Israel, Domine : omnes qui te derelinquunt, confundentur; recedentes à te in terrâ scribentur; quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum. »

Ezech. c. 36, v. 25 : « Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, et ab universis idolis vestris mundabo vos. »

Ezech. c. 47, v. 8 et seq. : « Et ait ad me : Aquæ istæ quæ egrediuntur ad tumulos sabuli orientalis, et descendunt ad plana deserti, intrabunt mare et exibunt, et sanabuntur aquæ. Et omnis anima vivens quæ serpit, quocumquè venerit torrens, vivet; et erunt pisces multi satis, postquàm venerint illùc aquæ istæ, et sanabuntur, et vivent omnia ad quæ venerit torrens; et stabunt super illas piscatores. Ab Engaddi usque ad Engallim siccatio sagenarum erit; plurimæ species erunt piscium ejus, sicut pisces maris magni, multitudinis nimiæ. »

Joel. c. 3, v. 18 : Et erit in die illâ, stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lacte; et per omnes rivos Juda ibunt aquæ; et fons de domo Domini egredietur, et irrigabit torrentem spinarum. »

Zach. c. 13, v. 1 : « In die illâ erit fons patens domui David, et habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris et menstruatæ. »

Zach. c. 14, v. 8 : « Et erit in die illâ, exibunt aquæ vivæ de Jerusalem ; medium earum ad mare orientale, et medium earum ad mare novissimum, in æstate et in hyeme erunt. »

Joan. c. 4, v. 13 et seq. : « Respondit Jesus, et dixit ei : Omnis qui bibit ex aquâ hâc, sitiet iterùm; qui autem biberit ex aquâ quam ego dabo ei, non sitiet in æternum; sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. »

Joan. c. 6, v. 35 : « Dixit autem eis Jesus : Ego sum panis vitæ; qui venit ad me, non esuriet; et qui credit in me, non sitiet unquàm. »

Joan. c. 7, v. 37, 38 : « In novissimo autem die magno festivitatis, stabat Jesus, et clamabat dicens : Si quis sitit, veniat ad me, et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, *flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* »

Apoc. c. 21, v. 6 : « Ego sum *Alpha* et *Omega* initium et finis; ego sitienti dabo de fonte aquæ vivæ gratis. »

Apoc. c. 22, v. 1 : « Et ostendit mihi fluvium aquæ vivæ, splendidum tanquàm crystallum, procedentem de sede Dei et Agni. »

Apoc. c. 22, v. 17 : « Et qui sitit, veniat; et qui vult, accipiat aquam vitæ gratis. »

CAPUT LXII.

Jesus novi et æterni Fœderis, à Deo cum hominibus pacti, sequester et finis.

Psalm. 88, v. 4, 29 et seq.: « Disposui testamentum electis meis, juravi David servo meo : Usque in æternum præparabo semen tuum..... In æternum servabo illi misericordiam meam, et testamentum meum fidele ipsi : et ponam in seculum seculi semen ejus, et thronum ejus sicut dies cœli...... Neque profanabo testamentum meum, et quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita. Semel juravi in sancto meo, si David mentiar; semen ejus in æternum manebit. Et thronus ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in æternum, et testis in cœlo fidelis. »

Eccli. c. 17, v. 10 : « Testamentum æternum constituit cum illis. »

Eccli. c. 45, v. 31 : « Et testamentum David regi, filio Jessæ, de tribu Juda, hæreditas ipsi et semini ejus, ut daret sapientiam in cor nostrum, judicare gentem suam in justitiâ, ne abolerentur bona ipsorum, et gloriam ipsorum in gentem æternam fecit. »

Eccli. c. 47, v. 13 : « Dominus purgavit peccata ipsius (David), et exaltavit in æternum cornu ejus; et dedit illi testamentum regni, et sedem gloriæ Israel. »

Isa. c. 42, v. 6, 7 : « Ego Dominus vocavi te in justitiâ, et apprehendi manum tuam, et servavi te; et dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum, et educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris. »

Isa. c. 49, v. 8, 9 : « Hæc dicit Dominus : In tempore placito exaudivi te, et in die salutis auxiliatus sum tui, et servavi te, et dedi te in fœdus populi, ut suscitares terram, et possideres hæreditates dissipatas; ut diceres his qui vincti sunt : Exite, et his qui in tenebris : Revelamini. »

Isa. c. 55, v. 3, 4 : « Inclinate aurem vestram ; et venite ad me ; audite, et vivet anima vestra ; et feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles. Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus. »

Isa. c. 61, v. 8, 9 : « Dabo opus eorum in veritate, et fœdus perpetuum feriam eis ; et scient in gentibus semen eorum, et germen eorum in medio populorum ; omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen cui benedixit Dominus. »

Jerem. c. 31, v. 31 et seq. : « Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Juda fœdus novum ; non secundùm pactum quod pepigi cum patribus eorum, in die quâ apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terrâ Ægypti ; pactum quod irritum fecerunt, et ego dominatus sum eorum, dicit Dominus. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus : Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam ; et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit ultrà vir proximum suum, et vir fratrem suum dicens : Cognosce Dominum ; omnes enim cognoscent me à minimo eorum usque ad maximum, ait Dominus : quia propitiabor iniquitati eorum, et peccati eorum non memorabor amplius. »

Jerem. c. 32, v. 40 : « Et feriam eis pactum sempiternum, non desinam eis benefacere ; et timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant à me. »

Jerem. c. 50, v. 5 : « Venient, et apponentur ad Dominum fœdere sempiterno, quod nullâ oblivione delebitur. »

Bar. c. 2, v. 35 : « Et statuam illis testamentum alterum sempiternum, ut sim illis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum. »

Ezech. c. 16, v. 60, 62 : « Recordabor ego pacti mei tecum in diebus adolescentiæ tuæ, et suscitabo ego pactum sempiternum...... Et suscitabo tibi pactum meum tecum, et scies quia ego Dominus. »

Ose. c. 2, v. 18 et seq. : « Et percutiam cum eis fœdus in die illâ...... Et sponsabo te mihi in sempiternum, et sponsabo te mihi in justitiâ et judicio, et in misericordiâ et in miserationibus ; et sponsabo te mihi in fide, et scies quia ego Dominus. »

Zach. c. 9, v. 11 : « Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua. »

Mal. c. 3, v. 1 : « Ecce ego mitto Angelum meum, et præparabit viam antè faciem meam ; et statim veniet ad templum suum Dominator quem vos quæritis, et Angelus testamenti quem vos vultis. »

Matth. c. 26, v. 27, 28 : « Bibite ex hoc omnes ; hic enim sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. » Et Marc. c. 14, v. 24. Luc. c. 22, v. 20 ; et 1 Cor. c. 11, v. 25.

Luc. c. 1, v. 72, 73 : « Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, et memorari Testamenti sui sancti. Jusjurandum quod juravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis. »

Act. c. 3, v. 25 : « Vos estis filii Prophetarum, et Testamenti, quod disposuit Deus ad Patres nostros, dicens ad Abraham : *Et in semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ.* »

Rom. c. 11, v. 25 et seq. : « Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret, sicut scriptum est : *Veniet ex Sion qui eripiat et avertat impietatem à Jacob ; et hoc illis à me testamentum, cùm abstulero peccata eorum.* »

2 Cor. c. 3, v. 5, 5 : « Sufficientia nostra ex Deo est, qui et idoneos nos fecit ministros Novi Testamenti, non litterâ, sed spiritu. »

Gal. c. 3, v. 15 et seq. : « Fratres (secundùm hominem dico), tamen hominis confirmatum testamentum nemo spernit, aut superordinat. Abrahæ dictæ sunt promissiones, et semini ejus. Non dicit : Et seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno : *Et semini tuo,* qui est Christus. Hoc autem dico testamentum confirmatum à Deo ; quæ post quadringentos et triginta annos facta est Lex, non irritum facit ad evacuandam promissionem...... Quid igitur Lex ? propter transgressiones posita est donec veniret semen cui promiserat, ordinata per Angelos in manu mediatoris. Mediator autem unius non est. »

Gal. c. 4, v. 24 et seq. : « Hæc enim sunt duo testamenta ; unum quidem in monte Sina, in servitutem generans, quæ est Agar : Sina enim mons est in Arabiâ, qui conjunctus est ei quæ nunc est Jerusalem, et servit cum filiis suis : illa autem quæ sursùm est Jerusalem, libera est, quæ est mater nostra. »

Eph. c. 2, v. 12, 13 et seq. : « Eratis illo in tempore sine Christo, alienati à conversatione Israel, et hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Christo Jesu, vos qui aliquandò

eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne suâ; legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem, et reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso. Et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longè fuistis, et pacem iis qui propè; quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno Spiritu ad Patrem. »

1 *Tim.* c. 2, v. 5 : « Unus enim Deus, unus et Mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus. »

Hebr. c. 7, v. 20 et seq. : « Et quantùm est non sine jurejurando (alii quidem sine jurejurando sacerdotes facti sunt, hic autem cum jurejurando, per eum qui dixit ad illum : Juravit Dominus, et non pœnitebit eum : Tu es sacerdos in æternum), in tantùm melioris testamenti sponsor factus est Jesus. »

Heb. c. 8, v. 6 *et seq.* : « Nunc autem melius sortitus est ministerium, quantò et melioris testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est. Nam si illud prius culpâ vacâsset, non utique secundi locus inquireretur. Vituperans enim eos dicit : *Ecce dies venient, dicit Dominus, et consummabo super domum Israel, et super domum Juda, testamentum novum; non secundùm testamentum quod feci patribus eorum, in die quâ apprehendi manum eorum, ut educerem illos de terrâ Ægypti; quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo, et ego neglexi eos, dicit Dominus. Quia hoc est testamentum, quod disponam domui Israel post dies illos, dicit Dominus : Dando leges meas in mentem eorum, et in corde eorum superscribam eas, et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum; et non docebit unusquisque proximum suum, et unusquisque fratrem suum, dicens : Cognosce Dominum, quoniam omnes scient me à minore usque ad majorem eorum : quia propitius ero iniquitatibus eorum, et peccatorum eorum jam non memorabor.* Dicendo autem novum, veteravit prius. Quod autem antiquatur et senescit, propè interitum est. » Et c. 10, v. 15 et seq.

Hebr. c. 9, v. 15 *et seq.* : « Et ideò Novi Testamenti mediator est, ut morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub Priori Testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis. Ubi enim Testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est; alioquin nondùm valet, dùm vivit qui testatus est. Unde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est.

Hebr. c. 10, v. 28, 29 : « Irritam quis faciens legem Moysi, sine ullâ miseratione duobus vel tribus testibus moritur; quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem Testamenti pollutum dixerit, in quo sanctificatus est? »

Hebr. c. 12, v. 22 *et seq.* : « Sed accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, et multorum millium Angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis, et judicem omnium Deum, et spiritus justorum perfectorum, et Testamenti Novi mediatorem Jesum, et sanguinis aspersionem meliùs loquentem quàm Abel. »

Hebr. c. 13, v. 20 : « Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum Jesum Christum, aptet vos in omni bono. »

CAPUT LXIII.

Jesus pacificus.

Psalm. 45, v. 9, 10 : « Venite, et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram; auferens bella usque ad finem terræ. Arcum conteret, et confringet arma, et scuta comburet igni. »

Psalm. 71. v. 3, 7 : « Suscipiant montes pacem populo, et colles justitiam...... Orietur in diebus ejus justitia, et abundantia pacis, donec auferatur luna. »

Psalm. 75, v. 1 *et seq.* : « Notus in Judæâ Deus, in Israel magnum nomen ejus; et factus est in pace locus ejus, et habitatio ejus in Sion. Ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium, et bellum. »

Psalm. 84, v. 9, 11 : « Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam...... Misericordia et veritas obviaverunt sibi; justitia et pax osculatæ sunt. »

Psalm. 119, v. 7 : « Cum his qui oderunt pacem eram pacificus; cùm loquebar illis, impugnabant me gratis. »

Isa. c. 2, v. 4 : « Conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces; non levabit gens contrà gentem gladium, nec exercebuntur ultrà ad prælium. »

Isa. c. 9, v. 6, 7 : « Parvulus natus est nobis,

et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus, et vocabitur nomen ejus, Admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis. »

Isa. c. 11, v. 1 *et seq.:* « Et egredietur virga de radice Jesse..... Habitabit lupus cum agno, et pardus cum hædo accubabit; vitulus, et leo, et ovis simul morabuntur, et puer parvulus minabit eos. Vitulus et ursus pascentur simul, requiescent catuli eorum, et leo quasi bos comedet paleas. Et delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis, et in cavernâ reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet. Non nocebunt, et non occident in universo monte sancto meo. »

Isa. c. 40, v. 3 *et seq.:* « Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri; omnis vallis exaltabitur, et omnis mons et collis humiliabitur; et erunt prava in directa, et aspera in vias planas; et revelabitur gloria Domini, et videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum est. »

Isa. c. 52, v. 7 : « Quàm pulchri super montes pedes annuntiantis et prædicantis pacem ! »

Isa. c. 53, v. 5 : « Disciplina pacis nostræ super eum. »

Isa. c. 54, v. 10 : « Misericordia autem mea non recedet à te, et fœdus pacis meæ non movebitur, dixit miserator tuus Dominus. »

Isa. c. 55, v. 11, 12 : « Sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo; non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, et prosperabitur in his ad quæ misi illud; quia in lætitiâ egrediemini, et in pace deducemini. »

Isa. c. 65, v. 25 : « Lupus et agnus pascentur simul; leo et agnus comedent paleas, et serpenti pulvis panis ejus; non nocebunt, neque occident in omni monte sancto meo, dicit Dominus. »

Jerem. c. 33, v. 6, 9 : « Ecce ego obducam eis cicatricem, et sanitatem, et curabo eos; et revelabo illis deprecationem pacis et veritatis. »

Ezech. c. 34, v. 25, 29 : « Et faciam cum eis pactum pacis, et cessare faciam bestias pessimas de terrâ; et qui habitant in deserto, securi dormient in saltibus...... Et non erunt ultrà in rapinam in gentibus, neque bestiæ terræ devorabunt eos, sed habitabunt confidenter absque ullo terrore. »

Ose. c. 2, v. 18 *et seq.:* « Et percutiam cum eis fœdus in die illâ, cum bestiâ agri, et cum volucre cœli, et cum reptili terræ; et arcum, et gladium, et bellum conteram de terrâ, et dormire eos faciam fiducialiter. »

Mich. c. 4, v. 2 *et seq.:* « Et properabunt gentes multæ, et dicent : Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob; et docebit nos de viis suis, et ibimus in semitis ejus, quia de Sion egredietur lex, et verbum Domini de Jerusalem ; et judicabit inter populos multos, et corripiet gentes fortes usque in longinquum; et concident gladios suos in vomeres, et hastas suas in ligones; non sumet gens adversùs gentem gladium, et non discent ultrà belligerare. Et sedebit vir subtùs vitem suam, et subtùs ficum suam, et non erit qui deterreat, quia os Domini exercituum locutum est. »

Mich. c. 5, v. 2, 5 : « Et tu, Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda; ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel..... Et erit iste pax. »

Nahum. c. 1, v. 15 : « Ecce super montes pedes evangelizantis et annuntiantis pacem. »

Agg. c. v. 8, 10 : « Et veniet Desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloriâ, dicit Dominus exercituum...... Et in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum. »

Zach. c. 3, v. 8, 10 : « Ecce enim ego adducam servum meum Orientem...... In die illâ, dicit Dominus exercituum, vocabit vir amicum suum subter vitem, et subter ficum. »

Zach. c. 9, v. 9, 10 : « Exsulta satis, filia Sion; jubila, filia Jerusalem, ecce rex tuus veniet tibi justus et Salvator, et ascendens super asinam, et super pullum filium asinæ...... Et loquetur pacem gentibus. »

Matth. c. 5, v. 38 *et seq.:* « Audîstis quia dictum est : *Oculum pro oculo, et dentem pro dente.* Ego autem dico vobis non resistere malo; sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram; et ei qui vult tecum judicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium; et quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo et alia duo. »

Matth. c. 11, v. 29, 30 : « Tollite jugum meum super vos, et discite à me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. Jugum meum suave est, et onus meum leve. »

Luc. c. 1, v. 79 : « Illuminare his qui in te-

nebris et in umbrâ mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. »

Luc. c. 2, v. 14 : Gloria in altissimis Deo, et in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis. »

Luc. c. 24, v. 36 : « Dùm autem hæc loquuntur, stetit Jesus in medio eorum, et dicit eis : Pax vobis; ego sum, nolite timere. »

Joan. c. 14, v. 23, 27 : « Respondit Jesus, et dixit ei : ...... Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis; non quomodò mundus dat, ego do vobis. »

Joan. c. 16, v. 32, 33 : « Respondit ei Jesus...... Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. »

Joan. c. 20, v. 26 : « Dixit ergò eis iterùm : Pax vobis...... Venit Jesus, januis clausis, et stetit in medio, et dixit : Pax vobis. »

Act. c. 10, v. 36 : « Verbum misit Deus filiis Israel, annuntians pacem per Jesum Christum. »

Rom. c. 5, v. 1 : « Justificati ergò ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum. »

Rom. c. 10, v. 15 : « Quomodò verò prædicabunt, nisi mittantur? sicut scriptum est : *Quàm speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!* »

Rom. c. 14, v. 17 : « Non est enim regnum Dei esca et potus, sed justitia et pax, et gaudium in Spiritu sancto. »

Eph. c. 2, v. 13, 14 : « Nunc autem in Christo Jesu, qui aliquandò eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi; ipse enim est pax nostra. »

Eph. c. 6, v. 14 : « State ergò succincti lumbos vestros in veritate, et induti loricam justitiæ, et calceati pedes in præparatione Evangelii pacis. »

Philipp. c. 4, v. 7 : « Et pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras in Christo Jesu. »

Col. c. 3, v. 15 : « Et pax Christi exsultet in cordibus vestris, in quâ et vocati estis in uno corpore. »

Hebr. c. 7, v. 2, 3 : « Deindè autem et rex Salem, quod est, rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealogiâ, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, assimilatus autem Filio Dei, manet sacerdos in perpetuum. »

Judæi referunt ad tempora Messiæ hæc Isaiæ effata, quibus non hominum solùm, sed animalium quoque futuram inter se concordiam prænuntiavit. Ostendimus verò suprà, ubi egimus de tempore adventùs Jesu, Judæos ac Judaisantes quosdam Christianos, jam indè ab Hieronymi temporibus, hæc κατὰ λέξιν sumi voluisse; undè validissimum adversùs religionem Christianam telum cudere se posse rentur Judæi, cùm aiunt temporibus Jesu, quem Messiam esse volumus, neque habitâsse lupum cum agno, neque pardum accubuisse cum hædo, neque ulla aureæ hujus ætatis ad hanc diem apparuisse vestigia, proindeque nec Messiam fuisse Jesum. Hæc verò allegoricè ex Rabbinorum ipsorum suffragio sumenda sunt. Has gregalium suorum ineptias, alias rerum vices nato Christo exspectantium, deridet R. Moses ben Maimon, in Jad Chazacah, parte quartâ, libro quarto, et docet lupum, pardum, leonem, feraque hæc animalia, impiarum gentium esse simulacra; agnum vero, hædum et vitulum, et mansuetas pecudes, Israelitas significare, quorum summa erit inter gentes pax et tranquillitas. Demùm sic rationem concludit doctus ille magister : « Hæc et reliqua ejusmodi, quæ de Messiæ temporibus scripta exstant, sunt Parabolæ. » Ea quoque trahit non semel in allegoricum sensum R. David Kimchi. Frequens itaque est in ore Judæorum R. Samuelis dictum, nullum discrimen futurum inter tempora nostra et tempora Messiæ, *præter regnorum servitutem*, hoc est præterquàm quòd regna omnia, excusso regum suorum jugo, sub unius Messiæ imperium cogentur. Consulitor liber Sanhedrin, capite ultimo. Prædicit Isaias futurum Messiæ temporibus, ut *omnis vallis exaltetur, et omnis mons et collis humilietur, et sint prava in directa, et aspera in vias planas*. Nemo sanus sibi persuadeat, tunc ità complanatum iri terræ sola, ut nulli penitùs montes existant, cùm hìc ipse Isaias ac Michæas de eodem Messiæ ævo talia præcinant : *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles.* Isaias quoque alibi cap. 30, v. 25 : *Et erunt super omnem montem excelsum, et super omnem collem elevatum, rivi currentium aquarum.* Optimè Tertullianus lib. 3 contr. Marc. cap. 5 : « Alia species erit, inquit, quâ pleraque figuratè portenduntur per ænigmata, et allegorias, et parabolas, aliter intelligenda quàm scripta sunt. Nam et montes legimus distillaturos dulcorem; non tamen ut sapam de petris, aut defrutum de rupibus speres. Et terram audimus lacte et melle manantem, non tamen ut de glebis credas te unquàm placentas et samias coacturum, quia non statim aquilicem et agricolam se Deus repromisit dicens : Ponam flumina in regione

sitienti, et in solitudine cedrum et buxum. Sicut et prædicans de nationum conversione: Benedicent me bestiæ agri, sirenes, et filiæ passerum; non utique ab hirundinum pullis, et vulpeculis, et illis monstrosis fabulosisque cantricibus fausta omnia relaturus est. » Tùm verissimam hanc doctrinam tuetur Apostoli auctoritate, qui legem bobus messes terentibus os alligari vetantem, spectare ad nos docet; et petram potum in deserto subministrantem, Christum signâsse; et Abrahami filios duos, Testamenti utriusque symbola fuisse; et institutam à Deo, in rerum primordiis, societatem individuam viri et feminæ, Christi et Ecclesiæ conjunctionem notare. Messiæ certè spiritale regnum est, ut et evincemus in Parallelismo, et quæcumque eò pertinent, spiritualia ferè sunt; et pax illa per Christum promissa et parta, animorum et conscientiæ pax est, pax etiam Deum inter et homines per Christum conciliata. Quocircà res ad Messiam spectantes, futuras esse spirituales ac cœlestes meritò asseverat R. Juda in libro quem Æternitatem Israelis inscripsit. At proprium prætereà et simplicem huic Isaiæ prædictioni inesse sensum, suprà à nobis declaratum est: nam circà ortûs Christi Jesu tempora pacem colebat orbis universus, et clausum fuerat ab Augusto Jani templum. Præclara est, et omnem exceptionem respuit, Hieronymi in hanc Isaiæ prophetiam dissertatio; quærit enim à Judæis, ecquid virga, radix, flos, κατὰ σχῆμα hoc ipso loco sumenda sint; an procedens ex ore Messiæ virga terram percutiet; an oris sui spiritu noxios is sit interfecturus; an justitiâ aut fide cingulum texet, quo lumbos suos præcingat. Quæ cum allegoricè dicta esse fatendum sit, de sequentium sensu non præjudicium, sed planè judicium factum esse putandum est. Id patet vel maximè ex prædicto Aggæi c. 2, v. 8, 10: « *Et veniet Desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloriâ, dicit Dominus exercitum.... et in loco isto dabo pacem.* Quæram à Judæis an pax templo secundo contigerit, quod creberrimis bellis appetitum, et postquàm ab Herode fuit instauratum, funditùs demùm à Romanis excisum est. Falletur profectò quisquis hæc intellexerit κατὰ λέξιν. Ad allegoriam igitur recurrendum est, et dicendum pacem hanc significari, quam Jesus hominibus sanguine suo quæsivit, placato Deo et hominibus conciliato, sedatisque conscientiæ terroribus ac stimulis, quæ facinorosis hominibus teterrimum bellum indicunt.

§. §. II.

CAPUT LXIV.

Pax et securitas discipulorum Jesu.

Psalm. 72, v. 3, 7: « Suscipiant montes pacem populo, et colles justitiam..... Orietur in diebus ejus justitia, et abundantia pacis, donec auferatur luna. »

Psalm. 84, v. 9: « Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam, et super sanctos suos, et in eos qui convertuntur ad cor. »

Psalm. 90, v. 1 *et seq.*: « Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur; dicet Domino: Susceptor meus es tu, et refugium meum; Deus meus, sperabo in eum. Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, et à verbo aspero. Scapulis suis obumbravit tibi, et sub pennis ejus sperabis. Scuto circumdabit te veritas ejus; non timebis à timore nocturno..... Non accedet ad te malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo; quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis: in manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. »

Psalm. 111, v. 5 *et seq.*: « Jucundus homo qui miseretur et commodat, disponit sermones suos in judicio, quia in æternum non commovebitur. ... confirmatum est cor ejus: non commovebitur, donec despiciat inimicos suos. »

Psalm. 118, v. 165: « Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum. »

Psalm. 120, v. 3 *et seq.*: « Non det in commotionem pedem tuum, neque dormitet qui custodit te..... Dominus protectio tua, super manum dexteram tuam. Per diem sol non uret te, neque luna per noctem. Dominus custodit te ab omni malo. »

Psalm. 124, v. 1 *et seq.*: « Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion; non commovebitur in æternum, qui habitat in Jerusalem..... pax super israel. » *Et Psalm.* 127, 6.

Prov. c. 1, v. 33: « Qui autem me (Sapientiam) audierit, absque terrore requiescet, et abundantiâ perfruetur, timore malorum sublato. »

Prov. c. 3, v. 1, 2: « Fili mi, ne obliviscaris legis meæ, et præcepta mea cor tuum custodiat; longitudinem enim dierum, et annos vitæ, et pacem apponent tibi. »

Eccli. c. 6, v. 29: « In novissimis enim invenies requiem in eâ (Sapientiâ) et convertetur tibi in oblectationem. »

Isa. c. 32, v. 17: « Et erit opus justitiæ pax,

et cultus justitiæ silentium, et securitas usque in sempiternum. »

Isa. c. 53, v. 5 : « Disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus. »

Isa. c. 54, v. 10 : « Montes enim commovebuntur, et colles contremiscent; misericordia autem mea non recedet à te, et fœdus pacis meæ non commovebitur, dixit miserator tuus Dominus. »

Isa. c. 55, v. 11, 12 : « Sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo : non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, et prosperabitur in his ad quæ misi illud. »

Isa. c. 58, v. 10, 11 : « Cùm effuderis esurienti animam tuam, et animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux tua, et tenebræ tuæ erunt sicut meridies; et requiem tibi dabit Dominus semper, et implebit splendoribus animam tuam. »

Ezech. c. 34, v. 14, 15, 25 : « In pascuis uberrimis pascam eas (oves meas), et in montibus excelsis Israel erunt pascua earum; ibi requiescent in herbis virentibus, et in pascuis pinguibus pascentur super montes Israel : ego pascam oves meas, et ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus..... et faciam cum eis pactum pacis, et cessare faciam bestias pessimas de terrâ; et qui habitant in deserto, securi dormient in saltibus. »

Ezech. c 37, v. 14, 26 : « Et requiescere vos faciam super humum vestram, et scietis quia ego Dominus locutus sum et feci, ait Dominus Deus... et percutiam illis fœdus pacis, pactum sempiternum erit eis. »

Agg. c. 2, v. 8 *et seq.* : « Et veniet Desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloriâ.... et in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum. »

Zach. c. 9, v. 9 : « Exsulta satis, filia Sion; jubila, filia Jerusalem; ecce rex tuus veniet tibi justus et Salvator.... et loquetur pacem gentibus. »

Matth. c. 5, v. 9 : « Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabantur. »

Matth. c. 10, v. 12, 13 : « Intrantes autem in domum, salutate eam, dicentes : Pax huic domui; et siquidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam; si autem non fuerit digna, pax vestra revertetur ad vos. » *Et Luc.* 10, 5 *et seq.*

Matth. c. 11, v. 29 : « Tollite jugum meum super vos, et discite à me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. »

Marc. c. 9, v. 49 : « Habete in vobis sal, et pacem habete inter vos. »

Luc. c. 1, v. 79 : « Illuminare his qui in tenebris et in umbrâ mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. »

Luc. c. 2, v. 13, 14 : « Et subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum, et dicentium : Gloria in altissimis Deo, et in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis. »

Luc. c. 24, v. 36 : « Dùm autem hæc loquuntur, stetit Jesus in medio eorum, et dixit eis : Pax vobis. » *Et Joan.* c. 20, v. 19, 21, 26.

Joan. c. 14, v. 27 : « Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis; non quomodò mundus dat, ego do vobis. »

Joan. c. 16, v. 33 : « Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. »

Act. c. 10, v. 36 : « Verbum misit Deus filiis Israel, annuntians pacem per Jesum Christum. »

Rom. c. 1, v. 17 : « Gratia vobis et pax à Deo patre nostro, et Domino Jesu Christo. » Et Rom. c. 2, v. 10, et 1 Cor. c. 1, v. 3, et 2. Cor. c. 1, v. 2, et Gal. c. 1, v. 3, et Eph. c. 1, v. 2, et c. 6, v. 23, et Phil. c. 1, v. 2, et Col. c. 1 v. 3, et 1 Thess. c. 1, v. 2, et 2 Thess. c. 1, v. 2, et 1 Tim. c. 1, v. 2, et 2 Tim. c. 1, v. 2, et Tit. c. 1, v. 4, et Philem. c. 3, et 1 Petr. c. 1, v. 2, et 2 Petr. c. 1, v. 2, et 2 Joan. c. 3, et 3 Joan. c. 14, et Jud. c. 2, et Apoc. c. 1, v. 4.

Rom. c. 5, v. 1 : « Justificati ergò ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum. »

Rom. c. 10, v. 15 : « Quomodò verò prædicabunt, nisi mittantur? sicut scriptum est : *Quàm speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona !* »

Rom. c. 12, v. 14 *et seq.* : « Benedicite et nolite maledicere.... nulli malum pro malo reddentes...... si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. »

Rom. c. 14, v. 17, 19 : « Non est enim regnum Dei esca et potus, sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto.... Itaque quæ pacis sunt sectemur. »

Rom. c. 15, v. 13 : « Deus autem spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo. »

1 Cor. 7, v. 15 : « In pace autem vocavit nos Deus. »

2 Cor. c. 13, v. 11 : « De cætero, fratres,

gaudete, perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete, et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum. »

Gal. c. 6, v. 15, 16 : « In Christo enim Jesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura. Et quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, et misericordia, et super Israel Dei. »

Eph. c. 2, v. 17 : « Et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longè fuistis, et pacem iis qui propè. »

Eph. c. 4, v. 1 *et seq.* : « Obsecro itaque vos, ego vinctus in Domino, ut dignè ambuletis vocatione quâ vocati estis..... solliciti servari unitatem spiritûs in vinculo pacis. »

Eph. c. 6, v. 14, 15 : « State ergò succincti lumbos vestros, et induti loricam justitiæ, et calceati pedes in præparatione Evangelii pacis. »

Col. c. 3, v. 15 : « Et pax Christi exsultet in cordibus vestris, in quâ et vocati estis in uno corpore. »

2 *Thess.* c. 1, v. 6, 7 : « Si tamen justum est apud Deum retribuere tribulationem iis qui vos tribulant, et vobis qui tribulamini, requiem nobiscum in revelatione Domini Jesu. »

2 *Thess.* c. 3, v. 16 : « Ipse autem Dominus pacis det vobis pacem sempiternam in omni loco. »

2 *Tim.* c. 2, v. 22 : « Sectare verò justitiam, fidem, charitatem, et pacem cum iis qui invocant Dominum de corde puro. »

Hebr. c. 3, v. 18 : « Quibus autem juravit non introire in requiem ipsius, nisi illis qui increduli fuerunt. »

Hebr. c. 4, v. 3 *et seq.* : « Ingrediemur enim in requiem qui credidimus, quemadmodùm dixit : *Sicut juravi in irâ meâ, si introibunt in requiem meam*.... Festinemus ergò ingredi in illam requiem. »

Hebr. c. 12, v. 14 : « Pacem sequimini cum omnibus et sanctimoniam, sine quâ nemo videbit Deum. »

1 *Petr.* c. 3, v. 10, 11 : « Qui enim vult vitam diligere, et dies videre bonos,.... inquirat pacem, et sequatur eam. »

CAPUT LXV.

Jesus bellator et victor.

Num. c. 24, v. 14 : « Orietur Stella ex Jacob, et surget virga de Israel; et percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth. »

Psalm. c. 44, v. 3 *et seq.* : « Speciosus formâ præ filiis hominum; diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime... Sagittæ tuæ acutæ; populi sub te cadent, in corda inimicorum regis. »

Psalm. 109, v. 5 *et seq.* : « Dominus à dextris tuis, confregit in die iræ suæ reges; judicabit in nationibus, implebit ruinas; conquassabit capita in terrâ multorum; de torrente in viâ bibet, propterea exaltabit caput. »

Isa. c. 8, v. 1 *et seq.* : « « Et dixit Dominus ad me : Sume tibi librum grandem et scribe in eo stylo hominis; Velociter spolia detrahe, citò prædare. Et adhibui mihi testes fideles, Uriam sacerdotem, et Zachariam, filium Barachiæ; et accessi ad Prophetissam, et concepit, et peperit filium, et dixit Dominus ad me : Voca nomen ejus : Accelera spolia detrahere, Festina prædari; quia antequàm sciat puer vocare patrem suum et matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, et spolia Samariæ coràm rege Assyriorum. »

Isa. c. 11, v. 4, 5 : « Percutiet terram virgâ oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium; et erit justitia cingulum lumborum ejus, et fides cinctorium renum ejus. »

Isa. c. 41, v. 2 : « Quis suscitavit ab oriente Justum, vocavit eum ut sequeretur se? dabit in conspectu ejus gentes, et reges obtinebit? dabit quasi pulverem gladio ejus, sicut stipulam vento raptam arcui ejus?

Isa. c. 42, v. 13 : Dominus sicut fortis egredietur, sicut sicut vir præliator suscitabit zelum; vociferabitur et clamabit; super inimicos suos confortabitur. »

Isa. c. 49, v. 1, 2 : « Dominus ab utero vocavit me; de ventre matris meæ recordatus est nominis mei; et posuit os meum quasi gladium acutum. In umbrâ manûs suæ protexit me, et posuit me sicut sagittam electam; in pharetrâ suâ abscondit me. »

Isa. c. 66, v. 15, 16 : « Ecce Dominus in igne veniet, et quasi turbo quadrigæ ejus reddere in indignatione furorem suum, et increpationem suam in flammâ ignis; quia in igne Dominus adjudicabit, et in gladio suo ad omnem carnem, et multiplicabuntur interfecti à Domino. »

Jerem. c. 12, v. 12 : « Gladius Domini devorabit ab extremo terræ usque ad extremum ejus : non est pax universæ carni. »

Joel. c. 2, v. 11 : « Et Dominus dedit vocem suam antè faciem exercitûs sui; quia multa sunt nimis castra ejus, quia fortia et facientia verbum ejus : magnus enim dies Domini,

et terribilis valde; et quis sustinebit eum?

Hab. c. 3, v. 8 *et seq.* : « Qui ascendes super equos tuos, et quadrigæ tuæ salvatio, suscitans suscitabis arcum tuum.... Sol et luna steterunt in habitaculo suo, in luce sagittarum tuarum; ibunt in splendore fulgurantis hastæ tuæ. In fremitu conculcabis terram, in furore obstupefacies gentes; egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo. »

Zach. c. 9, v. 11 *et seq.* : « Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. Convertimini ad munitionem vincti spei; hodiè quoque annuntians duplicia reddam tibi. Quoniam extendi mihi Judam quasi arcum; implevi Ephraim, et suscitabo filios tuos Sion; super filios tuos, Græcia, et ponam te quasi gladium fortium. Et Dominus Deus super eos videbitur; et exibit ut fulgur jaculum ejus; et Dominus Deus in tubâ canet, et vadet in turbine Austri. Dominus exercituum proteget eos; et devorabunt, et subjicient lapidibus fundæ, et bibentes inebriabuntur quasi à vino, et replebuntur ut phialæ, et quasi cornua altaris. Et salvabit eos Dominus Deus eorum in die illâ, ut gregem populi sui. »

Matth. c. 10, v. 34 : « Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram; non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem adversùs matrem suam, et nurum adversùs socrum suam; et inimici hominis, domestici ejus. » *Et Luc.* c. 12, v. 49, 51.

Matth. c. 26, v. 52, 53 : « Tunc ait illi Jesus..... An putas quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modò plusquàm duodecim legiones Angelorum? »

Luc. c. 22, v. 36 : « Dixit ergò eis : Sed nunc qui habet sacculum, tollat, similiter et peram; et qui non habet, vendat tunicam suam, et emat gladium. »

Joan. c. 16, v. 33 : « In mundo pressuram habebitis; sed confidite, ego vici mundum. »

Rom. c. 6, v. 13 : « Sed neque exhibeatis membra vestra, arma iniquitatis peccato; sed exhibete vos Deo, tanquàm ex mortuis viventes, et membra vestra arma justitiæ Deo. »

Rom. c. 13, v. 12 : « Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergò opera tenebrarum, et induamur arma lucis. »

2 *Cor.* c. 6, v. 4 *et seq.* : « Sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros, in multâ patientiâ..... in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma justitiæ, à dextris et à sinistris. »

2 *Cor.* c. 10, v. 3 *et seq.* : « In carne enim ambulantes, non secundùm carnem militamus. Nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversùs scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, et in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam, cùm impleta fuerit vestra obedientia. »

Eph. c. 6, v. 11 *et seq.* : « Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversùs insidias diaboli; quoniam non est nobis colluctatio adversùs carnem et sanguinem, sed adversùs principes et potestates, adversùs mundi rectores tenebrarum harum, contrà spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare. State ergò succincti lumbos vestros in veritate, et induti loricam justitiæ, et calceati pedes in præparatione Evangelii pacis; in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea exstinguere; et galeam salutis assumite; et gladium spiritûs, quod est verbum Dei. »

1 *Tim.* c. 1, v. 18 : « Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, secundùm præcedentes in te prophetias, ut milites in illis bonam militiam. »

2 *Tim.* c. 2, v. 4, 5 : « Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus, ut ei placeat cui se probavit; nam et qui certat in agone, non coronatur nisi legitimè certaverit. »

Apoc. c. 1, v. 16 : « Et de ore ejus gladius utrâque parte acutus exibat. »

Apoc. c. 2, v. 12 *et seq.* : « Et Angelo Pergami Ecclesiæ scribe : Hæc dicit qui habet rhomphæam utrâque parte acutam... Habes et tu tenentes doctrinam Nicolaitarum; similiter pœnitentiam age, si quominùs veniam tibi citò, et pugnabo cum illis in gladio oris mei. »

Apoc. c. 19, v. 11 *et seq.* : « Et vidi cœlum apertum, et ecce equus albus, et qui sedebat super eum, vocabatur Fidelis et Verax, et cum justitiâ judicat et pugnat.... et vestitus erat veste aspersâ sanguine, et vocatur nomen ejus Verbum Dei. Et exercitus qui sunt in cœlo, sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo et mundo; et de ore ejus procedit gladius ex utrâque parte acutus, ut in ipso percutiat gentes : et ipse reget eas in virgâ ferreâ, et ipse calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis..... et cæteri occisi sunt in gladio se-

dentis super equum, qui procedit de ore ipsius, et omnes aves saturatæ sunt carnibus eorum.»

Jesum pacificum esse suprà ostendimus; hìc eum exhibemus bellatorem, nec nobiscum tamen ipsi pugnamus, allegorica modò adhibeatur interpretatio. Quod quo jure fiat, sanequàm egregiè demonstrat Isaias, cùm ait de puero, qui Messiæ typus est: *Et dixit Dominus ad me: Voca nomen ejus: Accelera spolia detrahere, Festina prædari; quia antequàm sciat puer vocare patrem suum, et matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, et spolia Samariæ coràm rege Assyriorum.* Quæ sic pulchrè interpretatur Tertullianus, lib. 3 adv. Marc. cap. 13. « Antè est inspicias ætatis demonstrationem, an hominem jam Christum exhibere possit, nedùm imperatorem. Scilicet vagitu ad arma esset convocaturus infans, et signa belli, non tuba, sed crepitacillo daturus; nec ex equo, vel de curru, vel de muro, sed de nutricis aut gerulæ suæ collo, sive dorso hostem destinaturus; atque ità Damascum et Samariam pro mamillis subacturus. » Demùm sententiam his verbis concludit: « Enimverò si nusquàm hoc natura concedit, antè militare quàm vivere, antè virtutem Damasci sumere, quàm patris et matris vocabulum nosse, sequitur ut figurata pronuntiatio videatur. » Subjicit alia deindè multa; pariaque his apud eum alibi reperias (contr. Jud. cap. 9), quibus quod addam, nihil habeo. Allegoriam præctereà demonstrant et hæc Isaiæ cap. 11, v. 4, 5: *Percutiet terram virgâ oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium; et erit justitia cingulum lumborum ejus, et fides cinctorium renum ejus.* En arma quibus bellum gerit Christus, verba, spiritus, justitia, et fides. Hinc Paulus ad Corinthios 2, c. 10, v. 3 et seq.: *In carne ambulantes, non secundùm carnem militamus: nam arma militiæ nostræ carnalia sunt;* et ad Ephesios c. 6, v. 11 et seq.: *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversùs insidias diaboli; quoniam non est nobis colluctatio adversùs carnem et sanguinem, sed adversùs principes et potestates, adversùs mundi rectores tenebrarum harum, contrà spiritualis nequitiæ in cœlestibus.* Tùm arma recenset quibus geri vult hujusmodi bellum; nempè loricam justitiæ, scutum fidei, galeam salutis, et gladium spiritûs.

CAPUT LXVI.

Jesus lapis, fundamentum, mons.

Psalm. 117, v. 22: « Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. »

Isa. c. 8, v. 13, 14: « Dominum exercituum, ipsum sanctificate; ipse pavor vester, ipse terror vester. Et erit vobis in sanctificationem; in lapidem autem offensionis, et in petram scandali duabus domibus Israel; in laqueum, et in ruinam habitantibus Jerusalem. Et offendent ex eis plurimi, et cadent, et conterentur, et irretientur, et capientur. »

Isa. c. 28, v. 16, 18: « Idcircò hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundamentum, qui crediderit non festinet... Et delebitur fœdus vestrum cum morte, et pactum vestrum cum inferno non stabit. »

Dan. c. 2, v. 34 *et seq.*: « Videbas ità, donec abscissus est lapis de monte sine manibus, et percussit statuam in pedibus ejus ferreis, et fictilibus, et comminuit eos. Tunc contrita sunt pariter, ferrum, testa, æs, argentum; et aurum, et redacta quasi in favillam æstivæ areæ, quæ rapta sunt vento; nullusque locus inventus est eis; lapis autem qui percusserat statuam, factus est mons magnus, et implevit universam terram... In diebus autem regnorum illorum, suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, et regnum ejus alteri populo non tradetur: comminuet autem et consumet universa regna hæc; et ipsum stabit in æternum. Secundùm quod vidisti, quòd de monte abcissus est lapis sine manibus, et comminuit testam, et ferrum, et æs, et argentum, et aurum, Deus magnus ostendit regi quæ ventura sunt posteà. »

Zach. c. 3, v. 8 *et seq.*: « Ecce enim ego adducam servum meum Orientem; quia ecce lapis quem dedi coràm Jesu, super lapidem unum septem oculi sunt, ecce ego cælabo sculpturam ejus, ait Dominus exercituum, et auferam iniquitatem terræ illius in die unâ. »

Zach. c. 4, v. 7, 10: Quis tu, mons magne, coràm Zorobabel? in planum: et educet lapidem primarium, et exæquabit gratiam gratiæ ejus... et lætabuntur, et videbunt lapidem stanneum in manu Zorobabel. »

Matth. c. 21, v. 42 *et seq.*: « Dicit illis Jesus: Nunquàm legistis in Scripturis: *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli; à Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris?* Ideò dico vobis, quia

auferetur à vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus; et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur; super quem verò ceciderit, conteret eum. » Et Marc. c. 12, v. 10 et seq. Luc. c. 20, v. 17, 18.

Act. c. 4, v. 11 : « Hic est lapis qui reprobatus est à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli, et non est in alio aliquo salus. »

Rom. c. 9, v. 32, 33 : « Offenderunt in lapidem offensionis, sicut scriptum est : *Ecce pono in Sion lapidem offensionis, et petram scandali; et omnis qui credit in eum, non confundetur.* »

1 *Cor.* c. 3, v. 11 : « Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. »

1 *Cor.* c. 10, v. 4 : « Bibebant autem de spirituali consequente eos petrâ; petra autem erat Christus. »

Eph. c. 2, v. 19 et seq. : « Ergò jam non estis hospites et advenæ, sed estis cives sanctorum et domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo et vos coædificavi in habitaculum Dei in spiritu. »

1 *Petr.* c. 2, v. 4 : « Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum et honorificatum; et ipsi tanquàm lapides vivi superædificamini. »

CAPUT LXVII.

Jesu discipuli lapides.

Zach. c. 9, v. 16 : « Et salvabit eos Dominus eorum in die illâ, ut gregem populi sui; quia lapides sancti elevabuntur super terram ejus. »

Eph. c. 2, v. 19 *et seq.* : « Ergò jam non estis hospites et advenæ, sed estis cives sanctorum et domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino; in quo et vos coædificavi in habitaculum Dei in spiritu. »

1 *Petr.* c. 2, v. 4, 5 : « Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum et honorificatum; ipsi tanquàm lapides vivi superædificamini domûs spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum. »

CAPUT LXVIII.

Jesus scandalum et ruina.

Psalm. 109, v. 6 : « Judicabit in nationibus, implebit ruinas. »

Isa. c. 8, v. 13, 14 : « Dominum exercituum ipsum sanctificate; ipse pavor vester, et ipse terror vester, et erit vobis in sanctificationem; in lapidem autem offensionis, et in petram scandali duabus domibus Israel, in laqueum et in ruinam habitantibus Jerusalem. Et offendent ex eis plurimi, et cadent, et conterentur, et irretientur, et capientur. »

Matth. c. 11, v. 6. « Beatus est qui non fuerit scandalizatus in me. » Et Luc. c. 7, v. 23.

Matth. c. 13, v. 57 : « Et scandalizabantur in eo. » Et Marc. c. 6, v. 3.

Matth. c. 15, v. 12 : « Tunc accedentes discipuli ejus, dixerunt ei : Scis quia Pharisæi audito verbo hoc scandalizati sunt? »

Matth. c. 26, v. 31 *et seq.* : « Tunc dicit illis Jesus : Omnes vos scandalum patiemini in me in istâ nocte. Scriptum est enim : *Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis...* Respondens autem Petrus, ait illi : Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquàm scandalizabor. » Et Marc. c. 14, v. 27 et seq.

Luc. c. 2, v. 34 : « Et benedixit illis Simeon, et dixit ad Mariam, matrem ejus : Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel. »

Rom. c. 9, v. 32, 33 : « Offenderunt enim in lapidem offensionis, sicut scriptum est : *Ecce pono in Sion lapidem offensionis, et petram scandali; et omnis qui credit in eum non confundetur.* »

1 *Cor.* c. 1, v. 23 : « Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam. »

Gal. c. 5, v. 11 : « Ego autem, fratres, si circumcisionem adhuc prædico, quid adhuc persecutionem patior? ergò evacuatum est scandalum crucis. »

1 *Petr.* c. 2, v. 7, 8 : « Vobis igitur honor credentibus; non credentibus autem lapis, quem reprobaverunt ædificantes; hic factus est in caput anguli, et lapis offensionis, et petra scandali, his qui offendunt verbo, nec credunt in quo et positi sunt. »

CAPUT LXIX.

Jesus dux.

Isa. c. 55, v. 4 : « Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus. »

Jerem. c. 30, v. 21 : « Et erit dux ejus ex eo, et princeps de medio ejus producetur, et applicabo eum, et accedet ad me. »

Dan. c. 9, v. 25 : « Scito ergò et animadverte : Ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duæ erunt. »

Matth. c. 2, v. 6 : « Sic enim scriptum est per Prophetam : *Et tu, Bethlehem, terra Juda, nequaquàm minima es in principibus Juda : ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel.* »

CAPUT LXX.

Jesus ostium.

Psalm. 117, v. 20 : « Hæc porta Domini; justi intrabunt in eam. »

Joan. c. 10, v. 7 *et seq.* : « Dixit ergò eis iterùm Jesus : Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium ovium ; omnes quotquot venerunt, fures sunt et latrones, et non audierunt eos oves. Ego sum ostium ; per me si quis introierit, salvabitur, et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet. »

CAPUT LXXI.

Jesus via.

Isa. c. 3o, v. 21 : « Et aures tuæ audient verbum post tergum monentis : Hæc est via, ambulate in eâ, et non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram. »

Isa. c. 35, v. 8 *et seq.* : « Et erit ibi semita, et via, et via sancta vocabitur ; non transibit per eam pollutus, et hæc erit vobis directa via, ità ut stulti non errent per eam. Non erit ibi leo, et mala bestia non ascendet per eam, nec invenietur ibi, et ambulabunt qui liberati fuerint, et redempti à Domino convertentur. »

Jerem. c. 6, v. 16 : « Hæc dicit Dominus : State super vias, et videte, et interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, et ambulate in eâ et invenietis refrigerium animabus vestris. »

Joan. c. 14, v. 6 : « Dicit ei Jesus : Ego sum via, et veritas, et vita ; nemo venit ad Patrem nisi per me. »

CAPUT LXXII.

Jesus veritas.

Psalm. c. 42 v. 3 : « Emitte lucem tuam, et veritatem tuam ; ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua. »

Psalm. c. 84, v. 12 : « Veritas de terrâ orta est, et justitia de cœlo prospexit. »

Eccli. c. 24, 25 : In me gratia omnis viæ et veritatis; in me omnis spes vitæ et virtutis. »

Joan. c. 8, v. 31, 32 : « Dicebat ergò Jesus ad eos qui crediderunt ei Judæos : Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis, et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos. »

Joan. c. 14, v. 6 : « Dicit ei Jesus : Ego sum via, veritas et vita. »

2 *Cor.* c. 1, v. 20 : « Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo est, ideò et per ipsum Amen Deo ad gloriam nostram. »

1 *Joan.* c. 5, v. 6 : « Et spiritus est, qui testificatur, quoniam Christus est veritas. »

CAPUT LXXIII.

Jesus vita.

Deut. c. 30, v. 20 : « Elige ergo vitam, ut et tu vivas, et semen tuum, et diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci ejus, et illi adhæreas; ipse est enim vita tua, et longitudo dierum tuorum. »

Psalm. 35, v. 10 : « Quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen. »

Prov. c. 8, v. 35 : « Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem à Domino. »

Eccli c. 4, v. 12 *et seq.* : « Sapientia filiis suis vitam inspirat, et suscipit inquirentes se, et præibit in via justitiæ; et qui illam diligit, diligit vitam ; et qui vigilaverint ad illam complectentur placorem ejus. Qui tenuerint illam, vitam hæreditabunt.

Eccli. c. 21, v. 16 : « Scientia sapientis tanquàm inundatio abundabit, et consilium illius sicut fons vitæ permanet. »

Isa. c. 25, v. 7 *et seq.* : « Et præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, et telam quam orditus est super omnes nationes. Præcipitabit mortem in sempiternum, et auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie et opprobrium populi sui auferet de universâ terrâ, quia Dominus locutus est. Et dicet in die illâ : Ecce Deus noster iste; exspectavimus eum, et salvavit nos; iste Dominus, sustinuimus eum ; exultabimus, et lætabimur in salutari ejus, quia requiescet manus Domini in monte isto. »

Joan. c. 1, v. 4 : « In ipso vita erat, et vita erat lux hominum. »

Joan. c. 6, v. 35, 48, 49 : « Dixit autem eis

Jesus : Ego sum panis vitæ.... Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt; hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. »

Joan. c. 11, v. 25, 26 : « Dixit ei Jesus : Ego sum resurrectio et vita; qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet; et omnis qui vivit, et credit in me, non morietur in æternum. »

Joan. c. 14, v. 6 : « Dicit ei Jesus : Ego sum via, veritas et vita. »

Act. c. 3, v. 15 : « Auctorem verò vitæ interfecistis, quem Deus suscitavit à mortuis, cujus nos testes sumus. »

Rom. c. 6, v. 11 : Ità et vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in Christo Domino nostro.

1 *Cor.* c. 15, v. 22 : « Et sicut in Adam omnes moriuntur, ità et in Christo omnes vivificabuntur. »

Gal. c. 2, v. 20 : « Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus. Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei. »

Phil. c. 1, v. 10 : « Mihi enim vivere Christus est, et mori lucrum. »

Col. c. 3, v. 3, 4 : Mortui enim estis, et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo. Cùm Christus apparuerit, vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria. »

Hebr. c. 2, v. 14 : « Quia ergò pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem, ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est diabolum. »

1 *Joan.* c. 1, v. 2 : Vita manifestata est, et vidimus, et testamur, et annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, et apparuit nobis. »

1 *Joan.* c. 5, v. 11 *et seq.* : Et hoc est testimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus : et hæc vita in Filio ejus est. Qui habet Filium, habet vitam; qui non habet Filium, vitam non habet. Hæc scribo vobis, ut sciatis quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filii Dei. »

CAPUT LXXIV.

Jesus Sapientia.

Prov. c. 8, v. 12 *et seq.* : « Ego sapientia habito in consilio, et eruditis intersum cogitationibus..... Meum est consilium et æquitas; mea est fortitudo. Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt.... Ego diligentes me diligo, et qui mane vigilant ad me, inveniunt me; mecum sunt divitiæ et gloria, opes superbæ et justitia; melior est enim fructus meus auro et lapide pretioso, et genimina mea argento electo.... Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequàm quidquam faceret à principio : ab æterno ordinata sum, et ex antiquis, antequàm terra fieret. Nondùm erant abyssi et ego jam concepta eram; necdùm fontes aquarum eruperant; necdum montes gravi mole constiterant; ante colles ego parturiebar; adhuc terram non fecerat, et flumina, et cardines orbis terræ. Quandò præparabat cœlos, aderam.... cum eo eram cuncta componens, et delectabar per singulos dies, ludens coràm eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, et deliciæ meæ esse cum filiis hominum. Nunc ergò, filii, audite me : Beati qui custodiunt vias meas.... Beatus homo qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidiè, et observat ad postes ostii mei! Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem à Domino, qui autem in me peccaverit, lædet animam suam. Omnes qui me oderunt, diligunt mortem. »

Sap. c. 7, v. 21 *et seq.* : « Omnium artifex docuit me sapientia; est enim in illâ spiritus; intelligentiæ sanctus, unicus.... omnem habens virtutem, omnia prospiciens, et qui capiat omnes spiritus, intelligibilis, mundus, subtilis. Omnibus enim mobilibus mobilior est Sapientia. Attingit autem ubique propter suam munditiam; vapor est enim virtutis Dei et emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera, et ideò nihil inquinatum in eam incurrit : candor est enim lucis æternæ, et speculum sine maculâ Dei majestatis, et imago bonitatis illius; et cum sit una, omnia potest, et in se permanens omnia innovat, et per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei et Prophetas constituit. »

Sap. c. 9, v. 4 : « Da mihi sedium tuarum assistricem Sapientiam. »

Sap. c. 9, v. 9 : « Tecum sapientia tua, quæ novit opera tua, quæ et affuit tunc cùm orbem terrarum faceres; et sciebat quid esset placitum oculis tuis, et quid directum in præceptis tuis. »

Eccli. c. 1, v. 5 *et seq.* : « Fons sapientiæ, verbum Dei in excelsis, et ingressus illius mandata æterna. Radix sapientiæ cui revelata est, et astutias illius quis agnovit? Disciplina sapientiæ cui revelata est et manifestata? Et multiplicationem ingressùs illius quis intellexit? Unus est altissimus Creator omnipotens, et rex potens et metuendus nimis, sedens super thro-

num illius, et dominans Deus. Ipse creavit illam in Spiritu sancto, et vidit, et dinumeravit, et mensus est; et effudit illam super omnia opera sua, et super omnem carnem secundùm datum suum, et præbuit illam diligentibus se. »

Eccli. c. 24, v. 1 *et seq.* : « Sapientia laudabit animam suam, et in Deo honorabitur, et in medio populi sui gloriabitur, et in Ecclesiis altissimi aperiet os suum, et in conspectu virtutis illius gloriabitur, et in medio populi sui exaltabitur, et in plenitudine sanctâ admirabitur, et in multitudine electorum habebit laudem, et inter benedictos benedicetur, dicens: Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita antè omnem creaturam. Ego feci in cœlis, ut oriretur lumen indeficiens, et sicut nebula texi omnem terram. Ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columnâ nubis. Gyrum cœli circuivi sola, et profundum abyssi penetravi, in fluctibus maris ambulavi, et in omni terrâ steti, et in omni gente primatum habui; et omnium excellentium et humilium corda virtute calcavi, et in his omnibus requiem quæsivi, et in hæreditate Domini morabor. Tunc præcepit, et dixit mihi Creator omnium, et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, et dixit mihi: in Jacob inhabita, et in Israel hæreditare, et in electis meis mitte radices. Ab initio, et antè sæcula creata sum, et usque ad futurum sæculum non desinam, et in habitatione sanctâ coràm ipso ministravi. »

Matth. c. 11, v. 19 : « Venit Filius hominis manducans et bibens, et dicunt: Ecce homo vorax et potator vini, publicanorum et peccatorum amicus. Et justificata est sapientia à filiis suis. » Et Luc, c. 7, v. 34, 35

Luc. c. 11, v. 49 : Propterea et sapientia Dei dixit : *Mittam ad illos Prophetas et Apostolos, et ex illis occident et persequentur.* »

Cor. c. 1, v. 23, 24 : « Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis, Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam. »

Cor. c. 1, v. 30 : « Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia à Deo. »

Col. c. 2, v. 4 : « In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi. »

CAPUT LXXV.

Jesus principium et finis, primus et novissimus, alpha et omega.

Gen. c. 1, v. 1 : « In principio creavit Deus cœlum et terram. »

Psal. 101, v. 26 *et seq.* : « Initio tu, Domine, terram fundâsti, et opera manuum tuarum sunt cœli; ipsi peribunt, tu autem permanes, et omnes sicut vestimentum veterascent, et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur; tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient. »

Psal. 109, v. 3 : « Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum; ex utero ante luciferum genui te. »

Prov. c. 8, v. 22 : « Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequàm quidquam faceret à principio; ab æterno ordinata sum, et ex antiquis, antequàm terra fieret. »

Eccli. c. 24, v. 14 : « Ab initio, et antè sæcula creata sum, et usque ad futurum sæculum non desinam. »

Isa. c. 41, v. 4 : « Ego Dominus; primus et novissimus ego sum. »

Isa. c. 43, v. 10 : « Antè me non est formatus Deus, et post me non erit. »

Isa. c. 44, v. 6 : « Hæc dicit Dominus rex Israel, et redemptor ejus Dominus exercituum: Ego primus et novissimus, et absque me non est Deus. »

Isa. c. 48, v. 12 : « Audi me, Jacob et Israel quem ego voco: ipse, ego primus, et ego novissimus. »

Isa. c. 53, v. 2, 3 : « Vidimus eum, et non erat aspectus; et desideravimus eum, despectum et novissimum virorum. »

Joan. c. 1, v. 1, 2 : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. »

Joan. c. 8, v. 25 : « Dicebant ergò ei : Tu quis es? Dixit eis Jesus : Principium, qui et loquor vobis. »

Rom. c. 10, v. 4 : « Finis enim legis Christus, ad justitiam omni credenti. »

Col. c. 1, v. 18 : « Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens. »

Hebr. c. 1, v. 8 *et seq.* : « Ad Filium autem (dicit Deus) : Tu in principio, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cœli; ipsi peribunt, tu autem permanebis; et omnes ut vestimentum veterascent, et velut amictum

mutabis eos, et mutabuntur; tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient. »

Apoc. c. 1, v. 8 : « Ego sum alpha et omega, principium et finis, dicit Dominus Deus, qui est, et qui erat, et qui venturus est omnipotens. » Et Apoc. c. 1, v. 11, juxtà Græcum exemplar.

Apoc. c. 1, v. 17 : « Et posuit dexteram suam super me dicens : Noli timere, ego sum primus et novissimus. »

Apoc. c. 3, v. 14 : « Et Angelo Laodiceæ Ecclesiæ scribe : Hæc dicit : Amen, testis fidelis et verus, qui est principium creaturæ Dei. »

Apoc. c. 21, v. 6 : « Ego sum alpha et omega, initium et finis. »

Apoc. c. 22, v. 13 : « Ego sum alpha et omega, primus et novissimus, principium et finis. »

CAPUT LXXVI.

Jesus caput.

Psalm. 17, v. 44 : « Eripies me de contradictionibus populi; constitues me in caput gentium. »

Psalm. 117, v. 22 : « Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. »

Matth. c. 21, v. 42 : « Dixit illis Jesus : Nunquàm legistis in Scripturis : *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli?* » Et Marc. c. 12, v. 10. Luc. c. 20, v. 17. Act. c. 4, v. 11; et 1 Petr. c. 2, v. 7.

1 *Cor.* c. 11, v. 3 : « Volo autem vos scire quòd omnes viri caput Christus est. »

Eph. c. 1, v. 22, 23 : « Et omnia subjecit sub pedibus ejus, et ipsum dedit caput suprà omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, et plenitudo ejus qui omnia in omnibus adimpletur. »

Eph. c. 4, v. 15, 16 : Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus; ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem juncturam subministrationis, secundùm operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate. »

Eph. c. 5, v. 23 : « Quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ, ipse Salvator corporis ejus. »

Col. c. 1, v. 18 : « Et ipse (Jesus) est caput corporis Ecclesiæ. »

Col. c. 2, v. 10 : « Et estis in illo (Jesu) repleti, qui est caput omnis principatûs et potestatis. »

Col. c. 2, v. 18, 19 : « Nemo vos seducat.... non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus et conjunctiones subministratum et constructum, crescit in augmentum Dei. »

CAPUT LXXVII.

In Jesu omnia à Deo condita.

Psalm. 32, v. 6 : « Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum. »

Psal. 103, v. 24 : « Quàm magnificata sunt opera tua Domine! omnia in sapientiâ fecisti. »

Prov. c. 3, v. 19, 20 : « Dominus sapientiâ fundavit terram, stabilivit cœlos prudentiâ; sapientiâ illius eruperunt abyssi. »

Prov. c. 8, v. 27 *et seq.*; « Quandò præparabat cœlos, aderam; quandò certâ lege et gyro vallabat abyssos, quandò æthera firmabat sursùm, et librabat fontes aquarum; quandò circumdabat mari terminum suum, et legem ponebat aquis, ne transirent fines suos, quandò appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens. »

Sap. c. 9, v. 9 : « Et tecum sapientia tua, quæ et affuit tunc cùm orbem terrarum faceres, et sciebat quid esset placitum oculis tuis, et quid directum in præceptis tuis. »

Jerem. c. 10, v. 12 : « Præparat orbem in sapientiâ suâ. »

Joan. c. 1, v. 3 : « Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est. »

Eph. c. 2, v. 10 : « Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu, in operibus bonis quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus. »

Eph. c. 3, v. 11 : « Secundùm præfinitionem sæculorum, quam fecit in Christo Jesu Domino nostro. »

Col. c. 1, v. 15 *et seq.* : Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipso condita sunt universa in cœlis et in terrâ, visibilia et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates; omnia per ipsum, et in ipso creata sunt, et ipse est antè omnes, et omnia in ipso constant. »

Hebr. c. 1, v. 2 : « Novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit et sæcula. »

CAPUT LXXVIII.

Jesus electus.

Psalm. c. 88, v. 20 : « Tunc locutus es in visione sanctis tuis, et dixisti : Posui adjutorium in potente, et exaltavi electum de plebe meâ. »

Isa. c. 42, v. 1 : « Ecce servus meus, suscipiam eum : electus meus, complacuit sibi in illo anima mea. »

Isa. c. 43, v. 10 : « Vos testes mei, dicit Dominus, et servus meus quem elegi, ut sciatis et credatis mihi, et intelligatis quia ego ipse sum. »

Isa. c. 49, v. 2 : « Posuit me sicut sagittam electam, in pharetrâ suâ abscondit me. »

Matth. c. 12, v. 17 *et seq.* : » Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam dicentem : *Ecce puer meus quem elegi; dilectus meus, in quo benè complacuit animæ meæ.*

Luc. c. 23, v. 35 : « Et stabat populus spectans, et deridebant eum Principes cum eis dicentes : Alios salvos fecit, se salvum faciat, si hic est Christus Dei electus. »

1 *Petr.* c. 2, v. 4 *et seq.* : « Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum, et honorificatum, et ipsi tanquàm lapides vivi superædicamini domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum. Propter quod continet Scriptura : *Ecce pono in Sion lapidem summum angularem, electum, pretiosum; et qui crediderit in eum, non confundetur.* »

CAPUT LXXIX.

Jesus justitia.

Psalm. 71, v. 7 : « Orietur in diebus ejus justitia, et abundantia pacis, donec auferatur luna. »

Psalm. 84, v. 12 : « Veritas de terrâ orta est, et justitia de cœlo prospexit. »

Isa. c. 11, v. 4 : « Judicabit in justitiâ pauperes, et arguet in æquitate pro mansuetis terræ. »

Isa. c. 45, v. 8 : « Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant Justum; aperiatur terra, et germinet Salvatorem, et justitia oriatur simul. »

Isa. c. 61, v. 11 : « Sicut enim terra profert germen suum, et sicut hortus germen suum germinat, sic Dominus Deus germinabit justitiam. »

Isa. c. 63, v. 1 : « Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosrâ, iste formosus in stolâ suâ, gradiens in multitudine fortitudinis suæ? Ego qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum. »

Jerem. c. 33, v. 15 : « In diebus illis, et in tempore illo, germinare faciam David germen justitiæ. »

Dan. c. 9, v. 24 : « Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna. »

Mal. c. 4, v. 2 : « Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ. »

---

1 *Cor.* c. 1, v. 30 : « Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia à Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio. »

2 *Cor.* c. 5, v. 21 : « Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso. »

CAPUT LXXX.

Jesus Justus dictus κατ' ἐξοχὴν.

Sap. c. 2, v. 12 : « Circumveniamus ergò justum, quoniam inutilis est nobis, et contrarius est operibus nostris, et improperat nobis peccata legis, et diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ : promittit se scientiam Dei habere, et filium Dei se nominat. »

Isa. c. 45, v. 8 : « Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum; aperiatur terra, et germinet Salvatorem. »

Isa. c. 51, v. 4, 5 : « Attendite ad me, popule meus, et tribus mea, me audite, quia lex à me exiet, et judicium meum in lucem populorum requiescet. Propè est Justus meus, egressus est Salvator meus. »

Isa. c. 53, v. 11 : « In scientiâ suâ justificabit ipse Justus, servus meus, multos et iniquitates eorum ipse portabit. »

Isa. c. 62, v. 1, 2 : « Propter Sion non tacebo, et propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor Justus ejus, et Salvator ejus ut lampas accendatur. Et videbunt gentes justum tuum, et cuncti reges inclytum tuum, et vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominabit. »

Jerem. c. 23, v. 5, 6 : « Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen justum, et regnabit rex, et sapiens erit, et faciet judicium et justitiam in terrâ. In diebus illis salvabitur Juda, et Israel habitabit confidenter;

et hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus Justus noster. » Et Jerem. cap. 33, v. 16.

Zach. c. 9, v. 9 : « Exsulta satis, filia Sion ; jubila, filia Jerusalem ; ecce rex tuus veniet tibi Justus et Salvator. »

Matth. c. 27, v. 3, 4 : « Tunc videns Judas qui eum tradidit, quòd damnatus esset, pœnitentiâ ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum et senioribus, dicens : Peccavi, tradens sanguinem justum. »

Matth. c. 27, v. 19 : « Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum uxor ejus dicens : Nihil tibi et Justo illi. »

Luc. c. 23, v. 47 : « Videns autem Centurio quod factum fuerat, glorificavit Deum dicens : Verè hic homo justus erat. »

Act. c. 33, v. 14 : « Vos autem sanctum et Justum negâstis, et petîstis virum homicidam dari vobis. »

Act. c. 7, v. 52 : « Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? et occiderunt eos qui prænuntiabant de adventu Justi, cujus vos nunc proditores et homicidæ fuistis. »

Act. c. 22, v. 14 : « At ille dixit : Deus patrum nostrorum præordinavit te, ut cognosceres voluntatem ejus, et videres Justum, et audires vocem ex ore ejus. »

Rom. c. 5, v. 26 : « Ut sit ipse Justus, et justificans eum qui est ex fide Jesu Christi. »

Jac. c. 5, v. 6 : « Addixistis, et occidistis Justum, et non restitit vobis. »

1 *Petr.* c. 3, v. 18 : « Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, Justus pro injustis. »

1 *Joan.* c. 1, v. 9 : « Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et Justus, ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate. »

1 *Joan.* c. 2. v. 1 : « Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum Justum. »

1 *Joan.* c. 2, v. 29 : « Si scitis quoniam Justus est, scitote quoniam et omnis qui facit justitiam ex ipso natus est. »

CAPUT LXXXI.

Jesus Sanctus dictus κατ' ἐξοχήν.

Psalm. 4, v. 4 : « Et scitote quoniam mirificavit Dominus Sanctum suum. »

Psalm. 15, v. 10 : « Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. »

Isa. c. 12, v. 6 : « Exsulta, et lauda, habitatio Sion, quia magnus, in medio tui Sanctus Israel. »

Dan. c. 9, v. 24 : « Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio, et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum. »

Marc. c. 1, v. 23, 24 : Et erat in Synagogâ eorum homo in spiritu immundo, et exclamavit dicens : Quid nobis et tibi, Jesu Nazarene? venisti perdere nos? scio qui sis, Sanctus Dei. » Et Luc. c. 4, v, 33, 34.

Luc. c. 1, v. 35 : « Et respondens Angelus dixit ei : Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideòque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. »

Luc. c. 2, v. 22, 23 : « Et postquàm impleti sunt dies purgationis ejus secundùm legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini : *Quia omne masculinum adaperiens vulvam, Sanctum Domino vocabitur.* »

Act. c. 2, v. 27 : « Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. »

Act. c. 3, v. 14 : « Vos autem Sanctum et Justum negâstis et petîstis virum homicidam donari vobis. »

Act. c. 4, v. 27 *et seq.* : « Convenerunt enim verè in civitate istâ adversùs Sanctum puerum tuum Jesum.... Et nunc, Domine, respice in minas eorum, et da servis tuis cum omni fiduciâ loqui verbum tuum ; in eo quòd manum tuam extendas ad sanitates, et signa, et prodigia fieri per nomen Sancti filii tui Jesu. »

1 *Cor.* c. 1, v. 30 : « Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia à Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio. »

Hebr. c. 7, v. 26 : « Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex, Sanctus, innocens, impollutus. »

1 *Petr.* c. 1, v. 14 *et seq.* : « Quasi filii obedientiæ, non configurati prioribus ignorantiæ vestræ desideriis, sed secundùm eum, qui vocavit vos, Sanctum, et ipsi in omni conversatione sancti sitis ; quoniam scriptum est : *Sancti eritis, quoniam ego Sanctus sum.* »

1 *Joan.* c. 2, v. 20: « Sed vos unctionem habetis à Sancto, et nôstis omnia. »

Apoc. c. 3, v. 7 : « Et Angelo Philadelphiæ Ecclesiæ scribe : Hæc dicit Sanctus et Verus, qui habet clavem David. »

Apoc. c. 6, v. 10 : « Et clamabunt voce magnâ dicentes : Usquequò, Domine (Sanctus et Verus) non judicas et non vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terrâ.

Consentanea est his Veteris Testamenti effatis Judæorum sententia ; nam R. Abraham Schalom in libro Neve Schalom, popularium suorum, ut videtur, vestigiis inhærens, sanctissimum omnium Messiam fore docet.

CAPUT LXXXII.

Jesus testis Dei.

Isa. c. 43, v. 10 : « Vos testes mei, dicit Dominus, et servus meus quem elegi. »

Isa. c. 55, v. 4 : « Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus. »

Joan. c. 3, v. 10, 11 : « Respondit Jesus, et dixit ei: Tu es Magister in Israel, et hæc ignoras? Amen, amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur, et testimonium nostrum non accipitis. »

Joan. c. 3, v. 31, 32 : Et quod vidit et audivit, hoc testatur, et testimonium ejus nemo accipit. Qui accepit ejus testimonium, signavit quia Deus verax est. »

Joan. c. 8, v. 14, 18 : « Respondit Jesus, et dixit eis : Et si ego testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum...... Ego sum qui testimonium perhibeo de me ipso. »

Joan. c. 18, v. 37 : « Respondit Jesus : Tu dicis quia rex sum ego ; ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati. »

1 *Tim.* c. 2, v. 5, 6: «Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, testimonium temporibus suis. »

1 *Tim* c. 6, v. 13: «Præcipio tibi coràm Deo, qui vivificat omnia in Christo Jesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato, bonam confessionem. »

1 *Joan.* c. 5, v. 7 : « Quoniam tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, et Verbum, et Spiritus sanctus ; et hi tres unum sunt. »

Apoc. c. 1, v. 4, 5: « Gratia vobis et pax.... à Jesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, et princeps regum terræ. »

Apoc. c. 3, v. 14 : « Et Angelo Laodiceæ Ecclesiæ scribe : Hæc dicit, Amen, testis fidelis et verus, qui est principium creaturæ Dei. »

CAPUT LXXXIII.

Jesus humilis.

Psalm. 21, v. 7 : « Ego autem sum vermis, et non homo ; opprobrium hominum, et abjectio plebis. »

Psalm. 34, v. 14 : « Quasi lugens et contristatus, sic humiliabar. »

Psalm. 87, c. 16 : « Pauper sum ego, et in laboribus à juventute meâ ; exaltatus autem et humiliatus sum et conturbatus.

Psalm. 88, v. 39 *et seq.* : « Tu verò repulisti et despexisti, distulisti Christum tuum ; evertisti testamentum servi tui, profanâsti in terrâ Sanctuarium ejus ; destruxisti omnes spes ejus, posuisti firmamentum ejus formidinem ; diripuerunt eum omnes transeuntes viam ; factus est opprobrium vicinis ; exaltâsti dexteram deprimentium eum ; lætificâsti omnes inimicos ejus, avertisti adjutorium gladii ejus et non es auxiliatus ei in bello ; destruxisti eum ab emundatione, et sedem ejus in terram collisisti : minorâsti dies temporis ejus, perfudisti eum confusione. »

Isa. c. 52, v. 14 : « Sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius est, inter viros aspectus ejus, et forma ejus inter filios hominum. »

Isa. c. 53, v. 2 *et seq.* : « Non est species ei, neque decor ; et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum, despectum et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem ; et quasi absconditus vultus ejus et despectus, undè nec reputavimus eum...... et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum à Deo et humiliatum. ...... et Dominus voluit conterere eum in infirmitate....... et cum sceleratis reputatus est. »

Jerem. c. 22, v. 30 : Hæc dicit Dominus : Scribe virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur ; nec enim erit de semine ejus vir qui sedeat super solium David, et potestatem habeat ultrà in Judâ. »

Thr. c. 3, v. 45 : « Eradicationem et abjectionem posuisti me in medio populorum. »

Dan. c. 2, v. 34 *et seq.* : « Videbas ità, donec abscissus est lapis de monte sine manibus, et percussit statuam in pedibus ejus ferreis et

fictilibus, et comminuit eos...... lapis autem qui percusserat statuam factus est mons magnus, et implevit universam terram.... . Secundùm quod vidisti quòd de monte abscissus est lapis sine manibus, et comminuit testam, et ferrum, et æs, et argentum, et aurum, Deus magnus ostendit regi quæ ventura sunt posteà. »

Matth. c. 11, v. 29 : « Discite à me quia mitis sum et humilis corde. »

Act. c. 8, v. 3 *et seq* : « Locus autem Scripturæ quem legebat, erat hic...... In humilitate judicium ejus sublatum est..... Respondens autem eunuchus Philippo dixit : Obsecro te, de quo Propheta dicit hoc? de se, an de alio aliquo? Aperiens autem Philippus os suum, et incipiens à Scripturâ istâ, evangelizavit illi Jesum. »

2 *Cor.* c. 13, v. 4 : Nam etsi crucifixus est Jesus ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei.»

Phil. c. 2, v. 8 : « Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem. »

Hebr. c. 4, v. 15 : « Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris; tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. »

Hebr. c. 5, v. 7 *et seq.* : « Qui in diebus carnis suæ, preces supplicationesque ad eum qui possit illum salvum facere à morte, cum clamore valido ac lacrymis offerens, exauditus est pro suâ reverentiâ; et quidem cum esset Filius Dei, didicit ex iis quæ passus est obedientiam. »

CAPUT LXXXIV.

Jesus contemptus et odio habitus.

Psalm. 17, v. 18, 41, 44 : « Eripuit me de inimicis meis fortissimis, et ab his qui oderunt me, quoniam confortati sunt super me... Et inimicos meos dedisti mihi dorsum, et odientes me disperdidisti... Eripies me de contradictionibus populi; constitues me in caput gentium. »

Psalm. 21, v. 8 : « Omnes videntes me deriserunt me; locuti sunt labiis, et moverunt caput. »

Psalm. 34, v. 16, 19 : « Tentaverunt me, subsannaverunt me subsannatione, frenduerunt super me dentibus suis... Non supergaudeant mihi qui adversantur mihi iniquè, qui oderunt me gratis, et annuunt oculis. »

Psalm. 68, v. 6 *et seq.* : « Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis; confortati sunt qui persecuti sunt me inimici mei injustè; quæ non rapui tunc exsolvebam .. Quoniam propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam. Extraneus factus sum fratribus meis, et peregrinus filiis matris meæ; quoniam Zelus domus tuæ comedit me, et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me, et operui in jejunio animam meam, et factum est in opprobrium mihi, et posui vestimentum meum cilicium, et factus sum illis in parabolam; adversùm me loquebantur qui sedebant in portâ, et in me psallebant qui bibebant vinum... Tu scis improperium meum et confusionem meam, et reverentiam meam. In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me, improperium exspectavit cor meum et miseriam : et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit; et qui consolaretur, et non inveni. »

Psalm. 88, v. 42 *et seq.* : « Diripuerunt eum omnes transeuntes viam; factus est opprobrium vicinis suis; exaltâsti dexteram deprimentium eum, lætificâsti omnes inimicos ejus... minorâsti dies temporis ejus, perfudisti eum confusione. »

Psalm. 108, v. 1 *et seq.* : « Deus laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris et os dolosi super me apertum est; locuti sunt adversùm me linguâ dolosâ, et sermonibus odii circumdederunt me, et expugnaverunt me gratis. Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi; ego autem orabam; et posuerunt adversùm me mala pro bonis, et odium pro dilectione meâ. »

Psalm. 117, v. 22 : « Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. »

Psalm. 119, v. 7 : « Cum his qui oderunt pacem eram pacificus; cùm loquebar illis, impugnabant me gratis. »

Sap. c. 2, v. 19 : « Contumeliâ et tormento interrogemus eum, ut sciamus reverentiam ejus, et probemus patientiam illius. »

Isa. c. 1, v. 2 : « Audite, cœli, et auribus percipe, terra, quoniam Dominus locutus est; Filios enutrivi, et exaltavi, ipsi autem spreverunt me. »

Isa. c. 8, v. 13 : « Dominum exercituum ipsum sanctificate; ipse pavor vester, et ipse terror vester. Et erit vobis in sanctificationem, in lapidem autem offensionis et in petram scandali duabus domibus Israel, in laqueum et in ruinam habitantibus Jerusalem; et offendent ex eis plurimi, et cadent, et conterentur, et irretientur, et capientur. »

Isa. c. 49, v. 7 : « Hæc dicit Dominus redemptor Israel, sanctus ejus, ad contemptibilem animam, ad abominatam gentem, et ad servum dominorum. »

Isa. c. 53, v. 14 : « Sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros aspectus ejus, et forma ejus inter filios hominum. »

Isa. c. 53, v. 3 : « Despectum et novissimum virorum, virum dolorum et scientem infirmitatem, et quasi absconditus vultus ejus et despectus, undè nec reputavimus eum. »

Isa. c. 65, v. 2 : « Expandi manus totâ die ad populum incredulum, qui graditur in viâ non bonâ post cogitationes suas. »

Jerem. c. 3, v. 20 : « Sed quomodò si contemnat mulier amatorem suum, sic contempsit me domus Israel, dicit Dominus. »

Jerem. c. 14, v. 8, 9 : « Exspectatio Israel, Salvator ejus in tempore tribulationis, quare quasi colonus futurus es in terrâ, et quasi viator declinans ad manendum? Quare futurus es velut vir vagus, ut fortis qui non potest salvare? »

Jerem. c. 32, v. 33 : « Et verterunt ad me terga, et non facies, cùm docerem eos diluculo, et erudirem, et nollent audire, ut acciperent disciplinam. »

Jerem. c. 33, v. 8 : « Propitius ero cunctis iniquitatibus eorum, in quibus deliquerunt mihi, et spreverunt me. »

Thren. c. 3, v. 30, 45 : « Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis..... eradicationem et abjectionem posuisti me in medio populorum. »

Dan. c. 9, v. 26 : « Et post hebdomades septuaginta duas occidetur Christus; et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. »

Matth. c. 8, v. 34 : « Et ecce tota civitas exiit obviàm Jesu : et viso eo rogabant ut transiret à finibus eorum. »

Matth. c. 9, v. 34 : « Pharisæi autem dicebant : In principe dœmoniorum ejicit dæmones. » Et Matth. c. 12, v. 24. Luc. c. 11, v. 15. Joan. c. 7, v. 20; et c. 8, v. 48, 52; et c. 10, v. 20.

Matth. c. 13, v. 57 : « Et scandalizabantur in eo. Jesus autem dixit eis : Non est Propheta sine honore, nisi in patriâ suâ, et in domo suâ. » Et *Marc.* c. 6, v. 3, 4. Luc. c. 4, v. 24. Joan. c. 4, v. 44.

Matth. c. 21, v. 42 : « Dicit illis Jesus : Nunquam legistis in Scripturis : *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli?* » Et Marc. c. 12, v. 10. Luc. c. 20, v. 17.

Marc. c. 3, v. 21 *et seq.* : « Et cùm audissent sui, exierunt tenere eum; dicebant enim, quoniam in furorem versus est. Et Scribæ qui ab Hierosolymis descenderant, dicebant quoniam Beelzebub habet, et quia in principe dæmoniorum ejicit dæmonia. »

Marc. c. 5, v. 39, 40 : « Et ingressus ait illis : Quid turbamini, et ploratis? puella non est mortua, sed dormit; et irridebant eum. »

Marc. c. 9, v. 11 : « Qui respondens ait illis : Elias cùm venerit primò, restituet omnia; et quomodò scriptum est in Filium hominis, ut multa patiatur, et contemnatur? »

Luc. c. 16, v. 14 : « Audiebant omnia hæc Pharisæi qui erant avari, et deridebant illum. »

Joan. c. 1, v. 10, 11 : « In mundo erat, et mundus per ipsum factus est et mundus eum non cognovit; in propria venit, et sui eum non receperunt. »

Joan. c. 7, v. 5 : « Neque enim fratres ejus credebant in eum. Dixit ergò eis Jesus : Tempus meum nondùm advenit; tempus autem vestrum semper est paratum. Non potest mundus odisse vos, me autem odit. »

Joan. c. 7, v. 47 *et seq.* : « Responderunt ergò eis Pharisæi : Numquid et vos seducti estis? numquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex pharisæis?

Joan. c. 8, v. 49 : « Respondit Jesus : Ego dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum, et vos inhonorâstis me. »

Joan. c. 9, v. 29 : « Nos scimus quia Moysi locutus est Deus; hunc autem nescimus undè sit. »

Joan. c. 12, v. 37 *et seq.* : « Cùm autem tanta signa fecisset coràm eis, non credebant in eum, ut sermo Isaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit : *Domine, quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est?* Propterea non poterant credere, quia iterùm dixit Isaias : *Excæcavit oculos eorum, et induravit cor eorum, ut non videant oculis, et non intelligant corde, et convertantur, et sanem eos.* »

Joan. c. 15, v. 18 *et seq.* : « Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit... Nunc autem et viderunt, et oderunt, et me, et Patrem meum; sed ut adimpleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est : Quia odio habuerunt me gratis. »

Act. c. 4, v. 11 : « Hic est lapis, qui repro-

batus est a vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli. »

Rom. c. 9, v. 32, 33 : « Offenderunt enim in lapidem offensionis, sicut scriptum est : *Ecce pono in Sion lapidem offensionis et petram scandali.* »

Hebr. c. 12, v. : « Aspicientes in auctorem fidei, et consumnatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contemptà. »

1 *Petr.* c. 1, v. 11 : « De quâ salute exquisierunt atque scrutati sunt Prophetæ, qui de futurâ in vobis gratiâ prophetaverunt ; scrutantes in quod vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi, prænuntians eas quæ in Christo sunt passiones, et posteriores glorias. »

1 *Petr.* c. 2, v. 4 : « Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum et honorificatum, et ipsi tanquàm lapides vivi superædificamini. »

Ex prædictis quæ hoc capite collegimus, aliisque quæ subindè proferentur à nobis, optimè intellexerunt Judæi futuros Christi labores, angustias, ignominias, violentam denique mortem, fœdumque supplicium. Verùm cum et supremos ipsi paratos honores, maximam potentiam, regnumque adeò ex Prophetarum vaticiniis perspectum haberent, huic discrepantiæ oraculorum, quibus duo portenduntur Christi adventus, humilis alter et inglorius, splendidus alter et magnificus, optimè occurrere se posse sperârunt, si duos Messias futuros comminiscerentur; alterum Josepho illo prisco, Jacobi et Rachelis filio oriturum, qui Nehemias Uzielis filius dicendus esset; infelicem hunc et ærumnis devotum ac cruentæ morti in prælio obeundæ adversus impium et monstrosum Armillum; alterum ex Davidis prosapiâ proditurum, Israelitici regni vindicem, summam gesturum gloriam, dispersos Israelitarum congregaturum, per quem Messias Josephi filius ad vitam sit revocandus, postquàm Armillum Deus et universum Armilli exercitum igne et sulphure de cœlo emissis deleverit. Traditur doctrina hæc in libro sexto partis secundæ Thalmudis, qui est de festo Tabernaculorum, capite quinto; traditur et in Beresith Rabba, et apud R. Davidem Kimchi, Aben Ezram, R. Makiram in pulvere aromatico, aliosque Rabbinos complures è recentioribus. In quo mirabile est quantus ipsis error illuserit. Prædicitur unicus Messias, duplex adventus; duplicem illi Messiam, unicum adventum exspectant. Cujus commenti si quis rationem ab iis postulet, vel nullam dabunt, vel ineptam. Proferunt verba hæc Isaiæ : c. 32, v. 20 : *Beati qui seminatis super omnes aquas, immittentes pedem bovis et asini.* Sationem illam interpretantur stipem in egenos collatam, quam qui erogaverit, dignum illum fore aiunt Elia, et utroque Messia : ac Eliam quidem notari dictione, *immittentes*, idcirco quòd apud Malachiam scriptum est cap. 4, v. 5 : *Ecce ego mitto Eliam prophetam.* Pedem bovis exponunt Messiam Josepho oriturum, quod de Josepho dixerit Moses morti proximus : *Quasi primogeniti tauri pulchritudo ejus.* (Deut. c. 33, v. 7.) Asinum verò interpretantur Messiam, Davidis filium, quæ prædixit Zacharias futurum pauperem, et asinâ victum iri. (Zach. cap. 9, v. 9.) Piget has nugas referre, quæ exstant tamen in Beresith Rabba; sed utile est sectæ hujus perspectam habere vecordiam. Puduisset verò recentiores resipiscere. Itaque patrum suorum auctoritatem sequuntur. At eorum errorem vel hoc ipsum ex Beresith Rabba testimonium coarguit, ubi Messiam Davidis filium, pauperem futurum ex Zachariæ vaticinio agnoscunt. Igitur nescire se fatetur Aben Ezra, utrum Messiam illic indicet Zacharias : cùm Saadias Gaon eumdem indicari velit, cui Daniel septimo capite, v. 14, potentiam, opes et regnum æternum spondet. Altera verò Mosis περιοχὴ, quâ Josephus primogenito tauro comparatur, quamque in Messiam, Josephi filium, conferunt, adscribitur Messiæ Davidis filio in Misdrach Thehillim. Aiunt Judæi hæc de Messiâ Davidis filio prædixisse Jacobum, Gen. cap. 49, v. 10 : *Donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium*, et ista Psalten 71, v. 17 : *Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ ; omnes gentes magnificabunt eum.* At in libro Thalmudico Sanhedrin eadem testimonia referuntur ad eum Messiam, de quo dixit Isaias c. 53, v. 4 : *Verè languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.* R. Selomoh Jarchi, in Expositionibus suis ad Gemaram Sanhedrin, et R. Moses Alschech, ad Davidicum Messiam pertinere aiunt quinquagesimum tertium Isaiæ caput, quo Messiæ narrantur dolores, ignominiæ et interitus. Quam opinionem aliquot locis retinet R. Isaac Abrabaniel. Messiam hic quidem Davidicum iis significari docet, quæ habentur apud Isaiam, capite undecimo, v. 3, 4 : *Non secundùm visionem oculorum judicabit, neque secundùm auditum aurium arguet, sed judicabit*

in justitiâ pauperes. At liber idem Sanhedrin pœnis à Deo affectum iri docet Messiam ab Isaiâ illic prædictum. Messias Ruthe prognatus, is ipse est qui Davidis nepos fuit; tamen in Ruth Rabbathi legitur, regnum Messiæ huic et calamitates portendi his verbis, quæ sunt in capite libri Ruth : *Veni hùc, et comede panem, et intinge buccellam tuam in aceto.* » Itaque Rabbini quidam, nec infimi nominis, Messiam unicum, sed bis venturum esse consentiunt.

CAPUT LXXXV.

Jesu discipuli contempti, vexati et contumeliis affecti.

Psalm. 43, v. 8 *et seq.* : « Salvâsti enim nos de affligentibus nos, et odientes nos confudisti... Nunc autem repulisti et confudisti nos... avertisti nos retrorsùm post inimicos nostros : et qui oderunt nos, diripiebant sibi. Dedisti nos tanquàm oves escarum, et in gentibus dispersisti nos. Vendidisti populum tuum sine pretio. Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem et derisum his qui sunt in circuitu nostro. Posuisti nos in similitudinem gentibus, commotionem capitis in populis. Totâ die verecundia mea contrà me est, et confusio faciei meæ cooperuit me, à voce exprobrantis et obloquentis, à facie inimici et persequentis. Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te, et iniquè non egimus in testamento tuo, et non recessit retrò cor nostrum; et declinâsti semitas nostras à viâ tuâ. Quoniam humiliâsti nos in loco afflictionis, et cooperuit nos umbra mortis... Quoniam propter te mortificamur totâ die, æstimati sumus sicut oves occisionis... Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra, conglutinatus est in terrâ venter noster. »

Psalm. 65, v. 10 *et seq.* : « Quoniam probâsti nos, Deus, igne nos examinâsti, sicut examinatur argentum; induxisti nos in laqueum posuisti tribulationes in dorso nostro; imposuisti homines super capita nostra; transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium. »

Psalm. 78, v. 4 : « Facti sumus opprobrium vicinis nostris, subsannatio et illusio his qui in circuitu nostro sunt. »

Psalm. 122, v. 3 : Miserere nostri, Domine, miserere nostri; quia multùm repleti sumus despectione; quia multùm repleta est anima nostra, opprobrium abundantibus, et despectio superbis. »

Sap. c. 5, v. 3 *et seq.* : « Hi sunt quos habuimus aliquandò in derisum, et in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabimus insaniam, et finem illorum sine honore; ecce quomodò computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est. »

Isa. c. 60, v. 14 *et seq.* : Et venient ad te curvi filii eorum qui humiliaverunt te, et adorabunt vestigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi, et vocabunt te civitatem Domini, Sion sancti Israel. Pro eo quòd fuisti derelicta, et odio habita, et non erat qui per te transiret, ponam te in superbiam sæculorum. »

Thren. c. 4, v. 19, 20 : « Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cœli; super montes persecuti sunt nos; in deserto insidiati sunt nobis. Spiritus oris nostri Christus captus est in peccatis nostris. »

Matth. c. 5, v. 10 *et seq.* : « Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati estis cùm maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversùm vos mentientes, propter me; gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis; sic enim persecuti sunt Prophetas qui fuerunt antè vos... Ego autem dico vobis : Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est. » Et Luc. c. 6, v. 22.

Matth. c. 10, v. 21 *et seq.* : Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium; et insurgent filii in parentes, et morte eos afficient, et eritis odio omnibus propter nomen meum. » Et Marc. c. 13, v. 12, 13. Luc. c. 21, v. 12, 16, 17.

Matth. c. 23, v. 34 : « Ideò ecce ego mitto ad vos Prophetas, et sapientes, et Scribas, et ex illis occidetis, et crucifigetis, et ex eis flagellabitis in Synagogis vestris, et persequemini de civitate in civitatem. » Et Matth. c. 10, v. 16. Luc. c. 10, v. 2, et c. 11, v. 49.

Matth. c. 24, v. 9 : « Tunc tradent vos in tribulationem, et occident vos; et eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. »

Joan. c. 15, v. 17 *et seq.* : « Hæc mando vobis, ut diligatis invicem. Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret; quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis : Non est servus major domino

suo, si me persecuti sunt, et vos persequentur. »

Joan. c. 16, v. 2 : « Absque Synagogis facient vos ; sed venit hora ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. »

Joan. c. 17, v. 14 : « Ego dixi eis sermonem tuum, et mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut et ego non sum de mundo. »

Act. 14, v. 21 : « Et quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. »

Rom. c. 5, v. 3 : « Gloriamur in tribulationibus, scientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem. »

1 *Cor.* c. 1, v. 28 : « Ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret. »

1 *Cor.* c. 4, v. 12, 13 : « Maledicimur, et benedicimus; persecutionem patimur, et sustinemus; blasphemamur, et obsecramus; tanquàm purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc. »

2 *Cor.* c. 1, v. 5 *et seq.* : « Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis, ità et per Christum abundat consolatio nostra. Sive autem tribulamur, pro vestrâ exhortatione et salute; sive consolamur, pro vestrâ consolatione; sive exhortamur, pro vestrâ exhortatione et salute, quæ operatur tolerantiam earumdem passionum quas patimur; ut spes nostra firma sit pro vobis, scientes quòd sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis. Non enim volumus ignorare vos, fratres, de tribulatione nostrâ, quæ facta est in Asiâ, quoniam suprà modum gravati sumus suprà virtutem, ità ut tæderet nos etiam vivere. »

2 *Cor.* c. 2, v. 4 : « Nam ex multâ tribulatione et angustiâ cordis scripsi vobis per multas lacrymas. »

2 *Cor.* c. 4, v. 8 *et seq.* : « In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur; aporiamur, sed non destituimur; persecutionem patimur, sed non derelinquimur; dejicimur, sed non perimus; semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris. Semper enim nos qui vivimus, in mortem tradimur propter Jesum, ut et vita Jesu manifestetur in carne nostrâ mortali. »

2 *Cor.* c. 6, v. 4 *et seq.* : « Sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros, in multâ patientiâ, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis. »

2 *Cor.* c. 7, v. 4, 5 : « Superabundo gaudio in omni tribulatione nostrâ; nam et cùm venissemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus; foris pugnæ, intus timores. »

2 *Cor.* c. 12, v. v. 10 : « Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo. »

1 *Thess.* c. 2, v. 2 *et seq.* : « Sed ante passi, et contumeliis affecti (sicut scitis) in Philippis fiduciam habuimus in Deo nostro, loqui ad vos Evangelium Dei in multâ sollicitudine.... Vos enim imitatores facti estis, fratres, Ecclesiarum Dei, quæ sunt in Judæâ, in Christo Jesu quia passi estis et vos à contribulibus vestris, sicut et ipsi à Judæis, qui et Dominum occiderunt Jesum, et Prophetas, et nos persecuti sunt. »

1 *Thess.* c. 4, v. 4, 7 : Nam et cùm apud vos essemus, prædicebamus vobis passuros nos tribulationes; sicut et factum est, et scitis... ideò consolati sumus, fratres, in vobis, in omni necessitate, et tribulatione nostrâ »

3 *Thess.* c. 1, v. 4 *et seq.* : « Ità ut et nos ipsi in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei, pro patientiâ vestrâ, et fide, et in omnibus persecutionibus vestris; et tribulationibus quas sustinetis, in exemplum justi judicii Dei, pro quo et patimini : si tamen justum est apud Deum, retribuere tribulationem iis qui vos tribulant; et vobis qui tribulamini, requiem nobiscum in revelatione Domini Jesu. »

2 *Tim.* c. 3, v. 10 *et seq.* : Tu autem assecutus es meam doctrinam, institutionem, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam, persecutiones, passiones, qualia mihi facta sunt Antiochiæ, Iconii, et Lystris; quales persecutiones sustinui, et ex omnibus eripuit me Dominus. Et omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur. »

Hebr. c. 10, v. 32 *et seq.* : « Rememoramini autem pristinos dies, in quibus illuminati magnum certamen sustinuistis passionum; in altero quidem opprobriis et tribulationibus, spectaculum facti : in altero autem, socii taliter conversantium effecti. Nam et vinctis compassi estis, et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis. »

1 *Joan.* c. 3, v. 13 : « Nolite mirari, si odit vos mundus. »

Apoc. c. 7, v. 14 *et seq.* : « Hi sunt qui venerunt de tribulatione magnâ, et laverunt

stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni : .... non esurient, neque sitient ampliùs, nec cadet super illos sol, neque ullus æstus : quoniam Agnus qui in medio throni est, reget illos, et deducet eos ad vitæ fontes aquarum, et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.

CAPUT LXXXVI.

Jesus ignotus.

Psalm. 141, v. 5 : « Considerabam ad dexteram, et videbam; et non erat qui cognosceret me. »

Isa. c. 1, v. 3 : « Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe Domini sui; Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit. »

Isa. c. 45, v. 4, 5 : « Vocavi te nomine tuo, assimilavi te, et non cognovisti me. Ego Dominus, et non est ampliùs, extrà me non est Deus; accinxi te, et non cognovisti me. »

Isa. c. 45, v. 15 : « Verè tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator. »

Isa. c. 53, v. 3 : « Quasi absconditus vultus ejus et despectus, undè nec reputavimus eum. »

Jerem. c. 4, v. 22 : « Quia stultus populus meus me non cognovit. »

Jerem. c. 9, v. 3 : « De malo ad malum egressi sunt, et me non cognoverunt, dicit Dominus. »

Jerem. c. 10, v. 25 : « Effunde indignationem tuam super gentes, quæ non cognoverunt te. »

Ose. c. 5, v. 4 : « Non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad Deum suum, quia spiritus fornicationum in medio eorum, et Dominum non cognoverunt. »

Matth. c. 11, v. 25 : In illo tempore respondens Jesus dixit : Confiteor tibi, Pater, Domine cœli ac terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus et prudentibus, et revelâsti ea parvulis. »

Matth. c. 17, v. 12 : « Dico autem vobis, quia Elias jam venit, et non cognoverunt eum, sed fecerunt in eo quæcumque voluerunt : sic et Filius hominis passurus est ab eis. »

Matth. c. 26, v. 69 *et seq.* : « Petrus verò sedebat foris in atrio, et accessit ad eum una ancilla dicens : Et tu cum Jesu Galilæo eras. At ille negavit coràm omnibus, dicens : Nescio quid dicis. Exeunte autem illo januam, vidit eum alia ancilla, et ait his qui erant ibi : Et hic erat cum Jesu Nazareno; et iterùm negavit cum juramento, quia non novi hominem. Et post pusillum accesserunt qui stabant, et dixerunt Petro : Verè et tu ex illis es, nam et loquela tua manifestum te facit; tunc cœpit detestari, et jurare quia non novisset hominem. » Et Marc. c. 14, v. 66 et seq. Luc. c. 22, v. 55. et seq. Joan. c. 18, v. 17, 25.

Luc. c. 23, v. 34 : « Jesus autem dicebat : Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. »

Joan. c. 1, v. 10, 11 : « In mundo erat, et mundus eum non cognovit; in propria venit, et sui eum non receperunt. »

Joan. c. 9, v. 29 : « Nos scimus quia Moysi locutus est Deus; hunc autem nescimus undè sit. »

Joan. c. 16, v. 2, 3 : « Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo; et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me. »

Act. c. 3, v. 17 : « Et nunc, fratres, scio quia per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri. »

Act. 23, v. 27 : « Qui enim habitabant Jerusalem, et principes ejus hunc ignorantes, et voces prophetarum, quæ per omne Sabbatum leguntur, judicantes impleverunt, et nullam causam mortis invenientes in eo, petierunt à Pilato ut interficerent eum. »

Act. c. 17, v. 22 *et seq.* : « Stans autem Paulus medio areopagi, ait : Viri Athenienses, per omnia quasi superstitiosiores vos video; præteriens enim et videns simulacra vestra, inveni et aram, in quâ scriptum erat, *ignoto Deo.* Quod ergò ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis. »

1 *Cor.* c. 1, v. 21 : « Nam quia in Dei sapientiâ non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. »

1 *Cor.* c. 2, v. 7, 8 : « Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus antè secula in gloriam nostram, quam nemo principum hujus seculi cognovit : si enim cognovissent, nunquàm Dominum gloriæ crucifixissent. »

2 *Cor.* c. 3, v. 13 *et seq.* : « Non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam, ut non intenderent filii Israel in faciem ejus quod evacuatur, sed obtusi sunt sensus eorum : usque in hodiernum enim diem idipsum velamen in lectione Veteris Testamenti manet non revelatum (quoniam in Christo evacuatur), sed usque in hodiernum diem, cùm legitur Moyses : Velamen positum est super cor eorum; cùm autem conversus fuerit ad Dominum, auferetur velamen. »

CAPUT LXXXVII.

Jesus pauper.

Psalm. 39, v. 18 : « Ego autem mendicus sum et pauper. » Et Psalm. 69, v. 5.

Psalm. 68, v. 30 : Ego sum pauper et dolens. »

Psalm. 87, v. 16 : « Pauper sum ego, et in laboribus à juventute meâ. »

Psalm. 108, v. 23 : « Libera me, quia egenus et pauper ego sum. »

Zach. c. 9, v. 9 : « Exsulta satis, filia Sion; jubila, filia Jerusalem; ecce rex tuus veniet tibi justus et Salvator : ipse pauper et ascendens super asinam, et super pullum filium asinæ. »

Matth. c. 8, v. 20 : « Et dicit ei Jesus : Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. » Et Luc. c. 9, 57, 58.

Marc. c. 6, v. 2, 3 : « Et multi audientes admirabantur in doctrinâ ejus dicentes : Nonne hic est faber, filius Mariæ? »

2 *Cor.* c. 8, v. 9 : « Scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cùm esset dives, ut illius inopiâ vos divites essetis. »

CAPUT LXXXVIII.

Jesu discipuli pauperes et humiles.

Reg. c. 2, v. 8 : « Suscitat de pulvere egenum, et de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat. » Et Job c. 5, v. 11, et c. 12, v. 18 et seq.

Psalm. 11, v. 6 : « Propter miseriam inopum et gemitum pauperum nunc exsurgam, dicit Dominus; ponam in salutari, fiducialiter agam in eo. »

Psalm. 17, v. 28 : « Quoniam tu populum humilem salvum facies, et oculos superborum humiliabis. »

Psalm. 33, v. 19 : « Juxtà est Dominus iis qui tribulato sunt corde, et humiles spiritu salvabit. »

Psalm. 43, v. 24 : « Quarè faciem tuam avertis, oblivisceris inopiæ nostræ, et tribulationis nostræ? »

Psalm. 67, v. 11 *et seq.* : « Parâsti in dulcedine tuâ pauperi, Deus. Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multâ. Rex virtutum dilecti dilecti; et speciei domûs dividere spolia. »

Psalm. 68, v. 33, 34 : « Videant pauperes, et lætentur; quærite Deum, et vivet anima vestra; quoniam exaudivit pauperes Dominus, et vinctos suos non despexit.

Psalm. 71, v. 4, 12, 13 : « Judicabit pauperes populi, et salvos faciet filios pauperum.... quia liberabit pauperem à potente, et pauperem cui non erat adjutor; parcet pauperi et inopi, et animas pauperum salvas faciet. »

Psalm. 101, v. 17, 18 : « Quia ædificavit Dominus Sion, et videbitur in gloriâ suâ; respexit in orationem humilium, et non sprevit precem eorum. »

Psalm. 106, v. 40, 41 : « Effusa est contemptio super principes, et errare fecit eos in invio, et non in viâ; et adjuvit pauperem de inopiâ, et posuit sicut oves familias. »

Psalm. 112, v. 5 et seq. : « Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, et humilia respicit in cœlo et in terrâ? suscitans à terrâ inopem, et de stercore erigens pauperem, ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui. »

Eccli. c. 10, v. 18, 21 : « Radices gentium superbarum arefecit Deus, et plantavit humiles ex ipsis gentibus.... Memoriam superborum perdidit Deus, et reliquit memoriam humilium sensu. » Et Eccli. c. 20, v. 11.

Isa. c. 28, v. 18, 19 : « Et audient in die illâ surdi verba libri, et de tenebris et caligine oculi cœcorum videbunt; et addent mites in Domino lætitiam, et pauperes homines in sancto Israel exsultabunt. »

Isa. c. 41, v. 17, 18 : « Egeni et pauperes quærunt aquas, et non sunt; lingua eorum siti aruit : ego Dominus exaudiam eos; Deus Israel non derelinquam eos. »

Isa. c. 49, v. 13 : Laudate, cœli; et exsulta, terra; jubilate montes laudem; quia consolatus est Dominus populum suum, et pauperum suorum miserebitur. »

Isa. c. 61, v. 10 : « Spiritus Domini super me, eo quòd unxerit Dominus me, ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et prædicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem. »

Soph. c. 3, v. 12 : « Et derelinquam in medio tui populum pauperem et egenum, et sperabunt in nomine Domini. »

Soph. c. 3, v. 19 : « Salvabo claudicantem, et eam quæ ejecta fuerat congregabo, et ponam eos in laudem, et in nomen, in omni terrâ confessionis eorum. »

Matth. c. 6, v. 19 : « Nolite thesaurizare vobis thesauros in terrâ. »

Matth. c. 10, v. 9, 10 : « Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in

zonis vestris, non peram in vitâ, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam; dignus est enim operarius cibo suo. » Et Marc. c. 6, v. 8. Luc. c. 9, v. 3; et c. 10. v. 4; et c. 22, v. 35.

Matth. c. 11, v. 5 : « Cœci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur. »

Matth. c. 18, v. 3, 4 : « Et dixit : Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Quicumque ergò humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorum. »

Matth. c. 19, v. 21 : « Ait illi Jesus : Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus; et habebis thesaurum in cœlo; et veni, sequere me. » Et Marc. c. 10, v. 21. Luc. c. 12, v. 33; et c. 18, v. 22.

Matth. c. 20, v. 26 *et seq.* : « Quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister: et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus; sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. » Et Matth. c. 23, v. 10 et seq. Luc. c. 14, v. 11; et c. 18, v. 14. Jac. c. 4, v. 6; et 1 Petr. c. 5, v. 5.

Luc. c. 1, v. 48 *et seq.* : « Quia respexit humilitatem ancillæ suæ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes... Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles; esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes. »

Luc. c. 4, v. 17 *et seq.* : « Et traditus est illi liber Isaiæ Prophetæ. Et ut revolvit librum, invenit locum ubi scriptum erat : *Spiritus Domini super me, propter quòd unxit me, evangelizare pauperibus misit me....* Cœpit autem dicere ad illos : Quia hodiè impleta est hæc Scriptura in auribus vestris. »

Luc. c. 6, v. 20 *et seq.* : Et ipse elevatis oculis in discipulos suos dicebat : Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei. »

Joan. c. 7, v. 47 *et seq.* : Responderunt ergò eis Pharisæi : Numquid et vos seducti estis? numquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis? sed turba hæc, quæ non novit legem, maledicti sunt. »

1 *Cor.* c. 1, v. 26 *et seq.* : Videte enim vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes non multi nobiles; sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat fortia; et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus. »

1 *Cor.* c. 4, v. 10 *et seq.* : « Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo; nos infirmi, vos autem fortes; vos nobiles, nos autem ignobiles. Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædimur, et instabiles sumus, et laboramus operantes manibus nostris. »

2 *Cor.* c. 6, v. 4 *et seq.* : « Sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros, in multâ patientiâ, in tribulationibns; per gloriam, et ignobilitatem; per infamiam, et bonam famam..... sicut egentes, multos autem locupletantes; tanquàm nihil habentes, et omnia possidentes. »

Jac. c. 2, v. 5 : Audite, fratres mei dilectissimi : nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se? »

CAPUT LXXXIX.

Jesus servus.

Isa. c. 42, v. 1 : « Ecce servus meus, suscipiam eum; electus meus, complacuit sibi in illo anima mea. »

Isa. c. 43, v. 10 : « Vos testes mei, dicit Dominus, et servus meus quem elegi. »

Isa. c. 43, v. 24 : « Verumtamen servire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. »

Isa. c. 49, v. 5, 6 : « Et nunc dicit Dominus : formans me ex utero servum sibi, ut reducam Jacob ad eum, et Israel non congregabitur, et glorificatus sum in oculis Domini, et Deus meus factus est fortitudo mea. Et dixit : Parùm est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, et fæces Israel convertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.

Isa. c. 50, v. 10 : « Quis ex vobis timens Dominum, audiens vocem servi sui? »

Isa. c. 52, v. 13 : « Ecce intelliget servus meus, exaltabitur, et elevabitur, et sublimis erit valdè. »

Isa. c. 53, v. 11 : « In scientiâ suâ justificabit ipse justus servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit. »

Ezech. c. 34, v. 23, 24 : « Et suscitabo super eas pastorem unum qui pascat eas, servum meum David; ipse pascet eas, et ipse erit eis in pastorem. Ego autem Dominus ero eis in Deum, et servus meus David princeps in medio eorum, et ego Dominus locutus sum. » Et Ezech. c. 37, v. 24, 25.

Zach. c. 3, v. 8 : « Ecce enim ego adducam servum meum Orientem. »

Matth. c. 20, v. 27, 28 : « Qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus : sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. » Et Marc. c. 10, v. 45.

Luc. c. 22, v. 27 : « Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. »

Joan. c. 13, v. 12 et seq. : Postquàm ergò lavit pedes eorum, et accepit vestimenta sua, cùm recubuisset iterùm, dixit eis : Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me Magister; et benè dicitis, sum etenim. Si ergò lavi pedes vestros Dominus et Magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodùm ego feci, ita et vos faciatis. »

Phil. c. 2, v. 5 *et seq.* : « Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, qui cùm in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens.

CAPUT XC.

Jesu labores et angustiæ.

Psalm. 39, v. 3 : « Exspectans exspectavi Dominum, et intendit mihi : et exaudivit preces meas, et eduxit me de lacu miseriæ, et de luto fæcis. »

Isa. c. 53, v. 8, 11 : « De angustiâ et de judicio sublatus est... Pro eo quòd laboravit anima ejus, videbit et saturabitur. »

Luc. c. 19, v. 41 : « Et ut appropinquavit, videns civitatem flevit super illam. »

Joan c. 4, v. 6 : Jesus ergò fatigatus ex itinere, sedebat sic suprà fontem. »

Hebr. c. 5, v. 7 : « Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum qui possit illum salvum facere à morte, cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro suâ reverentiâ. »

CAPUT. XCI.

Jesus mansuetus et misericors.

Isa. c. 42, v. 1 *et seq.* : « Ecce servus meus, suscipiam eum; electus meus, complacuit sibi in illo anima mea; dedi spiritum meum super eum, judicium gentibus proferet. Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox ejus foris : calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non exstinguet, in veritate educet judicium; non erit tristis, neque turbulentus, donec ponat in terrâ judicium. »

Isa. c. 50, v. 5 : « Dominus Deus aperuit mihi aurem; ego autem non contradico, retrorsùm non abii. »

Isa. c. 53, v. 7 *et seq.* : « Oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum : sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum... Et dabit impios pro sepulturâ, et divitem pro morte suâ, eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus... et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit. »

Jerem. c. 11, v. 9 : « Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam. »

Matth. c. 9, v. 13 : « Euntes autem discite quid est : Misericordiam volo et non sacrificium. » Et Matth. c. 12, v. 7.

Matth. c. 9, v. 36 : « Videns autem turbas, misertus est eis. » Et Marc. c. 6, v. 34.

Matth. c. 11, v. 29, 30 : « Tollite jugum meum super vos, et discite à me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris; jugum enim meum suave est, et onus meum leve. »

Matth. c. 12, v. 15 *et seq.* : « Jesus autem sciens recessit indè, et secuti sunt eum multi, et curavit eos omnes; et præcepit eis ne manifestum eum facerent. Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam dicentem : *Ecce puer meus quem elegi; dilectus meus, in quo benè complacuit animæ meæ. Ponam spiritum meum super eum, et judicium gentibus nuntiabit. Non contendet, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus; arundinem quassatam non confringet, et linum fumigans non exstinguet, donec ejiciat ad victoriam judicium; et in nomine ejus gentes sperabunt.* »

Matth. c. 14, v. 14 : « Et exiens vidit turbam multam, et misertus est eis. »

Matth. c. 15, v. 32 : « Jesus autem convocatis discipulis suis, dixit : Misereor turbæ. » Et Marc. c. 8, v. 1, 2.

Matth. c. 20, v. 34 : « Misertus autem eorum Jesus, tetigit oculos eorum. »

Matth. c. 26, v. 62, 63 : « Et surgens princeps Sacerdotum ait illi : Nihil respondes ad ea quæ isti adversùm te testificantur? Jesus autem tacebat. » Et Matth. c. 27, v. 12 *et seq.*

Marc. c. 1, v. 41 : « Jesus autem misertus ejus, extendit manum suam. »

Luc. c. 7, v. 13 : « Quam cùm vidisset Dominus, misericordiâ motus super eam, dixit illi : Noli flere. »

2 *Cor.* c. 10, v. 1 : « Ipse autem ego Paulus obsecro vos per mansuetudinem et modestiam Christi. »

Hebr. c. 2, v. 17 : « Undè debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, et fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi. »

2 *Petr.* c. 2, v. 23 : « Qui cùm malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur; tradedat autem judicanti se injustè. »

CAPUT XCII.

Jesus obediens.

Psalm. 39, v. 9 : « In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam : Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei. »

Isa. c. 50, v. 5 : « Dominus Deus aperuit mihi aurem; ego autem non contradico. »

Luc. c. 2, v. 51 : « Et descendit cum eis, et venit Nazareth, et erat subditus illis. »

Phil. c. 2, v. 8 : « Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. »

CAPUT XCIII.

Jesus agnus, pascha, ovis.

Exod. c. 12, v. 43 *et seq.* : « Dixitque Dominus ad Moysem et Aaron : Hæc est religio Phase... In unâ domo comedetur, nec efferetis de carnibus ejus foràs, nec os illius confringetis. » Et Num. c. 9, v. 9 et seq.

Isa. c. 16, v. 1 : Emitte agnum tuum dominatorem terræ, de petrâ deserti ad montem filiæ Sion. »

Isa. c. 53, v. 7 : « Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coràm tondente se obmutescet, et non aperiet os suum. »

Jerem. c. 11, v. 19 : « Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam. »

Joan. c. 1, 29 *et seq.* : « Alterâ die vidit Joannes Jesum venientem ad se, et ait : Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi... Alterâ die iterùm stabat Joannes, et ex discipulis ejus duo, et respiciens Jesum ambulantem dicit : Ecce Agnus Dei. »

Joan. c. 19, v. 31 *et seq.* : « Judæi ergò (quoniam Parasceve erat), ut non remanerent in cruce corpora sabbatho (erat enim magnus dies ille sabbathi), rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura, et tollerentur. Venerunt ergò milites; et primi quidem fregerunt crura et alterius qui crucifixus est cum eo. Ad Jesum autem cùm venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura... Facta sunt enim hæc, ut Scriptura impleretur : Os non comminuetis ex eo. »

Act. c. 8, v. 27 *et seq.* : « Et ecce vir Æthiops... legens Isaiam Prophetam... Locus autem Scripturæ quem legebat, erat hic... *Tanquam ovis ad occisionem ductus, et sicut agnus coràm tondente se, sine voce, sic non aperuit os suum...* Aperiens autem Philippus os suum, et incipiens à Scripturâ istâ, evangelizavit illi Jesum. »

1 *Cor.* c. 5, v. 7 : « Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. »

1 *Petr.* c. 1, v. 18, 19 : « Scientes quòd non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vanâ vestrâ conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi, et incontaminati. »

Apoc. c. 2, v. 6 *et seq.* : « Et vidi, et ecce in medio throni, et quatuor animalium, et in medio Seniorum, Agnum stantem tanquàm occisum... Et cùm aperuisset Librum, quatuor animalia, et viginti quatuor Seniores ceciderunt coràm agno. » Et sæpissimè in reliquâ Apocalypsi.

Comparationem infrà instituemus, Jesum Christum inter et Paschalem Agnum. Aliqua nunc afferenda sunt agni naturam generatim sumptam spectantia, quibus Jesu similis est. Velut patientia et mansuetudo, quæ in Christo quantæ fuerint docet hic Parallelismus. Agninâ carne vescimur, alimur, et vitam toleramus; suam carnem edere jubet nos Christus apud Joannem, cap. 6, v. 54; qui secùs faxit, vitam non habiturum pronuntiat; carnem quippè verè cibum esse. Agninâ lanâ induimur; induimus et Christum, quicumque in Christo baptismum suscepimus, ut decernit Paulus in Epistolâ ad Galatas, cap. 3, v. 27, qui et Romanos ad induendum Jesum Christum hortatur (Rom. c. 13, v. 14). Sacrificium juge, quo ex Mosis præscripto horni Agni duo quotidiè mactabantur, alter matutinis horis, alter vespertinis, imago fuit, non cruenti solùm sacrificii, quo postquàm Christus *unam pro peccatis obtulit hostiam in sempiternum sedet in dexterâ Dei*, quâ cruentâ *unâ oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos,* sed jugis hujus etiam et incruenti sacrificii, quo ad placandum propitiandumque Deum, Christum quotidiè sacerdotes ad altaria offerunt.

CAPUT XCIV.

Jesus leo.

Gen. c. 49, v. 9 : « Catulus leonis Juda; ad

prædam, fili mi, ascendisti; requiescens accubuisti ut leo, et quasi leæna; quis suscitabit eum?»

Apoc. c. 5, v. 5: «Et unus de senioribus dixit mihi: Ne fleveris, ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperire librum, et solvere septem signacula ejus.»

CAPUT XCV.

Jesus princeps.

Isa. c. 9, v. 6: «Parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus, et vocabitur nomen ejus Admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri seculi, princeps pacis.»

Jerem. c. 30, v. 21: «Et erit dux ejus ex eo, et princeps de medio ejus producetur, et applicabo eum, et accedet ad me.»

Ezech. c. 34, v. 23, 24: «Et suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David, ipse pascet eas, et ipse erit eis in pastorem. Ego autem Dominus ero eis in Deum, et servus meus David in medio eorum. Ego Dominus locutus sum.»

Act. c. 5, v. 30, 31: «Deus patrum nostrorum suscitavit Jesum, quem vos interemistis, suspendentes in ligno. Hunc principem et Salvatorem Deus exaltavit dexterâ suâ.»

Col. c. 1, v. 17 *et seq.*: «Et ipse est antè omnes et omnia in ipso constant. Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens.»

Col. c. 2, v. 11: «Et estis in illo repleti, qui est caput omnis principatûs et potestatis.»

Apoc. c. 1, v. 4, 5: «Gratia vobis et pax à Jesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, et princeps regum terræ.»

CAPUT XCVI.

Jesus Dominus et Rex æternus.

Gen. c. 49, v. 10: «Non auferetur sceptrum de Judâ, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium.»

1 Reg. c. 2, v. 10: «Dominus judicabit fines terræ, et dabit imperium Regi suo, et sublimabit cornu Christi sui.»

2 *Reg.* c. 7, v. 12, 13: «Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum ejus. Ipse ædificavit domum nomini meo, et stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum.»

Psalm. 2, v. 5 *et seq.*: «Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodiè genui te. Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virgâ ferreâ.»

Psalm. 21, v. 29: «Quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium.»

Psalm. 23, v. 7 *et seq.*: «Attollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales, et introibit rex gloriæ. Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio. Attollite portas, principes, vestras, et elevamini portæ æternales, et introibit rex gloriæ. Quis est iste rex gloriæ? Dominus virtutum, ipse est rex gloriæ.»

Psalm. 44, v. 5, 7: «Specie tuâ et pulchritudine tuâ, intende prosperè, procede et regna... Sedes tua, Deus, in seculum seculi; virga directionis, virgo regni tui.»

Psalm. 46, v. 1 *et seq.*: «Omnes gentes, plaudite manibus; Jubilate Deo in voce exultationis; quoniam Dominus excelsus, terribilis, rex magnus super omnem terram... Psallite Deo nostro, psallite: psallite regi nostro, psallite; quoniam rex omnis terræ Deus, psallite sapienter: regnabit Deus super gentes.

Psalm. 71, v. 1 *et seq.*: «Deus judicium tuum regi da, et judicium tuum filio regis... et dominabitur à mari usque ad mare, et à flumine usque ad terminos orbis terrarum. Coràm illo procident Æthiopes, et inimici ejus terram lingent. Reges Tharsis et insulæ munera offerent; reges Arabum et Saba dona adducent; et adorabunt eum omnes reges terræ; omnes gentes servient ei.»

Psalm. 73, v. 12: «Deus autem rex noster antè secula; operatus est salutem in medio terræ.»

Psalm. 88, v. 28 *et seq.*: «Et ego primogenitum ponam illum excelsum præ regibus terræ. In æternum servabo illi misericordiam meam, et testamentum meum fidele ipsi; et ponam in seculum seculi semen ejus, et thronum ejus sicut dies cœli... Semel juravi in sancto meo, si David mentiar; semen ejus æternum manebit. Et thronus ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in æternum, et testis in cœlo fidelis.»

Psalm. 109, v. 1 *et seq.*: «Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum.

Isa. c. 9, v. 6, 7 : « Parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus, et vocabitur nomen ejus, Admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri seculi, princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis; super solium David, et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, et corroboret in judicio et justitia, à modò et usque in sempiterpiternum. »

Isa. c. 11, v. 1, 4, 10 : « Et egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet... judicabit in justitiâ pauperes, et arguet in æquitate pro mansuetis terræ, et percutiet terram virgâ oris sui... In die illâ radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur. »

Isa. c. 16, v. 1 : « Emitte Agnum, Domine, dominatorem terræ. »

Isa. c. 32, v. 1 : « Ecce in justitiâ regnabit rex. »

Isa. c. 40, v. 10 : « Ecce Deus vester; ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, et brachium ejus dominabitur. »

Isa. c. 49, v. 7 *et seq.* : « Hæc dicit Dominus redemptor Israel, sanctus ejus, ad contemptibilem animam, ad abominatam gentem, ad servum dominorum; reges videbunt, et consurgent principes, et adorabunt propter Dominum, quia fidelis est, et sanctum Israel qui elegit te... Hæc dicit Dominus Deus : Ecce levabo ad gentes manum meam, et ad populos exaltabo signum meum; et afferent filios tuos in ulnis, et filias tuas super humeros portabunt. Et erunt reges nutritii tui, et reginæ nutrices tuæ; vultu in terram demisso adorabunt te; et pulverem pedum tuorum lingent. »

Isa. c. 52, v. 7 : « Quàm pulchri super montes pedes annuntiantis et prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis salutem, dicentis Sion : Regnabit Deus tuus !

Jerem. c. 23, v. 5 *et seq.* : « Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen justum, et regnabit rex, et sapiens erit, et faciet judicium et justitiam in terrâ. In diebus illis salvabitur Juda, et Israel habitabit confidenter; et hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster. » Et Jerem. c. 33, v. 15, 16.

Jerem. c. 30, v. 8, 9 : « Et erit in die illâ, ait Dominus exercituum, conteram jugum ejus de collo tuo, et vincula ejus dirumpam, et non dominabuntur ei ampliùs alieni, sed servient Domino Deo suo, et David regi suo quem suscitabo eis. »

Jerem. c. 30, v. 21 : « Et erit dux ejus ex eo; et Princeps de medio ejus producetur, et applicabo eum, et accedet ad me. »

Jerem. c. 33, v. 17 *et seq.* : « Quia hæc dicit Dominus : Non interibit de David vir, qui sedeat super thronum domûs Israel... Hæc dicit Dominus : Si irritum potest fieri pactum meum cum die, et pactum meum cum nocte, ut non sit dies et nox in tempore suo; et pactum meum irritum esse poterit cum David servo meo, ut non sit ex eo Filius, qui regnet in throno ejus. »

Ezech. c. 37, v. 22 *et seq.* : « Et faciam eos in gentem unam in terrâ in montibus Israel, et rex unus erit omnibus imperans... et servus meus David rex super eos, et pastor unus erit omnium eorum. »

Dan. c. 2, v. 44 : « In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus cœli regnum quod in æternum non dissipatur, et regnum ejus alteri populo non tradetur; comminuet autem et consumet universa regna hæc, et ipsum stabit in æternum. »

Dan. c. 9, v. 13 *et seq.* : « Aspiciebam ergò in visione noctis, et ecce cum nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat, et usque ad Antiquum dierum pervenit, et in conspectu ejus obtulerunt eum; et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum; et omnes populi, tribus, et linguæ ipsi servient; potestas ejus, potestas æterna quæ non auferetur, et regnum ejus quod non corrumpetur... Regnum autem, et potestas, et magnitudo regni, quæ est subter omne cœlum detur populo sanctorum Altissimi; cujus regnum, regnum sempiternum est, et omnes reges servient ei, et obedient. »

Ose. c. 3, v. 5 : « Et post hæc revertentur filii Israel, et quærent Dominum Deum suum, et David regem suum. »

Mich. c. 4, v. 2 *et seq.* : « Quia de Sion egredietur lex, et verbum Domini de Jerusalem... et regnabit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc nunc et usque in æternum. »

Mich. c. 5, v. 2 : « Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda; ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, et egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis. »

Zach. c. 6, v. 12, 13 : « Hæc dicit Dominus exercituum dicens : Ecce vir, Oriens nomen ejus, et subter eum orietur, et ædificabit templum Domino, et ipse portabit gloriam, et sedebit, et dominabitur super solio suo. »

Zach. c. 9, v. 9 : « Exsulta satis, filia Sion : jubila, filia Jerusalem ; ecce rex tuus veniet tibi justus et Salvator ; ipse pauper et ascendens super asinam, et super pullum filium asinæ. »

Malach. c. 3, v. 1 : « Ecce ego mitto angelum meum, et præparavit viam antè faciem meam. Et statim veniet ad templum suum Dominator quem vos quæritis, et Angelus testamenti quem vos vultis. »

Matth. c. 2, v. 1 *et seq.* : « Cùm ergò natus esset Jesus in Bethlehem Juda, in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam, dicentes : Ubi est qui natus est rex Judæorum ?... sic enim scriptum est per Prophetam : *Et tu, Bethlehem, terra Juda, nequaquàm minima es in principibus Juda : ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel.* »

Matth. c. 16, v. 17 *et seq.* : « Respondens autem Jesus dixit ei : Beatus es, Simon Bar-Jona... Et tibi dabo claves regni cælorum... Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo. »

Matth. c. 21, v. 4, 5 : « Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est per prophetam dicentem : Dicite filiæ Sion : Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, et pullum filium subjugalis. » Et Joan. c. 12, v. 15.

Matth. c. 25, v, 31 *et seq.* : « Cùm autem venerit Filius hominis in majestate suâ, et omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ... Tunc dicet rex his qui à dextris ejus erunt : Venite benedicti patris mei. »

Matth. c. 27, v. 11 *et seq.* : « Jesus autem stetit antè præsidem, et interrogavit eum præses, dicens : Tu es rex Judæorum ? Dicit illi Jesus : Tu dicis... Et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei, et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus, et arundinem in dexterâ ejus. Et genu flexo antè eum illudebant ei dicentes : Ave, rex Judæorum... Et imposuerunt super caput ejus causam ipsius scriptam : Hic est Jesus, rex Judæorum... Similiter et principes sacerdotum illudentes cum scribis, et senioribus dicebant :... Si rex Israel est, descendat nunc de cruce, et credimus ei. » Et Marc. c. 15, v. 2, 9, 12 et seq. Luc. c. 23, v. 2, 3, 37 et seq. Joan. c. 18. v. 33, 39 ; et c. 19, v. 3, 12, 14 et seq.

Matth. c. 28. v. 18 : « Et accedens Jesus locutus est eis dicens : Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terrâ. »

Luc. c. 1, v. 32, 33 : « Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum ; et regni ejus non erit finis. »

Luc. c. 19, v. 37, 38 : « Cœperunt omnes turbæ discipulorum gaudentes laudare Deum voce magnâ super omnibus, quas viderant, virtutibus, dicentes : Benedictus qui venit in nomine Domini ; pax in cœlo, et gloria in excelsis. »

Luc. c. 22, v. 29, 30 : « Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo.

Joan. c. 1, v. 49 : « Respondit ei Nathanael, et ait : Rabbi, tu es Filius Dei ; tu es rex Israel. »

Joan. c. 11, v. 13 : « Acceperunt ramos palmarum, et processerunt obviàm ei, et clamabant : Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israel. »

Joan. c. 17, v. 1, 2 : « Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut filius tuus clarificet te; sicut dedisti ei potestatem omnis carnis. »

Joan. c. 18, v. 36, 37 : « Respondit Jesus : Regnum meum non est de hoc mundo : si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis : nunc autem regnum meum non est hinc. Dixit itaque ei Pilatus : Ergo rex es tu ? Respondit Jesus : Tu dicis, quia rex sum ego. »

Act. c. 2, v. 33 *et seq.* : « Dexterâ igitur Dei exaltatus, et promissione Spiritûs sancti acceptâ à patre, effudit hunc quem vos videtis et auditis; non enim David ascendit in cœlum ; dixit autem ipse : Dixit Dominus Domino meo : *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Certissimè sciat ergò omnis domus Israel, quia et Dominum eum et Christum fecit Deus hunc Jesum quem vos crucifixisti. »

Act. c. 10, v. 36 : « Verbum misit Deus filiis Israel, annuntians pacem per Jesum Christum : hic est omnium Dominus. »

Act. c. 17, v. 7 : « Hi omnes contrà decreta Cæsaris faciunt, regem alium dicentes esse Jesum. »

Rom. c. 14, v. 9 : « In hoc enim Christus mortuus est et resurrexit, ut et mortuorum et vivorum dominetur. »

Rom. c. 15, v. 8 *et seq.* : « Dico enim Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum; gentes autem misericordia honorare Deum, sicut scriptum est... *Erit radix Jesse, et qui exsurget regere gentes, in eum gentes sperabunt.* »

Cor. c. 2, v. 8 : « Si enim cognovissent, nunquàm Dominum gloriæ crucifixissent. »

1 *Cor.* c. 15, v. 24, 25 : « Deindè, cùm tradiderit regnum Deo et Patri, cùm evacuaverit omnem principatum, et potestatem, et virtutem. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus. »

Eph. c. 1, v. 19 *et seq.* : « Secundùm operationem potentiæ virtutis ejus, quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, et constituens ad dexteram suam in cœlestibus suprà omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen quod nominatur, non solùm in hoc seculo, sed etiam in futuro, et omnia subjecit sub pedibus ejus, et ipsum dedit caput suprà omnem Ecclesiam. »

Eph. c. 5, v. 5 : Hoc enim scitote, intelligentes quòd omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi et Dei. »

Col. c. 1, v. 12, 13 : « Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine; qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii dilectionis suæ. »

2 *Tim.* c. 4, v. 1 : « Testificor coràm Deo et Jesu Christo, qui judicaturus est vivos et mortuos, per adventum ipsius et regnum ejus. »

Hebr. c. 1, v. 2 *et seq.* : « Novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit et secula; qui cùm sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis; tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit. Cui enim dixit aliquandò Angelorum : *Filius meus es tu, ego hodiè genui te?* Et rursùm : *Ego ero illi in Patrem, et ipse erit mihi in Filium?* Et cùm iterùm introducit primogenitum in orbem terræ : dicit : *Et adorent eum omnes Angeli ejus.* Et ad Angelos quidem dicit : *Qui facit Angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis;* ad Filium autem : *Thronus tuus, Deus, in seculum seculi; virga æquitatis, virga regni tui : dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem; proptereà unxit te, Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis.* »

Hebr. c. 2, v. 9 : « Eum autem, qui modico quàm Angeli minoratus est, videmus Jesum, propter passionem mortis, gloriâ et honore coronatum. »

Hebr. c. 7, v. 1 *et seq.* : « Hic enim Melchisedec, rex Salem, sacerdos Dei summi, qui obviavit Abrahæ regresso à cæde regum, et benedixit ei; cui et decimas omnium divisit Abraham; primùm quidem qui interpretatur, rex justitiæ, deindè autem et rex Salem, quod est rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealogiâ, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, assimilatus autem Filio Dei, manet sacerdos in perpetuum. »

1 *Petr.* c. 4, v. 11 : « Ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum, cui est gloria, et imperium in secula seculorum. » Et 1 Petr. c. 5, v. 11.

2 *Petr.* c. 1, v. 11 : « Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi. »

Jud. c. 4 : « Subintroierunt enim quidam homines (qui olìm præscripti sunt in hoc judicium) impii, Dei nostri gratiam tranferentes in luxuriam, et solum Dominatorem et Dominum nostrum Jesum Christum negantes. »

Apoc. c. 3, v. 21 : « Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus. »

Apoc. c. 11, v. 15 : « Et septimus Angelus tubâ cecinit, et factæ sunt voces magnæ in cœlo dicentes : Factum est regnum hujus mundi Domini nostri, et Christi ejus, et regnabit in secula seculorum, amen. »

Apoc. c. 12, v. 5, 10 : « Et peperit filium masculum, qui recturus erat omnes gentes in virgâ ferreâ, et raptus est filius ejus ad Deum, et ad thronum ejus... Et audivi vocem magnam in cœlo dicentem : Nunc facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et potestas Christi ejus. »

Apoc. c. 17, v. 14 : « Hi cum Agno pugnabunt, et Agnus vincet illos, quoniam Dominus dominorum est, et Rex regum. »

Apoc. c. 19, v. 11, 12, 15 : « Et vidit cœlum apertum, et ecce equus albus, et qui sedebat super eum, vocabatur Fidelis et Verax, et cum justitia judicat et pugnat; oculi autem ejus sicut flamma ignis, et in capite ejus dia-

demata multa... et de ore ejus procedit gladius ex utrâque parte acutus, ut in ipso percutiat gentes; et ipse reget eas in virgâ ferreâ. »

CAPUT XCVII.

Jesu discipuli reges.

Psalm. 44, v. 17 : « Pro patribus tuis nati sunt tibi filii ; constitues eos principes super omnem terram. »

Sap. c. 3, v. 7, 8 : « Fulgebunt justi, et tanquàm scintillæ in arundineto discurrent; judicabunt nationes, et dominabantur populis. »

Sap. c. 5, v. 16, 17 : « Justi autem in perpetuum vivent; et apud Dominum est merces eorum, et cogitatio illorum apud Altissimum. Ideò accipient regnum decoris, et diadema speciei de manu Domini. »

Sap. c. 6, v. 21 : « Concupiscentia itaque sapientiæ deducit ad regnum perpetuum. »

Dan. c. 7, v. 18 *et seq.* : « Suscipient autem regnum sancti Dei Altissimi, et obtinebunt regnum usque in seculum, et seculum seculorum..... Aspiciebam, et ecce cornu illud faciebat bellum adversùs sanctos, et prævalebat eis, donec venit Antiquus dierum, et judicium dedit sanctis Excelsi, et tempus advenit, et regnum obtinuerunt sancti.... Regnum autem, et potestas, et magnitudo regni, quæ est subter omne cœlum, detur populo sanctorum Altissimi. »

Luc. c. 12, v. 32 : « Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. »

Luc. c. 22, v. 29, 30 : « Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo, et sedeatis super thronos judicantes duodecim tribus Israel. »

Rom. c. 5, v. 17 : « Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multò magis abundantiam gratiæ, et donationis, et justitiæ accipientes in vitâ regnabunt per unum Jesum Christum. »

1 *Cor.* c. 4, v. 8 : « Jam saturati estis, jam divites facti estis, sine nobis regnatis ; et utinam regnetis, ut et nos vobiscum regnemus. »

1 *Cor.* c. 9, v. 25 : « Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet ; et illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. »

Hebr. c. 12, v. 28 : « Itaque regnum immobile suscipientes, habemus gratiam per quam serviamus, placentes Deo cum metu et reverentiâ. »

Jac. c. 2, v. 5 : « Audite, fratres mei dilectissimi, nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se? »

1 *Petr.* c. 2, v. 9 : « Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta. »

Apoc. c. 1, v. 6, 9 : « Fecit nos regnum et sacerdotes Deo et Patri suo. »

Apoc. c. 2, v. 26, 27 : « Et qui vicerit et custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, et reget eas in virgâ ferreâ, et tanquàm vas figuli confringentur, sicut et ego accepi à Patre meo. »

Apoc. c. 3, v. 21 : « Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus. »

Apoc. c. 4, v. 4 : « Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor, et super thronos viginti quatuor seniores sedentes, circumamicti vestimentis albis, et in capitibus eorum coronæ aureæ. »

Apoc. c. 5, v. 10 : « Et fecisti nos Deo nostro regnum, et sacerdotes, et regnabimus super terram. »

Apoc. c. 20, v. 4, 6 : « Et vidi sedes, et sederunt super eas, et judicium datum est illis; et animas decollatorum propter testimonium Jesu... et vixerunt, et regnaverunt cum Christo mille annis... Beatus sanctus qui habet partem in resurrectione primâ ; in his secunda mors non habet potestatem, sed erunt sacerdotes Dei et Christi, et regnabunt cum illo mille annis. »

Apoc. c. 22, v. 5 : « Et nox ultrà non erit, et non egebunt lumine lucernæ, neque lumine solis ; quoniam Dominus Deus illuminabit illos, et regnabunt in secula seculorum. »

CAPUT XCVIII.

Jesu claritas et gloria.

Psalm. 8, v. 5, 6 : « Quid est homo, quòd memor es ejus? aut Filius hominis, quoniam visitas eum? Minuisti eum paulò minùs ab Angelis; gloriâ et honore coronâsti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum. »

Psalm. 23, v. 7 *et seq.* : « Attollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales, et introibit rex gloriæ. Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio. Attollite, portas principes vestras, et elevamini portæ æternales, et

introibit rex gloriæ. Quis est iste rex gloriæ? Dominus virtutum, ipse est rex gloriæ. »

Psalm. 109, v. 1 *et seq.* : « Dixit Dominus Domino meo : Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum. Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum.... De torrente in viâ bibet, propterea exaltabit caput. »

Eccli. c. 24, v. 1 *et seq.* : « Sapientia laudabit animam suam, et in Deo honorabitur, et in medio populi sui gloriabitur, et in Ecclesiis Altissimi aperiet os suum, et in conspectu irtutis illius gloriabitur, et in medio populi sui exaltabitur, et in plenitudine sanctâ admirabitur, et in multitudine electorum habebit laudem, et inter benedictos benedicetur. »

Isa. c. 4, v. 2 : « In die illâ erit germen Domini in magnificentiâ, et gloriâ, et fructus terræ sublimis. »

Isa. c. 49, v. 5 : « Et nunc dicit Dominus, formans me ex utero servum sibi, ut reducam Jacob ad eum, et Israel non congregabitur, et glorificatus sum in oculis Domini. »

Isa. c. 52, v. 13 : « Ecce intelliget servus meus, et exaltabitur, et elevabitur, et sublimis erit valdè. »

Dan. c. 7, v. 13, 14 : « Aspiciebam ergò in visione noctis, et ecce cum nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat, et usque ad Antiquum dierum pervenit, et in conspectu ejus obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum; et omnes populi, tribus, et linguæ, ipsi servient; potestas æternæ, quæ non auferetur, et regnum ejus quod non corrumpetur. »

Zach. c. 6, v. 12, 13 : « Hæc ait Dominus exercituum, dicens : Ecce vir, Oriens nomen ejus, et subter eum orietur, et ædificabitur templum Domino, et ipse portabit gloriam, et sedebit, et dominabitur super solio suo. »

Zach. c. 14, v. 6 : « Et veniet Dominus Deus meus, omnesque sancti cum eo. »

Matth. c. 16, v. 27 : « Filium enim hominis venturus est in gloriâ Patris sui cum Angelis suis; et tunc reddet unicuique secundùm opera ejus. » Et Matth. c. 19, v. 28; et c. 24, v. 30; et c. 25, v. 31; et c. 26, v. 69. Marc. c. 8, v. 38. Luc. c. 9, v. 26; et c. 21, v. 27.

Matth. c. 17, v. 1 *et seq.* : « Et post dies sex assumit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem ejus, et ducit illos in montem excelsum seorsùm, et transfiguratus est antè eos; et resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix... Ecce nubes lucida obumbravit eos. Et ecce vox de nube dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui; ipsum audite. Et Marc. c. 9, v. 2 et seq. Luc. c. 9, v. 28 et seq.

Luc. c. 24, v. 26 : « Nonne hæc oportuit pati Christum, et ità intrare in gloriam suam? »

Joan. c. 1, v. 14 : « Et verbum caro factum est, et habitavit in nobis; et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre, plenum gratiæ et veritatis. »

Joan. c. 2, v. 11 : « Hoc fecit initium signorum Jesus in Canâ Galilææ, et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli ejus. »

Joan. c. 7, v. 39 : « Nondùm enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondùm erat glorificatus. » Et Joan. c. 12, v. 16.

Joan. c. 11, v. 4 : « Audiens autem Jesus dixit eis : Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam. »

Joan. c. 12, v. 23 : Jesus autem respondit eis dicens : Venit hora, ut clarificetur Filius hominis. »

Joan. c. 13, v. 31, 32 : « Cùm ergò exîsset, dixit Jesus : Nunc clarificatus est Filius hominis, et Deus clarificatus est in eo. Si Deus clarificatus est in eo, et Deus clarificabit eum in semetipso, et continuò clarificabit eum. »

Joan. c. 14, v. 13 : « Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio. »

Joan. c. 16, v. 14 : Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis. »

Joan. c. 17, v. 1 *et seq.* : « Hæc locutus est Jesus, et sublevatis oculis in cœlum, dixit : Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te... Et nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum, claritate quam habui, priusquàm mundus esset, apud te..... Et mea omnia tua sunt, et tua mea sunt, et clarificatus sum in eis. »

Act. c. 3, v. 13 : « Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, Deus Patrum nostrorum, glorificavit Filium suum Jesum. »

Act. c. 5, v. 31 : « Hunc principem et Salvatorem Deus exaltavit dexterâ suâ, ad dandam pœnitentiam Israeli, et remissionem peccatorum. »

1 *Cor.* c. 2, v. 8 : « Si enim cognovissent, nunquàm Dominum gloriæ crucifixissent. »

2 *Cor.* c. 4, v. 4 : « In quibus Deus hujus seculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei. »

Eph. c. 1, v. 19 *et seq.* : Nos qui credimus secundùm operationem potentiæ virtutis ejus, quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, et constituens ad dexteram suam in cœlestibus suprà omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen quod nominatur, non solùm in hoc seculo, sed etiam in futuro. Et omnia subjecit sub pedibus ejus, et ipsum dedit caput suprà omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius et plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur. »

Phil. c. 2, v. 9 *et seq.* : « Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloriâ est Dei Patris. »

Col. c. 2, v. 10 : « Estis in illo repleti, qui est caput omnis principatûs et potestatis. »

Thess. c. 1, v. 9, 10 : « Qui pœnas dabunt interitu æternas à facie Domini, et à gloriâ virtutis ejus, cùm venerit glorificari in sanctis suis, et admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt. »

Hebr. c. 1, v. 3 *et seq.* : « Qui cùm sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus..... sedet ad dexteram majestatis in excelsis ; tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit... Et cum iterùm introducit primogenitum in orbem terræ, dicit : *Et adorent eum omnes Angeli Dei..... Thronus tuus, Deus, in seculum seculi; virga æquitatis, virga regni tui.* Ad quem autem Angelorum dixit aliquandò : *Sede à dexteris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?*

Hebr. c. 2, v. 5 *et seq.* : « Non enim Angelis subjecit Deus orbem terræ futurum, de quo loquimur. Testatus est autem in quodam loco quis dicens : *Quid est homo, quod memor es ejus? aut Filius hominis, quoniam visitas eum? Minuisti eum paulò minùs ab Angelis; gloriâ et honore coronâsti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subjecisti sub pedibus ejus.* In eo enim quod omnia ei subjecit, nihil dimisit non subjectum ei. Nunc autem necdum videmus omnia subjecta ei. Eum autem qui modico quàm Angeli minoratus est, videmus Jesum propter passionem mortis, gloriâ et honore coronatum. »

Hebr. c. 3, v. 3 : « Amplioris enim gloriæ iste præ Moyse dignus est habitus, quanto ampliorem honorem habet domus qui ædificavit illam. »

Petr. c. 1, v. 11 : Spiritus Christi prænuntians eas quæ in Christo sunt passiones, et posteriores glorias. »

1 *Petr.* c. 4, v. 11 : « Ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum, cui est gloria et imperium in secula seculorum. »

2 *Petr.* c. 1 v. 16, 17 : Non enim doctas fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem et præsentiam, sed speculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim à Patre honorem et gloriam, voce delapsâ ad eum hujuscemodi à magnificâ gloriâ : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui ; ipsum audite.* »

Apoc. c. 5, v. 12, 13. « Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem. Et omnem creaturam, quæ in cœlo est, et super terram, et sub terrâ, et quæ sunt in mari, et quæ in eo, omnes audivi dicentes : Sedenti in throno, et Agno benedictio, et honor, et gloria, et potestas in secula seculorum. »

CAPUT XCIX.

Discipulorum Jesu claritas et gloria.

1 *Reg.* c. 2, v. 30 : « Nunc autem dicit Dominus : Absit hoc à me ; sed quicumque glorificaverit me, glorificabo eum. »

Psalm. 36, v. 35 : Exspecta Dominum, et custodi viam ejus, et exaltabit te. »

Psalm. 83, v. 10 *et seq.* : « Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Quia misericordiam et veritatem diligit Deus ; gratiam et gloriam dabit Dominus. Non privabit bonis eos qui ambulant in innocentiâ. Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te ! »

Psalm. 90, v. 15 : « Clamabit ad me, et ego exaudiam eum ; cum ipso sum in tribulatione ; eripiam eum, et glorificabo eum. »

Psalm. 3, v. 1 *et seq.* : « Beatus vir qui timet Dominum ; in mandatis ejus volet nimis : potens in terrâ erit semen ejus ; generatio rectorum benedicetur ; gloria et divitiæ in domo ejus..... Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in seculum seculi, cornu ejus exaltabitur in gloriâ. »

Psalm. 149, v. 4 *et seq.* : « Quia beneplacitum est Domino in populo suo, et exaltabit mansuetos in salutem ; exsultabunt sancti in gloriâ, lætabuntur in cubilibus suis ; exaltationes Dei in gutture eorum, et gladii ancipites in manibus eorum ; ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis ; ad alligandos reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis ; ut faciant in eis judicium conscriptum : gloria hæc est omnibus sanctis ejus. »

Prov. c. 4, v. 7, 8 : « Posside sapientiam, et in omni possessione tuâ acquire prudentiam ; arripe illam, et exaltabit te ; glorificaberis ab eâ, cùm eam fueris amplexatus. »

Prov. c. 28, v. 12 : « In exultatione justorum multa gloria est. »

Prov. c. 29. v. 23 : « Superbum sequitur humilitas, et humilem spiritu suscipiet gloria. »

Eccli. c. 1, v. 11, 24 : « Timor Domini gloria et gloriatio..... scientiam et intellectum prudentiæ sapientia compartietur, et gloriam tenentium se exaltat. »

Eccli. c. 6, v. 30 *et seq.* : « Et erunt tibi compedes ejus (sapientiæ) in protectionem fortitudinis, et bases virtutis, et torques illius in stolam gloriæ ; decor enim vitæ est in illâ, et vinculo illius alligatura salutaris ; stolam gloriæ indues eam, et coronam gratulationis superpones tibi. »

Eccli. c. 11, v. 1 : « Sapientia humiliati exaltabit caput ejus, et in medio magnatorum consedere illum faciet. »

Eccli. c. 14, v. 23 *et seq.* : « Qui excogitat vias illius (sapientiæ) in corde suo..... protegetur sub tegmine illius à fervore, et in gloriâ ejus requiescet. »

Eccli. c. 15, v. 1 *et seq.* : « Qui timet Deum, faciet bona ; et qui continens est justitiæ, apprehendet illam ; et obviabit illi quasi mater honorificata, et quasi mulier à virginitate suscipiet illum. Cibabit illum pane vitæ et intellectûs, et aquâ sapientiæ salutaris potabit illum, et firmabitur in illo, et non flectetur ; et continebit illum, et non confundetur, et exaltabit illum apud proximos suos, et in medio Ecclesiæ aperiet os ejus, et adimplebit illum spiritu sapientiæ et intellectûs, et stolâ gloriæ vestiet illum : jucunditatem et exsultationem thesaurizabit super illum ; et nomine æterno hæreditabit illum. »

Eccli. c. 23, v. 38 : « Gloria magna est sequi Dominum. »

Isa. c. 60, v. 14, *et seq.* : « Et venient ad te curvi filii eorum qui humiliaverunt te, et adorabunt vestigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi, et vocabunt te civitatem Domini, Sion sancti Israel. Pro eo quod fuisti derelicta, et odio habita, et non erat qui per te transiret, ponam te in superbiam seculorum, gaudium in generationem et generationem ; et suges lac gentium, et mamillâ regum lactaberis ; et scies quia ego Dominus salvans te, et redemptor tuus fortis Jacob. »

Isa. c. 62, v. 1 *et seq.* : « Propter Sion non tacebo, et propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor Justus ejus, et Salvator ejus ut lampas accendatur..... Et eris corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tuî. »

Jerem. c. 30, v. 18, 19 : « Hæc dicit Dominus : Ecce ego convertam conversionem tabernaculorum Jacob, et tectis ejus miserebor, et ædificabitur civitas in excelso suo, et templum juxtà ordinem suum fundabitur. Et egredietur de eis laus, voxque ludentium ; et multiplicabo eos, et non minuentur ; et glorificabo eos, et non attenuabuntur. »

Agg. c. 2, v. 8 *et seq.* : « Et veniet Desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloriâ, dicit Dominus exercituum..... Magna erit gloria domûs istius novissimæ plus quàm primæ, dicit Dominus exercituum. »

Matth. c. 19, v. 28 : « Jesus autem dixit illis : Amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. » Et Luc. c, 22, v. 29, 30.

Matth. c. 23, v. 12 : « Qui autem se exaltaverit, humiliabitur, et qui se humiliaverit, exaltabitur. Et Luc. c. 1, v. 52 ; et c. 14, v. 11 ; et c. 18, v. 14. Jac. c. 4, v. 6 ; et 1 Petr. c. 5, v. 5. Job. c. 22, v. 29.

Rom. c. 2, v. 6, 7, 10 : « Qui reddet unicuique secundùm opera ejus, iis quidem, qui secundùm patientiam boni operis, gloriam, et honorem, et incorruptionem quærunt, vitam æternam. Gloria autem, et honor, et pax omni operanti bonum. »

Rom. c. 5, v. 1 *et seq.* : « Justificati ergò ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. »

Rom. c. 8, v. 18 *et seq* : « Existimo enim

quòd non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis..... quia et ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei..... Quos autem prædestinavit, hos et vocavit ; et quos vocavit, hos et justificavit ; quos autem justificavit, illos et glorificavit. »

Rom. c. 9, v. 3, 4, 23 : « Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundùm carnem, qui sunt Israelitæ, quorum adoptio est filiorum, et gloria, et testamentum, et legislatio, et obsequium, et promissa..... ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam. »

Cor. c. 2, v. 7 : « Sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus antè secula in gloriam nostram. »

2 *Cor.* c. 3, v. 18 : « Nos vero omnes revelatâ facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquàm à Domini spiritu. »

2 *Cor.* c. 4, v. 17 : « Id enim quod in præsenti est momentaneum, et leve tribulationis nostræ, suprà modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. »

Col. c. 1, v. 27 : « Quibus voluit Deus notas facere divitias gloriæ sacramenti hujus in gentibus, quod est Christus, in vobis spes gloriæ. »

Col. c. 3, v. 4 : « Cùm Christus apparuerit in vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloriâ. »

1 *Petr.* c. 2, v. 7 : « Vobis igitur honor credentibus. »

1 *Petr.* c. 5, v. 4 : « Et cùm apparuerit princeps pastorum, percipiatis immarcescibilem gloriæ coronam. »

CAPUT C.

Jesu fortitudo et potestas.

Psalm. 23, v. 7, 8 : « Attollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales, et introibit rex gloriæ. Quis est iste rex gloriæ ? Dominus fortis et potens Dominus potens in prælio.

Psalm. 109, v. 1 *et seq.* : « Dixit Dominus Domino meo : Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum..... Dominus à dextris tuis, confregit in die iræ suæ reges ; judicabit in nationibus, implebit ruinas ; conquassabit capita in terrâ multorum ; de torrente in viâ bibet ; propterea exaltabit caput. »

Eccli. c. 24, v. 7, 11 : « Ego (Sapientia) in altissimis habitavi..... et omnium excellentium et humilium corda virtute calcavi. »

Isa. c. 8, v. 1 *et seq.* : « Et dixit Dominus ad me : Sume tibi librum grandem, et scribe in eo stylo hominis : Velociter spolia detrahe, citò prædare..... Et accessi ad Prophetissam, et concepit, et peperit filium. Et dixit Dominus ad me : Voca nomen ejus : Accelera spolia detrahere, festina prædari. »

Isa. c. 9, v. 6 : « Parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus, et vocabitur nomen ejus Admirabilis, consiliarius, Deus fortis. »

Isa. c. 11, v. 1 *et seq.* : « Et egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet : et requiescet super eum spiritus Domini ; spiritus sapientiæ et intellectûs ; spiritus consilii et fortitudinis .... et percutiet terram virgâ oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium. »

Isa. c. 41, v. 2 : « Quis suscitavit ab oriente Justum, vocavit eum ut sequeretur se? dabit in conspectu ejus gentes, et reges obtinebit ; dabit quasi pulverem gladio ejus, sicut stipulam vento raptam arcui ejus. »

Isa. c. 42, v. 13 : « Dominus sicut fortis egredietur, sicut vir præliator suscitabit zelum ; vociferabitur et clamabit ; super inimicos suos confortabitur. »

Isa. c. 49, v. 25, 26 : « Quia hæc dicit Dominus : Equidem et captivitas à forti tolletur, et quod ablatum fuerit à robusto salvabitur ; eos verò qui judicaverunt te, ego judicabo ; et filios tuos ego salvabo : et cibabo hostes tuos carnibus suis, et quasi musto sanguine suo inebriabuntur : et sciet omnis caro, quia ego Dominus salvans te, et redemptor tuus fortis Jacob. »

Dan. c. 7, v. 13, 14 : « Aspiciebam ergò in visione noctis, et ecce cum nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat, et usque ad Antiquum dierum pervenit, et in conspectu ejus obtulerunt eum, et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum. Et omnes populi, tribus, et linguæ ipsi servient ; potestas ejus, potestas æterna quæ non auferetur, et regnum ejus quod non corrumpetur. »

Zach. c. 9, v. 9, 10 : « Exsulta satis, filia Sion ; jubila, filia Jerusalem : ecce rex tuus veniet tibi justus et Salvator ; ipse pau-

per, et ascendens super asinam, et super pullum filium asinæ ; et disperdam quadrigam ex Ephraim, et equum de Jerusalem, et dissipabitur arcus belli, et loquetur pacem gentibus, et potestas ejus à mari usque ad mare, et à fluminibus usque ad fines terræ. »

Matth. c. 3, v. 11 : « Ego quidem baptizo vos in aquâ in pœnitentiam : qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare ; ipse vos baptizabit Spiritu sancto et igni. » Et Luc. c. 3, v. 16.

Matth. c. 7, v. 29 : « Erat enim docens eos, sicut potestatem habens. » Et Marc. c. 1, v. 22. Luc. c. 4, v. 32.

Matth. c. 11, v. 27 : « Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. » Et Joan. c. v. 3, 24 ; et c. 13, v. 3; et c. 17, v. 2.

Matth. c. 24, v. 30 : « Et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multâ et majestate. « Et Marc. c. 13, v. 26. Luc. c. 21, v. 27; et c. 2. Thess. c. 1, v. 7 et seq.

Matth. c. 28, v. 18 : « Et accedens Jesus locutus est eis, dicens : Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terrâ. »

Marc. c. 1, v. 27 : « Et mirati sunt omnes, ità ut conquirerent inter se dicentes : Quidnam est hoc? quænam doctrina hæc nova? quia in potestate etiam spiritibus immundis imperat, et obediunt ei. » Luc. c. 4, v. 36.

Luc. c. 24, v. 19 : « De Jesu Nazareno, qui fuit vir Propheta, potens in opere et sermone, coram Deo et omni populo. »

Joan. c. 5, v. 26, 27 : « Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso, et potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est. »

1 *Cor.* c. 1, v. 23 *et seq.* : « Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam ; ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis, Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam ; quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus ; et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. »

Cor. c. 5, v. 4 : Congregatis vobis et meo spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu Christi. »

1 *Cor.* c. 15, v. 24 *et seq.* : « Deindè finis, cùm tradiderit regnum Deo et Patri, cùm evacuaverit omnem principatum, et potestatem, et virtutem. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus. Cùm autem dicat : Omnia subjecta sunt ei, sine dubio præter eum qui subjecit ei omnia. Cùm autem subjecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus. »

2 *Cor.* c. 12, v. 9 : « Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. »

2 *Cor.* c. 13, v. 3 : « An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur, Christus, qui in vobis non infirmatur, sed potens est in vobis ? »

Eph. c. 1, v. 20 *et seq.* : « Suscitans illum à mortuis, et constituens ad dexteram suam in cœlestibus suprà omnem Principatum, et Potestatem, et Virtutem, et Dominationem, et omne nomen quod nominatur non solùm in hoc seculo, sed etiam in futuro; et omnia subjecit sub pedibns ejus, et ipsum dedit caput suprà omnem Ecclesiam. »

2 *Thess.* c. 2, v. 8 : « Et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui. »

Hebr. c. 1, v. 3 : « Qui cùm sit splendor gloriæ et figura substantiæ ejus, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis. »

Hebr. c. 2, v. 6 *et seq.* : « Testatus est autem in quodam loco quis dicens : *Quid est homo quòd memor es ejus ; aut Filius hominis quoniam visitas eum ? minuisti eum paulò minùs ab Angelis, gloriâ et honore coronâsti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subjecisti sub pedibus ejus.* In eo enim quòd omnia ei subjecit, nihil dimisit non subjectum ei. Nunc autem necdùm videmus omnia subjecta ei. Eum autem qui modico quàm Angeli minoratus est, videmus Jesum, propter passionem mortis, gloriâ et honore coronatum. »

Petr. c. 1, v. 2 *et seq.* : « Gratia vobis et pax adimpleatur in cognitione Dei, et Jesu Christi Domini nostri, quomodò omnia nobis divinæ virtutis suæ, quæ ad vitam et pietatem, donata sunt, per cognitionem ejus qui vocavit nos propriâ gloriâ et virtute. »

Apoc. c. 5, 12, 13 : « Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem. Et omnem creaturam, quæ in cœlo est, et super terram, et sub terrâ, et quæ sunt in mari, et quæ in eo, omnes audivi dicentes : Sedenti in throno, et

Agno, benedictio, et honor, et gloria, et potestas in secula seculorum. »

Apoc. c. 12, v. 10 : « Et audivi vocem magnam in cœlo dicentem : Nunc facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et potestas Christi ejus. »

CAPUT CI.

Discipulorum Jesu fortitudo et potestas.

Psalm. 67, v. 36 : « Mirabilis Deus in sanctis suis ; Deus Israel ipse dabit virtutem, et fortitudinem plebi suæ. »

Isa. c. 12, v. 2 : « Ecce Deus Salvator meus ; fiducialiter agam, et non timebo, quia fortitudo mea et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem. »

Isa. c. 25, v. 3 : « Super hoc laudabit te populus fortis, civitas gentium robustarum timebit te. »

Isa. c. 61, v. 1, *et seq.* : « Spiritus Domini super me, eo quòd unxerit Dominus me.... ut ponerem lugentibus Sion, et darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris ; et vocabuntur in eâ fortes justitiæ, plantatio Domini ad glorificandum. »

Dan. c. 7, v. 27 : « Regnum autem, et potestas, et magnitudo regni, quæ est subter omne cœlum, detur populo Sanctorum Altissimi. »

Matth. c. 10, v. 1 : « Et convocatis duodecim discipulis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, et curarent omnem languorem, et omnem infirmitatem. » Et *Marc.* c. 3, v. 15 ; et c. 6, v. 7. Luc. c. 9, v. 1.

Luc. c. 10, v. 19 : « Ecce dedi vobis potestatem calcandi suprà serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici, et nihil vobis nocebit. »

Act. c. 6, v. 8 : « Stephanus autem plenus gratiâ et fortitudine, faciebat prodigia et signa magna in populo. »

2 *Cor.* c. 12, v. 10 : « Propter quod placeo mihi in infirmatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo ; cùm enim infirmor, tunc potens sum. »

1 *Joan.* c. 2, v. 14 : « Scribo vobis, Juvenes, quoniam fortes estis, et verbum Dei manet in vobis, et vicistis malignum. »

Apoc. c. 2, v. 26 . « Et qui vicerit, et custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, et reget eas in virgâ ferreâ, et tanquàm vas figuli confringentur. »

CAPUT CII.

Jesu dives.

Psalm. 2, c. 8 : « Postula à me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. »

Prov. c. 8, v. 17, 18 : « Ego (Sapientia) diligentes me diligo, et qui mane vigilant ad me, invenient me. Mecum sunt divitiæ, et gloria, opes superbæ, et justitia. »

---

2 *Cor.* c. 8, v. 9 : « Scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cùm esset dives. »

Eph. c. 1, v. 7 : « In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, secundùm divitias gratiæ ejus, quæ superabundavit in nobis. »

Eph. c. 3, v. 8 : « Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi. »

Col. c. 1, v. 26, 27 : « Mysterium quod absconditum fuit à seculis, et generationibus, nunc autem manifestum est Sanctis ejus, quibus voluit Deus notas facere divitias gloriæ Sacramenti hujus in gentibus, quod est Christus. »

CAPUT CIII.

Jesu discipuli divites.

Psalm. 36, v. 3 : « Spera in Domino, et fac bonitatem ; et inhabita terram, et pasceris in divitiis ejus. »

Psalm. 111, v. 1 *et seq.* : « Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis ; potens in terrâ erit semen ejus, generatio rectorum benedicetur ; gloria et divitiæ in domo ejus. »

Prov. c. 1, v. 33 : « Qui autem me (sapientiam) audierit, absque terrore requiescet, et abundantiâ perfruetur, timore malorum sublato. »

Isa. c. 1, v. 19 : « Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis. »

Isa. c. 49, v. 8 : « Hæc dicit Dominus : In tempore placito exaudivi te, et in die salutis auxiliatus sum tuî, et servavi te, et dedi te in fœdus populi, ut suscitares terram, et possideres hæreditates dissipatas. »

Matth. c. 5, v. 4 : « Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. »

Matth. c. 6, v. 20 : « Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur. » Et Matth. c. 19 v. 21. Marc. c. 11, v. 21. Luc. c. 12, v. 33.

Matth. c. 13, v. 44 : « Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo abscondit, et præ gaudio illius vadit, et vendit universa quæ habet, et emit agrum illum. »

1 *Cor.* c. 1, v. 4, 5 : « Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratiâ Dei, quæ data est vobis in Christo Jesu, quòd in omnibus divites facti estis in illo. »

1 *Cor.* c. 4, v. 8 : « Jam saturati estis, jam divites facti estis; sine nobis regnatis, et utinam regnetis, ut et nos vobiscum regnemus! »

2 *Cor.* c. 4, v. 6, 7 : « Quoniam Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus vestris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Christi Jesu. Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus. »

2 *Cor.* c. 6, v. 4 *et seq.* : « Sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos... sicut egentes, multos autem locupletantes; tanquàm nihil habentes, et omnia possidentes. »

2 *Cor.* c. 8, v. 9 : « Scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cùm esset dives, ut illius inopiâ vos divites essetis. »

Phil. c. 4, v. 18 : « Habeo autem omnia, et abundo; repletus sum, acceptis ab Epaphrodito quæ misistis. »

Col. c. 2, v. 2, 3 : « Ut consolentur corda ipsorum, instructi in charitate, et in omnes divitias plenitudinis intellectûs, in agnitionem mysterii Dei Patris, et Christi Jesu; in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi. »

1 *Tim.* c. 6, v. 17 *et seq* : « Divitibus hujus seculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo (qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum) benè agere, divites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam. »

Hebr. c. 11, v. 24 *et seq.* : « Fide Moyses grandis factus negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem; majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi; aspiciebat enim in remunerationem. »

Jac. c. 2, v. 5 : « Audite, fratres mei dilectissimi, nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se? »

Apoc. c. 2, v. 8, 9 : « Et Angelo Smyrnæ Ecclesiæ scribe : Hæc dicit primus et novissimus, qui fuit mortuus, et vivit : Scio tribulationem tuam et paupertatem tuam, sed dives es. »

CAPUT CIV.

Jesus legumlator.

Deut. c. 18, v. 15 *et seq.* : « Prophetam de gente tuâ, et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus : ipsum audies... Et ait Dominus mihi : Benè omnia sunt locuti : Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tuî : et ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi. Qui autem verba ejus quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam. »

Psalm. 9, v. 20, 21 : « Exsurge, Domine, non confortetur homo; judicentur gentes in conspectu tuo. Constitue, Domine, legislatorem super eos, ut sciant gentes quoniam homines sunt. »

Isa. c. 2, v. 3 : « Et ibunt populi multi, et dicent : Venite, et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob; et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus : quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem. » Et Mich. c. 4, v. 2.

Isa. c. 33, v. 22 : « Dominus enim judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse salvabit nos. »

Isa. c. 42, v. 4 : « Non erit tristis, neque turbulentus, donec ponat in terrâ judicium, et legem ejus insulæ exspectabunt. »

Isa. c. 51, v. 4 : Attendite ad me, popule meus, et tribus mea, me audite; quia lex à me exiet, et judicium meum in lucem populorum requiescet. »

Jerem. c. 31, v. 33 : « Sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus; dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam. »

Matth. c. 5, v. 21 *et seq.* : « Audìstis quia dictum est antiquis : *Non occides;* qui autem *occiderit, reus erit judicio;* ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio; qui autem dixerit fratri suo : Raca, reus erit concilio; qui autem dixerit : Fatue, reus erit gehennæ ignis. ... Audìstis quia dictum est antiquis : *Non mœchaberis?* ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo..... Dictum est autem : *Quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libel-*

lum repudii. Ego autem dico vobis quia omnis qui dimiserit uxorem suam, exceptâ fornicationis causâ, facit eam mœchari ; et qui dimissam duxerit, adulterat. » Et per totum caput reliquum, et sequentia duo : et cap. 10 ; et Luc. c. 16, v. 9 et seq. ; et c. 17, v. 1 et seq.

Joan. c. 13, v. 34 : « Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem. »

Joan. c. 14, v. 15, 21 : « Si diligitis me, mandata mea servate... Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me. » Et Joan. c. 15, 17, et passim apud reliquos Evangelistas. »

Rom. c. 8, v. 2 : « Lex enim spiritûs vitæ in Christo Jesu liberavit me à lege peccati et mortis. »

1 *Cor.* c. 9, v. 20, 21 : « Et factus sum Judæis tanquàm Judæus, ut Judæos lucrarer... iis qui sine lege erant, tanquàm sine lege essem (cùm sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi), ut lucrifacerem eos qui sine lege erant. »

Gal. c. 6, v. 2 : « Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi.

Hebr. c. 8, v. 10 : « Quia hoc est testamentum quod disponam domui Israel post dies illos, dicit Dominus ; dando leges meas in mentem eorum, et in corde eorum superscribam eas. » Et c. 10, v. 16.

Jac. c. 1, v. 25 : « Qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis, et permanserit in eâ, non auditor obliviosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit. »

Jac. c. 2, v. 12 : « Sic loquimini, et sic facite, sicut per legem libertatis incipientes judicari. »

CAPUT CV.

Jesus clavem gerit domûs David.

Isa. c. 22, v. 22 : « Et dabo clavem domus David super humerum ejus; et aperiet, et non erit qui claudat ; et claudet, et non erit qui aperiat.

Apoc. c. 3, v. 7 : « Et Angelo Philadelphiæ Ecclesiæ scribe : Hæc dicit Sanctus et Verus, qui habet clavem David, qui aperit, et nemo claudit; claudit, et nemo aperit. »

Quoniam Christi typum gessit Eliacimus Helciæ filius, cui hìc promittit Dominus apud Isaiam, futurum ut *det clavem domus David super humerum ejus*, istis verbis inesse liquet prædictionem præcipui cujusdam Christi officii, et potestatis ipsi à Patre traditæ. Cæterùm non injucundum, certè non supervacuum erit disquirere, cur dicat Isaias traditum iri clavem super humerum Eliacimi, cùm hic gestandarum clavium mos nobis planè ignotus sit. Nam etsi hæc videri possumus disputare præter institutum, utile tamen est quidquid ad Scripturæ intelligentiam conferre potest. Varias interpretum expositiones ambitiosè colligere ac confutare non vacat, quæ, postquàm legitimam firmavero sententiam, spontè ipsæ corruent. Sciendum ergò est vetustissimum fuisse clavium genus, quæ curvatæ erant, non absimili formâ curvarum falcium. Hæ januis intùs clausis per foramen inserebantur ad excutiendos pessulos et repagula ; nec ignoratur penitùs hodièque earum usus ; furibus præcipuè, alienas domos hoc instrumento clam referantibus et suppilantibus ; sed et fabris ferrariis, occlusas fores, cum propriæ claves amissæ sunt, vicariâ hâc clave aperientibus; et monachis etiam quibusdam nostratibus simili clavium genere interiora domuum claustra reserare solitis. Vulgatus olim fuit, et communis earum usus, præcipuè inter eos quorum munus erat pretiosam supellectilem κειμήλια, pecuniam, et fruges asservare. Eburneis vel ligneis capulis præfigebantur, undè scias fuisse prælongas. Citabimus testes idoneos. Narrat Homerus, vicesimo primo Odysseæ, Penelopen Palladis suasu arcum, aliaque depromptum ivisse ex ταμιείῳ, seu ἀποθήκῃ, quæ erat in thalamo : tùm subjicit :

> Sumpsit autem clavem benè curvatam manu crassâ,
> Pulchram, æneam ; capulus autem eburneus additus erat.

Quo loco sic disserit Eusthathius : « Antiquum dicit clavis genus, neque, ut recentiora, multis foraminibus pertusum. Perseverat autem ad hoc tempus ejusmodi clavium usus, quæ per portæ foramen inseruntur, et seram intùs excutiunt ad aperiendum ostium. » En tibi antiquissimam clavium formam, longè diversarum ab iis quæ multifores sunt, et à Laconibus subindè inventæ : atque immituntur illæ, ut dixi, per januæ foramen, ad dimovendum obicem et fores reserandas. Addit deinde : « Capulum eburneum dicit, manubrium significans, quod tale fingit, ut sit pretiosus. Alia enim lignea sunt, ut verisimile est. » Ligneis ergò vel eburneis manubriis instruebantur. Subjungit denique : « Non ergò gladius solùm capulo instruitur, sed ecce et falcata ista clavis, quæ et propterea benè curvata appellatur. » Inflexam igitur dixit Homerus, quod falcis figuram præferat. Facilè intelligitur ejusmodi clavem fuisse, quam humero gestabat Eliacimus gazæ regiæ

custos. Isa. 22, 15. Hoc enim munus exprimitur dictione הַסֹּכֵן, quam Isaias Sobnæ tribuit eodem vicesimo secundo capite v. 15. Sobnæ autem in eo munere successit Eliacimus. Claves quippè hujusmodi graves et benè longas fuisse persuadet curvatura illa et eburneus capulus; tùm et quòd eam ait Homerus arripuisse Penelopen, *crassâ et validâ manu*. Atqui vix aliter gestari commodè poterat clavis illa falcata, propter pondus et curvaturam, quàm humero imposita; quemadmodùm rusticos nostrates sæpè videmus humeris gestantes messorias falculas complures in unum fasciculum colligatas. Indè est quod κατωμαδίαι vocabantur hæ claves, hoc est, *humero gestari solitæ*. Scribit Callimachus Hymno in Cererem, floreas coronas et papaver manu quidem tulisse Cererem Nicippe sacerdoti suæ assimilatam; at gestâsse κατωμαδίαν κλαῖδα. Clavis ista humero ferri solita, videri possit insigne fuisse sacerdotii hujus; Ceres quippè frugibus condendis et custodiendis præest. Sed aliarum tamen dearum sacerdotibus tributum id reperimus. Sic Junonis Argivæ clavigera dicitur callithoe ab auctore Phoronidis, quem citat Clemens Alexandrinus. Nemo, opinor, inducet in animum claves Laconicas, nostris breviores, cæterùm haud absimiles, humero fuisse gestatas; quod cogitare absurdum est.

CAPUT CVI.

Abrogatio Mosaicæ Legis.

Isa. c. 1, v. 11 et seq. : « Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum? dicit Dominus; plenus sum ; holocausta arietum, et adipem pinguium, et sanguinem vitulorum, et agnorum, et hircorum nolui. Cùm veniretis antè conspectum meum, quis quæsivit hæc de manibus vestris, ut ambularetis in atriis? ne offeratis ultrà sacrificium frustrà ; incensum abominatio est mihi. Neomeniam, et sabbathum, et festivitates alias non feram; iniqui sunt cœtus vestri; calendas vestras et solemnitates vestras odivit anima mea; facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens. » Et Jerem. c. 6, v. 20. Amos. c. 5, v. 21, 22. Mich. c. 6, v. 6 et seq.

Isa. c. 43, v. 18 *et seq.* : « Ne memineris priorum, et antiqua ne intueamini. Ecce ego facio nova, et nunc orientur; utique cognoscetis ea : ponam in deserto viam, et in invio flumina. Glorificabit me bestia agri, dracones et struthiones; quia dedi in deserto aquas, flumina in invio, ut darem potum populo meo electo. Populum istum formavi mihi, laudem meam narrabit. Non me invocâsti, Jacob, nec laborâsti in me, Israel. »

Isa. c. 65, v. 18 : « Ecce enim ego creo cœlos novos, et terram novam, et non erunt in memoriâ priora, et non ascendent super cor. »

Isa. c. 66, v. 22, 23 : « Quia sicut cœli novi, et terra nova, quæ ego facio stare coràm me, dicit Dominus, sic stabit semen vestrum. Et erit mensis ex mense, et sabbathum ex sabbatho; veniet omnis caro, ut adoret coràm facie meâ, dicit Dominus. »

Jerem. c. 3, v. 16 : « Cùmque multiplicati fueritis, et creveritis in terrâ in diebus illis, ait Dominus, non dicent ultrà : Arca testamenti Domini, neque ascendet super cor, neque recordabuntur illius, nec visitabitur, nec fiet ultrà. »

Jerem. c. 7, v. 11 *et seq.* : « Numquid ergò spelunca latronum facta est domus ista, in quâ invocatum est nomen meum in oculis vestris? Ego, ego sum, ego vidi, dicit Dominus. Ite ad locum meum in Silo, ubi habitavit nomen meum à principio, et videte quæ fecerim ei propter malitiam populi mei Israel : et nunc quia fecistis omnia opera hæc, dicit Dominus, et locutus sum ad vos mane consurgens, et loquens, et non audîstis; et vocavi vos, et non respondistis; faciam domui huic, in quâ invocatum est nomen meum, et in quâ vos habetis fiduciam, et loco quem dedi vobis et patribus vestris, sicut feci Silo, et projiciam vos à facie meâ. »

Jerem. c. 31, v. 31 *et seq.* : « Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israel, et domui Juda fœdus novum; non secundùm pactum quod pepigi cum patribus eorum, in die quâ apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terrâ Ægypti, pactum quod irritum fecerunt, et ego dominatus sum eorum, dicit Dominus. Dabo legem meam in visceribus, et in corde eorum scribam eam. »

Ezech. c. 7, v. 26 : « Conturbatio super conturbationem veniet, et auditus super auditum, et quærent visionem de Prophetâ, et consilium à senioribus. »

Ezech. c. 34, v. 10 : « Hæc dicit Dominus meus : Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, et cessare faciam eos ut ultrà non pascant gregem, nec pascant ampliùs pastores semetipsos, et liberabo gregem meum de ore eorum, et non erit ultrà eis in escam. »

Dan. c. 9, v. 24 *et seq.* : « Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum,

et super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio, et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum.... Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem, et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomadâ unâ, et in dimidio, hebdomadis deficiet hostia, et sacrificium, et erit in templo abominatio desolationis; et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio. »

Dan. c. 12, v. 11 : « Et à tempore cùm ablatum fuerit juge sacrificium, et posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta. »

Ose. c. 3, v. 4, 5 : « Dies multos sedebunt filii Israel sine rege, et sine principe, et sine sacrificio, et sine altari, et sine ephod, et sine theraphim.

Mal. c. 1, v. 10, 11 : «Quis est in vobis, qui claudat hostia, et incendat altare meum gratuitò? Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et manus non suspiciam de manu vestrâ. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda.

Mal. c. 2, v. 11, 12: « Transgressus est Juda, et abominatio facta est in Israel et in Jerusalem; quia contaminavit Judas sanctificationem Domini quam dilexit, et habuit filiam Dei alieni. Disperdet Dominus virum qui fecerit hoc, magistrum et discipulum de tabernaculis Jacob, et offerentem munus Domino exercituum. »

Matth. c. 11, v. 12, 13 : « A diebus autem Joannis Baptistæ, usque nunc, regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. Omnes enim Prophetæ et lex usque ad Joannem prophetaverunt. » Luc. c. 16, v. 16.

Joan. c. 4, v. 21 : « Dicit ei Jesus : Mulier crede mihi, quia venit hora, quandò neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem. »

Act. c. 10, v. 28 : « Dixitque ad illos : Vos scitis quomodò abominatum sit viro Judæo conjungi aut accedere ad alienigenam ; sed mihi ostendit Deus, neminem communem aut immundum dicere hominem. »

Act. c. 13, v. 38, 39 : « Notum igitur sit vobis, viri fratres, quia per hunc vobis remissio peccatorum annuntiatur, et ab omnibus quibus non potuistis in lege Moysi justificari, in hoc omnis qui credit justificatur. »

Act. c. 15, v. 5 *et seq.*: « Surrexerunt autem quidam de hæresi Pharisæorum, qui crediderunt dicentes, quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque servare legem Moysis. Conveneruntque Apostoli et seniores de verbo hoc. Cùm autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos...., Nunc ergò quid tentatis Deum imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus ? Et postquàm tacuerunt, respondit Jacobus dicens..... Propter quod ego judico non inquietari eos, qui ex gentibus convertuntur ad Deum, se scribere ad eos ut abstineant à contaminationibus simulacrorum, et fornicatione, et suffocatis, et sanguine...... Tunc placuit Apostolis et senioribus cum omni Ecclesiâ, eligere viros ex eis, et mittere Antiochiam...,. scribentes per manus eorum, Apostoli et seniores fratres his qui sunt Antiochiæ : ...... Salutem...... Visum est Spiritui sancto et nobis, nihil ultrà vobis imponere oneris quàm hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, et fornicatione. »

Rom. c. 3, v. 21, 28 : « Per legem enim cognitio peccati; nunc autem sine lege justitia Dei manifestata est, testificata à lege et Prophetis..... Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis. »

Rom. c. 6, v. 14, 15: « Peccatum enim vobis non dominabitur, non enim sub lege estis, sed sub gratiâ. Quid ergò? peccabimus, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratiâ? Absit. »

Rom. c. 7, v. 4 *et seq.* : « Itaque fratres mei, et vos mortificati estis legi per corpus Christi, ut sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit, ut fructificemus, Deo. Cùm enim essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti. Nunc autem soluti sumus à lege mortis, in quâ detinebamur, ità ut serviamus in novitate spiritûs, et non in vetustate litteræ. »

Rom. c. 8, v. 2 *et seq.*: « Lex enim spiritûs vitæ in Christo Jesu liberavit me à lege peccati et mortis. Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, damnavit peccatum in carne, ut justificatio legis impleretur in nobis. »

Rom. c. 10, v. 4 : « Finis enim legis Christus, ad justitiam omni credenti. »

2 *Cor.* c. 5, v. 17 : «Si qua ergò in Christo nova Creatura, vetera transierunt, ecce facta sunt omnia nova. »

Gal. c. 2, v. 16, 21 : « Scientes autem quòd non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi, et nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi, et non ex operibus legis; propter quod ex operibus legis non justificabitur omnis caro..... Si enim per legem justitia, ergò gratis Christus mortuus est. »

Gal. c. 3, v. 24, 25 : « Itaque lex pedagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur. At ubi venit fides, jam non sumus sub pedagogo. »

Gal. c. 5, v. 18 : « Quòd si spiritu ducimini, non estis sub lege. »

Gal. c. 6, v. 15 : « In Christo enim Jesu, neque circumcisio aliquid valet, sed nova creatura. »

Eph. c. 3, v. 14, 15 : « Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne suâ; legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem. »

Eph. c. 4, v. 20 *et seq.* : « Vos autem non ità didicistis Christum, si tamen illum audistis, si in ipso edocti estis, sicut et veritas in Jesu, deponere vos secundùm pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundùm desideria erroris. Renovamini autem spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundùm Deum creatus est in justitiâ et sanctitate veritatis. »

Col. c. 3, v. 9 *et seq.* : « Nolite mentiri invicem, exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem, secundùm imaginem ejus qui creavit illum ; ubi non est Gentilis et Judæus, circumcisio et præputium, Barbarus et Scytha, servus et liber ; sed omnia et in omnibus Christus. »

Hebr. c. 7, v. 11 *et seq.* : « Si ergò consummatio per sacerdotium Leviticum erat (populus enim sub ipso legem accepit) quid adhuc necessarium fuit, secundum ordinem Melchisedech alium surgere sacerdotem, et non secundùm ordinem Aaron? Translato enim sacerdotio, necesse est ut et legis translatio fiat. In quo enim hæc dicuntur, de aliâ tribu est, de quâ nullus altari præstò fuit ; manifestum est enim quòd ex Juda ortus sit Dominus noster, in quâ tribu nihil de sacerdotibus Moyses locutus est Et ampliùs adhuc manifestum est, si secundùm similitudinem Melchisedech exsurgat alius sacerdos, qui non secundùm legem mandati carnalis factus est, sed secundùm virtutem vitæ insolubilis ; contestatur enim : Quoniam tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus, et inutilitatem ; nihil enim ad perfectum adducit lex, introductio verò melioris spei, per quam proximamus ad Deum. Et quantùm est non sine jurejurando (alii quidem sine jurejurando sacerdotes facti sunt, hic autem cum jurejurando per eum qui dixit ad illum : *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum ; tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*) in tantùm melioris Testamenti sponsor factus est Jesus..... Lex enim homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes; sermo autem jurisjurandi, qui post legem est, filium in æternum perfectum. »

Hebr. c. 8, v. 6 *et seq.* : Nunc autem melius sortitus est ministerium, quantò et melioris Testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est ; nam si illud priùs culpâ vacâsset, non utique secundi locus inquireretur. Vituperans enim eos dicit : *Ecce dies venient, dicit Dominus, et consummabo super domum Israel, et super domum Juda testamentum novum; non secundùm testamentum quod feci Patribus eorum, in die quâ apprehendi manum eorum, ut educerem illos de terrâ Ægypti, quoniam ipsi non permanserunt in Testamento meo, et ego neglexi eos, dicit Dominus. Quia hoc est Testamentum quod disponam domui Israel post dies illos, dicit Dominus: Dando leges meas in mentem eorum, et in corde eorum superscribam eas.....* Dicendo autem novum, veteravit prius. Quod autem antiquatur et senescit, propè interitum est. »

Hebr. c. 9, v. 6 *et seq.* : « In priori quidem tabernaculo semper introibant sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes ; in secundo autem, semel in anno summus Pontifex, non sine sanguine, quem offert pro suâ et populi ignorantiâ, hoc significante Spiritu sancto nondùm propalatam esse sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum ; quæ parabola est temporis instantis, juxtà quam munera et hostiæ offeruntur, quæ non possunt juxtà conscientiam perfectum facere servientem, solummodò in cibis et in potibus, et variis baptis-

matibus et justitiis carnis, usque ad tempus correctionis impositis. »

Hebr. c. 10, v. 11 *et seq.* : « Et omnis quidem sacerdos præstò est quotidiè ministrans, et easdem sæpe offerens hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata ; hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dexterâ Dei ; de cætero expectans, donec ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus. Unâ enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos. Contestatur autem nos et Spiritus sanctus. Postquàm enim dixit : *Hoc autem testamentum quod testabor ad illos post dies illos dicit Dominus : Dando leges meas in cordibus eorum, et in mentibus eorum superscribam eas, et peccatorum et iniquitatem eorum jam non recordabor ampliùs.* Ubi autem horum remissio, jam non est oblatio pro peccato..... Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia. »

Apoc. c. 3, v. 12 : « Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, et foràs non egredietur ampliùs, et scribam super eum nomen Dei mei, et nomen civitatis Dei mei novæ Jerusalem, quæ descendit de cœlo à Deo meo, et nomen meum novum. »

Apoc. c. 21, v. 5 : « Et dixit qui sedebat in throno : Ecce nova facio omnia. Et dixit mihi: Scribe, quia hæc verba fidelissima sunt et vera. »

CAPUT CVII.

Sanctio novæ legis.

Deut. c. 18, v. 15 *et seq.* : « Prophetam de gente tuâ et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus ; ipsum audies, ut petisti à Domino Deo tuo in Horeb, quandò concio congregata est, atque dixistis : Ultrà non audiam vocem Domini Dei mei, et ignem hunc maximum ampliùs non videbo, ne moriar. Et ait Dominus mihi : Bene omnia sunt locuti ; Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tuî ; et ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi. Qui autem verba ejus quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam. »

Isa. c. 2, v. 2 : « Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi mei, et dicent : Venite, et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus ; quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem. » Et Mich. c. 4, v. 1 et seq.

Isa. c. 4, v. 2, 9 : « Quæ prima fuerunt, ecce venerunt ; nova quoque annuntio ; antequàm oriantur, audita vobis faciam. »

Isa. c. 43, v. 18 *et seq.* : « Ne memineritis priorum, et antiqua ne intueamini. Ecce ego facio nova, et nunc orientur, utique cognoscetis ea, ponam in deserto viam, et in invio flumina. Glorificabit me bestia agri, dracones et struthiones ; quia dedi in deserto aquas, flumina in invio, ut darem potum populo meo. Populum istum formavi mihi, laudem meam narrabit. »

Isa. c. 56, v. 4, 5 : Quia hæc dicit Dominus eunuchis, qui custodierint sabbatha mea, et elegerint quæ ego volui, et tenuerint fœdus meum : dabo eis in domo meâ et in muris meis locum, et nomen melius à filiis et filiabus, nomen sempiternum dabo eis quod non peribit. »

Isa. c. 62, v. 2, 3 : « Et videbunt gentes Justum tuum, et cuncti reges inclytum tuum, et vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominabit. Et eris corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui. Non vocaberis ultrà, Derelicta ; et terra tua non vocabitur ampliùs, Desolata ; sed vocaberis, Voluntas mea in eâ, et terra tua inhabitata, quia complacuit Domino in te, et terra tua inhabitabitur. »

Isa. c. 65, v. 15 *et seq.* : Et dimittetis nomen vestrum in juramentum electis meis, et interficiet te Dominus Deus, et servos suos vocabit nomine alio...... Ecce enim ego creo cœlos novos, et terram novam, et non erunt in memoriâ priora, et non ascendent super cor : sed gaudebitis et exsultabitis usque in sempiternum his quæ ego creo. »

Isa. c. 66, v. 22 : « Quia sicut cœli novi, et terra nova, quæ ego facio stare coràm me, dicit Dominus, sic stabit semen vestrum, et nomen vestrum.

Jerem. c. 4, v. 3, 4 : « Hæc enim dicit Dominus viro Juda et Jerusalem : Novate vobis novale, et nolite serere super spinas ; circumcidimini Domino, et auferte præputia cordium vestrorum, viri Juda, et habitatores Jerusalem. »

Jerem. c. 11, v. 19, 20 : « Et dabo eis cor unum, et spiritum novum tribuam in visceribus eorum ; et auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis, ut in præceptis meis ambu-

lent, et judicia mea custodiant, faciantque ea, et sint mihi in populum, et ego sim eis in Deum. »

Jerem. c. 18, v. 31 : « Projicite à vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, et facite vobis cor novum et spiritum novum. »

Jerem. c. 31, v. 31 *et seq.* : « Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Juda fœdus novum; non secundùm pactum quod pepigi cum patribus eorum, in die quâ apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terrâ Ægypti, pactum quod irritum fecerunt, et ego dominatus sum eorum, dicit Dominus. Sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus : Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam, et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum; et non docebit ultrà vir proximum suum, et vir fratrem suum, dicens : Cognosce Dominum; omnes enim cognoscent me à minimo eorum usque ad maximum, ait Dominus; quia propitiabor iniquitati eorum, et peccati eorum non memorabor ampliùs. »

Jerem. c. 34, v. 10, 11 : « Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, et cessare faciam eos, ut ultrà non pascant gregem, nec pascant ampliùs pastores semetipsos, et liberabo gregem meum de ore eorum, et non erit ultrà eis in escam. Quia hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego ipse requiram oves meas, et visitabo eas. »

Ezech. c. 36, v, 25 *et seq.* : « Et effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, et ab universis idolis vestris mundabo vos. Et dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestrî, et auferam cor lapideum de carne vestrâ, et dabo vobis cor carneum; et spiritum meum ponam in medio vestrî, et faciam ut in præceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis et operemini. »

Dan. c. 9, v. 24 : « Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum. »

Mal. c. 4, v. 4 *et seq.* : « Mementote legis Moysi servi mei, quam mandavi ei in Horeb ad omnem Israel, præcepta et judicia. Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequàm veniat dies Domini magnus et horribilis; et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum; ne fortè veniam, et percutiam terram anathemate. »

Matth. c. 26, v. 27, 28 : « Et accipiens calicem gratias egit, et dedit illis, dicens : Bibite ex hoc omnes; hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. » Marc. c. 14, v. 24. Luc. c. 22, v. 20; et 1 Cor. c. 11, v. 25.

Marc. c. 1, v. 27 : « Et mirati sunt omnes, ità ut conquirerent inter se, dicentes : Quidnam est hoc, quænam doctrina hæc nova? »

Joan. c. 4, v. 21 *et seq.* : « Dicit ei Jesus : Mulier, crede mihi, quia venit hora, quandò neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem. Vos adoratis quod nescitis; nos adoramus quod scimus, quia salus ex Judæis est. Sed venit hora, et nunc est, quandò veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. »

Joan. c. 13, v. 34 : Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem. » Et c. 15, v. 12.

Act. c. 17, v. 19, 20 : « Et apprehensum eum ad Areopagum duxerunt, dicentes : Possumus scire quæ est hæc nova, quæ à te dicitur, doctrina? nova enim quædam infers auribus nostris. »

Rom. c. 3, v. 28 : « Arbitramur enim justificari hominem per fidem, sine operibus legis.

Rom. c. 7, v. 6 : « Nunc autem soluti sumus à lege mortis, in quâ detinebamur, ità ut serviamus in novitate spiritûs, et non in vetustate litteræ. »

Cor. c. 3, v. 6 : « Qui et idoneos nos fecit ministros novi testamenti; non litterâ, sed spiritu; littera enim occidit, spiritus autem vivificat. »

2 *Cor.* c. 5, v. 17 : « Si qua ergò in Christo nova creatura, vetera transierunt; ecce facta sunt omnia nova. »

Gal. c. 6, v. 15 : « In Christo enim Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura. » Et Rom. c. 6, v. 4; et c. 12, v. 2; et 1 Cor. c. 5, v. 7. et Eph. c. 4, v. 20 et seq.

Eph. c. 2, v. 14, 15 : « Ipse enim est pax nostra qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne suâ, legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem. »

Col. c. 3, v. 9 *et seq.* : » Nolite mentiri invicem, exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem, secundùm imaginem ejus qui creavit illum, ubi non est Gentilis et Judæus, circumcisio et præputium, Barbarus et Scytha, servus et liber, sed omnia et in omnibus Christus. »

Hebr. c. 7, v. 12 *et seq.* : Reprobatio quidem sit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus et inutilitatem; nihil enim ad perfectum adducit lex; introductio verò melioris spei, per quam proximamus ad Deum. Et quantùm est non sine jurejurando (alii quidem sine jurejurando sacerdotes facti sunt, hic autem cum jurejurando, per eum qui dixit ad illum : *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum: Tu es sacerdos in æternum)* in tantùm melioris testamenti sponsor factus est Jesus. »

Hebr. c. 8, v. 6 *et seq.* : « Nunc autem melius sortitus est ministerium, quantò et melioris testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est. Nam si illud prius culpâ vacâsset, non utiquè secundi locus inquireretur. Vituperans enim eos dicit : *Ecce dies venient, dicit Dominus, et consummabo super domum Israel, et super domum Juda testamentum novum; non secundùm testamentum quod feci patribus eorum, ut educerem illos de terrâ Ægypti, quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo, et ego neglexi eos, dicit Dominus. Quia hoc est testamentum quod disponam domui Israel post dies illos, dicit Dominus : Dando leges meas in mentem eorum; et in corde eorum superscribam eas, et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum...* Dicendo autem novum, veteravit prius. »

Hebr. c. 9, v. 11 *et seq.* : « Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum, non manu factum, id est non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem, introivit semel in Sancta, æterna redemptione inventa. Si enim sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quantò magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi? Et ideò novi testamenti mediator est, ut morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis. »

Hebr. c. 10, v. 11 *et seq.* : « Et omnis quidem sacerdos præstò est quotidiè ministrans, et easdem sæpe offerens hostias, quæ nunquàm possunt auferre peccata; hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dexterâ Dei, de cætero exspectans donec ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus; unâ enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos. Contestatur autem nos et Spiritus Sanctus; postquàm enim dixit : *Hoc autem testamentum quod testabor ad illos post dies illos, dicit Dominus : Dando leges meas in cordibus eorum, et in mentibus eorum superscribam eas, et peccatorum et iniquitatum eorum jam non recordabor ampliùs;* ubi autem horum remissio, jam non est oblatio pro peccato. Habentes itaque, fratres, fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam et viventem per velamen, id est, carnem suam, et sacerdotem magnum super domum Dei, accedamus cum vero corde in plenitudine fidei.

Hebr. c. 12, v. 2 *et seq.* : « Sed accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, et multorum millium Angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis, et judicem omnium Deum, et spiritus justorum perfectorum, et testamenti novi mediatorem Jesum, et sanguinis aspersionem meliùs loquentem quam Abel. »

2 *Petr.* c. 3, v. 13 : « Novos vero cœlos, et novam terram secundùm promissa ipsius exspectamus, in quibus justitia habitat. »

1 *Joan.* c. 2, v. 7, 8 : Charissimi, non mandatum novum scribo vobis, sed mandatum vetus, quod habuistis ab initio. Mandatum vetus est verbum quod audistis. Iterùm mandatum novum scribo vobis, quod verum est et in ipso, et in vobis; quia tenebræ transierunt, et verum lumen jam lucet. »

Apoc. c. 3, v. 12 : Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, et foràs non egredietur ampliùs, et scribam super eum nomen Dei mei, et nomen civitatis Dei mei novæ Jerusalem, quæ descendit de cœlo à Deo meo, et nomen meum novum. » Et Apoc. c. 2, v. 17.

Apoc. c. 21, v. 1 *et seq.* : « Et vidi cœlum novum et terram novam. Primum enim cœlum et prima terra abiit, mare jam non est. Et ego Joannes vidi sanctam civitatem Jerusalem novam descendentem de cœlo à Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo...... Et dixit qui sedebat in throno : Ecce nova facio omnia,

Et dixit mihi : Scribe, quia hæc verba fidelissima sunt et vera. »

1° Quem è quadragesimo tertio Isaiæ capite locum depromimus, Messiæ temporibus non Paulus solùm adscribit in alterâ ad Corinthios, cap. 5, cùm ait : *Si qua ergò in Christo nova creatura, vetera transierunt; ecce facta sunt omnia nova;* sed et Thalmudicus liber Beracoth. Iisdem temporibus adscribunt quoque Rabbini sententiam alteram ex sexagesimo sexto capite Isaiæ, ubi non statis ac certis diebus, sed continenter, nulloque intermisso tempore, vel dierum habito discrimine, futurum vaticinatur ut ad Dei cultum homines conveniant. Quibus consonant ista Pauli ad Colossenses, cap. 2 : *Nemo ergò vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbathorum; quæ sunt umbra futurorum; corpus autem Christi.*

2° Nobilissimum etiam Jeremiæ oraculum è tricesimo primo capite R. Moses ben Nachman refert ad Messiæ ætatem. Inepta verò est, quam proponit R. David Kimchi, interpretatio : non novam enim præsignificari legem statuit, sed priscam illam Mosis in Judæorum animos insinuandam penitùs et obsignandam. Tùm Malachiæ suffragium ambit, cujus præceptum hoc est : *Mementote legis Moysi servi mei, quam mandavi ei in Horeb ad omnem Israel, præcepta et judicia.* Undè colligit Malachiam, postremum Prophetarum, hâc præceptione, non vaticinia tantùm sua, sed et aliorum Prophetarum claudentem, apertè docere, in unicâ lege Mosaica esse acquiescendum, nec aliam porrò exspectari debere. Sed hominis commentum liquidò refellunt ipsa verba Jeremiæ, quibus non solùm promittit Deus futurum, ut novum fœdus paciscatur cum Israelitis, sed fœdus etiam illud novum veteri opponit, ipsumque adeò vetus excludit, utpotè quod ab Israelitis violatum et solutum sit. « Feriam, inquit, domui Israel, et domui Juda fœdus novum, non secundùm pactum quod pepigi cum patribus eorum, in die quâ apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti; pactum quod irritum fecerunt, et ego dominatus sum eorum, dicit Dominus. » Ad Malachiæ verò testimonium quod attinet, id sibi vult, observandam esse quidem legem Mosis, sed tamdiù, quoad per novam Christi legem abrogetur; quod et indicant quæ proximè subjicit, cap. 4 : *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequàm veniat dies Domini magnus et horribilis.* Ac si diceret fore ut ad Joannem usque lex vigeat; quod clariùs pronuntiavit Christus Jesus apud Matthæum, cap. 11 : *Omnes Prophetæ et lex usque ad Joannem prophetaverunt; et si vultis recipere, ipse est Elias qui venturus est;* quæ planissima est Malachianæ illius προῤῥήσεως interpretatio. Addit Malachias de Eliâ illo venturo, cap. 4, v. 6 : *Et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum; ne fortè veniam, et percutiam terram anathemate.* Nempè hoc loco Jeremiæ quem scrutamur : « Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus : Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam; et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit ultrà vir proximum suum, et vir fratrem suum, dicens : Cognosce Dominum; omnes enim cognoscent me, à minimo eorum usque ad maximum, ait Dominus; quia propitiabor iniquitati eorum, et peccati eorum non memorabor ampliùs. » Accedit Malachiæ ipsius testificatio, quo meliorem ipsi interpretem dare non possumus : « Non est, inquit, cap. 1, v. 10, 11, mihi voluntas in vobis dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestrâ : ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda; quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum. »

3° Quæ Malachiæ sententia, ut illustris est imprimìs ac splendida, cùm eam popularibus suis vitio ac dedecori verti intelligerunt Rabbini, pro suâ vafritie perversis etiam interpretationibus eludere tentârunt. Sunt qui dicant Deum id sibi velle : Quantùmlibet in idolis, vel stellis, minutisque diis compluribus colendis effusa sit ethnicorum impietas, unum tamen summum, ac supremum Deum venerantur, quod mihi longè est gratissimum. Hujus expositionis auctor est R. Delomoh Jarchi, assertores R. David Kimchi et R. Aben Ezra. Ea verò quàm absona sit et falsa, liquet ex eo quòd inter gentes idolorum cultui addictas obscura sit supremi Dei ac ferè nulla notitia, neque ulla ipsi sacrificia fiant. Id ergò quodcumque honoris est, impiis cæremonis ac nefario cultu idolis exhibito, tot vero Dei sanctionibus vetito conjunctum, videant quo jure, quâve ratione *oblationem mundam* appellare queant. Impia quidem hæc est et absurda interpretatio; commentitia verò et ad arbitrium conficta altera, quam proponit idem Jarchi, Deum nempè significare, Judæorum qui inter gentes dispersi

versantur comprecationes sibi etiam sine victimis fusas perplacere. Quæ cùm Prophetæ verbis pugnant ex adverso; quippè honores à gentibus sibi habitos Deus opponit cultui à Judæis præstito, et apertis verbis affirmat sibi ab his sacrificari; id enim sonant verba hæc : *Munus non suscipiam de manu vestrâ.* Aliam prætereà prædictionis hujus explicationem, haud minùs futilem, proponunt David Kimchi et Aben Ezra, hanc videlicet : Si à Gentibus, itidem ut à vobis, munera mihi offerri vellem, munda ea et selecta offerrent; vos verò strigosas et malè habitas hostias mihi offertis. Atqui non lege aliquâ seu conditione propositio hæc conjuncta est, sed simplex; nec id fore, aut fieri posse, sed esse reipsà ac fieri dixit Deus. Cùm igitur in testimonio hoc retundendo vana sit Rabbinorum opera, germanus ei sensus restituendus est. Primùm cùm munera Judæorum respuere se pronuntiat Deus, abrogatio Mosaicæ legis futura notatur. Tùm adjicit agnituras fore nomen suum gentes, et per totum orbem mundis offerumentis sese propitiatum iri. Antè Christi Jesu ortum haudquaquàm id contigit; tùm enim mundum penè universum profana religio insidebat. Statim verò post Jesum superstitiones suas dedidicerunt homines, et cunctas regiones Christi doctrina pervasit; adeò ut ad hanc diem puris sacrificiis Deus placetur. Purum autem sacrificium, et *oblationem mundam*, in animi omni noxarum labe purgati, et ad Dei obsequium parati, sinceritate et candore positam esse perspicias ex consentaneis Jeremiæ et Malachiæ testimoniis, quæ proximè recitavimus. Tunc autem mundus ille ac sincerus cultus Deo præstitus est, cùm veterem abrogavit Christus Jesus. Id quod declaravit ipse apertè, cum Samaritanæ mulieri diceret, Joan. c. 4, v. 23 : *Venit hora, et nunc est, quandò veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate.* Hæ nimirùm offeruntur *spirituales hostiæ, acceptabiles Deo per Jesum Christum* (1 Petr. c. 2, v. 5). Ad Malachiam profectò respexisse videtur Paulus, cùm scriberet ista ad Timotheum : *Volo ergò viros orare in omni loco, levantes puras manus sine irâ et disceptatione.* Sed et aliud prætereà sacrificium, propriè ac strictè sumptum, Malachiæ verbis adumbratur, incruentum nempè, quod Deo in Ecclesiâ Christi offertur quotis quibusque diebus. Geminum igitur hic notatur et prædicitur sacrificium, vel latiùs sumpto vocabulo sacrificii, quod fit per preces ac vota puro pectore concepta vel strictè sumpto, ejus videlicet quod fit ad altaria per Sacerdotes Christi. Jure ergò vetusti Ecclesiæ Patres, Justinus, Irenæus, Cyprianus, aliique plures, testimonio hoc. sic tanquam validissimo telo, adversùs Judæos dimicârunt.

4° Attingendum hic quoque obiter, quod infrà exponemus, Josuam in locum defuncti Mosis suffectum, symbolum esse legis Christi Jesu, per quam Mosis abrogata lex est. Deinde quemadmodùm secundæ circumcisionis auctor Josue Hebræis fuit, ità per Jesum Christum circumciduntur corda nostra; et hæc quidem secunda circumcisio est, cùm vetus Mosaica truncaret corpus, nova hæc animum purget. Denique quod prisca lex abolita sit, rectè concludit Tertullianus Christum venisse. « Imprimis, inquit, definiendum est, non potuisse « cessare legem antiquam et Prophetas, nisi « venisset is qui per eamdem legem, et per « eosdem Prophetas venturus annuntiabatur. »

5° Atenim æternitatem Mosaicæ legis sibi promissam objiciunt Judæi. *Erit vobis hoc legitimum sempiternum*, inquit Dominus, Exod. c. 30, v. 21. Et alibi, Levit. c. 16, v. 29 : *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino; nec addas quidquam, nec minuas.* Ex quibus verbis colligit Maimonides in Misnâ suâ, libro de Fundamentis legis, legem esse æternam, nec ulli mutationi obnoxiam. Nos verò alibi docuimus, voces illas, עולם, et לעולם, et עולם עד, non semper æternitatem temporis, sed sæpè diuturnitatem; non semper infinitum tempus, sed sæpè indefinitum, quandoquè etiam finitum notare. Nihil autem facit ad rem testimonium à Deuteronomio, cap. 12, v. 32, petitum : nam, ut optimè pro nobis respondet R. Joseph Albo, libro tertio Fundamentorum, cap. 16, monemur hoc præcepto, ne Legem vel addendo, vel detrahendo refingere audeamus. Sibi verò eam penitùs abolendi jus Deus non detrahit. Sed opprimamus Judæos auctoritate magistrorum suorum. Est in Thalmudis libro Avoda Zara, ab Eliâ traditum fuisse, sex annorum millibus definitam esse mundi diuturnitatem, quorum priora duo millia futura sint sine lege; sequentibus duobus millibus vigeat lex; quibus succedat, et per duo postrema millia servetur Messiæ doctrina. Undè liquet post duo annorum millia abrogandam esse legem Mosis. Est in Midrasch Coheleth, *Legem quam homo discit in hoc seculo, vanitatem esse præ lege Messiæ.* Est denique apud R. Simeonem in Jalkut, Deum per Messiam novam legem esse daturum.

6° Christianam quoque causam plurimùm labefactari putant Judæi his Jesu Christi verbis,

apud Matth. c. 5, v. 17, 18 : « Nolite putare quoniam veni solvere legem aut prophetas; non veni solvere, sed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec transeat cœlum et terra, iota unum, aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. Qui ergò solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum. » Tantùm abest ergò, inquiunt, ut Jesus Mosaicam legem antiquaverit, ut id ne fieret, disertè caverit. At falluntur Judæi, perperàm sumpto legis vocabulo, quæ non hìc præscriptos cæremoniarum ritus, vel judicialia et moralia præcepta signat, sed legis ipsius summam ac finem, quò præcepta singula privatìm spectabant. Finem verò hunc præscribit alibi Jesus ipse, Matth. c. 22, v. 37 et seq. : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in totâ animâ tuâ, et in totâ mente tuâ. Hoc est maximum et primum mandatum. Secundum autem simile est huic : Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet et prophetæ. » Præclarè Paulus ad Romanos, cap. 13, v. 8 et seq. « Qui diligit proximum, legem implevit; nam : Non adulterabis, Non occides, Non furaberis, Non falsum testimonium dices, Non concupisces, et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur : Diliges proximum tuum, sicut teipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergò legis est dilectio. » Itaque Judæorum insaniam castigat in priore ad Timotheum, c. 1, v. 5 et seq., qui legem callere se putantes, quò ipsa pertineret haudquaquàm intelligebant, summam ejus in rituum quorumdam observatione ponentes : « Finis autem præcepti est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta : à quibus quidam aberrantes, conversi sunt in vaniloquium, volentes esse legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. » Sed et ipse Moses ad Legis finem digitum intenderat dicens, Deut. c. 30, v. 6 : « Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, et cor seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, et in totâ animâ tuâ, ut possis vivere. » Cum autem in lege ipsâ satis præsidii non esset ad hunc finem assequendum, subsidio fuit Christus, ac opem laborantibus ferens, et ad optatum deducens finem, imbecillitatem atque defectum legis resarsit. Prædicabat id Paulus apud Pisidas, ut refert Lucas in Actis, cap. 13, v. 38 : « Ab omnibus, quibus non potuistis in lege Moysis justificari, in hoc (Christo) omnis qui credit justificatur. » Fusè hoc argumentum tractatum habes nono et decimo capite Epistolæ ad Hebræos, undè cognoscas inopiam legis, cui quæcumque deerant, ea Christus Jesus abundè supplevit. Nam quamvis in decimo octavo Psalmo lex dicatur perfecta, non ideò summam ipsi perfectionem tribui censendum est, sed eam tantùm quam postulabant tempora illa, quibus condita est. Hâc responsione utitur R. Joseph Albo, libro tertio Iccarim, cap. 36; qui et familiari comparatione rem explanat : Lac cibus est puero accommodatus, quo perfecte nutritur; secùs erit, si idem viro adhibeas. Præterea Messiam unum spectabant Testamenti Veteris oracula, adeò ut prisci hujus complementum sit Testamentum Novum. « Finis legis Christus ad justitiam omni credenti, » inquit Paulus in Epistola ad Romanos, cap. 10, v. 4. Idem ad Galatas, cap. 3, v. 24 : « Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur; at ubi venit fides, jam non sumus sub pædagogo. « Et ad Colossenses, cap, 2, v. 16, 17 : « Nemo ergò vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbathorum, quæ sunt umbra futurorum; corpus autem Christi. » Docet quoque in Epistola ad Hebræos, cap. 10, v. 1, legem habere umbram futurorum bonorum, eorum videlicet quæ per Christum adepti sumus. Itaque Christus legem non solvit, sed absolvit, cùm ejus prædictiones in se ad exitum perduxit; cùm ad propositum præceptionibus legis finem, pietatem nempè in Deum et charitatem ergà homines, quæ tamen per legem ipsam haudquaquàm fuissemus consecuti, gratiâ ipsius et benignitate pervenimus. « Legem ergò destruimus per fidem ? » ait Paulus ad Rom. c. 3, v. 31, « absit; legem statuimus. » Ac meritò Judæos his verbis castigat 2, Cor. c. 3, v. 14 et seq. : « Obtusi sunt sensus eorum; usque in hodiernum enim diem idipsum velamen in lectione veteris testamenti manet non revelatum, quoniam in Christo evacuatur; sed usque in hodiernum diem, cùm legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum. Cùm autem conversus fuerit ad Dominum, auferetur velamen.

CAPUT CVIII.

Jesu lex spiritualis et æterna.

Deut. c. 30, v. 6 : « Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, et cor seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum in toto animâ tuâ, ut possis vivere. »

1 *Reg.* c. 15, v. 22 : Et ait Samuel : Num-

quid vult Dominus holocausta et victimas, et non potiùs ut obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia quàm victimæ, et auscultare magis quàm offerre adipem arietum.

Psalm. 36, v. 31 : « Os justi meditabitur sapientiam, et lingua ejus loquetur judicium: lex Dei ejus in corde ipsius. »

Psalm. 49, v. 7 *et seq.* : « Audi, populus meus, et loquar; Israel, et testificabor tibi, Deus tuus ego sum. Non in sacrificiis tuis arguam te; holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper. Non acipiam de domo tuâ vitulos, neque de gregibus tuis hircos..... Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua : et invoca me in die tribulationis; eruam te, et honorificabis me. »

Psalm. 50, v. 12 *et seq.* : « Cor mundum crea in me, Deus, spiritum rectum innova in visceribus meis; ne projicias me à facie tuâ, et spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi lætitiam salutaris tui, et spiritu principali confirma me. »

Psalm. 103, v. 30 : « Emitte spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terræ. »

Psalm. 110, v. 6 *et seq.* : « Memor erit in seculum testamenti sui....... Fidelia omnia mandata ejus, confirmata in seculum seculi, facta in veritate et æquitate. Redemptionem misit populo suo : mandavit in æternum testamentum suum.

Psalm. 142, v. 10 : « Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. »

Isa. c. 1, v. 14 *et seq.* : « Calendas vestras et solemnitates vestras odivit anima mea; facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens. Et cùm extenderitis manus vestras, avertam oculos meos à vobis, et cùm multiplicaveritis orationem, non exaudiam; manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis; quiescite agere perversè, discite benefacere, quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam. Et venite, et arguite me, dicit Dominus; si fuerint peccata vestra, ut coccinum, quasi nix dealbabuntur; et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt. » Et Mich. c 6, v. 6 et seq.

Isa. c. 44, v. 2, 3 : « Noli timere, serve meus Jacob, et rectissime, quem elegi; effundam enim aquas super sitientem, et fluenta super aridam, effundam spiritum meum super semen tuum, et benedictionem meam super stirpem tuam. »

Isa. c. 51, v. 7 : Audite me, qui scitis justum, populus meus; lex mea in corde eorum. »

Isa. c. 57, v. 15 : « Quia hæc dicit Excelsus et sublimis, habitans æternitatem, et Sanctum nomen ejus in excelso, et in sancto habitans, et cum contrito et humili spiritu, ut vivificet spiritum humilium, et vivificet cor contritorum. »

Isa. c. 58, v. 5 *et seq.* : « Numquid tale est jejunium quod elegi, per diem affligere animam suam? numquid contorquere quasi circulum caput suum, et saccum, et cinerem sternere? numquid istud vocabis jejunium, et diem acceptabilem Domino? nonne hoc est magis jejunium quod elegi? dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes, dimitte eos qui confracti sunt liberos, et omne onus dirumpe; frange esurienti panem tuum, et egenos, vagosque induc in domum tuam; cùm videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, et sanitas tua citiùs orietur, et anteibit faciem tuam justitia tua, et gloria Domini colliget te; tunc invocabis, et Dominus exaudiet; clamabis, et dicet : Ecce adsum; si abstuleris de medio tuî catenam, et desieris extendere digitum, et loqui quod non prodest. Cùm effuderis esurienti animam tuam, et animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux tua, et tenebræ tuæ erunt sicut meridies, et requiem tibi dabit Dominus semper, et implebit splendoribus animam tuam. »

Isa. c. 61, v. 1 *et seq.* : « Spiritus Domini super me, eò quòd unxerit Dominus me; ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et prædicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem, ut prædicarem annum placabilem Domino, et diem ultionis Deo nostro, ut consolarer omnes lugentes, ponerem lugentibus Sion, et darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris. »

Jerem. c. 4, v. 4 : « Circumcidimini Domino, et auferte præputia cordium vestrorum, viri Juda, et habitatores Jerusalem. »

Jerem. c. 9, v. 25, 26 : « Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et visitabo super omnem qui circumcisum habet præputium, super Ægyptum, et super Juda, et super Edom, et super filios Ammon, et super Moab, et super omnes qui attonsi sunt in comam, habitantes in deserto; quia omnes gentes habent præputium;

omnis autem domus Israel incircumcisi sunt corde. »

Jerem. c. 24, v. 7 : « Et dabo eis cor, ut sciant me, quia ego sum Dominus, et erunt mihi in populum, et ego ero eis in Deum, quia revertentur ad me in toto corde suo. »

Jerem. c. 31, v. 31 *et seq.* : Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israel, et domui Juda fœdus novum, non secundùm pactum quod pepigi cum patribus eorum, in die quâ apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terrâ Ægypti; pactum quod irritum fecerunt, et ego dominatus sum eorum, dicit Dominus. Sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus; dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam, et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit ultrà vir proximum suum, et vir fratrem suum, dicens : Cognosce Dominum; omnes enim cognoscent me à minimo eorum usque ad maximum, ait Dominus; quia propitiabor iniquitati eorum, et peccati eorum non memorabor amplius. »

Jerem. c. 32, v. 37 *et seq.* : « Et erunt mihi in populum, et ego ero eis in Deum : et dabo eis cor unum, et viam unam, ut timeant me universis diebus, et benè sit eis, et filius eorum post eos; et feriam eis pactum sempiternum, et non desinam eis benefacere, et timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant à me. »

Baruch. c. 2, v. 35 : « Et statuam illis testamentum alterum sempiternum. »

Ezech. c. 11, v. 19 : « Et dabo eis cor unum, et spiritum novum tribuam in visceribus eorum, et auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum, ut in præceptis meis ambulent, et judicia mea custodiant, faciantque ea, et sint mihi in populum, et ego sim eis in Deum. » Et Ezech. c. 36, v. 26, 27.

Ezech. c. 18, v. 31 : « Projicite à vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, et facite vobis cor novum, et spiritum novum. »

Ezech. c. 39, v. 29 : « Et non abscondam ultrà faciem meam ab eis, eò quòd effuderim spiritum meum super omnem domum Israel, ait Dominus Deus. »

Ose. c. 6, v. 6 : « Quia misericordiam volui, et non sacrificium, et scientiam Dei plusquàm holocausta. »

Joel. c. 2, v. 12 *et seq.* : « Nunc ergò, dicit Dominus, convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu. Et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra; et convertimini ad Dominum Deum vestrum..... Et erit post hæc, effundam spiritum meum super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri, et filiæ vestræ; senes vestri somnia somniabunt, et juvenes vestri visiones videbunt. Sed et super servos meos et ancillas in diebus illis effundam Spiritum meum. »

Zach. c. 12, v. 10 : « Et effundam super domum David, et super habitatores Jerusalem, spiritum gratiæ et precum. »

Malach. c. 1, v. 10, 11 : « Quis est in vobis qui claudat ostia, et incendat altare meum gratuitò ? Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestrâ. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum. »

Matth. c. 3, v. 11 : « Ego quidem baptizo vos in aquâ in pœnitentiam; qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare; ipse baptizabit vos in Spiritu sancto et igni. » Et Marc. c. 1, v. 8. Luc. c. 3, v. 16. Act. c. 11, v. 16.

Matth. c. 10, v. 20 : « Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. » Et Marc. c. 13, v. 11. Luc. c. 12, v. 12.

Luc. c. 1, v. 15 *et seq.* : « Et Spiritu sancto replebitur (Joannes) adhuc ex utero matris suæ; et ipse præcedet antè illum in Spiritu et virtute Eliæ, ut convertat corda patrum in filios, et incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam. »

Luc. c. 11, v. 13 : « Si ergò vos cùm sitis mali, nôstis bona data dare filiis vestris, quantò magis Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se ? »

Joan. c. 3, v. 5 *et seq.* : « Respondit Jesus : Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est; et quod natum est ex spiritu, spiritus est. Non mireris quia dixi tibi : Oportet vos nasci denuo. Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis, sed nescis undè veniat, aut quo vadat; sic est omnis qui natus est ex spiritu. »

Joan. c. 4, v. 23 : » Sed venit hora, et nunc est, quandò veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. »

Joan. c. 6, v. 64 : « Spiritus est qui vivificat : caro non prodest quidquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt. »

Joan. c. 7, v. 39 : « Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum; nondùm erat enim spiritus datus, quia Jesus nondùm erat glorificatus. »

Joan. c. 14, v. 16 *et seq.* : » Et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum; vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, et in vobis erit....... Hæc locutus sum vobis, apud vos manens; Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis. »

Joan. c. 15, v. 26 : « Cùm autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. »

Joan. c. 16, v. 7 *et seq.* : « Expedit vobis ut ego vadam; si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos....... Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, non enim loquetur à semetipso; sed quæcumque audit, loquetur; et quæ ventura sunt, annuntiabit vobis. »

Act. c. 1, v. 5, 8 : « Quia Joannes quidem baptizavit aquâ, vos autem baptizabimini Spiritu sancto, non post multos hos dies..... accipietis virtutem supervenientis Spiritûs sancti in vos. »

Act. c. 2, v. 2 *et seq.* : « Et factus est repentè de cœlo sonus, tanquàm advenientis de cœlo spiritûs vehementis, et replevit totam domum ubi erant sedentes..... et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis..... Sed hoc est quod dictum est per Prophetam Joel : *Et erit in novissimis diebus dicit Dominus, effundam de spiritu meo super omnem carnem.....* Et quidem super servos meos, et super ancillas meas, in diebus illis effundam de Spiritu meo....... Hunc Jesum resuscitavit Deus, cujus omnes nos testes sumus. Dexterâ igitur Dei exaltatus, et promissione Spiritûs sancti acceptâ à Patre, effudit hunc quem vos videtis et auditis....... Petrus verò ad illos : Pœnitentiam, inquit, agite, et baptizetur unusquisque vestrùm in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum Spiritûs sancti. »

Act. c. 4, v. 31 : « Et cùm orâssent, motus est locus in quo erant congregati, et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et loquebantur verbum Dei cum fiduciâ. »

Act. c. 6, v. 3 : « Considerate ergò, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu sancto, et sapientiâ, quos constituamus super hoc opus. »

Act. c. 7, v. 55 : « Cùm autem esset plenus Spiritu sancto (Stephanus) intendens in cœlum, vidit gloriam Dei. »

Act. c. 8, v. 15 *et seq.* : « Quia cùm venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum; nondùm enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantùm erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum. Cùm vidisset autem Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens : Date et mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum. Petrus autem dixit ad eum : Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimâsti pecuniâ possideri. »

Act. c. 9, v. 17, 31 : « Et abiit Ananias, et introivit in domum, et imponens ei manus dixit : Saule frater, Dominus misit me Jesus, qui apparuit tibi in viâ quâ veniebas, ut videas, et implearis Spiritu sancto..... Ecclesia quidem per totam Judæam, et Galilæam, et Samariam, habebat pacem, et ædificabatur ambulans in timore Domini, et consolatione Sancti Spiritûs replebatur. »

Act. c. 10, v. 44 *et seq.* : « Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum, et obstupuerunt ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro, quia et in nationes gratia Spiritûs sancti effusa est. »

Act. c. 11, v. 15 *et seq.* : « Cùm autem cœpissem loqui, cecidit Spiritus sanctus super eos, sicut et in nos in initio. Recordatus sum autem verbi Domini, sicut dicebat : Joannes quidem baptizavit aquâ; vos autem baptizabimini Spiritu sancto..... Et miserunt Barnabam..... qui erat vir bonus, et plenus Spiritu sancto et fide. »

Act. c. 13, v. 9 *et seq.* : « Saulus autem, qui et Paulus, repletus Spiritu sancto, intuens in eum dixit : O plene omni dolo!... Discipuli quoque replebantur gaudio et Spiritu sancto,

Act. c. 15, v. 8, 28 : « Et qui novit corda Deus, testimonium perhibuit, dans illis (gentibus) Spiritum sanctum, sicut et nobis..... Visum est enim Spiritui sancto et nobis, nihil ultrà vobis imponere oneris, quàm hæc necessaria. »

Act. c. 16, v. 6 : « Transeuntes autem Phrygiam, et Galatiæ regionem, vetati sunt à Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asiâ. »

Act. c. 19, v. 2 *et seq.* : « Dixitque ad eos : Si Spiritum sanctum accepistis credentes ?..... Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos. »

Act. c. 20, v. 22, 23 : « Et nunc ecce alligatus ego spiritu, vado in Jerusalem, quæ in eâ ventura sint mihi ignorans, nisi quod Spiritus sanctus per omnes civitates mihi protestatur dicens : Quoniam vincula et tribulationes Jerosolymis me manent. »

Rom. c. 1, v. 4 : « Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundùm spiritum sanctificationis. »

Rom. c. 2, v. 28, 29 : « Non enim qui in manifesto, Judæus est; neque quæ in manifesto, in carne, est circumcisio : sed qui in abscondito, Judæus est; et circumcisio cordis in spiritu, non litterâ, cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est. »

Rom. c. 5, v. 5 : « Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. »

Rom. c. 7, v. 6, 14 : « Nunc autem soluti sumus à lege mortis, in quâ detinebamur, ità ut serviamus in novitate spiritûs, et non in vetustate litteræ....... Scimus enim quia lex spiritualis est. »

Rom. c. 8, v. 2 *et seq.* : « Lex enim spiritûs vitæ in Christo Jesu liberavit me à lege peccati et mortis..... Ut justificatio legis impleretur in nobis, qui non secundùm carnem ambulamus, sed secundum spiritum....... nam prudentia carnis, mors est; prudentia autem spiritus, vita et pax..... Vos autem in carne non estis, sed in spiritu, si tamen spiritus Dei habitat in vobis..... Quòd si Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum à mortuis, habitat in vobis, qui suscitavit Jesum Christum à mortuis, vivificabit et mortalia corda vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis. Ergò, fratres, debitores sumus, non carni, ut secundùm carnem vivamus : si enim secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Non enim accepistis spiritum servitutis iterùm in timore; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba (Pater). Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. »

Rom. c. 14, v. 17 : « Non est enim regnum Dei, esca et potus; sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto. »

Rom. c. 15, v. 13 : « Deus autem spei repleat vos omni gaudio, et pace in credendo, ut abundetis in spe, et virtute Spiritûs sancti. » Et c. 15, v. 19.

1 *Cor.* c. 2, v. 12 *et seq.* : « Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis, quæ et loquimur, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrinâ spiritûs, spiritualibus spiritualia comparantes. Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei; stultitia enim est illi, et non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur. Spiritualis autem judicat omnia, et ipse à nemine judicatur. »

1 *Cor.* c. 3, v. 16 : « Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis ? »

1 *Cor.* c. 6, v. 11 : « Et hæc quidem fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri. »

1 *Cor.* c. 9, v. 11 : « Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus ? »

1 *Cor.* c. 10, v. 1 *et seq.* : « Nolo enim vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt, et omnes in Moyse baptizati sunt, in nube, et in mari, et omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritalem biberunt (biberant autem de spiritali consequente eos petrâ; petra autem erat Christus). »

1 *Cor.* c. 12, v. 13 : « Etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive Gentiles, sive servi, sive liberi, et omnes in uno spiritu potati sumus. »

1 *Cor.* c. 14, v. 1 : « Sectamini charitatem, æmulamini spiritalia. »

1 *Cor.* c. 15, v. 45 : « Factus est primus homo Adam, in animam viventem; novissimus Adam, in spiritum vivificantem. Sed non priùs quod spiritale est, sed quod animale, deindè quod spiritale. Primus homo de terrâ, terrenus; secundus homo de cœlo, cœlestis. Qualis terrenus, tales et terreni; et qualis cœlestis, tales et cœlestes. Igitur sicut portavimus ima-

ginem terreni, portemus et imaginem cœlestis. Hoc autem dico, fratres, quia caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio incorruptelam possidebit. »

2 *Cor*. c. 2, v. 21, 22 : « Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos Deus, qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritûs in cordibus nostris. »

2 *Cor*. c. 3, v. 6 : « Epistola estis Christi, ministrata à nobis, et scripta, non atramento, sed Spiritu Dei vivi..... qui et idoneos nos fecit ministros novi testamenti, non litterà, sed spiritu; littera enim occidit, spiritus autem vivificat. »

2 *Cor*. c. 5, v. 5 : « Deus qui dedit nobis pignus Spiritûs. »

Gal. c. 3, v. 2, 5 : « Hoc solùm à vobis volo discere; ex operibus legis Spiritum recepistis, an ex auditu fidei ?..... Qui ergò tribuit vobis Spiritum, et operatur virtutes in vobis, ex operibus legis, an ex auditu fidei ? »

Gal. c. 4, v. 6 : « Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem Abba (Pater). »

Gal. c. 5, v. 16 *et seq.* : « Dico autem : Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficiatis..... Quòd si spiritu ducimini, non estis sub lege. Manifesta sunt autem opera carnis... Fructus autem Spiritûs est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Adversùs hujusmodi non est lex..... Si spiritu vivimus, spiritu et ambulemus. »

Gal. c. 6, v. 8 : « Quoniam qui seminat in carne suâ, de carne et metet corruptionem; qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. »

Eph. c. 1, v. 13 *et seq.* : « In quo (Jesu) et vos cum audissetis verbum veritatis (Evangelium salutis vestræ), in quo et credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius..... Non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis, ut Deus Domini nostri Jesu Christi, pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ et revelationis in agnitione ejus. »

Eph. c. 4, v. 23, 24 : « Renovamini autem spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundùm Deum creatus est in justitiâ, et sanctitate veritatis. »

Eph. c. 5, v. 18, 19 : « Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria sed implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in Psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino. »

Eph. c. 6, v. 11 *et seq.* : « Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli, quoniam non est nobis colluctatio adversùs carnem et sanguinem, sed adversùs principes et potestates, adversùs mundi rectores tenebrarum harum ; contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare. State ergò succincti lumbos vestros in veritate, et induti loricam justitiæ, et calceati pedes in præparatione evangelii pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea exstinguere ; et galeam salutis assumite, et gladium spiritûs, quod est verbum Dei, per omnem orationem et obsecrationem orantes omni tempore in spiritu. »

Phil. c. 3, v. 3 : « Nos enim sumus circumcisio, qui spiritu servimus Deo, et gloriamur in Christo Jesu, et non in carne fiduciam habentes. »

Col. c. 2, v. 11, 12 : « In quo et circumcisi estis circumcisione non manu factà, in exspoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi, consepulti ei in baptismo, in quo et resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum à mortuis. »

Col. c. 3, v. 9 *et seq.* : « Nolite mentiri invicem, exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum eum qui renovatur in agnitionem, secundùm imaginem ejus qui creavit illum, ubi non est Gentilis et Judæus, circumcisio et præputium, Barbarus et Scytha, servus et liber ; sed omnia et in omnibus Christus. Induite vos ergò sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, prudentiam. «

1 *Thess*. c. 1, v. 5 : « Evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantùm, sed et in virtute et Spiritu sancto. »

Tit. c. 3, v. 4, 5 : « Cùm autem benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei ; non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritûs sancti, quem effudit in nos abundè per Jesum Christum Salvatorem nostrum. »

Hebr. c. 8, v. 6 *et seq.* : « Nunc autem melius sortitus est ministerium, quantò et melioris testamenti mediator est, quod in melioribus

repromissionibus sancitum est. Nam si illud prius culpâ vacâsset, non utique secundi locus inquireretur. Vituperans enim eos dicit : *Ecce dies venient, dicit Dominus, et consummabo super domum Israel, et super domum Juda testamentum novum; non secundùm testamentum quod feci patribus eorum, in die quâ apprehendi manum eorum, ut educerem illos de terrâ Ægypti, quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo, et ego neglexi eos, dicit Dominus. Quia hoc est testamentum, quod disponam domui Israel post dies illos, dicit Dominus : Dando leges meas in mentem eorum, et in corde eorum superscribam eas; et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum; et non docebit unusquisque proximum suum, et unusquisque fratrem suum, dicens : Cognosce Dominum, quoniam omnes scient me à minore usque ad majorem eorum, quia propitius ero iniquitatibus eorum, et peccatorum eorum jam non memorabor.* »

Hebr. c. 13, v. 20 : « Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis Pastorem magnum ovium, in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum Jesum Christum. »

Jac. c. 4, v. 8 : Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis; emundate manus, peccatores; et purificate corda, duplices animo. »

1 *Petr.* c. 2, v. 5 : « Et ipsi tanquàm lapides vivi superædificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo, per Jesum Christum. »

1 *Joan.* c. 3, v. 24 : « Et in hoc scimus quoniam manet in nobis, de Spiritu quem dedit nobis. »

1 *Joan.* c. 4, v. 13 : « In hoc cognoscimus quoniam de Spiritu suo dedit nobis.

1 *Joan.* c. 6, v. 6 : « Et Spiritus est qui testificatur, quoniam Christus est veritas. »

Jud. c. 19, v. 20 : « Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes. Vos autem, charissimi, superædificantes vosmetipsos sanctissimæ vestræ fidei, in Spiritu sancto orantes, vosmetipsos in dilectione Dei servantes. »

CAPUT CIX.

Jesu regnum spirituale et æternum.

Psalm. 2, v. 6 *et seq.* : « Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus. Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodiè genui te; postula à me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virgâ ferreâ, et tanquàm vas figuli confringes eos. »

Psalm. 44, v. 7 : « Sedes tua, Deus, in seculum seculi, virga directionis virga regni tui. »

Psalm. 71, v. 1 *et seq.* : « Deus, judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis; judicare populum tuum in justitiâ, et pauperes tuos in judicio...... Judicabit pauperes populi, et salvos faciet filios pauperum, et humiliabit calumniatorem : et permanebit cum sole, et antè lunam, in generatione et generationem.... et dominabitur à mari usque ad mare, et à flumine usque ad terminos orbis terrarum...... Et adorabunt eum omnes reges terræ; omnes gentes servient ei...... Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ; omnes gentes magnificabunt eum. »

Psalm. 109, v. 1 *et seq.* : « Dixit Dominus Domino meo : Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion; dominare in medio inimicorum tuorum. Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum; ex utero ante Luciferum genui te. »

Isa. c. 9, v. 9, 7 : « Parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus, et vocabitur nomen ejus, Admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri seculi, princeps pacis; multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis; super solium David et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud et corroboret in judicio et justitiâ, à modò et usque in sempiternum. »

Isa. c. 11, v. 1 *et seq.* : « Et egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectûs, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini. Non secundùm visionem oculorum judicabit, neque secundùm auditum aurium arguet; sed judicabit in justitiâ pauperes et arguet in æquitate pro mansuetis terræ; et percutiet terram virgâ oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium. Et erit justitia cingulum lumborum ejus, et fides cinctorium renum ejus. Habitabit lupus cum agno, et pardus cum hædo accubabit; vitulus et leo, et ovis simul morabuntur, et puer parvulus minabit eos. Vitulus et ursus pascentur; simul requiescent catuli eorum, et leo quasi bos comedet paleas; et delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis, et in cavernâ reguli qui ablactatus fuerit manum suam mittet. »

Dan. c. 2, v. 44 : « In diebus autem regnorum illorum, suscitabit Deus cœli regnum quod in æternum non dissipabitur, et regnum ejus alteri populo non tradetur : comminuet autem et consumet universa regna hæc, et ipsum stabit in æternum. »

Dan. c. 7, v. 13, 14 : « Aspiciebam ergò in visione noctis, et ecce cum nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat, et usque ad Antiquum dierum pervenit, et in conspectu ejus obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum ; et omnes populi, tribus, et linguæ ipsi servient ; potestas ejus, potestas æterna quæ non auferetur, et regnum ejus quod non corrumpetur. »

Ose. c. 1, v. 7 : « Et domui Juda miserebor, et salvabo eos in Domino Deo suo ; et non salvabo eos in arcu, et gladio, et in bello, et in equis, et in equitibus. »

Mich. c. 4, v. 7, 8 : « Regnabit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc nunc et usque in æternum. Et tu, turris gregis, nebulosa filia Sion, usque ad te veniet ; et veniet potestas prima, regnum filiæ Jerusalem. »

Zach. c. 9, v. 9 : Exsulta satis, filia Sion ; jubila, filia Jerusalem ; ecce rex tuus veniet tibi justus et Salvator ; ipse pauper et ascendens super asinam, et super pullum filium asinæ. »

Matth. c. 25, v. 31 *et seq.* : « Cùm autem venerit Filius hominis in majestate suâ et omnes Angeli cum eo, tuus sedebit super sedem majestatis suæ....... Tunc dicet rex his qui à dextris ejus erunt : Venite, benedicti Patris mei. »

Matth. c. 28, v. 18 : « Et accedens Jesus locutus est eis, dicens : Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terrâ. »

Luc. c. 1, v. 32, 33 : « Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David, patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum ; et regni ejus non erit finis. »

Luc. c. 22, v. 29, 30 : « Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo. »

Joan. c. 14, v. 27 : « Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis ; non quomodò mundus dat, ego do vobis. »

Joan. c. 18, v. 36 : « Respondit Jesus : Regnum meum non est de hoc mundo ; si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis ; nunc autem regnum meum non est hinc. »

1 *Cor*. c. 15, v. 24, 25 : « Deindè finis, cum tradiderit regnum Deo et Patri, cùm evacuaverit omnem principatum, et potestatem et virtutem. Oportet autem illum regnare, donec ponat inimicos sub pedibus ejus. »

Eph. c. 1, v. 19 *et seq.* : « Secundùm operationem potentiæ virtutis ejus, quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, et constituens ad dexteram suam in cœlestibus suprà omnem principatum, et potestatem et virtutem, et dominationem, et omne nomen quod nominatur, non solùm in hoc seculo, sed etiam in futuro, et omnia subjecit sub pedibus ejus, et ipsum dedit caput suprà omnem Ecclesiam.

Eph. c. 5, v. 5 : « Hoc enim scitote, intelligentes quòd omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi et Dei. »

Phil. c. 2, v. 9 *et seq.* : « Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen ; ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum ; et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloriâ est Dei Patris. »

Col. c. 1, v. 12, 13 : « Gratias agentes Deo Patri qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum, in lumine ; qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii dilectionis suæ. »

2 *Tim*. c. 4, v. 1 : « Testificor coràm Deo et Jesu Christo, qui judicaturus est vivos et mortuos : per adventum ipsius, et regnum ejus. »

Hebr. c. 1, v. 3 *et seq.* : « Qui cùm sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis...... Ad Filium autem : *Thronus tuus, Deus, in seculum seculi ; virga æquitatis, virga regni tui. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem ; propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo exsultationis præ participibus tuis.* »

2 *Petr*. c. 1, v. 11 : « Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi. »

Apoc. c. 3, v. 21 : « Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus. »

Apoc. c. 11, v. 15 : « Et septimus Angelus

tubâ cecinit, et factæ sunt voces magnæ in cœlo, dicentes : Factum est regnum hujus mundi Domini nostri, et Christi ejus, et regnabit in secula seculorum. Amen. »

Apoc. c. 12, v. 5, 10 : « Et peperit Filium masculum qui recturus erat omnes gentes in virgâ ferreâ ; et raptus est Filius ejus ad Deum, et ad thronum ejus...... Et audivi vocem in cœlo dicentem : Nunc facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et potestas Christi ejus. »

Apoc. c. 14, v. 14 : « Et vidi, et ecce nubem candidam, et super nubem sedentem similem Filio hominis, habentem in capite suo coronam auream. »

Apoc. c. 17, v. 14 : « Hi cum agno pugnabunt, et Agnus vincet illos, quoniam Dominus dominorum est et rex regum. »

Apoc. c. 19, v. 11, 13 : « Et vidi cœlum apertum, et ecce equus albus, et qui sedebat super eum, vocabatur Fidelis et Verax, et cùm justitiâ judicat et pugnat; oculi autem ejus sicut flamma ignis, et in capite ejus diademata multa. »

In Judæorum animis falsa hæc et perversa hæserat opinio, ut proximè à nobis dictum est, religionis suæ summam in externis quibusdam cæremoniarum et sacrificiorum ritibus esse positam ; ex quorum observatione maxima præmia, egregiumque pietatis fructum laturos se arbitrabantur. Cum sincerâ ac intimâ ergà Deum pietate et amore tota contineretur religio, et ad universum hominum genus lex illa ac legis fructus pertinet; non ad eos solùm qui ab Abrahamo, Isaaco, et Jacobo ortûs sui originem repetebant. Id agnoscebat Isaias, cùm israeliticæ totius gentis nomine apud Deum profiteretur, haudquaquàm in Abrahamicâ illâ stirpe, sed in uno Deo spes suas esse repositas. *Tu enim*, aiebat, *pater noster, et Abraham nescivit nos, et Israel ignoravit nos; tu, Domine, pater noster, redemptor noster* (Isai. c. 63, v. 16). Deus ipse homines, non ex natalibus, sed ex pietate spectare se, nec προσωπολήπτην esse denuntiat. « Dominus Deus vester, inquit Moses, ipse est Deus Deorum, et Dominus dominantium, Deus magnus, et potens, et terribilis, qui personam non accipit, nec munera ; facit judicium pupillo et viduæ, amat peregrinum, et dat ei victum atque vestitum. » Ferebatur olim dictum illud tanquàm à Mose per traditionem propagatum : *Neque circumcisio est aliquid, neque præputium, sed nova creatura.* Sic ipse Deus apud Isaiam, cap. 56 : « Et non dicat filius advenæ, qui adhæret Domino, dicens : Separatione dividet me Dominus à populo suo.... Filios advenæ qui adhærent Domino, ut colant eum, et diligant nomen ejus, ut sint eis in servos, omnem custodientem sabbatum, ne polluat illud, et tenentem fœdus meum, adducam eos in montem sanctum meum, et lætificabo eos in domo orationis meæ; holocausta eorum, et victimæ eorum placebunt mihi super altari meo, quia domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis. » Israelitis, si Dei mandata spreverint, idem ac Gentibus minatur exitium. *Sicut gentes*, inquit Moses, Deut. c. 8, v. 20, *quas delevit Dominus in introitu tuo, ità et vos peribitis, si inobedientes fueritis voci Domini Dei vestri.* Quod cùm facturos prævidisset Deus, sacrificia eorum repudiat, exhibendum verò sibi ab ethnicis cultum probat apud Malachiam, cap. 1 : « Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestrâ; ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus. » Alibi facturum se nova spondet, obliteratis prioribus, arcâ testamenti neglectâ, exciso templo, abrogato Aaronis sacerdotio, soluto prisco fœdere, novo icto, novâ conditâ Hierosolymâ, novisque inductis colonis; Israelitis rege, principe, sacrificio, et arcâ carentibus. Frustrà ergò Abrahamicam originem, sancita Deum inter et Abrahamum fœdera, et Dei promissa jactabant Israelitæ, in iisque spem collocabant suam ; quæ eâ lege data erant, si Deum non externo cultu, sed verè et ex animo revererentur et diligerent. « Non sum locutus, » inquit Deus apud Jeremiam, cap. 7, v. 22, 23, « cum patribus vestris, et non præcepi eis in die quâ eduxi eos de terrâ Ægypti, de verbo holocautomatum et victimarum; sed hoc verbum præcepi eis dicens : Audite vocem meam, et ero vobis Deus, et vos eritis mihi populus; et ambulate in omni viâ quam mandavi vobis, ut benè sit vobis. » Et in Deuteronomio, cap. 6 : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex totâ animâ tuâ, et ex totâ fortitudine tuâ. Eruntque verba hæc quæ ego præcipio tibi hodiè, in corde tuo. » Et alio loco, Deut. c. 30 : « Testes invoco hodiè cœlum et terram, quòd proposuerim in vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem. Elige ergò vitam, ut et tu vivas et semen tuum, et diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci ejus, et illi adhæreas (ipse est enim vita tua, et longitudo dierum tuorum), ut habites in terrâ, pro quâ juravit Do-

minus patribus tuis, Abraham, Isaac, et Jacob, ut daret eam illis. » Samuel quoque, 1 Reg. c. 15 : « Numquid vult Dominus holocausta et victimas, et non potiùs ut obediatur voci Domini? melior est enim obedientia quàm victimæ, et auscultare magis quàm offerre adipem arietum. » Et David, Ps. 50 : « Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique; holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo, spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies. » Undè istud expressit Porphyrius libro secundo περὶ ἀποχῆς, veritatis sibi conscius : Θεοῖς δὲ ἀρίστη μὲν καταρχὴ νοῦς καθαρὸς καὶ ψυχὴ ἀπαθής. *Optima enim et Diis acceptissima libatio est, mens pura, et animus affectibus vacuus.* In præcedente Psalmo sic Deus inducitur loquens : « Non in sacrificiis tuis arguam te; holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper..... Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua. » Et apud Oseam, cap. 6 : *Misericordiam volui, et non sacrificium; et scientiam Dei plus quàm holocausta.* In memoriam ista me revocant celebris oraculi, à Jove Ammone Atheniensibus editi, à Platone verò in Alcib. 2 litteris consignati, cùm quærerent quamobrem sua gens, magnificentissimis sacrificiis deos placare solita, à Lacedæmoniis, circà deorum cultum perparcis et socordibus, tàm sæpè vincerentur. Respondit Ammon malle se Lacedæmoniorum εὐφημίαν, sinceras videlicet et pias precationes, quàm omnia Græcorum sacrificia. Jam tùm nempè permanaverat ad Ammonios doctrina hæc in sacris Hebræorum libris frequenter tradita. Luculenta Davidis Kimchii, egregii inter suos magistri, sententia reliquis ipsius congerronibus documento esse potest, quò pertinerent instituta à Mose sacrificia. Is in suis Psalmi 50 explanationibus disertè docet non ad aliud spectare sacrificiorum institutionem, quàm ad cordis contundendam duritiem; et per exustionem adipis nos moneri de resecandis corporis voluptatibus et animi cupiditatibus elidendis. Acceptissimam esse Deo circumcisionem cordis declarat Jeremias, cap. 4, v. 4 : *Circumcidimini Domino, et auferte præputia cordium vestrorum, viri Juda, et habitatores Jerusalem.* Circumcisione cordis cupiditatum resectio signatur, quam cùm negligerent Israelitæ, cervicosa gens et refractaria, contumaciam hanc cum eis exspostulat Deus alio apud Jeremiam loco, cap. 9, v. 24 et seq. : « Sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire et nosse me, quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam, et judicium, et justitiam in terrâ; hæc enim placent mihi, ait Dominus. Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et visitabo super omnem qui circumcisum habet præputium, super Ægyptum, et super Juda, et super Edom, et super filios Ammon, et super Moab, et super omnes qui attonsi sunt, in comam, habitantes in deserto : quia omnes gentes habent præputium, omnis autem Israel incircumcisi sunt corde. » Nullam se circumcisionis hujus corporeæ rationem habiturum, et in Israelitas corpore circumcisos, corde incircumcisos animadversurum denuntiat. Quin et sanctæ illius et πνευματικῆς circumcisionis ministrum fore Deum ipsum pollicetur Moses in Deuteronomio, cap. 30 : « Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, et cor seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, et in totâ animâ tuâ, ut possis vivere. » Detractis enim variis cupiditatibus, purgatus animus ad amorem Dei se convertet. *Sed hoc erit pactum*, inquit Dominus apud Jeremiam, cap. 31, « quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus : Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam; et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum. » Quorsùm verò isthæc? nempè ut appareat totum cæremoniarum Judaicarum apparatum solidam animi pietatem respexisse, ac veterem legem verè fuisse spiritualem. Quod cùm parùm perspexissent Israelitæ, Israelitarumque omnium peritissimi, uti sibi quidem videbantur, et acutissimi Pharisæi, miserabiliter lapsi sunt. Itaque gravissimè eos increpabat Christus Jesus, apud S. Marc., cap. 7, v. 6 et seq. : « Benè prophetavit Isaias de vobis hypocritis, sicut scriptum est : Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me; in vanum autem me colunt, docentes doctrinas et præcepta hominum; relinquentes enim mandatum, tenetis traditionem hominum, baptismata urceorum et calicum, et alia similia his facitis multa. » Isaiæ verbis ipsos coarguit, undè agnoscas eumdem fuisse priscorum et recentiorum Judæorum errorem, eamdem quoque Isaiæ ac Christi Jesu doctrinam; et legem utramque, veterem et novam, vere spiritualem fuisse. *Finis præcepti*, inquit Paulus in priore ad Timotheum, cap. 1, « est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta; à quibus quidam aberrantes, conversi sunt in vaniloquium, volentes esse legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de

quibus affirmant. Scimus autem quia bona est lex, si quis eâ legitimè utatur; sciens hoc, quia lex justo non est posita, sed injustis. » Nobilitate quoque generis feroces Judæos, et Abrahamo patre superbientes sic Joannes castigabat: « Ne velitis dicere intrà vos: Patrem habemus Abraham; dico enim vobis, quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ (Matth. c. 3, v. 9). » Alibi verò filium Abrahami esse docet Jesum, qui Abrahami pietatem ac virtutem factis in se expresserit; proborum hominum patrem esse Deum; flagitiosos ac scelestos, quales ipsi erant, diabolo patre esse prognatos. Cùm ergò Judæorum animis inolitum errorem eximere volens Christus, eos commonefaceret, non in Mosaicæ legis cortice hærendum esse, sed ad interiora penetrandum, quibus animi ad pietatem colendam, Deumque amandum informantur, eumdem hunc legi utriusque propositum fuisse finem perspicuum est; quo nempè emendatis hominum moribus, salubri doctrinâ mentibus imbutis, et in obsequium suum subactis, cœlestis eas gratiæ donis Deus instrueret, ac æternis demùm præmiis remuneraret, et spirituali suæ legi obsecutos regni sui spiritualis faceret participes.

CAPUT CX.

Jesus asinâ pullo comitatâ vectus Hierosolymam intrat.

Gen. c. 49, v. 10, 11: « Non auferetur sceptrum de Judâ, et dux de femore ejus donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium. Ligans ad vineam pullum suum, et ad vitem, ô fili mi, asinam suam. »

Zach. c. 9, v. 9: « Exsulta satis, filia Sion; jubila, filia Jerusalem; ecce rex tuus veniet tibi justus et Salvator: ipse pauper, et ascendens super asinam, et super pullum filium asinæ. »

Matth. c. 21, v. 2 *et seq.*: « Tunc Jesus misit duos discipulos, dicens eis: Ite in castellum quod contrà vos est, et statim invenietis asinam alligatam, et pullum cum eâ; solvite, et adducite mihi.... Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: *Dicite filiæ Sion: ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, et pullum filium subjugalis.* Euntes autem discipuli fecerunt, sicut præcepit illis Jesus; et adduxerunt asinam et pullum, et imposuerunt super eos vestimenta sua, et eum desuper sedere fecerunt. » Et Marc. c. 11, v. 2 et seq. Luc. c. 19, v. 29 et seq. Joan. c. 12, v. 14, 15.

Hùc quoque referunt Muhamedani istud Isaiæ: « Hæc enim dixit mihi Dominus: Vade, et pone speculatorem; et quodcumque viderit, annuntiet. Et vidit currum duorum equitum, ascensorem asini, et ascensorem cameli, et contemplatus est diligenter multo intuitu (Isai. c. 21, v. 6, 7). » Ascensorem asini Christum Jesum esse volunt, et ascensorem cameli Muhamedum. Cujus interpretationis argumenta nulla habent. Sed et alium locum ex Isaiâ proferunt, ejusdem rei προλεκτικὸν, qui tamen in ejus prophetiâ non comparet: *O populi, certè ego vidi speciem sedentis super asino, vestitum lumine solis: et vidi insidentem camelo; lux ejus velut lux lunæ.* Hæc profert Theodoricus Hackspan, de Usu libror. rabbin., c. 2, ex epistolâ Muhamedani cujusdam Romam missâ.

CAPUT CXI.

Jesu Hosanna concinitur.

Psalm. 8, v. 3: « Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, ut destruas inimicum et ultorem. »

Psalm. 117, v. 22 *et seq.*: « Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris. Hæc est dies quam fecit Dominus; exsultemus et lætemur in eâ. O Domine, salvum me fac; ô Domine, benè prosperare; benedictus qui venit in nomine Domini. Benediximus vobis de domo Domini: Deus Dominus, et illuxit nobis. Constituite diem solemnem in condensis, usque ad cornu altaris. »

Matth. c. 21, v. 9 *et seq.*: « Turbæ autem quæ præcedebant, et quæ sequebantur, clamabant dicentes: Hosanna filio David; benedictus qui venit in nomine Domini: Hosanna in altissimis..... Videntes autem principes sacerdotum et scribæ mirabilia quæ fecit, et pueros clamantes in templo, et dicentes: Hosanna filio David, indignati sunt, et dixerunt ei: Audis quæ isti dicunt? Jesus autem dixit eis: Utique. Nunquàm legistis: *Quia ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem?* » Et Marc. c. 11, v. 9, 10. Luc. c. 19, v. 38. Joan. c. 12, v. 13.

CAPUT CXII.

Jesus venditores et emptores Templo ejicit, aliaque in eo miranda opera edit.

Psalm. 68, v. 9 *et seq.*: « Extraneus factus sum fratribus meis, et peregrinus filiis matris

meæ. Quoniam zelus domus tuæ comedit me, et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. »

Ezech. c. 43, v. 4 : « Et majestas Domini ingressa est templum per viam portæ quæ respiciebat ad Orientem. »

Agg. c. 2, v. 7 *et seq.* : « Quia hæc dicit Dominus exercituum : Adhuc unum modicum est, et ego commovebo cœlum, et terram, et mare, et aridam. Et movebo omnes gentes, et veniet Desideratus cunctis gentibus; et implebo domum istam gloriâ, dicit Dominus exercituum. Meum est argentum, et meum est aurum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus istius novissimæ, plus quàm primæ, dicit Dominus exercituum; et in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum. »

Zach. c. 14, v. 21 : « Non erit mercator ultrà in domo Domini in die illo. »

Malach. c. 3, v. 1 : « Ecce ego mitto Angelum meum, et præparabit viam antè faciem meam, et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis, et Angelus quem vos vultis. »

Matth. c. 21, v. 12 *et seq.* : « Et intravit Jesus in templum Dei, et ejiciebat omnes vendentes et ementes in templo, et mensas nummulariorum, et cathedras vendentium columbas evertit; et dicit eis : Scriptum est : Domus mea, domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum. Videntes autem principes sacerdotum et scribæ mirabilia quæ fecit, et pueros clamantes in templo et dicentes : Hosanna filio David, indignati sunt. » Et Marc. c. 11, v. 15 et seq. Luc. c. 19, v. 45, 46.

Joan. c. 2, v. 13 *et seq.* : « Et propè erat pascha Judæorum, et ascendit Jesus Hierosolymam, et invenit in templo vendentes boves, et oves, et columbas, et nummularios sedentes. Et cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo, oves quoque et boves, et nummulariorum effudit æs, et mensas subvertit. Et his qui columbas vendebant, dixit : Auferte ista hinc, et nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis. Recordati sunt verò discipuli ejus quia scriptum est : *Zelus domûs tuæ comedit me.* »

CAPUT CXIII.

Jesus hominum vitia reprehendit.

Sap. c. 2, v. 12 *et seq.* : « Circumveniamus ergò Justum, quoniam inutilis est nobis, et contrarius est operibus nostris, et improperat nobis peccata legis, et diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. Promittit se scientiam Dei habere, et Filium Dei se nominat. Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum. Gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, et immutatæ sunt viæ ejus. Tanquàm nugaces æstimati sumus ab illo, et abstinet se à viis nostris tanquàm ab immunditiis, et præfert novissima justorum, et gloriatur Patrem se habere Deum. »

Isa. c. 2, v. 3, 4 : « Quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem. Et judicabit gentes, et arguet populos multos. » Et Mich. c. 4, v. 2, 3.

Isa. c. 11, v. 1 *et seq.* : « Et egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectûs...... Non secundùm visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet, sed judicabit in justitiâ pauperes, et arguet in æquitate pro mansuetis terræ, et percutiet terram virgâ oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium. »

Matth. c. 23, v. 13 *et seq.* : « Væ autem vobis, scribæ et pharisæi hypocritæ, quia clauditis regnum cœlorum antè homines; vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare. » Et per totum reliquum caput.

Luc. c. 11, v. 29 *et seq.* : « Turbis autem concurrentibus cœpit dicere : Generatio hæc, generatio nequam est...... Pharisæus autem cœpit intrà se reputans dicere, quare non baptisatus esset antè prandium. Et ait Dominus ad illum : Nunc vos, Pharisæi, quod deforis est calicis et catini, mundatis : quod autem intùs est vestrûm, plenum est rapinâ et iniquitate..... Sed væ vobis, Pharisæi, quia decimatis mentham, et rutam, et omne olus, et præteritis judicium et charitatem Dei; hæc autem oportuit facere, et illa non omittere. » Et per totum reliquum caput.

Joan. c. 3, v. 19, 20 : « Hoc est autem judicium, quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem; erant enim eorum mala opera. Omnis enim qui malè agit odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus. »

Joan. c. 7, v. 7 : « Non potest mundus odisse vos; me autem odit, quia testimonium perhibeo de illo, quòd opera ejus mala sunt. »

Joan. c. 8, v. 44 *et seq.* : « Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere : ille homicida erat ab initio, et in veritate

non stetit, quia non est veritas in eo...... Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. »

CAPUT CXIV.

Principes Judæorum congregantur adversùs Jesum.

Psalm. 2, *v.* 2 : « Adstiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum, adversùs Dominum, et adversùs Christum ejus. »

Psalm. 34, *v.* 15 : « Et adversùm me lætati sunt, et convenerunt. »

Matth. c. 26, *v.* 3, 4 : « Tunc congregati sunt principes sacerdotum et seniores populi in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas, et concilium fecerunt, ut Jesum dolo tenerent et occiderent. » Et Marc. c. 14, v. 1 ; et c. 15, v. 1. Joan. 11. v. 47.

Luc. c. 23, *v.* 6 *et seq.* : « Pilatus autem audiens Galilæam, interrogavit si homo Galilæus esset. Et ut cognovit quòd de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui et ipse Jerosolymis erat illis diebus..... Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo, et illusit indutum veste albâ, et remisit ad Pilatum. Et facti sunt amici Herodes et Pilatus in ipsâ die ; nam anteà inimici erant ad invicem. »

Act. c. 4, *v.* 24 *et seq.* : « Qui cùm audissent, unanimiter levaverunt vocem ad Deum, et dixerunt : Domine, tu es qui fecisti cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt ; qui Spiritu sancto per os patris nostri David, pueri tui, dixisti : *Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania? Adstiterunt reges terræ, et populi convenerunt in unum, adversùs Dominum, et adversùs Christum ejus.* Convenerunt enim verè in civitate istâ, adversùs sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes et Pontius Pilatus, cum gentibus et populis Israel, facere quæ manus tua et concilium tuum decreverunt fieri. »

CAPUT CXV.

Jesus proditur à Judâ. Judæ mors et æternus interitus.

Psalm. 34, *v.* 19, 20 : « Non supergaudeant mihi qui adversantur mihi iniquè ; qui oderunt me gratis, et annuunt oculis. Quoniam mihi quidem pacificè loquebantur, et in iracundiâ terræ loquentes, dolos cogitabant. »

Psalm. 40, *v.* 10 : « Etenim homo pacis, in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem. »

Psalm. 54, *v.* 13 *et seq.* : « Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique ; et si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu verò homo unanimis, dux meus, et notus meus ; qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulavimus cum consensu. »

Psalm. 68, *v.* 21 *et seq.* : « Et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit ; et qui consolaretur, et non inveni ; et dederunt in escam meam fel, et in siti meâ potaverunt me aceto. Fiat mensa eorum coràm ipsis in laqueum, et in retributiones, et in scandalum : obscurentur oculi eorum, ne videant, et dorsum eorum semper incurva ; effunde super eos iram tuam, et furor iræ tuæ comprehendas eos ; fiat habitatio eorum deserta, et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet. Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt, et super dolorem vulnerum meorum addiderunt. Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, et non intrent in justitiam tuam ; deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur. »

Psalm. 108, *v.* 1 *et seq.* : « Deus, laudem meam non tacueris ; quia os peccatoris et os dolosi super me apertum est. Locuti sunt adversùm me linguâ dolosâ, et sermonibus odii circumdederunt me, et expugnaverunt me gratis. Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi ; ego autem orabam ; et posuerunt adversùm me mala pro bonis, et odium pro dilectione meâ. Constitue super eum peccatorem, et diabolus stet à dextris ejus. Cùm judicatur, exeat condemnatus, et oratio ejus fiat in peccatum. Fiant dies ejus pauci, et episcopatum ejus alter accipiat. Fiant filii ejus orphani, et uxor ejus vidua..... Fiant contrà Dominum semper, et dispereat de terrâ memoria eorum, pro eo quòd non est recordatus facere misericordiam. Et persecutus est hominem inopem, et mendicum, et compunctum corde mortificare. Et dilexit maledictionem, et veniet ei : et noluit benedictionem, et elongabitur ab eo. »

Matth. c. 26, *v.* 14 *et seq.* : « Tunc abiit unus de duodecim, qui dicebatur Judas Iscariotes, ad principes sacerdotum, et ait illis : Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam ? At illi constituerunt ei triginta argenteos. Et exindè quærebat opportunitatem ut eum traderet..... Vespere autem facto, dis-

cumbebat cum duodecim discipulis suis; et edentibus illis dixit: Amen dico vobis: Quia unus vestrùm me traditurus est. Et contristati valdè cœperunt singuli dicere: Numquid ego sum, Domine? At ipse respondens ait: Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet. Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo; væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur! bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. Respondens autem Judas, qui tradidit eum, dixit: Numquid ego sum, Rabbi? Ait illi: Tu dixisti..... Adhuc eo loquente, ecce Judas unus de duodecim venit, et cum eo turba multa cum gladiis et fustibus, missi à principibus sacerdotum et senioribus populi. Qui autem tradidit eum, dedit illis signum dicens: Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum. Et confestim accedens ad Jesum, dixit: Ave Rabbi, et osculatus est eum. » Et Marc. c. 14, v. 10 et seq. Luc. c. 22, v. 3 et seq. Joan. c. 18, v. 3 et seq.

Joan. c. 13, *v.* 2 *et seq.:* « Et cœnâ factâ, cùm diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas Simonis Iscariotæ..... dixit eis..... Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea. Non de omnibus vobis dico, ego scio quos elegerim; sed ut adimpleatur Scriptura: *Qui manducat meum panem, levabit contrà me calcaneum suum.* Amodò, dico vobis priusquàm fiat, ut cum factum fuerit, credatis quia ego sum. »

Joan. c. 15, *v.* 24, 25 *:* « Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem viderunt, et oderunt et me et patrem meum. Sed ut impleatur sermo qui in lege eorum scriptus est: *Quia odio habuerunt me gratis.* »

Joan. c. 17, *v.* 12 *:* Quos dedisti mihi, custodivi; et nemo ex iis periit, nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur. »

Act. c. 1, *v.* 16 *et seq.:* « Viri fratres, oportuit impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus per David de Judâ, qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Jesum, qui connumeratus erat in nobis, et sortitus est sortem ministerii hujus. Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis, et suspensus crepuit medius, et diffusa sunt omnia viscera ejus. Et notum factum est omnibus habitantibus Jerusalem; ità ut appellaretur ager ille linguâ eorum, *Haceldama*, hoc est, *Ager sanguinis.* Scriptum est enim in libro Psalmorum: *Fiat commoratio eorum deserta, et non sit qui habitet in eâ; Episcopatum ejus alter accipiat.* »

CAPUT CXVI.

Sacrificium incruentum Jesus instituit.

Mal. c. 1, *v.* 10 *et seq.:* « Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestrâ. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen ejus in gentibus; in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum. »

Matth. c. 26, *v.* 26 *et seq.:* « Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: Accipite, et comedite; hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, et dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes; hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. » Et Marc. c. 14, v. 22 et seq.

Luc. c. 22, *v.* 19 *et seq.:* « Et accepto pane, gratias egit, et fregit, et dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur; hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquàm cœnavit, dicens: Hic est calix, novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur. »

Joan. c. 6, *v.* 54 *et seq.:* « Dixit ergò eis Jesus: Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die; caro enim mea verè est cibus, et sanguis meus verè est potus; qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem; et qui manducat me, et ipse vivet propter me. Hic est panis qui de cœlo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. »

Act. c. 2, *v.* 42, 46 *:* « Erant autem perseverantes in doctrinâ Apostolorum, et communicatione fractionis panis, et orationibus..... Quotidiè quoque perdurantes unanimiter in templo, et frangentes circà domos panem, sumebant cibum cum exsultatione et simplicitate cordis. » Et Act. c. 20, v. 7, 11.

1 *Cor. c.* 10, *v.* 16, 17 *:* « Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?

Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus. »

1 *Cor. c.* 11, *v.* 23 *et seq.* : « Ego enim accepi à Domino, quod et tradidi vobis : quoniam Dominus Jesus in quâ nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens, fregit, et dixit : Accipite et manducate ; hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur : hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens : Hic calix novum testamentum est in meo sanguine : hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Itaque quicumque manducaverit panem hunc, et biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis et sanguinis Domini. »

CAPUT CXVII.

Jesus panis.

Mich. c. 5, v. 2 : « Et tu, Bethlehem (בית-לחם, *hoc est, Domus panis*) Ephrata, parvulus es in millibus Juda ; ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israel, et egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis. »

Joan. c. 6, v. 35 *et seq.* : « Dixit autem eis Jesus : Ego sum panis vitæ ; qui venit ad me, non esuriet..... Murmurabant ergò Judæi de illo, quia dixisset : Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi..... Respondit ergò Jesus, et dixit eis..... Ego sum panis vitæ. Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt. Hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi : si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum ; et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vitâ..... Hic est panis, qui de cœlo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt ; qui manducat hunc panem, vivet in æternum. »

CAPUT CXVIII.

Agonia Jesu.

Psalm. 54, v. 4, 5 : « Cor meum conturbatum est in me, et formido mortis cecidit super me. Timor et tremor venerunt super me, et contexerunt me tenebræ. »

Psalm. 108, v. 22 : « Libera me, quia egenus et pauper ego sum, et cor meum conturbatum est intrà me. Sicut umbra cùm declinat, ablatus sum ; et excussus sum sicut locustæ. »

Matth. c. 26, v. 36 *et seq.* : « Et assumpto Petro, et duobus filiis Zebedæi, cœpit contristari et mœstus esse. Tunc ait illis : Tristis est anima mea usque ad mortem ; sustinete hìc, et vigilate mecum. Et progressus pusillùm procidit in faciem suam orans, et dicens : Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste ; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. » Et Marc. c. 14, v. 33, et seq. Luc. c. 22, v. 42 et seq.

CAPUT CXIX.

Jesus comprehenditur, et funibus constringitur.

Psalm. 58, v. 1 *et seq.* : « Eripe me de inimicis meis, Deus meus, et ab insurgentibus in me libera me. Eripe me de operantibus iniquitatem, et de viris sanguinum salva me. Quia ecce ceperunt animam meam ; irruerunt in me fortes. »

Psalm. 70, v. 10, 11 : « Quia dixerunt inimici mei mihi ; et qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in unum, dicentes : Deus dereliquit eum ; persequimini, et comprehendite eum, quia non est qui eripiat. »

Thren. c. 3, v. 52 : « Venatione ceperunt me quasi avem inimici mei gratis. »

Thren. c. 4, v. 20 : « Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris. »

Matth. c. 26, v. 50 *et seq.* : « Tunc accesserunt, et manus injecerunt in Jesum, et tenuerunt eum..... In illâ horâ dicit Jesus turbis : Tanquàm ad latronem exîstis cum gladiis et fustibus, comprehendere me. Quotidiè apud vos sedebam docens in Templò, et non me tenuistis. Hoc autem factum est, ut adimplerentur scripturæ prophetarum. Et Marc. c. 14, v. 46 et seq. Luc. c. 22, v. 52 et seq. Joan. c. 18, v. 12.

Matth. c. 27, v. 2 *et seq.* : « Et vinctum adduxerunt eum, et tradiderunt Pontio Pilato Præsidi. » Et Marc. c. 15, v. 1.

CAPUT CXX.

Jesum discipuli sui deserunt, Petrus palàm ejurat.

Psalm. 21, v. 12 : « In te projectus sum ex utero ; de ventre matris meæ Deus meus es tu ; ne discesseris à me, quoniam tribulatio proxima est, quoniam non est qui adjuvet. »

Psalm. 68, v. 9 : « Extraneus factus sum fratribus meis, et peregrinus filiis matris meæ. »

Psalm. 68, v. 21 : « In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me ; improperium exspectavit cor meum et miseriam Et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit ; et qui consolaretur, et non inveni. »

Psalm. 87, v. 9 *et seq.* : « Longè fecisti notos meos à me ; posuerunt me abominationem sibi. Traditus sum, et non egrediebar; oculi mei languerunt præ inopiâ..... elongâsti a me amicum et proximum, et notos meos à miseriâ. »

Psalm. 141, v. 5 : « Considerabam ad dexteram, et videbam, et non erat qui cognosceret me. Periit fuga à me, et non est qui requirat animam meam. »

Isa. c. 8, v. 14 : « Et erit vobis in sanctificationem ; in lapidem autem offensionis, et in petram scandali duabus domibus Israel; in laqueum et in ruinam habitantibus Jerusalem. »

Isa. c. 63, v. 5 : « Circumspexi, et non erat auxiliator ; quæsivi, et non fuit qui adjuvaret. »

Dan. c. 9, v. 26 : « Et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. »

Zach. c. 13, v. 7 : « Framea, suscitare super pastorem meum, et super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum ; percute Pastorem, et dispergentur oves. »

Matth. c. 26, v. 31 *et seq.* : « Tunc dicit illis Jesus : Omnes vos scandalum patiemini in me in istâ nocte. Scriptum est enim : *Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis* : Respondens autem Petrus, ait illi : Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquàm scandalizabor. Ait illi Jesus : Amen dico tibi, quia in hâc nocte antequàm gallus cantet, ter me negabis. Ait illi Petrus : Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo..... Tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt..... Petrus vero sedebat foris in atrio, et accessit ad eum una ancilla, dicens : Et tu cum Jesu Galilæo eras. At ille negavit coràm omnibus dicens : Nescio quid dicis. Exeunte autem illo januam, vidit eum alia ancilla, et ait his qui erant ibi : Et hic erat cum Jesu Nazareno. Et iterùm negavit cum juramento : Quia non novi hominem. Et post pusillum accesserunt qui stabant, et dixerunt Petro : Vere et tu ex illis es, nam et loquela tua manifestum te facit. Tunc cœpit detestari et jurare quia non novisset hominem. Et continuò gallus cantavit. Et recordatus est Petrus verbi Jesu, quod dixerat : Priusquàm gallus cantet, ter me negabis. Et Marc. c. 14, v. 27 et seq. Luc. c. 22, v. 31 et seq. Joan. c. 16, v. 32; et c. 18, v. 17 et seq.

Quam ex Zachariâ prædictionem hic afferimus, quâque notari se Christus Jesus morti proximus apud discipulos suos testificatus est, eam Christum directè respicere negat Grotius in Matth. 26, v. 31, at pastorem alium, eumque non bonum, quem esse conjectat hunc ipsum, de quo agit Zacharias in fine undecimi capitis. *Ubi*, inquit, *itidem ille quisquis est, vocatur Pastor meus, et gladius illi dicitur imminere* ; usurpari verò verba ista Zachariæ à Christo ut γνώμην nullâ ratione habitâ occasionis, quâ primitùs dicta est. Hæc quam pia et Christiano homine digna sint, non anquiro; quam aliis hominis ejusdem sententiis consona sint, videndum est. Pastorem illum nequam, Zachariæ undecimo capite commemoratum, Manassem esse vult; decimo tertio, Judam Machabæum; illum impietate nobilitatum et flagitiis, illum fortitudine et pietate. Et tamen utrumque pastorem, unum eumdemque esse statuit. Pastorem decimo tertio capite laudatum, non bonum aliquem pastorem esse docet : isne verò pastor malus habendus est, quem Deus pastorem suum appellat, sibique adhærere ait? *Framea, suscitare super pastorem meum, et super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum.* At et pastor undecimi capitis, *Pastor meus* itidem appellatur, inquit Grotius. Utrobique certè est, רעי; verùm priore loco veteres interpretes, græcus, chaldæus, syrus, arabs, pronomen possessivum non addunt. Demus tamen esse addendum, quod et verum est, omnes profectò *pastores populorum* à Deo sunt : *Non est enim potestas, nisi à Deo*, inquit Paulus; quod et Homerus antè cecinerat : *Honor autem ex Jove est.* Tum addit Jovem regibus dedisse, (Hom. Iliad. c.).

Sceptrum et jura, ut rex eorum sit.

Undè et *Jove prognati et à Jove educati*, reges à poetis appellantur. Suum ergò Deus appellaverit pastorem undecimi capitis; at decimi tertii pastorem, et suum appellat, et sibi cohærere ait; quo pietas ipsius Deo accepta esse comprobatur, cùm alterius scelera ulturum se denuntiet. Nos verò Christo Jesu addicimus totum decimum tertium Zachariæ caput. Jesus est ille *fons patens domui David in ablutionem peccatoris*. Supplicium Jesu indicant ista : *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me.* Reliqua Jesu mortem, discipulorum fugam, martyria quoque eorum et constantiam, et gentium denique vocationem designant, uti fusiùs infrà declarabitur. Atque hic suffragatorem adversùs Grotium habemus Aben Ezram, qui in Messiæ, Josephi nepotis, tempora prædictionem hanc Zachariæ confert.

CAPUT CXXI.

Falsi testes Jesum accusant.

Psalm. 26, v. 12 : « Ne tradideris me in animas tribulantium me, quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi. »

Psalm. 34, v. 11 *et seq.* : « Surgentes testes iniqui, quæ ignorabam interrogabant me.... quoniam mihi quidem pacificè loquebantur, et in iracundiâ terræ loquentes, dolos cogitabant; et dilataverunt super me os suum; dixerunt : Euge, euge, viderunt oculi nostri. »

Psalm. 40, v. 6, *et seq.* : « Inimici mei dixerunt mala mihi : Quando morietur, et peribit nomen ejus? Etsi ingrediebatur ut videret, vana loquebatur, cor jus congregavit iniquitatem sibi; egrediebatur foràs, et loquebatur in idipsum. Adversùm me susurrabant omnes inimici mei; adversùm me cogitabant mala mihi. Verbum iniquum constituerunt adversùm me.

Psalm 63, v. 1 *et seq.* : « Exaudi, Deus, orationem meam cùm deprecor; à timore inimici eripe animam meam : protexisti me à conventu malignantium, à multitudine operantium iniquitatem; quia exacuerunt ut gladios linguas suas; intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum. Subitò sagittabunt eum, et non timebunt; firmaverunt sibi sermonem nequam. »

Psalm. 108, v. 1 *et seq.* : « Deus, laudem ne tacueris, quia os peccatoris et os dolosi super me apertum est. Locuti sunt adversùm me linguâ dolosâ, et sermonibus odii circumdederunt me, et expugnaverunt me gratis. »

Psalm. 119, v. 2, 3 : « Ad Dominum, cùm tribularer, clamavi, et exaudivit me. Domine, libera animam meam à labiis iniquis et à linguâ dolosâ. »

Psalm. 139, v. 1 *et seq.* : « Eripe me, Domine, ab homine malo, à viro iniquo eripe me. Qui cogitaverunt iniquitates in corde, totâ die constituebant prœlia. Acuerunt linguas suas sicut serpentis; venenum aspidum sub labiis eorum. Custodi me, Domine, de manu peccatoris, et ab hominibus iniquis eripe me. »

Matth. c. 26, v. 59, 60 : « Principes autem sacerdotum, et omne concilium, quærebant falsum testimonium contrà Jesum, ut eum morti traderent, et non invenerunt, cùm falsi testes accessissent. Novissimè autem venerunt duo falsi testes, et dixerunt : Hic dixit : Possum destruere templum Dei, et post triduum reædificare illud. » Et Marc. c. 14, v. 56 et seq.

CAPUT CXXII.

Jesus accusatus silet.

Isa. c. 53, v. 7 : « Oblatus est, quia ipse voluit, et non aperuit os suum; sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coràm tondente se obmutescet, et non aperiet os suum. »

Matth. c. 26, v. 62, 63 : « Et surgens princeps sacerdotum, ait illi : Nihil respondes ad ea quæ isti adversùm te testificantur? Jesus autem tacebat : » Et Marc. c. 14, v. 60.

Matth. c. 27, v. 12 *et seq.* : Et cùm accusaretur à principibus sacerdotum et senioribus, nihil respondit. Tunc dicit illi Pilatus : Non audis quanta adversùm te dicunt testimonia? Et non respondit ei ad ullum verbum, ità ut miraretur præses vehementer. » Et Marc. c. 15, v. 4, 5.

Luc. c. 23, v. 8 *et seq.* : « Herodes autem, viso Jesu, gavisus est valde.... Interrogabat autem eum multis sermonibus; at ipse nihil ei respondebat. »

Petr. c. 2, v. 23 : « Qui cum malediceretur, non maledicebat; cùm pateretur, non comminabatur; tradebat autem judicanti se injustè. »

CAPUT CXXIII.

Jesu contumeliis afficitur.

Psalm. 21, v. 7 *et seq.* : « Ego autem sum vermis, et non homo; opprobrium hominum, et abjectio plebis. Omnes videntes me deriserunt me; locuti sunt labiis, et moverunt caput... Quoniam tribulatio proxima est; quoniam non est qui adjuvet. Circumdederunt me vetuli multi, tauri pingues obsederunt me; aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens et rugiens. »

Psalm. 34, v. 16 : « Tentaverunt me, subsannaverunt me subsannatione; frenduerunt super me dentibus suis. »

Psalm. 55, v. 1 *et seq.* : « Misererere mei, Deus, quoniam conculcavit me homo; totâ die impugnans tribulavit me; conculcaverunt me inimici mei totâ die; quoniam multi bellantes adversùm me... Totâ die verba mea execrabantur; adversùs me omnes cogitationes eorum in malum. »

Psalm. 68, v. 1 *et seq.* : « Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi, et non est substantia. Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me... Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis. Confortati sunt qui persecuti sunt me inj-

mici mei injustè; quæ non rapui tunc exsolvebam... Quoniam propter te sustinui opprobrium; operuit confusio faciem meam. Extraneus factus sum fratribus meis, et peregrinus filiis matris meæ. Quoniam zelus domus tuæ comedit me, et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me; et operui in jejunio animam meam, et factum est in opprobrium mihi; et posui vestimentum meum cilicium, et factus sum illis in parabolam. Adversùm me loquebantur qui sedebant in portâ, et in me psallebant qui bibebant vinum... Tu scis improperium meum, et confusionem meam, et reverentiam meam; in conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me; improperium exspectavit cor meum et miseriam. »

Psalm. 73, v. 22, 23: « Exsurge, Deus; judica causam tuam; memor esto improperiorum tuorum, eorum quæ ab insipiente sunt totâ die. Ne obliviscaris voces inimicorum tuorum; superbia eorum qui te oderunt ascendit semper.

Psalm. 78, v. 12: « Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum, improperium ipsorum, quod exprobraverunt tibi, Domine.

Psalm. 87, v. 16: Pauper sum ego, et in laboribus à juventute meâ: exaltatus autem, humiliatus sum et conturbatus. In me transierunt iræ tuæ, et terrores tui conturbaverunt me; circumdederunt me sicut aqua; totâ die circumdederunt me simul. »

Psalm. 88, v. 39 *et seq.*: « Tu verò repulisti, et despexisti; distulisti Christum tuum: evertisti testamentum servi tui, profanâsti in terrâ sanctuarium ejus, destruxisti omnes sepes ejus, posuisti firmamentum ejus formidinem; diripuerunt eum omnes transeuntes viam, factus est opprobrium vicinis suis; exaltâsti dexteram deprimentium eum; lætificâsti omnes inimicos ejus; avertisti adjutorium gladii ejus, et non es auxiliatus ei in bello; destruxisti eum ab emundatione, et sedem ejus in terram collisisti; minorâsti dies temporis ejus; perfudisti eum confusione... Memor esto, Domine, opprobrii servorum tuorum (quod continui in sinu meo), multarum gentium, quod exprobraverunt commutationem Christi tui. »

Psalm. 142, v. 3, 4: « Quia persecutus est inimicus animam meam, humiliavit in terrâ vitam meam: collocavit me in obscuris, sicut mortuos seculi; et anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum. »

Sap. c. 2, v. 19: « Contumeliâ et tormento interrogemus eum, ut sciamus reverentiam ejus, et probemus patientiam illius. »

Isa. c. 53, v. 4: « Nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum à Deo, et humiliatum. »

Thren. c. 3, v. 30, 61: « Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis... Audisti opprobrium eorum, Domine, omnes cogitationes eorum adversùm me. »

Matth. c. 27, v. 27 *et seq.*: « Tunc milites præsidis suscipientes Jesum in Prætorium, congregaverunt ad eum universam cohortem, et exuentes eum, chlamyden coccineam circumdederunt ei, et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus, et arundinem in dexterâ ejus; et genu flexo antè eum, illudebant ei, dicentes: Ave, rex Judæorum. Et exspuentes in eum, acceperunt arundinem, et percutiebant caput ejus. Et postquàm illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde. » Et Marc. c. 15, v. 16 et seq. Joan. c. 19, v. 1 et seq.

Luc. c. 18, v. 31, 32: « Assumpsit autem Jesus duodecim, et ait illis: Ecce ascendimus Jerosolymam, et consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de Filio hominis; tradetur enim Gentibus, et illudetur. »

Luc. c. 23, v. 11: « Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo, et illusit indutum veste albâ, et remisit ad Pilatum. »

Rom. c. 15, v. 3: « Etenim Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est: Improperia improperantium tibi, ceciderunt super me. »

1° Quoniam ad sequentia latè patet Psalmus 21, locus postulat ut paulò eum accuratiùs examinemus. Aio igitur illum ex eo vaticiniorum genere esse, quorum anceps significatio est; quæque præsentia dùm tractant, futurorum simulacra adumbrant. Quædam enim Davidem simul et Christum Jesum, quædam Jesum unum respiciunt; sed ità tamen, ut longè plura Christo conveniant; et quæ Davidi accommodari possunt, in Christum Jesum aptiùs etiam congruant. Ad Jesum quidem merè ista spectant, Psalm. 21: *Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre, spes mea ab uberibus matris meæ*; nam quis de Davide verè id dici posse putet? at Christus Jesus ab ipso ortu sanctus fuit. Conveniunt et ista Christo Jesu soli, ut pluribus approbabitur infrà: *Foderunt manus meas, et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea. Ipsi verò consideraverunt, et inspexerunt me* (quod congruit ad istud Zachariæ, cap. 12: *Et aspicient ad me, quem confixerunt*). Hæc sunt ejusmodi, ut quantumvis flexa et contorta,

nec Davidi, nec alii cuiquam, præter Jesum, aptari queant. Nec illa ejusdem psalmi Davidi adjungi possunt, quæ vocationem gentium per Christum partam præsignificant : « Reminiscentur, et convertentur ad Dominum universi fines terræ : et adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium; manducaverunt, et adoraverunt omnes pingues terræ. » Quorum consimilia de Christo prædicta habes in Psalmo 71, vers. 8 et seq. : « Et dominabitur à mari usque ad mare, et à flumine usque ad terminos orbis terrarum. Coràm illo procident Æthiopes, et inimici ejus terram lingent. Reges Tharsis, et insulæ munera offerent; reges Arabum et Saba dona adducent; et adorabunt eum omnes reges terræ, et omnes gentes servient ei... Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ; omnes gentes magnificabunt eum. » Quadrant quoque in Christum isthæc, etsi in Davidem etiam utcumque conveniunt : *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti?* quæ moriens, Christus vociferabatur. Deindè : *Ego autem sum vermis, et non homo; opprobrium hominum, et abjectio plebis;* quibus humilitatem suam testatur Jesus, ut aliàs sæpè in utroque testamento, quod comprobat Paralellismus noster. Subjicit Psaltes : « Omnes videntes me deriserunt me; locuti sunt labiis, et moverunt caput : Speravit in Domino, eripiat eum; salvum faciat eum, quoniam vult eum. Prorsùs Psalten dicas animo hæc versâsse, quæ narrat Matthæus his verbis cap. 27 : « Prætereuntes autem blasphemabant eum, moventes capita sua, et dicentes : Vah, qui destruis templum Dei, et in triduo illud reædificas, salva temetipsum; si Filius Dei es, descende de cruce. Similiter et principes sadotum illudentes cum scribis et senioribus, dicebant : Alios salvos fecit, scipsum non potest salvum facere; si rex Israel est, descendat nunc de cruce, et credimus ei : confidit in Deo; liberet nunc, si vult, eum; dixit enim : Quia Filius Dei sum. Recta quoque et κατὰ λέξιν cadunt ista in Christum Jesum : *Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.* Sed et obliquè et κατὰ σχῆμα Davidi aptari possunt, quod à Theodoro Mopsuestěno et Grotio factum est; ut sensus sit, Davidis supellectilem fuisse vi direptam, et sorte inter raptores divisam. Quod subest in Psalmo : « Erue à frameâ, Deus, animam meam, et de manu canis tunicam meam : salva me ex ore leonis, et à cornibus unicornium humilitatem meam; » hoc ipsum Jesus Patrem orabat in villâ Gethsemani : *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste* (Matth. c. 26, v. 38). Pergit Psaltes : *Narrabo nomen tuum fratribus meis; in medio ecclesiæ laudabo te,* quæ Jesu propria esse docet Paulus in Epistolâ ad Hebræos, cap. 2. Psalmo sanè huic inesse prædictiones de Messiâ Hebræi consentiunt in Midrasch Thehillim : et in capite 11 Thalmudici libri Sanhedrin, iis verbis Messiæ describuntur tempora, quæ ex Psalmi ejusdem 17 commate petita esse apparet.

2° Verùm enimverò sententiæ nostræ repugnare videntur isthæc : *Longe à salute meâ verba delictorum meorum. Deus meus, clamabo per diem, et non exaudies; et nocte, et non ad insipientiam mihi;* quæ causæ fuisse testatur Theodoretus, quamobrem septuaginta interpretes ad Christum congruere Psalmum hunc non dicerent. His etiam abutebatur Theodorus Mopsuestenus in interpretatione duodecim Prophetarum, quemadmodùm narratur in Collatione quarta concilii secundi constantinopolitani, ut hæc ad Christum perperam referri ostenderet. Certum quidem est Christum Jesum fuisse *tentatum per omnia pro similitudine, absque peccato* (Hebr. c. 5, v. 15.) Docent etiam nos Isaias cap. 53 et Petrus, Epist. 2, cap. 2 Christum *peccatum non fecisse, nec inventum esse dolum in ore ejus.* Docet nos Joannes, Epist. 1, cap. 3, *peccatum in eo non esse.* Verùm id quidem : at Deus tamen Christum, *qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso,* inquit Paulus in secundâ Epistolâ ad Corinthios. Et in illâ ad Galatas : *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* De quo jam antè Isaias cap. 53, v. 6 : *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* Quid si dicamus hæc ad unum Davidem spectare, ut permistus est aliquandò vaticiniorum sensus? velut in secundo libro Samuelis, Dei verbis Nathan ea Davidi spondet, quæ partìm in Christum, partìm in Salomonem cadere possint : et hæc quidem in Christum; *Stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum; ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium :* hæc vero in Salomonem : *Qui si iniquè gesserit, arguam eum in virgâ virorum.* Hujusmodi tamen exceptionibus omissis, aio nihil eorum quæ objiciuntur, comparere in Hebraico exemplari. Nam pro eo quod habet vulgata, *delictorum meorum*, et Septuaginta, τῶν παραπτωμάτων μου, hebraicè legitur, שאגתי, hoc est, *rugitùs mei.* Thargum, אכליותי, *clamoris mei.* Aquila, βρυχήματός μου, *rugitûs mei.* Theodotion, βοήσεώς μου, *clamoris mei,*

Sexta, τῆς δεήσεώς μου, *precationis meæ*. Hieronymus in interpretatione Psalmorum, juxtà hebraicam veritatem, *rugitûs mei*. Commentaria in Psalmos ipsi adscripta : *Est sensus juxtà cæteros interpretes : Gemitus mei atque conatus quibus semper populum Israel salvare quæsivi, longè facti sunt à salute meâ, quam populo tribuere cupiebam; quia ipsi noluerunt recipere sanitatem*. At Septuaginta senes, quos sequitur Vulgata interpretatio; legebant, שגיאתי, *errorum meorum*.

3° Captiunculis etiam suis legitimam Psalmi hujus sententiam adulterare conati sunt R. David Kimchi et Lipmannus, quarum pleræque christiani dogmatis insciis scrupulum fortassè aliquem injicere, ejusdem verò consultos haudquaquàm permovere possunt. Pauculas tantùm attingemus de præcipuis. Penultimo versu, inquiunt, utuntur Christiani, ut probent Jesum in vivis manere noluisse, ne suæ nimirùm mortis fructu fraudarentur, qui noxarum suarum vinculis in infernis locis attinebantur : quorsùm igitur clamabat moriens : *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me*, (Matth. c. 27, v. 46, cur querebatur se non exaudiri, qui exaudiri nolebat? cur Deum appellat, *Laudem Israel*, cùm ab Israele Jesus ipse Deus cruciaretur? Deum ait non despexisse preces suas, nec avertisse faciem suam à se, cùm preces tamen ejus despectæ sint. Futurum prædicit, ut *adorent in conspectu suo omnes familiæ gentium*, cùm nullus illi cultus à Judæis aut Ismaelitis præstitus sit. Nos Jesum respondemus Deum fuisse et hominem, nec humani quidquam, præter peccatum, ab eo alienum fuisse, ac idcircò nobis à naturâ insitum doloris et mortis horrorem verè eum sensisse, ideòque in querelas more humano erupisse; sic tamen ut compresso et devicto humanæ imbecillitatis sensu, paternis imperiis prono animo obsequeretur. Cæterùm duplex est Israel : *Non enim omnes, qui ex Israel sunt, ii sunt Israelitæ*; inquit Paulus ad Rom. c. 9, *neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filii. Non enim qui in manifesto, Judæus est; sed qui in abscondito, Judæus est* (Rom. c. 2, v. 28, 29). Ergò Christus in Psalmo Deum appellat *Laudem Israel*, utpote qui laudaretur à piis et sanctis Israelitis, cùm à nefariis et scelestis Israelitis torqueretur. Neque verò a Deo spretus ac despectus est Jesus, qui *datam sibi omnem potestatem in cœlo et in terrâ* redivivus gloriatur. Et sanè postulatis ejus annuit Deus; nam et vitam illi restituit, quam nec retinere Jesus voluerat, et hominibus criminum veniam benignè indulsit, cujus impetrandæ gratiâ mortem Jesus obierat. Falsum denique est, neque Judæos neque Ismaelitas Christo nomen dedisse, cùm ex utroque grege complures ad Christi castra transierint; non enim prædicit Propheta singulos quosque ex omni hominum genere, sed aliquos Christi doctrinam suscepturos.

CAPUT CXXIV.

Jesus conspuitur et cæditur.

Psalm. 34, v. 15 : « Et adversùm me lætati sunt, et convenerunt; congregata sunt super me flagella, et ignoravi. »

Psalm. 68, v. 27 : « Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt, et super dolorem vulnerum meorum addiderunt. »

Sap. c. 2, v. 18, 19 : « Si enim est verus Filius Dei, suscipiet eum, et liberabit eum de manibus contrariorum. Contumeliâ et tormento interrogemus eum, ut sciamus reverentiam ejus, et probemus patientiam illius. »

Isa. c. 50, v. 6 : Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus; faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me. »

Isa. c. 53, v. 3 *et seq.* : « Despectum et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem; et quasi absconditus vultus ejus et despectus, undè nec reputavimus eum. Verè languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit, et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum à Deo, et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras; attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus. »

Thren. c. 3, v. 30 : « Dabit percutienti se maxillam; saturabitur opprobriis. »

Matth. c. 20, v. 18, 19 : « Ecce ascendimus Hierosolymam, et Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum et Scribis; et condemnabunt eum morte; et tradent eum Gentibus, ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum. » Et Marc. c. 10, v. 33, 34. Luc. c. 18, v. 31, 32.

Matth. c. 26, v. 67, 68 : « Tunc exspuerunt in faciem ejus, et colaphis eum ceciderunt; alii autem palmas in faciem ejus dederunt, dicentes : Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit? » Et Marc. c. 14, v. 65. Luc. c. 22, v. 63, 64.

Matth. c. 27, v. 26 : « Tunc dimisit illis Barabbam; Jesum autem flagellatum tradidit eis

ut crucifigeretur. » Et Marc. c. 15, v. 15.

Matth c. 27, v. 30 : « Et exspuentes in eum, acceperunt arundinem, et percutiebant caput ejus. » Et Marc. c. 15, v. 19.

Joan. c. 18, v. 22 : « Hæc autem cum dixisset, unus assistens ministrorum dedit alapam Jesu, dicens : Sic respondes Pontifici? »

Joan. c. 19, v. 1 *et seq.* : « Tunc ergò apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit. Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus, et veste purpureâ circumdederunt eum. Et veniebant ad eum, et dicebant : Ave rex Judæorum; et dabant ei alapas. »

CAPUT CXXV.

Jesus venditur : cujus venditionis pretio ager figlinus emitur. Judæ proditoris interitus.

Psalm. 68, v. 25 *et seq.* : «Effunde super eos iram tuam, et furor iræ tuæ comprehendat eos. Fiat habitatio eorum deserta, et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet. Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt, et super dolorem vulnerum meorum addiderunt. »

Psalm. 108, v. 4 *et seq.* : «Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi; ego autem orabam. Et posuerunt adversùm me mala pro bonis, et odium pro dilectione meâ. Constitue super eum peccatorem, et diabolus stet à dextris ejus. Cùm judicatur, exeat condemnatus, et oratio ejus fiat in peccatum; fiant dies ejus pauci, et episcopatum ejus alter accipiat; fiant filii ejus orphani, et uxor ejus vidua. »

Amos. c. 2, v. 6 : « Hæc dicit Dominus : Super tribus sceleribus Israel, et super quatuor non convertam eam; pro eo quòd vendiderit pro argento Justum. »

Zach. c. 11, v. 12, 13 : « Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos ; et dixit Dominus ad me : Projice illud ad statuarium, decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis. Et tuli trigenta argenteos, et projeci illos in domum Domini ad statuarium. »

Matth. c. 26, v. 14 : « Tunc abiit unus de duodecim, qui dicebatur Judas Iscariotes, ad Principes sacerdotum, et ait illis : Quid vultis mihi dare, et ego eum vobis tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos. » Et Marc. c. 14, v. 10 et seq. Luc. c. 22, v. 3 et seq.

Matth. c. 27, v. 3 *et seq.* : « Tunc videns Judas qui eum tradidit, quòd damnatus esset, pœnitentiâ ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum, et senioribus dicens : Peccavi, tradens sanguinem justum. At illi dixerunt : Quid ad nos tu videris. Et projectis argenteis in templo, recessit, et abiens laqueo se suspendit. Principes autem sacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt : Non licet eos mittere in corbonam, quia pretium sanguinis est. Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum. Propter hoc vocatus est ager ille, *Haceldama,* hoc est, *Ager sanguinis,* usque in hodiernum diem. Tunc impletum est quod dictum est per Jeremiam Prophetam dicentem : *Et acceperunt triginta argenteos, pretium appretiati, quem appretiaverunt à filiis Israel, et dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.*

Joan. c. 17, v. 12 : « Quos dedisti mihi, custodivi; et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur. »

Act. c. 1, v. 16 : Viri fratres, oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus per os David de Judâ, qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Jesum, qui connumeratus erat in nobis, et sortitus est sortem ministerii hujus. Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis, et suspensus crepuit medius, et diffusa sunt omnia viscera ejus. Et notum factum est omnibus habitantibus Jerusalem, ità ut appellaretur ager ille, lingua eorum, *Haceldama*, hoc est, *Ager sanguinis.* Scriptum est enim in libro Psalmorum : *Fiat commoratio eorum deserta, et non sit qui habitet in eâ, et episcopatum ejus accipiat alter.* »

Clarissima illa Zachariæ prædictio, ità ut à Matthæo relata est, adversariorum petitionibus patuit. Queruntur primùm Jeremiæ eam tribui ab evangelistâ, cùm sit Zachariæ; deindè aliis conceptam esse verbis apud prophetam, aliis apud evangelistam : demùm nec sententiam congruere. Adversùs ea à christianis interpretibus multa disputantur, quibus commemorandis supersedebimus in præsentiâ, querelis istorum sic occurrisse contenti. Verisimile primùm est librariorum oscitantiâ evenisse, ut Jeremiæ nomen extruderet nomen Zachariæ. Nam cùm propria nomina contrahere librarii soleant, illa Jeremiæ et Zachariæ sic videntur expressisse, Ιριας, Ζριας : in his proclive fuit primam nominis utriusque litteram permutare ; nam primam in ἱερεμίας, non pusillam et brevem pingebant, quemadmodùm nunc typographi, sed productam et benè longam; primam verò in ζαχαρίας non semper ità sinuatam et contortuplicatam, uti in libris editis hodiè pingitur, sed à summo ad imum satis directam, paululùm inflexam et prominen-

tem in medio, ansulam in vertice gerentem: quæ si parùm accuratè notata erant, ζ in ι facilè degenerabat. Hæc fatebuntur, qui græca exemplaria versare consueverunt. Ergò apicis similitudine deluso imperito et supino librario, quod uni aut alteri codici inhæserat vitium, in alios ità propagatum est, ut universis propemodùm, ac interpretationibus deindè inolesceret; quanquàm non omnibus. Nam nec Jeremiæ, nec Zachariæ nomen præfert syriaca interpretatio, neque persica, neque latini codices quidam, ut testificatur Augustinus, de Cons. Evang. lib. 4, cap. 7. Simile quippiam Origeni et Eusebio suboluerat; quorum ille in Matthæum, hic libro decimo Demonstrationis errorem hunc, *mendum scripturæ* esse conjectant. At apocryphus ille Jeremiæ liber hebraicè scriptus, Hieronymo communicatus à Nazarææ sectæ homine hebræo, in quo testimonium illud propriis exstabat conceptum verbis, haud scio an post Matthæum fuerit suppositus, et ad fidem ipsi faciendam confictus, ac Hebræis deindè obtrusus. Id quidem dissimulavit Hieronymus; sed indè tamen deprompam esse Matthæi ῥῆσιν haudquaquàm credere se declaravit, verùm ex ipso Zachariâ repetiit. Minimè verò ait Origenes visum sibi hunc Jeremiæ librum apocryphum; at ad priorem suspicionem alteram addit, ex aliquâ nempè apocryphâ scriptione, Jeremiæ nomen præ se ferente, depromptam esse hanc quam profert Matthæus, prædictionem; quemadmodùm alia quædam novi Testamenti Scriptores ex apocryphis libris deprompsere. Opinionem hanc nullo pacto, ne ut suspicionem quidem, probare possum; apocryphorum enim testimonia à Paulo apostolo in tradendis præceptionibus usurpari cum fructu potuerunt, at ab Evangelistâ in mortis Christi historiâ prolatam fuisse falsam prædictionem, et librum ἀκανόνιστον sic tanquàm canonicum, nullâ distinctionis adhibitâ notâ fuisse citatum, haudquaquàm mihi persuaderi potest. Utcumque est, liquet certè vetustissimum hoc esse mendum, ut et Augustinus asseverat. Quod ad evangelistæ et prophetæ dissonantiam attinet, manifestum est ad prophetæ sententiam attendisse evangelistam, verba neglexisse, quemadmodùm ab interpretibus rectè observatum est; tantùm abest ut in sententiâ inter illos disconveniat. Atque hunc morem in testimoniis è Scripturâ sacrâ recitandis tenuisse evangelistas et apostolos hoc loco observat Hieronymus. Idem in libro de optimo genere interpretandi, hunc nodum solvens: « Absit hoc, inquit, de pedissequo Christi dicere (Matthæum significat) cui curæ fuit, non verba aut syllabas aucupari, sed sententias dogmatum ponere. » Queritur apud Zachariam Deus mercedem suam triginta argenteis esse appensam; atque tàm exiguum et vile sui pretium indignatus, jubet id prophetam projicere, *ad figulum*; quod et ab hoc factum est, projectis iis in domum Domini ad figulum. Plane cum iis congruit Matthæus, si sententiam duntaxat spectes; nec multum abludunt verba. Perspicuum est prætereà ejusmodi esse vaticinationem hanc, ut in Jesum Christum propriè conveniat, accuratè designatâ venditione, pretio venditionis, ac numero nummorum, projectione nummorum, loco etiam projectionis, ac nomine loci. Quæ si in Zachariæ tempora conferas, vix sanè, ac ne vix congruent; nam quid hoc esse dicas, Deum pretio æstimari se voluisse ab Israelitis, ac, illos æstimatione Dei factâ, triginta argenteos Dei pretium appendisse? Sin hæc in allegoriam trahere velis, nonnisi adhibitâ vi id efficies. Quid hoc verò est quod fieri jubet Deus, projici pretium illud ad statuarium? nam quod ait Grotius agrum fuisse in quem projiciebantur fracta templi fictilia, gratis omninò dicitur, nec rationi convenit; nam quis putet agrum excipiendis templi fictilibus fractis fuisse destinatum? non his potiùs certè, quàm reliquis sordibus; undè nec à fictilibus, potiùs quàm à sordibus nomen habuerit. Itaque vix legitimum indè sensum extundas; cùm proprium et verum reperias in historiâ Christi Jesu. Etsi verò notavimus propositum id fuisse Grotio, ut proprios et directos vaticinorum sensus eriperet historiæ Christi, remotos solùm et obliquos relinqueret, hoc tamen loco, veritate quippè victus, allegoricam tantùm expositionem concessit temporibus Zachariæ propriam in historiam Christi quadrare fassus est. »

CAPUT CXXVI.

Jesus à Judæis et Ethnicis capitis damnatur.

Psalm. 2, v. 2: « Adstiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum, adversùs Dominum et adversùs Christum ejus. »

Psalm. 21, v. 17: « Quoniam circumdederunt me canes multi: « concilium malignantium obsedit me. »

Psalm. 40, v. 6 *et seq.*: « Inimici mei dixerunt mala mihi: Quandò morietur et peribit nomen ejus?... Adversùm me susurrabant omnes inimici mei, adversùm me cogitabant mala

mihi; verbum iniquum constituerunt adversùm me. »

Psalm. 68, v. 13 : « Adversùm me loquebantur, qui sedebant in portâ.

Psalm. 93, v. 21 : « Captabunt in animam justi, et sanguinem innocentem condemnabunt. »

Sap. c. 2, v. 19, 20 : « Contumeliâ et tormento interrogemus eum, ut sciamus reverentiam ejus, et probemus patientiam illius. Morte turpissimâ condemnemus eum. »

Isa. c. 53, v. 8 : « De angustiâ et judicio sublatus est. »

Jerem. c. 11, v. 9 : « Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam; et non cognovi quia cogitaverunt super me consilia, dicentes : Mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terrâ viventium, et nomen ejus non memoretur ampliùs. »

Matth. c. 20, v. 18 : « Ecce ascendimus Jerosolymam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum, et scribis, et condemnabunt eum morte. » Et Marc. c. 10, v. 33.

Matth. c. 26, v. 66 : « At illi respondentes dixerunt : Reus est mortis. » Marc. c. 14, v. 64.

Matth. c. 27, v. 3 : « Tunc videns Judas, qui eum tradidit, quod damnatus esset, pœnitentiâ ductus, retulit triginta argenteos. »

Matth. c. 27, v. 26 : « Tunc dimisit illis Barabbam; Jesum autem flagellatum tradidit eis, ut crucifigeretur. » Et Marc. c. 10, v. 33; et c. 15, v. 15. Luc. c. 23, v. 24, 25; Joan. c. 19, v. 13 et seq.

Luc. c. 23, v. 6 *et seq.* : « Pilatus autem audiens Galilæam, interrogavit si homo Galilæus esset. Et ut cognovit quòd de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui et ipse Jerosolymis erat illis diebus. Herodes autem, viso Jesu, gavisus est valdè; erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eò quòd audierat multa de eo, et sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat. Stabant autem principes sacerdotum et scribæ, constanter accusantes eum. Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo, et illusit indutum veste albâ, et remisit ad Pilatum. Et facti sunt amici Herodes et Pilatus in ipsâ die; nam anteà inimici erant ad invicem. »

Act. c. 4, v. 24 *et seq.* : « Qui cùm audissent, unanimiter levaverunt vocem ad Deum, et dixerunt : Domine, tu es qui fecisti cœlum et terram, mare, et omnia quæ in eis sunt; qui Spiritu sancto per os Patris nostri David pueri tui dixisti : *Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania ? Adstiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum, adversùs Dominum, et adversùs Christum ejus.* Convenerunt enim verè in civitate istâ, adversùs sanctum puerum tuum Jesum quem unxisti, Herodes et Pilatus, cum gentibus et populis Israel, facere quæ manus tua et consilium tuum decreverunt fieri. »

CAPUT CXXVII.

Jesus cruci suffigitur.

Gen. c. 22, v. 6 *et seq.* : « Tulit quoque (Abrahamus) ligna holocausti, et imposuit super Isaac filium suum... Cùmque alligàsset Isaac filium suum, posuit eum in altare super struem lignorum. »

Exod. c. 12, v. 1 *et seq.* : « Dixit quoque Dominus ad Moysen et Aaron in terrâ Ægypti... Loquimini ad universum cœtum filiorum Israel, et dicite eis : Decimâ die mensis hujus tollat unusquisque agnum per familias et domos suas... Erit autem agnus absque maculâ, masculus, anniculus... Et servabitis eum usque ad quartam decimam diem mensis hujus, immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam. Et sument de sanguine ejus, ac ponent super utrumque postem, et in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum. Et edent carnes nocte illâ assas igni, et azymos panes cum lactucis agrestibus... Erit autem sanguis vobis signum in ædibus, in quibus eritis, et videbo sanguinem, et transibo vos... Habebitis autem hanc diem in monumentum, et celebrabitis eam solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno. »

Num. c. 21, v. *et seq.* : « Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes, ad quorum plagas et mortes plurimorum, venerunt ad Moysem, atque dixerunt : Peccavimus, quia locuti sumus contrà Dominum ad te, ora ut tollat à nobis serpentes. Oravitque Moyses pro populo, et locutus est Dominus ad eum : Fac serpentem æneum, et pone eum pro signo; qui percussus aspexerit eum, vivet. Fecit ergò Moyses serpentem æneum, et posuit pro signo; quem cùm percussi aspicerent, sanabantur. »

Psalm. 21, v. 17 : « Foderunt manus meas, et pedes meos; dinumeraverunt omnia ossa

mea. Ipsi verò consideraverunt et inspexerunt me; diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem. »

Isa. c. 53, v. 5 : « Ipse autem vulneratus est propter scelera nostra; disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus. »

Ezech. c. 9, v. 4 *et seq.* : « Et dixit Dominus ad eum : Transi per mediam civitatem in medio Jerusalem, et signa *Thau* super frontes virorum gementium et dolentium, super cunctis abominationibus quæ fiunt in medio ejus. Et illis dixit, audiente me : Transite per civitatem sequentes eum, et percutite; non parcat oculus vester, neque miseramini. Senem, adolescentulum et virginem, parvulum et mulieres interficite usque ad internecionem; omnem autem, super quem videritis *Thau*, ne occidatis, et à sanctuario meo incipite. »

Zach. c. 12, v. 10 : « Et effundam super domum David, et super habitatores Jerusalem, spiritum gratiæ et precum; et aspicient ad me quem confixerunt; et plangent eum planctu quasi super unigenitum, et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti. »

Zach. c. 13, v. 6 : « Et dicetur ei : Quid sunt plagæ tuæ in medio manuum tuarum? Et dicet : His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me. »

Matth. c. 20, v. 19 : « Tradent eum gentibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum. »

Matth. c. 26, v. 2 : « Scitis quia post biduum pascha fiet, et filius hominis tradetur ut crucifigatur. »

Matth. c. 27, v. 22 *et seq.* : « Dicit illis Pilatus : Quid igitur faciam de Jesu, qui dicitur Christus? Dicunt omnes : Crucifigatur. Ait illis præses : Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant, dicentes : Crucifigatur... Tunc dimisit illis Barabam, Jesum autem flagellatum tradidit eis ut crucifigeretur... Et postquàm illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde, et induerunt eum vestimentis ejus, et duxerunt eum ut crucifigerent. Exeuntes autem invenerunt hominem cyrenæum, nomine Simonem; hunc angariaverunt, ut tolleret crucem ejus. Et venerunt in locum qui dicitur *Golgotha*, quod est Calvariæ locus. Et dederunt ei vinum bibere cum felle mistum; et cùm gustàsset, noluit bibere. Postquàm autem crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta ejus, sortem mittentes. » Et Marc. c. 15, v. 13 et seq. Luc. c. 23, 21 et seq. Joan. c. 19, v. 6 et seq.

Matth c. 28, v. 5 : Respondens autem Angelus dixit mulieribus : Nolite timere vos; scio enim quòd Jesum, qui crucifixus est, quæritis. » Et Marc. c. 16, v. 6.

Luc c. 24, v. 20 : Et quomodò eum tradiderunt summi sacerdotes, et principes nostri in damnationem mortis, et crucifixerunt eum. »

Joan. c. 3, v. 14, 15 : « Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ità exaltari oportet Filium hominis. »

Joan. c. 8, v. 28 : « Dixit ergò eis Jesus : Cùm exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum. »

Joan. c. 12, v. 32, 33 : « Et ego si exaltatus fuero à terrà, omnia traham ad meipsum. Hoc autem dicebat significans quâ morte esset moriturus. »

Act. c. 2, v. 36 : « Certissimè sciat ergò omnis domus Israel, quia et Dominum eum et Christum fecit Deus, hunc Jesum quem vos crucifixistis. » Et Act. c. 4, v. 10.

Act. c. 5, v. 30 : « Deus patrum nostrorum suscitavit Jesum, quem vos interemistis, suspendentes in ligno. » Et Act. c. 10, v. 39; et c. 13, v. 29.

1 *Cor.* c. 1, v. 23 : « Nos autem prædicamus Christum crucifixum. »

1 *Cor.* c. 2, v. 2, 8 : « Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, hunc crucifixum.... Si enim cognovissent, nunquàm Dominum gloriæ crucifixissent. »

1 *Cor.* c. 5, v. 7 : « Etenim pascha nostrum immolatus est Christus. »

2 *Cor.* c. 13, v. 4 : « Nam etsi crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei. »

Gal. c. 2, v. 19 : « Christo confixus sum cruci. »

Gal. c. 3, v. 1, 2 : « O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati, antè quorum oculos Jesus Christus proscriptus est, in vobis crucifixus? »

Gal. c. 6, v. 14. « Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. »

Phil. c. 2. v. 8 : « Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. »

Hebr. c. 12, v. 2 : « Aspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contemptâ. »

Apoc. c. 1, v. 7 : « Ecce enim venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum

pugerunt, et plangent se super eum omnes tribus terræ. »

Apoc. c. 7, c. 2, 3 : « Et vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi, et clamavit voce magnâ quatuor Angelis, quibus datum est nocere terræ et mari, dicens : Nolite nocere terræ et mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum. Et audivi numerum signatorum; centum quadraginta quatuor millia signati, ex omni tribu filiorum Israel. »

Apoc. c. 11, v. 8 : « Et corpora eorum jacebant in plateis civitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma, et Ægyptus, ubi et Dominus eorum crucifixus est. »

1° Psalmo 21 Christum prædici ad centesimum vicesimum tertium hujus Parallelismi caput evicimus. Non semel ergò petita ex eo oracula in testimonium adduxerunt Novi Testamenti scriptores, quod non fecissent utique, nisi psalmum vulgò in eamdem flecti sententiam exploratum habuissent. At non levis controversia mota est super decimo septimo commate, quo supplicium Christi Jesu clarissimè præsignatum est. Nam quod habet Vulgata interpretatio : *Foderunt manus meus et pedes meos,* hebraicè in Keri sic conceptum est : כרו ידי ורגלי. Hanc lectionem secuti sunt septuaginta Interpretes; verterunt enim : ὤρυξαν χεῖράς μου καὶ πόδας Sic syrus interpres, sic arabs. At in Ketib, pro כרו scribitur כארי; ut sensus sit : *Sicut leo manus meas et pedes meos;* quæ cùm pendula sint et imperfecta, ad explendam sententiam addi volunt hujus lectionis assertores : *Observaverunt*, vel *momorderunt,* vel *laceraverunt,* aut aliaaliquid hujusmodi. Quod videtur secutus paraphrastes chaldæus, adjectâ dictione ad integritatem sententiæ. Ità et R. Selomoh Jarchi. Aben Ezra repeti jubet ἀπὸ κοινοῦ, *circumdederunt,* quod est in superiori commate. כארי Judæorum fraude confictum fuisse queruntur Christiani; contrà à Christianis nativam scriptionem in כרו recoctam Judæi causantur, ac inter eos præcipuè R. David Kimchi. Utri veriùs, existimare promptum est. Nam כרו legerunt septuaginta Senes, ut dixi, vetustissimi interpretum omnium Scripturæ sacræ qui supersunt, Christo Jesu antiquiores; verterunt quippe ὤρυξαν. Deinde ex keri et ketib apparet utramque lectionem Hebræorum libros habuisse. Habuerunt certè codices quidam כארו, ut ipsi testantur Masorethæ, quod à Christianorum lectione differt unicâ litterâ א. Eam esse paragogicam Judæi nonnulli fatentur. Atqui certum est abfuisse illam ab optimis quibusdam exemplaribus Christianorum, quorum Judæi ipsi integritatem et fidem agnoverunt. Quid quod traditur in parvâ Masorâ, vocis ipsius כארי significationem eòdem ac significationem vocis כרו recidere? nempè, opinor, quòd sive unguibus, sive dentibus utatur leo ad capiendam et vorandam prædam, carnes pungit et perfodit. Quod cùm ità sit, mihi ea longè videtur præferenda lectio, quæ integra est, καὶ ἀπαρτίζει τὴν διάνοιαν, ei quæ trunca est et pendula, et animum relinquit incertum. Probabile est hoc provenisse ex tikkun sopherim, sive *correctione scribarum,* qui ut præclari hujus oraculi vim aliò converterent, incrustârunt vas sincerum, quod et alibi sæpè factum ab iis alii observârunt.

2° At crimen in Christianos retorquet R. Lipman in Nitzachon, atque vaticinium hoc ab iis adulteratum ex eo probat, quòd à Judæorum moribus abhorreret, noxios cruci suffigere. Verùm quo tempore interfectus est Christus Jesus, jus vitæ et necis Judæis erat ademptum. *Nobis,* inquiunt, *non licet interficere quemquam* (Joan. c. 19, v. 31). At judicia capitalia et supplicia moribus romanis tunc exercebantur. Supplicium ergò juxtà alienos mores Jesu irrogandum esse prædixit David, irrogatum Evangelistæ retulerunt. Cæterùm à Lipmanni criminatione Christianos satis vindicant interpretes Septuaginta, qui, ut jam notavi, כרו legerunt, et verterunt, ὤρυξαν.

3° De lectione non disputat Theodorus Mopsuestenus, coll. 4 conc. constant. 11, verùm nullam hìc futurorum, sed præsentium duntaxat significationem contineri pertendit. Totum ergò ad allegoriam convertit; atque id, *Foderunt manus meas et pedes meos,* exponit : Arcana mea scrutati sunt, et hoc translatum putat ex iis quæ scrutando et fodiendo eruuntur. *Dinumeraverunt omnia ossa mea,* tractum esse vult ex eorum consuetudine, qui devictorum hostium bona recensent. Violenta sanè et inverecunda fuerit utraque translatio hæc, si translatio est. *Ipsi verò consideraverunt et inspexerunt me;* ea nimirùm, inquit, patientem quæ volebant. Rectè; nam id christianæ expositioni congruit. *Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem;* hoc est, inquit, facultates meas vi ademptas sorte inter se partiti sunt; quam interpretationem amplectitur Grotius. Paulò quidem tolerabilior illa est, sed

non itâ tamen, ut eam quæ est κατὰ λέξιν, et nativos ac obvios verborum sensus in rebus gestis quærit et invenit, aspernemur, vel aliorsùm pro libitu flectamus. Nam cui persuaserit Theodorus, casu factum, ut quæ metaphoricè dixerat Psaltes, ea κατὰ λέξιν pedum manuumque Christi fossionem, nec non dirum illud ac triste spectaculum, quod de cruce pendens Jesus præbuit, ac vestium quoque ipsius partitionem sorte factam accuratè referrent? sed hunc psalmum nos suprà jam satis excussimus.

4° Crucis Christi non rudem aliquam et obscuram informationem, sed expressam effigiem dedit Ezechiel, seu potiùs apud Ezechielem Deus ipse, cùm piorum hominum frontes signari jussit littera *Thau;* interfici verò eos qui eâ notari non essent. Hoc tempore priscis elementis samariticis Hebræi utebantur; Samaritæ verò litteras singulas multiplici formâ depingebant. Et *Thau* quidem, quæ postrema erat, præter alias formas, crucis speciem obtinebat; non ejus duntaxat, in quâ lignum transversum sustinet stipes arrectarius, sed alterius etiam quæ χιαστή; est, sive decussata. Utramque crucis formam habet littera *Thau* in vetustis hebræorum siclis, qui servantur in eruditorum loculis, et in illorum libris pinguntur. Undè à Scaligeri animadversione defenditur Origenes, qui hoc Ezechielis testimonium exponens, accepisse se scribit ab Hebræo quodam, Christi doctrinam amplexo, in antiquis elementis Hebræorum *Thau* formam crucis habere. Antiqua elementa appellat, ἀρχαῖα στοιχεῖα, samariticas litteras; quas ab hebraicis recentioribus, seu potius babylonicis, quibus post babylonicam captivitatem uti cœperunt Judæi, accuratè distinguit his verbis, quæ è veteri Catenâ in Psalmos translata excerpsimus : « Et in accuratioribus exemplaribus scriptum est vetustis « litteris hebraicis, non hodiernis. Narrant « enim Esdram post captivitatem aliis esse « usum. » Hieronymus *Thau* Ezechielis « perfectam in viris gementibus et dolentibus « scientiam demonstrare » suspicatur; conjecturâ ductâ à voce תם, quæ *perfectum* sonat : vel notari observationem legis, quæ תורה dicitur; quam expositionem Hebræis adscribit. Tùm subjicit : « Et ut ad nostra veniamus, an« tiquis Hebræorum litteris, quibus usque ho« diè utuntur Samaritani, extrema *Thau* littera « crucis habet similitudinem, quæ in Christia« norum frontibus pingitur, et frequenti ma« nûs inscriptione signatur. » At cùm Origeni et Hieronymo fidem detrahere nititur Scaliger, audacter facit et inconsultè; audaciùs etiam, cùm ad sciolos provocat, qui præcipitem ipsius temeritatem arguunt, et Origeni ac Hieronymo faciunt fidem. Probabile quidem est post Christi mortem Samaritas, subdolam gentem, ut Christianorum causam hoc Ezechielis testimonio nudarent, litteræ *Thau* figuram σταυροειδῆ rarissimè usurpâsse; alias vero litteræ ejusdem formas in libris suis adhibuisse. Itaque in grammaticis libris Samaritarum, quos consuluerat Scaliger, unica fuit forma litteræ *Thau,* à crucis signo diversa. Verùm qui vel R. Azariam, vel Angelum è Rocchâ adiverit, et in consilium adhibuerit, Scaligeri errorem deprehendet. Porrò non apud Samaritas solùm, et veteres Hebræos, sed ipsos etiam Pœnos, proindeque et Tyrios, apud Æthiopes quoque, necnon et apud Græcos et Latinos, *Thau* caret illo vertice suprà lignum transversum eminente, in quo αἰτία, sive titulus noxii scribebatur; quem verticem *Thau* aliarum gentium retinet. Quanquàm et in veteribus Græcorum libris et inscriptionibus nonnullis, *Thau* cum apice nonnunquàm visitur. Apud Coptos *Dau* simile est *Tau* Græci sine apice; sed penultima littera quæ est Dei, prorsùs similis est æthiopici et samaritici *Thau,* quod verticem gerit. Quamobrem et Salebdei nominari aiunt, hoc est, *Dei cruciforme.* Crucem enim *Saleb* appellant. Ergò Copti *Dau* suum habuere à Macedonibus alexandrinis : at Dei littera videtur esse ægyptiacæ originis. Utcumque est, ex hâc dissertatione colligimus singulas has gentes apud quas præcipuè Christi doctrina propagata est, in litteris suis reperire, undè vaticinium Ezechielis Christi crucem prænuntiare comprobetur. »

Scio plerosque תו Ezechielis, non *Thau* litteram, sed *signum* interpretari. Sic Septuaginta, et Jonathan; sic Syrus et Arabs; sic Aquila et Symmachus, juxtà Hieronymi testimonium. Sic Cyprianus : « Apud Ezechielem, inquit, dicit Deus : *Notabis signum super frontes virorum.* » Rursùm : « *Omnem autem super quem signum scriptum est.* » Matthæus quoque Ezechielem respexisse videtur, cum diceret : *Et tunc parebit signum Filii hominis in cælo.* Apertissimè verò Joannes in Apocalysi : *Et præceptum est illis ne læderent fœnum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem; nisi tantùm homines, qui non habent signum Dei in frontibus suis :* Verùm aliter Theodotion, qui litteram hebraicam *Thau* expressit, teste Hieronymo in Ezech. c. 9, v. 4 : quod et ab Aquilâ factum docet Origenes; cujus verba repræsentat romana editio Scripturæ

sacræ. Tertullianus quoque, adv. Jud. c. 11, *Thau* reddidit, vel, quod potiùs reor, in veteri interpretatione latinâ sic redditum exscripsit: at samariticæ linguæ imperitus *Tau* græcum, et *T* latinum ab Ezechiele præsignari censuit. « Ipsa est enim, inquit adv. Marc. libr. 3, cap. 22, littera Græcorum *Tau*, nostra autem T species crucis, *quam portendebat futuram in frontibus nostris, apud veram et catholicam Jerusalem.* Atqui vetus illa latina interpretatio, undè hæc sumpsit Tertullianus, excusa erat ad editionem Septuaginta senum. Quamobrem facilè ducor ad suspicandum, pro eo quod apud illos vulgò legitur : ἐπὶ δὲ πάντας ἐφ' οὓς ἐστὶ τὸ σημεῖον, μὴ ἐγγίσητε, legendum esse : ἐπὶ δὲ πάντας ἐφ' οὓς ἐστὶ Ταῦ σημεῖον. Proindeque et paulò superiùs emendandum erit : καὶ δὸς Ταῦ σημεῖον ἐπὶ τὰ μέτωπα τῶν ἀνδρῶν τῶν καταστεναζόντων. Quod ad Matthæum et Joannem attinet, propositum non habuerunt ipsa Ezechielis verba rependere, sed ad sententiam tantùm alluserunt.

5° Postrema illa duo, quæ Zacharias suppeditavit oracula, in Christo Jesu completa esse, ultima Prophetæ hujus capita, si simul spectentur, manifestum facient. Nam si ab eo undecimi capitis ordiamur loco, in quo venditionem Jesu prædictam esse proximè ostendimus, statìm subest Judæ et Israelis disjunctio, quæ notat consanguineorum dissociationem per Christum prædictam et factam, his ipsius capessentibus doctrinam, illis Mosis, istis ethnicorum instituta sectantibus. Undè sic Jesus ipse de se apud S. Luc. c. 12, v. 51 et seq. : « Putatis quia pacem veni dare in terram? non, dico vobis, sed separationem ; erunt enim ex hoc quinque in domo unâ divisi ; tres in duos, et duo in tres dividentur ; pater in filium, et filius in patrem suum ; mater in filiam, et filia in matrem ; socrus in nurum suam et nurus in socrum suam. » Tùm objurgat pastores nequam Zacharias, quemadmodùm et Jesus decimo Joannis capite v. 11. Ecclesiæ deindè victorias spondet, hostibus verò Ecclesiæ certum minatur exitium. His subnectitur missio Spiritùs sancti, de quâ luculenter agemus infrà. Explicat postmodùm Christi Jesu supplicium : « Et aspicient ad me quem confixerunt, et plangent eum planctu quasi super unigenitum, et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti. » In Christum Jesum quadrare istud tradit Joannes capite 19, v. 36, 37 : « Facta sunt enim hæc, ut Scriptura impleretur : Os non comminuetis ex eo. Et iterùm alia Scriptura dicit : Videbunt in quem transfixerunt. » Eòdem pertinet istud ex Apocalypsi, cap. 1, v. 7 : « Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt, et plangent se super eum omnes tribus terræ. » Atqui in Christum Jesum hæc torquere minimè fuissent ausi Novi Testamenti scriptores, ut sæpè jam dixi, nisi receptam esse in vulgus opinionem hanc scivissent. Indidem petitum videtur istud Christi Jesu apud Matthæum : « Et tunc parebit signum Filii hominis in cœlo, et tunc plangent omnes tribus terræ, et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multâ et majestate. » Quorsùm *Unigenitus* appelletur Christus Jesus, nihil attinet dicere. Septuaginta habent : ὡς ἐφ' ἀγαπητῷ. *Quasi super dilecto ;* quippè Jesum Deus Pater de cœlo Filium suum dilectum non semel appellavit. Ecquid verò dicatur Primogenitus, demonstrat suprà Parallelismus. Quàm simile verò Zacharianum hoc istis psalmi 21, quæ Christo addiximus : « Foderunt manus meas et pedes meos. Ipsi verò consideraverunt et inspexerunt me. » Jam verò ille « fons patens domui David, et habitantibus Jerusalem in ablutionem peccatoris », Christus Jesus est, quem sub fontis, et aquæ, et fluvii noxiorum sordes eluentis symbolo Testamenti utriusque auctores exhibent in Parallelismo. Idola deindè conterit, quod Christi Jesu munus esse approbat itidem Parallelismus. Tùm pseudoprophetas exterminat, et spiritus nequam profligat. Quippè sic et Christus Jesus apud Matthæum, cap. 7, v. 15 : « Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium ; intrinsecùs autem sunt lupi rapaces. » Et alibi : « Videte, ne quis vos seducat ; multi enim venient in nomine meo, dicentes : Ego sum Christus, et multos seducent (Matth. c. 24, v. 4 et seq.). » Et mox : « Si quis vobis dixerit : Ecce hìc est Christus, aut illìc, nolite credere, surgent enim pseudochristi, et pseudoprophetæ ; et dabunt signa magna et prodigia, ità ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. » Idem argumentum fusè tractat Paulus in posteriore Epistolâ ad Timotheum, cap. 3, v. 1 et seq. nimirùm Christi Jesu præceptis imbutus. Joannes quoque, eodem præceptore usus, sic disserit in primâ Epistolâ cap. 4, v. 1 et seq. : « Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint ; quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum. In hoc cognoscitur Spiritus Dei : omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne

venisse, ex Deo est; et omnis spiritus qui solvit Jesum, ex Deo non est, et hic est Antichristus, de quo audistis quoniam venit, et nunc jam in mundo est. » Tangit posteà Zacharias supplicium Christi, atque id claris adeò et perspicuis designat notis, ut rem præsentem describere, non futuram prædicere videatur: « Et dicetur ei: Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me. » Scio equidem quid postulet verborum istorum connexio cum superioribus, et ἀλληλουχία. Agit Zacharias de pseudoprophetâ, qui postquàm falsiloquia sua Dei nomine prætexuerit, *Configent eum,* inquit, *pater ejus, et mater ejus.* Tùm subjungit: *Et dicetur ei: Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me.* Plane hæc cohærent. Verumtamen non eadem prorsùs subjacet ῥήσει utrique sententia: nam quem à parentibus confixum dixit, quemadmodùm verterunt Aquila, Theodotion, Symmachus, Jonathan et Vulgatus interpres, ferro ad mortem confossum utique significavit: hic enim videtur esse sensus vocis ודקרהו, et capitale scelus fuit prophetiæ munus temerè usurpare, juxtà legem Mosis. Atqui lethalia vulnera non sunt, quæ manibus infliguntur. Vides Zachariæ mentem à pseudoprophetæ supplicio ad Christi ipsius Prophetarum ultoris supplicium sensim et λεληθότως converti. Undè continuò hæc subnectit: « Framea, suscitare super pastorem meum, et super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum; percute pastorem, et dispergentur oves: convertam manum meam ad parvulos; quæ Christo Jesu manifestis rationibus suprà adjudicavimus. Itaque prius illud comma de manibus transfossis est ejusmodi, ut accommodari possit ad præsentia, in quibus de pseudoprophetæ supplicio agitur; et ad sequentia, in quibus agitur de supplicio Christi Jesu, veri quidem Prophetæ, at pseudoprophetæ habiti; sed ità tamen ut Jesu longè aptiùs conveniat. Pergit Zacharias, et postquàm Christi mortem, et discipulorum Christi dispersionem prædixit, Evangelium promulgandum prænuntiat, et homines quosdam ad salutem eligendos, plures reprobandos; quibus consona sunt ista Christi Jesu apud Matthæum, cap. 7: « Quàm angusta porta, et arcta via est, quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam! » et ista, cap. 20: « Multi enim sunt vocati, pauci verò electi. » Undè Paulus in priore ad Corinthios Epist., cap. 1: « Videte enim vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes, non multi nobiles; sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes; et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; et ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus. » Stulta illa Pauli, et ignobilia, et contemptibilia, et quæ non sunt, *parvulos* Zacharias appellat, eosque manu suâ sublevaturum se Deus pollicetur. At variis tamen tormentis fidem eorum et virtutem exploratum iri docet Propheta; martyriis nempe ac suppliciis, quæ discipulis Jesu Christi irrogata sunt, juxtà prædictiones Veteris Testamenti in Novo completas, quas in Parallelismo collegimus. Decimo quarto demùm capite excidium hierosolymitanum, Evangelii promulgationem, gentium vocationem, Ecclesiæ constitutionem, et pios omnes in unum ovile sub uno pastore cogendos vaticinatur: quæ omnia suis locis Parallelismus iste pertractat. Ergò ex totâ Zacharianæ hujus prophetiæ compage et consensu intelligitur, duo commata hoc capite à nobis inde deprompta, ad exitum in Christo Jesu, itidem ut reliqua, pervenisse. Neque Judæi inficiantur. Gemara Thalmudici libri Sucah, ad Messiam Josephi filium, quem olim interficiendum esse opinantur, prius refert Zachariæ vaticinium: *Et aspicient ad me quem confixerunt;* cui assentitur Aben Ezra. At R. Moses Hadarsan in Beresith Rabbâ refert ad Messiam, Davidis filium. In altero verò oraculo Messiæ adscribendo adstipulatorem quoque habemus Aben Ezram, qui in Messiam filium Josephi, hæc flectit.

Verùmenimverò prius hoc Zachariæ testimonium non una labes occupavit; undè genuina ejus sententia in dubium vocari possit. Primùm vitio insidentur hæc verba: והביטו אלי, *Et aspicient ad me.* Quibus cùm Christi divinitatem probari animadverterent Judæi (quippe cùm idem se confixum fuisse dicat, qui spiritum gratiæ se effusurum promittit, quod Dei solius est), adulteras iis admoverunt manus, et pro אלי, scripserunt אליו, *ad eum,* ut alius sit gratiæ largitor, alius plagis confixus, et lamentis ac planctibus comploratus. At nos supra certis indiciis deprehensam hanc fallaciam convicimus. Subest deinde: אשר דקרו את, *Quem confixerunt.* Septuaginta reddunt: ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο. Nempè transpositis elementis legerunt, רקדו. Quanquàm nec satis constanter lectionem hanc retinent codices septuaginta senum; nam Aldina editio habet :

εἰς ὃν ἐξεκέντησαν. Sic quoque vetustissimus codex Barberinus. Sic legit et Cyprianus, sic Theodoretus, sic alii. Et antè illos Joannes Evangelista, cap. 19, v. 37 : affert Joannes : ὄψονται εἰς ὃν ἐξεκέντησαν. *Videbunt in quem transfixerunt.* Quanquàm aliter visum Hieronymo, qui hìc hebraica secutum Joannem arbitratur. Sed cùm inter Græcos, et à Græcis rogatus Evangelium suum scripserit, id haud dubiè assectatus est græcum exemplar, quod tùm maximè usurpabatur vulgò, et κοινὴ ἔκδοσις appellabatur. Illud autem fuisse certum est septuaginta senum. Nam, ut id obiter moneam, Evangelium in Judæorum gratiam et inter Judæos scripsit Matthæus, auctore Irenæo ; Marcus in gratiam Romanorum, utpotè quòd Romæ, iis postulantibus, scripserit, testibus Eusebio et Hieronymo ; Lucas Hellenistarum, quippè antiochensis, inter Hellenistas natus ; Joannes Græcorum, Ephesi nimirùm, rogatus ab episcopis Asiæ, ut docet ex Irenæo Eusebius, ex Eusebio Hieronymus ; sic tamen ut Evangelia sua scriptores hi quatuor, totius etiam Ecclesiæ communia esse vellent, ab eâque uno consensu recepta sint. Facilè itaque satisfacimus Hieronymo quærenti : « Si quis non recipit, det testimonium de quo sanctarum scripturarum loco Joannes ista protulerit, et cùm non repererit, cogetur ingratis suscipere veritatem. » Protulisse ista Joannem ex Zachariæ duodecimo capite, juxta septuaginta Senum interpretationem, respondemus. Scio notâsse alibi Hieronymum, Apostolos et Evangelistas hebraicum sequi potius Veteris Testamenti exemplar, quàm Interpretes septuaginta, si quandò hi discrepent ab hebraicis. At nos id semper ab iis factum negamus ; imò vero contrarium sæpè observavimus, et rarissimè hebraicis eos hæsisse possumus asseverare. Plurimis id exemplis probare possemus, si ea res ageretur. Quamobrem de græcâ interpretatione sic ad Hieronymum scribit Augustinus : « Non parvum pondus habet illa, quæ sic meruit defamari, et quâ usos Apostolos non « tantùm res ipsa indicat, sed etiam te attestatum esse memini. » Hæc erat κοινὴ editio, quæ cùm varias passa esset depravationes, in aliquibus hebraicæ veritati consentiebat, dissentiebat in aliis. Hinc factum est, ut cùm Evangelistæ et Apostoli κοινὴν assectarentur, tantùm consonarent hebraicis, quantùm iisdem κοινὴ consonabat. Cùm verò postmodum Origenes, aliique deindè Interpretationem septuaginta Senum emendâssent, novæ prodierunt editiones, quarum aliæ magis, minùs aliæ hebraicis consentiebant. Ergò Hieronymus aliique recentiores, deprompta in Novo Testamento testimonia exigentes ad sua septuaginta Seniorum editionis exemplaria, κοινῆς nimirùm, ut videtur, quippè frequenti usu ab omnibus teri solitæ, si quandò ab iis discrepare, hebraicis verò consentire illa notâssent, ex hebraico arcessita ea ab Evangelistis et Apostolis opinati sunt. Velut hanc clausulam ex Zachariâ à Joanne prolatam, ab hebraicis manâsse censet Hieronymus, cùm ex κοινὴ profecta videatur. Demus tamen, ità scripsisse septuaginta Interpretes, quemadmodùm hodierni codices habent, ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο, non obscura hæc erit contumeliarum Christi Jesu significatio, cùm ludibrio ac derisui Judæis habitus est. Ità quidem loci hujus sententiam exponit Hieronymus. At verò vulgatam scriptionem secutus est Aquila, vertit enim : Σὺν ᾧ ἐξεκέντησαν. Secutus est et Theodotion, qui habet : ὃν ἐξεκέντησαν, et Symmachus, cujus hæc est interpretatio : Ἔμπροσθεν ἐπεξεκέντησαν.

7° Nec incastigatam præterire sinam, quam dedit Grotius, oraculi hujus expositionem. Præfert ille quidem interpretationem vulgatam : *Et aspicient ad me, quem confixerunt.* At alium indè sensum elicit, ac vulgò fit : « Nam configere, inquit, Deum dicuntur, qui eum probris lacessunt : » quo commento splendidam supplicii Jesu Christi prædictionem obtundit. Ego verò vocabulum דקר, hâc significatione nusquàm usurpari aio ; neque hìc apud Zachariam ullo modo pati connexionem sequentium, ut in eum sensum trahi possit. Nam quid sibi velle dicamus ingentem planctum et lamenta, quibus futurum prædicit ut Judæorum familiæ prosequantur eum qui fuit confixus ? Cuilibet attento patet, lessum in defuncti alicujus funere habitum describi : *Et aspicient ad me quem confixerunt; et plangent eum planctu quasi super unigenitum; et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti.* Nec sibi constat Grotius ; nam septimum comma capitis primi Apocalypseos, quod Zachariani illius germanum est, mala ecclesiis illata notare censet. At res profectò diversæ sunt, Deum conviciis proscindere, et Ecclesiæ mala inferre. Quæ opinionum levitas earumdem vanitatem arguit.

8° Non abs re erit celeberrimum repetere Psalmi nonagesimi quinti comma, multis controversiis agitatum ; quo, si integrum esse con-

staret supplicium Christi clarissimè prædici fatendum esset: *Dicite in gentibus, quia Dominus regnavit à ligno.* Postrema hæc verba à Judæis fuisse inducta et obliterata queritur Justinus adversus Tryphonem. Eadem repræsentant vetustiores latini patres, Tertullianus, Arnobius, Lactantius, alii, et prisci item codices nonnulli. Sed tamen cùm tale nihil exstet, vel in exemplaribus hebraicis, vel in Thargum, vel in interpretibus exoticis; neque ea agnoscant Symmachus, aut Theodoretus, aut alii, nullum in hoc testimonio causæ nostræ firmamentum collocabimus. In quo quàm bonâ fide, quàmque moderatè agamus, adversarii possunt agnoscere.

CAPUT CXXVIII.

Jesus inter duos latrones cruci suffigitur.

Isa. c. 53, v. 12: « Ideò dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia, pro eo quòd tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est. »

Matth. c. 27, v. 38: « Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones, unus à dextris, et unus à sinistris. » Et Luc. c. 23, v. 33. Joann. c. 19, v. 18.

Marc. c. 15, v. 27: « Et cum eo crucifigunt duos latrones, unum à dextris, et alium à sinistris ejus. Et impleta est Scriptura quæ dicit: Et cum iniquis reputatus est. »

Luc. c. 22, v. 37: « Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc quod scriptum est, oportet impleri in me: Et cum iniquis deputatus est. »

CAPUT CXXIX.

Jesus signum.

Num. c. 21, v. 9: « Fecit ergò Moyses serpentem æneum, et posuit eum pro signo, quem cum percussi aspicerent, sanabantur. »

Isa. c. 11, v. 10, 12: « In die illâ radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, et erit sepulcrum ejus gloriosum.... Et levabit (Dominus) signum in nationes. »

Isa. c. 49, v. 22: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce levabo ad gentes manum meam; et ad populos exaltabo signum meum. Et afferent filios tuos in ulnis, et filias tuas super humeros portabunt. Et erunt reges nutritii tui, et reginæ nutrices tuæ; vultu in terram demisso adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent. »

Isa. c. 55, v. 11, 13: « Sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo: non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, et prosperabitur in his ad quæ misi illud.... Pro saliuncâ ascendet abies, et pro urticâ crescet myrtus, et erit Dominus nominatus in signum æternum, quod non auferetur. »

Isa. c. 61, v. 10 *et seq.*: « Transite, transite per portas; præparate viam populo, planum facite iter, eligite lapides, et elevate signum ad populos. Ecce Dominus auditum fecit in extremis terræ, dicite filiæ Sion: Ecce Salvator tuus venit, ecce merces ejus cum eo, et opus ejus coràm illo; et vocabunt eos: Populus sanctus, redempti à Domino.

Isa. c. 66, v. 18 *et seq.*: « Ego autem opera eorum, et cogitationes eorum; venio ut congregem cum omnibus gentibus et linguis; et venient, et videbunt gloriam meam. Et ponam in eis signum, et mittam ex eis qui salvati fuerint ad gentes in mare, in Africam, et Lydiam tendentes sagittam, in Italiam, et Græciam, ad insulas longè, ad eos qui non audierunt de me, et non viderunt gloriam meam, et annuntiabunt gloriam meam gentibus.

Matth. c. 12, v. 38 *et seq.*: « Tunc responderunt ei quidam de scribis et pharisæis dicentes: Magister, volumus à te signum videre. Qui respondens ait: Generatio mala et adultera signum quærit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus. » Et Matth. c. 16, v. 1 et seq. Luc. c. 11, v. 16, 29.

Matth. c. 24, v. 29, 30: « Statim autem post tribulationem dierum illorum, sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cœlo, et virtutes cœlorum commovebuntur. Et tunc parebit signum Filii hominis in cœlo, et tunc plangent omnes tribus terræ, et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli, cum virtute multâ et majestate. »

Luc. c. 2, v. 34: « Et benedixit illis Simeon, et dixit ad Mariam matrem ejus: Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur. »

CAPUT CXXX.

Jesus pendens in cruce subsannatur à prætereuntibus.

Psalm. 3, v. 1, 2: « Domine, quid multipli-

cati sunt qui tribulant me? multi insurgunt adversùm me; multi dicunt animæ meæ: Non est salus in Deo ejus. »

Psalm. 21, v. 7 *et seq.*: « Ego autem sum vermis, et non homo; opprobrium hominum, et abjectio plebis. Omnes videntes me deriserunt me; locuti sunt labiis, et moverunt caput: Speravit in Domino, eripiat eum; salvum faciat eum, quoniam vult eum. »

Psalm. 34, v. 15 *et seq.*: « Quasi lugens et contristatus, sic humiliabar; et adversùm me lætati sunt, et convenerunt: congregata sunt super me flagella, et ignoravi: dissipati sunt, nec compuncti; tentaverunt me, subsannaverunt me subsannatione. »

Psalm. 68, v. 18 *et seq.*: « Et ne avertas faciem tuam à puero tuo; quoniam tribulor, velociter exaudi me. Intende animæ meæ, et libera eam; propter inimicos meos eripe me. Tu scis improperium meum, et confusionem meam, et reverentiam meam. In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me; improperium exspectavit cor meum et miseriam. Et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit; et qui consolaretur, et non inveni. Et dederunt in escam meam fel, et in siti meâ potaverunt me aceto. »

Psalm. 108, v. 25: « Et ego factus sum opprobrium illis; viderunt me, et moverunt capita sua. »

Thren. c. 3, v. 14 *et seq.*: « Factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum totâ die.... Aperuerunt super nos os suum omnes inimici... Audisti opprobrium eorum, Domine; omnes cogitationes eorum adversum me; labia insurgentium mihi, et meditationes eorum adversùm me totâ die. Sessionem eorum, et resurrectionem eorum vide; ego sum Psalmus eorum. »

Matth. c. 27, v. 39 *et seq.*: « Prætereuntes autem blasphemabant eum, moventes capita sua, et dicentes: Vah, qui destruis templum Dei; et in triduo illud reædificas, salva temetipsum; si Filius Dei es, descende de cruce. Similiter et principes sacerdotum, illudentes cum scribis et senioribus, dicebant: Alios salvos fecit, se ipsum non potest salvum facere: Si Rex Israel est, descendat nunc de cruce, et credimus ei; confidit in Deo; liberet nunc si vult eum; dixit enim: Quia filius Dei sum. Idipsum autem et latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei. » Et Marc. c. 15, v. 28 et seq. Luc. c. 23, 35 et seq.

CAPUT CXXXI.

Jesus moriens veniam adversariis suis à Deo precatur.

Psalm. 34, v. 11 *et seq.*: « Surgentes testes iniqui, quæ ignorabam interrogabant me; retribuebant mihi mala pro bonis, sterilitatem animæ meæ. Ego autem, cùm mihi molesti essent induebar cilicio; humiliabam in jejunio animam meam, et oratio mea in sinu meo convertetur.

Psalm. 108, v. 1 *et seq.*: « Deus laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris et os dolosi super me apertum est. Locuti sunt adversùm me linguâ dolosâ, et sermonibus odii circumdederunt me, et expugnaverunt me gratis. Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi; ego autem orabam. Et posuerunt adversùm me mala pro bonis, et odium pro dilectione meâ. »

Isa. c. 53, v. 12: « Et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit. »

Luc. c. 23, v. 34: « Jesus autem dicebat: Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. »

CAPUT CXXXII.

Jesu vestimenta sorte dividuntur.

Psalm. 21, v. 17 *et seq.*: « Foderunt manus meas, et pedes meos; dinumeraverunt omnia ossa mea. Ipsi verò consideraverunt, et inspexerunt me; diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem. »

Matth. c. 27, v. 35: Postquàm autem crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta ejus sortem mittentes, ut impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: *Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserun sortem.* » Et Marc. c. 15, v. 24. Luc. c. 23, v. 34. Joan. c. 19, v. 23, 24.

CAPUT CXXXIII.

Moriente Jesu sol deficit, et terra movetur.

Psalm. 17, v. 5 *et seq.*: « Circumdederunt me dolores mortis, et torrentes iniquitatis conturbaverunt me; dolores inferni circumdederunt me, præoccupaverunt me laquei mortis. In tribulatione meâ invocavi Dominum, et ad Deum meum clamavi. Et exaudivit de templo sancto suo vocem meam, et clamor meus in conspectu ejus, introivit in aures ejus. Commota est et contremuit terra; fundamenta montium conturbata et commota sunt, quoniam iratus est eis. »

Amos. c. 8, v. 8 *et seq.* : « Numquid super isto non commovebitur terra, et lugebit omnis habitator ejus : et ascendet quasi fluvius universus, et ejicietur, et defluet quasi rivus Ægypti? Et erit in die illâ, dicit Dominus Deus, occidet sol in meridie, et tenebrescere faciam terram in die luminis; et convertam festivitates vestras in luctum, et omnia cantica vestra in planctum, et inducam super omne dorsum vestrum saccum, et super omne caput calvitium, et ponam eam quasi luctum unigeniti. »

Agg. c. 2, v. 7 *et seq.* : « Quia hæc dicit Dominus exercituum : adhuc unum modicum est, et ego commovebo cœlum, et terram, et mare et aridam; et movebo omnes gentes; et veniet Desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloriâ, dicit Dominus exercituum.... Et factum est verbum Domini secundò ad Aggæum in vigesimâ et quartâ mensis, dicens : Loquere ad Zorobabel, ducem Juda, dicens : Ego movebo cœlum pariter et terram. »

Zach. c. 14, v. 6 *et seq.* : « Et erit in die illâ : Non erit lux, sed frigus et gelu; et erit dies una quæ nota est Domino, non dies, neque nox, et in tempore vesperi erit lux. Et erit in die illâ : Exibunt aquæ vivæ de Jerusalem; medium earum ad mare orientale, et medium earum ad mare novissimum in æstate et in hyeme erunt. Et erit Dominus rex super omnem terram; in die illâ, erit dominus unus, et erit nomen ejus unum. »

Matth. c. 27, v. 45, 51 : « A sextâ autem horâ tenebræ factæ sunt super universam terram, usque ad horam nonam. Et ecce velum templi scissum est in duas partes, à summo usque deorsum; et terra mota est, et petræ scissæ sunt. » Et Marc. c. 15, v. 33.

Luc. c. 23, v. 44 : « Erat autem hora ferè sexta, et tenebræ factæ sunt per universam terram usque in horam nonam. Et obscuratus est sol, et velum templi scissum est medium. »

Hebr. c. 12, v. 25 *et seq.* : « Videte ne recusetis loquentem. Si enim non effugerunt, recusantes eum qui super terram loquebatur, multo magis nos, qui de cœlis loquentem nobis avertimus; cujus vox movit terram tunc; nunc autem repromittit dicens : *Adhuc semel, et ego movebo non solùm terram, sed et cœlum.* »

Zachariamum illud adjudicamus Christo Jesu, Eusebium auctorem, ac totius vaticinii connexionem, rationemque proinde ipsam secuti. Ac connexionem quidem postremorum quatuor Zachariæ capitum luculenter suprà demonstravimus. Istam verò sententiam sic Jesu applicat Eusebius : *Et erit in die illâ,* inquit Propheta, *non erit lux, sed frigus et gelu;* quippe quâ nocte captus est Jesus, frigus erat, teste Evangelistâ: *Stabant autem servi et ministri ad prunas, quia frigus erat, et calefaciebant se; erat autem cum eis et Petrus stans et calefaciens se.* (Euseb. Dem. lib. 10). Quæ deindè convertit in allegoriam, Judæis propositam fuisse dicens lucem ac tenebras, eosque lucem tenebris postputâsse : frigus verò illud, tarditatis eorum, ac in rebus divinis supinitatis symbolum fuisse, quod et prædixerat Christus apud Matth. c. 34, v. 12 : *Et quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum.* Pergit Propheta : *Et erit dies una, quæ nota est Domino, non dies, neque nox; et in tempore vesperi erit lux :* quo tempore in crucem actus est Jesus Christus, tantæ tenebræ obortæ sunt, ut dies nec esset, nec dici posset; neque sanè nox erat, quæ fit per occasum solis; sol autem medium tunc orbem tenebat. Vesperi autem, post horam videlicet nonam, abscesserunt tenebræ, et lux rursùm affulsit. Addit Zacharias : *Et erit in die illâ : Exibunt aquæ vivæ de Jerusalem :* quo Christi Jesu doctrinæ promulgatio et propagatio significatur, ipso Jesu auctore apud Joan. c. 4 : *Qui biberit ex aquâ, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum; sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Subjicit demùm Propheta : *Et erit Dominus rex super omnem terram; in die illâ erit Dominus unus, et erit nomen ejus unum;* cui succinebant voces hæ cœlestes in Apocalypsi, cap. 11 : *Factum est regnum hujus mundi Domini nostri, et Christi ejus et regnabit in secula seculorum.* Jesus quoque apud Joannem, cap. 10 : *Fiet unum ovile et unus pastor.* Juvat hanc interpretationem veterum Judæorum suffragium; nam in Beresith Rabbâ, et in Midrascholh Thehillim et Ruth, Messiæ tribuitur hoc Zachariæ caput. Et mirabili huic solis defectioni conciliat fidem, non christianorum solùm scriptorum, sed ethnicorum etiam, Thalli, Phlegontis, Tabulariorum romanorum, et sinensium auctoritas.

CAPUT CXXXIV.

Jesus moriens Patrem inclamat.

Psalm. 3, v. 2 *et seq.* : « Multi dicunt animæ meæ : Non est salus ipsi in Deo ejus.... Voce

meâ ad Dominum clamavi, et exaudivit me de monte sancto suo; ego dormivi, et soporatus sum, exsurrexi, quia Dominus suscepit me.»

Psalm. 17, v. 7, 8 : « In tribulatione meâ invocavi Dominum, et ad Deum meum clamavi : et exaudivit de templo sancto suo vocem meam; et clamor meus in conspectu ejus introivit in aures ejus. Commota est et contremuit terra; fundamenta montium conturbata sunt, et commota sunt, quoniam iratus est eis.

Psalm. 21, v. 1 *et seq.* : « Deus, Deus meus, respice in me : quare me dereliquisti? longè à salute meâ verba delictorum meorum. Deus meus, clamabo per diem, et non exaudies; et nocte, et non ad insipientiam mihi. Tu autem in sancto habitas, laus Israel. In te speraverunt patres nostri; speraverunt, et liberâsti eos. Ad te clamaverunt, et salvi facti sunt; in te speraverunt, et non sunt confusi. Ego autem sum vermis, et non homo, opprobrium hominum, et abjectio plebis. Omnes videntes me deriserunt me; locuti sunt labiis, et moverunt caput : Speravit in Domino, eripiat eum; salvum faciat eum, quoniam vult eum.»

Psalm. 68, v. 1 *et seq.* : « Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi, et non est substantia. Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me. Laboravi clamans; raucæ factæ sunt fauces meæ; defecerunt oculi mei, dùm spero in Deum meum. Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratìs. Confortati sunt, qui persecuti sunt me inimici mei injustè; quæ non rapui, tunc exsolvebam.

Psalm. 87, v. 1 *et seq.* : « Domine Deus, salutis meæ, in die clamavi et nocte coràm te. Intret in conspectu tuo oratio mea; inclina aurem tuam ad precem meam. Quia repleta est malis anima mea, et vita mea inferno appropinquavit. Æstimatus sum cum descendentibus in lacum; factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber. Sicut vulnerati dormientes in sepulcris, quorum non es memor ampliùs, et ipsi de manu tuâ repulsi sunt. Posuerunt me in lacu inferiori; in tenebrosis, et in umbrâ mortis. Super me confirmatus est furor tuus, et omnes fluctus tuos induxisti super me. Longè fecisti notos meos à me; posuerunt me abominationem sibi. Traditus sum, et non egrediebar; oculi mei languerunt præ inopiâ. Clamavi ad te, Domine, totâ die; expandi ad te manus meas.... Ut quid, Domine, repellis orationem meam, avertis faciem tuam à me? Pauper sum ego, et in laboribus à juventute meâ; exaltatus autem, humiliatus sum et conturbatus. In me transierunt iræ tuæ, et terrores tui conturbaverunt me. Circumdederunt me sicut aqua totâ die, circumdederunt me simul. Elongâsti à me amicum et proximum et notos meos à miseriâ.

Psalm. 141, v. 1 *et seq.* : « Voce meâ ad Dominum clamavi, voce meâ ad Dominum deprecatus sum. Effundo in conspectu ejus orationem meam, et tribulationem meam antè ipsum pronuntio; in deficiendo ex me spiritum meum, et tu cognovisti semitas meas. In viâ hâc, quâ ambulabam, absconderunt laqueum meum. Considerabam ad dexteram, et videbam; et non erat qui cognosceret me. Periit fuga à me, et non est qui requirat animam meam. Clamavi ad te, Domine; dixi : Tu es spes mea, portio mea in terrâ viventium. Intende ad deprecationem meam, quia humiliatus sum nimis. Libera me à persequentibus me, quia confortati sunt super me. Educ de custodiâ animam meam ad confitendum nomini tuo; me exspectant justi, donec retribuas mihi. »

Thren. c. 3, v. 18 : « Et dixi : Periit finis meus et spes mea à Domino.»

Thren. c. 3, v. 55, 56 : « Invocavi nomen tuum, Domine, de lacu novissimo. Vocem meam audìsti; ne avertas aurem tuam à singultu meo et clamoribus.»

Matth. c. 27, v. 46 et seq.: « Et circà horam nonam clamavit Jesus voce magnâ, dicens : *Eli, Eli, lamma sabacthani?* hoc est, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Quidam autem illìc stantes, et audientes dicebant : Eliam vocat iste. Et continuò currens unus ex eis acceptam spongiam implevit aceto, et imposuit arundini, et dabat ei bibere. Cæteri verò dicebant : Sine, videamus an veniat Elias liberans eum. Jesus autem iterùm clamans voce magnâ, emisit spiritum.»

Marc. c. 15, v. 34 *et seq.* : « Et horâ nonâ, exclamavit Jesus voce magnâ, dicens : *Eloi, Eloi, lamma sabacthani?* quod est interpretatum : *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Et quidam de circumstantibus audientes, dicebant : Ecce Eliam vocat. Currens autem unus, et implens spongiam aceto, circumponensque calamo potum dabat ei dicens : Sinite, videamus si veniat Elias ad deponendum eum. Jesus autem, emissâ voce magnâ, expiravit. Et velum templi scissum est in duo, à summo usque deorsùm. Videns autem Centurio, qui

ex adverso stabat, quia sic clamans exspirâsset, ait : Verè hic homo Filius Dei erat. »

Luc, c. 23, v. 46 : « Et clamans voce magnâ Jesus ait : Pater, in manus tuas commendo spiritum meum... Et hæc dicens expiravit. »

Hebr. c. 5, v. 7 : « Qui in diebus carnis suæ, preces supplicationesque ad eum, qui posset illum salvum facere à morte, cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro suâ reverentia. »

CAPUT CXXXV.

Jesu fel et acetum propinantur.

Psalm. 68, v. 22 : « Et dederunt in escam meam fel, et in siti meâ potaverunt me aceto. »

Thren. c. 3, v. 5 *et seq.* : « Ædificavit in gyro meo, et circumdedit me felle et labore ; in tenebrosis collocavit me quasi mortuos sempiternos.... Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absinthio.... Recordare paupertatis et transgressionis meæ, absinthii et fellis. »

Matth. c. 27, v. 34, 48 : « Et dederunt ei vinum bibere cum felle mistum : et cùm gustâsset, noluit bibere.... Et continuò currens unus ex eis, acceptam spongiam implevit aceto, et imposuit arundini, et dabat ei bibere. »

Marc. c. 15, v. 23, 36 : « Et dabant ei myrrhatum vinum, et non accepit... Currens autem unus, et implens spongiam aceto, circumponensque calamo, potum dabat ei. »

Luc. c. 23, v. 36 : « Illudebant autem ei et milites accedentes, et acetum offerentes ei. »

Joan. c. 19, v. 28 *et seq.* : « Posteà sciens Jesus, quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit : Sitio. Vas ergò erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori ejus. Cùm ergò accepisset Jesus acetum, dixit : Consummatum est. »

1° Ex omnibus oraculis quæ in Veteri Testamento à Deo per Prophetas edita sunt, præcipua ea et ad fidem faciendam utilissima esse constat, quæ res futuras, non per ambages circuitionesque, sed nudè et apertè prædicunt. Tale est, quod exstat in sexagesimi octavi Psalmi commate vicesimo secundo, in quo queritur Christus sitienti sibi propinatum fuisse fel et acetum. Id queri Christum aio; nam ex scriptorum Veteris Testamenti consensu, et ex Aben Ezræ suffragio clarum est prænuntiata illic fuisse Christi mysteria. Tùm quæ dantur Evangelistarum et Apostolorum testificationes, manifestè evincunt in Jesu eadem hæc ad eventum pervenisse. Jure igitur inhumanam et amaram propinationem ad eum quoque referimus, quam in ipsius historiâ Evangelistæ disertè commemorant. Utut enim oblique et κατὰ σχῆμα ad Davidem referri ista possunt (quod profectò non negamus, cùm communi inter Judæos adagio locutionem hanc tritam fuisse sciamus), tàm appositè tamen, tanque aptè hunc Christi casum exprimunt, ut non temere, nec humanitùs contigisse putandum sit. Notabile est quod legitur in Misdrach Ruth, sermonem nempè istum Booz ad Ruth, cap. 3, v. 14 : *Quandò hora vescendi fuerit, veni hùc, et comede panem, et intinge buccellam tuam in aceto*, futurorum Messiæ casuum symbola continere ; ac verba quidem ista : *Veni hùc*, id sibi velle : Veni ad regnum ; panem deindè illum, panem esse regni ; intinctum verò offæ in acetum, Messiæ contumelias et tormenta notare. Igitur cùm toto Psalmo Messiam prænuntiari fateantur Judæi ; quæ verò hoc speciatim continentur commate, tormentorum Messiæ notæ sint et indicia, atque eadem denique in Jesu κατὰ λέξιν exitum habuisse evangelica doceat historia, equidem non video quo rationum colore uti possint, si qui oraculi hujus fidem elevare audeant, cùm præsertim constet inter omnes omninò interpretes, frustrà recurri ad allegoriam, cum res κατὰ λέξιν completæ sunt.

2° Inanis ergò est Theodori Mopsuesteni, cavillatio, qui hoc quidem comma, aliaque Psalmi hujus, quæ in Jesu videntur fuisse completa, de Judæis κατὰ σχῆμα à Davide dicta fuisse contendit ; quod et à Thargumistâ et Jarchio factum est ; ab Apostolis autem et Evangelistis fuisse usurpata è re natâ, et argumentis quæ tractabant accommodata κατὰ κόλλησιν, ut petè ipsis consentanea ; non verò quòd ea haberent pro vaticiniis ; nec enim rerum adeò diversarum prædictiones in unum eumdemque Psalmum fuisse congestas. Atqui aliter visum est Petro, qui allocutionem suam ad Fratres sic exorsus est, Act. c. 1, v. 16 et seq. : « Viri fratres, oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus per os David de Judâ, qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Jesum..... Scriptum est enim in libro Psalmorum : Fiat commoratio eorum deserta, et non sit qui inhabitet in eâ. » Cùm narrat Joannes cap. 2, v. 17, discipulos Jesu, deturbante eo venditores templo, recordatos esse oraculi hujus : *Zelus domus tuæ comedit me*, quæro an ut ῥήσεως, rei præsenti convenientis meminerint, an ut προῤῥήσεως ; non utiquè tanquàm ῥήσεως,

alias quippè complures habebant in memoriâ, quæ eidem rei poterant adjungi, verum προῤῥήσεις esse non credebant; hujus autem præ cæteris recordati sunt, quòd et ipsi vaticinium inesse scirent, et ex eo Psalmo esset excerpta, quem totum fatidicum esse et futurorum Christi casuum μαντευτικὸν, compertum habebant. Quod autem addit, veri haudquaquàm esse simile, diversa adeò oracula simul fuisse congesta, de nihilo est; nec enim idem ordo rerum, idem narrationis contextus à Prophetâ divinitùs afflato et ventura canente exspectandus est, atque ab historico præteritorum seriem persequente. Præthereà ne poetæ quidem, maximè lyrici, præterita celebrantes, rerum gestarum ordinem exsequuntur : minimè id patitur poeticus ille ἐνθουσιασμὸς, quo rapti feruntur. « Non enim res gestæ versibus comprehendendæ sunt, inquit satyricus, quod longè meliùs historici faciunt; sed per ambages, deorumque ministeria, et fabulosum sententiarum tormentum præcipitandus est liber spiritus, ut potiùs furentis animi vaticinatio appareat, quàm religiosæ orationis sub testibus fides. »(Petron. cap. 78). Testis Horatius, quàm multa his ac diversa unius odes ambitu comprehendit; quàm multa Pindarus, quem amni ripas et aggeres prætergresso ac superfluenti comparat idem Horatius; in alio laudans, quòd feliciter imitatus ipse laudari meruit. David quoque, quàm varias sæpè res in unum Psalmum congerit ! Adde multas inesse Psalmo 68 huic locutiones, undè colligas unum aliquem hominem non plures signari, cujusmodi sunt istæ : « Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ, defecerunt oculi mei, dùm spero in Deum meum. Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis. » Deindè : « Operuit confusio faciem meam ; extraneus factus sum fratribus meis, et peregrinus filius matris meæ. » Et posteà : « Et posui vestimentum meum cilicium.... Adversùm me loquebantur, qui sedebant in portâ. » Tùm à populo eum secernunt et distinguunt ista : « Non confundantur super me qui quærunt te, Deus Israel. » Et mox : « Extraneus factus sum fratribus meis, et peregrinus filiis matris meæ. » Rursùm : « Videant pauperes, et lætentur, quærite Deum, et vivet anima vestra. »

2° Oppugnandæ quoque nostræ interpretationis ansam ista suppeditant : *Et dederunt in escam meam fel*; cùm Matthæus fellis potui dati meminerit, non esui. Undè factum suspicatur Bellarminus in hunc Psalmum, ut Matthæus Prophetarum prædictiones referre solitus, hanc prætermiserit. Itaque hæc traducit ad allegoriam, quod ob eamdem causam jam antè fecerat Augustinus. Respondeo primùm, etiamsi hâc parte nutaret prædicti fides, at alteram certè integram manere : *Et in siti meâ potaverunt me aceto*. Aio deindè, escæ nomine, Hebraicè ברה, intelligi omne esculentum et potulentum, quod ad corpus alendum sumitur. Σύσσιτοι dicuntur, non solùm qui cibum simul capiunt, sed et qui simul potant. Συμπότας itidem, et compotores rectè dicas, non solùm qui unà bibunt, sed et qui unà edunt. Combibones illos epicureos, Ciceroni memoratos (epist. ad Famil. lib. 9), quis putet vinum tantùm bibisse simul, cibos nequaquàm attigisse?Dixit Alcman, Τοὺς θεοὺς νέκταρ ἔδμεναι, *Deos nectar edere*. Cùm ait ergò Propheta inimicos suos felle escam suam aspersisse, id sibi vult, ea quæ sibi ad alimoniam et refectionem corporis parata erant, noxiis succis infecta fuisse ab adversariis. Valeant igitur morosi illi argutatores, et inepti λεπτολογισταί.

CAPUT CXXXVI.

Mors Jesu.

Psalm. 17, v. 5 *et seq.* : « Circumdederunt me dolores mortis, et torrentes iniquitatis conturbaverunt me. Dolores inferni circumdederunt me ; præoccupaverunt me laquei mortis. In tribulatione meâ invocavi Dominum, et ad Deum meum clamavi. »

Psalm. 21, v, 15 *et seq.* : «Sicut aqua effusus sum, et dispersa sunt omnia ossa mea. Factum est cor meum tanquàm cera liquescens in medio ventris mei. Aruit tanquàm testa virtus mea, et lingua mea adhæsit faucibus meis, et in pulverem mortis deduxisti me ; quoniam circumdederunt me canes multi; concilium malignantium obsedit me. Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea ; ipsi verò consideraverunt et inspexerunt me : diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem. »

Psalm. 34, v. 7 *et seq.* : « Quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui, supervacaneè exprobraverunt animam meam.... Domine, quandò respicies ? restitue animam meam à malignitate eorum, à leonibus unicam meam. Confitebor tibi in Ecclesiâ magnâ : in populo gravi laudabo te. »

Psalm. 87, v. 3 *et seq.* : « Quia repleta est malis anima mea, et vita mea inferno appropinquavit. Æstimatus sum cum descendentibus in lacum ; factus sum sicut homo sine adjuto-

rio, inter mortuos liber. Sicut vulnerati dormientes in sepulcris, quorum non es memor ampliùs, et ipsi de manu tuâ repulsi sunt. Posuerunt me in lacu inferioris, in tenebrosis, et in umbrâ mortis. »

Psalm. 88, v. 39 *et seq.* : « Tu verò repulisti et despexisti; distulisti Christum tuum; evertisti testamentum servi tui; profanâsti in terrâ sanctuarium ejus, destruxisti omnes sepes ejus posuisti firmamentum ejus formidinem. Diripuerunt eum omnes transeuntes viam, factus est opprobrium vicinis suis. Exaltâsti dexteram deprimentium eum; lætificâsti omnes inimicos ejus; avertisti adjutorium gladii ejus, et non es auxiliatus ei in bello. Destruxisti eum ab emundatione, et sedem ejus in terram collisisti. Minorâsti dies temporis ejus; operuisti eum confusione.

Sap. c. 2, v. 18 *et seq.* : « Si enim est verus Filius Dei, suscipiet eum, et liberabit eum de manibus contrariorum. Contumeliâ et tormento interrogemus eum, ut sciamus reverentiam ejus, et probemus patientiam illius. Morte turpissimâ condemnemus eum. »

Isa. c. 53, v. 7 *et seq.* : « Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coràm tondente se obmutescet, et non aperiet os suum. De angustiâ et de judicio sublatus est; generationem ejus quis enarrabit? quia abscissus est de terrâ viventium; propter scelus populi mei percussi eum. Et dabit impios pro sepulturâ, et divitem pro morte suâ, eò quòd iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus. Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate; si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum..... Ideò dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia, pro eo quòd tradidit in mortem animam suam. »

Jerem. c. 11, v. 19 : « Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam, et non cognovi quia cogitaverunt super me consilia, dicentes : Mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terrâ viventium, et nomen ejus non memoretur ampliùs. »

Thren. c. 3, v. 6, 43, 53 : « In tenebrosis collocavit me, quasi mortuos sempiternos..... Operuisti in furore, et percussisti nos; occidisti, nec pepercisti..... Lapsa est in lacum vita mea, et posuerunt lapidem super me. »

Dan. c. 9, v. 26 : « Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus. »

Zach. c. 12, v. 10 : « Et effundam super domum David, et super habitatores Jerusalem, spiritum gratiæ et precum : et aspicient ad me quem confixerunt; et plangent eum planctu quasi super unigenitum; et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti. »

Zach. c. 13, , v. 6, 7 : « Et dicetur ei : Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? et dicet : His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me. Framea, suscitare super Pastorem meum, et super virum cohærentem mihi dicit Dominus exercituum; percute pastorem, et dispergentur oves. »

Matth. c. 16 v. 21 : « Exindè cœpit Jesus ostendere Discipulis suis, quia oportet eum ire Jerosolymam, et multa pati à senioribus, et scribis, et principibus sacerdotum, et occidi. Et Matth. c. 17, v. 22; et c. 20, v. 18, 19. Marc. c. 8, v. 31; et c. 9, v. 30; et c. 10, v. 34. Luc. c. 9, v. 22; et c. 18, v. 33. »

Matth. c. 27, v. 50 : « Jesus autem iterùm clamans voce magnâ, emisit spiritum. » Et Marc. c. 15, v. 37. Luc. c. 23, v. 46. Joan. c. 19, v. 30.

Act. c. 2, v. 22, 23 : « Viri Israelitæ, audite verba hæc : Jesum Nazarenum, virum approbatum à Deo in vobis, virtutibus, et prodigiis, et signis, quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut et vos scitis; hunc definito consilio et præscientiâ Dei traditum, per manus iniquorum affligentes interemistis. »

Act. c. 3, v. 13 *et seq.* : « Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, Deus patrum nostrorum glorificavit filium suum Jesum, quem vos quidem tradidistis, et negâstis antè faciem Pilati, judicante illo dimitti. Vos autem Sanctum et Justum negâstis, et petistis virum homicidam donari vobis; auctorem verò vitæ interfecistis. »

Act. c. 5, v. 30 : « Deus patrum nostrorum suscitavit Jesum, quem vos interemistis suspendentes in ligno. » Et Act. c. 10, v. 39.

Act. c. 7, v. 52 : « Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? et occiderunt eos qui prænuntiabant de adventu Justi, cujus vos nunc proditores et homicidæ fuistis. »

Act. c. 8, v. 30 *et seq.* : « Accurrens autem Philippus, audivit eum legentem Isaiam Prophetam et dixit : Putasne intelligis quæ legis? Qui ait : Et quomodò possum si non aliquis ostenderit mihi? Rogavitque Philippum, ut ascenderet et sederet secum. Locus autem Scripturæ quem legebat erat hic : *Tanquàm ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus coràm tondente se, sine voce, sic non aperuit os*

suum. In humilitate judicium ejus sublatum est. Generationem ejus quis enarrabit? quoniam tolletur de terrâ vita ejus. Respondens autem eunuchus Philippo dixit: Obsecro te, de quo Propheta dicit hoc? de se, an de alio aliquo? Aperiens autem Philippus os suum, et incipiens à Scripturâ istâ, evangelizavit illi Jesum. »

Act. c. 13, v. 27 *et seq.*: « Qui enim habitabant Jerusalem, et principes ejus, hunc ignorantes, et voces Prophetarum, quæ per omne sabbatum leguntur, judicantes impleverunt; et nullam causam mortis invenientes in eo, petierunt à Pilato ut interficerent eum. Cùmque consummâssent omnia quæ de eo scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt eum in monumento. »

Rom. c. 5, v. 10: « Si enim cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus; multo magis reconciliati, salvi erimus in vitâ erimus. »

Rom. c. 6, v. 3, 4: « An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem. »

Philipp. c. 3, v. 8: « Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. »

1 *Thess.* c. 2, v. 14, 15: « Vos enim imitatores facti estis, fratres, Ecclesiarum Dei, quæ sunt in Judæâ, in Christo Jesu: quia eadem passi estis et vos à contribulibus vestris, sicut et ipsi à Judæis, qui et Dominum occiderunt Jesum et Prophetas, et nos persecuti sunt. »

Hebr. c. 2, v. 9, 10: « Eum autem, qui modico quàm Angeli minoratus est, videmus Jesum, propter passionem mortis gloriâ et honore coronatum, ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem. Decebat enim eum propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare..... Quia ergò pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem, ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est diabolum, et liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti. »

Jac. c. 5, v. 6: « Addixistis et occidistis Justum et non restitit vobis. »

Apoc. c. 5, v. 6 *et seq.*: « Et vidi, et ecce in medio throni, et quatuor animalium, et in medio seniorum, Agnum stantem tanquàm occisum habentem cornua septem..... et cantabant canticum novum, dicentes: Dignus es, Domine, accipere librum, et aperire signacula ejus: quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo..... Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem. »

Apoc. c. 13, v. 8: Quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ Agni, qui occisus est ab origine mundi. »

1° Non verbis solùm aut scriptis, sed typis etiam ac symbolis prædicta Christi Jesu mors est. Cujusmodi fuit aries ab Abrahamo pro filio Isaaco immolatus, paschalis Agnus, hircus emissarius, quorum comparationem cum Christo infrà instituemus. Addemus hùc et vaccam rufam, ex cujus cineribus aqua expiationis fiebat, juxtà ritum capite decimo nono Numerorum traditum. Ac primum color ille rufus peccatum signatum, auctore Isaiâ 1, cap. 1: *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur; et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* Jesum autem peccata hominum portâsse docebit noster Parallelismus. Labis expers esse jubetur vacca; Jesus sanctus, innocens, impollutus esse dicitur in Epistolâ ad Hebræos; Agnus immaculatus et incontaminatus in primâ Petri Epistolâ. Ἄζυξ esse debuit vacca: veteris legis jugum excussit Christus Jesus, eique nos subduxit. Extrà castra immolabatur vacca, in conspectu omnium: « Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per pontificem, horum corpora cremantur extrà castra. Propter quod et Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extrà portam passus est. Exeamus igitur ad eum extrà castra, improperium ejus portantes. » Verba sunt è decimo tertio capite Epistolæ ad Hebræos. Immolationis hujus minister designatur Eleazarus, sacerdos alter à summo pontifice; Caiphæ principis sacerdotum jussu captus est Jesus, eodemque quæsitore et judice morti addictus. Typus autem veri et primarii sacerdotis Christi Jesu fuit summus Judæorum pontifex, ac veluti secundarius sacerdos. Quamobrem συμβολικὸς dicitur ab Origene: « Postquàm, inquit, venit verus Pontifex; pontifex symbolicus esse desiit. » Eusebius « adumbratum et simulatum, non verum Christum et pontificem, cœlestis Christi et pontificis figuram » appellat. Jubetur Eleazarus digitum in vaccæ rufæ sanguinem intingere, et septies tabernaculi fores aspergere; et ex crematæ demùm cineribus aquam expiationis conficere, quâ impuritates abluantur: auctor Epistolæ ad Hebræos, cap. 9: « Si enim sanguis

hircorum et taurorum, et cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quantò magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi? » Atqùe vera hæc est sacrificii vaccæ rufæ significatio, quam sibi ignotam et incompertam queruntur Rabbini; quippè *incrassatum est cor populi hujus*, juxtà Isaiæ prædictionem.

2° Alius præterea ac valde illustris mortis Christi Jesu typus in summi Hebræorum sacerdotis morte positus fuit. Assignatæ erant certæ quædam urbes, ex præscripto Mosis, in quas tutum haberet receptum, qui non voluntariam neque ex destinato, sed fortuitam cædem perpetrâsset; quò qui confugissent, tamdiù illic tolerarent exilium, quoad summus pontifex obiisset. Quæ sic intelligenda sunt: quicumque sese noxis alligaverint, tamdiù cœlesti patriâ carere, quoad mortis Christi Jesu perceperint fructum, ejusque beneficio patriæ suæ sint restituti. Non id omninò fugit Philonem Judæum, qui in libro de Exulibus disserens de hâc lege Mosis sacerdotem illum, non hominem intelligendum esse ait, sed Verbum Dei, Patre Deo, matre Sapientiâ progenitum: « Dicimus enim, inquit, summum Pontificem, non hominem esse, sed verbum Dei, omnium non spontanearum solùm, sed et involuntariarum noxarum expers.... patrem quidem habens Deum, qui et omnium pater est, matrem verò Sapientiam. » Reliquam legis partem aliò detorquet.

3° Non sine observatione prætermittendum est, quod libro quarto operis sui refert Galatinus, ex R. Simeone ben Jochai, magnæ antiquitatis et eximiæ inter suos auctoritatis magistro, editisque lucubrationibus percelebri. Hic Oseam inducit hominum peccata deflentem, quorum gratiâ Filium suum corpore humano indutum Deus esset missurus; homines verò adversùs salutaria ipsius præcepta contumaces letho cum essent daturi. Gravior etiam est Josephi auctoritas qui et Christi Jesu mortem, et mortis genus in lib. Antiq. 18, cap. 4 retulit. Quæ fatentes tanti nominis doctores minutorum Rabbinorum turbæ possumus opponere. Neque desunt inter illos, qui propter supplicio affectum Jesum, Judæos malè mulctatos, cladibus affectos, in omnes terras dissipatos, et mosaicam legem abrogatam fuisse fateantur.

4° Ethnicis verò stupendo miraculo Christi Jesu significata mors est, quod in libello de desitis Oraculis Plutarchus refert. Id quanquàm à vulgo scriptorum tritum est, minime tamen ob admirabilitatem rei pigebit hic adscribere. Cùm in Italiam tenderet Thamus Ægyptius, navis rector, jamque Echinadas prætemavigaret, subitò remisit ventus, et ad Paxas insulas audita vox est, quæ Thamum appellaret, juberetque ipsum, simul ac appulisset ad portum Pelodem, clamare magnum Pana esse mortuum. Paruit Thamus, eâque, quam jussus fuerat, voce editâ, ejulatus auditi sunt, quasi Panos obitum mirantium et gementium. Vectores Romam delati portentum vulgarunt. Pervenit illud ad Tiberium Cæsarem, qui et à Thamo ipso de re gestâ certior factus, hominum eruditorum sententiam super ea exquisivit. Narrat id apud Plutarchum Æmylianus rhetor, ut sibi à patre Epitherse rei teste traditum. Atqui id convenit in tempus mortis Christi Jesu, qui verus Pan est, rerum omnium parens, ac naturæ totius auctor, quam Panos symbolo mythologi signatam voluerunt.

CAPUT CXXXVII.

Crura Jesu, perindè ut latronum cruci itidem suffixorum, non franguntur.

Exod. c. 12, v. 43 *et seq.*: « Dixitque Dominus ad Moysen et Aaron: Hæc est religio Phase...... In unâ domo comedetur, nec efferetis de carnibus ejus foras, nec os illius confringetis. »

Num. c. 9, v. 9 *et seq.*: Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere filiis Israel: Homo qui fuerit immundus super animâ, sive in viâ procul in gente vestrâ, faciat Phase Domino in mense secundo, quartâ decimâ die mensis ad vesperam; cum azymis et lactucis agrestibus comedent illud; non relinquent ex eo quippiam usque mane, et os ejus non confringent; omnem ritum Phase observabunt. »

Joan. c. 19, v. 31 *et seq.*: Judæi ergò (quoniam Parasceve erat) ut non remanerent in cruce corpora sabbato (erat enim magnus dies ille sabbathi) rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura, et tollerentur. Venerunt ergo milites; et primi quidem fregerunt crura, et alterius qui crucifixus est cum eo. Ad Jesum autem cùm venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura...... Facta sunt enim hæc, ut Scriptura impleretur: *Os non comminuetis ex eo.* »

CAPUT CXXXVIII.

Latus Jesu perfoditur.

Zach. c. 12, v. 10 : « Et effundam super domum David, et super habitatores Jerusalem, spiritum gratiæ et precum; et aspicient ad me quem confixerunt; et plangent eum planctu quasi super unigenitum; et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti. »

Joan. c. 19, v. 33 *et seq.* : « Ad Jesum autem cùm venissent, ut viderunt eum jam mortuum non fregerunt ejus crura; sed unus militum lanceâ latus ejus aperuit, et continuò exivit sanguis et aqua....,. Facta sunt enim hæc ut Scriptura impleretur : *Os non comminuetis ex eo.* Et iterùm alia Scriptura dicit : *Videbunt in quem transfixerunt.* »

Apoc. c. 1, v. 7 : Ecce venit Jesus cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt; plangent se super eum omnes tribus terræ. »

CAPUT CXXXIX.

Jesu corpus pollinciunt et sepeliunt Joseph et Nicodemus.

Isa. c. 53, v. 9 : « Et dabit impios pro sepulturâ, et divitem pro morte suâ. »

Matth. c. 27, v. 57 *et seq.* : « Cùm autem serò factum esset, venit quidam homo dives ab Arimathæâ, nomine Joseph, et qui ipse discipulus erat Jesu; hic accessit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu. Tunc Pilatus jussit reddi corpus, et accepto corpore Joseph, involvit illud in sindone mundâ, et posuit illud in monumento suo novo, quod exciderat in petrâ. » Et Marc. c. 15, v. 42 et seq. : « Luc. c. 23, v. 50 et seq. »

Joan. c. 19, v. 38 *et seq.* : « Post hæc autem rogavit Pilatum Joseph ab Arimathæâ (eò quòd esset discipulus Jesu, occultus autem propter metum Judæorum) ut tolleret corpus Jesu. Et permisit Pilatus. Venit ergò, et tulit corpus Jesu. Venit autem et Nicodemus, qui venerat ad Jesum nocte primùm, ferens mixturam myrrhæ et aloes quasi libras centum. Acceperunt ergò corpus Jesu, et ligaverunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Judæis sepelire. »

1° Quam hìc ex Isaiâ vaticinationem damus, obscurissima semper ab interpretibus habita est. Mihi simplex illa et nativa videtur expositio, quam et hebraica facilè admittunt : *Et posuit cum impiis sepulcrum ejus, et cum divite monumentum ipsius.* Vel, *in mortibus ipsius.* Jam clarissima sententia est : Mortem eo loco passus est Christus Jesus, quo afficiebantur scelerati supplicio, illìcque idem quod alii sepulcrum erat habiturus; at in Josephi Arimathæi, hominis divitis conditorium, ipsius atque Nicodemi viri optimatis manibus corpus ejus illatum est. Egregiè hæc conveniunt verbis Isaiæ. Interpretationem istam secuti sunt Munsterus, Clarius et Vatablus, et recentiorum magna pars.

CAPUT CXL.

Jesu sepulcrum.

Isa. c. 11, v. 10 : « In die illâ radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, et erit sepulcrum ejus gloriosum. »

Isa. c. 53, v. 9 : « Et dabit impios pro sepulturâ, et divitem pro morte suâ, eò quòd iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus. »

Thren. c. 3. v. 53 : « Lapsa est in lacum vita mea, et posuerunt lapidem super me. »

Matth. c. 27, v. 59, 60 : « Et accepto corpore, Joseph involvit illud in sindone mundâ, et posuit illud in monumento suo novo, quod exciderat in petrâ. » Et Marc. c. 15, v. 46. Luc. c. 23, v. 52, 53. Joan. c. 19, v. 41, 42.

Cyrillus hierosolymitanus, Catech. 14 : « Et deindè juxtà eamdem Scripturæ connexionem dicit : *Propterea exspecta me, dicit Dominus, in diem resurrectionis meæ, in martyrium.* Vides et locum, in quo rediit ad vitam, Prophetam prænovisse, qui martyrii nomen erat habiturus. Quânam enim ratione locus ille *Golgothæ et Resurrectionis* non appellatur Ecclesia, pro more reliquarum Ecclesiarum, sed *Martyrium?* At forsitan propter Prophetam, qui dixit : *In diem resurrectionis meæ in martyrium.* » Et Eusebius, de Vitâ Constantini libr. 3, cap. 29, et libr. 4, cap. 40, 45, 46, 47; Athanasius in Apologetic.; Hieronymus in Chronico, et alii.

1° Hoc Sophoniæ prædictum sic repræsentavit Hieronymus, sui in hebraicis præceptoris Judæi auctoritatem secutus : « Quapropter exspecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ in futurum. » Exemplar hebraicum habet, לעד, quod universam recipit expositionem. Quidam vertunt, *ad spolium*; alii, *in futurum*; Jonatham, *ad judicandum.* At septuaginta, *in martyrium.* Ità Aquila et Theodotion, et Symmachus, teste Hieronymo; ità Syrus, et Arabs; ità Cyrillus uterque, et Theodoretus,

Atqui his verbis eximia inest prædictio augusti illius et magnifici templi, quod à Constantino imperatore ad sepulcrum Christi, in monte Golgothâ excitatum est, et martyrium dictum; uti fusè narrat Eusebius in libris de Vitâ Constantini. Porrò probatur ad Christum quæ commati huic apud Sophoniam subnexa sunt; undè existimare licet non temerè nos facere, in eamdem sententiam hoc quoque conferamus.

CAPUT CXLI.

Jesus descendit ad Inferos, et Patriarchas indè educit.

Psalm. 67, v. 5 *et seq.* : « Cantate Deo; psalmum dicite nomini ejus; iter facite ei qui ascendit super occasum : Dominus nomen illi... Qui educit vinctos in fortitudine; similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulcris... Ascendisti in altum, cepisti captivitatem; accepisti dona in hominibus. »

Psalm. 160, v. 10 *et seq.* : « Sedentes in tenebris et umbrâ mortis... eduxit eos de tenebris et umbrâ mortis; et vincula eorum disrupit... Quia contrivit portas æreas, et vectes ferreos confregit... Misit verbum suum, et sanavit eos, et eripuit eos de interitionibus eorum. »

Psalm. 141, v. 7, 8 : « Intende ad deprecationem meam, quia humiliatus sum nimis. Libera me à persequentibus me, quia confortati sunt super me. Educ de custodiâ animam ad confitendum nomini tuo; me exspectant justi, donec retribuas mihi. »

Eccli. c. 24, v. 45 : « Penetrabo omnes inferiores partes terræ, et inspiciam omnes dormientes, et illuminabo omnes sperantes in Domino. »

Isa. c. 25, v, 7, 8 : « Et præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, et telam quam orditus est super omnes nationes; præcipitabit mortem in sempiternum, et auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, et opprobrium populi sui auferet de universâ terrâ, quia Dominus locutus est. Et dicet in die illâ : Ecce Deus noster iste exspectavimus eum, et salvavit nos; iste Dominus, sustinuimus eum, exsultabimus et lætabimur in salutari ejus.

Isa. c. 42, v. 6, 7 : « Et dedit te in fœdus populi in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum, et educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris. »

Isa. c. 49, v. 8, 9 : « Dedi te in fœdus populi, ut suscitares terram, et possideres hæreditates dissipatas; ut diceres his qui vincti sunt : Exite, et his qui in tenebris : Revelamini.

Isa. c. 53, v. 12 : « Ideo dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia, pro eo quòd tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est. »

Ose. c. 6, v. 3, 4 : « Vivificabit nos post duos dies; in die tertiâ suscitabit nos, et vivemus in conspectu ejus. Sciemus, sequemurque ut cognoscamus Dominum; quasi diluculum præparatus est egressus ejus, et veniet quasi imber nobis temporaneus et serotinus terræ. »

Ose. c. 13, v. 14 : « De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos; ero mors tua, ô mors; morsus tuus ero, inferne. »

Zach. c. 9, v. 11, 12 : « Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua. Convertimini ad munitionem vincti spei; hodiè quoque annuntians duplicia reddam tibi. »

Matth. c. 12, v. 39, 40 : « Generatio mala et adultera signum quærit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus. »

Matth. c. 27, v. 52, 53 : « Et monumenta aperta sunt, et multa corpora sanctorum, qui dormierunt, surrexerunt; et exeuntes de monumentis, post resurrectionem ejus, venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis. »

Joan. c. 12, v. 32 : « Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. »

Rom. c. 10, v. 6, 7 : « Ne dixeris in corde tuo : Quis ascendet in cœlum? id est, Christum deducere; aut : Quis ascendet in abyssum? hoc est Christum à mortuis revocare. »

Eph. c. 4, v. 8, 9 : « Propter quod dicit : *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem*; dedit *dona hominibus*. Quod autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit primum in inferiores partes terræ? qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia. »

Col. c. 2, v. 15 : « Et exspolians principatus et potestates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in semetipso. »

Hebr. c. 2, v. 14 : « Quia ergò pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participabit eisdem; ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est diabolum.

1 *Petr.* c. 3, v. 18 *et seq.* : « Quia et Christus

semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificatus carne, vivificatus autem spiritu; in quo et his qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicavit, qui increduli fuerant aliquandò, quandò exspectabant Dei patientiam in diebus Noe, cùm fabricaretur arca. »

1 *Petr.* c. 4, v. 6: « Propter hoc enim et mortuis evangelizatum est, ut judicentur quidem secundùm homines in carne, vivant autem secundùm Deum in spiritu. »

1° In Christo Jesu finem habuisse prophetiam, quam è Psalmo 67 hìc depromimus, testificatur Paulus in Epistolâ ad Ephesios, cujus verba quoque recitamus. Iis autem prædictum fuisse declarat descensum Jesu in inferiores partes terræ, quas inferna loca, et inferos appellamus; ascensum ejus in cœlum, et donorum Spiritûs sancti erogationem. Atqui vaticinio hoc in suam sententiam abuti haudquaquàm fuisset ausus, nisi in Messiâ eventum ejus communi Judæorum consensione exspectari scisset. Quod iterùm iterùmque monui. Itaque prisci Judæi in Schemoth Rabbâ, aliisque vetustis monumentis Messiæ applicant isthæc indidem petita: *Venient legati ex Ægypto.* Nos quoque paulò superiùs in Apostolis et discipulis Christi completa hæc ostendimus: *In ecclesiis benedicite Deo Domino de fontibus Israel*, et quæ iis subnexa sunt.

2° Ad aliud verò testimonium, ex Isaiæ capite 53 petitum quod attinet, satis jam superque probavimus totum id Messiam prænuntiare. Hoc verò commate Patriarcharum liberationem ex inferis signari vincimus his argumentis. Dico primùm eorum animos qui mortem effugerunt, *spolia* in codicibus sacris appellari. Jeremias non semel: *Sed erit tibi anima tua in spolium.* (Jerem. c. 39, v. 18, et c. 45, v. 5.) Meminerimus prætereà Isaiæ capite 8 nomen hoc Messiæ inditum esse: *Accelera spolia detrahere, festina prædari;* suis enim locis à me probatum est ad Messiam istud spectare. Fortes à Messiâ spoliati quinam sint decet nos Apostolus in Epistolâ ad Colossenses, cap. 2: *Et exspolians principatus et potestates traduxit confidenter, palàm triumphans illos in semetipso.* Potestates appellat et in Epistolâ ad Ephesios, cap. 6, v. 12: *Principes mundi rectores tenebrarum harum*, quos Isaias fortes appellaverat. Mortis quoque et orci fortitudo prædicatur in Cantico, cap 8: *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio.* Et in Psalmis: *Quis est homo qui vivet et non videbit mortem, eruet animam suam de manu inferi?* Ex his colligere promptum est spolia illa fortium, quæ dividenda prædicit Isaias, animos esse ex inferis locis à Christo Jesu eductos, et in cœlum evectos, tùm et animos vivorum hominum, laqueis peccatorum et dæmonum tyrannide exemptos; atque eos etiam qui corpora sua subière rursùm, postquam mortem pertulit Christus. Profectò in veteri Judæorum libro Siphre, et in Gemarâ libri Sotah, torquentur hæc ad allegoriam, verùm nullis subnixam rationibus, et quam Aben Ezra refellit; cùm nos nostram Scripturæ consensu tueamur. Parata ergò nobis est ad explodendum Abrabanielem ratio, qui quod bella non gesserit Jesus Dominus, minimè hæc in eum quadrare contendit; quasi κατὰ λέξιν sumenda sint; quod ne à suis quidem factum congerronibus scire debuit.

3° De Oseæ oraculo, quod è capite 13 excerpsimus, tantùm hoc dicam, sic illud intelligi et explicari in Beresith Rabbâ R. Mosis Hadarsan, quemadmodùm hìc à nobis intelligitur. Quo loco quoniam doctrina de Messiæ descensu ad inferos et captivorum liberatione, nostræ doctrinæ persimilis continetur, utile fuerit totum exponere. Ait R. Josue ben Levi, se Messiâ filio Davidis comitatum, abiisse cum Kippod, angelo mortis, gehennæ præfecto, quoad ad portas gehennæ perventum est; captivos autem illùc detrusos, viso Messiæ lumine, summis eum excepisse lætitiis, sperantes futurum, ut ab eo tantis tenebris eximerentur, juxtà hoc effatum Oseæ: *De manu mortis liberabo eos; de morte redimam eos;* et illud Isaiæ, cap. 35, v. 10: *Et redempti à Domino convertentur, et venient in Sion cum laude et lætitiâ sempiternâ super caput eorum; gaudium et lætitiam obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus;* Sion autem paradisum illìc significare. Tùm paulò post addit septem nominibus appellari gehennam, quorum primum est, *orcus*, deindè *gehenna, puteus perditionis; silentium; lutum cœni; umbra mortis; terra inferior.* Ex quibus nominibus noscitur quomodò plerasque Scripturæ sanctæ ῥήσεις intellexerint veteres Judæi.

CAPUT CXLII.

Jesus reviviscit.

Psalm. 3, v. 6: « Ego dormivi, et soporatus sum, et exsurrexi, quia Dominus suscepit me. »

Psalm. 15, v. 9 *et seq.*: « Propter hoc lætatum est cor meum, et exsultavit lingua mea; insuper et caro mea requiescet in spe. Quo-

niam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo; delectationes in dexterâ tuâ usque in finem. »

Psalm. 29, v. 1 *et seq.* : Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, nec delectâsti inimicos meos super me. Domine Deus meus, clamavi ad te, et sanâsti me. Domine, eduxisti ab inferno animam meam; salvâsti me à descendentibus in lacum. »

Psalm. 40, v. 9 *et seq.* : « Verbum iniquum constituerunt adversùm me. Numquid qui dormit, non adjiciet ut resurgat? Etenim homo pacis meæ, in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me plantationem. Tu autem Domine, miserere meî, et resuscita me, et retribuam eis. »

Psalm. 48, v. 16 : « Verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferni, cùm acceperit me. »

Psalm. 55, v. 12, 13 : « In me sunt, Deus, vota tua, quæ reddam laudationes tibi; quoniam eripuisti animam meam de morte, et pedes meos de lapsu. »

Psalm. 70, v. 20 : « Quantas ostendisti mihi tribulationes, multas et malas, et conversus vivificasti me, et de abyssis terræ iterùm reduxisti me! »

Psalm. 87, v. 5 : Æstimatus sum cum descendentibus in lacum; factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber. »

Psalm. 114, v. 3, *et seq.* : « Circumdederunt me dolores mortis, et pericula inferni invenerunt me... Convertere, anima mea, in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi, quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lapsu. »

Psalm. 141, v. 7, 8. : Intende ad deprecationem meam, quia humiliatus sum nimis. Libera me à persequentibus me, quia confortati sunt super me. Educ de custodiâ animam meam, ad confitendum nomini tuo : me exspectant justi, donec retribuas mihi.

Psalm. 142, v. 11, 12 : « Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam, propter nomen tuum, Domine, vivificabis me in æquitate tuâ. Educes de tribulatione animam meam, et in misericordiâ disperdes inimicos meos, et perdes omnes qui tribulant animam meam. »

Isa. c. 25, v. 8 : « Præcipitabit mortem in sempiternum, et auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, et opprobrium populi sui auferet de universâ terrâ, quia Dominus locutus est. »

Ose. c. 6, v. 3, 4 : Vivificabit nos post duos dies; in die tertiâ suscitabit nos, et vivemus in conspectu ejus. Sciemus, sequemurque, ut cognoscamus Dominum; quasi diluculum præparatus est egressus ejus, et veniet quasi imber nobis temporaneus et serotinus terræ. »

Ose. c. 13, v. 14 : « Ero mors tua, ô mors; morsus tuus ero, inferne. »

Joan. c. 2, v. 1 *et seq.* : Et erat Jonas in ventre piscis tribus diebus et tribus noctibus, et oravit Jonas ad Dominum Deum suum de ventre piscis ...... Et dixit Dominus pisci, et evomuit Jonam in aridam. »

Soph. c. 3, v. 8. : « Quapropter, exspecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ in futurum, quia Judicium meum, ut congregem gentes, ut colligam regna. »

Matth. c. 12, v. 39, 40 : « Qui respondens ait illis : Generatio mala et adultera signum quærit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus. » Et Matth. c. 16 v. 4. Luc. c. 11, v. 29.

Matth. c. 16, v. 21 : « Exindè cœpit Jesus ostendere discipulis suis, quia oporteret eum ire Jerosolymam, et multa pati à senioribus, et scribis, et principibus Sacerdotum, et occidi, et tertiâ die resurgere. » Et Matth. c. 17, v. 9, 22; et c. 20, v. 17, et seq. Marc. c. 8, v. 31; et c. 9, v. 8 et seq.; et c. 10, v. 34; Luc. c. 9, v. 22; et c. 18, v. 31 et seq.

Matth. c. 26, v. 32 : « Postquàm autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam. » Et Marc. c. 14, v. 28.

Matth. c. 27, v. 52, 53 : « Et multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt; et exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus, venerunt in sanctam civitatem.

Matth. c. 27, v. 62 *et seq.* : « Alterâ autem die, quæ erat post Parasceven, convenerunt principes sacerdotum et pharisæi ad Pilatum, dicentes : Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens : Post tres dies resurgam. Jube ergò custodiri sepulcrum usque in diem tertium; ne fortè veniant discipuli ejus, et furentur eum, et dicant plebi : Surrexit à mortuis; et erit novissimus error pejor priore. »

Matth. c. 28, v. 5 *et seq.* : « Respondens autem Angelus dixit mulieribus : Nolite timere, vos; scio enim quòd Jesum qui crucifixus est quæritis; non est hic; surrexit enim, sicut dixit.

Venite, et videte locum, ubi positus erat Dominus. Et citò euntes dicite discipulis ejus quia surrexit, et ecce præcedet vos in Galilæam; ibi eum videbitis; ecce prædixi vobis. Et exierunt citò de monumento cum timore et gaudio magno, currentes nuntiare discipulis ejus. Et ecce Jesus occurrit illis: dicens: Avete. Illæ autem accesserunt, et tenuerunt pedes ejus, et adoraverunt eum. » Et Marc. c. 16, v. 5 et seq. Luc. c. 24, v. 5 et seq. »

Luc. c. 24, v. 45, 46. « Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas, et dixit eis: Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere à mortuis tertiâ die. »

Joan. c. 2, v. 19 *et seq.* : « Respondit Jesus, et dixit eis: Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. Dixerunt ergo Judæi: Quadraginta et sex annis ædificatum est templum hoc, et tu in tribus diebus excitabis illud? Ille autem dicebat de templo corporis sui. Cùm ergò resurrexisset à mortuis, recordati sunt discipuli ejus, quia hoc dicebat, et crediderunt Scripturæ, et sermoni quem dixit Jesus. »

Joan. c. 10, v. 17 *et seq.* : « Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, ut iterùm sumam eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso, et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterùm sumendi eam. Hoc mandatum accepi à Patre meo. »

Joan. c. 20, v. 14 *et seq.* : « Hæc cùm dixisset, conversa est retrorsùm, et vidit Jesum stantem, et non sciebat quia Jesus est. Dicit ei Jesus: Mulier, quid ploras? quem quæris? Illa existimans quia hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum, et ego eum tollam. Dicit ei Jesus: Maria. Conversa illa dicit ei: Rabboni (quod dicitur, Magister) ...... Cùm ergò serò esset die illo, unà sabbatorum, et fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum, venit Jesus, et stetit in medio, et dixit eis: Pax vobis. Et cùm hoc dixisset, ostendit eis manus et latus. »

Act. c. 1, v. 1 *et seq.* : « Primum quidem sermonem feci de omnibus, ô Theophile, quæ cœpit Jesus facere et docere, usque in diem quâ præcipiens Apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est; quibus et præbuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei. »

Act. c. 1, v. 21 : « Oportet ergò ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore quo intravit et exivit inter nos Dominus Jesus, incipiens à baptismate Joannis, usque in diem quâ assumptus est à nobis, testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis. Et Act. c. 4, v. 10; et c. 5, v. 30; et c. 17; v. 3; et c. 26, v. 23. Rom. c. 6, v. 4, 9; et c. 7, v. 4; et c. 8, v. 11, 34; et c. 10, v. 9; et c. 14, v. 9; et c. 1. Cor. c. 6, v. 14; et c. 2. Cor. c. 5, v. 15. Gal. c. 1, v. 1. Eph. c. 1, v. 20. Phil. c. 3, v. 10. Col. c. 2, v. 12; et 1 Thess. c. 1, v. 10; et c. 4, v. 13; et 2 Tim. c. 1, v. 10, et c. 2, v. 8; et 1 Petr. c. 1, v. 3, 21; et c. 3, v. 22. »

Act. c. 2, v. 24, *et seq.* : « Quem Deus suscitavit solutis doloribus inferni, juxtà quod impossibile erat teneri illum ab eo. David enim dicit in eum: *Providebam Dominum in conspectu meo semper; quoniam à dextris est mihi, ne commovear. Propter hoc lætatum est cor meum, et exsultavit lingua mea; insuper et caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ, et replebis me jucunditate cum facie tuâ.* Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de Patriarchâ David, quoniam defunctus est et sepultus, et sepulcrum ejus est apud nos usque in hodiernum diem. Propheta igitur cùm esset, et sciret quia jurejurando jurâsset illi Deus de fructu lumbi ejus sedere super sedem ejus, providens locutus est de resurrectione Christi, quia nempè derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem. Hunc Jesum resuscitavit Deus; cujus omnes nos testes sumus. »

Act. c. 3, v. 15 : « Auctorem verò vitæ interfecistis, quem Deus suscitavit à mortuis; cujus nos testes sumus. »

Act. c. 4, v. 33 : « Et virtute magnâ reddebant Apostoli testimonium ressurrectionis Jesu Christi Domini nostri »

Act. c. 10, v. 40, 41 : « Hunc Deus suscitavit tertiâ die, et dedit eum manifestum fieri, non omni populo; sed testibus præordinatis à Deo, nobis qui manducavimus et bibimus cum illo, postquàm resurrexit à mortuis. »

Act. c. 13, v. 30 *et seq.* : Deus verò suscitavit eum à mortuis tertiâ die; qui visus est per dies multos his qui simul ascenderant cum eo de Galilæâ in Jerusalem, qui usque nunc sunt testes ejus ad plebem. Et nos vobis annuntiamus eam, quæ ad patres nostros repromissio facta est; quoniam hanc Deus adimplevit filiis nostris, resuscitans Jesum, sicut et in Psalmo secundo scriptum est: *Filius meus es tu, ego*

hodiè genui te. Quod autem suscitavit eum à mortuis, ampliùs jam non reversurum in corruptionem ita dixit : *Quia dabo vobis sancta David fidelia.* Ideòque et aliàs dicit : *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* David enim in suâ generatione, cum administrasset voluntati Dei, dormivit, et appositus est ad patres suos, et vidit corruptionem. Quem verò Deus suscitavit à mortuis, non vidit corruptionem. »

Rom. c. 4, v. 24, 25 : « Et propter nos quibus reputabitur credentibus in eum, qui suscitavit Jesum Christum Dominum nostrum à mortuis, qui traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram. »

1 *Cor.* c. 15, v. 3 *et seq.* : « Tradidi enim vobis in primis quod et accepi, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundùm Scripturas, et quia sepultus est, et quia resurrexit tertiâ die secundùm Scripturas ; et quia visus est Cephæ, et post hoc Undecim. Deindè visus est plusquàm quingentis fratribus simul, ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt. Deindè visus est Jacobo, deindè Apostolis omnibus. Novissimè autem omnium, tanquàm abortivo visus est et mihi. ...... Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergò prædicatio nostra, inanis est et fides vestra : invenimur autem et falsi testes Dei, quoniam testimonium diximus adversus Deum, quod suscitaverit Christum ; quem non suscitavit, si mortui non resurgunt ...... Nunc autem Christus resurrexit à mortuis, primitiæ dormientium. »

1 *Petr.* c. 3, v. 18 *et seq.* Quia et Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo ; mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu ...... qui est in dexterâ Dei deglutiens mortem, ut vitæ æternæ hæredes efficeremur. »

1° In fronte disputationis hujus notandum est, nihil esse in hâc causâ, quamobrem Judæis Christiana doctrina invidiosa esse debeat, cùm popularis eorum Josephus, in celeberrimâ illâ de Christo Jesu περιοχῇ hæc scripserit in libr. Antiq. 18, cap. 4 : « Post triduum enim « redivivus ipsis apparuit, cùm divini Pro« phetæ hæc aliaque innumera prodigia de eo « nuntiâssent. » Cùmque vetustissimus præterea ac celeberrimus doctor eorum et princeps R. Jehuda Haccadosch, in libro R. Abrahami, qui Revelans arcana inscribitur, sic disserat : « Post triduum verò anima Messiæ « ad corpus suum revertetur, et exibit ex « illo lapide, in quo erit sepultus ; sicut dic« tum est Exod. 33, v. 21, 22 : *Ecce locus est* « *apud me, stabis super petram ; cùmque trans*« *ierit gloria mea, ponam te in foramine pe*« *træ.* » Quibus ex fide Galatini propositis, nunc argumenta adversariorum diluamus. »

2° Scribit Matthæus, cap. 28, v. 11 et seq., reverso ad vitam Jesu, et aperto sepulcro, milites custodiendo ei appositos, rem principibus sacerdotum nuntiâsse ; quâ acceptâ, hos habuisse senatum, et de communi sententiâ subornâsse pecuniâ milites, qui dicerent, sibi sopitis et somno oppressis noctu subtractum fuisse corpus Jesu ab ipsius discipulis ; quæ confessio quoniam fraudi militibus esse poterat, utpotè stationis desertoribus, si ad præsidem pervenisset, culpam se præstaturos sacerdotes promisisse ; paruisse milites, remque ità in vulgus dissipatam ad illam diem fuisse. Hinc adversùs Christianos conflatur argumentum, quasi commentitia sit Christi Jesu à morte suscitati historia. At prorsùs hebes esse telum hoc et plumbeum ostendet narratio rerum simplex, sed attentè perspecta. Mortuum Christi corpus linteis involutum, monumento novo et in petrâ exciso illatum est. Saxum ingens ad ostium monumenti advolutum. Et quoniam Christus, dùm viveret, de futuro suo post tres dies ad vitam reditu verba quædam jecerat, postulant à Pilato principes sacerdotum et pharisæi, ut custodes apponantur sepulcro usque ad diem tertium, ne discipuli ipsius subrepto clanculùm corpore, vitam eum recepisse fingant, atque ità illudant credulitati plebis, nefariumque et damnosum errorem in vulgus spargant. Annuit Pilatus : obsignant illi lapidem sepulcro impositum, et custodes addunt. At die tertio, editus est terræ motus ingens, Christo Jesu reviviscente, et Angelus cœlo lapsus revoluto lapide vacui sepulcri ostium patefecit. Quo viso, consternati metu custodes, ac propè exanimes corruerunt. Horum nonnulli in urbem reversi, ad principes sacerdotum de iis rebus retulerunt. Intereà verò alia quoque sepulcra patuerunt, sanctorumque hominum corpora vitâ functa ac sepulta, postquàm revixit Christus, rediviva et ipsa Hierosolymis apparuerunt. Hæc Matthæus : quæ, Deo sic disponente, ità contigerunt, ut fidem ipsa ex sese ab adversariis extorquere, et omnem pertinaciam frangere possint. Nam primum positum est corpus Jesu in sepulcro novo, in quo

nondùm ullum fuerat conditum, « Ne post « resurrectionem, inquit Hieronymus, cæteris « corporibus remanentibus, resurrexisse alius « fingeretur. » Pollicitatio Christi de futuro suo ad vitam reditu Judæorum excitavit diligentiam ad præcavendas fraudes. Cùm ergò sepulcrum obsignârint, custodes apposuerint, modisque omnibus caverint ne fraus sibi fieret à Christi discipulis, eadem opera caverunt, ne factam sibi fraudem causari possent, postquàm verè Christus revixisset. Qui cùm revixerit, minimè jam iis competit de dolo malo actio vel exceptio. Hæc enim ità fieri Deus voluit, inquit Chrysostomus, « ne quis doctrinam « hanc de reditu ad vitam labefactare possit; » quam facultatem non aliis solùm, sed et sibi ipsi præciderunt. « Quantò enim ampliùs re« servatur (Christi corpus), tantò magis resur« rectionis virtus ostenditur. » Verba sunt Hieronymi. Strenuè sanè et acutè argumenta hæc adversùs Judæos urget Chrysostomus in Matth. cap. 27, quem si quis consulat, operæ fructum feret. Neque verò latenter monumento Jesus erepit; magno res agitur apparatu; terra movetur; cœlo descendit Angelus, et orto jam die sepulcrum reserat. Ad ea pavore ingenti consternantur custodes: nonnulli etiam rem apud sacerdotes testificantur. En testes locupletes, et nulli exceptioni obnoxios. Nec credibile est hæc Matthæum confinxisse; nam quo tempore ea scribebat, complures supererant portentorum illorum vel oculati testes, vel auriti. Quis putet præterea Apostolos, viros simplices, rudes, imperitos, meticulosos etiam, et ad satellitum adventum, vel ad ancillæ vocem paulò antè trepidantes, tantùm ausos esse facinus, ut corpus Christi Jesu subriperent, et deceptis custodibus toti Synedrio os sublinerent? Quis credat tantùm ipsis superfuisse otii, ut ingentem lapidem sepulcri ostio appositum amovere, et sudarium ac institas corpori Christi unguentis delibuto inhærentes explicare et disjungere possent, dùm propè erant semisomni satellites, quos vel levissimum murmur poterat excitare? Rectè Sedulius:

> Anne beati
> Corporis ablator, velociùs esse putavit
> Solvere contectum, quàm devectare ligatum,
> Cùm mora sit furtis contraria?

Quæ et à Chrysostomo eleganter tractata sunt. Quis adeò insanisse censeat Apostolos, ut nullo proposito operæ pretio fraudem universo hominum generi, sibique ipsis struere vellent, et vitam pro mendacio, cujus erant sibi conscii, et fictitiâ religione pacisci ac profundere? Quis fingat sibi tot homines in periculosum adeò flagitium, cujusmodi erat raptio corporis Christi, falsamque de eo redivivo opinionem spargendam conspirâsse? Ad hæc incallidè prorsùs excogitatum est commentum illud de custodum somno: nam quomodò sopiti homines deprehendere per somnum potuerunt corpus Jesu ab Apostolis fuisse subreptum? Quî id resciverunt, quod insciis ipsis et incautis factum est? Denique quod de redivivis sanctorum corporibus et in urbe visis Matthæus prodidit, est ejusmodi, ut multos exstitisse necesse sit portenti hujus conscios ac memores, cùm scriptis mandaretur. Quapropter verisimile non est, pudori suo tàm male consuluisse Matthæum, ut stolidum adeò crassumque configeret mendacium, quod promptum fuisset unicuique refellere.

Ad stolidam majorum suorum fabulam, stolidiorem hanc adjecerunt Judæi recentiores, corpus Christi ab Apostolis furto sublatum, et in proximis locis occultum, non multò post per pontificum excursores et emissarios fuisse repertum. Nam quo id auctore referunt, quod veterum nullus scriptis mandavit? Cur palàm spectandum non proposuerunt corpus, quo conspecto rumor omnis de redivivo Christo conticuisset?

3° Erunt fortassè, qui dicant Apostolos ad sepulcrum cuniculos egisse, suffossâque humo corpus Christi subtraxisse; quâ arte facile fuerit custodes fallere. At repugnat Matthæus, cùm ait finxisse pontifices subreptum fuisse corpus Christi dormientibus custodibus: nam si per cuniculos ablatum est, etiam vigilantibus custodibus fieri id potuit, neque ad hujusmodi fabulam recurrere necesse fuit. Eæ præterea fuerunt angustiæ temporis, ut per eas è longinquo agi potuisse cuniculos, tantùmque terræ egeri, quantùm necesse fuit, haudquaquàm credibile sit. Verùm, his omissis, unâ responsione totum hoc refellitur. Aio enimvero ὑπόπετρον fuisse solùm hoc, ipsumque adeò Christi sepulcrum in rupe fuisse incisum, vel potius fuisse rupem ipsam ferro excavatam: ità ut per subterraneos meatus penetrare illùc, res fuerit immensi operis et temporis. Quamvis enim discamus ex Josepho, cuniculis perfossum fuisse aliquandò Hierosolymitanum solum, puta obsidente urbem Herode, et deindè Tito, et in seditione Manahemi; quod et multo post à Salahoddino urbem oppugnante factum dis-

cimus ex Abulfaragio; et quamvis scriptum reliquerit Philo senior in Hierosolymæ descriptione, et Aristæus in libro de Legis Mosaicæ interpretatione, è fonte templi derivatas fuisse et distributas aquas per subterraneos canales et occultas fistulas; quamvis denique molle ac fossile terrenum fuisse demus in aliquibus Hierosolymæ locis; at neque hujusmodi fuisse Golgothæ montis solùm, aut horti cui inerat sepulcrum Christi, certissimum est; nec tantùm otii aut audaciæ fuit Apostolis, ut per duram silicem tàm longos agere cuniculos possent; et manifesta in suffosâ rupe exstitissent furti indicia, quæ nullâ arte, vel humo ingestâ, vel infartis lapidibus et cæmentis celari potuissent ab Apostolis, quæque Judæorum principes ad patefaciendam fraudem, refossâ scrobe, palàm haud dubiè fecissent; neque absurdam suam de custodum sopore calumniam vulgâssent. »

4° Sed audiamus contradicentem Salmasium. Ait ille Domini Jesu sepulcrum, cryptam fuisse in terrâ excavatam, lapide stratam, et inædificatam, concameratam desuper, et foramine in medio fornice apertam, quod injecto extrinsecùs lapide clauderetur. Itaque in horto, cui inerat Domini monumentum, rupem fuisse negat ullam, sed subactam humum, qualem horti esse oportuit. Quæ Brocardus monachus cæterique recentiores secùs narrant, tanquàm falsa aut suspecta repudiat; Bellonium affirmare dicens, templum sepulcro Christi impositum in plano situm esse, non in monte. In quibus sanè turpissimè se dat vir apprimè cæteroquin litteratus. Nam primùm constat Hierosolymam saxosam esse, et rupibus impositam. Testis Strabo, qui Hierosolymorum solum ait esse πετρῶδες καὶ ὑπόπετρον. Testis Hieronymus, qui Hierosolymam « totius provinciæ deterrimam esse, et saxosis montibus asperari » docet. Wilbrandus Oldenburgensis, qui Terram sanctam adiit anno Domini 1211: « Conscendimus, inquit, montana Hierusalem, quæ sunt admodùm alta, lapidosa, et asperrima; et quod mirabile est, multùm vini, olei et frumenti afferentia. » Testes et peregrinatores universi, quicumque urbem hanc lustrârunt. In his Bellonius ipse, cujus auctoritatem Salmasius prætendit. Tradit is scruposis insidere montibus Hierosolymam, quorum magna pars jam indè à vetustis temporibus hominum labore complanata et æquata, et aggestâ humo contecta, frugibus ferendis idonea facta sit. Hujusmodi fuisse hortum illum Josephi Arimathæensis, cujusmodi loca vicina omnia, haud dubium est, saxosum nempe, sed comportatâ ad aliquantam altitudinem terrâ, culturæ idoneum. Idcirco *lapidosum et arenosum lectum*, appellat Nonnus Christi sepulcrum. Brocardi verò fidelis et diligentis scriptoris, res non fando auditas, sed sibi visas exponentis, reliquorumque omnium ipsi suffragantium auctoritatem nullo probabili argumento rejicere, quod facit Salmasius, hominis non est satis æqui, resque ex merito pensitantis. Nam quod ii de duplici cryptâ sepulcri Jesu referunt, id hodieque visitur, et nos ab oculatis testibus et fide dignis plerisque accepimus. Præcipua est et intima, in quâ reconditum fuit Christi corpus; extima altera, et tanquàm aditus ad aliam, et vestibulum. Angeli Sacellum appellant, quòd illic Angelus revixisse Christum mulieribus nuntiârit. Joannes Phocas in Descriptione sacrorum locorum Palestinæ, quam anno quinto et octogesimo supra centesimum et millesimum perlustravit: « Specus autem, quod dominico corpori sepulcri usum præbuit, duplex est: et in uno quidem jacet revolutus lapis, candido marmore circumseptus; in alterâ parte, versùs Boream, lapis ferro excisus, uno circiter cubito suprà pavimenti solum eminet, in quo mortuus et nudus vitæ dator depositus est. » Accuratissimam speluncæ utriusque, totiusque ædificii desuper exstructi descriptionem, formis expressam edidit Bernardinus Amicus Franciscanus, Tractat. de Ædific. Terræ Sanct., ut non magis de eâ re, quam de Hierosolymâ ipsâ dubitare liceat. Scriptor antiquus Itinerarii hierosolymitani, quem Brocardo opponit Salmasius, unius quidem cryptæ meminit, ejus nempè in quâ positum est corpus Christi, sed illùc per aliam penetrari non negat; tantùm ait: « Indè quasi ad lapidem missum est crypta, ubi corpus ejus positum fuit. » De situ vero templi sepulcro impositi, quod disputat Salmasius ex testimonio Bellonii, in plano situm esse, non in monte, quid ad rem pertineat, non intelligo; nam quod indè colligit, in rupe incisum non fuisse Christi sepulcrum, minimè sequitur. Bellonius strictim se hæc causâ brevitatis fatetur attigisse. At Bernardinus Amicus, aliique sexcenti, unius hujusce templi septis, sepulcrum Christi, cryptasque alias in rupe excavatas, quædam etiam loca infrà templi solum depressa, et ipsum Calvariæ montem contineri referunt, et montem hunc conscendi gradibus octodecim, quorum aliquot in rupe sunt excisi. Cùm templum

exstrueretur, ad aream ædificii æquandam, partem aliquam Golgothæ montis cædi oportuit, ut optimè notavit Petrus Vallensis; sed magna tamen ejus pars superest, templi ejusdem ambitu comprehensa. Brocardus, in Descript. Terræ sanct. : « Mons Calvariæ, in quo Dominus crucifixus est, distat à loco sepulcri centum et octo pedibus, et est ascensus à superficie pavimenti Ecclesiæ, ad locum ubi crux rupi infixa fuit, viginti octo pedum (scribe 28 pedum). » Nec multo post : « Non longè ab hoc loco, ubi Christus flagris cæsus est, descenditur per 48 gradus ad locum ubi Helena invenit crucem Domini defossam. » Anonymus ab Allatio editus, in Descriptione Hierosolymorum : « Sinistra Bematis sancti Sepulcri ascendit gradus quindecim, et ingreditur Golgotham. » Ubi legendum, ni fallor, σκαλόνια ιϛ́. Epiphanius Hagiopolita scribit illùc ascendi gradibus triginta sex ; sed tùm fortassè aliis scalis in Golgotham evadebatur. Denique Wilbrandus Oldenburgensis : « Et sciendum quia mons Calvariæ, qui modicus est, ut quidam colliculus, intrà parietes Ecclesiæ continetur. »

Quinetiam Salmasius verba Evangelii manifestò sibi adversa, sententiæ suæ accommodare tentat. Nam quod scribit Marcus, monumentum Christi fuisse λελατομημένον ἐκ πέτρας, perperàm ait redditum fuisse à Vulgato interprete : *Quod erat excisum de petrâ :* vel ut aliis placet, *de rupe.* Petram quidem fatetur olim rupem significàsse, at à mediæ ætatis scriptoribus pro cæmentitio et οἰκοδομικῷ lapide usurpatum. Ego verò aio vocem hanc, apud auctores græcos et latinos, Evangelistarum ætati suppares, pro rupe fuisse acceptam. Nec aliam obtinet significationem apud Evangelistas ipsos, qui sententiarum dictionumque suarum certissimi interpretes haberi debent. Prudens ille ædificator, quem Christus fundamentum posuisse aiebat ἐπὶ τὴν πέτραν, super rupem domum exstruxisse utique censendus est. Petrum petræ, hoc est rupi immobili comparabat, cùm super eum Ecclesiam suam ædificaturum se pollicebatur apud Matth. c. 27, v. 51. Petras, hoc est, rupes, moriente Christo, scissas Evangelista tradidit. Petram illam, cujus fluenta in deserto potàsse Israelitas scribit Paulus 1 Cor. c. 10, v. 4, non cæmentitium et οἰκοδομικὸν lapidem fuisse constat. Addit Salmasius dicendum fuisse λελατομημένον ἐκ τῆς πέτρας, si excisum intellexisset ex rupe quæ inibi fuisset. Si præfixus articulus certam quid semper notat, rem profectò conficit Matthæus, qui sic habet : ὃ ἐλατόμησεν ἐν τῇ πέτρᾳ, nam certam quamdam petram significari necesse est. Verùm nego eam semper esse vim articuli. Cùm ait apud Matthæum, cap. 7, Christus Jesus, de cauto illo ædificatore : ὁμοιώσω αὐτὸν ἀνδρὶ φρονίμῳ, ὅστις ᾠκοδόμησε τὴν οἰκίαν ἑαυτοῦ ἐπὶ τὴν πέτραν, an certam aliquam petram intellexit ? In parabolâ de seminatore, cùm dixit Christus semina quædam cecidisse ἐπὶ τὴν πέτραν, nùm petram quamdam his verbis notatam voluit? Quemadmodùm autem non certum quid semper notat additus articulus, ità non incertum quid et indefinitum et ἀπαρέμφατον notatur semper, cùm omittitur. Obvia sunt passìm exempla. Sed ut à Novo Testamento non discedamus, genealogiam Christi pertexens Matthæus, cap. 1, v. 2, iisdem nominibus indiscriminatim addit et demit articulum : Ἀβραὰμ ἐγέννησε τὸν Ισαάκ. Ισαὰκ δὲ ἐγέννησε τὸν Ιακώβ. En tibi Isaaci nomen articulo auctum et multatum, cùm certa tamen persona eadem utrobique signetur. Matthæus alibi, cap. 1, v. 20, 24; de Gabriele Angelo : ἄγγελος κυρίου κατ᾽ ὄναρ ἐφάνη αὐτῷ. Prætermittit articulum, cùm certum quemdam Angelum indicet. At paulò post : ἐποίησεν ὡς προσέταξεν αὐτῷ ὁ ἄγγελος κυρίου. Eumdem Angelum significans, adjungit articulum. Vitilitigat deindè in voce λατομεῖν, quam vulgò fatetur id significare, quod hìc significatum volumus, nempè lapides ex lapidicinâ excidere, undè λατομίαι dicuntur lapidicinæ ; idem verò negat hoc loco sonare, sed lapides polire et quadrare ad ædificandum ; atque hìnc λατόμους esse dictos, sectores lapidarios, λιθοξόους : itaque μνημεῖον λελατομημένον ἐκ πέτρας, esse sepulcrum ex lapide secto et polito ædificatum, atque idcircò à Lucâ appellari μνῆμα λαξευτὸν, quod non aliter intelligi et exponi potest, quàm lapidibus cæsis et quadratis constructum. Nos fatemur voces λατομεῖν et λαξεύειν id nonnunquàm sonare quod vult Salmasius ; eumdem verò intellectum neutiquàm hìc obtinere dicimus, nec aliud sibi velle, quàm rupem ferro excavare ; et μνῆμα λαξευτὸν non aliud esse, quàm monumentum in silice incisum. Quicumque enim silicem cædit et quadrat, sive radicibus suis et lapidicinæ inhærentem, sive indè excisum et extractum, alibique collocandum, is λατομεῖν et λαξεύειν rectè dicitur. Latomi quibus ad parandum sib monumentum usus est Josephus Arimathæensis, in cædendâ intùs et quadrandâ rupe vivâ eamdem adhibuerunt artem, iisdem utebantur λαξευτηρίοις, quibus usi fuissent in cædendis et quadrandis lapidibus aliundè exsectis, et in

cryptâ exstruendis; eosque λαξευτὰς, itidem ut λατόμους, meritò appellâsses; et opus λαξευτὸν, itidem ut λελατομημένον. Glossæ veteres : λαξευτής : *Lapidicinarius;* qui lapides ex lapidicinis eruit et excidit; quod faciendum necessario fuit iis operis, quæ Josephi monumentum excavârunt. Imò verò, lapis quomodocumquè sectus, λαξευτὸς dici potest. Septuaginta interpretes vicesimo primo Numerorum capite, hebraicum illud , *in capite Pisga*, sive , *in vertice montis*, verterunt, ἀπὸ κορυφῆς τοῦ λελαξευμένου, supple, ὄρους, quòd mons ille præruptus esset, ἀπόῤῥωξ, quem nemo sanus scalpro excisum à lapidum scalptore dixerit. Frustrà ergò Lucæ verba nobis Salmasius obducit. Est apud Strabonem, lib. 16, Hierosolymæ præductam fuisse ταφρὸν λατομητὴν, templum verò exstructum fuisse è lapide indè exciso, ἐκ τοῦ λίθου τοῦ λατομηθέντος. Vides primùm quale fuerit solum hierosolymitanum, lapidosum videlicet, quod non aliter excavari posset, quàm excisis lapidibus. Vides præterea λατομητὴν dici eam fossam, quæ in rupe fuerat incisa; ut λελατομημένον μνημεῖον dixit Marcus, quod in petrâ; neque solum fossam è quâ lapis exciditur, dici λατομητὴν, sed et lapidem ipsum indè excisum dici λατομηθέντα. Quòd si scalpro fuisset intùs quadrata fossa, et aliquantùm æquata, quale fuerat Josephi monumentum, λαξευτὴ jure dicta fuisset. Hoc enim λαξευτὴς differt à latomo, si rem propiùs inspicias, quod rude est et informe λαξευτοῦ opus, latomi verò politius et accuratius; quanquàm sæpiùs confunduntur. Septuaginta Interpretes, λατομεῖν λάκκους, variis locis dixerunt, quòd cùm Palæstina multis locis esset ὑπόλιθος, in silice excidendæ erant cisternæ. Nonnunquàm etiam dictione ἐκλατομεῖν usi sunt. φρέαρ ἐξελατόμησαν, *putem in rupe inciderunt.* λάκκους λελατομημένους, οὓς οὐκ ἐξελατόμησας, *cisternas excavatas*, *quas non excavâsti.* Sic igitur intelligendum illud Marci : λελατομημένον ἐκ πέτρας, ac si ἐκλελατομημένον dixisset, *excavatum,* incisum. Sed quid aucupamur voculas, cùm ex rebus ipsis Evangelistarum sententia spectari possit. Certum est locum, in quo excisum est monumentum Christi, saxosum fuisse, ut non aliter quam ferro excavatis silicibus perfodi potuerit. Visuntur hodièque in eodem loco saxa viva pleraque, suis radicibus hærentia. Observavit Petrus Vallensis bases columnarum complurium templi, proximarum ædiculæ cui sepulcrum inest, vivo lapide constare, non aliundè importato, sed αὐτοφυεῖ. Saxum exstat in sacello Angeli nativum, et rupi suæ conjunctum. Cryptæ in vicinis locis saxo incisæ cernuntur plurimæ; velut illa, in quâ sepultos ferunt Arimathæensem Josephum et Nicodemum; atque aliæ etiam, in quas recipere se consueverunt peregrinatores plerique ex Orientis partibus illuc confluentes. Totum denique templum rupi inædificatum est. Ac de sepulcro scriptores testificantur universi qui viderunt. Adamnanus Scotus, qui ex narrationibus Arculphi, galli episcopi, ex Palæstinâ aliisque Orientis locis reducis, librum congesserat de locis Terræ sanctæ, monumentum Christi *petrâ excisum* fuisse scripsit, ut est apud Bedam in Ecclesiasticâ Historiâ Anglorum. Vixerunt autem Arculphus ille et Adamnanus circiter annum sexcentesimum nonagesimum, Justiniani junioris temporibus. Ac interior quidem crypta, in quam conditum fuerat corpus Christi, tota vivo silici insculpta est; extima verò, quam vocant, sacellum Angeli, partim in silice incisa, partim cæsis et exstructis constat lapidibus. Sectili marmore obducta hodiè hæc rupes est, sed per rimas tamen aliquas oculis digitisque ad silicem nativum aditus datur. Tota etiam intùs patebat Brocardi ævo, nullo marmor econtecta. « Spelunca, inquit, sepulcrum Domini continens, habet in longum aliquot pedes, foris quidem marmore tecta, intùs verò adhuc nuda conspicitur, sicut tempore passionis fuit. » Secturæ quoque, scalprique vestigia observaverat Arculphus, quemadmodùm ex Adamnano refert Beda. Lapidem, cui sacrum Christi Domini corpus fuit impositum, licet marmore obseptum, in tribus locis patuisse tactui et osculis peregrinorum affirmat Wilbrandus Oldenburgensis. Atque hæc vetustiorum scriptorum testimoniis consentiunt. Nonnus in interpretatione Evangelii secundum Joannem :

Erat autem in vicino horto
Sepulcrum è rudi silice excavato,
Totum insculptum , recens fabricatum.

Hieronymus : « Undè et in monumento novo, quod excisum fuerat in petrâ, conditus est, ne si ex multis lapidibus ædificatum esset, suffossis tumuli fundamentis, ablatus furto diceretur. Quòd autem in sepulcro ponendus esset, Prophetæ testimonium est dicentis : *Hic habitabit in excelsâ speluncâ petræ fortissimæ.* Statimque post duos versiculos sequitur : *Regem cum gloriâ videbitis.* » Hæc Salmasii opinionem funditùs subvertunt, nam sepulchri Christi formam ignorare non poterat Hieronymus, Bethlehemi habitans, frequentesque illùc

et ad alia Terræ sanctæ loca peregrinationes tùm fuisse suscipi solitas, docet ipse in Epitaphio Paulæ : « Ingressa, inquit, sepulcrum resurrectionis, osculabatur lapidem quem ab ostio monumenti amoverat Angelus, et ipsum corporis locum, in quo Dominus jacuerat, quasi sitiens desideratas aquas fideli ore lambebat. »

Nec mirum vivo silici incisum fuisse Christi sepulcrum, cùm sepulcra hujusmodi plurima Hierosolymæ et in vicinis locis cernere liceat. Talia sunt sepulcra, quæ regum Juda dicuntur, magnifici et vere regii operis ac sumptûs. Talia et sepulcra judicum Israel, et illa Prophetarum. Tale et sepulcrum, quod sanctæ Virginis Mariæ fuisse fertur, et illa Absalomi, et Josaphati, et his proximum sepulcrum Zachariæ, aliaque multa in viciniâ posita. Sed et clarè idipsum demonstrat Isaias, cùm ait, cap. 22, v. 16 : « Quia excidisti tibi hìc sepulcrum, excidisti in excelso memoriale diligenter, in petrâ tabernaculum tibi. » Atque hujusmodi sepulcra, quoniam nec incendiis obnoxia sunt, nec ruinis, in magnam integra servantur temporis diuturnitatem ; adeò ut hæc, quæ commemoravi, à vetustissimis temporibus excisa esse dubitare nemo possit ; ac illud præsertìm, quod Christi Jesu dicitur, verè ipsius fuisse probat, præter situm descriptioni Evangelistarum consentaneum, constans per omnes retrò ætates, ad hoc usque tempus, scriptorum ac peregrinatorum testificatio. Undè Salmasii confidentiam satis mirari non possum, qui tantum στοχαστικῇ suæ tribuit, ut et clara Evangelistarum verba, et auctorum veterum ac recentiorum testimonia, ipsiusque αὐτοψίας fidem præ ea contempserit.

5° Tertium argumentum adversariis suppeditant decantatæ à veteribus historiæ de divinis, uti crediderunt, quibusdam viris, quos ad vitam rediisse, vel stolida sibi persuasit superstitio, vel mentiendi licentia confinxit. Tales, Aristeas Proconnesius, Cleomedes Astypalæensis, Hermotimus Clazomenius, Epimenides, Er Harmonii filius, Romulus, Apollonius Tyaneus, aliique, quos ad elevandam reviviscentis Christi admirabilitatem Christianis Celsus opposuit. Horum nonnullos, aliosque prætereà complures, qui elati revixisse dicti sunt, toto capite celebravit Plinius : quorum plerique mortui falso crediti fuerant, cùm morbi vehementia exanimati tantum essent. Multos etiam, qui à morte ad vitam reducti fuisse dicuntur, recenset Æneas Gazæus in Theophrasto, sed è mediis ferè mythologorum quisquiliis petitos ; velut Glaucum à Polydio, Hippolytum ab Æsculapio, Alcestin ab Hercule ; quæ ut per ludum sunt conficta, ità seriam responsionem non postulant. De reliquis pressius agamus, et præcipua hujus generis exempla spectemus.

6° Aristeam Proconnesium ferunt animam pro libitu posuisse, et resumpsisse. Addit Plinius, lib. 7, cap. 52, visam eam ex ore ipsius evolantem corvi effigie. Scribit Herodotus, lib. 4, c. 14, 15, narratum sibi fuisse in Proconneso et Cyzici, cùm Aristeas quondam in fullonis officinâ decessisset, significâsse id continuò fullonem Aristeæ propinquis, reque per urbem vulgatâ advenisse quemdam nuntiantem, visum sibi Aristeam Cyzici, vel, ut vult Plutarchus, in viâ quæ tendit Crotonem, secumque congressum ; adcurrentes posteà in officinam fullonis propinquos Aristeæ, neque vivum eum, neque mortuum vidisse ; post septimum deindè annum, cùm in Proconneso comparuisset, carmen suum de Arimaspis elucubrâsse, ac rursùm deindè evanuisse. Didicisse se quoque Metaponti ait Herodotus, Aristeam Metapontinis aliquandò videndum se dedisse, et aram Apollini jussisse exstrui, sibique statuam juxtà poni, quòd ad eos solos ex omnibus Italiotis adiisset Apollo, se tùm comite, non utique Aristeæ, sed corvi specie ; quo viso perterritos Metapontinos misisse Delphos oracula Phœbi sciscitatum, quid opus facto esset ; ac juxtà Pythiæ demùm responsum Aristeæ jussis paruisse. Hoc autem ducentis et quadraginta annis evenisse, postquàm in Proconneso denuò evanuit Aristeas, subductis temporum rationibus Herodotus suspicatur. Adjicit ad superiora Æneas Gazæus, Metapontinos tempore ab hoc communia sacrificia Apollini et Aristeæ, tanquàm diis fecisse. De Cyzicenis et Metapontinis silet Apollonius Dyscolus; at in Siciliâ visum esse Aristeam litteras docentem tradit, quâ horâ in Proconneso mortuus est ; cùmque sæpiùs illìc apparuisset, aram ipsi erexisse Siculos, et tanquàm heroi sacrificâsse. Quàm fabulosa sit hæc narratio, suo more demonstravit Origenes in libris contrà Celsum. Nos diversam insistemus viam, et alia falsitatis argumenta proferemus. Nam primùm multùm inesse constat discrepantiæ iis quæ de Aristeâ tradita sunt. Vixisse eum docet Suidas Crœsi et Cyri temporibus ; at à quibusdam Homeri magister fuisse perhibetur, ut testantur Strabo et Eustathius. Ante illum quidem scri-

psisse asseverat Tatianus. Eumdem alii fuisse tradunt ac alterum hunc Aristæum, poetarum carminibus celebrem, Apollinis et Cyrenes filium, mellificii, coagulationis lactis, olivarumque culturæ inventorem, Autonoes, Cadmi filiæ, maritum, Actæonis patrem. Hunc enim à Siculis pro Deo habitum tradit Diodorus Siculus, quod Aristeæ Proconnesio tribuit Apollonius Dyscolus. Hic Apollinis filius fuit; Apollo etiam à Pindaro dictus, 66, 9, νόμιος quoque ab illo et Apollonio Rhodio, quod unum est ex Apollinis cognominibus; Proconnesius Apollinis comes fuit, et communibus cum Apolline victimis apud Metapontinos placatus, statuam propè Apollinis aram habuit. Atque hic obiter genuinam Pindari sententiam adversùs Scholiasten tuebimur : nam quod de Aristæo ait ille : « Et facient illum immortalem Jovem et Apollinem. » sic explicat Interpres : « Et illum facient immortalem, ut Jovem et Apollinem. » Atqui non immortalis solùm, ut Jupiter et Apollo, sed Jupiter etiam ipse et Apollo habitus est. Athenagoras in legatione Christianis : « Cei Aristeam eumdem ac Jovem et Apollinem existimantes. » Servius Aristæum dicit ab Hesiodo Apollinem pastoralem, hoc est νόμιον appellari. Idem quoque discas ex Scholiis Apollonii Rhodii. Sed ad rem : Aristæum Apollinis filium, post perlustratam magnam orbis partem, ex hominum oculis subitò evanuisse scribit Diodorus Siculus; quod de Proconnesio quoque Aristeâ proditum est. Vides multa utrique communia, ut unius res ad res alterius, fuisse expressas appareat. Igitur cùm quæ de Aristæo illo priore narrantur, merè fabulosa esse constet, idem de Proconnesii rebus censendum est. Itaque commentitia ea esse, ethnicorum cordatiores prædicant, Plinius, Plutarchus, Iamblicus, Gellius. At Strabo præstigiis homines delusisse censet Aristeam, ut quæ non faciebat, facere videretur. Haudquaquàm mortuum fuisse, sed mortuo similem inter suos jacuisse sentit Maximus Tyrius, Dissert. 28 : « Jacebat corpus, spiritum quidem ducens, sed tenuem, et ut morti proximum esse videretur. » Quærit Joannes Tzetzes, ecquis, cùm Metaponti revixit Aristeas, testificari potuit eum esse, qui antè ducentos et quadraginta annos in Proconneso vixerat. Nisi fortè Apollinem Pythium fidejussorem dent, quorum apud nos tanti est auctoritas, quanti apud viros non ineptè credulos esse debet. A Pythagoreis conficta hæc esse auctore Iamblico docuit Heinsius. Philosophorum omnium deditissimi hi fuêre τερατολογίαις, ut pueros et anus credulitate, poetas fingendi audaciâ superârint. Pleni sunt eorum libri monstrosis ejusmodi narrationibus, quarum nonnullas recenset Heinsius. Aristeæ præterea fabulam commentos esse mihi persuadent loca in quibus apparuisse dicitur, Metapontum et Croton, Pythagoreorum philosophorum sedes. Occasionem autem figmenti sumpsisse eos conjicio ex propositione quam poemati suo de Arimaspis Aristeas præfixerat, vel quisquis Aristeæ id supposuit. Falsa enim et supposititia fuisse Arimaspea hæc, multis suâ ætate, sibique adeò persuasum fuisse monet Dionysius Halicarnasseus. Et verò jam à vetustissimis temporibus scriptiones supponebantur, et antiquis inscribebantur nominibus, velut Cadmi Milesii historia, teste eodem Dionysio. Onomacritus quoque poemata sua splendido Orphei nomine decoravit, eaque tradita ab Orpheo doctrina refersit. Crater Zopyri Heracleotæ Orpheo quoque adscriptus est; adscriptus eidem descensus ad inferos Prodici Samii, vel juxtà Epigenem, Cercopis Pythagorei; quædam et à Pythagorâ ei adscripta sunt, ut narrabat Ion Chius in Trigrammis; adscriptus ei et Peplus, et Physica Brontini Metapontini, Pythagorei philosophi, Theanus mariti. Hæc aliaque hujus argumenti Clemens Alexandrinus et Suidas commemorant, quorum pleraque à Pythagoreis conficta sunt; undè scias, quàm ad libros alienis nominibus inscribendos, et ad omne mendaciorum genus cudendum proclives fuerint hujus sectæ homines. Igitur Aristeæ Proconnesii nomine Arimaspea scripta fuerunt, in quibus poeta, quicumque tandem ille fuit, sub Aristeæ personâ, Phœbo se correptum Issedonas, et Arimaspos, aliosque populos adiisse dicebat. « Aristeas, inquit Herodotus, Caustrobii filius, vir Proconnesius, cùm scriberet versus, narravit se adivisse Issedonas, cùm Phœbo esset agitatus. » Frequens hoc est apud poetas. Sic Horatius Phœbi citharâ excitatum, et amabili insaniâ delusum per lucos errare se ait (Horat. Carm. libr. 3, Od, 4). Idem alibi, Od. 19 :

Quò me, Bacche, rapis tui
Plenum? quæ in nemora, aut quos agor in specus,
Velox mente novâ?

Musarum amore instinctos per avia Parnassi raptari se canunt Lucretius et Virgilius. Αἰθέριον οἶστρον appellat auctor Argonauticorum, quæ Orphei nomen præferunt. Dionysius Pe-

riegetes Caspium mare descripturus, non id quidem se vidisse fatetur :

Sed me Musarum impellit animus, quæ possunt
Sine erratione ingentes maris tractus emetiri,
Et montes, et continentem, et æthereum astrorum
curriculum.

Simile quippiam præfatus fuerat Aristeas ille : quod ἀλληγορικῶς, et poetico more dictum, κατὰ λέξιν interpretati sunt Pythagorei, atque indè πλατὺν λῆρον (sic appellat Tzetzes) καὶ ψυχρομυθουργίαν contexuerunt. Conjecturam nostram penitùs confirmat Maximus Tyrius : scribit enim Aristeam philosophum, cùm parùm fidei inter suos meruisset, quòd esset αὐτοδίδακτος, finxisse animam suam, relicto corpore, sublimem evolâsse, et ex æthere universas orbis perlustrâsse gentes, earumque ritus, et totam naturæ didicisse historiam, cœlumque ipsum cognovisse. Tùm subjungit Maximus, plus hâc arte fidei consecutum esse Aristeam, quàm Xenagoram, aut Xenophanem, rerum naturam simpliciùs explicantes : « Nec enim satis, inquit, noverant homines peregrinationem animæ, nec quibus illa oculis singula perspiciat; sed persuasum habebant animæ reipsâ peregrinandum esse, si de singulis vera proloqui vellet. » Alibi etiam docet, quid sit peregrinatio illa animæ, et sejunctio à corpore, contemplatio nimirùm, quam à rebus abducta corporeis ad veritatis cognitionem mens instituit. Multiplici igitur mendacio obsita sunt, quæ de Aristeâ Proconnesio narrantur. Falsum est Aristeam Arimaspea scripsisse Quæ in Arimaspeis scripta erant, gerræ erant meræ et nugæ persolæ. Quæ in Arimaspeis poetico more et κατὰ σχῆμα dicta fuerant, perperàm exposita sunt κατὰ λέξιν. Quæ de prisco Aristæo, Cadmi genero Apollinis et Cyrenes filio, dicta sunt, eorum pleraque Aristeæ Proconnesio sunt adscripta. Atque hæc ipsa denique, quæ de veteri illo Aristæo legimus, poetarum figmenta sunt et fabulæ. Quibus cognitis, quisquamne erit tàm supinæ stoliditatis, ut veteri huic næniæ de Aristeæ reditu ad vitam credulam aurem præbere velit?

7° Nihilo veriora sunt quæ de Cleomede Astypalæensi perhibentur. Ferunt eum pugilatu Iccum quemdam interfecisse; verùm cùm ab Hellanodicis victoriæ præmio fraudatus esset, mentis impotem esse factum; tùm reversum deindè Astypalæam, introiisse in litterarium ludum, in quo pueri complures instituebantur; convulsâque columnâ, quæ totius ædificii culmen sustinebat, labefecisse domum, et pueros oppressisse; tùm permotos injuriâ Astypalæenses hominem lapidibus esse insectatos; ipsum verò in Minervæ confugisse templum, et in arcam fortè illìc repertam sese conclusisse; cujus operculum aperire cùm diù frustràque tentâssent cives, arcam refregisse tandem, nec intùs Cleomedem vel vivum vel mortuum apparuisse, consultumque super eo portento oraculum, jussisse sacrificia Cleomedi heroum postremo fieri. Unam hanc esse è commentitiis Græcorum fabulis, non Origenes modò adversus Celsum, sed Plutarchus quoque in Romulo asseverat; qui et addit, non minoris esse vecordiæ terram cœlo miscere, hoc est fœneum hominem in deos referre, quàm virtuti divinitatem detrahere. Lepidè quoque putidum figmentum deridet Oenomaus apud Eusebium. Ut taceam prodiisse isthæc ex Samsonis historiâ.

8° Anilis quoque de Hermotimo Clazomenio fabula jactatur, solitam ipsius animam corpore excedere, et longè diùque evagari; quæ in remotis locis fierent explorare, et in corpus reversam palàm nuntiare; futurorum etiam assequi notitiam, dùm errat extrà corpus, et siccitates, terræ motus, aliasque calamitates prædicere : quoad corpus animâ defectum, de licentiâ uxoris nacti ipsius inimici, sic tanquàm mortuum cremârunt; redeuntemque animam, nec tectum quo reciperetur habentem, nunquàm posteà reversuram evolâsse; Clazomenios verò religione tactos fanum ipsi excitâsse, quo mulieribus ingredi nefas esset. Pro fabulâ merâ id habent Lucianus et Apollonius Dyscolus, quamvis ethnici; ut de Tertulliano et Origene sileam. Plinius verò Hermotimi corpus, non planè mortuum, sed semianime jacuisse tradidit.

9° Quod de diuturno illo Epimenidis Cretensis somno memoratur, somnium est ex eburneâ portâ. Narrant enim rus à patre missum, cùm meridiani æstûs vitandi causâ declinâsset de viâ, et in antro recubuisset, per annos plus quàm quinquaginta sopitum jacuisse; ac tandem expergefactum rediisse domum, ignotosque omnes offendisse, ignotum ipsum omnibus, præterquàm minori fratri, ex quo rerum quæ gererentur notitiam habuit; deinde verò intrà tot dies senem esse factum, quot annos obdormierat; atque hinc porrò magnam ejus fuisse inter Græcos celebritatem, et carum diis esse habitum, ità ut post mortem sacrificiis ipsum Cretenses, haud secùs ac deum, prosequerentur. Magnam esse horum fabulositatem testem dabo Plinium; dabo et Diogenem Laertium,

qui negare quosdam scribit dormiisse ipsum tot annos, sed exspatiantem rei herbariæ diù vacâsse; Maximum quoque Tyrium dabo, qui fabulam hanc ab Epimenide confictam esse putat, ut vitam humanam diuturno somnio similem esse doceret. Id tamen commentum causæ fuisse puto, cur animam ad libitum emisisse et revocâsse dictus sit ab Hesychio Milesio et Suidâ. Quanquam Diogenes Laertius auctor est, id ipsum de se jactâsse, sibique arrogâsse.

10° At mulieri illi, quæ per septem, vel juxtà alios, per triginta dies cum ἄπνους jacuisset, ad vitam revocata est, nihil præter naturam contigit. Hysterico morbo laborantes fœminæ similibus obnoxiæ sunt affectibus. Quòd si morbidæ parti medicamentis succurratur, spiritus redit, et revixisse videntur, quæ nec obierant. Plinius in eo capite, quo de his disserit qui elati revixerunt, in eam quam dixi causam confert mulieris hujus casum, quæ obiisse credita, vitæ restituta est. Galenus in libris περὶ τῶν πεπονθότων τόπων jacuisse quidem ait mulierem hanc ἀπνοῦν καὶ ἄσφυκτον, à mortuis verò hoc solo discrepantem, quod mediæ corporis partes aliquantùm caloris retinere videbantur; et magnam inter medicos temporum illorum concertationem fuisse addit ex Heraclide, exstinctane penitùs fuisset; tùm deindè ostendit mulieres nonnunquàm morbis uteri ità esse affectas, ut vix à mortuis internosci possent. Cæterùm Diogenes Laertius indicat mulierem illam, Empedoclis ope sanitatem recepisse, undè et magnam hunc gloriam et medici titulum fuisse consecutum; rei autem historiam Pausaniæ Geloo subindè narrâsse Empedoclem, atque à Pausaniâ fuisse relatam in litteras. Multò post deindè librum super eodem argumento conscripsit Heraclides Ponticus.

11° Legitur apud Platonem libro decimo de Republicâ, Erem quemdam, genere Pamphylum, Harmonii filium (perperàm enim legitur vulgò, Ἠρὸς τοῦ Ἀρμενίου, cùm legi debeat, τοῦ Ἁρμονίου hoc est, *Eris, qui Harmonii filius fuit*, ut ex Plutarchi Symposiacis, et ex Æneæ Gazæi Theophrasto cognoscitur), cùm in bello cecidisset, et post decem dies cum aliis cadaveribus jam tabefactis fuisset sublatus, corpore integro esse repertum. Post biduum deindè rogo impositum revixisse, et quæ sibi visa essent apud inferos commemorâsse. Quid ex hâc narratione colligi possit, facilè perspiciet qui totam perlegerit, adeò profanæ vanitatis plena est. Sirenes illic, et Parcas Necessitatis filias reperias, aliaque similia mythologorum deliria. Itaque Plato, quidquid hujus est, *mythum* et *apologum* appellat. A multis irrisam hanc historiam dolebat Cicero, ut refert Macrobius, qui à Platone hoc omninò confictum non pronuntiat, sed innuit visum fuisse Erem vitam effundere, animamque recipere, quam reverà non amiserat. Auctor est etiam Augustinus, sub finem operis de Civitate Dei, lib. 22 cap. 28, hanc Platonis historiam sic tetigisse Tullium in libris de Republicâ, « *ut eum lusisse potiùs, quàm* « *quòd id verum esset, affirmet dicere voluisse.* » Nec dubitat Plutarchus fabulam eam appellare, undè allegoricus sensus sit expromendus; Erem enim, Harmonii filium, de animorum statu disserentem fuisse introductum, ut doceremur animos secundùm Harmoniam generari, et adjungi corporibus, à quibus digressos in aerem se conferre, ut denuò nascantur.

12° Quam verò puellam ad vitam revocare visus est Apollonius Tyaneus, eam animi passam esse deliquium, exstinctam penitùs non fuisse, ipse rei narrator satis indicat Philostratus : τεθνάναι ἐδόκει, inquit, *obiisse videbatur*. Deindè : « Puellam excitavit ex hâc morte quam videbatur oppetiisse. » Tùm subnectit : « Sive scintillam animæ in eâ repererit, quæ medicos latuerit (aiunt enim tunc exiguum rorem de cœlo cecidisse, illam verò halitum ore emisisse), sive animam exstinctam refoverit et recreaverit, difficilis est rei cognitio, non mihi solùm, sed et his qui aderant. » Adde fictitium hoc portentum ex veris Christi Jesu miraculis esse conflatum, cùm Jairi archisynagogi filiam, et viduæ Naimitanæ filium ad vitam redire jussit. Ut autem vires eundo figmenta acquirunt, quod ab hæsitante et incerto Philostrato fuerat proditum, id confidenter Vopiscus asseveravit. Verùm vel coætaneorum, vel proximè sequentis ætatis scriptorum nullus tanti meminit miraculi; quibus tamen non prodigia solùm, sed insolitos etiam quoslibet eventus superstitiosè colligere mos est. Legatur Eusebii libellus adversùs Hieroclem, in quo fabulam hanc, ut alias Philostrati plerasque, argumentis obtrivit. Plures superiorum istarum consimiles proferuntur historiæ, sed ferè commentitiæ ac falsæ; quod apertè prædicat Plinius, apertiùs etiam Plutarchus, cum vanitatem patefecit fatuæ illius Romanorum opinionis, quam de Romuli raptu in cœlum temerè susceperunt.

Demus tamen vitam recepisse plerosque, quod et sæpiùs factum esse sacræ nos Litteræ docent, nihil hæc certè ad Christum Jesum, qui ità revixit, ut jam ampliùs morti non sit

obnoxius; alii verò ità morte exempti sunt, ut vitam iterùm amiserint. Undè in irritum cadunt, quæcumque indè adversùs reditum Christi ad vitam Celsus procudit.

CAPUT CXLIII.

Jesus homines peccatis absolvit.

Gen. c. 3, v. 15 : « Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius; ipsum conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo illius. »

Isa. c. 1, v. 18 : « Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur; et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt. »

Isa. c. 4, v. 3, 4 : « Et erit : Omnis qui relictus fuerit in Sion, et residuus in Jerusalem, sanctus vocabitur, omnis qui scriptus est in vitâ in Jerusalem; si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, et sanguinem Jerusalem laverit de medio ejus in spiritu judicii, et spiritu ardoris. »

Isa. c. 25, v. 7 : « Et præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, et telam quam orditus est super omnes nationes. Præcipitabit mortem in sempiternum, et auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, et opprobrium populi sui auferet de universâ terrâ, quia Dominus locutus est. »

Isa. c. 27, v. 9 : « Idcircò super hoc dimittetur iniquitas domui Jacob ; et iste omnis fructus, ut auferatur peccatum ejus, cùm posuerit omnes lapides altaris, sicut lapides cineris allisos, non stabunt luci et delubra. »

Isa. c. 42, v. 6 : « Ego Dominus vocavi te in justitiâ, et apprehendi manum tuam, et servavi te. Et dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum, et educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris. »

Isa. c. 43, v. 24, 25 : « Verumtamen servare me fecisti in peccatis tuis; præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, et peccatorum tuorum non recordabor. »

Isa. c. 44, v. 22 : « Delevi ut nubem iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata tua. »

Isa. c. 49, v. 8, 9 : « Hæc dicit Dominus : In tempore placito exaudivi te, et in die salutis auxiliatus sum tuî; et servavi te, et dedi te in fœdus populi, ut suscitares terram, et possideres hæreditates dissipatas, ut diceres his qui vincti sunt : Exite, et his qui in tenebris : Revelamini.

Isa. c. 52, v. 15 : « Iste asperget gentes multas. »

Isa. c. 53, v. 11 : « In scientiâ suâ justificabit ipse justus servus meus multos. »

Isa. c. 61, v. 1 *et seq.* : « Spiritus Domini super me, eo quòd unxerit Dominus me ; ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et prædicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem; ut prædicarem annum placabilem Domino, et diem ultionis Deo nostro. »

Jerem. c. 31, v. 31 *et seq.* : « Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israel, et domui Juda fœdus novum... omnes enim cognoscent me à minimo eorum usque ad maximum, ait Dominus; quia propitiabor iniquitati eorum, et peccati eorum non memorabor ampliùs. »

Jerem. c. 33, v. 6 *et seq.* : « Ecce ego obducam eis cicatricem, et sanitatem, et curabo eos; et revelabo illis deprecationem pacis et veritatis; et convertam conversionem Juda, et conversionem Jerusalem; ædificabo eos sicut à principio, et emundabo illos ab omni iniquitate suâ, in quâ peccaverunt mihi, et propitius ero cunctis iniquitatibus eorum, in quibus deliquerunt mihi, et spreverunt me. »

Jerem. c. 50, v. 20 : « In diebus illis, et in tempore illo, ait Dominus, quæretur iniquitas Israel, et non erit; et peccatum Juda, et non invenietur, quoniam propitius ero eis quos reliquero. »

Ezech. c. 11, v. 17 *et seq.* : « Hæc dicit Dominus Deus : Congregabo vos de populis, et adunabo de terris in quibus dispersi estis, daboque vobis humum Israel : et ingredientur illùc, et auferent omnes offensiones, cunctasque abominationes ejus de illâ. Et dabo eis cor unum, et spiritum novum tribuam in visceribus eorum, et auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum, ut in præceptis meis ambulent, et judicia mea custodiant, faciantque ea, et sint mihi in populum, et ego sim eis in Deum. »

Ezech. c. 36, v. 25 *et seq.* : « Et effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris et ab universi idolis vestris mundabo vos. Et dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestrî, et auferam cor lapideum de carne vestrâ, et dabo vobis cor carneum. Et spiritum meum ponam in medio vestrî, et faciam ut in præceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis, et operemini. »

Dan. c. 9, v. 24 : « Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur

prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio, et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum. »

Mich. c. 7, v. 18 *et seq.* : « Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem, et transis peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ? Non immittet ultrà furorem suum, quoniam volens misericordiam est. Revertetur et miserebitur nostri; deponet iniquitates nostras, et projiciet in profundum maris omnia peccata nostra. Dabis veritatem Jacob, misericordiam Abraham; quæ juràsti patribus nostris à diebus antiquis. »

Zach. c. 3, v. 8, 9 : « Ecce enim adducam servum meum Orientem; quia ecce lapis, quem dedi coràm Jesu; super lapidem unum septem oculi sunt; ecce ego cælabo sculpturam ejus, ait Dominus exercituum, et auferam iniquitatem terræ illius in die unâ. »

Zach. c. 13, v. 1 : « In die illâ erit fons patens domui David, et habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris et menstruatæ. »

Matth. c. 9, v. 2 *et seq.* : « Et videns Jesus fidem illorum, dixit paralytico : Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua. Et ecce quidam de scribis dixerunt intrà se : Hic blasphemat. Et cùm vidisset Jesus cogitationes eorum dixit : Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est facilius dicere : Dimittuntur tibi peccata tua, an dicere : Surge et ambula? Ut autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terrâ dimittendi peccata, tunc ait paralytico : Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam. Et surrexit, et abiit in domum suam. » Et Marc. 2, v. 1 et seq. Luc. c. 5, v. 18 et seq.

Matth. c. 9, v. 10 *et seq.* : « Et factum est discumbente eo in domo, ecce multi publicani et peccatores venientes discumbebant cum Jesu et discipulis ejus. Et videntes Pharisæi dicebant discipulis ejus : Quare cum publicanis et peccatoribus manducat Magister vester? At Jesus audiens ait : Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus. Euntes autem discite quid est : *Misericordiam volo, et non sacrificium;* non enim veni vocare justos, sed peccatores. » Et Marc. c. 2, v. 15 et seq. Luc. c. 5, v. 29 et seq.

Matth. c. 16, v. 19 : « Et tibi dabo claves regni cœlorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in terris. » Et c. 18, v. 18.

Matth. c. 26, v. 27, 28 : « Et accipiens calicem gratias egit, et dedit illis dicens : Bibite ex hoc omnes; Hic est enim sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. » Et Marc. c. 14, v. 24. Luc. c. 22, v. 20. et 1 Cor. c. 11, v. 25 et seq.

Luc. c. 4, v. 16 *et seq.* : « Et venit Nazareth, ubi erat nutritus, et intravit secundùm consuetudinem suam die sabbati in Synagogam, et surrexit legere. Et traditus est illi liber Isaiæ prophetæ. Et ut revolvit librum, invenit locum, ubi scriptum erat : *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me; evangelizare pauperibus misit me; sanare contritos corde, prædicare captivis remissionem, et cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum, et diem retributionis...* Cœpit autem dicere ad illos : Quia hodiè impleta est hæc scriptura in auribus vestris. »

Luc. c. 7, v. 44 *et seq.* : « Et conversus ad mulierem dixit Simoni : Vides hanc mulierem?.. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm... Dixit autem ad illam : Remittuntur tibi peccata. Et cœperunt qui simul accumbebant dicere intra se : Quis est hic, qui etiam peccata dimittit? »

Luc. c. 24, v. 45 *et seq.* : « Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas, et dixit eis : Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere à mortuis tertiâ die; et prædicari in nomine ejus pœnitentiam, et remissionem peccatorum in omnes gentes. »

Joan. c. 20, v. 22, 23 : « Hæc cùm dixisset, insufflavit, et dixit eis : Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt. »

Act. c. 5, v. 30, 31 : « Deus patrum nostrorum suscitavit Jesum, quem vos interemistis, suspendentes in ligno. Hunc Principem et Salvatorem exaltavit Deus dexterâ suâ, ad dandam pœnitentiam Israeli, et remissionem peccatorum. »

Act. c. 10, v. 43 : « Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes qui credunt in eum. »

Act. c. 13, v. 38, 39 : « Notum igitur sit vobis, viri fratres, quia per hunc vobis remissio peccatorum annuntiatur, et ab omnibus

quibus non potuistis in lege Moysi justificari, in hoc omnis qui credit, justificatur. »

Act. c. 26, v. 15 *et seq.* : « Ego sum Jesus, quem tu persequeris. Sed exsurge, et sta super pedes tuos; ad hoc enim apparui tibi, ut constituam te ministrum et testem eorum quæ vidisti, et eorum quibus apparebo tibi, eripiens te de populo et gentibus, in quas nunc ego mitto te, aperire oculos eorum, ut convertantur à tenebris ad lucem; et de potestate Satanæ ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum, et sortem inter sanctos per fidem quæ est in me. »

Rom. c. 3, v. 24 *et seq.* : Justificati gratìs per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem, per fidem, in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum, in sustentatione Dei, ad ostensionem justitiæ ejus in hoc tempore, ut sit ipse justus, et justificans eum qui est ex fide Jesu Christi. »

Rom. c. 4, v. 24, 25 : « Qui suscitavit Jesum Christum Dominum nostrum à mortuis, qui traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram. »

Rom. c. 5, v. 9 *et seq.* : « Christus pro nobis mortuus est; multò igitur magis nunc justificati in sanguine ipsius salvi erimus ab irâ per ipsum... Sed non sicut delictum, ità et donum; si enim unius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia Dei, et donum in gratiâ unius hominis Jesu Christi in plures abundavit... Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multò magis abundantiam gratiæ, et donationis, et justitiæ accipientes, in vitâ regnabunt per unum Jesum Christum. Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ità et per unius obeditionem justi constituentur multi. Lex autem subintravit, ut abundaret delictum. Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia; ut sicut regnavit peccatum in mortem, ità et gratia regnet per justitiam in vitam æternam, per Jesum Christum Dominum. »

Rom. c. 7, v. 6 : « Nunc autem soluti sumus à lege mortis, in quâ detinebamur. »

Rom. c. 11, v. 25 *et seq.* : « Nolo enim vos ignorare, fratres, mysterium hoc (ut non sitis vobis ipsis sapientes), quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret, sicut scriptum est : *Veniet in Sion, qui eripiat et avertat impietatem à Jacob.* Et hoc illis à me testamentum, cùm abstulero peccata eorum. »

1 *Cor.* c. 6, v. 11 : « Et hæc quidem fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi. »

1 *Cor.* c. 15, v. 3 : « Quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundùm Scripturas. »

Gal. c. 2, v. 16 : « Scientes autem quòd non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi, et nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi, et non ex operibus legis.

Eph. c. 1, v. 7 : « In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, secundùm divitias gratiæ ejus, quæ superabundavit in nobis. » Et Col. c. 1, v. 14.

Col. c. 2, v. 13, 14 : « Et vos cùm mortui essetis in delictis, et præputio carnis vestræ, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta; delens quod adversùs nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci, et exspolians principatus et potestates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in semetipso. »

Tit. c. 2, v. 13, 14 : « Exspectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.

Hebr. c. 1, v. 3 : « Qui cùm sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis. »

Hebr. c. 2, v. 17, 18 : « Undè debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, et fidelis pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi. In eo enim in quo passus est ipse et tentatus, potens est et eis qui tentantur auxiliari. »

Hebr. c. 7, v. 25 : « Undè et salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis. »

Hebr. c. 8, v. 8 *et seq.* : « Vituperans enim eos dicit : Ecce dies venient, dicit Dominus, et consummabo super domum Israel, et super domum Juda testamentum novum..... Omnes

scient me à minore usque ad majorem eorum, quia propitius ero iniquitatibus eorum, et peccatorum eorum jam non memorabor. »

Hebr. c. 9, v. 13 *et seq.* : « Si enim sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quantò magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi ?..... Nunc autem semel in constitutione seculorum, ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit. Et quemadmodùm statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium, sic et Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata. »

Hebr. c. 10, v. 10 *et seq.* : « In quâ voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel. Et omnis quidem sacerdos præstò est quotidiè ministrans, et easdem sæpè offerens hostias, quæ nunquàm possunt auferre peccata : hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dexterâ Dei....... unâ enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos....... Habentes itaque, fratres, fiduciam in introitu Sanctorum, in sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam, et viventem per velamen, id est carnem suam, et sacerdotem magnum super domum Dei, accedamus cum vero corde, in plenitudine fidei..... Irritam quis faciens legem Moysi, sine ullâ miseratione, duobus vel tribus testibus moritur; quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est ? »

Hebr. c. 13, v. 12 : « Propter quod et Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extrà portam passus est. »

1 *Petr.* c. 1, v. 2 : « Secundùm præscientiam Dei Patris, in sanctificationem Spiritûs, in obedientiam, et aspersionem sanguinis Jesu Christi. »

1 *Petr.* c. 3, v. 18 : « Quia et Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo. »

1 *Joan.* c. 1, v. 7, 9 : « Sanguis Jesu Christi, filii ejus, emundat nos ab omni peccato..... Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et justus, ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate. »

1 *Joan.* c. 2, v. 1, 2, 12 : « Sed et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi..... Scribo vobis, filioli, quoniam remittuntur vobis peccata propter nomen ejus. »

1 *Joan.* c. 4, v. 10 : « In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris. »

Apoc. c. 1, v. 5 : « Et à Jesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, et princeps regum terræ, qui dilexit nos, et lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo. »

In primo testimonio, quod è tertio Geneseos capite depromptum est, à Vulgatâ recessimus, quæ sic habet : *Inimicitias ponam inter te, et mulierem; et semen tuum, et semen illius; ipsa conteret caput tuum.* Nos vertimus : *Ipsum conteret caput tuum,* ut intelligatur, *Semen,* hebraicè זרע, quod cùm sit generis masculini, sequitur הוא, masculini item generis. Auctores sequimur Irenæum, et Cyprianum, et Onkelon. Nonnulli quoque Vulgatæ editionis codices manuscripti habent *ipse,* ut in variis lectionibus adnotârunt Lovanienses theologi. Sic Septuaginta reddiderunt αὐτὸς, licet præcedat σπέρμα, *semen,* ratione nimirùm habitâ significati, non significantis. Quanquàm Vulgata interpretatio suâ defensione non caret, quæ peti potest ex Bellarmino, de verb. Dei, lib. 2, cap. 12, aliisque eruditis scriptoribus. Frustrà autem in dubium vocata est hebraici exemplaris fides, quam samariticum confirmat, iisdem expressis elementis.

CAPUT CXLIV.

Jesus peccata hominum ipse portavit.

Isa. c. 53, v. 4 *et seq.* : « Verè languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit, et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum à Deo, et humiliatum; ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras; attritus est propter scelera nostra; disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus; unusquisque in viam suam declinavit, et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm..... propter scelera populi mei percussi eum..... Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum..... in scientiâ suâ justificabit ipse justus servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit. Ideò dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia, pro eo quòd tradidit in mortem animam suam, et

cum sceleratis reputatus est; et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit. »

Thren. c. 4, v. 20 : « Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris; cui diximus: In umbrâ tuâ vivemus in gentibus. »

Joan. c. 1, v. 29 : « Alterâ die vidit Joannes Jesum venientem ad se, et ait : Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. »

2 *Cor.* c. 5, v. 21 : « Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso. »

Gal. c. 3, v. 13 : « Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum; quia scriptum est : Maledictus omnis qui pendet in ligno. »

1 *Petr.* c. 2 v. 24 : « Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitiæ vivamus, cujus livore sanati estis. »

1 *Joan.* c. 3, v. 5 : « Et scitis quia ille apparuit, ut peccata nostra tolleret, et peccatum in eo non est. »

Hominum noxas laturum Messiam Judæi nobiscum sentiunt. Testis R. Samuel in libro Sanctorum; testis et R. Abraham Schalom; quocircà Messias Judæis dicitur, *vir expiationis*, ut habetur in Midrasch Schir hasschirim.

CAPUT CXLV.

Jesus homines sanguine suo redemit.

Gen. c. 49, v. 11 : « Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ pallium suum. »

Job. c. 19, v. 25 : Scio enim quod redemptor meus vivit, et in novissimo die de terrâ surrecturus sum. »

Psalm. 13, v. 7 : « Quis dabit ex Sion salutare Israel? cum adverterit Dominus captivitatem plebis suæ, exsultabit Jacob, et lætabitur Israel. »

Psalm. 33, v. 23 : « Redimet Dominus animas servorum suorum, et non delinquent omnes qui sperant in eo. »

Psalm. 106, v. 2 *et seq.*: « Dicant qui redempti sunt à Domino, quos redemit de manu inimici.... Et clamaverunt ad Dominum cùm tribularentur, et de necessitatibus eorum liberavit eos, et eduxit eos de tenebris et umbrâ mortis, et vincula eorum disrupit... Misit Verbum suum, et sanavit eos, et eripuit eos de interitionibus eorum.

Psalm. 110, v. 9 : Redemptionem misit populo suo, mandavit in æternum testamentum suum. »

Psalm. 129, v. 7, 8 : « Quia apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio; et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus ejus. »

Isa. c. 42, v. 6, 7 : « Ego Dominus vocavi te in justitiâ, et apprehendi manum, et servavi te, et dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum, et educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris. »

Isa. c. 43, v. 1 : « Et nunc hæc dicit Dominus creans te, Jacob, et formans te, Israel: Noli timere, quia redemi te, et vocavi te nomine tuo ; meus es tu, »

Isa. c. 44, v. 22, 23: « Delevi ut nubem iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata tua; revertere ad me, quoniam redemi te. Laudate, cœli, quoniam misericordiam fecit Dominus, jubilate, extrema terræ; resonate, montes, laudationem, saltus et omne lignum ejus; quoniam redemit Dominus Jacob, et Israel gloriabitur. »

Isa. c. 45, v. 17 : « Israel salvatus est in Domino salute æternâ. »

Isa. c. 49, v. 7 *et seq.*; « Hæc dicit Dominus redemptor in Israel; sanctus ejus ad contemptibilem animam, ad abominatam gentem, ad servum dominorum... Hæc dicit Dominus : In tempore placito exaudivi te, et in die salutis auxiliatus sum tui, et servavi te, et dedi te in fœdus populi, ut suscitares terram, et possideres hæreditates dissipatas; ut diceres his qui vincti sunt: Exite, et his qui in tenebris : Revelamini... Et sciet omnis caro, quia ego Dominus salvans te, et redemptor tuus fortis Jacob. »

Isa. c. 50, v. 1, 2 : « Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis, et in sceleribus vestris dimisi matrem vestram ; quia veni, et non erat vir; vocavi, et non erat qui audiret. Numquid abbreviata et parvula facta est manus mea, ut non possim redimere ? aut non est in me virtus ad liberandum ?

Isa. c. 52, v. 1 *et seq.* : «Consurge, consurge, induere fortitudine tuâ, Sion; induere vestimentis gloriæ tuæ, Jerusalem, civitas Sancti : quia non adjiciet ultrà, ut pertranseat per te incircumcisus et immundus. Excutere de pulvere, consurge, sede, Jerusalem ; solve vincula colli tui, captiva filia Sion; quia hæc dicit Dominus : Gratis venumdati estis, et sine argento redimemini. »

Isa. c. 59, v. 19 *et seq.* : « Et timebunt qui ab occidente nomen Domini; et qui ab ortu solis, gloriam ejus; cùm venerit quasi fluvius violentus, quem spiritus Domini cogit, et venerit Sion redemptor, et eis qui redeunt ab iniquitate in Jacob, dicit Dominus. Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus : Spiritus meus qui est in te, et verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, et de ore seminis tui, et de ore seminis tui, dicit Dominus, à modò et usque in sempiternum. »

Isa. c. 63, v. 11 *et seq.* : « Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosrâ; iste formosus in stolâ suâ, gradiens in multitudine fortitudinis suæ? Ego qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum..... Dies enim ultionis in corde meo; annus redemptionis meæ venit... Et dixit : Verumtamen populus meus est, filii non negantes, et factus est eis salvator. In omni tribulatione eorum non est tribulatus, et Angelus faciei ejus salvavit eos : in dilectione suâ, et in indulgentiâ suâ ipse redemit [illegible] portavit eos, et [illegible]avit eos cunctis di[illegible] seculi... Tu enim pa[illegible]ter, et Abraham nescivit nos, et Israel ignoravit nos; tu Domine, pater noster, redemptor noster, à seculo nomen tuum. »

Jerem. c. 31, v. 10, 11 : « Audite verbum Domini, gentes, et annuntiate in insulis quæ procul sunt, et dicite : Qui dispersit Israel, congregabit eum, et custodiet eum, sicut pastor gregem suum. Redemit enim Dominus Jacob, et liberavit eum de manu potentioris. »

Zach. c. 9, v. 11 : « Tu quoque in sanguine testamenti emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. »

Matth. c. 20, v. 28 : « Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis. » Et Marc. c. 10, v. 45.

Matth. c. 26, v. 28 : Hic est enim sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. » Et Marc. c. 14, v. 24. Luc. c. 22, v. 20 et 1. Cor c. 11, v. 25 et seq.

Luc. c. 1, v. 68 : « Benedictus Dominus Deus Israel quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suæ, et erexit cornu salutis nobis, in domo David pueri sui. Sicut locutus est per os Sanctorum, qui à seculo sunt Prophetarum ejus. Salutem ex inimicis nostris, et de manu omnium qui oderunt nos. Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, et memorari testamenti sui sancti. Jusjurandum quod juravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis : ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi. »

Luc. c. 24, v. 21 : Nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israel. »

Joan. c. 6, v. 54 *et seq.* : « Dixit ergò eis Jesus : Amen, amen, dico vobis : Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam; et ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro enim mea verè est cibus et sanguis meus verè est potus : qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo.

Joan. c. 8, v. 31 *et seq.* : « Dicebat ergò Jesus ad eos qui crediderunt ei Judæos : Si vos manseritis in sermone meo, verè disipuli mei eritis, et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos. Responderunt ei : Semen Abrahæ sumus et nemini servivimus unquàm; quomodò tu dicis : Liberi eritis? Respondit eis Jesus : Amen, amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, servus est pe[illegible] servus autem non manet in domo in æternum; filius autem manet in æternum. Si ergò vos Filius liberaverit, verè liberi eritis. »

Joan. c. 12, v. 32 : « Et ego si exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad meipsum. »

Act. c. 20, v. 28 : Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. »

Rom. c. 3, v. 24 *et seq.* : Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum, in sustentatione Dei, ad ostensionem justitiæ ejus in hoc tempore; ut sit ipse justus, et justificans eum qui est ex fide Jesu Christi. »

Rom. c. 5, v. 9 : « Christus pro nobis mortuus est : multo igitur magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab irâ per ipsum. »

1 *Cor.* c. 1, v. 30 : Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia à Deo, et justitia, et justificatio, et redemptio. »

1 *Cor.* c. 7, v. 22, 23 : « Qui enim in Domino vocatus est servus, libertus est Domini; similiter qui liber vocatus est, servus est Chri-

sti. Pretio empti estis; nolite fieri servi hominum. »

Gal. c. 1, v. 3, 4 : « Gratia vobis et pax à Deo Patre, et Domino nostro Jesu Christo, qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de præsenti seculo nequam. »

Gal. c. 3, v. 13 : « Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum; quia scriptum est : Maledictus omnis qui pendet in ligno. »

Gal. c. 4, v. 4, 5 : At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. »

Eph. c. 1, v. 7 : « In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, secundùm divitias gratiæ ejus, quæ superabundavit, in nobis, in omni sapientiâ et prudentiâ. »

Eph. c. 2, v. 13 : « Nunc autem in Christo Jesu, vos qui aliquandò eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi. »

Col. c. 1, v. 14 *et seq.* : « In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum... quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt. Et vos cùm essetis aliquandò alienati, et inimici sensu in operibus malis; nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem exhibere vos sanctos et immaculatos, et irreprehensibiles coràm ipso. »

1 *Tim.* c. 2, v. 5, 6 : « Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus; qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. »

Tit. c. 2, v. 13, 14 : « Exspectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis; ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. »

Hebr. c. 2, v. 14, 15 : Ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est diabolum, et liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti. »

Hebr. c. 9, v. 11 *et seq.* : Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum, non manu factum, id est, non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem, introivit semel in Sancta, æternâ redemptione inventa... Et ideò novi testamenti mediator est, ut morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant qui vocati sunt æternæ hæreditatis. »

1 *Petr.* c. 1, v. 18, 19 : Scientes quòd non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vanâ vestrâ conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi.

Apoc. c. 5, v. 9 : Et cantabant canticum novum dicentes : Dignus es, Domine, accipere librum, et aperire signacula ejus, quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni tribu, et linguâ et populo, et natione. »

Apoc. c. 7, v. 14 : « Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magnâ, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni. »

Apoc. c. 22, v. 14 : Beati qui lavant stolas suas in sanguine Agni, ut sit potestas eorum in ligno vitæ, et per portas intrent in civitatem. »

Evicimus suprà signatum esse Christum eâ prædictione Zachariæ, quæ habetur noni capitis commate undecimo. Alloquitur Deus filiam Sion, quæ typus est Ecclesiæ Christi. Fœdus autem icit Ecclesia cum Deo per sanguinem Christi, cujus beneficio libertatem sunt adepti, qui diaboli, inferorum, ac peccati vinculis obstricti tenebantur. Porrò pro eo quòd habet Vulgatus interpres, *Emisisti;* Septuaginta, ἐξαπέστειλας, in hebraico exemplari legitur, *emisi;* apud Jonathanem, *redemi*, quod pro futuro sumendum est, *emittam, redimam;* ità ut totius pericopes is sit intellectus : Ad te verò quod pertinet, ô Ecclesia, propter fœdus quod tecum per Filii mei sanguinem contraham, gnatos tuos inferorum, dæmonum ac peccatorum vinculis oppressos captivitate eximam. Messiam hîc notari sciunt Thalmudistæ, et R. Selomoh Jarchi. Hunc autem laboribus, pœnisque attritum, nobis felicitatem promeriturum traditur in Siphre. Sciscunt prætereà Thalmudistæ in libro Joma nonnisi effuso sanguine peccata iri condonatum; atqui proximè probatum est per Christum nos solutum iri peccatis; undè sequitur per Christi sanguinem homines veniam peccatorum esse adepturos. Atqui nota quoque hæc in Jesum pulchrè convenit, qui et morti proximus sanguinem suum dixit *pro multis effusum iri in remissionem pecca-*

torum, et idem jam discipulos suos futurum præmonuerat. Quæ cùm ità sint, patet nihil hic videre eos qui aliorsùm prædictionem Zachariæ convertunt, puta Jonathanem ejusque sequacem Grotium, qui Agnum Paschalem, et ægyptiacam servitutem, et aridos Arabiæ campos, auctorem Prologi Echa Rabbathi, qui circumcisionem, aut eos denique qui captivitatem babylonicam testimonio hoc notari putant.

CAPUT CXLVI.

Baptismum Jesus instituit.

Psalm. 50, v. 9 : « Lavabis me et super nivem dealbabor. »

Isa. c. 1, v. 16 : « Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. »

Isa. c. 12, v. 3 : « Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris; et dicetis in die illâ : Confitemini Domino, et invocate nomen ejus. »

Isa. c. 52, v. 15 : « Iste asperget gentes multas; super ipsum continebunt reges os suum. »

Ezech. c. 36, v. 25 *et seq.* : « Et effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, et ab omnibus idolis vestris mundabo vos. Et dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestrî. »

Ezech. c. 47, v. 8 *et seq.* : « Et ait ad me : Aquæ istæ, quæ egrediuntur ad tumulos sabuli orientalis, et descendunt ad plana deserti, intrabunt mare, et exibunt, et sanabuntur aquæ. Et omnis anima vivens quæ serpit, quocumquè venerit torrens, vivet; et erunt pisces multi satis, postquàm venerint illùc aquæ istæ et sanabuntur, et vivent omnia ad quæ venerit torrens. Et stabunt super illas piscatores, ad Engaddi usque ad Engallim siccatio sagenarum erit; plurimæ species erunt piscium ejus, sicut pisces maris magni, multitudinis nimiæ. »

Zach. c. 13, v. 1 : « In die illâ erit fons patens domui David, et habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris et menstruatæ. »

Zach. c. 14, v. 8 : « Et erit in die illâ : Exibunt aquæ vivæ de Jerusalem; medium earum ad mare orientale, et medium earum ad mare novissimum, in æstate et in hyeme erunt. Et erit Dominus rex super omnem terram; in die illâ erit Dominus unus, et erit nomen ejus unum. »

Matth. c. 3, v. 11 : « Ego quidem baptizo vos in aquâ in pœnitentiam; qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare; ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni. » Et Marc. c. 1, v. 7, 8. Luc. c. 3, v. 16. Joan. c. 1, v. 33. Act. c. 12, v. 16.

Matth. c. 28, v. 18, 19 : « Et accedens Jesus locutus est eis dicens : Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terrâ; euntes ergò docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti. »

Marc. c. 16, v. 15, 16 : « Et dixit eis : Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ; qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erat.

Act. c. 2, v. 38, 41 : « Petrus verò ad illos : Pœnitentiam, inquit, agite, et baptizetur unusquisque vestrûm in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum... Qui ergò receperunt sermonem ejus, baptizati sunt. »

Act. c. 8 v. 12 *et seq.* : « Cùm verò credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, in nomine Jesu Christi baptizabantur viri ac mulieres. Tunc Simon et ipse credidit, et cùm baptizatus esset, adhærebat Philippo.. Cùm autem audissent Apostoli qui erant Jerosolymis, quòd recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem. Qui cùm venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum; nondùm enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantùm erant in nomine Domini Jesu. » Et Act. c. 16, v. 15, 33; et c. 18, v. 8.

Act. c. 8, v. 35 *et seq.* : « Aperiens autem Philippus os suum, et incipiens à Scripturâ istâ evangelizavit illi Jesum. Et dùm irent per viam, venerunt ad quamdam aquam, et ait eunuchus : Ecce aqua; quid prohibet me baptizari? Dixit autem Philippus : Si credis ex toto corde, licet. Et respondens ait : Credo Filium Dei esse Jesum Christum. Et jussit stare currum, et descenderunt uterque in aquam, Philippus et eunuchus, et baptizavit eum. »

Act. c. 9, v. 18 : « Et confestim ceciderunt ab oculis tanquàm squamæ, et visum recepit, et surgens baptizatus est. » Et Act. c. 22, v. 16.

Act. c. 10, v. 47, 48 : « Tunc respondit Petrus : Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt, sicut et nos? et jussit eos baptizari in nomine Domini Jesu Christi. »

Act. c. 19, v. 3 *et seq.* : « Ille verò ait : In quo ergò baptizati estis? Qui dixerunt : In Joannis baptismate. Dixit autem Paulus : Joan-

nes baptizavit baptismo pœnitentiæ, dicens: In eum qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est, in Jesum. His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Jesu. »

Rom. c. 6, v. 3, 4 : « An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodò Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ità et nos in novitate vitæ ambulemus. »

1 *Co.* c. 1, v. 13 *et seq.* : « Numquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis? Gratias ago Deo, quòd neminem vestrûm baptizavi, nisi Crispum et Caium: ne quis dicat quòd in nomine meo baptizati estis. Baptizavi autem et Stephanæ domum. Cæterùm nescio si quem alium baptizaverim : non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare. »

1 *Cor.* c. 6, v. 11 : « Et hæc quidem fuistis ; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri. »

Gal. c. 3, v. 27 : « Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. »

Eph. c. 4, v. 5 : « Unus Dominus, una fides, unum baptisma. »

Eph. c. 5, v. 25 *et seq.* : Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et seipsam tradidit pro eâ, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata. »

Col. c. 2, v. 12 : « Consepulti ei in baptismo, in quo et resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum à mortuis. »

Tit. c. 3, v. 5 : « Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritûs sancti. »

Hebr. c. 10, v. 22 : « Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda à conscientiâ malâ, et abluti corpus aquâ mundâ. »

1 *Petr.* c. 3, v. 20, 21 : Octo animæ salvæ factæ sunt per aquam; quod et vos nunc similis formæ salvos fecit baptisma; non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Jesu Christi. »

CAPUT CXLVII.

Jesus ascendit in cœlum.

Psalm. 23, v. 7 *et seq.* : « Attollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales, et introibit rex gloriæ. Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis et potens; Dominus potens in prælio. Attollite, portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales, et introibit rex gloriæ. Quis est iste rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est rex gloriæ. »

Psalm. 46, v. 6 *et seq.* : « Ascendit Deus in jubilo, et Dominus in voce tubæ...... Regnabit Deus super gentes; Deus sedet super sedem sanctam suam. »

Psalm. 67, v. 5 *et seq.* : « Cantate Deo; psalmum dicite nomini ejus; iter facite ei qui ascendit super occasum; Dominus nomen illi. ...... Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus....... Regna terræ, cantate Deo; psallite Domino, psallite Deo, qui ascendit super cœlum cœli ad Orientem. Ecce dabit voci suæ vocem virtutis; date gloriam Deo super Israel; magnificentia ejus, et virtus ejus in nubibus. »

Prov. c. 30, v. 4 : « Quis ascendit in cœlum, atque descendit? quis continuit spiritum in manibus suis? quis colligavit aquas quasi in vestimento? quis suscitavit omnes terminos terræ? quod est nomen ejus, et quod nomen filii ejus, si nôsti? »

Isa. c. 52, v. 13 : « Ecce intelliget servus meus, exaltabitur, et elevabitur, et sublimis erit valdè. »

Dan. c. 7, v. 13, 14 : « Aspiciebam ergò in visione noctis, et ecce cum nubibus cœli, quasi Filius hominis veniebat, et usque ad Antiquum dierum pervenit, et in conspectu ejus obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum; et omnes populi, tribus, et linguæ ipsi servient; potestas ejus, potestas æterna quæ non auferetur; et regnum ejus quod non corrumpetur. »

Zach. c. 14, v. 4 : « Et stabunt pedes ejus in die illâ super montem Olivarum, qui est contrà Jerusalem. »

Marc. c. 16, v. 19 : « Et Dominus quidem Jesus, postquàm locutus est eis, assumptus est in cœlum. » Et Luc. c. 24, v. 51.

Joan. c. 3, v. 13 : « Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo. »

Joan. c. 6, v. 63 : « Si ergò videritis Filium hominis ascendentem ubi erat priùs? »

Joan. c. 16, v. 16, 28 : « Modicum, et jam non videbitis me; et iterùm modicum, et videbitis me, quia vado ad Patrem...... Exivi à Patre, et veni in mundum; iterùm relinquo mundum, et vado ad Patrem. »

Joan. c. 20, v. 17 : « Dicit ei Jesus : Noli me tangere, nondùm enim ascendi ad Patrem meum, et Patrem vestrum; Deum meum, et Deum vestrum. »

Act. c. 1, v. 1 *et seq.* : « Primùm quidem sermonem feci de omnibus, ô Theophile, quæ cœpit Jesus facere et docere, usque in diem quâ præcipiens Apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est...... Et cùm hæc dixisset, videntibus illis, elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cùmque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri adstiterunt juxtà illos in vestibus albis, qui et dixerunt : Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum ? hic Jesus, qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodùm vidistis eum euntem in cœlum. » Et c. 1, v. 22.

Act. c. 2, v. 33 : « Dexterâ igitur Dei exaltatus, et promissione Spiritùs sancti acceptâ à Patre, effudit hunc quem vos videtis et auditis. Non enim David ascendit in cœlum; dixit autem ipse : *Dixit Dominus Domino meo : Sede à dextris meis, donec ponam inimicos meos scabellum pedum tuorum.* »

Act. c. 3, v. 21 : « Quem oportet quidem cœlum suscipere usque in tempora restitutionis omnium, quæ locutus est Deus per os sanctorum suorum à seculo Prophetarum. »

Act. c. 5, v. 31 : « Hunc principem et salvatorem Deus exaltavit dexterâ suâ, ad dandam pœnitentiam Israeli, et remissionem peccatorum. »

Eph. c. 4, v. 8 *et seq.* : « Propter quod dicit: *Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.* Quod autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit primùm in inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia. »

Phil. c. 2, v. 9 *et seq.* : « Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen; ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum; et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloriâ est Dei Patris. »

1 *Petr.* c. 3, v. 21, 22 : « Per resurrectionem Jesu Christi, qui est in dexterâ Dei, deglutiens mortem, ut vitæ æternæ hæredes efficeremur; profectus in cœlum, subjectis sibi Angelis, et potestatibus, et virtutibus.

1° Ad elevandum Christi in cœlum evecti miraculum, idem Apollonio Tyaneo contigisse veteres mentiti sunt. Philostratus quidem, à quo plani hujus vita ac res gestæ octo celebrantur libris, non eum duntaxat in cœlum fuisse elatum prædicat, sed tot etiam ac tanta de eo jactat miracula, ut occasionem indè habuerit Hierocles comparationis instituendæ Apollonium inter et Jesum Dominum, eo libro quem φιλαληθῆ inscripsit. Eunapius quoque, homo superstitionibus ad delirium usque deditus, et christiano nomini infensissimus, Philostrati opus, non Apollonii vitam, sed Dei adventum ad homines inscribi debuisse pronuntiat. Eadem latinis litteris consignare propositum habuerat Vopiscus, ut declarat ipse in vitâ Aureliani, ubi et talibus eum extollit præconiis, ac si non hominem laudare, sed Deum sibi conciliare vellet. Quodque miremur ampliùs, Sidonius Apollinaris, libr. 8. Epist. 3, hâc Philostrati lucubratione, exscriptisque indè à Nicomacho, et ex illis Nicomachi à Tascio Victoriano schedis, in fraudem illectus, eas in Apollonium contulit laudes, quæ christianum hominem parum deceant, neque ullam tot mendaciorum suboluisse ipsi auram demonstrent. In eâdem culpâ est Joannes Tzetzes, qui non Philostratum solùm, et eos quos secutus est Philostratus, sed et magnum prætereà Historicorum numerum prodigia ab Apollonio edita in litteras retulisse ait. Quæ quanquàm ità sunt, non alii tamen antè Philostratum hoc videntur tractâsse argumentum, præter Damidem Ninivitam, individuum Apollonii comitem, Maximum Ægiensem, et Mœragenem, quos se secutum profitetur Philostratus. Atque hi partes historiæ hujus delibaverant aliquas; totam verò primus Philostratus complexus est (de Vit. Apoll., lib. 1, cap. 3, et alibi passim). Fons ergò hic est, undè tot de Apollonio fabulæ manârunt. Ut autem intelligant homines christiani dogmatis excellentiam, cui quod opponeret cùm anxiè sollicitèque quæsiverit impietas, pueriles solùm fabulas anilesque nugas potuit comminisci, mihi ab instituto alienum haudquaquàm videtur esse fallaciæ hujus scenam aperire. Factum id quidem feliciter jam antè ab Eusebio, in eo opere quo refellendum suscipit librum φιλαληθῆ Hieroclis, qui non solùm adversùs Christianos atrocissimis suppliciis sæviit, cùm esset Ægypti præ

fectus, sed christianam quoque doctrinam impiâ scriptione oppugnavit. Nonnulla tamen observata sunt à me, quibus illustrari hoc argumentum, magnisque enitescere possit.

2° Philostratus primùm, plus centum annis Apollonio recentior, res ab eo gestas nonnisi ex alieno testimonio cognitas habuit; cùm Christi Jesu vitam coætanei ferè scriptores, actorumque ipsius oculati testes prodiderint. Testes historiæ suæ laudat Philostratus, civitates quas adiit Apollonius, templa quorum ritus collapsos restituit, vulgi sermones, Apollonii ipsius epistolas. At quamvis magnam orbis partem se peragrâsse jactet Philostratus, vix tamen nobis persuaserit, ab indicis aut æthiopicis civitatibus, quas Apollonius adiit, ejusmodi se testimonia habuisse. Deindè paucis ac sæpè nullis testibus acta sunt prodigia pleraque Apollonio adscripta. Præterea quis Philostrati ipsius fidem, testimonia hæc præ se ferentis, præstare velit? Vulgi sermones jactat, stolidi scilicet et inepti, de rebus antè centum annos actis temerè disserentis. In Apollonii verò epistolis, non de rebus ab ipso gestis, sed de gentium, quas lustraverat, moribus agebatur. Testes dat præterea Philostratus Damidem, quem dixi, assyrium, perpetuum Apollonii socium, à quo omnia ejus facta dictaque in litteras diligenter relata esse ait; Maximum Ægiensem, et Mœragenem. Ad primum quod attinet, quàm parùm ipsi habendum sit fidei, mihi satis liquet; nam si planus fuit Apollonius, uti fuisse sequentia probabunt, deceptorem quoque et vaniloquum fuisse Damidem putandum est, qui arcanorum ejus omnium mendaciorumque particeps fuit. Deindè nec suos in lucem commentarios ipse edidit; sed per quemdam ejus familiarem cùm Juliæ Severi uxori innotuissent, hujus jussu recognovit eos Philostratus, et in ordinem digessit. Annon hæc confingere amicus ille Damidis potuit, et Damidi affingere, ut vendibilior esset ea merx, et Juliæ faciliùs obtrudi posset? Perpauca verò erant, quæ in librum suum retulerat Maximus, ea nimirùm duntaxat, quæ Ægis Apollonius egerat. Mœrageni fidem palàm detrahit ipse Philostratus, quippè multorum viri actorum ignaro.

3° Nullis ergò certis ac solidis incumbit fundamentis tota hæc Philostrati moles; sed caduca, ac in ruinam prona est: cujus ad speciem exstruendæ causam hanc habuit præcipuam, ut Juliæ ac Caracallæ gratificaretur. Caracallam enim testatur Dio summis Apollonium extollere laudibus solitum esse et monumento, qualia heroibus exstruuntur, decorâsse. Juliam verò philosophiæ studiis deditam fuisse memorant idem Dio et Philostratus, sophistarumque, rhetorum ac geometrarum choro plerumquè stipata erat. Quamobrem et de priscorum philosophorum moribus ac studiis edoceri se volebat, atque hanc Apollonii potissimùm historiam à Philostrato tradi litteris optavit, eique Damidis commentarios suppeditavit. Altera Philostrato accessit causa concinnandi hujus operis, vana nimirùm collectæ per otium eruditionis expromendæ ac ostentandæ cupiditas. Quorsùm enim ambitiosi illi excursus, et importunæ dissertationes, de rebus ad Apollonium haudquaquàm pertinentibus? de pantheris armeniis, de elephantis, de mantichorâ, de gryphibus, de phenice ave, de satyris? tùm de Oxydracis, Pygmæis, Tauro monte, et Caucaso? de fonte Tyaneo, Indo flumine, Hyphaside, Nilo, Pactolo, et mari Rubro? de Prometheo, Tantalo, Hercule, Baccho, Memnone, Alexandro, Poro, et Phraorte? de mirabilibus Indiæ et Æthiopiæ? de templo Taxilensi, de Gaditano? Quorsùm otiosæ illæ disputationes, utri proniores sint in somnum, viri, an aquæ potores? an arbores terrâ antiquiores? de creatione mundi et elementis, de medicinâ, de fabulis Æsopi? de Laconum flagris et inhospitalitate? Id præterea spectâsse imprimis videtur Philostratus, ut invalescentem jam Christi fidem ac doctrinam deprimeret; opposito hoc omnis doctrinæ, sanctitatis ac mirificæ virtutis fictitio simulacro. Itaque ad Christi exemplar hanc expressit effigiem, et pleraque ex Christi Jesu historiâ Philostrato accommodavit, ne quid ethnici Christianis invidere possent. Quâ re Christi gloriam incautus amplificavit, dùm veram ejus virtutem, alteri falso adscriptam, meritis extulit laudibus, aliisque laudandam et mirandam proposuit. Atque id paucis ut demonstremus, res postulat.

4° Mariæ Virgini videndum se obtulit Angelus, deque proditurо ex eâ filio, qui Dei filius esset dicendus, ipsam præmonuit; Apollonii mater adstantem sibi vidit Proteum, ægyptium deum, à quo futurum didicit, ut ipse ex eâ nasceretur. Apollonius autem Jovis filius à popularibus credebatur, etsi ipse se Apollonii filium prædicabat; Jesus Dei filius erat, Josephi filius vulgò putabatur. Aliqua monentur in somnis Josephus et Maria de puero Jesu; aliqua et mater Apollonii de filio suo. Natum Jesum magnâ luce fulgens Angelus pastoribus nun-

tiat; nascente Apollonio, fulgur è cœlo in terram delapsum, rursùs in cœlum evolavit. Prætereà cùm nasceretur Jesus, Angeli in æthere sublimes dicebant : *Gloria in altissimis Deo, et in terrâ pax hominibus*; cùm nasceretur Apollonius, cycni matrem ipsius circumstantes cantus edidère; eodemque è terris migraturo, virgines auditæ sunt canticum hoc concinentes : *Veni de terrâ, in cœlum*. Quòd de Christo scriptum legisset Philostratus : *Et Jesu proficiebat sapientiâ, et ætate, et gratiâ apud Deum et homines;* idcircò scripsit Apollonium procedentibus annis egregiâ ingenii et memoriæ dedisse specimina, et formæ elegantiâ omnium in se oculos convertisse. Quoniam Christi typus fuit Samson Nazaræus, et comam alere tenebantur Nazaræi, ut est in libro Numerorum, propterea cæsariem promisisse Apollonium Philostratus tradidit. Tùm addit eum etiam tùm adolescentem in templo plurimum fuisse, valdè eum mirantibus qui sacra procurabant, quæ his Lucæ de Christo adhuc puero consentanea sunt apud Luc. c. 2, v. 46, 47 : *Et factum est post triduum, invenerunt illum in templo, sedentem in medio doctorum, audientem illos, et interrogantem eos. Stupebant autem omnes qui eum audiebant super prudentiâ et responsis ejus.* Ac sæpè deindè, et ferè quotidiè Judæos in templo docuit. Christum Jesum Deum Filium palàm agnoscit; Apollonio pietatis ac sanctitatis Æsculapius dat testimonium. Magni ad Jesum fiebant hominum concursus; ad Apollonium Ægas visendi causâ magna hominum multitudo confluxit. Futurorum præsensionem Apollonio tribuit Philostratus, quod Jesum prophetam fuisse comperisset. Tacitas Judæorum cogitationes perspectas habuisse Jesum non semel affirmant Evangelistæ : hoc ipsum de se jactat Apollonius. Secretos Samaritanæ mulieris concubitus vi divinâ cognoscit Christus Jesus et coarguit apud Joannem, eamque ad meliorem frugem convertit; Apollonius incesti à divite quodam Cilice cum privignâ admissi, nullo monente, notitiam habuit; deprehendit item occultos Menippi cum Lamiâ congressus, palàmque nefariæ consuetudinis convictum sanioribus consiliis instruxit. Subjicit deindè : « Lacrymanti simile spectrum erat, rogabat « que ne se torqueret; » quippè legerat dæmonem, misero illi Geraseno insidentem, sic Christum Jesum compellâsse : *Obsecro te, ne me torqueas.* Multa ex eâdem dæmoniaci illius Geraseni historiâ in Corcyrensis adolescentis, dæmone agitati, historiam transtulit Philostratus; utrobique pro imperio increpatur dæmonium; jubetur ille à Jesu porcorum corpora subire, relicto Geraseno; hic jubetur ab Apollonio, relicto Corcyrensi, statuam dejicere : liberatus à Jesu Gerasenus, mente receptâ, decenti veste induitur, sedet ad pedes Jesu, eique comitem sese vult adjungere; Corcyrensis adolescens, omni mollium vestimentorum, luxuriæ, ac deliciarum deposito appatu, Apollonii sectam et institutum persequitur. Puellam Jairi archisynagogi filiam vitæ reddidit Jesus; puellam Romæ à morte ad vitam excitâsse dictus est Apollonius, ut superiùs diximus. Illius manum apprehendit Christus, et altâ voce jubet surgere; quo dicto suscitata puella feretro exiliit, suisque ambulare pedibus cœpit; hanc tetigit Apollonius, et secreto aliquid admurmurans revocare eam à morte visus est; quæ et statìm est locuta, et paternam domum repetiit. Castissimam et ab omni muliebri consuetudine alienissimam vitam coluit Jesus; idem de Apollonio Philostratus asseverat. Christum Jesum Hierosolymam ire, et destinata sibi supplicia, mortemque adeò ipsam perferre cogitantem, à proposito frustrà deterrere conatur Petrus; Apollonium à suscepto visendæ Romæ consilio frustrà nititur abducere Philolaus, metu Neronis; et iterùm Demetrius, metu Domitiani; qui philosophos pessimis modis accipere soliti erant. Jesus supplicio proximus deseritur à discipulis; quod et sibi evenisse in alterâ ad Thimotheum queritur Paulus; Apollonium, imminente periculo, sui itidem deserunt. Causam dixit Jesus apud Pilatum; Apollonius apud Domitianum. Discipulis post mortem redivivus adstat Jesus, et præcepta quædam tradit; adolescenti cuidam in somnis videndum se obtulit Apollonius jam fato functus, eumque de naturâ animorum docuit, de quâ jamdiu anxius erat et sollicitus. Thomæ Jesus verène revixisset dubitanti tangendum se præbet; item Apollonius Demetrio et Damidi dubitantibus vivusne esset an mortuus. Jesus ascendit in cœlum; nec hâc parte inferiorem esse Apollonium suum voluit Philostratus. Verùm ne suum ipse figmentum præstare teneretur, tanquàm ab aliis proditum retulit. Ait ergò auditas nympharum cantantium voces, cùm is templum Dictynnæ in Cretâ esset ingressus, quæ eum ad deserendas terras et cœlum conscendendum invitarent, nec uspiam posteà comparuisse. Quæ quàm inconcinnè et absurdè conficta sunt, clarissimè patefaciunt ea, quæ à Philostrato præmissa sunt; nam quo

ætatis suæ anno decesserit Apollonius ignorare ait; cùm alii octoginta, nonnulli nonaginta, quidam centum annos excessisse affirment; discrepantes quoque esse de loco obitus ipsius sententias, Ephesi aliis, aliis Lindi, aliis in Cretâ interiisse ipsum narrantibus; sepulcrum verò ejus nullibi gentium reperiri. In tantâ ergò omnium, quæ ad Apollonii interitam pertinent, ignoratione, temporis præsertim ac loci, quid afferri probabile potuit? Sed pergamus. In Christi Jesu cultum consentiebant totæ gentes; templa ipsi passìm ponebantur, et Deus vulgò habebatur: idem ergò de Apollonio jactat Philostratus, imagines nempè in templis ipsi constitutas, divinosque honores exhibitos, et naturam ejus divinam fuisse, ac humanâ superiorem; imò verò, Proteum ipsum esse, deum ægyptium. Atque indè porrò Alexander Severus Apollonii, perindè ut Jesu Christi, imaginem in larario habuit, et utrumque Lampridius deum appellavit. Indè et adoratores habuisse Apollonium scripsit Eunapius, et Philostrati historiæ titulum apponi debuisse, ut dixi, non Apollonii vitam, sed Dei adventum ad homines. Hieroclem etiam graviter increpat Lactantius in libro de Justitiâ, quod Apollonium ut deum coluerit; at falsus est, cùm ab eo solo factum id arbitratur. Quippè hæc ipse subjicit paulò post Lactantius: « Maximè cùm « dicas et adoratum esse (Apollonium) à « quibusdam sicut Deum, et simulacrum ejus « sub Herculis Alexicaci nomine constitutum, « ab Ephesiis etiam nunc honorari. » (Lactant. Institut. lib. 5, c. 2.) Falsus quoque ipse Hierocles est (quem, perindè ut Philostratum, eruditum scriptorem, ut parum veracem verissimè dixit Eusebius), cùm Christianos culpat, quòd Christum Jesum Deum esse statuant, propter prodigia quædam ab eo edita, cùm Apollonium post tot miracula, non Deum, sed diis amicum hominem esse admiratores ejus existiment. Dixi increpari Hieroclem à Lactantio; nam quamvis nomen Hieroclis non expresserit, iis tamen designavit notis, quæ dubium omne tollant, ut nuper ostendit doctissimus Pearsonus in Prolegomenis ad Hieroclem. Ex Apostolorum quoque historiâ quædam delibavit Philostratus, et in Apollonium transcripsit. Oblatam sibi à Simone pecuniam respuit Petrus; aurum et argentum Agbari, Edessenorum regis, repudiasse Thaddæum commemorat Eusebius; se verò neque argentum, neque aurum, neque vestem concupivisse prædicat Paulus in Actis: satrapæ præfecti Babyloniæ finibus, ac Vardanis deindè regis thesauros aspernatur Apollonius, et magnam deindè nummorum copiam, in revocatæ ad vitam puellæ mercedem sibi à parentibus oblatam, puellæ ipsius doti jussit accedere. Petrus in vincula conjectus ab Herode, iisdem ab Angelo exsolvitur, sic ut caderent de manibus ejus catenæ, et portæ spontè paterent; Apollonius nervo constrictus crus compede eximit ad libitum eique inserit; ex oculis Domitiani, ad quem causam dicturus accesserat, evanescit; idem in Cretâ à Dictynnæ sacerdotibus colligatus, vinculis spontè solutis, foribusque reseratis ergastulo elabitur. Apostoli spiritu sancto afflati, omnium linguis loquuntur; Apollonius nullam ignorare se linguam prædicat, etiamsi nullam didicerit. Cujus vanitatis oblitus Philostratus subjungit paulòpost, ad alloquendum Phraotem interprete Apollonium opus habuisse. Ex his cognoscitur ecquod sibi exemplum ad imitandum Philostratus, in adornando hoc dramate proposuerit. Quamobrem Hierocli comparationem Apollonii cum Christo instituenti argumentum non defuit. Verùm scire debuerat imaginem sese cum eo, ad cujus speciem delineata fuerat, ore composuisse; omnemque à se in elevandis Christi Domini miraculis ac meritis collocatam operam, eadem confirmâsse, cùm virtutem omnium, ac mirificorum operum laudes in commentitium suum heroem conferre cupiens, non meliùs aliundè quàm ex verâ Jesu Christi historiâ arcessere eas potuerit.

Verùm enimverò dùm ad rei veritatem infuscandam plurima ingenio suopte fingit, haudquaquàm sensit in magnam rerum, opinionumque discrepantiam sese esse delapsum, sibique ipsum sæpè, quod mendacibus evenire solet, contradicere ac repugnare. Multis id exemplis ab Eusebio demonstratum est in libello adversùs Hieroclem. Quibus etiam plura adjici possent. Adde tot fabulas, tot somnia, tàm nullius acuminis, tàm nullius saporis, ut cùm ea legerem (mihi autem tùm primùm id contigit, cùm vixdùm excessissem ex ephebis, quâ ætate animi adolescentum logis et fabulis mirificè capi solent), continuò me caperet satietas et fastidium, et nutriculam ad somnos pupo suo conciliandos de Lamiæ turribus et pectinibus solis disserentem mihi audire viderer. Adeòne fungum fuisse quemquàm, vel ut persuaderet ipse sibi, vel ut aliis persuadere se posse speraret, prægnanti Apollonii matri Proteum, et aliis in templo Ægiensi aspectabilem præbuisse se

Æsculapium? animalium voces intellexisse Apollonium, facultate hâc ab Arabibus imbutum, qui vel corde vel hepate draconis comeso futura ex avium garritu præsentiant? quam peritiam et Indis Paracensibus largitur. Interiitne funditus genus illud hominum τετραπήχων, Caucasum incolentium, quorum nonnullos Apollonius, ac nemo deindè vidit? Quis eum credat vidisse Empusam? Quis credat mulieres Veneri dicatas, supernè nigras, infernè albas apud Indos reperiri? quid factum hoc mulierum genere, quod hodiè occurrit nuspiam, nisi quas forte sol fuscavit superiore corporis parte, quâ velatæ non erant? Quanti stuporis est figmentum illud de Puteo culpæ, per quem Indi jurare solent, de Cratere veniæ, de Doliis duobus, imbrium uno, altero ventorum, quibus apertis regio ventis perflatur et rigatur imbribus, secùs verò si occludantur? Jocularis verò est tota hæc Brachmanum scena, qui vel aspectabiles se faciunt pro libitu, vel oculorum obtutus effugiunt; nec ipsi solum choreas ducunt, sed terram etiam virgis ferientes, assurgere ac velut tripudiare faciunt, ipsi verò in aerem tolluntur. Hinc metempsychoseos recoquit dogma, et nugas ad nauseam funditat. Tùm in convivio Brachmanum tripodas describit, crateras, et fercula, spontè et αὐτομάτως ad convivas accedentia, et Tantali deindè poculum illud amicitiæ nunquàm deficiens. Quàm insulsum est, quod de Ephesinâ peste, sub pannosi et mendici senis, ac deindè sub molossi specie delitescente excogitavit! Apollonii verò nocturna pervigilatio ad tumulum Achillis, ejusque cum Achille congressus, pueriles sunt ac germanæ gerræ: inter quas palmarium hoc est, quod ait Achilles, Nereides ad sepulcrum suum sæpè ventitare. Nereidem etiam quamdam Selera Insulam tenere alio loco garrit. Quid quòd ulmus apud gymnosophistas loquens inducitur à nugivendo illo historico, et Apollonium salutans? Æneas Gazæus, in Theophrasto, Brachmanas à metempsychoseos errore vindicare conatur hoc argumento, quòd neque Ctesias, neque Arrianus, neque Indi ipsi, vel in suis cum Alexandro congressibus, vel in suis ad Græcos Epistolis, neque ulli denique, vel recentiorum, vel veterum, in hâc ipsos hæresi versari testentur. In quo Æneam falli certum est; eam enim sectam hodièque pertinacissimè sequuntur Brachmanes, ut uno ore consentiunt quicumque hæc adierunt loca, et cum ipsis paulò familiarius sunt conversati. Atqui vetustissimam esse ipsorum doctrinam, et ab omni retrò ævo eamdem apud ipsos perseveràsse constans est fama. Hanc ipsam ratiocinationem haud minùs verè adhibere possumus adversùs Philostratum, qui tot affingit Brachmanibus deliramenta, et de Indiâ ac Ethiopiâ tot narrat aniles nugas, aliis omnibus indictas et inauditas, sive qui horum temporum fuerunt æquales, sive qui ea postmodùm sunt insecuti, ut omnem apud cordatos homines fidem amittat. Nunc existimari potest haud æquiorem ab Hierocle institutam esse comparationem inter Christi Jesu et Apollonii historicos, ac inter Christum ipsum et Apollonium. Petrum et Paulum ait, aliosque, à quibus res à Jesu gestæ memoriæ proditæ sunt, mendaces fuisse, illitteratos, et præstigiatores; qui verò Apollonii vitam retulerunt in litteras, Damidem, Maximum, Philostratum, viros fuisse eruditos et veritatis studiosos. Nos è contrario Apostolos, vel ob simplicitatem et imperitiam, remur minùs esse debere doli falsitatisque suspectos; Philostrati verò aliorumque qui in Apollonio celebrando ipsi præiverunt, propter ingenii acumen et doctrinam quam prædicant, dubiam esse fidem. Constat enim rudes et indoctos homines, ferè candidos esse eosdem, veraces, et incallidos; qui verò doctrinâ et usu rerum peritiores exstiterint, vafritie eos versutiâque præstare. Quod et res ipsa satis indicat; cùm manifestò ex suprà dictis appareat, totam mendaciis ac fallaciloquentiâ consutam esse Philostrati historiam, doctrinâque eum suâ, haudquaquàm tamen satis acutè et solerter, imò verò inscitè et ineptè ad ludificandos homines, consarcinandasque fabulas valdè esse abusum.

5° Mihi verò rem introspicienti, Pythagoricæ philosophiæ penitùs videtur addictus fuisse Philostratus. E quâ disciplinâ quicumque prodierunt, quod jam suprà monui, in miraculosa et paradoxalia fuerunt pronissimi, nihil non et fingere prompti et credere. Testis aureum Pythagoræ femur; testis Abaridis sagitta, et quæcumque de Epimenide, Empedocle, aliisque ex Italicâ scholâ profectis memorantur. Vel primum legatur Philostrati caput, ex quo, velut ex ungue leonem, hominis propensum in Pythagoræ deliramenta animum et superstitiosam credulitatem deprehendas. Pythagoræ sese assimilabat Alexander ille Pseudomantis Luciani. Eunapius quoque Pythagoricis opinionibus instructus, inanes passim fabulas colligit, easque lectoribus haudquaquàm persuadet ipse; persuasum duntaxat esse se

declarat. Vitio hoc laborâsse eruditos harum partium gregale, causatur Iamblicus (Vit. Pyth. cap. 28); commemoratisque aliquot eorum figmentis, subjungit : « Omnibus enim hujusmodi rebus adhibent fidem ; multas etiam ex consimilibus rebus, quæ fabulosæ videntur, narrare ipsi quoque aggrediuntur. » Et deindè : « Ad hæc omnia, non se quidem, verùm qui se incredulos præstiterint, stolidos esse rentur; nec enim quædam esse in deorum potestate, quædam verò secùs, opinantur qui incumbunt sapientiæ studiis, sed omnia à diis fieri posse. »

6° Interìm, si quis ex me percontetur quid de Apollonio censeam, vaferrimum eum, sacerrimumque fuisse magum respondebo. Vulgò receptam hanc fuisse suâ ætate opinionem ipse fatetur Philostratus initio operis, eamque præcipuè evellendam sibi proposuit. Hoc ipsi crimen impegit Euphrates Tyrius, philosophus, vel Apollonii ipsius testimonio, sapientissimus. Eamdem ob causam Eleusiniis ipsum sacris arcuit Hierophanta, et ab antro Trophonii sacerdotes excluserunt. Pro mago à Domitiano captus, et in carcerem detrusus est. Magis ipse Babyloniis, noxiæ et occultæ magiæ studiosis, sapientiæ laudem tribuit. Brachmanes, quos præstigiatores agnoscit Philostratus, deos ac magistros suos, sapientes ac beatos Apollonius nuncupat. Lucianus Alexandri Abonitichitæ sutelas et dolos elegantissimè narrans, cum ait applicuisse se præstigiatori cuidam Tyaneo : « Uni ex iis quibus magna intercesserat cum Apollonio Tyaneo familiaritas, quique ejus tragœdiam noverant (Lucian Pseud.). » Quibus verbis satis indicat vir solertissimus suam de Apollonio sententiam. Mœragenes ipse, qui vitam Apollonii litteris commendavit, non dubitat eum appellare magum, atque etiam veneficum à philosophis habitum fuisse testimonio suo confirmat, auctore Origene in libris contrà Celsum. Atque Mœrageni, ob hanc, opinor, ipsius confessionem fidem detrahi Philostratus jussit. Xiphilinus ex Dione tradit Caracallam magis et præstigiatoribus adeò delectari solitum, ut Apollonium honoribus et monumento etiam, qualia consecrantur heroibus, coluerit. Magi denique nomine vulgò esse affectum testatur Hieronymus, Epist. ad Paulin. Frustrà verò in purgando Apollonio et magiæ notâ ab eo eluendâ se torquet Philostratus; nec quidquam in causam ipsius prodest, quod affert, futura Apollonium non prænovisse, vel idola scitando, vel inhumanis quibusdam sacrificiis, vel incantamentis, aut unctionibus, sed ex signis quæ ipsi à diis portenderentur, et ex rerum serie, quam fata ipsa contexuissent ; nam nec signa illa expressit Philostratus, nec ex rerum contextu ea prænosci potuerunt ab Apollonio, quæ prænovisse ipsum scribit. Noxia præterea et magica carmina secretò pronuntiari possunt, etiam insciis qui proximè adstant. Deindè sexcenta sunt alia arcanæ divinationis genera, à viris doctis accuratè distincta et notata, quibus uti Apollonius potuit. Quod autem alio loco queritur Philostratus, propterea in magiæ suspicionem venisse Apollonium, quòd babylonios magos, Brachmanas, et gymnosophistas adierit, frustrà est; graviores enim longæ exstant causæ, propter quas magiæ reus peragitur. Quanquàm ob hæc ipsa, si minùs convictum, at hujus certæ impietatis suspectum habere possumus ; nam ex veteri barbarorum horumce philosophorum magiâ multum deflexerat recentior illa, et à præclaris naturæ studiis ad damnosas et nefarias artes sese demiserat, quod tota Philostrati narratio patefacit. Quis verò eum putet, qui cum magis conversatus, eorum præceptis institutus, eos demiratus, mirificisque laudibus extollere solitus sit, ipsum vetitæ hujus magiæ expertem mansisse, præsertìm qui ea edere opera consuevisset, in quibus edendis præcipuum artis suæ fructum magi collocant ?

CAPUT CXLVIII.

Jesus est ad dexteram Dei Patris.

Psalm. 15, v. 10, 11 : « Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ ; adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo ; delectationes in dexterâ tuâ usque in finem. »

Psalm. 109, v. 1 *et seq.* : « Dixit Dominus Domino meo : Sede à dextris meis..... Dominus à dextris meis. »

Matth. c. 22, v. 41 *et seq.* : « Congregatis autem Pharisæis, interrogavit eos Jesus, dicens : Quid vobis videtur de Christo ? cujus filius est ? Dicunt ei : David. Ait illis : Quomodò ergò David in spiritu vocat eum Dominum, dicens : *Dixit Dominus Domino meo : Sede à dextris meis?* Et Marc. c. 12, v. 35 et seq. Luc. c. 20, v. 41 et seq.

Matth. c. 26, v. 64 : « Dicit illi Jesus : Tu dixisti ; verumtamen dico vobis, à modò videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei. » Et Marc. c. 14, v. 62. Luc. c. 22, v. 69.

Marc. c. 16, v. 19 : « Et Dominus quidem Jesus, postquàm locutus est eis, assumptus est in cœlum, et sedet à dextris Dei. »

Act. c. 2, v. 32 et seq. : « Hunc Jesum resuscitavit Deus, cujus omnes nos testes sumus. Dexterâ igitur Dei exaltatus, et promissione Spiritûs sancti acceptâ à Patre, effudit hunc quem vos videtis et auditis. Non enim David ascendit in cœlum; dixit autem ipse : *Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* »

Act. c. 7, v. 55 : « Cùm autem esset plenus Spiritu sancto, intendens in cœlum vidit gloriam Dei, et Jesum stantem à dextris Dei. »

Rom. c. 8, v. 33, 34 : « Quis accusabit adversùs electos Dei ? Deus qui justificat. Quis est qui condemnet ? Christus Jesus, qui mortuus est, imò qui et resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. »

Eph. c. 1, v. 20 : « Suscitans illum à mortuis, et constituens ad dexteram suam in cœlestibus. »

Col. c. 3, v. 1 : « Igitur si consurrexistis cum Christo, quæ sursùm sunt quærite, ubi Christus est in dexterâ Dei sedens. »

Hebr. c. 1, v. 3 *et seq.* : « Qui cùm sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis..... Ad quem autem Angelorum dixit aliquando : *Sede à dextris meis, quoad usque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?*

Hebr. c. 8, v. 1 : « Capitulum autem super ea quæ dicuntur : Talem habemus Pontificem, qui consedit in dexterâ sedis magnitudinis in excelsis. »

Hebr. c. 10, v. 12, 13 : « Hic autem pro peccatis offerens hostiam in sempiternum sedet in dextera Dei, de cætero exspectans donec ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus. »

Hebr. c. 12, v. 2 : « Aspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contemptâ, atque in dexterâ sedis Dei sedet. »

1 *Petr.* c. 3, v. 21, 22 : « Quòd et vos nunc similis formæ salvos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum, per resurrectionem Jesu Christi, qui est in dexterâ Dei. »

CAPUT CXLIX.

Jesus mittit Spiritum sanctum ad Discipulos.

Isa. c. 32, v. 15 : « Gaudium onagrorum pascua gregum, donec effundatur super nos Spiritus de excelso. »

Isa. c. 44, v. 3 : « Effundam enim aquas super sitientem, et fluenta super aridam; effundam Spiritum meum super semen tuum, et benedictionem super stirpem tuam. »

Isa. c. 59, v. 21 : « Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus : Spiritus meus qui est in te, et verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, et de ore seminis tui, et de ore seminis tui, dicit Dominus, à modò et usque in sempiternum. »

Ezech. c. 36, v. 26, 27 : « Et dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestrî; et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum. Et Spiritum meum ponam in medio vestrî, et faciam ut in præceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis, et operemini. »

Ezech. c. 39, v. 29 : « Et non abscondam ultrà faciem meam ab eis, eò quòd effuderim Spiritum meum super omnem domum Israel, ait Dominus Deus. »

Joel. c. 2, v. 28, 29 : « Et erit post hæc, effundam Spiritum meum super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filiæ vestræ; senes vestri somnia somniabunt, et juvenes vestri visiones videbunt. Sed et super servos meos et ancillas in diebus illis effundam Spiritum meum. »

Zach. c. 12, v. 10 : « Et effundam super domum David, et super habitatores Jerusalem, Spiritum gratiæ et precum, et aspicient ad me quem confixerunt; et plangent eum planctu quasi super unigenitum, et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti. »

Luc. c. 24, v. 49 : « Et ego mitto promissum Patris mei in vos; vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto. »

Joan. c. 7, v. 37 *et seq.* : « In novissimo autem die magno festivitatis, stabat Jesus, et clamabat : dicens : Si quis sitit, veniat ad me et bibat : qui credit in me, sicut dicit Scriptura, *flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum; nondùm enim erat Spiritus datus, quia nondùm erat glorificatus. »

Joan. c. 14, v. 16 *et seq.* : « Et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere; quia non videt eum, nec scit eum; vos autem

cognoscetis eum, quia apud vos manebit, et in vobis erit..... Hæc locutus sum vobis apud vos manens: Paracletus autem Spiritus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis. »

Joan. c. 15, v. 26: « Cùm autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. »

Joan. c. 16, v. 7 *et seq.*: « Sed ego veritatem dico vobis; expedit vobis ut ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos; et cùm venerit, ille arguet mundum de peccato, et de justitiâ, et de judicio..... Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem; non enim loquetur à semetipso; sed quæcumque audit, loquetur, et quæ ventura sunt annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis. »

Joan. c. 20, v. 22: « Hæc cùm dixisset, insufflavit, et dixit eis: Accipite Spiritum sanctum. »

Act. c. 1, v. 4 *et seq.*: « Et convescens præcepit eis ab Jerosolymis ne discederent, sed exspectarent promissionem Patris, quam audistis, inquit, per os meum; quia Joannes quidem baptizavit aquâ; vos autem baptizabimini Spiritu sancto, non post multos hos dies..... accipietis virtutem supervenientis Spiritûs sancti in vos. » Et Act. c. 11, v. 15, 16.

Act. c. 2, v. 1 *et seq.*: « Et cùm complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco, et factus est repentè de cœlo sonus, tanquàm advenientis spiritûs vehementis, et replevit totam domum, ubi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquàm ignis, seditque supra singulos eorum, et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis..... Stans autem Petrus cum Undecim levavit vocem suam, et locutus est eis..... Hoc est quod dictum est per Prophetam Joel: *Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus, effundam de spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri, et filiæ vestræ, et juvenes vestri visiones videbunt, et seniores vestri somnia somniabunt: et quidem super servos meos, et super ancillas meas, in diebus illis effundam de Spiritu meo, et prophetabunt*..... Hunc Jesum resuscitavit Deus, cujus omnes nos testes sumus. Dexterâ igitur Dei exaltatus, et promissione Spiritûs sancti acceptâ à Patre, effudit hunc quem vos videtis et auditis..... Petrus verò ad illos: Pœnitentiam, inquit, agite, et baptizetur unusquisque vestrûm in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum Spiritûs sancti. »

Act. c. 8, v. 15 *et seq.*: « Qui cùm venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum. Nondùm enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantùm erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum. Cum vidisset autem Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens: Date et mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum. Petrus autem dixit ad eum: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimâsti pecuniâ possideri. » Et Act. c. 9, v. 17.

Act. c. 10, v. 44, 45: « Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum; et obstupuerunt ex circumcisione fideles qui venerant cum Petro, quia et in nationes gratia Spiritûs sancti effusa est. » Et Act. c. 13, v. 2, 3, 4, 9, 52; et c. 15, v. 7, 8; et c. 19, v. 2, 6.

Rom. c. 5, v. 5: « Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis. » Et 1 Cor. c. 2, v. 12, 13; et 2 Cor. c. 5, v. 5. Gal. c. 3, v. 5, 14. Eph. c. 1, v. 13, 17; et 1 Thess. c. 4, v. 8; et 2 Tim. c. 1, v. 7, 14; et 1 Petr. c. 1, v. 11, 12; et 1 Joan. c. 3, v. 24.

1 *Cor.* c. 3, v. 16: « Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? »

Gal. c. 4, v. 6: « Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem: Abba, Pater. »

1 *Joan.* c. 4, v. 13: « In hoc cognoscimus quoniam in eo manemus, et ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis. »

CAPUT CL.

Ecclesia Jesu.

Psalm. 2, v. 6: « Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus. »

Psalm. 47, v. 1 *et seq.*: « Magnus Dominus, et laudabilis nimis, in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus. Fundatur exsultatione terræ mons Sion, latera aquilonis, civitas regis magni. Deus in domibus ejus cognoscetur, cùm suscipiet eam. Quoniam ecce reges terræ congregati

sunt, convenerunt in unum. Ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos.... Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri : Deus fundavit eam in æternum.

Psalm. 68, v. 36, 37 : « Quoniam Deus salvam faciet Sion, et ædificabuntur civitates Juda : et inhabitabunt ibi, et hæreditate acquirent eam; et semen servorum ejus possidebit eam; et qui diligunt nomen ejus habitabunt in eâ. »

Psalm. 86, v. 1 *et seq.* : « Fundamenta ejus in montibus sanctis; diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Jacob. Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei : memor ero Rahab et Babylonis, scientium me. Ecce alienigenæ, et Tyrus, et populus Æthiopum; hi fuerunt illic. Numquid Sion dicet : Homo et homo natus est in eâ, et ipse fundavit eam Altissimus? Dominus narrabit in Scripturis populorum et principum, horum qui fuerunt in eâ. Sicut lætantium omnium habitatio est in te. »

Psalm. 117, v. 22 : « Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. »

Psalm. 149, v. 1 : « Cantate Domino canticum novum; laus ejus in Ecclesiâ sanctorum. »

Isa. c. 2, v. 2 *et seq.* : « Et erit in novissimis diebus præparatus mons domûs Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes; et ibunt populi multi, et dicent : Venite, et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus; quia de Sion exibit lex, et Verbum Domini de Jerusalem; et judicabit gentes, et arguet populos multos. » Et Mich. c. 4, v. 1 et seq.

Isa. c. 24, v. 23 : « Et erubescet luna, et confundetur sol, cùm regnaverit Dominus exercituum in monte Sion, et in Jerusalem, et in conspectu senum suorum fuerit glorificatus. »

Isa. c. 28, v. 16 *et seq.* : « Idcircò hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum; qui crediderit, non festinet. Et ponam in pondere judicium, et justitiam in mensurâ, et subvertet grando spem mendacii, et protectionem aquæ inundabunt. Et delebitur fœdus vestrum cum morte, et pactum vestrum cum inferno non stabit. »

Isa. c. 33, v. 20 *et seq.* : « Respice, Sion, civitatem solemnitatis nostræ; oculi tui videbunt Jerusalem, habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit; nec auferentur clavi ejus in sempiternum, et omnes funiculi ejus non rumpentur; quia solummodò magnificus est Dominus noster.... Dominus enim judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse salvabit nos. »

Isa. c. 43, v. 19 *et seq.*: Ecce ego facio nova, et nunc orientur, utique cognoscetis ea; ponam in deserto viam, et in invio flumina; glorificabit me bestia agri, dracones, et struthiones; quia dedi in deserto aquas, flumina in invio, ut darem potum populo meo, electo meo. Populum istum formavi mihi, laudem meam narrabit. »

Isa. c. 49, v. 14 *et seq.* : « Et dixit Sion : Dereliquit me Dominus, et Dominus oblitus est meî. Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tuî. Ecce in manibus meis descripsi te : muri tui coràm oculis meis semper. Venerunt structores tui; destruentes te, et dissipantes à te exibunt. Leva in circuitu oculos tuos, et vide : omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. Vivo ego, dicit Dominus, quia omnibus his, velut ornamento vestieris, et circumdabis tibi eos, quasi sponsa; quia deserta tua, et solitudines tuæ, et terra ruinæ tuæ, nunc angusta erunt præ habitatoribus; et longè fugabuntur, qui absorbebant te. Adhuc dicent in auribus tuis filii sterilitatis tuæ : Angustus est mihi locus; fac spatium mihi ut habitem. Et dices in corde tuo : Quis genuit mihi istos? ego sterilis, et non pariens; transmigrata et captiva, et istos quis enutrivit? ego destituta et sola, et isti ubi erant? Hæc dicit Dominus Deus : Ecce levabo ad gentes manum meam, et ad populos exaltabo signum meum. Et afferent filios tuos in ulnis, et filias tuas super humeros portabunt. Et erunt reges nutritii tui, et reginæ nutrices tuæ : vultu in terram demisso adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent. »

Isa. c. 54, v. 1 *et seq.* : « Lauda, sterilis, quæ non paris; decanta laudem et hinni, quæ non pariebas; quoniam multi filii desertæ magis, quam ejus quæ habet virum.... ad dexteram enim et ad lævam penetrabis; et semen tuum gentes hæreditabit, et civitates desertas inhabitabit. Noli timere, quia non confunderis neque erubesces; non enim te pudebit, quia confusionis adolescentiæ tuæ oblivisceris, et

opprobrii viduitatis tuæ non recordaberis ampliùs; quia dominabitur tuî qui fecit te, Dom s exercituum nomen ejus; et redemptor tuus sanctus Israel, Deus omnis terræ vocabitur; quia ut mulierem derelictam, et mœrentem spiritu vocavit te Dominus, et uxorem ab adolescentiâ abjectam dixit Deus tuus. Ad punctum in modico dereliqui te, et in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, et in misericordiâ sempiternâ misertus sum tuî; dixit redemptor tuus Dominus.... Montes enim commovebuntur, et colles contremiscent; misericordia autem mea non recedet à te, et fœdus pacis meæ non movebitur, dixit miserator tuus Dominus. Paupercula, tempestate convulsa, absque ullâ consolatione; ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, et fundabo te in saphiris, et ponam jaspidem propugnacula tua, et portas tuas lapides sculptos, et omnes terminos tuos in lapides desiderabiles; universos filios tuos, doctos à Domino, et multitudinem pacis filiis tuis.»

Isa. c. 60, v. 1 *et seq.* : « Surge, illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est; quia ecce tenebræ operient terram, et caligo populos; super te autem orietur Dominus, et gloria ejus in te videbitur; et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui.... Gens enim et regnum quod non servierit tibi, peribit; et gentes solitudine vastabuntur.... Et venient ad te curvi filii eorum qui humiliaverunt te, et adorabunt vestigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi, et vocabunt te civitatem Domini, Sion sancti Israel. Pro eo quòd fuisti derelicta, et odio habita; et non erat qui per te transiret, ponam te in superbiam seculorum, gaudium in generationem et generationem, et suges lac gentium, et mamillâ regum lactaberis, et scies quia ego Dominus salvans te, et redemptor tuus fortis Jacob.... Occupabit salus muros tuos, et portas tuas laudatio. Non erit tibi ampliùs sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te; sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet ultrà sol tuus, et luna tua non minuetur, quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et complebuntur dies luctûs tui. Populus autem tuus omnes justi in perpetuum hæreditabunt terram, germen plantationis meæ, opus manûs meæ ad glorificandum. »

Isa. c. 62, v. 1 *et seq.* : « Propter Sion non tacebo, et propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor Justus ejus, et Salvator ejus ut lampas accendatur. Et videbunt Gentes Justum tuum, et cuncti reges inclytum tuum; et vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominabit. Et eris corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui. Non vocaberis ultrà Derelicta, et terra tua non vocabitur amplius Desolata; sed vocaberis Voluntas mea in eâ, et terra tua Inhabitata; quia complacuit Domino in te, et terra tua inhabitabitur.... Super muros tuos Jerusalem constitui custodes; totâ die et totâ nocte in perpetuum non tacebunt. Qui reminiscimini Domini, ne taceatis, et ne detis silentium ei, donec stabiliat, et donec ponat Jerusalem laudem in terrâ.... Transite, transite, per portas, præparate viam populo, planum facite iter, eligite lapides, et elevate signum ad populos. Ecce Dominus auditum fecit in extremis terræ : Dicite filiæ Sion : Ecce Salvator tuus venit, ecce merces ejus cum eo, et opus ejus coràm illo, et vocabunt eos : Populus sanctus, redempti à Domino. Tu autem vocaberis Quæsita civitas, et non Derelicta. »

Isa. c. 65, v. 17 *et seq.* : « Ecce enim ego creo cœlos novos, et terram novam; et non erunt in memoriâ priora, et non ascendent super cor. Sed gaudebitis et exsultabitis usque in sempiternum, his quæ ego creo; quia ecce ego creo Jerusalem exsultationem, et populum ejus gaudium : et exsultabo in Jerusalem, et gaudebo in populo meo; et non audietur in eo ultrà vox fletûs, et vox clamoris.... electi mei non laborabunt frustrà, neque generabunt in conturbatione; quia semen benedictorum Domini est, et nepotes eorum coràm eis. Eritque, antequàm clament, ego exaudiam; adhuc illis loquentibus, ego audiam. »

Isa. c. 66, v. 22, 23 : « Quia sicut cœli novi, et terra nova, quæ ego facio stare coràm me, dicit Dominus; sic stabit semen vestrum, et nomen vestrum. Et erit mensis ex mense, et sabbatum ex sabbato; veniet omnis caro, ut adoret coràm facie meâ, dicit Dominus. »

Jerem. c. 3, v. 14 *et seq.* : « Convertimini, filii revertentes, dicit Dominus; quia ego vir vester, et assumam vos unum de civitate, et duos de cognatione, et introducam vos in Sion. Et dabo vobis pastores juxtà cor meum, et pascent vos scientiâ et doctrinâ. Cùmque multiplicati fueritis, et creveritis in terrâ in diebus illis, ait Dominus : non dicent ultrà : Arca Testamenti Domini, neque ascendet super cor,

neque recordabuntur illius, nec visitabitur, nec fiet ultrà. In tempore illo vocabunt Jerusalem solium Domini, et congregabuntur ad eam omnes gentes in nomine Domini, in Jerusalem, et non ambulabunt post pravitatem cordis sui pessimi.»

Ose. c. 2, v. 14 *et seq.* : « Propter hoc esse lactabo eam, et ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus.... Et erit in die illâ, ait Dominus, vocabit me Vir meus, et non vocabit me ultrà Baalim; et auferam nomina Baalim de ore ejus, et non recordabitur ultrà nominis eorum.... Et sponsabo te mihi in sempiternum, et sponsabo te mihi in justitiâ et judicio, et in misericordiâ et in miserationibus; et sponsabo te mihi in fides, et scies quia ego Dominus. Et erit in die illâ : Exaudiam, dicit Dominus, exaudiam cœlos, et illi exaudient terram.... Et miserebor ejus quæ fuit sine misericordiâ; et dicam non populo meo : Populus meus es tu; et ipse dicet Deus meus es tu.»

Soph. c. 3, v. 14 *et seq.* : « Lauda, filia Sion, jubila Israel, lætare, et exalta in omni corde, filia Jerusalem; abstulit Dominus judicium tuum, avertit inimicos tuos; Rex Israel Dominus in medio tuî; non timebis malum ultrà. In die illâ dicetur Jerusalem : Noli timere : Sion, non dissolvantur manus tuæ : Dominus Deus tuus in medio tuî fortis, ipse salvabit, gaudebit super te in justitiâ, silebit in dilectione suâ, exsultabit super te in laude. »

Zach. c. 2, v. 4, 5 : « Et dixit ad eum : Curre, loquere ad puerum istum, dicens : Absque muro habitabitur Jerusalem, præ multitudine hominum et jumentorum in medio ejus; et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu, et in gloriâ ero in medio ejus.»

Matth. c. 16, v. 18, 19 : « Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum; et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis. »

Act. c. 20, v. 28 : « Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. »

Cor. c. 3, v. 11 : « Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.»

1 *Cor.* c. 12, v. 28 : « Vos autem estis corpus Christi, et membra de membro; et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesiâ, primùm Apostolos, secundè Prophetas, tertiò doctores, deindè virtutes, exindè gratias curationum opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum.»

Gal. c. 4, v. 26, 27 : « Illa autem quæ sursùm est Jerusalem, libera est, quæ est mater nostra. Scriptum est enim : *Lætare, sterilis, quæ non paris; erumpe et clama, quæ non parturis; quia multi filii desertæ magis, quam ejus quæ habet virum.*»

Eph. c. 2, v. 19 *et seq* : «Ergò jam non estis hospites et advenæ, sed estis cives sanctorum, et domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo et vos coædificavi in habitaculum Dei in spiritu. »

Eph. c. 5, v. 22 *et seq.* : « Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino; quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ; ipse Salvator corporis ejus. Sed sicut Ecclesia subjecta est Christo, ità et mulieres viris suis in omnibus. Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro eâ, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata. »

Col. c. 1, v. 18 : « Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis.»

Col. c. 1, v. 24 : « Qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, et adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne meâ, pro corpore ejus, quod est Ecclesia. »

1 *Tim.* c. 3, v. 14, 15 : « Hæc tibi scribo, sperans me ad te venire citò; si autem tardavero, ut scias quomodò oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi columna et firmamentum veritatis. »

Hebr. c. 12, v. 22, 23 : «Sed accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, et multorum millium Angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum qui conscripti sunt in cœlis »

1 *Petr.* c. 2, v. 4 *et seq.* : « Ad quem accedentes lapidem vivum, à Deo autem electum et honorificatum; et ipsi tanquàm lapides vivi superædificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acce-

ptabiles Deo per Jesum Christum. Propter quod continet Scriptura : Ecce pono in Sion lapidem summum angularem, electum, pretiosum, et qui crediderit in eum, non confundetur.»

Apoc. c. 3, v. 12 : « Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, et foràs non egredietur ampliùs; et scribam super eum nomen Dei mei, et nomen civitatis Dei mei novæ Jerusalem, quæ descendit de cœlo à Deo meo, et nomen meum novum.»

Apoc. c. 14, v. 1 *et seq.* : « Et vidi, et ecce Agnus stabat super montem Sion, et cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen ejus, et nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis. Et audivi vocem de cœlo, tanquàm vocem aquarum multarum, et tanquàm vocem tonitrui magni; et vocem quam audivi, sicut citharædorum citharizantium in citharis suis. Et cantabant quasi canticum novum antè sedem, et antè quatuor animalia, et Seniores; et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terrâ. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati; virgines enim sunt, hi sequuntur Agnum quòcumque ierit; hi empti sunt ex omnibus, primitiæ Deo et Agno; et in ore eorum non est inventum mendacium; sine maculâ enim sunt antè thronum Dei.»

Apoc. c. 21, v. 2 *et seq.* : « Et ego Joannes vidi sanctam civitatem Jerusalem novam, descendentem de cœlo à Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo. Et audivi vocem magnam de throno dicentem : Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis. Et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus; et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum; et mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà, quia prima abierunt. Et dixit qui sedebat in throno : Ecce nova facio omnia. Et dixit mihi : Scribe, quia hæc verba fidelissima sunt et vera.»

Apoc. c. 21, v. 9 *et seq.* : « Et venit unus de septem Angelis habentibus phialas plenas septem plagis novissimis, et locutus est mecum dicens : Veni, et ostendam tibi sponsam uxorem Agni. Et sustulit me in spiritu in montem magnum et altum, et ostendit mihi civitatem sanctam Jerusalem descendentem de cœlo à Deo, habentem claritatem, et lumen ejus simile lapidi pretioso, tanquàm lapidi jaspidis, sicut crystallum. Et habebat murum magnum et altum, habentem portas duodecim, et in portis Angelos duodecim, et nomina inscripta quæ sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israel.... Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum... Et erat structura muri ejus ex lapide jaspide; ipsa verò civitas aurum mundum, simile vitro mundo. Et fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata. Fundamentum primum jaspis; secundum, saphirus; tertium chalcedonius; quartum smaragdus; quintum, sardonix; sextum, sardius; septimum chrysolithus; octavum, beryllus; nonum topazius; decimum, chrysoprasus; undecimum, hyacinthus; duodecimum, amethystus. Et duodecim portæ duodecim margaritæ sunt, per singulas; singulæ portæ erant ex singulis margaritis; et platea civitatis aurum mundum, tanquàm vitrum perlucidum. Et templum non vidi in eâ; Dominus enim Deus omnipotens, templum illius est et Agnus. Et civitas non eget sole, neque luna, ut luceant in eâ; nam claritas Dei illuminavit eum, et lucerna ejus est Agnus. Et ambulabunt gentes in lumine ejus; et reges terræ afferent gloriam suam, et honorem gentium in illam.»

CAPUT CLI.

Jesu Ecclesia verax.

Psalm. c. 88, v. 6 : « Confitebuntnr cœli mirabilia tua, Domine; etenim veritatem tuam in Ecclesiâ Sanctorum.»

Soph. c. 3, v. 13 : « Reliquiæ Israel non facient iniquitatem, nec loquentur mendacium, et non invenietur in ore eorum lingua dolosa; quoniam ipsi pascentur, et accubabunt, et non erit qui exterreat.»

Zach. c. 8, v. 3 : « Hæc dicit Dominus exercituum : Reversus sum ad Sion, et habitabo in medio Jerusalem, et vocabitur Jerusalem Civitas veritatis, et mons Domini exercituum, mons sanctificatus.»

Matth. c. 16, v. 18 : « Et ego dico tibi, Quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.»

Eph. c. 5, v. 25 *et seq.* : « Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro eâ, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ : ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata.»

1 *Tim.* c. 3, v. 14, 15 : « Hæc tibi scribo,

sperans me ad te venire citò ; si autem tardavero, ut scias quomodò oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis. »

Apoc. c. 14, v. 5 : « Hi empti sunt ex omnibus primitiæ Deo et Agno ; et in ore eorum non est inventum mendacium ; sine maculâ enim sunt antè thronum Dei. »

Apoc. c. 21, v. 9 *et seq.* : « Et venit unus de septem Angelis habentibus phialas plenas septem plagis novissimis, et locutus est mecum, dicens : Veni, et ostendam tibi sponsam, uxorem agni. Et sustulit me in spiritu in montem magnum et altum, et ostendit mihi civitatem sanctam Jerusalem descendentem de cœlo à Deo, habentem claritatem Dei..... Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens et mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni. »

CAPUT CLII.

Sacerdotes Jesu.

Isa. c. 61, v. 6 : « Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini : Ministri Dei nostri, dicetur vobis. »

Isa. c. 62, v. 6 : « Super muros tuos Jerusalem constitui custodes, totâ die et totâ nocte in perpetuum non tacebunt. »

Isa. c. 66, v. 20 *et seq.* : « Et annuntiabunt gloriam meam gentibus, et adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino, in equis, et in quadrigis, et in lecticis, et in mulis, et in carrucis, ad montem sanctum meum Jerusalem, dicit Dominus, quomodò si inferant filii Israel munus in vase mundo in domum Domini. Et assumam ex eis in Sacerdotes et Levitas, dicit Dominus ; sic stabit semen vestrum, et nomen vestrum. »

Jerem. c. 18, v. 18 : « Non enim peribit lex à Sacerdote, neque consilium à sapiente, nec sermo à Prophetâ. »

Jerem. c. 33, v. 17 *et seq.* : « Quia hæc dicit Dominus : Non interibit de David vir qui sedeat super thronum domûs Israel ; et de Sacerdotibus et de Levitis non interibit vir à facie meâ, qui offerat holocautomata, et incendat sacrificium, et cædat victimas omnibus diebus. Et factum est verbum Domini ad Jeremiam, dicens : Hæc dicit Dominus : Si irritum potest fieri pactum meum cum die, et pactum meum cum nocte, ut non sit dies et nox in tempore suo ; et pactum meum irritum esse poterit cum David, servo meo, ut non sit ex eo filius qui regnet in throno ejus, et Levitæ, et Sacerdotes ministri mei. Sicuti enumerari non possunt stellæ cœli, et metiri arena maris ; sic multiplicabo semen David servi mei, et Levitas ministros meos. »

Malach. c. 2, v. 7 : « Labia enim Sacerdotis custodient scientiam, et Legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est. »

Act. c. 14, v. 22 : « Et cùm constituissent illis per singulas Ecclesias presbyteros, et orâssent cum jejunationibus, commendaverunt eos Domino, in quem crediderunt. »

Act. c. 15, v. 2 *et seq.* : « Facta ergò seditione non minimâ Paulo et Barnabæ adversùs illos, statuerunt ut ascenderent Paulus et Barnabas, et quidam alii ex aliis, ad Apostolos et Presbyteros in Jerusalem super hâc quæstione. ..... Cùm autem venissent Jerosolymam, suscepti sunt ab Ecclesiâ, et ab Apostolis et Senioribus, annuntiantes quanta Deus fecisset cum illis. » Et Act. c, 15, v. 22, 23, 41 ; et c. 16, v. 4 ; et c. 21, v. 18. Et Phil. c. 1, v. 1.

1 *Tim.* c. 3, v. 2 *et seq.* : « Oportet ergò episcopum irreprehensibilem esse..... Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodò Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?.... Diaconos similiter pudicos. »

1 *Tim.* c. 5, v. 17 : « Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur ; maximè qui laborant in verbo et doctrinâ. »

Tit. c. 1, v. 5 *et seq.* : « Hujus rei gratiâ reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi ; si quis sine crimine est, unius uxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos. Oportet enim episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem. »

Jac. c. 5, v. 14 : « Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini. »

1 *Petr.* c. 2, v. 5, 9 : « Et ipsi tanquàm lapides vivi super ædificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias acceptabiles Deo per Jesum Christum... Vos autem, genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. »

Apoc. c. 1, v. 6, 7 : « Qui dilexit nos, et lavit nos à peccatis nostris in sanguine, et fecit nos regnum, et sacerdotes, Deo et Patri suo. » Et Apoc. c. 5, v. 10.

Apoc. c. 20, v. 6 : « Beatus et sanctus qui habet partem in resurrectione primâ ; in his secunda mors non habet potestatem ; sed erunt

sacerdotes Dei et Christi, et regnabunt cum illo mille annis. »

CAPUT CLIII.

Jesu Apostoli, pastores et doctores.

Isa. c. 30, v. 20, 21 : « Et dabit vobis Dominus panem arctum, et aquam brevem ; et non faciet avolare à te ultrà doctorem tuum ; et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum. Et aures tuæ audient verbum post tergum monentis : Hæc est via, ambulate in eâ ; et non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram. »

Isa. c. 62, v. 6 : « Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes ; totâ die et totâ nocte in perpetuum non tacebunt. »

Jerem. c. 3, v. 15 : « Et dabo vobis pastores juxtà cor meum, et pascent vos scientiâ et doctrinâ. »

Jerem. c. 23, v. 1 *et seq.* : « Væ pastoribus qui disperdunt et dilacerant gregem pascuæ meæ ! dicit Dominus. Ideò hæc dicit Dominus Deus Israel ad pastores qui pascunt populum meum : Vos dispersistis gregem meum, et ejecistis eos, et non visitâstis eos ; ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum, ait Dominus ; et ego congregabo reliquias gregis mei de omnibus terris, ad quas ejecero vos illùc, et convertam eos ad rura sua, et crescent, et multiplicabuntur. Et suscitabo super eos pastores, et pascent eos ; et non formidabunt ultrà, et non pavebunt, et nullus quæretur ex numero, dicit Dominus. »

Matth. c. 10, v. 5, 6 : « Hos duodecim misit Jesus, præcipiens eis, dicens : In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis ; sed potiùs ite ad oves quæ perierunt domûs Israel. »

Joan. c. 21, v. 15 *et seq.* : « Cùm ergò prandissent, dicit Simoni Petro Jesus : Simon Joannis, diligis me plus his? Dicit ei : Etiam, Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei iterùm : Simon Joannis diligis me? Ait illi : Etiam, Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei : Pasce agnos meos. Dicit ei tertiò : Simon Joannis, amas me? contristatus est Petrus, quia dixit ei tertiò : Amas me? et dixit ei : Domine, tu omnia nôsti ; tu scis quia amo te. Dixit ei : Pasce oves meas. »

Act. c. 13, v. 1 : « Erant autem in Ecclesiâ quæ erat Antiochiæ, Prophetæ et doctores. »

Act. c. 20, v. 28 : « Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. »

1 *Tim.* c. 3, v. 2 : « Oportet ergò episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem. »

CAPUT CLIV.

Promulgatio Evangelii.

Psalm. 17, v. 45 : « Populus quem non cognovi, servivit mihi, in auditu auris obedivit mihi. »

Psalm. 67, v. 12 : « Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multâ. »

Isa. c. 2, v. 3 : Et ibunt populi multi, et dicent : Venite, et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus ; quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem. » Et Mich. c. 4, v. 2.

Isa. c. 12, v. 3 *et seq.* : « Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, et dicetis in die illa : Confitemini Domino, et invocate nomen ejus ; notas facite in populis adinventiones ejus ; mementote quoniam excelsum est nomen ejus : cantate Domino quoniam magnificè fecit, annuntiate hoc in universâ terrâ.

Isa. c. 40, v. 9 *et seq.* : « Super montem excelsum ascende, tu qui evangelizas Sion ; exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Jerusalem ; exalta, noli timere, dic civitatibus Juda : Ecce Deus vester, ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, et brachium ejus dominabitur, ecce merces ejus cum eo, et opus illius coràm illo. »

Isa. c. 41, v. 27 : « Primus ad Sion dicet : Ecce adsunt, et Jerusalem evangelistam dabo. »

Isa. c. 52, v. 7 *et seq.* : « Quàm pulchri super montes pedes annuntiantis et prædicantis pacem ; annuntiantis bonum prædicantis salutem, dicentis Sion : Regnabit Deus tuus ! Vox speculatorum tuorum, levaverunt vocem, simul laudabunt, quia oculo ad oculum videbunt, cùm converterit Dominus Sion...... Iste asperget gentes multas ; super ipsum continebunt reges os suum, quia quibus non est narratum de eo, viderunt ; et qui non audierunt, contemplati sunt. »

Isa. c. 53, v. 1 : « Quis credidit auditui nostro, et brachium Domini cui revelatum est? »

Isa. c. 66, v. 19, 20 : « Et mittam ex eis qui salvati fuerint, ad gentes, in mare, in Africam et Lydiam tendentes sagittam, in Ita-

liam, et Græciam, ad insulas longè, ad eos qui non audierunt de me, et non viderunt gloriam meam; et annuntiabunt gloriam meam gentibus, et adducent omnes fratres vestros de cunctis donum Domino. »

Nahum. c. 1, v. 15 : « Ecce super montes pedes evangelizantis et annuntiantis pacem. Celebra, Juda, festivitates tuas, et redde vota tua; quia non adjiciet ultrà ut pertranseat in te Belial : universus interiit. »

Matth. c. 10, v. 7, 27 : « Euntes autem prædicate; dicentes : Quia appropinquavit regnum cœlorum...... Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine; et quod in aure auditis, prædicate super tecta. » Et Marc. c. 3, v. 14. Luc. c. 9, v. 2; et c. 12, v. 3.

Matth. c. 24, v. 14 : « Et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio. » Et Marc. c. 13, v. 10.

Matth. c. 26, v. 13 : « Amen dicò vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur et quod hæc fecit, in memoriam ejus. Et Marc. c. 14, v. 9.

Matth. c. 28, v. 19, 20 : « Euntes ergò docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti; docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis. »

Marc. c. 6, v. 12 : « Et exeuntes prædicabant ut pœnitentiam agerent. »

Marc. c. 6, v, 15, 20 : « Et dixit eis : Euntes in mundum universum prædicate evangelium omni creaturæ.... Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante, sequentibus signis. »

Luc. c. 9, v. 6 : « Egressi autem circuibant per castella, evangelizantes et curantes ubique. »

Luc. c. 9, v. 60 : « Dixitque ei Jesus : Sine ut mortui sepeliant mortuos suos; tu autem vade, et annuntia regnum Dei. »

Luc. c. 10, v. 8, 9 : « Et in quamcumque civitatem intraveritis, et susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis, et curate infirmos qui in illâ sunt, et dicite illis : Appropinquavit in vos regnum Dei. »

Luc. c. 16, v. 16 : « Lex et Prophetæ usque ad Joannem; ex eo enim regnum Dei evangelizatur, et omnis in illud vim facit. »

Luc. c. 24, v. 46, 47 : « Et dixit eis : Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere à mortuis tertiâ die, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam, et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hierosolymâ. »

Act. c. 2, v. 14 *et seq* : « Stans autem Petrus cum Undecim, levavit vocem suam, et locutus est eis...... Viri Israelitæ, audite verba hæc : Jesum Nazarenum, virum approbatum à Deo in vobis, virtutibus, et prodigiis, et signis, quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut et vos scitis, hunc definito consilio et præscientiâ Dei traditum, per manus inimicorum affligentes, interemistis.... Qui ergò receperunt sermonem ejus, baptizati sunt in die illâ animæ circiter tria millia..... Dominus autem augebat, qui salvi fierent quotidiè in id ipsum. » Et Act. c. 3, v. 12 *et seq.* et c. 4, v. 10, 18, 31, 33; et c. 10, v. 34 et seq. et c. 13, v. 16 et seq.

Act. c. 4, v. 1 *et seq.* : « Loquentibus autem illis ad populum, supervenerunt Sacerdotes, et magistratus Templi, et Sadducæi, dolentes quòd docerent populum, et annuntiarent in Jesu resurrectionem ex mortuis..... Multi autem eorum, qui audierant verbum, crediderunt, et factus est numerus virorum quinque millia. »

Act. c. 5, v. 21 *et seq.* : « Qui cùm audissent, intraverunt diluculò in templum, et docebant... ...Et interrogavit eos Princeps Sacerdotum, dicens : Præcipiendo præcipimus vobis ne doceretis in nomine isto; et ecce replêstis Jerusalem doctrinâ vestrâ, et vultis inducere super nos sanguinem hominis istius... Et convocantes Apostolos, cæsis denuntiaverunt ne omninò loquerentur in nomine Jesu, et dimiserunt eos. Et illi quidem ibant gaudentes à conspectu consilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. Omni autem die non cessabant in templo et circà domos docentes, et evangelizantes Christum Jesum. »

Act. c. 8, v. 4 *et seq.* : « Igitur qui dispersi erant, pertransibant evangelizantes verbum Dei. Philippus autem descendens in civitatem Samariæ, prædicabat illis Christum. Intendebant autem turbæ his quæ à Philippo dicebantur, unanimiter audientes et videntes signa quæ faciebat..... Cùm verò credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, in nomine Jesu Christi baptizabantur viri ac mulieres..... Et illi quidem testificati et locuti verbum Domini, redibant Jerosolymam, et multis regionibus Samaritanorum evangelizabant..... Aperiens autem Philippus os suum, et incipiens à Scripturâ istâ, evangelizavit illi Jesum.....

Philippus autem inventus est in Azoto, et pertransiens evangelizabat civitatibus cunctis. » Et Act. c. 21, v. 8.

Act. c. 9, v. 20 : « Et continuò in Synagogis prædicabat Jesum, quoniam hic est Filius Dei. » Et Act. c. 16, v. 9 et seq. et c. 17, v. 1 et seq. per totum caput. et c. 18, v. 4 et seq. et c. 19 v. 8 et seq. et c. 20, v. 7, 20 et seq. et c. 22, v. 1 et seq. et c. 26, v. 20; et c. 28, v. 23, 31.

Act. c. 10, v. 42 : « Et præcepit nobis prædicare populo, et testificari quia ipse est qui constitutus est à Deo judex vivorum et mortuorum. »

Act. c. 11, v. 20 *et seq.* : « Erant autem quidam ex eis viri Cyprii et Cyrenæi, qui cùm introïssent Antiochiam loquebantur et ad Græcos, annuntiantes Dominum Jesum. Et erat manus Domini cum eis, multusque numerus credentium conversus est ad Dominum. Pervenit autem sermo ad aures Ecclesiæ, quæ erat Jerosolymis, super istis; et miserunt Barnabam usque ad Antiochiam...... et apposita est multa turba Domino. Profectus est autem Barnabas Tarsum, ut quæreret Saulum, quem cum invenisset, perduxit Antiochiam; et annum totum conversati sunt ibi in Ecclesiâ. Et docuerunt turbam multam, ità ut cognominarentur primum Antiochiæ discipuli Christiani. Et Act. c. 13, v. 5; et c. 14, v. 1, 6, 20 et seq. et c. 15, v. 35 et seq.

Act. c. 18, v. 24 *et seq.* : « Judæus autem quidam, Apostolo nomine, Alexandrinus genere, vir eloquens, devenit Ephesum, potens in Scripturis. Hic erat edoctus viam Domini, et fervens spiritu loquebatur, et docebat diligenter ea quæ sunt Jesu, sciens tantum baptisma Joannis. Hic ergò cœpit fiducialiter agere in Synagogâ. »

Rom. c. 1, v. 1 *et seq.* : « Paulus servus Jesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei......Testis enim mihi est Deus, cui servio in spiritu meo in Evangelio Filii ejus..... ità (quod in me) promptum est et vobis, qui Romæ estis, evangelizare : non enim erubesco Evangelium. » Et Rom. c. 2, v. 16; et c. 10, v. 8. et 1 Cor. c. 1, v. 17; et c. 2, v. 1 et seq. et c. 4, v. 15; et c. 9, v. 12 et seq. et c. 15, v. 1 et seq. et 2 Cor. c. 2, v. 12; et c. 4, v. 3 et seq. et c. 10, v. 14, 16; et c. 11, v. 4, 7. Gal. c. 1 v. 6 et seq. et c. 2, v. 2 et seq. et c. 4, v. 13. Eph. c. 3, v. 6 et seq. et c. 6, v. 19. Phil. c. 1, v. 5 et seq. et c. 4, v. 15; et 1 Thess. c. 1, v. 5, et c. 2, v. 4 et seq. et 1, 2. Thess. c. 2, v. 13. et 1 Tim. c. 1, v. 11. et c. 2, v. 7. et 2 Tim. c. 1, v. 10, 11. et c. 2, v. 8, 9. et c. 4, v. 17. Tit. c. 1, v. 3. Philem. c. 13.

Rom. c. 10, v. 14 *et seq.* : « Quomodò ergò invocabunt in quem non crediderunt? aut quomodò credent ei quem non audierunt? Quomodò autem audient sine prædicante? Quomodò verò prædicabunt, nisi mittantur? sicut scriptum est : *Quàm speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!* Sed non omnes obediunt Evangelio; Isaias enim dicit : *Domine, quis credidit auditui nostro?* Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Sed dico : Numquid non audierunt? et quidem *in omnem terram exivit sonus eorum.* »

Rom. c. 15, v. 19, 20 : « Ità ut ab Jerusalem per circuitum, usque ad Illyricum, repleverim Evangelium Christi. Sic autem prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem. »

1 *Cor.* c. 1, v. 21 *et seq.* : « Nam quia in Dei sapientiâ non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. Quoniam et Judæi signa petunt, et Græci sapientiam quærunt; nos autem prædicamus Christum crucifixum. »

2 *Cor.* c. 1, v. 19 : « Dei enim Filius Jesus Christus, qui in vobis per nos prædicatus est, per me, et Sylvanum, et Timotheum, non fuit Est et Non, sed Est in illo fuit. » Et Phil. c. 2, v. 22; et 1 Thess. c. 3, v. 2; et 2 Tim. c. 1, v. 8; et c. 4, v. 2, 5.

2 *Cor.* c. 8, v. 18 : « Misimus etiam cum illo fratrem, cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias. »

Eph. c. 1, v. 13 : « In quo et vos, cùm audissetis verbum veritatis, Evangelium salutis vestræ in quo et credentes signati estis Spiritu promissionis sancto. »

Eph. c. 4, v. 11 : « Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores et doctores.

Phil. c. 1, v. 12 *et seq.* : « Scire autem vos volo, fratres, quia quæ circà me sunt, magis ad profectum venerunt Evangelii, ità ut vincula mea manifesta fierent in Christo, in omni prætorio, et in cæteris omnibus; et plures à fratribus in Domino confidentes vinculis meis, abundantiùs auderent sine timore verbum Dei loqui. Quidam quidem et propter invidiam et contentionem, quidam autem et propter bonam voluntatem Christum prædicant, quidam ex

charitate, scientes quoniam in defensionem Evangelii positus sum. Quidam autem ex contentione Christum annuntiant non sincerè, existimantes pressuram se suscitare vinculis meis. Quid enim? dùm omni modo, sive per occasionem, sive per veritatem, Christus annuntietur, et in hoc gaudeo, sed et gaudebo. »

Philipp. c. 4, v. 2, 3 : « Evodiam rogo, et Syntychen deprecor, idipsum sapere in Domino. Etiam rogo et te, germane compar, adjuva illas quæ mecum laboraverunt in Evangelio cum Clemente, et cæteris adjutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitæ.

Col. c. 1, v. 5 *et seq.* : « Propter spem quæ reposita est vobis in cœlis, quam audistis in verbo veritatis Evangelii, quod pervenit ad vos, sicut et in universo mundo est, et fructificat, et crescit..... si tamen permanetis in fide fundati et stabiles, et immobiles à spe Evangelii, quod audistis, quod prædicatum est in universâ creatura quæ sub cœlo est, cujus factus sum ego Paulus minister. »

1 *Tim.* c. 3, v. 16 : « Et manifestè magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloriâ. »

1 *Petr.* c. 1, v. 12, 25 : « Quia non sibimetipsis, vobis autem ministrabant ea quæ nunc nuntiata sunt vobis..... Verbum autem Domini manet in æternum; hoc est autem verbum quod evangelizatum est in vos. »

1 *Joan.* c. 1, v. 1 *et seq.* : « Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ, et vita manifesta est, et vidimus, et testamur, et annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, et apparuit nobis; quod vidimus et audivimus, annuntiamus vobis, ut et vos societatem habeatis nobiscum, et societas nostra sit cum Patre, et cum Filio ejus Jesu Christo. Et hæc scribimus vobis, ut gaudeatis, et gaudium vestrum sit plenum. Et hæc est annuntiatio, quam audivimus ab eo, et annuntiamus vobis. »

CAPUT CLV.

Discipuli Jesu, testes ejus.

Isa. c. 43, v. 10, 12 : « Vos testes mei, dicit Dominus, et servus meus quem elegi.... Ego autem annuntiavi, et salvavi : auditum feci, et non fuit à vobis alienus ; vos testes mei, dicit Dominus, et ego Deus. »

Isa. c. 44, v. 8 : « Nolite timere, neque conturbemini ; ex tunc audire te feci, et annuntiavi : vos estis testes mei. »

Matth. c. 10, v. 18 : « Ad præsides et ad reges ducemini propter me, in testimonium illis et gentibus. Et Marc. c. 13, v. 9. »

Luc. c. 24, v. 45 *et seq.* : « Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas, et dixit eis, quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere à mortuis tertiâ die, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam, et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerosolymâ. Vos autem testes horum. »

Joan. c. 1, v. 6 *et seq.* : « Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Joannes ; hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine... Joannes testimonium perhibet de ipso, et clamat, dicens : Hic erat quem dixi, qui post me venturus est, antè me factus est, quia prior me erat... Et testimonium perhibuit Joannes, dicens : Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cœlo, et mansit super eum. Et ego nesciebam eum, sed qui misit me baptizare in aquâ, ille mihi dixit : Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Et ego vidi, et testimonium perhibui quia hic est Filius Dei. » Et Joan. c. 3, v. 26 ; et c. 5, v. 33.

Joan. c. 12, v. 17 : « Testimonium ergò perhibebat turba, quæ erat cum eo, quandò Lazarum vocavit de monumento. »

Joan. c. 15, v. 26, 27 : « Cùm autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. »

Joan. c. 19, v. 34, 35 : « Sed unus militum lanceâ latus ejus aperuit, et continuò exivit sanguis et aqua. Et qui vidit testimonium perhibuit, et verum est testimonium ejus. » Et Joan. c. 21, v. 24.

Act. c. 1, v. 8 : « Sed accipietis virtutem supervenientis Spiritûs sancti in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæâ, et Samariâ, et usque ad ultimum terræ. »

Act. c. 1, v. 21, 22 : « Oportet ergò ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit et exivit inter nos Domi-

nus Jesus, incipiens à baptismate Joannis, usque in diem quâ assumptus est à nobis, testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis. »

Act. c. 2, v. 32. Hunc Jesum resuscitavit Deus, cujus omnes nos testes sumus. » Et Act. c. v. 15; et c. 4, v. 33.

Act. c. 5, v. 31, 32 : « Hunc principem et Salvatorem Deus exaltabit dexterâ suâ, ad dandam pœnitentiam Israeli, et remissionem peccatorum; et nos sumus testes horum verborum, et Spiritus sanctus quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi. »

Act. c. 10, v. 39 *et seq.* : « Et nos testes sumus omnium quæ fecit in regione Judæorum et Jerusalem, quem occiderunt suspendentes in ligno. Hunc Deus suscitavit tertiâ die, et dedit eum manifestum fieri, non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo; nobis qui manducavimus et bibimus cum illo, postquàm resurrexit à mortuis. » Et Act. c. 13, v. 30, 31.

Act. c. 22, v. 14, 15 : « At ille dixit : Deus Patrum nostrorum præordinavit te, ut cognosceres voluntatem ejus, et videres Justum, et audires vocem ex ore ejus; quia eris testis illius ad omnes homines, eorum quæ vidisti et audisti. » Et Act. c. 26, v. 16.

Act. c. 22, v. 20 : « Et cùm funderetur sanguis Stephani testis tui, ego adstabam, et consentiebam, et custodiebam vestimenta interficientium illum. »

2 *Tim.* c. 1, v. 8 : « Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri. »

1 *Petr.* c. 5, v. 1 : « Seniores ergò, qui in vobis sunt, obsecro consenior et testis Christi passionum. »

1 *Joan.* c. 1, v. 1, 2 : « Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt, de verbo vitæ, et vita manifestata est, et vidimus, et testamur. »

Apoc. c. 1, v. 1, 2, 9 : « Apocalypsis Jesu Christi, quam dedit illi Deus palàm facere servis suis, quæ oportet fieri citò, et significavit, mittens per Angelum servo suo Joanni, qui testimonium perhibuit verbo Dei, et testimonium Jesu Christi, quæcumque vidit... Ego Joannes frater vester, et particeps in tribulatione, et regno, et patientiâ in Christo Jesu, fui in insulâ, quæ appellatur Pathmos, propter verbum Dei, et testimonium Jesu. » Apoc. c. 6, 9; et c. 20, v. 4.

Apoc. c. 2, v. 13 : « Et in diebus illis Antipas, testis meus fidelis, qui occisus est apud vos, ubi Satanas habitat. »

CAPUT CLVI.

Martyria discipulorum Jesu.

Psalm. 33, v. 18 *et seq.* : « Clamaverunt Justi, et Dominus exaudivit eos, et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos. Juxtà est Dominus iis qui tribulato sunt corde, et humiles spiritu salvabit. Multæ tribulationes justorum, et de omnibus his liberabit eos Dominus. »

Psalm. 43, v. 11 *et seq.* : « Avertisti nos retrorsùm post inimicos nostros, et qui oderunt nos diripiebant sibi. Dedisti nos tanquàm oves escarum, et in gentibus dispersisti nos... Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te, et iniquè non egimus in testamento tuo, et non recessit retrò cor nostrum, et declinâsti semitas nostras à vitâ tuâ; quoniam humiliâsti nos in loco afflictionis, et cooperuit nos umbra mortis... Quoniam propter te mortificamur totâ die; æstimati sumus sicut oves occisionis... quoniam humiliata est in pulvere anima nostra, conglutinatus est in terrâ venter noster. »

Psalm. 65, v. 10 *et seq.* : « Quoniam probâsti nos, Deus; igne nos examinâsti, sicut examinatur argentum; induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro; imposuisti homines super capita nostra; transivimus per ignem et per aquam, et eduxisti nos in refrigerium. »

Psalm. 78, v. 1 *et seq.* : « Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam; polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam; posuerunt morticina servorum tuorum, escas volatilibus cœli, carnes sanctorum tuorum bestiis terræ; effuderunt sanguinem eorum, tanquàm aquam in circuitu Jerusalem, et non erat qui sepeliret... Ultio sanguinis servorum tuorum qui effusus est; introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum. »

Psalm. 123, v. 1 *et seq.* : « Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel, nisi quia Dominus erat in nobis, cùm exsurgerent homines in nos, fortè vivos deglutissent nos; cùm irasceretur furor eorum in nos, forsitan aqua absorbuisset nos. Torrentem pertransivit anima nostra; forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem. Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Anima nostra, sicut passer, erepta est de laqueo venantium; laqueus contritus est, et nos liberati sumus. »

Thren. c 4, v. 19 : « Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cœli ; super montes persecuti sunt nos, in deserto insidiati sunt nobis Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris ; cui diximus : In umbrâ tuâ vivemus in gentibus. »

Zach. c. 13, v. 7. Framea, suscitare super pastorem meum, et super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum. Percute pastorem, et dispergentur oves ; convertam manum meam ad parvulos. Et erunt in omni terrâ, dicit Dominus ; partes duæ in eâ dispergentur et deficient, et tertia pars relinquetur in eâ ; et ducam tertiam partem per ignem, et uram eos sicut uritur argentum ; et probabo eos, sicut probatur aurum. »

Matth. c. 10, v. 16 *et seq.* : « Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergò prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ. Cavete autem ab hominibus ; tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos ; et ad præsides, et ad reges ducemini, propter me, in testimonium illis et gentibus. » Et Luc. c. 10, v. 3 ; et c. 21, v. 16 et seq.

Matth. c. 23, v. 34 *et seq.* : « Ideò ecce ego mitto ad vos prophetas, et sapientes, et scribas ; et ex illis occidetis, et crucifigetis ; et ex eis flagellabitis in synagogis vestris, et persequemini de civitate in civitatem, ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel justi, usque ad sanguinem Zachariæ, filii Barachiæ, quem occidistis inter templum et altare. » Et Luc. c. 11, v. 47 et seq. ; et c. 21, v. 12, 13.

Matth. c. 24, v. 9, 10 : « Tunc tradent vos in tribulationem, et occident vos ; et eritis odio omnibus gentibus, propter nomen meum, et tunc scandalizabuntur multi, et invicem tradent, et odio habebunt invicem. » Et Marc. c. 13, v. 11 et seq. Joan. c. 16, v. 2.

Act. c. 4, v. 1 *et seq.*, « Loquentibus autem illis ad populum, supervenerunt sacerdotes, et magistratus templi, et Sadducæi, dolentes quod docerent populum, et annuntiarent in Jesu resurrectionem ex mortuis, et injecerunt in eos manus, et posuerunt eos in custodiam. »

Act. c. 5, v. 40, 41 : « Et convocantes Apostolos, cæsis denuntiaverunt ne omninò loquerentur in nomine Jesu, et dimiserunt eos. Et illi quidem ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. »

Act. c. 6, v. 12 ; *et* c. 7, v. 57 *et seq.* : « Commoverunt itaque plebem, et seniores, et scribas, et concurrentes rapuerunt eum, et adduxerunt in concilium... et ejicientes eum extra civitatem lapidabant... et lapidabant Stephanum invocantem, et dicentem : Domine Jesu, suscipe spiritum meum. Positis autem genibus, clamavit voce magnâ, dicens : Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Et cùm hoc dixisset, obdormivit in Domino. »

Act. c. 8, v. 1, 3 : « Factum est autem in illâ die persecutio magna in Ecclesiâ, quæ erat Jerosolymis, et omnes dispersi sunt per regiones Judææ, et Samariæ, præter Apostolos... Saulus autem devastabat Ecclesiam, per domos intrans, et trahens viros ac mulieres, tradebat in custodiam. » Et Act. c. 22, v. 19.

Act. c. 9, v. 15, 16 : « Dixit autem ad eum Dominus : Vade, quoniam vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coràm gentibus, et regibus, et filiis Israel. Ego enim ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati. » Et Act. c. 20, v. 19.

Act. c. 12, v. 1 *et seq.* : « Eodem autem tempore misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesiâ. Occidit autem Jacobum, fratrem Joannis, gladio. Videns autem quia placeret Judæis, posuit ut apprehenderet et Petrum. Erant autem dies azymorum. Quem cùm apprehendisset, misit in carcerem, tradens quatuor quaternionibus militum custodiendum ; volens post pascha producere eum populo. »

Act. c. 14, v. 18 : « Supervenerunt autem quidam ab Antiochiâ et Iconio Judæi ; et persuasis turbis, lapidantesque Paulum, traxerunt extrà civitatem, existimantes eum mortuum esse. »

Act. c. 16, v. 19 *et seq.* : « Apprehendentes Paulum et Silam perduxerunt in forum ad principes, et offerentes eos magistratibus, dixerunt : Hi homines conturbant civitatem nostram, cùm sint Judæi ; et annuntiant morem, quem non licet nobis suscipere, neque facere, cùm simus Romani. Et cucurrit plebs adversùs eos, et magistratus, et scissis tunicis eorum, jusserunt eos virgis cædi ; et cùm multas plagas imposuissent, miserunt eos in carcerem, præcipientes custodi, ut diligenter custodiret eos. Qui cùm tale præceptum accepisset, misit eos in interiorem carcerem, et pedes eorum strinxit ligno. »

Act. c. 21, v. 30, 33 : « Et apprehendentes Paulum, trahebant eum extrà templum... Tunc accedens tribunus apprehendit eum, et jussit eum alligari catenis duabus. »

Act. c. 22, v. 24, 25 : « Jussit tribunus induci eum in castra, et flagellis cædi, et torqueri eum, ut sciret propter quam causam sic acclamarent ei. Et cùm adstrinxissent eum loris, dicit adstanti sibi Centurioni Paulus : Si hominem Romanum et indemnatum licet vobis flagellare? »

Act. 23, 1, 2. Intendens autem in concilium Paulus ait, Viri fratres, ego omni conscientia bona conversatus sum antè Deum usque in hodiernum diem. Princeps autem sacerdotum Ananias præcepit astantibus sibi, percutere os ejus.

Rom. 8, 35, 36. Quis ergò non separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? sicut scriptum est : Quia propter te mortificamur totâ die, æstimati sumus sicut oves occisionis. »

1 *Cor.* c. 4, v. 9 *et seq.* : « Puto enim quòd Deus nos Apostolos novissimos ostendit, tanquàm morti destinatos, quia spectaculum facti sumus mundo, et Angelis, et hominibus... Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædimur, et instabiles sumus, et laboramus operantes manibus nostris; maledicimur, et benedicimus; persecutionem patimur, et sustinemus; blasphemamur, et obsecramus; tanquàm purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc. »

1 *Cor.* c. 15, v. 31, 32 : « Quotidiè morior per vestram gloriam, fratres, quam habeo in Christo Jesu Domino nostro. Si (secundùm hominem) ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? »

2 *Cor.* c. 1, v. 5, 6 : « Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis, ità et per Christum abundat consolatio nostra. Sive autem tribulamur pro vestrâ exhortatione et salute, sive consolamur pro vestrâ consolatione, sive exhortamur pro vestrâ exhortatione et salute, quæ operatur tolerantiam earumdem passionum quas et nos patimur. »

2 *Cor.* c. 4, v. 8 *et seq.* : « In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur; aporiamur, sed non destituimur, persecutionem patimur, sed non derelinquimur : dejicimur, sed non perimus; semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris. Semper enim nos qui vivimus, in mortem tradimur propter Jesum, ut et vita Jesu manifestetur in carne nostrâ mortali. »

2. *Cor.* c. 6, v. 4 *et seq.* : « Sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multâ patientiâ, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate... per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam, ut seductores et veraces, sicut qui ignoti et cogniti; quasi morientes, et ecce vivimus; ut castigati, et non mortificati; quasi tristes, semper autem gaudentes; sicut egentes, multos autem locupletantes; tanquàm nihil habentes, et omnia possidentes. »

2 *Cor.* 11, v. 23 *et seq.* : « Ministri Christi sunt (ut minùs sapiens dico) plus ego; in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis suprà modum, in mortibus frequenter. A Judæis quinquies, quadragenas, unâ minùs, accepi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte et die in profundo maris fui; in itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus; in labore et ærumnâ, in vigiliis multis, in fame et siti, in jejuniis multis, in frigore et nuditate : præter illa quæ extrinsecùs sunt; instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum. » Et 2 Cor. c. 1, v. 10, et c. 4, v. 11.

Gal. c. 6, v. 17 : « De cætero nemo mihi molestus sit : ego enim stigmata Domini Jesu in corpore meo porto. » Et Phil. c. 3, v. 10. et 2 Tim. c. 2, v. 11, 12. et 1 Petr. c. 4, v. 13.

Col. c. 1, v. 24 : « Qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, et adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne meâ, pro corpore ejus, quod est Ecclesia. »

1 *Thess.* c. 2, v. 14, 15 : « Vos enim imitatores facti estis, fratres, Ecclesiarum Dei quæ sunt in Judæâ, in Christo Jesu; quia eadem passsi estis et vos à contribulibus vestris, sicut et ipsi à Judæis, qui et Dominum occiderunt Jesum, et Prophetas, et nos persecuti sunt. »

Hebr. c. 10, v. 32, 33 : « Rememoramini autem pristinos dies, in quibus illuminati magnum certamen sustinuistis passionum; et in altero quidem opprobriis et tribulationibus spectaculum facti; in altero autem socii taliter conversantium effecti; nam et vinctis compassi estis, et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem et manentem substantiam. »

CAPUT CLVII.

Concordia Discipulorum Jesu.

Jerem. c. 32, v. 38, 39 : « Et erunt mihi in populum, et ego ero eis in Deum. Et dabo eis cor unum, et viam unam, ut timeant me universis diebus. »

Ezech. c. 11, v. 19, 20 : « Et dabo eis cor unum, et spiritum novum tribuam in visceribus eorum, et auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum, ut in præceptis meis ambulent, et judicia mea custodiant, faciantque ea, et sint mihi in populum, et ego sim eis in Deum. »

Soph. c. 3, v. 9 : « Quia tunc reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini, et serviant ei humero uno. »

Matth. c. 22, v. 34 *et seq.* : « Pharisæi autem audientes quòd silentium imposuisset Sadducæis, convenerunt in unum, et interrogavit eum unus ex eis legis doctor, tentans eum : Magister, quod est mandatum magnum in lege? Ait illi Jesus : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in totâ animâ tuâ, et in totâ mente tuâ. Hoc est maximum et primum mandatum. Secundum autem simile est huic : Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet et Prophetæ. » Et Marc. c. 12, v. 28 et seq. Luc. c. 10, v. 25 et seq. Rom. c. 13, v. 8, 9. Gal. c. 5, v. 14. 1 Thess. c. 4, v. 9. Jac. c. 2, v. 8; et 1 Petr. c. 1, v. 22; et 1 Joan. c. 2, v. 9 et seq. et c. 3, v. 11 et seq. et c. 4, v. 7, et seq. et 2 Joan. c. 5.

Luc. c. 13, v. 34, 35 : « Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si delectionem habueritis ad invicem. » Et c. 15, v. 12, 17.

Act. c. 1, v. 14 : « Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Mariâ, matre Jesu, et fratribus ejus. »

Act. c. 2, v. 44, 46 : « Omnes etiam qui credebant, erant pariter, et habebant omnia communia.... Quotidiè quoque perdurantes unanimiter in templo. »

Act. 4, v. 32 : « Multitudinis autem credentium erat est cor unum et anima una; nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. »

CAPUT CLVIII.

Vocatio gentium.

Gen. c. 12, v. 1 *et seq.* : « Dixit autem Dominus ad Abraham..... In te benedicentur universæ cognationes terræ. » Et Gen. c. 18, v. 18. »

Gen. c. 22, v. 15, 18 : « Vocavit autem Angelus Domini Abraham secundo de cœlo, dicens,....... Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. » Et Gen. c. 26, v. 4. Et c. 28, v. 14. »

Gen. c. 39, v. 10 : « Non auferetur sceptrum de Judâ, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium. »

Deut. c. 28, v. 43 : « Advena qui tecum versatur in terrâ, ascendet super te, eritque sublimior; tu autem descendes, et eris inferior....... Ipse erit in caput, et tu eris in caudam. »

Deut. c. 22, v. 21 : « Ipsi me provocaverunt in eo qui non erat Deus, et irritaverunt in vanitatibus suis; et ego provocabo eos in eo qui non est populus, et in gente stultâ irritabo illos. »

1 *Reg.* c. 2, v. 3 *et seq.* : « Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes; recedant vetera de ore vestro...... Arcus fortium superatus est, et infirmi accincti sunt robore...... donec sterilis peperit plurimos; et quæ multos habebat filios, infirmata est......Dominus judicabit fines terræ, et dabit imperium regi suo, et sublimabit cornu Christi sui. »

2 *Reg.* c. 22, v. 44 : « Custodies me in caput gentium; populus quem ignoro serviet mihi. »

Psalm. 2, v. 8 : « Postula à me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. »

Psalm. 17, v. 44 *et seq.* : « Eripies me de contradictionibus populi, constitues me in caput gentium. Populus quem non cognovi, servivit mihi, in auditu auris obedivit mihi. »

Psalm. 21, v. 28 *et seq.* : « Reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terræ, et adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium; quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium. »

Psalm. 44, v. 17 : « Pro patribus tuis nati sunt tibi filii; constitues eos principes super omnem terram »

Psalm. 46, v. 9 : « Regnabit Deus super gentes. »

Psalm. 66, v. 5 : « Lætentur et exsultent gentes, quoniam judicas populos in æquitate, et gentes in terrâ dirigis. »

Psalm. 67, v. 32, 33 : « Venient legati ex Ægypto; Æthiopia præveniet manus ejus Deo. Regna terræ, cantate Deo. »

Psalm. 71, v. 8 *et seq.* : « Et dominabitur à mari usque ad mare, et à flumine usque ad terminos orbis terrarum. Coràm illo procident Æthiopes, et inimici ejus terram lingent. Reges Tharsis et insulæ munera offerent; reges Arabum et Saba dona adducent; et adorabunt eum omnes reges terræ; omnes gentes servient ei...... Et vivet, et dabitur ei de auro Arabiæ, et adorabunt de ipso semper; totâ die benedicent ei... Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ; omnes gentes magnificabunt eum. »

Psalm. 81, v. 8 : « Surge, Deus, judica terram; quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus. »

Psalm. 85, v. 9 : « Omnes gentes, quascumque fecisti, venient, et adorabunt coràm te, Domine, et glorificabunt nomen tuum. »

Psalm. 86, v. 2 *et seq.* : « Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. Memor ero Rahab et Babylonis scientium me; ecce alienigenæ, et Tyrus, et populus Æthiopum, hi fuerunt illic. Numquid Sion dicet : Homo, et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus? Dominus narrabit in scripturis populorum et principum, horum qui fuerunt in eâ. »

Psalm. 95, v. 2 *et seq.* : « Annuntiate inter gentes gloriam ejus, in omnibus populis mirabilia ejus...... Afferte Domino, patriæ gentium, afferte Domino gloriam et honorem, afferte Domino gloriam nomini ejus; tollite hostias, et introite in atria ejus; adorate Dominum in atrio sancto ejus; commoveatur à facie ejus universa terra; dicite in gentibus, quia Dominus regnavit. Etenim correxit orbem terræ, qui non commovebitur; judicabit populos in æquitate. »

Psalm 97, v. 3, 4 : « Notum fecit Dominus salutare suum; in conspectu gentium revelavit justitiam suam...... Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri. »

Psalm. 101, v. 16 : « Et timebunt gentes nomen tuum...... Scribantur hæc in generatione alterâ, et populus qui creabitur, laudabit Dominum. »

Psalm. 109, v. 2 : « Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum. »

Psalm. 116, v. 1 : « Laudate Dominum, omnes gentes, laudate eum, omnes populi. »

Isa. c. 2, v. 2, 3 : « Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes, et ibunt populi multi, et dicent : Venite, et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob; et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus; quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem; et judicabit gentes, et arguet populos multos. »

Isa. 11, v. 9, 10 : « Quia repleta est terra scientiâ Domini, sicut aquæ maris operientes. In die illâ radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur. »

Isa. c. 18, v. 2 : « In tempore illo deferetur munus Domino exercituum à populo divulso et dilacerato, à populo terribili, post quem non fuit alius, à gente exspectante, exspectante et conculcatâ, cujus diripuerunt flumina terram ejus; ad locum nominis Domini exercituum, montem Sion. »

Isa. c. 19, v. 18 *et seq.* : « In die illâ erunt quinque civitates in terrâ Ægypti, loquentes linguâ Chanaan, et jurantes per Dominum exercituum. Civitas solis, vocabitur una. In die illâ erit altare Domini in medio terræ Ægypti, et titulus Domini juxtà terminum ejus erit in signum et in testimonium Domino exercituum in terrâ Ægypti. Clamabunt enim ad Dominum à facie tribulantis, et mittet eis Salvatorem, et propugnatorem qui liberet eos, et cognoscetur Dominus ab Ægypto, et cognoscent Ægyptii dominum in die illâ, et colent eum in hostiis et in muneribus, et vota vovebunt Domino, et solvent. »

Isa. c. 25, v. 6 *et seq.* : « Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ. Et præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, et telam quam orditus est super omnes nationes. Præcipitabit mortem in sempiternum, et auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, et opprobrium populi sui auferet de universâ terrâ, quia Dominus locutus est, et dicet in die illâ : Ecce Deus noster iste, exspectavimus eum, et salvavit nos; iste Dominus, sustinuimus eum; exsultabimus et lætabimur in salutari ejus. »

Isa. c. 27, v. 13 : « Et erit, in die illâ clangetur in tubâ magnâ, et venient qui perditi fuerant de terrâ Assyriorum, et qui ejecti erant in terrâ Ægypti, et adorabunt in monte sancto in Jerusalem. »

Isa. c. 31, v. 7 : « In die enim illâ abjiciet vir idola argenti sui, et idola auri sui, quæ fecerunt vobis manus vestræ in peccatum. »

Isa. c. 35, v. 1 *et seq.* : « Lætabitur deserta et invia, et exsultabit solitudo, et florebit quasi lilium, germinans germinabit, et exsultabit lætabunda et laudans...... Deus ipse veniet, et salvabit vos...... quia scissæ sunt in deserto aquæ, et torrentes in solitudine; et quæ erat arida, erit in stagnum; et sitiens, in fontes aquarum; in cubilibus, in quibus priùs dracones habitabant, orietur viror calami et junci : et erit ibi semita et via, et via sancta vocabitur; non transibit per eam pollutus...... Et redempti à Domino convertentur, et venient in Sion cum laude; et lætitia sempiterna super caput eorum; gaudium et lætitiam obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus. »

Isa. c. 42, v. 1 *et seq.* : « Ecce servus meus, suscipiam eum : electus meus, complacuit sibi in illo anima mea; dedi spiritum meum super eum, judicium gentibus proferet...... Et legem ejus insulæ exspectabunt...... Ego Dominus vocavi te in justitiâ, et apprehendi manum tuam, et servavi te, et dedi te in fœdus populi, in lucem gentium.,..... Cantate Domino canticum novum, laus ejus ab extremis terræ; qui descenditis in mare, et plenitudo ejus; insulæ, et habitatores earum...... Laudate, habitatores petræ; de vertice montium clamabunt. Ponent Domino gloriam, et laudem ejus in insulis nuntiabunt...... Et ducam cœcos in viam quam nesciunt; et in semitis, quas ignoraverunt, ambulare eos faciam : ponam tenebras coràm eis in lucem, et prava in recta : hæc verba feci eis, et non dereliqui eos....... Surdi audite, et cæci, intuemini ad videndum. »

Isa. c. 43, v. 19 *et seq.* : « Ecce ego facio nova, et nunc orientur; utique cognoscetis ea : ponam in deserto viam, et in invio flumina. Glorificabit me bestia agri, dracones, et struthiones; quia dedi in deserto aquas, flumina in invio, ut darem potum populo meo, electo meo. Populum istum formavi mihi, laudem meam narrabit. »

Isa. 45, v. 5, 6 : « Ego Dominus, et non est ampliùs : extrà me non est Deus. Accinxi te, et non cognovisti me; ut sciant hi qui ab ortu solis, et qui ab occidente, quoniam absque me non est. »

Isa. c. 45, v. 14 *et seq.* : « Hæc dicit Dominus : Labor Ægypti, et negotiatio Æthiopiæ, et Sabaim viri sublimes ad te transibunt, et tui erunt; post te ambulabunt, vincti manicis pergent, et te adorabunt, teque deprecabuntur. Tantùm in te est, Deus, et non est absque te Deus; verè tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator...... Congregamini, et venite, et accedite simul, qui salvati estis ex gentibus....... Convertimini ad me, et salvi eritis, omnes fines terræ; quia ego Deus, et non est alius. In memetipso juravi, egredietur de ore meo justitiæ verbum, et non revertetur, quia mihi curvabitur omne genu, et jurabit omnis lingua. Ergò in Domino, dicet, meæ sunt justitiæ et imperium; ad eum venient, et confundentur omnes qui repugnant ei. »

Isa. c. 49, v. 1 *et seq.* : « Audite, insulæ, et attendite, populi de longè, Dominus ab utero vocavit me...... Et nunc dicit Dominus formans me ex utero servum sibi, ut reducam Jacob ad eum, et Israel non congregabitur : et glorificatus sum in oculis Domini, et Deus meus factus est fortitudo mea, et dixit : Parùm est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, et fæces Israel convertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. Hæc dicit Dominus redemptor Israel, sanctus ejus, ad contemptibilem animam, ad abominatam gentem, ad servum Dominorum. Reges videbunt, et consurgent principes, et adorabunt propter Dominum, quia fidelis est, et sanctum Israel qui elegit te. Hæc dicit Dominus : In tempore placito exaudivi te, et in die salutis auxiliatus sum tui, et servavi te, et dedi te in fœdus populi, ut suscitares terram, et possideres hæreditates dissipatas.... Ecce isti de longè venient, et ecce illi ab aquilone et mari, et isti de terrâ Australi...... Leva in circuitu oculos tuos, et vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi; vivo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento vestieris, et circumdabis tibi eos quasi sponsa. Quia deserta tua, et solitudines tuæ, et terra ruinæ tuæ, nunc angusta erunt præ habitatoribus, et longè fugabuntur qui absorbebant te. Adhuc dicent in auribus tuis filii sterilitatis tuæ : Angustus est mihi locus, fac spatium mihi ut habitem. Et dices in corde tuo : Quis genuit mihi istos? ego sterilis, et non pariens, transmigrata, et captiva, et istos quis enutrivit? ego destituta, et sola, et isti ubi erant? Hæc dicit Dominus Deus : Ecce levabo ad gentes manum meam, et ad populos exaltabo signum meum; et afferent filios tuos in ulnis, et filias tuas super humeros portabunt; et erunt reges nutritii tui, et reginæ nutrices tuæ;

vultu in terram demisso adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent. »

Isa. c. 51, v. 5 : « Propè est Justus meus, egressus est Salvator meus, et brachia mea populos judicabunt; me insulæ exspectabunt, et brachium meum sustinebunt. »

Isa. c. 52, v. 10 *et seq.*: « Paravit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium; et videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri...... Iste asperget gentes multas, super ipsum continebunt reges os suum; quia quibus non est narratum de eo, viderunt; et qui non audierunt, contemplati sunt. »

Isa. c. 54, v. 1 *et seq.*: « Lauda, sterilis, quæ non paris, decanta laudem, et hinni, quæ non pariebas; quoniam multi filii desertæ, magis quàm ejus quæ habet virum, dicit Dominus. Dilata locum tentorii tui, et pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas : longos fac funiculos tuos, et clavos tuos consolida; ad dexteram enim et ad lævam penetrabis, et semen tuum gentes hæreditabit, et civitates desertas inhabitabit...... Ecce accola veniet, qui non erat mecum, advena quondàm tuus adjungetur tibi. »

Isa. c. 55, v. 4, 5 : « Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorum gentibus. Ecce gentem quam nesciebas, vocabis; et gentes, quæ te non cognoverunt, ad te current, propter Dominum Deum tuum, et sanctum Israel, quia glorificavit te. »

Isa. c. 59, v. 19 : « Et timebunt qui ab occidente nomen Domini, et qui ab ortu solis gloriam ejus; cùm venerit quasi fluvius violentus, quem spiritus Domini cogit, et venerit Sion redemptor. »

Isa. c. 60, v. 3 *et seq.*: « Et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortûs tui. Leva in circuitu oculos tuos, et vide; omnes isti congregati sunt, venerunt tibi; filii tui de longe venient, et filiæ tuæ de latere. Tunc videbis, et afflues; et mirabitur, et dilatabitur cor tuum, quandò conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi. Inundatio camelorum operiet te, dromedarii Madian et Epha; omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes....... Me enim insulæ exspectant, et naves maris in principio, ut adducam filios tuos de longè, argentum eorum, et aurum eorum cum eis, nomini Domini Dei tui, et sancto Israel, quia glorificavi te. Et ædificabunt filii peregrinorum muros tuos, et reges eorum ministrabunt tibi indignatione enim meâ percussi te; et in reconciliatione meâ misertus sum tuî; et aperientur portæ tuæ jugiter; die ac nocte non claudentur, ut afferatur ad te fortitudo gentium, et reges earum adducantur..... Et venient ad te curvi filii eorum qui humiliaverunt te, et adorabunt vestigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi, et vocabunt te Civitatem Domini, Sion sancti Israel. Pro eo quòd fuisti derelicta, et odio habita, et non erat qui per te transiret, ponam te in superbiam seculorum, gaudium in generationem et generationem; et suges lac gentium, et mamillâ regum lactaberis; et scies quia ego Dominus salvans te, redemptor tuus fortis Jacob. »

Isa. c. 62, v. 2, 11, 12 : « Et videbunt gentes Justum tuum, et cuncti reges inclytum tuum... Ecce Dominus auditum fecit in extremis terræ: Dicite, filiæ Sion : Ecce Salvator tuus venit, ecce merces ejus cum eo, et opus ejus coràm illo. Et vocabunt eos : Populus sanctus, redempti à Domino; tu autem vocaberis Quæsita civitas, et non Derelicta. »

Isa. c. 65, v. 1 : « Quæsierunt me qui antè non interrogabant; invenerunt qui non quæsierunt me. Dixi : Ecce ego, ecce ego, ad gentem quæ non invocabat nomen meum. »

Isa. c. 66, v. 18 *et seq.*: « Ego autem opera eorum, et cogitationes eorum venio ut congregem cum omnibus gentibus et linguis; et venient, et videbunt gloriam meam. Et ponam in eis signum, et mittam ex eis qui salvati fuerint, ad gentes in mare, in Africam, et Lydiam tendentes sagittam, in Italiam, et Græciam, ad insulas longè, ad eos qui non audierunt de me, et non viderunt gloriam meam : et annuntiabunt gloriam meam gentibus, et adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus, donum Domino, in equis, et in quadrigis, et in lecticis, et in mulis, et in carrucis, ad montem sanctum meum Jerusalem, dicit Dominus, quomodò si inferant filii Israel munus in vase mundo in domum Domini. Et assumam ex eis in Sacerdotes et Levitas, dicit Dominus. »

Jerem. c. 3, v. 17 : « In tempore illo vocabunt Jerusalem, Solium Domini; et congregabuntur ad eam omnes gentes in nomine Domini in Jerusalem, et non ambulabunt post pravitatem cordis sui pessimi. »

Jerem. c. 4, v. 2 : « Et jurabis : Vivit Dominus, in veritate, et in judicio, et in justitià, et benedicent eum gentes, ipsumque laudabunt. »

Jerem. c. 16, v. 19 *et seq.* : « Domine, fortitudo mea, et robur meum, et refugium meum in die tribulationis; ad te gentes venient ab extremis terræ, et dicent : Vere mendacium possederunt patres nostri, vanitatem quæ eis non profuit. Numquid faciet sibi homo deos, et ipsi non sunt dii? Idcircò ecce ego ostendam eis per vicem hanc, ostendam eis manum meam, et virtutem meam, et scient quia nomen mihi Dominus. »

Jerem. c. 31, v. 34 : « Et non docebit ultrà vir proximum suum, et vir fratrem suum, dicens : Cognosce Dominum; omnes enim cognoscent me, à minimo eorum usque ad maximum, ait Dominus. »

Thren. c. 4, v. 20 : « Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris; cui diximus : In umbrâ tuâ vivemus in gentibus. »

Ezech. c. 27, v. 24 : « Et scient omnia ligna regionis, quia ego Dominus humiliavi lignum sublime, et exaltavi lignum humile; et siccavi lignum viride, et frondere feci lignum aridum. »

Ose. c. 1, v. 10 : « Et erit in loco ubi dicetur eis : Non populus meus vos, dicetur eis : Filii Dei viventis. »

Ose. c. 2 v. 24 : « Et dicam non populo meo : Populus meus es tu. »

Joel. c. 2, v. 28 : « Et erit post hæc : Effundam spiritum meum super omnem carnem. »

Amos. c. 9, v. 11, 12 : « In die illâ suscitabo tabernaculum David quod decidit; et reædificabo aperturas murorum ejus, et ea quæ corruerunt instaurabo, et reædificabo illud sicut in diebus antiquis; ut possideant reliquias Idumææ et omnes nationes, eò quòd invocatum sit nomen meum super eos, dicit Dominus faciens hæc. »

Mich. c. 4, v. 1 *et seq.* : « Et erit in novissimo dierum, erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, et sublimis super colles, et fluent ad eum populi, et properabunt gentes multæ, et dicent : Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos de viis suis, et ibimus in semitis ejus; quia de Sion egredietur lex, et verbum Domini de Jerusalem. Et judicabit inter populos multos, et corripiet gentes fortes usque in longinquum; et concident gladios suos in vomeres, et hastas suas in ligones; non sumet gens adversùs gentem gladium, et non discent ultrà belligerare. Et sedebit vir subtùs vitem suam, et subtùs ficum suam, et non erit qui deterreat, quia os Domini exercituum locutum est. »

Soph. c. 2, v. 11 : « Horribilis Dominus super eos, et attenuabit omnes deos terræ; et adorabunt eum viri de loco suo, omnes insulæ gentium. »

Soph. c. 3, v. 9, 10 : « Quia tunc reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini, et serviant ei humero uno. Ultra flumina Æthiopiæ, indè supplices mei; filii dispersorum meorum deferent munus mihi. »

Agg. c. 2, v. 7, 8 : « Quia hæc dicit Dominus exercituum : Adhuc unum modicum est, et ego commovebo cœlum et terram, et mare et aridam. Et movebo omnes gentes, et veniet Desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloriâ, dicit Dominus exercituum. »

Zach. c. 2, v. 10, 11 : Lauda et lætare, filia Sion, quia ecce ego venio, et habitabo in medio tuî, ait Dominus; et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illâ, et erunt mihi in populum, et habitabo in medio tuî. »

Zach. c. 8, v. 20 *et seq.* : « Hæc dicit Dominus exercituum : Usquequò veniant populi, et habitent in civitatibus multis, et vadant habitatores, unus ad alterum dicentes : Eamus, et deprecemur faciem Domini, et quæramus Dominum exercituum, vadam etiam ego. Et venient populi multi, et gentes robustæ ad quærendum Dominum exercituum in Jerusalem, et deprecandam faciem Domini. Hæc dicit Dominus exercituum : In diebus illis, in quibus apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium, et apprehendent fimbriam viri Judæi, dicentes : Ibimus vobiscum; audivimus enim, quoniam Deus vobiscum est. »

Zach. c. 9, v. 10 : « Et loquetur pacem gentibus et potestas ejus à mari usque ad mare, et à fluminibus usque ad fines terræ. »

Zach. c. 13, v. 8 : « Et erunt in omni terrâ, dicit Dominus; partes duæ in eâ dispergentur, et deficient; et tertia pars relinquetur in eâ. »

Zach. c. 14, v. 16 : « Et omnes qui reliqui fuerint de universis gentibus, quæ venerunt contrà Jerusalem, ascendent ab anno in annum, ut adorent regem Dominum exercituum. »

Malach. c. 1, v. 10, 11 : « Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestrâ. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda;

quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum. »

Matth. c. 2, v. 1 *et seq.*: « Cùm ergò natus esset Jesus in Bethlehem Juda, in diebus Herodis regis, ecce Magi ab oriente venerunt Jerosolymam, dicentes : Ubi est qui natus est rex Judæorum? Vidimus enim stellam ejus in oriente, et venimus adorare eum. »

Matth. c. 3, v. 9 : « Et ne velitis dicere intrà vos : Patrem habemus Abraham ; dico enim vobis, quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. »

Matth. c. 8, v. 5 *et seq.* : « Cùm autem introiisset Capharnaum, accessit ad eum Centurio rogans, et dicens : Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, et malè torquetur. Et ait illi Jesus : Ego veniam et curabo eum. Et respondens Centurio ait : Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantùm dic verbo, et sanabitur puer meus ; nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, et dico huic : Vade, et vadit; et alii : Veni et venit; et servo meo : Fac hoc, et facit. Audiens autem Jesus, miratus est, et sequentibus se dixit : Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel; dico autem vobis, quòd multi ab oriente et occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob, in regno cœlorum ; filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores; ibi erit fletus et stridor dentium. Et dixit Jesus Centurioni : Vade, et sicut credidisti fiat tibi. » Et Luc. c. 7, 2 et seq.

Matth. c. 10, v. 18 : « Ad præsides et ad reges ducemini propter me, in testimonium illis et gentibus. »

Matth. c. 12, v. 17 *et seq.* : « Ut adimpleretur quod dictum est per Jeremiam prophetam, dicentem : *Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus in quo benè complacuit animæ meæ; ponam spiritum meum super eum, et judicium gentibus nuntiabit. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus : arundinem quassatam non confringet, et linum fumigans non exstinguet, donec ejiciat ad victoriam judicium; et in nomine ejus gentes sperabunt.* »

Matth. c. 15, v. 31 *et seq.* : « Et egressus indè Jesus secessit in partes Tyri et Sidonis. Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa, clamavit, dicens ei : Miserere mei, Domine, fili David ; filia mea malè à dæmonio vexatur... Qui respondens ait : Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus. At illa dixit : Etiam, Domine, nam catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensâ dominorum suorum. Tunc respondens Jesus, ait illi : O mulier, magna est fides tua ; fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia ejus ex horâ illâ. » Et Marc, c. 7, v. 24.

Matth. c. 21, v. 40, 41 : « Cùm ergò veniet Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? Aiunt illi : Malos malè perdet, vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis. » Et Marc. c. 12, v. 9. Luc. c. 20, v. 16.

Matth. c. 24, v. 14 : « Et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus. » Et Marc. c. 13, v. 10.

Matth. c. 28, v. 19 : « Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti. » Et Luc. c. 24, v. 47.

Marc. c. 16, v. 15 *et seq.* : « Et dixit eis : Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.., Illi autem profecti prædicaverunt ubique. »

Luc. c. 2, v. 30 *et seq.* : « Quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parâsti antè faciem omnium populorum ; lumen ad revelationem gentium , et gloriam plebis tuæ Israel. »

Joan. c. 10, v. 16 : « Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor. »

Joan. c. 11, v. 51, 52 : « Jesus moriturus erat pro gente, et non tantùm pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum. »

Act. c. 2, v. 4 *et seq.* : « Erant autem in Jerusalem habitantes Judæi, viri religiosi, ex omni natione quæ sub cœlo est.... Stupebant autem omnes et mirabantur, dicentes : Nonnè ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt, et quomodò nos audivimus unusquisque linguam nostram in quâ nati sumus? Parthi, et Medi, et Ælamitæ, et qui habitant Mesopotamiam, Judæam, et Cappadociam, Pontum, et Asiam, Phrygiam , et Pamphyliam, Ægyptum, et partes Libyæ quæ est circà Cyrenen, et advenæ Romani ; Judæi quoque, et Proselyti ; Cretes, et Arabes ; audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei..... Petrus verò ad illos : Pœnitentiam, inquit, agite, et baptizetur unusquisque vestrûm in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum Spiritûs sancti ; vo-

bis enim est repromissio, et filiis vestris, et omnibus qui longè sunt, quoscumque advocaverit Dominus Deus noster... Qui ergò receperunt sermonem ejus, baptizati sunt; et appositæ sunt ad illum animæ circiter tria millia. »

Act. c. 8, v. 27 *et seq.* : « Et ecce vir Æthiops, eunuchus potens Candaces, reginæ Æthiopum, qui erat super omnes gazas ejus, venerat adorare in Jerusalem..... Aperiens autem Philippus os suum, et incipiens à Scripturâ istâ evangelizavit illi Jesum, et dùm irent per viam, venerunt ad quamdam aquam. Et ait eunuchus : Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? Dixit autem Philippus : Si credis ex toto corde, licet. Et respondens ait : Credo Filium Dei esse Jesum Christum. Et jussit stare currum, et descenderunt uterque in aquam, Philippus et eunuchus, et baptizavit eum. »

Act. c. 9, v. 15, 29 : « Dixit autem ad eum Dominus : Vade, quoniam vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coràm gentibus, et regibus, et filiis Israel...,. Loquebatur quoque gentibus, et disputabat cum Græcis : illi autem quærebant occidere eum. »

Act. c. 10, v. 21 *et seq.* : « Descendens autem Petrus ad viros, dixit : Ecce ego sum quem quæritis : quæ causa est, propter quam venistis? Qui dixerunt : Cornelius centurio, vir justus, et timens Deum, et testimonium habens ab universâ gente Judæorum, responsum accepit ab Angelo sancto, accersire te in domum suam, et audire verba abs te..... Et loquens cum illo intravit, et invenit multos qui convenerant, dixitque ad illos : Vos scitis quomodò abominatum sit viro Judæo, conjungi aut accedere ad alienigenam; sed mihi ostendit Deus neminem communem aut immundum dicere hominem; propter quod sine dubitatione veni accersitus; et Cornelius ait... Nunc ergò omnes nos in conspectu tuo adsumus, audire omnia quæcumque tibi præcepta sunt à Domino. Aperiens autem Petrus os suum, dixit : In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus; sed in omni gente, qui timet eum, et operatur justitiam, acceptus est illi. Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum, et obstupuerunt ex circumcisione fideles qui venerant cum Petro, quia et in nationes gratia Spiritûs sancti effusa est; audiebant enim illos loquentes linguis, et magnificantes Deum. Tunc respondit Petrus : Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi qui Spiritum sanctum acceperunt, sicut et nos? Et jussit eos baptizari in nomine Domini Jesu Christi. »

Act. c. 11, v. 1 *et seq.* : « Audierunt autem Apostoli, et fratres qui erant in Judæâ, quoniam et gentes receperunt verbum Dei..... Incipiens autem Petrus exponebat illis ordinem, dicens..... Si ergò eamdem gratiam dedit illis Deus, sicut et nobis qui credidimus in Dominum Jesum Christum, ego quis eram, qui possem prohibere Deum? His auditis tacuerunt, et glorificaverunt Deum, dicentes : Ergo et gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam. ... Et illi quidem qui dispersi fuerant à tribulatione quæ facta fuerat sub Stephano, perambulaverunt usque Phœnicen et Cyprum, et Antiochiam, nemini loquentes verbum, nisi solis Judæis. Erant autem quidam ex eis viri Cyprii et Cyrenæi, qui cum introîssent Antiochiam, loquebantur et ad Græcos, annuntiantes Dominum Jesum. Et erat manus Domini cum eis, multusque numerus credentium conversus est ad Dominum. Pervenit autem sermo ad aures Ecclesiæ, quæ erat Jerosolymis, super istis : et miserunt Barnabam usque ad Antiochiam. Qui cùm pervenisset, et vidisset gratiam Dei, gavisus est, et hortabatur omnes in proposito cordis permanere in Domino; quia erat vir bonus, et plenus Spiritu sancto et fide. Et apposita est multa turba Domino. Profectus est, autem Tarsum, ut quæreret Saulum; quem cum invenisset, perduxit Antiochiam : et annum totum conversati sunt ibi in Ecclesiâ. Et docuerunt turbam multam; ità ut cognominarentur primum Antiochiæ discipuli, Christiani. »

Act. c. 13, v. 12, 45 *et seq.* : « Tunc proconsul cùm vidisset factum, credidit admirans super doctrina Domini... Videntes autem turbas Judæi, repleti sunt zelo, et contradicebant his quæ à Paulo dicebantur blasphemantes. Tunc constanter Paulus et Barnabas dixerunt : Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes; sic enim præcepit nobis Dominus : *Posui te in lucem gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terræ.* Audientes autem Gentes gavisæ sunt, et glorificabant verbum Domini, et crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam. Disseminabatur autem verbum Domini per universam religionem. »

Act. c. 14, v. 23 *et seq.* : « Transeuntes Pi-

sidiam, venerunt in Pamphyliam, et loquentes verbum Domini in Perge, descenderunt in Attaliam, et navigaverunt Antiochiam, undè erant traditi gratiæ Dei, in opus quod compleverunt. Cùm autem venissent, et congregâssent Ecclesiam, retulerunt quanta fecisset Deus cum illis, et quia aperuissent gentibus ostium fidei. »

Act. c. 15, v. 3 *et seq.* : « Illi ergò deducti ab Ecclesiâ, pertransibant Phœnicen, et Samariam, narrantes conversionem gentium, et faciebant gaudium magnum omnibus fratribus. ... Cùm autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos : Viri fratres, vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire Gentes verbum Evangelii, et credere. Et qui novit corda Deus, testimonium perhibuit, dans illis Spiritum sanctum, sicut et nobis ; et nihil discrevit inter nos et illos, fide purificans corda eorum... Tacuit autem omnis multitudo, et audiebant Barnabam et Paulum, narrantes quanta Deus fecisset et prodigia in gentibus per eos. Et postquàm tacuerunt, respondit Jacobus dicens : Viri fratres, audite me. Simon narravit, quemadmodùm primùm Deus visitavit sumere ex gentibus populum nomini suo. Et huic concordant verba Prophetarum, sicut scriptum est : *Post hæc revertar, et reædificabo tabernaculum David quod decidit, et diruta ejus reædificabo, et erigam illud ; ut requirant cæteri hominum Dominum et omnes gentes super quas invocatum est nomen meum, dicit Dominus faciens hæc.* Notum à seculo est Domino opus suum. Propter quod ego judico non inquietari eos qui ex gentibus convertuntur ad Deum. »

Act. c. 16, v. 14 : « Et quædam mulier, nomine Lydia, purpuraria civitatis Thyatirenorum, colens Deum, audivit : cujus Dominus aperuit cor, intendere his quæ dicebantur à Paulo. Cùm autem baptizata esset, et domus ejus, deprecata est. »

Act. c. 18, v. 5, 6 : « Cùm venissent autem de Macedoniâ Silas et Timotheus, instabat verbo Paulus testificans Judæis esse Christum Jesum. Contradicentibus autem eis, et blasphemantibus, excutiens vestimenta sua, dixit ad eos : Sanguis vester super caput vestrum ; mundus ego ; ex hoc ad gentes vadam. »

Act. c. 21, v. 18 *et seq.* : « Sequenti autem die introiebat Paulus nobiscum ad Jacobum, omnesque collecti sunt Seniores. Quos cùm salutâsset, narrabat per singula quæ Deus fecisset in gentibus per ministerium ipsius. At illi cùm audîssent, magnificabant Deum, dixeruntque ei : ... De his autem qui crediderunt ex gentibus nos scripsimus, judicantes ut abstineant se ab idolis, immolato, et sanguine, et suffocato, et fornicatione. »

Act. c. 22, v. 21 : « Et dixit ad me : Vade, quoniam ego in nationes longè mittam te. »

Act. c. 26, v. 1, 20 : « Tunc Paulus extentâ manu cœpit rationem reddere... his qui sunt Damasci primùm, et Jerosolymis, et in omnem regionem Judææ, et gentibus annuntiabam, ut pœnitentiam agerent, et converterentur ad Deum. »

Act. c. 28, v. 28 : « Notum ergò sit vobis, quoniam gentibus missum est hoc salutare Dei, et ipsi audient. »

Rom. c. 1, v. 5, 13 : « Per quem accepimus gratiam et Apostolatum, ad obediendum fidei in omnibus pro nomine ejus ; in quibus estis et vos vocati Jesu Christi. »

Rom. c. 3, v. 29, 30 : « An Judæorum Deus tantùm? nonne et gentium? imò et gentium : quoniam quidem unus est Deus, qui justificat circumcisionem ex fide, et præputium per fidem. »

Rom. c. 4, v. 16 *et seq.* : « Ut secundùm gratiam firma sit promissio omni semini, non ei qui ex lege est solùm, sed et ei qui ex fide est Abrahæ, qui pater est omnium nostrum (sicut scriptum est : *Quia patrem multarum gentium posui te*), antè Deum cui credidit, qui vivificat mortuos, et vocat ea quæ non sunt tanquàm ea quæ sunt, qui contrà spem in spem credidit, ut fieret pater multarum gentium, secundùm quod dictum est ei : *Sic erit semen tuum.* »

Rom. c. 9, v. 24 *et seq.* : « Quos et vocavit nos, non solùm ex Judæis, sed etiam ex gentibus : sicut in Osee dicit : *Vocabo non plebem meam, plebem meam ; et non dilectam, dilectam ; et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam.* Et erit : *In loco ubi dictum est eis : Non plebs meas vos*, ibi vocabuntur filii Dei *vivi*..... Quid ergò dicemus? quòd gentes, quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam ; justitiam autem quæ ex fide est. »

Rom. c. 10, v. 17 *et seq.* : « Sed dico : Numquid non audierunt ? et quidem *in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines terræ verba eorum.* Sed dico : Numquid Israel non cognovit ? Primus Moyses dicit : *Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem ; in gentem insipientem in iram vos mittam.* Isaias autem audet, et dicit : *Inventus sum à non quærentibus me ;*

palàm apparui his quia me non interrogabant. »

Rom. c. 11, v. 11 *et seq.* : « Sed illorum delicto salus est gentibus, ut illos æmulentur. Quòd si delictum illorum, divitiæ sunt mundi ; et diminutio eorum, divitiæ gentium, quantò magis plenitudo eorum! Vobis enim dico gentibus : Quamdiù quidem ego sum gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo... Quod si delibatio sancta est, et massa ; et si radix sancta, et rami. Quòd si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cùm oleaster esses, insertus es in illis, et socius radicis et pinguedinis olivæ factus es, noli gloriari adversùs ramos. Quòd si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te. Dices ergò : Fracti sunt rami, ut ego inserar. Benè..... Nolo enim vos ignorare, fratres, mysterium hoc (ut non sitis vobis ipsis sapientes) quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret. »

Rom. c. 15, v. 8 *et seq.* : « Dico enim Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis ; propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum ; gentes autem super misericordiâ honorare Deum, sicut scriptum est : *Proptereà confitebor tibi in gentibus, Domine, et nomini tuo cantabo.* Et iterùm dicit : *Lætamini, gentes, cum plebe ejus.* Et iterùm : *Laudate, omnes gentes, Dominum, et magnificate eum, omnes populi.* Et rursùs Isaias ait : *Erit radix Jesse, et qui exsurget regere gentes ; in eum gentes sperabunt...* Audacius autem scripsi vobis, fratres, ex parte, tanquàm in memoriam vos reducens propter gratiam quæ data est mihi à Deo, ut sim minister Christi Jesu in gentibus, sanctificans Evangelium Dei, ut sit oblatio gentium accepta, et sanctificata in spiritu sancto. Habeo igitur gloriam in Christo Jesu ad Deum. Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus in obedientiam gentium, verbo et factis ; in virtute signorum et prodigiorum, in virtute Spiritûs sancti ; ità ut ab Jerusalem per circuitum, usque ad Illyricum, repleverim Evangelium Christi. Sic autem prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem, sed sicut scriptum est : *Quibus non est annuntiatum de eo, videbunt ; et qui non audierunt, intelligent....* Nunc igitur proficiscar in Jerusalem ministrare sanctis. Probaverunt enim Macedonia et Achaia, collationem aliquam facere in pauperes sanctorum qui sunt in Jerusalem. Placuit enim eis, et debitores sunt eorum. Nam si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles, debent et in carnalibus ministrare illis. »

Rom. c. 16, v. 4 : « Quibus non solus ego gratias ago ; sed et cunctæ Ecclesiæ gentium. »

Rom. c. 16, v. 26 : « Qui potens est vos confirmare juxta Evangelium meum, et prædicationem Jesu Christi, secundùm revelationem mysterii temporibus æternis taciti (quod nunc patefactum est per Scripturas Prophetarum, secundùm præceptum æterni Dei, ad obeditionem fidei) in cunctis gentibus cogniti. »

1 *Cor.* c. 1, v. 26 : « Videte enim vocationem vestram, fratres ; quia non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles ; sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes ; et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia ; et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret ; ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus. »

Gal. c. 1, v. 15, 16 : « Cùm autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meæ, et vocavit per gratiam suam, ut revelaret Filium suum in me, ut evangelizarem illum in gentibus, continuò non acquievi carni et sanguini. »

Gal. c. 2, v. 2 *et seq.* : « Contuli cum illis Evangelium quod prædico in gentibus... Sed neque Titus qui mecum erat cùm esset gentilis, compulsus est circumcidi... Sed contrà, cùm vidissent quòd creditum est mihi Evangelium præputii, sicut et Petro circumcisionis (qui enim operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes), et cùm cognovissent gratiam quæ data est mihi, Jacobus, et Cephas, et Joannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi et Barnabæ societatis ; ut nos in gentes, ipsi autem in circumcisionem. »

Gal. c. 3, v. 8, 14 : « Providens autem Scriptura, quia ex fide justificat gentes Deus, prænuntiavit Abrahæ : *Quia benedicentur in te omnes gentes.....* ut in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Jesu. »

Gal. c. 4, v. 22 *et seq.* : « Scriptum est enim : quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancillâ et unum de liberâ. Sed qui de ancillâ, secundùm carnem natus est ; qui autem de liberâ, per repromissionem ; quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo testamenta ; unum quidem in monte Sinâ, in servitutem generans, quæ est Agar ; Sina enim mons est

in Arabiâ, qui conjunctus est ei quæ nunc est Jerusalem, et servit cum filiis suis. Illa autem quæ sursùm est Jerusalem, libera est; quæ est mater nostra. Scriptum est enim : *Lætare, sterilis, quæ non paris; erumpe et clama, quæ non parturis; quia multi filii desertæ, magis quàm ejus quæ habet virum.* Nos autem, fratres, secundum Isaac promissionis filii sumus. »

Eph. c. 2, v. 11, 12 : « Propter quod memores estote, quod aliquandò vos gentes in carne, qui dicimini Præputium, ab eâ quæ dicitur Circumcisio, in carne, manu factâ : quia eratis illo in tempore sine Christo, alienati à conversatione Israel, et hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Christo Jesu, vos qui aliquandò eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum... Et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longè fuistis; et pacem iis qui propè... Ergò jam non estis hospites et advenæ, sed estis cives Sanctorum, et domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum. »

Eph. c. 3, v. 1 *et seq.* : « Hujus rei gratiâ ègo Paulus, vinctus Christi Jesu, pro vobis gentibus, si tamen audistis dispensationem gratiæ Dei, quæ data est mihi in vobis... gentes esse cohæredes, et concorporales; et comparticipes promissionis ejus in Christo Jesu per Evangelium... Mihi omnium Sanctorum minimo data est gratia hæc, in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi. »

Col. c. 1, v. 23, 27, 28 : « Si tamen permanetis in fide fundati, et stabiles, et immobiles à spe Evangelii, quod audistis quod prædicatum est in universâ creaturâ quæ sub cœlo est, cujus factus sum ego Paulus minister... quibus voluit Deus notas facere divitias gloriæ sacramenti hujus in gentibus, quod est Christus, in vobis spes gloriæ, quem nos annuntiamus, corripientes omnem hominem, et docentes omnem hominem, in omni sapientiâ, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Jesu. »

Col. c. 3, v. 9 *et seq.* : « Nolite mentiri invicem, exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem, secundùm imaginem ejus qui creavit illum; ubi non est Gentilis et Judæus, Circumcisio et Præputium, Barbarus et Scytha, servus et liber; sed omnia et in omnibus Christus. »

1 *Thess.* c. 2, v. 26 : « Prohibentes nos gentibus loqui, ut salvæ fiant. »

1 *Tim.* c. 2, v. 7 : « In quo positus sum ego prædicator et Apostolus (veritatem dico, non mentior), doctor in fide et veritate. »

1 *Tim.* c. 3, v. 16 : « Et manifestè magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in Spiritu, apparuit Angelis, predicatum est gentibus. »

2 *Tim.* c. 1, v. 11 : « In quo positus sum ego prædicator, et Apostolus, et magister gentium. »

2 *Tim.* c. 4, v. 17 : « Dominus autem mihi adstitit, et confortavit me, ut per me prædicatio impleatur, et audiant omnes gentes. »

1 *Petr.* c. 2, v. 10 : « Qui aliquandò non populus, nunc autem populus Dei; qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti. »

Apoc. c. 7, v. 9 : « Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis; stantes antè thronum, et in conspectu Agni, amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum. »

Apoc. c. 10, v. 10, 11 : « Et accepi librum de manu Angeli, et devoravi illum, et erat in ore meo tanquàm mel dulce; et cùm devorâssem eum, amaricatus est venter meus; et dixit mihi : Oportet te iterùm prophetare gentibus, et populis, et linguis, et regibus multis. »

Apoc. c. 14, v. 6 : « Et vidi alterum Angelum volantem per medium cœli, habentem Evangelium æternum, ut evangelizaret sedentibus super terram, et super omnem gentem, et tribum, et linguam, et populum. »

Apoc. c. 15, v. 4 : « Quis non timebit te, Domine, et magnificabit nomen tuum? quia solus prius es; quoniam omnes gentes venient, et adorabunt in conspectu tuo. »

Apoc. c. 21, v. 23, 24 : « Et civitas non eget sole, neque luna, ut luceant in eâ; nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna ejus est Agnus; et ambulabunt gentes in lumine ejus, et reges terræ afferent gloriam suam, et honorem in illam. »

1° Rerum omnium, quas prænuntiari hominibus voluit Deus, nulla omninò est in quam prædicendam majori consensu, crebrioribusque propheti:s conspirârint sacri vates, quàm gentium vocatio ad notitiam veritatis. Nam cùm vanissimis religionibus et multiplici idolorum cultu tenerentur implicitæ gentes, Judæi verò clarissimâ divinæ et salubris doctrinæ luce fruerentur, hi tamen caligârunt ad præsentis

et inter ipsos versantis Messiæ splendorem; illæ sanctis ejus ultrò paruerunt præceptis, et in ipsius obsequium concesserunt; arcano videlicet et mirabili Dei consilio, cujus gratiam satius est nos memori mente recolere, quam causam anxiè perscrutari. Neque verò id ità evenire debuisse, vel ignorârunt vetustiores Judæi, vel recentiores inficiati sunt. Quod cùm jam ex parte fieri Apostolorum temporibus cœptum esset hi Judæis palàm in concionibus et coronis ingerebant oracula Prophetarum; haud ignari scilicet quorsùm ea receptis vulgò sententiis explicari solerent. Haudquaquàm igitur reclamabant circumstantes Judæi, nec patrum suorum patientiam aut inscientiam recentiores arguerunt, imò verò, easdem amplexi sunt interpretationes prophetiarum; puta nobile illud prædictum è Psalmo secundo, v. 10 : *Postula à me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.* Ei quoque in Schemoth Rabba adjudicatur istud, quod ex Psalmo 67, v. 32, excerpsimus : *Venient legati ex Ægypto; Æthiopia præveniet manus ejus Deo. Regna terræ, cantate Deo.* Effatum istud Isaiæ, quod attulimus è capite 49, quodque sic Judæis apud Pisidas Antiochenos exposuerunt Paulus et Barnabas : « Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus : *Posui te in lucem gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terræ.* Audientes autem gentes gavisæ sunt, et glorificabant verbum Domini; » non aliter intellexit R. David Kimchi : ex eo quippè colligit gentes salutis Israelitis promissæ fore participes post bellum Gog et Magog, quod Messiæ temporibus conflatum iri Judæi autumant. Eodem refert Aben Ezra περιοχὴν alteram è capite 65 Isaiæ hùc depromptam : *Quæsierunt me qui antè non interrogabant; invenerunt qui non quæsierunt me. Dixi : Ecce ego, ecce ego, ad gentem quæ non invocabat nomen meum* : quam περιοχὴν Paulus in Epistolâ ad Romanos, cap. 10, in ejusdem doctrinæ probationem priùs usurpaverat. Ad vocationem etiam gentium in Gemarâ, Tractatu de Paschate, confertur istud Oseæ, cap. 2, v. 24 : *Et dicam non populo meo : Populus meus es tu; et ipse dicet : Deus meus es tu;* quod in Epistolâ ad Romanos, cap. 9, in eamdem sententiam flectitur. Idem significari docetur in Beresith Rabbâ his Amosi verbis : *In die illâ suscitabo tabernaculum David, quod decidit; et reædificabo aperturas murorum ejus; et ea quæ corruerunt, instaurabo, et reædificabo illud, sicut in diebus antiquis* (Amos. c. 9, v. 11); atque his item Sophoniæ, cap. 3, v. 9 : *Quia tunc reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini, et serviant ei humero uno* : quarum ῥήσεων priore in eumdem sensum utitur Jacobus in Actis, cap. 15, v. 16. Adde Maimoniden in Jad, libro ultimo, capite de Regibus; scribere Judæorum hanc esse sententiam, futurum ut Messiæ hortamentis excitatæ ad pœnitentiam gentes veram legem capessant. Thalmudici etiam exspectatam sibi gentium vocationem insigni Parabolâ adumbrârunt; equi nimirùm, inituri stabulum claudi bovis. »

2° Atque hæc gentium adoptio, et Judæorum rejectio, clarissimis prætereà designata est typis in Veteri Testamento. Utramque in Abrahami liberis, uno Agare ancillâ nato, altero Sarâ liberâ, expressam Paulus in Epistola ad Galatas, cap. 4, accuratè exposuit; et Judæi quidem filii sunt Synagogæ, quæ legi subdita est, in ejusque obsequium mancipata; nos verò filii cœlestis Hierosolymæ, Ecclesiæ nimirùm, quæ libera est, *quâ libertate Christus nos liberavit.* Quod et significatum esse docet Paulus præclaro Isaiæ χρησμῷ quem et hùc attulimus : *Lætare, sterilis, quæ non paris; erumpe, et clama, quæ non parturis; quia multi filii desertæ, magis quàm ejus quæ habet virum* (Isai. cap. 54, v. 1 et seq.). Synagogæ etiam et Ecclesiæ in Phenennâ et Annâ, uxoribus Elcanæ, accurata constat effigies, Phenenna complurium liberorum mater Annæ sterilitatem suam exprobrabat. At hæc precibus tandem suis exorato Deo, sanctâ et felici prole aucta est. Quæ cùm ob susceptam sobolem Deo ageret gratias, cœlesti commota afflatu eas edidit voces, quas hìc è prioris libri Samuelis capite 2 repræsentavimus, futuram gentium per Christum vocationem, Judæorum verò damnationem liquidò prædicentes.

3° Contuli hùc quoque memorabilem prophetiam, ex Isaiæ capite 19 petitam, quâ futurum prædicit, ut in mediâ Ægypto ara statuatur Deo, hostiæque ac munera publicè offerantur. Psammitichi et Sennacheribi ætati hoc adscripserunt nonnulli. Veriùs Josephus Heliopolitanum Oniæ templum signari censuit. Sed quamvis λέξει sensum hunc tribuamus, alium tamen sensum obtinere potest σχῆμα, et vocationem gentium notare; juxtà illud Malachiæ, cap. 1, v. 11 : *In omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda.*

CAPUT CLIX.

Doctrina christiana corruptos hominum mores emendat.

Isa. c. 11, v. 6 *et seq.* : « Habitabit lupus cum agno, et pardus cum hœdo accubabit ; vitulus, et leo, et ovis, simul morabuntur, et puer parvulus minabit eos. Vitulus et ursus pascentur, simul requiescent catuli eorum, et leo quasi bos comedet paleas. Et delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis, et in cavernâ reguli qui ablactatus fuerit, manum suam mittet. Non nocebunt, et non occident in universo monte sancto meo; quia repleta est terra scientiâ Domini, sicut aquæ maris operientes. »

Isa. c. 35, v. 6 *et seq.* : « Scissæ sunt in deserto aquæ, et torrentes in solitudine ; et quæ erat arida, erit in stagnum ; et sitiens, in fontes aquarum ; in cubilibus, in quibus priùs dracones habitabant, orietur viror calami et junci ; et erit ibi semita et via, et via sancta vocabitur ; non transibit per eam pollutus, et hæc erit vobis directa via, ità ut stulti non errent per eam. Non erit ibi leo, et mala bestia non ascendet per eam, nec invenietur ibi, et ambulabunt qui liberati fuerint. Et redempti à Domino convertentur. »

Isa. c. 40, v. 4 : « Omnis vallis exaltabitur, et omnis mons et collis humiliabitur, et erunt prava in directa, et aspera in vias planas. »

Isa. c. 65, v. 25 : « Lupus et agnus pascentur simul, leo et bos comedent paleas, et serpenti pulvis panis ejus ; non nocebunt, neque occident in monte sancto meo, dicit Dominus. »

Jerem. c. 32, v. 39, 40 : « Et dabo eis cor unum, et viam unam, ut timeant me universis diebus, et benè sit eis, et filiis eorum post eos. Et feriam eis pactum sempiternum, et non desinam eis benefacere ; et timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant à me. »

Matth. c. 5, v. 20 *et seq.* : « Dico enim vobis, quia nisi abundaverit justitia vestra, plus quàm Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Audîstis quia dictum est antiquis : *Non occides; qui autem occiderit, reus erit judicio.* Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo, Raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis..... Audîstis quia dictum est antiquis : *Non mœchaberis.* Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo..... Dictum est autem : *Quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii.* Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiserit uxorem suam, exceptâ fornicationis causâ, facit eam mœchari ; et qui dimissam duxerit, adulterat. Iterum audîstis quia dictum est antiquis : *Non perjurabis, reddes autem Domino juramenta tua.* Ego autem dico vobis : Non jurate omnino, neque per cœlum, quia thronus Dei est ; neque per terram, quia scabellum est pedum ejus ; neque per Jerosolymam, quia civitas est magni regis ; neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere aut nigrum. Sit autem sermo vester : Est, est ; Non, non : quod autem his abundantius est, à malo est. Audîstis quia dictum est : *Oculum pro oculo, et dentem pro dente.* Ego autem dico vobis non resistere malo ; sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram. Et ei qui vult tecum judició contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium ; et quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo et alia duo. Qui petit à te, da ei ; et volenti mutuari à te, ne avertaris. Audistis quia dictum est : *Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum.* Ego autem dico vobis ; Diligite inimicos vestros ; benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est ; qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis ? nonne et publicani hoc faciunt ? Et si salutaveritis fratres vestros tantùm, quid ampliùs facitis ? nonne et ethnici hoc faciunt ? Estote ergò vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est. » Et Luc. c. 6, v. 27 et seq.

Rom. c. 12, v. 14 *et seq.* : « Benedicite persequentibus vos : benedicite, et nolite maledicere. Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus ; idipsum invicem sentientes, non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos ; nulli malum pro malo reddentes ; providentes bona non tantùm coram Deo, sed etiam coràm omnibus hominibus, si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes ; non vosmetipsos defendentes, charissimi ; sed date locum iræ ; scriptum est enim : *Mihi vindicta ; ego retribuam, dicit Dominus.* Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum ; si sitit, potum

da illi; hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus. Noli vinci à malo, sed vince in bono malum. »

1 *Cor.* c. 4, v. 12, 13 : « Maledicimur, et benedicimus; persecutionem patimur, et sustinemus; blasphemamur, et obsecramus. »

1 *Cor.* c. 6, v. 7 *et seq.* : « Jam quidem omninò delictum est in vobis, quòd judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? Sed vos injuriam facitis, et fraudatis, et hoc fratribus. An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare, neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt. Et hæc quidem fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis, in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri. »

1 *Thess.* c. 5, v. 15 *et seq.*: « Videte ne quis malum pro malo alicui reddat; sed quod bonum est, sectamini in invicem, et in omnes. »

1 *Petr.* c. 2, v. 21 *et seq.* : « In hoc enim vocati estis, quia et Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus; qui cùm malediceretur, non maledicebat; cùm pateretur, non comminabatur; tradebat autem se injustè; qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum; ut peccatis mortui, justitiæ vivamus; cujus livore sanati estis. Eratis enim sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem et episcopum animarum vestrarum. »

1 *Petr.* c. 3, v. 8 *et seq.* : « In fine autem omnes unanimes, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles, non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed è contrario benedicentes; quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hæreditate possideatis. Qui enim vult vitam diligere, et dies videre bonos, coerceat linguam suam à malo, et labia ejus ne loquantur dolum; declinet à malo, et faciat bonum, inquirat pacem, et sequatur eam. Quia oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum; vultus autem Domini super facientes mala. Et quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis? Sed et si quid patimini propter justitiam, beati. Timorem autem eorum ne timueritis, et non conturbemini. Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad sanctificationem omni poscenti vos rationem de eâ quæ in vobis est, spe; sed cum modestiâ et timore, conscientiam habentes bonam, ut in eo quòd detrahunt vobis, confundantur, qui calumniantur vestram bonam in Christo conversationem. Melius est enim benefacientes (si voluntas Dei velit) pati, quàm malefacientes; quia et Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo. »

CAPUT CLX.

Idolorum eversio.

Isa. c. 2, v. 17 *et seq.* : « Et incurvabitur sublimitas hominum, et humiliabitur altitudo virorum, et elevabitur Dominus solus in die illâ; et idola penitùs conterentur; et introibunt in speluncas petrarum, et in voragines terræ, à facie formidinis Domini, et à gloriâ majestatis ejus, cùm surrexerit percutere terram. In die illâ projiciet homo idola argenti sui, et simulacra auri sui, quæ fecerat sibi ut adoraret talpas et vespertiliones. »

Isa. c. 17, v. 7, 8 : « In die illâ inclinabitur homo ad factorem suum, et oculi ejus ad sanctum Israel respicient; et non inclinabitur ad altaria quæ fecerunt manus ejus, et quæ operati sunt digiti ejus; non respiciet lucos et delubra. »

Isa. c. 19, v. 1 : « Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum, et commovebuntur simulacra Ægypti à facie ejus. » Et Ezech. c. 30, v. 13

Isa. c. 30, v. 22 : « Et contaminabis laminas sculptilium argenti tui, et vestimentum conflatilis auri tui, et disperges ea sicut immunditiam menstruatæ. »

Isa. c. 31, v. 7 : « In die illâ abjiciet vir idola argenti sui, et idola auri sui, quæ fecerunt vobis manus vestræ in peccatum. »

Isa. c. 46, v. 1, 2 : « Confractus est Bel, contritus est Nabo; facta sunt simulacra eorum bestiis et jumentis, onera vestra gravi pondere usque ad lassitudinem. Contabuerunt et contrita sunt simul; non potuerunt salvare portantem, et anima eorum in captivitatem ibit. »

Ose. c. 2, v. 16 *et seq.* : « Et erit in die illâ, ait Dominus: Vocabit me : Vir meus; et non vocabit me ultrà : Baali. Et auferam nomina Baalim de ore ejus, et non recordabitur ultrà nominis eorum. »

Ose. c. 14, v. 9 : « Ephraim, quid mihi ultrà

idola? ego exaudiam et dirigam eum ego ut abietem virentem: ex me fructus tuus inventus est. »

Mich. 5, 12, 13. Et perire faciam sculptilia tua et statuas tuas de medio tui; et non adorabis ultrà opera manuum tuarum: et evellam lucos tuos de medio tui. »

Soph. 1, 4 *et seq.*: Et extendam manum meam super Judam, et super omnes habitantes Jerusalem, et disperdam de loco hoc reliquias Baal, et nomina æedituorum cum sacerdotibus et eos qui adorant super tecta militiam cœli, et adorant, et jurant in Domino, et jurant in Melchom. Et qui avertuntur de post tergum Domini, et qui non quæsierunt Dominum, nec investigaverunt eum.»

Soph. 2, 11: «Horribilis Dominus super eos, et attenuabit omnes Deos terræ. »

Zach. 13, 1, 2. In die illâ erit fons patens domui David, et habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris et menstruatæ. Et erit in die illâ, dicit Dominus exercituum, disperdam nomina idolorum de terrâ, et non memorabuntur ultrà.»

Act. c. 19, v. 24 *et seq.*: « Demetrius enim quidam nomine, argentarius, faciens ædes argenteas Dianæ, præstabat artificibus non modicum quæstum; quos convocans, et eos qui hujusmodi erant opifices, dixit: Viri, scitis quia de hoc artificio est nobis acquisitio: et videtis, et auditis quia non solùm Ephesi, sed penè totius Asiæ, Paulus hic suadens avertit multam turbam, dicens quoniam non sunt dii, qui manibus fiunt. Non solùm autem hæc periclitabitur nobis pars in redargutionem venire, sed et magnæ Dianæ templum in nihilum reputabitur; sed et destrui incipiet majestas ejus, quam tota Asia et orbis colit. »

Eusebius, De vitâ Constantini, lib. 3, cap. 54: « Hæc omnia ad salutaris virtutis gloriam conferens agebat imperator. Et Deum quidem Sospitatorem suum hâc ratione colere perseverabat. Ethnicorum verò superstitiosum errorem omnibus modis convincebat. Undè templorum, quæ in urbe erant, vestibula meritò nudabantur, valvis jussu imperatoris detractis. Aliorum etiam tectum, quod in summo erat, ablatis tegulis corrumpebatur. Aliorum augustæ effigies æneæ, quibus majorum error jam indè à vetustis temporibus gloriabatur, per fora regiæ urbis in omnium conspectu ponebantur; ità ut turpe spectaculum videntibus præberent, hic quidem Pythius, illic Sminthius; in ipso verò hippodromo tripodes Delphici, et musæ Heliconides in Palatio. Tota vero urbs, imperatori cognominis, referta erat simulacris æneis, summâ industriâ elaboratis, quæ per omnes gentes fuerant consecrata; quibus deorum nomina gerentibus postquàm complures hecatombas et holocausta homines erroris morbo laborantes per multa secula immolaverant, serò tandem sapere didicerunt; cùm his ipsis imperator, sic tanquàm ludicris, ad risum spectantium et oblectamentum esset usus.... Vincti igitur dii illi fabularum jam effœtarum, ciliciis contecti advehebantur. » Vide et cap. 55 et 56.

Eusebius, de Vitâ Constantini, lib. 3, cap. 57: « Quicumque verò superstitionibus anteà impliciti tenebantur, errorem suum convictum cum oculis ipsi suis cernerent, et omnium ubique templorum ac simulacrorum vastitatem reipsà intuerentur, hi quidem ad salutarem doctrinam confugiebant; illi, etsi id neutiquàm faciebant, avitam tamen vanitatem damnabant, eosque quos olìm esse existimaverant, ludibrio ac derisui habebant. »

Eusebius de Vitâ Constantini, lib. 4, cap. 23: « Sic ipse quidem Deo suo sacra faciebat; universè verò cunctis plebeiis et militibus imperio romano subditis idolorum cultûs occlusæ erant fores, et omnis sacrificandi mos vetitus erat.

Et cap. 25: « Undè meritò crebris legibus et constitutionibus vetitum erat universis, ne idolis sacrificarent, ne oraculorum responsa sectarentur, neve simulacra erigerent. » Et Paulus Orosius, lib. 7, cap. 28, Nicephorus, lib. 7, cap. 46 et 49.

Imp. Constantinus Aug. ad Magdalianum. Cod. Theod. lib. 16, Tit. 10: « Cesset superstitio sacrificiorum; sacrificiorum aboleatur insania. Nam quicumque contrà legem divi principis parentis nostri, et hanc nostræ mansuetudinis jussionem ausus fuerit sacrificia celebrare, competens in eum vindicta, et præsens sententia exeratur. »

Imp. Constantius Aug. ad Taurum. Cod. Theod. lib. 16, tit. 10: « Placuit omnibus locis, atque urbibus universis claudi protinùs templa, et accessu vetitis omnibus licentiam delinquendi perditis abnegari. Volumus etiam cunctos sacrificiis abstinere. Quòd si quis aliquid fortè hujusmodi perpetraverit, gladio ultore sternatur. Facultates etiam peremti, fisco decernimus vindicari: et similiter affligi rectores provinciarum, si facinora vindicare neglexerint. »

Idem Aug. et Julianus Cæsar, ibidem: « Pœnæ capitis subjugari præcipimus eos quos operam sacrificiis dare, vel colere simulacra constiterit. »

Theodoretus, Ecclesiasticæ Historiæ lib. 5, cap. 21 : « Fidelissimus autem imperator adversùs errorem ethnicorum studium suum convertit, et leges scripsit, quibus idolorum fana dirui jubebat. Magnus enim Constantinus, omni laude dignissimus, qui primus imperium pietate exornavit, cùm orbem universum insanientem videret, omninò vetuerat ne quisquam dæmonibus sacrificaret; eorum verò non destruxerat fana, sed adiri vetuerat. Ac paterna quidem vestigia filii ejus sunt persecuti. Julianus verò impietatem instauravit, et pristini erroris flammam suscitavit. At Jovinianus postquàm capessivit imperium, rursùm idolorum cultum interdixit. Et magnus Valentinianus iisdem legibus usus, Europam rexit. Valens autem cæteris quidem omnibus permisit, religiosum quem vellent cultum persequi et quos colerent cæremoniis placare; solos eos oppugnare non destitit, qui apostolica dogmata propugnarent. Quandiù ergò rerum potitus est, ignes ad altaria accendebantur; et libamina ac sacrificia offerebant idolis, et in foro publica convivia agitabant. Et qui Bacchi erant initiati sacris, cum pellibus caprinis cursitabant, canes discerpentes, furentes, et bacchantes, aliaque agentes, quæ magistri ipsorum celebritatem notant. Hæc omnia cùm fidelissimus imperator Theodosius reperìsset, radicitùs sustulit, et oblivioni mandavit. » Et Idatius in Fastis consularibus, Theodosio Aug. 2, et Cynegio, Coss.; Zosimus Hist. lib. 4.

Prudentius, contrà Symmachum lib. 2, sic Honorium Augustum alloquitur :

Arripe dilatam tua, dux, in tempora famam;
Quodque patris superest, successor laudis habeto.
Ille urbem vetuit taurorum sanguine tingui,
Tu mortes miserorum hominum prohibeto litari. »

CAPUT CLXI.

Judæorum pertinacia, perfidia et cæcitas.

Deut. c. 28, v. 15 *et seq.* : « Quod si audire nolueris vocem Domini Dei tui..... Percutiat te Dominus amentiâ, et cœcitate, ac furore mentis, et palpes in meridie, sicut palpare solet cœcus in tenebris, et non dirigas vias tuas. »

Psal. 17, v. 44 : « Eripies me de contradictionibus populi. »

Psal. 68, v. 24 *et seq.* : « Obscurentur oculi eorum ne videant, et dorsum eorum semper incurva..... Fiat habitatio eorum deserta, et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt, et super dolorem vulnerum meorum addiderunt. Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, et non intrent in justitiam tuam. »

Sap. c. 2, v. 21, 22 : « Hæc cogitaverunt et erraverunt; excæcavit enim illos malitia eorum; et nescierunt sacramenta Dei, neque mercedem speraverunt justitiæ, nec judicaverunt honorem animarum sanctarum. »

Isa. c. 1, v. 3, 4 : « Filios enutrivi et exaltavi; ipsi autem spreverunt me. Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe Domini sui : Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit. Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis; dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsùm. »

Isa. c. 5, v. 13 : « Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, et nobiles ejus interierunt fame, et multitudo ejus siti exaruit. »

Isa. c. 6, v. 8 *et seq.* : « Et audivi vocem Domini dicentis : Quem mittam? et quis ibit nobis? Et dixit : Vade, et dices populo huic : Audite audientes, et nolite intelligere; et videte visionem, et nolite cognoscere. Excœca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude, ne fortè videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum. Et dixi : Usquequo, Domine? Et dixit : Donec desolentur civitates absque habitatore, et domus sine homine, et terra relinquetur deserta. »

Isa. c. 29, v. 9 *et seq.* : « Obstupescite, et admiramini, fluctuate, et vacillate; inebriamini, et non à vino; movemini, et non ab ebrietate. Quoniam miscuit vobis Dominus spiritum soporis, claudet oculos vestros; prophetas et principes vestros, qui vident visiones, operiet. Et erit vobis visio omnium, sicut verba libri signati, quem cùm dederint scienti litteras, dicent : Lege istum; et respondebit : Non possum; signatus est enim. Et dabitur liber nescienti litteras, diceturque ei : Lege, et respondebit : Nescio litteras. Et dixit Dominus : Eò quòd appropinquat populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me, cor autem ejus longè est à me, et timuerunt me mandato hominum et doctrinis; ideò ecce ego addam ut admirationem faciam populo huic, miraculo grandi et stupendo; peribit enim sapientia à

sapientibus ejus, et intellectus prudentium ejus abscondetur. »

Isa. c. 42, v. 19 *et seq.* : « Quis cæcus, nisi servus meus? et surdus, nisi ad quem nuntios misi? quis cæcus, nisi qui venumdatus est? et quis cæcus, nisi servus Domini? Qui vides multa, nonne custodies? qui apertas habes aures, nonne audies? Et Dominus voluit ut sanctificaret eum, et magnificaret legem, et extolleret. Ipse autem populus direptus et vastatus; laqueus juvenum omnes, et in domibus carcerum absconditi sunt; facti sunt in rapinam, nec est qui dicat, redde. Quis est in vobis qui audiat hoc, attendat, et auscultet futura? »

Isa. c. 53, v. 1 : Quis credidit auditui nostro, et brachium Domini cui revelatum est? »

Isa. c. 65, v. 2 *et seq.* : « Expandi manus meas totâ die ad populum incredulum, qui graditur in viâ non bonâ post cogitationes suas. Populus qui ad iracundiam provocat me antè faciem meam semper; qui immolant in hortis, et sacrificant super lateres; qui habitant in sepulcris, et in delubris idolorum dormiunt; qui comedunt carnem suillam, et jus profanum in vasis eorum; qui dicunt : Recede à me, non appropinques mihi, quia immundus es : isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens totâ die. Ecce scriptum est coràm me; non tacebo, sed reddam et retribuam in sinum eorum iniquitates vestras, et iniquitates patrum vestrorum simul, dicit Dominus; qui sanctificaverunt super montes, et super colles exprobraverunt mihi; et remetiar opus eorum primum in sinu eorum. »

Jerem. c. 5, v. 21, 23 : « Audi, popule stulte, qui non habes cor; qui habentes oculos non videtis; et aures, et non auditis..... populo autem huic factum est cor incredulum, et exasperans; recesserunt, et abierunt. »

Jerem. c. 8, v. 7 *et seq.* : « Apprehenderunt mendacium, et noluerunt reverti. Attendi, et auscultavi, nemo quod bonum est loquitur; nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens : Quid feci? omnes conversi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens ad prœlium. Milvus in cœlo cognovit tempus suum; turtur, et hirundo, et ciconia custodierunt tempus adventûs sui; populus autem meus non cognovit judicium Domini..... Confusi sunt sapientes, perterriti, et capti sunt : verbum enim Domini projecerunt, et sapientia nulla est in eis.

Ezech. c. 12, v. 1, 2 : « Et factus est sermo Domini ad me, dicens : Fili hominis, in medio domûs exasperantis tu habitas; qui oculos habent ad videndum, et non vident; et aures ad audiendum, et non audiunt; quia domus exasperans est. » Et Ezech. c. 2, v. 5 *et seq.* et c. 3, v. 9, 26, 27. et alibi sæpè.

Ose. c. 4, v. 1 *et seq.* : « Audite verbum Domini, filii Israel, quia judicium Domino cum habitatoribus terræ; non est enim veritas, et non est misericordia, et non est scientia Dei in terrâ..... Verumtamen unusquisque non judicet, et non arguatur vir; populus enim tuus, sicut hi qui contradicunt sacerdoti..... Conticuit populus meus, eò quòd non habuerit scientiam, quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. »

Matth. c. 13, v. 13 *et seq.* : « Ideò in parabolis loquor eis; quia videntes non vident, et audientes non audiunt, neque intelligunt; et adimpletur in eis prophetia Isaiæ, dicentis : *Auditu audietis, et non intelligetis; et videntes videbitis, et non videbitis; incrassatum est enim cor populi hujus, et auribus graviter audierunt, et oculos suos clauserunt; ne quandò videant oculis, et auribus audiant, et corde intelligant, et convertantur, et sanem eos.* » Et Marc. c. 4, v. 11, 12. Luc. c. 8, v. 10. Joan. c. 12, v. 39 et seq. Act. c. 28, 25 et seq.

Matth. c. 15, v. 7 : « Hypocritæ, benè prophetavit de vobis Isaias, dicens : *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. Sine causâ autem colunt me, docentes doctrinas et mandata hominum.* »

Matth. c. 15, v. 12 *et seq.* : « Tunc accedentes discipuli ejus dixerunt ei : Scis quia Pharisæi, audito verbo hoc, scandalizati sunt? At ille respondens, ait : Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur. Sinite illos; cæci sunt, et duces cæcorum : cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt. » Et Luc. c. 6, v. 39. »

Matth. c. 23, v. 16 *et seq.* : « Væ vobis, duces cæci, qui dicitis : Quicumque juraverit per templum, nihil est; qui autem juraverit in auro templi, debet; stulti et cæci, quid enim majus est, aurum, an templum quod sanctificat aurum? Et quicumque juraverit in altari, nihil est; quicumque autem juraverit in dono quod est super illud, debet; cæci, quid enim majus est, donum, an altare quod sanctificat donum? »

Luc. c. 2, v. 34 : « Et benedixit illis Simeon; et dixit ad Mariam matrem ejus: Ecce positus

est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur. »

Joan. c. 12, v. 37, 38 « Cùm autem tanta signa fecisset coràm eis, non credebant in eum; ut sermo Isaiæ prophetæ impleretur, quem dixit : *Domine, quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est?* » Et Rom. c. 10, v. 16.

Act. c. 28, v. 22 : « Rogamus autem à te audire quæ sentis; nam de sectâ hâc notum est nobis, quia ubique ei contradicitur. »

Rom. c. 10, v. 20, 21 : « Isaias autem audet, et dicit : Inventus sum à non quærentibus me: palàm apparui his qui me non interrogabant. Ad Israel autem dicit : Totâ die expandi manus meas ad populum non credentem et contradicentem. »

Rom. c. 11, v. 7 *et seq.* : « Quid ergò ? quod quærebat Israel, hoc non est consecutus; electio autem consecuta est, cæteri verò excæcati sunt, sicut scriptum est : *Dedit illis Deus spiritum compunctionis; oculos ut non videant, et aures ut non audiant usque in hodiernum diem.* Et David dicit : *Fiat mensa eorum in laqueum, et in captionem, et in scandalum, et in retributionem illis; obscurentur oculi eorum ne videant, et dorsum eorum semper incurva.*

2 *Cor.* c. 3, v. 12 *et seq.* : « Habentes igitur talem spem, multâ fiduciâ utimur; et non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam, ut non intenderent filii Israel in faciem ejus, quod evacuatur; sed obtusi sunt sensus eorum; usque in hodiernum enim diem idipsum velamen in lectione veteris Testamenti manet non revelatum (quoniam in Christo evacuatur), sed usque in hodiernum diem, cùm legitur Moyses : *Velamen positum est super cor eorum; cùm autem conversus fuerit ad Dominum, auferetur velamen.* »

1 *Petr.* c. 2, v. 7, 8 : « Vobis igitur honor credentibus; non credentibus autem, lapis quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, et lapis offensionis et petra scandali, his qui offendunt verbo, nec credunt in quo et positi sunt. »

1° Ne hic quidem repugnantes habemus Judæos, suæ sibi contumaciæ et impietatis conscios. Nullâ alioquin arte eludere possent Josephi testimonium, de popularium suorum horrendis flagitiis sic disserentis, de bell. Jud. lib. 6, cap. 37 : « Dicere equidem non verebor, quæ « me dolor jubet. Sic existimo, si hos impios « adoriri cunctati fuissent Romani, vel vora« gine absorbendam fuisse civitatem, vel un« dis obruendam, vel iisdem elidendam ful« minibus, quibus Sodomitica olim regio « obtrita est. Nequiorem enim tulit progeniem, « et Dei magis contemptricem, quam qui hæc « perpessi sunt. » Idem alibi lib. 7, cap. 30 : « Tempus enim illud omnigenæ inter Judæos « nequitiæ ferax fuit; adeo ut nullum pravita« tis facinus admittere prætermiserint, nec si « quis aliquod animo velit confingere, ullum « magis inusitatum possit reperire. Adeò in « omnes privatim et publicè morbus hic incu« buerat, et ut se invicem superarent, tùm « impietate in Deum, tùm et in proximos « flagitiis, contendebant. » Quascumque ergò pertulerunt calamitates, à Deo ipso injurias suas persequentes iis inflictæ sunt. Plenis id buccis ad suos vociferabatur Josephus, cùm maledictis peteretur; pejora meritum se fatebatur, qui contrà Dei decretum eos servare vellet, à Deo jam damnatos; prædixisse priscos vates tùm hæc eventura, cùm civili bello sese conficerent. Demùm miserabili hâc exclamatione convitia sua et querelas claudebat : « Deus profectò, Deus ipse cum Romanis « ignes lustrales (Templo) ipsi injicit, et civi« tatem tot piaculis plenam exscindit. » Idem ipse Titus in hierosolymitanâ obsidione, quasi divino afflatus spiritu, palàm inter suos his verbis prædicabat : « Seditio, et fames, et ob« sidio, et muri sine machinamentorum no« strorum ope spontè procumbentes, quidnam « indicant aliud, quàm Deum ipsis iratum « esse, nobis verò opitulari ? » Et alio loco : « Titus ergò solidâ murorum altitudine con« spectâ, et singulorum lapidum magnitudine, « et accuratâ compage, et quantùm hi in la« tum, quantùm item in altum paterent : Deo, « inquit, favente, bellum gessimus, et Deus ab « istis munitionibus Judæos detraxit ; nam « quid manus hominum vel machinæ possunt « adversùs has turres? (Vide Joseph. de Bello « judaico.) » Thalmudistæ etiam in Rabâ metziâ, majores suos Deo pœnas dedisse aiunt, quòd legi verba sua anteferrent. Item in parte *De festis,* libro septimo, capite tertio, Israelitarum pervicacia, canis, galli, hirci, et spinæ proterviæ comparatur. Scribit vero Aben Ezra ῥητὸν illud, quod ex Isaiæ cap. 65 sumpsimus, in quo tota die manus suas ad populum incredulum expandisse se dicit Dominus, à R. Mose Haccohen Israeliticæ genti adscribi. Quod à Paulo factum est in Epistolâ ad Romanos.

2° Ergò cùm Judæorum pertinacia manifestis oraculis prædicta sit, atque idem Spiritus, qui venturi Jesu κριτήρια in Libris sacris consignabat, hanc Judæorum obstinationem et obfirmatam dissensionem in iis prænuntiaverit, dùm doctrinæ Christi Jesu veritatem oppugnant Judæi, tùm eam utique vel maximè confirmant; quippe pervicaciâ suâ libris iisdem adstruentes fidem, qui Christum Jesum nuntiant.

CAPUT CLXII.

Judæorum rejectio et dispersio, eorumque abolenda sacrificia.

Deut. c. 28, v. 28-29 : « Percutiat te Dominus amentiâ, et cœcitate, ac furore mentis, et palpes in meridie, sicut palpare solet cœcus in tenebris, et non dirigas vias tuas, omnique tempore calumniam sustineas, et opprimaris violentiâ, nec habeas qui liberet te. »

1 *Reg.* c. 15, v. 22 : « Et ait Samuel : Numquid vult Dominus holocausta et victimas, et non potiùs ut obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia quàm victimæ, et auscultare magis quàm offerre adipem arietum. »

Psalm. 17, v. 40 *et seq.* : « Supplantâsti insurgentes in me subtùs me; et inimicos meos dedisti mihi dorsum, et odientes me disperdidisti. Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret; ad Dominum, nec exaudivit eos. Et comminuam eos ut pulverem antè faciem venti, ut lutum platearum delebo eos. »

Psalm. 39, v. 7 *et seq.* : « Sacrificium et oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi. Holocaustum et pro peccato non postulâsti : tunc dixi : Ecce venio. »

Psalm. 49, v. 8 *et seq.* : « Non in sacrificiis tuis arguam te; holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper. Non accipiam de domo tuâ vitulos, neque de gregibus tuis hircos. ...... Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua .... Peccatori autem dixit Deus : Quarè tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam, et projecisti sermones meos retrorsùm ...... Sedens adversùs fratrem tuum loquebaris, et adversùs filium matris tuæ ponebas scandalum. Hæc fecisti, et tacui. »

Psalm. 58, v. 12 : « Deus ostendet mihi super inimicos meos, ne occidas eos; nequandò obliviscantur populi mei. Disperge illos in virtute tuâ, et depone eos, protector meus, Domine. »

Psalm. 68, v. 24 *et seq.* : « Obscurentur oculi eorum, ne videant, et dorsum eorum semper incurva. Effunde super eos iram tuam, et furor iræ tuæ comprehendat eos. Fiat habitatio eorum deserta, et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet. Quoniam quem tu percussisti persecuti sunt, et super dolorem vulnerum meorum addiderunt. »

Psalm. 109, v. 4 : « Juravit Dominus, et non pœnitebit eum : Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. »

Isa. c. 1, v. 11 *et seq.* : « Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum? dicit Dominus; plenus sum; holocausta arietum, et adipem pinguium, et sanguinem vitulorum et agnorum et hircorum nolui. Cùm veniretis antè conspectum meum, quis quæsivit hæc de manibus vestris, ut ambularetis in atriis? Ne offeratis ultrà sacrificium frustrà; incensum abominatio est mihi. Neomeniam, et sabbathum, et festivitates alias non feram; iniqui sunt cœtus vestri; calendas vestras, et solemnitates, vestras odivit anima mea; facta sunt mihi molesta; laboravi sustinens. Et cùm extenderitis manus vestras, avertam oculos meos à vobis; et cùm multiplicaveritis orationem, non exaudiam; manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. »

Isa. c. 2, v. 2 *et seq.* : « Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes, et ibunt populi multi, et dicent : Venite, et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus; quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem ...... Projecisti enim populum tuum, domum Jacob. »

Isa. c. 5, v. 1, 2 *et seq.* : « Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei; et sepivit eam, et lapides elegit ex illâ, et plantavit eam electam, et ædificavit turrim in medio ejus, et torcular extruxit in eâ; et exspectavit ut faceret uvas, et fecit labruscas. Nunc ergò, habitatores Jerusalem, et viri Juda, judicate inter me et vineam meam; quid est quod debui ultrà facere vineæ meæ, et non feci ei? an quòd exspectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas? Et nunc ostendam vobis quid ego faciam vineæ meæ; auferam sepem ejus, et erit in direptionem; diruam maceriam ejus, et erit in conculcationem, et ponam eam desertam; non putabitur, et non fodietur, et ascendent vepres et spinæ; et nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem. Vinea enim Domini exercituum, domus Israel est : et vir Juda, germen ejus delectabile; et exspectavi ut faceret judicium, et ecce iniquitas; et justitiam, et ecce clamor. »

Isa. c. 8, v. 14-15 : « Et erit vobis in sanctificationem ; in lapidem autem offensionis, et in petram scandali, duabus domibus Israel ; in laqueum et in ruinam habitantibus Jerusalem. Et offendent ex eis plurimi, et cadent, et conterentur, et irretientur, et capientur. »

Isa c. 28, v. 14 *et seq.* : « Propter hoc, audite verbum Domini, viri illusores, qui dominamini super populum meum, qui est in Jerusalem. Dixistis enim : Percussimus fœdus cum morte, et cum inferno fecimus pactum ; flagellum inundans cùm transierit, non veniet super nos : quia posuimus mendacium spem nostram, et mendacio protecti sumus. Idcircò hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum ; qui crediderit, non festinet. Et ponam in pondere judicium, et justitiam in mensurâ ; et subvertet grando spem mendacii, et protectionem aquæ inundabunt ; et delebitur fœdus vestrum cum morte, et pactum vestrum cum inferno non stabit ; flagellum inundans cùm transierit, eritis ei in conculcationem : quandocumquè pertransierit, tollet vos, quoniam manè diluculò pertransibit, in die, et in nocte, et tantummodò sola vexatio intellectum dabit auditui. »

Isa. c. 42, v. 14 *et seq.* : « Tacui semper ; silui, patiens fui ; sicut parturiens loquar dissipabo, et absorbebo simul. Desertos faciam montes, et colles, et omne gramen eorum exsiccabo, et ponam flumina in insulas, et stagna arefaciam ...... Quis cæcus, nisi servus meus? et surdus, nisi ad quem nuntios meos misi? quis cæcus, nisi qui venumdatus est? et quis cæcus, nisi servus domini? Qui vides multa, nonne custodies? qui apertas habes aures, nonne audies? Et dominus voluit, ut sanctificaret eum, et magnificaret legem et extolleret. Ipse autem populus, direptus et vastatus, laqueus juvenum omnes, et in domibus carcerum absconditi sunt ; facti sunt in rapinam, nec est qui eruat ; in direptionem, nec est qui dicat : Redde. Quis est in vobis, qui audiat hoc, attendat, et auscultet futura? quis dedit in direptionem Jacob, et Israel vastantibus? nonne Dominus ipse cui peccavimus? et noluerunt in viis ejus ambulare, et non audierunt legem ejus. Et effudit super eum indignationem furoris sui, et forte bellum, et combussit eum in circuitu, et non cognovit ; et succendit eum, et non intellexit. »

Isa. c. 50, v. 1 *et seq.* : Hæc dicit Dominus : Quis est hic liber repudii matris vestræ, quo dimisi eam? aut quis est creditor meus, cui vendidi vos? ecce in iniquitatibus vestris venditi estis, et in sceleribus vestris dimisi matrem vestram ; quia veni, et non erat vir ; vocavi, et non erat qui audiret ...... Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus ; faciem meam non averti ab increpantibus, et conspuentibus in me .... Ecce omnes quasi vestimentum conterentur, tinea comedet eos. Quis ex vobis timens Dominum, audiens vocem servi sui? ...... De manu mea factum est hoc vobis ; in doloribus dormietis. »

Isa. c. 66, v. 22, 23 : « Quia sicut cœli novi, et terra nova, quæ ego facio stare coràm me, dicit Dominus, sic stabit semen vestrum. Et erit mensis ex mense, et sabbatum ex sabbato ; veniet omnis caro, ut adoret coràm facie meâ, dicit Dominus. »

Jerem. c. 5, v. 3 *et seq.* : « Domine, oculi tui respiciunt fidem ; percussisti eos, et non doluerunt ; attrivisti eos, et renuerunt accipere disciplinam ; induraverunt facies suas suprà petram, et noluerunt reverti. Ego autem dixi : Forsitan pauperes sunt, et stulti ignorantes viam Domini, judicium Dei sui ; ibo igitur ab optimates, et loquar eis ; ipsi non cognoverunt viam Domini, judicium Dei sui ; et ecce magis hi simul confregerunt jugum, ruperunt vincula. Ideò percussit eos leo de sylvâ, lupus ad vesperam vastavit eos, pardus vigilans super civitates eorum ; omnis qui egressus fuerit ex eis, capietur, quia multiplicatæ sunt prævaricationes eorum, confortatæ sunt aversiones eorum ..... Prævaricatione enim prævaricata est in me domus Israel, et domus Juda, ait Dominus ; negaverunt Dominum, et dixerunt : Non est ipse ..... Numquid super his non visitabo, dicit Dominus, aut super gentem hujuscemodi non ulciscetur anima mea?

Jerem. c. 6, v. 16 *et seq.* : « Hæc dicit Dominus : State super vias, et videte, et interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, et ambulate in eâ ; et invenietis refrigerium animabus vestris. Et dixerunt : Non ambulabimus. Et constitui super vos speculatores ; audite vocem tubæ. Et dixerunt : Ideò audite, gentes, et cognosce, congregatio, quanta ego faciam eis. Audi, terra, ecce ego adducam mala super populum istum, fructum cogitationum ejus, quia verba mea non audierunt, et legem meam projecerunt. Ut quid mihi thus de Saba offertis, et calamum suaveolentem de terrâ longinquâ? holocautomata vestra non sunt accepta, et

victimæ vestræ non placuerunt mihi. Propterea hæc dicit Dominus : Ecce ego dabo in populum istum ruinas. »

Jerem. c. 12, v. 7, 8 : « Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam ; dedi dilectam animam meam in manu inimicorum ejus. Facta est mihi hæreditas mea, quasi leo in sylvâ : dedit contrà me vocem ; ideò odivi eam. »

Jerem. c. 31, v. 31, 32 : « Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Juda fœdus novum ; non secundùm pactum quod pepigi cum patribus eorum, in die quâ apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terrâ Ægypti ; pactum quod irritum fecerunt, et ego dominatus sum eorum, dicit Dominus. »

Dan. c. 9, v. 26 : « Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus ; et non erit ejus populus qui eum negaturus est ; et civitatem, et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo ; et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio ...... et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium. »

Ose. c. 2, v. 10 *et seq.* : « Et nunc revelabo stultitiam ejus in oculis amatorum ejus ; et vir non eruet eam de manu meâ ; et cessare faciam omne gaudium ejus, et solemnitatem ejus, neomeniam ejus, sabbatum ejus, et omnia festa tempora ejus. »

Ose. c. 3, v. 4 · « Quia dies multos sedebunt filii Israel sine rege, et sine principe, et sine sacrificio, et sine altari, et sine Ephod, et sine Theraphim. »

Ose. c. 4, v. 6 : « Conticuit populus meus, eò quòd non habuerit scientiam ; quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi ; et oblita es legis Dei tui, obliviscar filiorum tuorum et ego. »

Amos c. 5. v. 18 *et seq.* : « Væ desiderantibus diem Domini ; ad quid eam vobis ? dies Domini ista tenebræ et non lux. Quomodò si fugiat vir à facie leonis, et occurrat ei ursus ; et ingrediatur domum, et innitatur manu suâ super parietem, et mordeat eum coluber. Numquid non tenebræ dies Domini, et non lux ; et caligo, et non splendor in eâ ? Odi, et projeci festivitates vestras ; et non capiam odorem cœtuum vestrorum. Quòd si obtuleritis mihi holocautomota et munera vestra, non suscipiam ; et vota pinguium vestrorum non respiciam. Aufer à me tumultum carminum tuorum, et cantica lyræ tuæ non audiam ; et revelabitur quasi aqua judicium, et justitia quasi torrens fortis. »

Zach. c. 11, v. 9 : « Et dixi : Non pascam vos ; quod moritur, moriatur ; et quod succiditur, succidatur. »

Malach. c. 1, v. 10, 11 : « Quis est in vobis qui claudat ostia, et incendat altare meum gratuitò ? non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestrâ. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus ; et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum. »

Matth. c. 21, v. 40, 41 : « Cùm ergò veniet Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis ? Aiunt illi : Malos male perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis. » Marc. c. 12, v. 9. Luc. c. 20, v. 15, 16.

Act. c. 13, v. 40, 41 : Videte ergò ne superveniat vobis quod dictum est in Prophetis : *Videte, contemptores, et admiramini, et disperdimini : quia opus operor ego in diebus vestris, opus quod non credetis, si quis narraverit vobis.* »

Rom. c. 11, v. 19, 20 : « Dices ergo : Fracti sunt rami, ut ego inserar. Benè ; propter incredulitatem fracti sunt. »

1 *Cor.* c. 1 v. 23, 28 : Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam ...... Et ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret. »

Hebr. c. 8, v. 8 *et seq.* : « Vituperans enim eos dicit : *Ecce dies venient, dicit Dominus, et consummabo super domum Israel et super domum Juda testamentum novum ; non secundùm testamentum, quod feci patribus eorum, in die quâ apprehendi manum eorum, ut educerem illos de terrâ Ægypti, quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo, et ego neglexi eos, dicit Dominus.* ...... Dicendo autem novum, veteravit prius. Quod autem antiquatur et senescit, propè interitum est. »

Hebr. c. 10, v. 4 *et seq.* : Impossibile enim est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata. Ideò ingrediens mundum dicit : *Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptâsti mihi : holocautomota pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi : Ecce venio ; in capite libri scriptum est de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam.* Superiùs dicens : *Quia hostias et oblationes, et holocaustomata pro peccato noluisti, nec placita*

sunt tibi, quæ secundùm legem offeruntur, tunc dixi : Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam : aufert primum, ut sequens statuat. In quâ voluntate sanctificati sumus, per oblationem corporis Jesu Christi semel. Et omnis quidem sacerdos præstò est quotidie ministrans, et easdem sæpè offerens hostias, quæ nunquàm possunt auferre peccata; hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternam sedet in dexterâ Dei, de cætero exspectans, donec ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus. Unâ enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos. »

1° Sacrificium juge, aliaque sacrificia omnia abolitum iri, præter laudis sacrificium, legitur in Midrasch libri Numerorum. Legitur illic etiam Sabbatum ab eo solvi posse, qui Dei præcepta tradit hominibus. Undè fateri eos necesse est, meritò de se Jesum Christum prædicâsse, Filium hominis dominum esse Sabbati. Traditur libro eodem sublatum iri ciborum discrimina, veniente Messiâ : quod et in Beresith Rabbâ disertè scriptum est. Sed et Midrasch Thehillim scriptum habet, Israelitas ob scelera sua excidisse sacerdotio, atque id ad gentes transiisse, quod jam superius à me notatum est. Addam hic etiam, horum temporum Judæos palàm fateri, jam nullos sibi superesse sacerdotes; multos quidem levitico genere se prognatos ferre, sed legitimis instrumentis genus suum approbare non posse; proindèque etiamsi suum sibi restituetur templum, se haudquaquàm sacrificaturos, ut qui non habeant כהן, oraturos tantùm, unumque sibi laudis sacrificium esse concessum.

CAPUT CLXIII.

Excidium hierosolymitanum.

Psalm. 68, *v.* 25 *et seq.* : « Effunde super eos iram tuam, et furor iræ tuæ comprehendat eos. Fiat habitatio eorum deserta, et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet : quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt; et super dolorem vulnerum meorum addiderunt. »

Isa. c. 6, *v.* 8 *et seq.* : « Et audivi vocem Domini dicentis : Quem mittam? et quis ibit nobis? Et dixi : Ecce ego, mitte me. Et dixit : Vade, et dices populo huic : Audite audientes, et nolite intelligere : et videte visionem, et nolite cognoscere. Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude, ne fortè videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum. Et dixi : Usquequò, Domine? et dixit : Donec desolentur civitates absque habitatore, et domus sine homine, et terra relinquatur deserta. »

Isa. c. 25, *v.* 1, 2 : « Domine, Deus meus es tu, exaltabo te, et confitebor nomini tuo; quoniam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas, fideles, amen. Quia posuisti civitatem in tumulum, urbem fortem in ruinam, domum alienorum, ut non sit civitas, et in sempiternum non ædificetur. Super hoc laudabit te populus fortis, civitas gentium robustarum timebit te. »

Jerem. c. 19, *v.* 10, 11 : « Et conteres laguncutam, in oculis virorum qui ibunt tecum. Et dices ad eos : Hæc dicit Dominus exercituum : Sic conteram populum istum, et civitatem, sicut conteritur vas figuli, quod non potest ultrà instaurari. »

Dan. c. 9, *v.* 26 : « Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus : et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem, et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo; et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio. »

Zach. c. 13, *v.* 6 *et seq.*, *c.* 14, *v.* 1 *et seq.* : « Et dicetur ei : Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet : His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me. Framea, suscitare super pastorem meum, et super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum : percute pastorem, et dispergentur oves...... Ecce venient dies Domini, et dividentur spolia in medio tui; et congregabo omnes gentes ad Jerusalem in prælium, et capietur civitas, et vastabuntur domus, et mulieres violabuntur, et egredietur media pars civitatis in captivitatem, et reliquum populi non auferetur ex urbe. »

Matth. c. 23, *v.* 38 : « Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. »

Luc. c. 19, *v.* 41 *et seq.* : « Et ut appropinquavit, videns civitatem flevit super illam, dicens : Quia si cognovisses et tu, et quidem in hâc die tuâ, quæ ad pacem tibi; nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te, et coangustabunt te undiquè, et ad terram prosternent te; et filios tuos qui in te sunt; et non relinquet in te lapidem super lapidem, eò quòd non cognoveris tempus visitationis tuæ. »

Josephus, De bello Judaico, lib. 7, *cap.* 47 :

« Sic quidem capta est Hierosolyma, anno secundo imperii Vespasiani, octavo die mensis Gorpiæi. »

Suetonius, in Tito, cap. 5 : « Novissimâ Hierosolymorum oppugnatione, duodecim propugnatores totidem sagittarum confecit ictibus; cepitque eam natali filiæ suæ. »

Joannes Xiphilinus, Epitom. Dion. in Vespasiano : « Titus autem, Judaico bello præfectus, Hierosolymam cœpit, et templum cremavit. Judæis verò, non mors, sed victoria, et salus, et felicitas esse visa est, cum templo interire.

CAPUT CLXIV.

Hierosolymitani templi eversio.

Dan. c. 9, *v.* 26, 27 : « Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus : et non erit ejus populus qui eum negaturus est. Et civitatem, et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo; et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomadâ unâ; et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium; et erit in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem, et finem perseverabit desolatio. »

Ose. c. 3, *v.* 4 : « Quia dies multos sedebunt filii Israel sine rege, et sine principe, et sine sacrificio, et sine altari, et sine Ephod, et sine Theraphim. »

Matth. c. 24, *v.* 1 *et seq.* : « Et egressus Jesus de templo, ibat. Et accesserunt discipuli ejus, ut ostenderent ei ædificationes templi. Ipse autem dixit illis : Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hîc lapis super lapidem qui non destruatur..... Cùm ergò videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele prophetâ, stantem in loco sancto, qui legit intelligat; tunc qui in Judæâ sunt, fugiant ad montes. » Et Marc. c. 13, v. 1 et seq. Luc. c. 21, v. 5 et seq.

Josephus de bello Judaico, lib. 7, *cap.* 26 : « Sic igitur templum invito Cæsare incenditur. »

Joannes Xiphilinus, Epitom. Dion. in Tito : « Titus autem Judaico bello præfectus, Hierosolymam cepit, et templum cremavit; Judæi verò, non mortis, sed victoriæ, et salutis et felicitatis duxerunt loco, simul cum templo interire. »

CAPUT CLXV.

Urbis et templi instaurandi spes omnis Judæis adempta.

Isa. c. 5, *v.* 25 : « Ideò iratus est furor Domini in populum suum, et extendit manum suam super eum, et conturbati sunt montes, et facta sunt morticina eorum, quasi stercus in medio platearum. In his omnibus non est adversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta. »

Isa. c. 25, *v.* 2 : « Posuisti civitatem in tumulum, urbem fortem in ruinam, domum alienorum; ut non sit civitas, et in sempiternum non ædificetur. »

Jerem. c. 19, *v.* 11 : « Hæc dicit Dominus exercituum : Sic conteram populum istum, et civitatem istam, sicut conteritur vas figuli, quod non potest ultrà instaurari. »

Dan. c. 9, *v.* 26, 27 . « Et civitatem, et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomadâ unâ; et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium; et erit in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio. »

Amos c. 5, *v.* 1 : « Audite verbum, quod ego levo super vos planctum : Israel cecidit, et non adjiciet ut resurgat; virgo Israel projecta est in terram suam, non est qui suscitet eam. »

Matth. c. 23, *v.* 38 : « Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. »

Ammianus Marcellinus, lib. 23 *de Juliano* : « Ambitiosum quondàm apud Hierosolymam templum, quod post multa et interneciva certamina, obsidente Vespasiano, posteàque Tito, ægre est oppugnatum, instaurare sumptibus cogitabat immodicis, negotiumque maturandum Alypio dederat antiochensi, qui olim Britannias curaverat pro præfectis. Cùm itaque rei idem instaret Alypius, juvaretque provinciæ rector, metuendi globi flammarum propè fundamenta crebris assultibus erumpentes fecêre locum, exustis aliquoties operantibus, inaccessum : hocque modo elemento destinatiùs repellente, cessavit inceptum. »

Joannes Chrysostomus, Orat. 3 *in Judæos* : « Prædixit Daniel futurum ut hâc servitute premuntur usque ad finem. Et his dictis testimonium præbet tàm diuturnum tempus jam indè elapsum, nullum ipsis vestigium vel initium felicis mutationis ad hunc usque diem ostentans; cùm tamen instaurare templum sæpiùs tentaverint. Hoc enim semel, bis, ac tertiò aggressi, sub Adriano, et Constantino, et Juliano, repressi sunt, tunc quidem à militibus; postremò tandem ab igne è fundamentis

erumpente, et intempestivos eorum conatus reprimente. » Vide et Chrysostomum, Homil. 4 in Matth., et Homil. 41 in Acta, et Serm. 2 in Babylam, et Serm. 2 in Judæos, et in Demonstrat. ὅτι θεὸς ὁ χριστός. Gregorium Nazianz., Orat. 4; Philostorgium, Hist. Eccl. lib. 12, cap. 9; Theodoretum, Hist. Eccl. lib. 3, cap. 20; Socratem, lib. 3, cap. 20; Sozomenum, lib. 5, cap. 22; Ambrosium, Epist. 29 ad Theodosium; Rufinum, Hist. lib. 1, cap. 38 et 39; Sulpitium Severum, Hist. lib. 2; Cassiodorum, Hist. Tripart. lib. 6, cap. 43; Freculphum Lexoviensem, Hist. lib. 4, cap. 9.

CAPUT CLXVI.

Jesus judex.

Psalm. 44, v. 4 *et seq.*: « Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime. Specie tuâ, et pulchritudine tuâ intende, prosperè procede, et regna, propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam; et deducet te mirabiliter dextera tua. Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent, in corda inimicorum regis. Sedes tua, Deus, in seculum seculi; virga directionis, virga regni tui. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem. »

Psalm. 71, v. 1 *et seq.*: « Deus judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis; judicare populum tuum in justitiâ, et pauperes tuos in judicio. Suscipiant montes pacem populo, et colles justitiam. Judicabit pauperes populi, et salvos faciet filios pauperum, et humiliabit calumniatorem; et permanebit cum sole, et antè lunam, in generatione et generationem. »

Psalm. 97, v. 8, 9: « Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt à conspectu Domini, quoniam venit judicare terram. Judicabit orbem terrarum in justitiâ, et populos in æquitate. »

Isa. c. 2, v. 3, 4: « Et ibunt populi multi, et dicent: Venite, et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus; quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem; et judicabit gentes, et arguet populos multos. » Et Mich. c. 4, v. 2, 3.

Isa. c. 11, v. 1 *et seq.*: « Et egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet...... Non secundùm visionem oculorum judicabit, neque secundùm auditum aurium arguet; sed judicabit in justitiâ pauperes, et arguet in æquitate pro mansuetis terræ; et percutiet terram virgâ oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium. »

Isa. c. 13, v. 9 *et seq.*: « Ecce dies Domini veniet crudelis, et indignationis plenus, et iræ, furorisque ad ponendam terram in solitudinem, et peccatores ejus conterendos de eâ: quoniam stellæ cœli, et splendor earum, non expandent lumen suum; obtenebratus est sol in ortu suo, et luna non splendebit in lumine suo. Et visitabo super orbis mala, et contrà impios iniquitatem eorum, et quiescere faciam superbiam infidelium, et arrogantiam fortium humiliabo. Pretiosior erit vir auro, et homo mundo obryzo. Super hoc cœlum turbabo, et movebitur terra de loco suo, propter indignationem Domini exercituum, et propter diem iræ furoris ejus. »

Isa. c. 33, v. 22: « Dominus enim judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse salvabit nos. »

Isa. c. 42, v. 1: « Ecce servus meus, suscipiam eum; electus meus, complacuit sibi in illo anima mea; dedi spiritum meum super eum; judicium gentibus proferet. Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox ejus foris. Calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non exstinguet, in veritate educet judicium. Non erit tristis, neque turbulentus, donec ponat in terrâ judicium, et legem ejus insulæ exspectabunt. »

Isa. c. 49, v. 25: « Eos verò, qui judicaverunt te, ego judicabo, et filios tuos ego salvabo. »

Isa. c. 51, v. 5: « Propè est Justus meus; egressus est salvator meus, et brachia mea populos judicabunt, me insulæ exspectabunt, et brachium meum sustinebunt. »

Isa. c. 66, v. 15 *et seq.*: « Quia ecce Dominus in igne veniet, et quasi turbo quadrigæ ejus; reddere in indignatione furorem suum, et increpationem suam in flammâ ignis; quia in igne Dominus dijudicabit, et in gladio suo ad omnem carnem. »

Jerem. c. 23, v. 5, 6: « Ecce dies veniunt, dicit Dominus; et suscitabo David germen justum, et regnabit rex, et sapiens erit, et faciet judicium, et justitiam in terrâ. » Et Jerem. 33, 15.

Ezech. c. 34, v. 17 *et seq.*: « Vos autem greges mei, hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego judico inter pecus et pecus, arietum et hircorum... Propterea hæc dicit Dominus Deus ad vos: Ecce ego ipse judico inter pecus pingue et macilentum: pro eo quòd lateribus et humeris impingebatis, et cornibus vestris ventilabatis omnia infirma pecora, donec disper-

gerentur foràs, salvabo gregem meum, et non erit ultrà in rapinam, et judicabo inter pecus et pecus. Et suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David. »

Dan. c. 7, v. 9 *et seq.* : « Aspiciebam, donec throni positi sunt, et Antiquus dierum sedit... judicium sedit, et libri aperti sunt.... et ecce cum nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat, et usque ad Antiquum dierum pervenit, et in conspectu ejus obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum; et omnes populi, tribus, et linguæ ipsi servient; potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur, et regnum ejus quod non corrumpetur. »

Joel. c. 2, v. 1 *et seq.* : « Canite tubâ in Sion, ululate in monte sancto meo; conturbentur omnes habitatores terræ, quia venit dies Domini, quia propè est dies tenebrarum et caliginis, dies nubis et turbinis.... Et dabo prodigia in cœlo, et in terrâ sanguinem, et ignem, et vaporem fumi; sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem, antequàm veniat dies Domini magnus et horribilis. Et erit : Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit. »

Mich. c. 4, v. 1 *et seq.* : « Et erit in novissimo dierum erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, et sublimis super colles; et fluent ad eum populi. Et properabunt gentes multæ, et dicent : Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob; et docebit nos de viis suis, et ibimus in semitis ejus; quia de Sion egredietur lex, et verbum Domini de Jerusalem. Et judicabit populos multos, et corripiet gentes fortes usque in longinquum. »

Soph. c. 3, v. 8 : « Quapropter exspecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ in futurum : quia judicium meum, ut congregem gentes, et colligam regna, et effundam super eos indignationem meam, omnem iram furoris mei; in igne enim zeli mei devorabitur omnis terra. »

Matth. c. 9, v. 2 *et seq.* : « Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto. Et videns Jesus fidem illorum dixit paralytico : Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.... Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terrâ dimittendi peccata, tunc ait paralytico : Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam. » Et Marc. c, 2, v. 3 et seq. Luc. c. 5, v. 18 et seq.

Matth. c. 16, v. 17, 19 : « Respondens autem Jesus dixit ei : Et tibi dabo claves regni cœlorum : et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis. » Et Matth. c. 18, v. 18. Joan. c. 20, v. 23.

Matth. c. 16, v. 27 : « Filius enim hominis venturus est in gloriâ Patris sui cum Angelis suis, et tunc reddet unicuique secundum opera ejus. » Et Matth. c. 24, v. 30; et c. 26, v. 64. Marc. c. 8, v. 38; et c. 13, v. 24 et seq. Luc. c. 21, v. 25 et seq. Act. c. 1, v. 11; et c. 3, v. 20, 21. Rom. c. 2, v. 6, et 1 Thess. c. 1, v. 10; et c. 4, v. 14 et seq.; et 2 Thess. c. 1, v. 10. Apoc. 1, 7, et 2, 3.

Matth. c. 25, v. 31 *et seq.* : Cùm autem venerit Filius hominus in majestate suâ, et omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ; et congregabuntur antè eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis; et statuet oves quidem à dextris suis, hædos autem à sinistris. Tunc dicet Rex his qui à dextris ejus erunt : Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi..... Tunc dicet et his qui à sinistris erunt : Discedite à me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.... Et ibunt hi in supplicium æternum; justi autem in vitam æternam. »

Joan. c. 5, v. 22 *et seq.* : « Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio... et potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est.... Non possum ego à me ipso facere quidquam : sicut audio, judico, et judicium meum justum est. »

Joan. c. 8, v. 3 *et seq.* : « Adducunt autem Scribæ et Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam, et statuerunt eam in medio, et dixerunt ei : Magister, hæc mulier modò deprehensa est in adulterio. In lege autem Moyses mandavit nobis hujusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis?... Erigens autem se Jesus, dixit ei : Mulier, ubi sunt qui te accusabant? Nemo te condemnavit? Quæ dixit : Nemo, Domine. Dixit autem Jesus : Nec ego te condemnabo; vade, et jam ampliùs noli peccare. »

Act. c. 10, v. 32 : « Et præcepit nobis prædicare populo, et testificari quia ipse est, qui constitutus est à Deo judex vivorum et mortuorum. »

Act. c. 17, v. 31 : « Eò quòd statuit diem, in quo judicaturus est orbem in æquitate in viro in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum à mortuis. »

Rom. c. 14, v. 10 : « Omnes enim stabimus

anté tribunal Christi; Scriptum est enim : *Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, et omnis lingua confitebitur Deo.* » Et 2 Cor. c. 5, v. 10.

2 *Thess.* c. 1, v. 7 *et seq.* : « In revelatione Domini Jesu de cœlo cum Angelis virtutis ejus, in flammâ ignis dantis vindictam iis qui non noverunt Deum, et qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi; qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, et à gloriâ virtutis ejus, cùm venerit glorificari in sanctis suis, et admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt. »

2 *Tim.* c. 4, v. 8 : « In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die, justus judex; non solùm autem mihi, sed et iis qui diligunt adventum ejus. »

CAPUT CLXVII.

Apostoli Jesu judices.

Sap. c. 3, v. 7, 8 : Fulgebunt justi, et tanquàm scintillæ in arundineto discurrent; judicabunt nationes, et dominabuntur populis, et regnabit Dominus illorum in perpetuum. »

Matth. c. 19, v. 28 : Jesus autem dixit illis : Amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. » Et Luc. c. 22, v. 28 et seq.

CAPUT CLXVIII.

Jesu omnis potestas à Patre data.

Dan. c. 7, v. 13, 14 : « Aspiciebam ergò in visione noctis, et ecce cum nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat, et usque ad Antiquum dierum pervenit; et in conspectu ejus obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum; et omnes populi, tribus et linguæ ipsi servient; potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur; et regnum ejus, quod non corrumpetur. »

Matth. c. 28, v. 18 : « Et accedens Jesus locutus est eis, dicens : Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. »

Joan. c. 13, v. 3 : « Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus. »

Joan. c. 17, v. 1, 2 : « Hæc locutus est Jesus, et sublevatis oculis in cœlum, dixit : Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te; sicut dedisti ei potestatem omnis carnis; ut omne quod dedisti ei; det eis vitam æternam.

Hebr. c. 1, v. 2: « Novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum. »

Hebr. c. 2, v. 8 : Omnia subjecisti sub pedibus ejus. In eo enim quòd omnia ei subjecit, nihil dimisit non subjectum ei. »

CAPUT CLXXI

Jesus Servator.

Psalm. 71, v. 1 *et seq.* : « Deus, judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis..... judicabit pauperes populi, et salvos faciet filios pauperum, et humiliabit calumniatorem. Et permanebit cum sole, et antè lunam, in generatione et generationem. »

Psalm. 73, v, 12 : « Deus autem rex noster antè secula, operatus est salutem in medio terræ. »

Psalm. 97, v. 1 *et seq.* : « Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit. Salvavit sibi dextera ejus, et brachium sanctum ejus. Notum fecit Dominus salutare suum; in conspectu gentium revelavit justitiam suam. Recordatus est misericordiæ suæ, et veritatis suæ domui Israel. Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri. »

Psalm. 117, v. 21 *et seq.* : « Confitebor tibi, quoniam exaudisti me, et factus es mihi in salutem. Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris. Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus et lætemur in eâ. O Domine, salvum me fac! ô Domine, bene prosperare! benedictus qui venit in nomine Domini... Confitebor tibi, quoniam exaudisti me, et factus es mihi in salutem. »

Isa. c. 12, v. 2, 3 : « Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam, et non timebo : quia fortitudo mea, et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. »

Isa. c. 19, v. 19, 20 : In die illâ erit altare Domini in medio terræ Ægypti, et titulus Domini juxtà terminum ejus erit in signum, et in testimonium Domino exercituum in terrâ Ægypti. Clamabunt enim ad Dominum à facie tribulantis, et mittet eis Salvatorem et propugnatorem, qui liberet eos. »

Isa. c. 25, v. 8, 9 : « Præcipitabit mortem in sempiternum, et auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, et opprobrium populi sui auferet de universâ terrâ, quia Dominus locutus est. Et dicet in die illâ : Ecce Deus

noster iste, exspectavimus eum, et salvavit nos; iste Dominus, sustinuimus eum, exultabimus, et lætabimur in salutari ejus. »

Isa. c. 33, v. 22 : « Dominus enim judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse salvabit nos. »

Isa. c. 35, v. 4 *et seq.* : « Dicite pusillanimis : Confortamini, et nolite timere; ecce Deus vester ultionem adducet retributionis; Deus ipse veniet, et salvabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt; tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum. »

Isa. c 45, v. 8 : « Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant Justum; aperiatur terra, et germinet Salvatorem, et justitia oriatur simul; ego Dominus creavi eum. »

Isa. c. 46, v. 12, 13 : « Audite me, duro corde, qui longè estis à justitiâ; propè feci justitiam meam, non elongabitur, et salus mea non morabitur. Dabo in Sion salutem, et in Israel gloriam meam. »

Isa. c. 49, v. 6, 25 : « Et dixit : Parùm es ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, et fæces Israel convertendas; ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ... Quia hæc dicit Dominus : Equidem et captivitas à forti tolletur, et quod ablatum fuerit à robusto salvabitur. Eos verò qui judicaverunt te, et ego judicabo; filios tuos ego salvabo. »

Isa. c. 51, v. 5 : « Propè est Justus meus, egressus est Salvator meus; et brachia mea populos judicabunt; me insulæ exspectabunt, et brachium meum sustinebunt. »

Isa. c. 52, v. 10 : « Paravit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium, et videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. »

Isa. c. 60, v. 16 : Et scies quia ego Dominus salvans te, et redemptor tuus fortis Jacob. »

Isa. c. 62, v. 1, 11 : « Propter Sion non tacebo, et propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor Justus ejus, et Salvator ejus ut lampas accendatur... Ecce Dominus auditum fecit in extremis terræ : Dicite filiæ Sion : Ecce Salvator tuus venit; ecce merces ejus cum eo et opus illius coràm illo. »

Isa. c. 63, v. 8, 9 : « Et dixit : Verumtamen populus meus est, filii non negantes, et factus est eis Salvator. In omni tribulatione eorum non est tribulatus, et Angelus faciei ejus salvavit eos; in dilectione suâ et in indulgentiâ suâ ipse redemit eos, et portavit eos, et elevavit eos cunctis diebus seculi. »

Jerem. c. 23, v. 5, 6 : « Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen justum, et regnabit rex, et sapiens erit, et faciet judicium et justitiam in terrâ. In diebus illis salvabitur Juda, et Israel habitabit confidenter; et hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster. » Et Jerem. c. 33, v. 16.

Joel. c. 2, v. 31, 32 : « Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem, antequàm veniat dies Domini magnus et horribilis. Et erit : Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit; quia in monte Sion, et in Jerusalem erit salvatio, sicut dixit Dominus, et in residuis quos Dominus vocaverit. »

Habac. c. 3, v. 13, 18 : « Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo... Ego autem in Domino gaudebo, et exultabo in Deo Jesu meo.

Zach. c. 9, v. 9 : « Exulta satis, filia Sion; jubila, filia Jerusalem; ecce Rex veniet tibi justus et Salvator; ipse pauper et ascendens super asinam, et super pullum filium asinæ. »

Matth. c. 1, v. 21 *et seq.* : « Pariet autem Filium, et vocabis nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum. » Et Luc. c. 1, v. 31, et c. 2, v. 21.

Matth. c. 18, v. 11 : « Venit enim Filius hominis salvare quod perierat. » Et Luc. c. 9, v. 56, et c. 19, v. 10.

Matth. c. 27, v. 39 *et seq.* : « Prætereuntes autem blasphemabant eum, moventes capita sua, et dicentes : Vah! qui destruis templum Dei, et in triduo illud reædificas, salva temetipsum; si Filius Dei es, descende de cruce. Similiter et principes sacerdotum, illudentes cum scribis et senioribus dicebant : Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. » Et Marc. c. 15, v. 28, 29. Luc. c. 23, v. 35 et seq.

Luc. c. 1, v. 69 *et seq.* : Et erexit cornu salutis nobis, in domo David pueri sui; sicut locutus est per os sanctorum, qui à seculo sunt, Prophetarum ejus; salutem ex inimicis nostris, et de manu omnium qui oderunt nos. »

Luc. c. 2, v. 10 : « Et dixit illis Angelus : Nolite timere, ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo : quia natus est vobis hodiè Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David. »

Luc. c. 2, v. 29, 30 : Nunc dimittis servum

tuum, Domine, secundùm verbum tuum in pace; quia viderunt oculi mei, salutare tuum, quod parâsti antè faciem omnium populorum. »

Luc. c. 3, v. 4 *et seq.* : « Sicut scriptum est in libro sermonum Isaiæ prophetæ : *Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus... et videbit omnis caro salutare Dei.* »

Joan. c. 3, v. 14 *et seq.* : « Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ità exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. » Et Joan. c. 12, v. 47.

Joan. c. 4, v. 22, 42 : « Vos adoratis quod nescitis; nos adoramus quod scimus, quia salus ex Judæis est... Et mulieri dicebant : Quia jam non propter tuam loquelam credimus; ipsi enim audivimus, et scimus quia hic est verè Salvator mundi. »

Joan. c. 5, v. 34 : « Ego autem non ab homine testimonium accipio, sed hæc dico ut vos salvi sitis. »

Joan. c. 10, v. 9 : « Ego sum ostium : per me si quis introierit salvabitur. »

Joan. c. 17, v. 1, 2 : « Hæc locutus est Jesus; et sublevatis oculis in cœlum, dixit : Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te; sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam. »

Act. c. 4, v. 10 *et seq.* : « Notum sit omnibus vobis, et omni plebi Israel, quia in nomine Domini nostri Jesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit à mortuis, in hoc iste adstat coràm vobis sanus. Hic est lapis, qui reprobatus est à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli; et non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. »

Act. c. 5, v. 30, 31 : « Deus patrum nostrorum suscitavit Jesum, quem vos interemistis suspendentes in ligno. Hunc Principem et salvatorem Deus exaltavit dexterâ suâ. »

Act. c. 13, v. 23 : « Hujus Deus ex semine, secundùm promissionem, eduxit Israel Salvatorem Jesum. »

Act. c. 13, v. 47 : « Sic enim præcepit nobis Dominus : *Posui te in lucem gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terræ.* »

Act. c. 29, v. 28 : Notum ergo sit vobis, quoniam gentibus missum est hoc salutare Dei. »

Rom. c. 5, v. 9, 10 : « Christus pro nobis mortuus est : multò igitur magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab irâ per ipsum. Si enim, cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, multò magis reconciliati, salvi erimus in vitâ ipsius. »

Eph. c. 2, v. 5 : « Et cùm essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, cujus gratiâ estis salvati. »

Eph. c. 5, v. 23 : « Quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ; ipse Salvator corporis ejus. »

Philipp. c. 3, v. 20 : « Nostra autem conversatio in cœlis est, undè etiam Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum. »

1 *Tim.* c. 1, v. 15 : « Fidelis sermo, et omni acceptione dignus, quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. »

Tit. c. 1, v. 4 : « Tito dilecto filio, secundùm communem fidem, gratia et pax à Deo Patre, et Christo Jesu Salvatore nostro. »

Tit. c. 2, v. 13 : «Exspectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi. »

Tit. c. 3, v. 4 *et seq.* : « Cùm autem benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritûs sancti, quem effudit in nos abundè per Jesum Christum, Salvatorem nostrum, ut justificati gratiâ ipsius, hæredes simus secundùm spem vitæ æternæ. »

Hebr. c. 2, v. 10 : « Decebat enim eum propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare. »

Hebr. c. 5, v. 8, 9 : «Et quidem cùm esset Filius Dei, didicit ex iis quæ passus est, obedientiam; et consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causâ salutis æternæ. »

Hebr. c. 7, v. 25 : Undè et salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum. »

Hebr. c. 9, v. 28 : « Sic et Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata;

secundò sine peccato apparebit exspectantibus se in salutem. »

2 *Petr.* c. 1, v. 1 : « Simon Petrus, servus et Apostolus Jesu Christi, iis qui coæqualem nobiscum sortiti sunt fidem, in justitiâ Dei nostri, et Salvatoris Jesu Christi. » Et c. 1, v. 11, et c. 2, v. 20; et c. 5, v. 2, 18.

1 *Joan.* c. 4, v. 9, 14 : « In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum... Et nos vidimus, et testificamur, quoniam Pater misit Filium suum, Salvatorem mundi. »

CAPUT CLXX.

Varii Jesu typi colliguntur è Veteri Testamento.

1° Subjecimus lectorum oculis prophetias omnes veteris Testamenti ad Christum Jesum pertinentes, iisque opposita novi testimonia, quibus illarum exitus continetur. Prophetias omnes dico, nam si quæ fortassè in tantâ copiâ diligentiam effugit nostram, vel brevitatis studio prætermissa fuit, vel præ tot aliis clarissimis et apertissimis, quas proferimus, non magni certè momenti censenda est. Si tamen ità loqui fas est, cum prædictio nulla προλεκτική Christi Jesu, pondere ac dignitate careat. Nunc quoniam diximus suprà duplex in sacris codicibus vaticiniorum genus exstare, alterum per verba, per signa alterum; cùm jam priori generi satisfecerimus, aliud nobis superest exequendum, quod breviore gyro circumscribemus. Primum dat Jesu typum, hominum omnium parens Adamus; vel ipso monstrante Apostolo, qui formam eum esse futuri pronuntiat. Tùm deindè hanc inter ipsos comparationem instituit : Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi, ità et per unius obeditionem, justi constituuntur multi. » Tum alibi 1 Cor. c. 15, v. 20 et seq. : « Nunc autem Christus resurrexit à mortuis, primitiæ dormientium; quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ità et in Christo omnes vivificabuntur. » Deindè : « Factus est primus homo Adam in animam viventem; novissimus Adam in spiritum vivificantem... Primus homo de terrâ, terrenus; secundus homo de cœlo, cœlestis. Qualis terrenus, tales et terreni; et qualis cœlestis, tales et cœlestes. Igitur sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cœlestis. » Hùc adde, utrumque fuisse Filium Dei; nam stemma Christi Jesu pertexens Lucas, Adamum appellat filium Dei; et à Jesu filio Dei hanc seriem auspicatus, in Adamo Dei filio desinit. Sexto die creatur Adamus; sexto die mortem subit Christus. Ad imaginem Dei creatus est Adamus; Jesus *est imago Dei invisibilis, et figura substantiæ ejus, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius*, Col. c. 1, v. 15. De terrâ virgine fictus est Adamus; Jesus de puellâ virgine. Adamum jussit Deus dominari *piscibus maris, et volatilibus cœli, et universis animantibus quæ moventur super terram*, Gen. c. 1, v. 28; datam sibi omnem potestatem in cœlo et in terrâ prædicat Jesus. Conjugium Adami et Evæ, individuum Christi Jesu et Ecclesiæ connubium referre auctor quoque est Paulus in Epistolâ ad Ephesios, cap. 5, v. 31, 32. Evæ suasu admittitur peccatum; Mariæ partu oritur peccati remedium. Per lignum morti nos tradit Adamus; per lignum, vitæ nos restituit Jesus. Fructum arboris, per quem bonum et malum noscebatur, degustat Adamus; de Christo Jesu prædixit Isaias, c. 7, v. 15 : *Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum.* Nudus peccavit Adamus; nudus peccatum in cruce reparavit Christus. Post admissum peccatum, terrestri paradiso exit Adamus; post reparatum peccatum, cœlestem paradisum subit Jesus. Dormiente Adamo creatur Eva; moriente Jesu nascitur Ecclesia. Ex Adamo et Eva nascuntur homines; Ex Christo et Ecclesiâ renascuntur homines. Quin et Hebræi sepultum in Golgothâ monte Adamum fabulati sunt. Penès eos rei fides esto; palàm certè refragatur Hieronymus. Hanc comparationem à contrariis petiisse Paulum rectè observatum est ab Origene; ità ut in genere similitudo, in specie oppositio inter utrumque appareat.

2° Alteram Jesu Christi figuram exhibet nobis Abelis et Caini historia. Quemadmodùm enim Abeli, integerrimo viro, Caini fratris invidiam conflavit eximia pietas, ità Jesu, hominum omnium innocentissimo, fratrum Judæorum odium virtutes suæ pepererunt. Fuit Abel ovium pastor, Jesus hominum. Abeli mortem parat Cainus, Jesu Judæi. Abelum foràs ad mortem educit Cainus; Jesum Judæi ad supplicium extrà Hierosolymam rapiunt. Vox sanguinis Abelis clamat ad Deum de terrâ; de Jesu sic disserit Paulus ad Hebræos, cap. 12, v. 24 : *Accessistis ad Testamenti novi mediatorem Je-*

sum, et sanguinis aspersionem meliùs loquentem quam Abel. Hanc Caino pœnam criminis irrogat Deus, ut sacer et detestabilis sit in terrâ hàc, quam fraterno sanguine respersit; Judæos vulgò execrabiles esse videmus, in Ecclesiâ præsertim Christianâ, quæ Jesu sanguine lota ac mundata est. Futurum prætereà addit Deus, ut terram à se fœdatam vanis laboribus Cainus exerceat, nullos ipsi fructus, operæ pretium nullum reddituram; miseranda quippè hæc est Judæorum conditio, ut priscam et antiquatam Synagogam, et abrogatos ritus frustrà concelebrent, nec quidquam proficiant ad salutem. Exilio quoque Cainum mulctat Deus, patriisque sedibus ejicit; sic tamen ut tutam ei et incolumem vitam præstet; profugi passim et extorres errant Judæi, nec penitùs tamen exscinduntur, sed certa gens, ab aliis discreta esse pergunt, juxtà illustre hoc Jeremiæ oraculum, cap. 31, v. 35, 36: « Hæc dicit Dominus, qui dat solem in lumine diei, ordinem lunæ et stellarum in lumine noctis; qui turbat mare, et sonant fluctus ejus; Dominus exercituum nomen illi: Si defecerint leges istæ coràm me, dicit Dominus, tunc et semen Israel deficiet, ut non sit gens coràm me cunctis diebus. » Signo quodam Cainum notavit Deus, quo agnitus vulgò mortem effugeret; Judæi variis in locis certo colore vel notâ insignes esse jubentur. Hanc Christi Jesu et Abelis comparationem prosecutus est Rupertus Abbas Tuitiensis, lib. 3, Comment. in Gen. cap. 6.

3° Alius etiam Christi typus in Noe consistit, cujus nomen petitur à verbo נוח, qui consolationis et quietis significatio inest; id de se pollicetur Jesus cùm ait, Matth. 11, v. 28, 29: « Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos; et discite à me quia mitis sum et humilis corde; et invenietis requiem animabus vestris. » Noe, inquit Moses, Gen. c. 6, v. 8, 9, invenit gratiam coràm Domino; Noe vir justus atque perfectus fuit in generationibus suis; cum Deo ambulavit: Jesus, inquit Lucas, cap. 2, v. 40, 4, et cap. 52, v. 22, proficiebat sapientiâ, et ætate, et gratiâ apud Deum et homines. Gratia, inquit Joannes, cap. 1, v. 17, et veritas per Jesum Christum facta est. Justum prætereà κατ' ἐξοχὴν dictum fuisse Jesum ostendimus; in æternum verò perfectum esse scribit Paulus ad Hebræos, cap. 7, v. 38. Terras inundante diluvio, totumque humanum genus delente, ii tantùm perniciem instantem effugiunt, quos servat Noe; grassante per terras peccati luo, hominesque in certum interitum adducente, ii tantùm imminenti subducuntur exitio, quos Jesus salvos voluit. *Nec enim*, inquit Petrus, *aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri,* Act. c. 4, v. 12. Et uterque homines per lignum præstat incolumes. In arcâ verò Ecclesiæ figuram deprehenderunt prisci ac novitii Scripturæ sacræ interpretes; extrà quas si qui deprehensi sunt, certissimo interitu, hi temporario, illi æterno sunt consumpti. Nudatus Noe à Chamo filio irrisus est; cùm intereà filii ejus alii duo singularem ipsi pietatem ac reverentiam præstiterunt, ac propterea illum pater diris devovit, his fausta omnia apprecatus est; nudus in cruce pendens Christus Jesus ab Israele filio ludibrio habitus est, cùm verus Israel et populus gentium, ejus quoque filii, in ipsius obsequium cultumque concesserint; et idcircò Deo ille abominatus extrema per omnia infelicem vitam trahit, dùm huic cœlestis gratia aspirat.

4° Præclarum in Melchisedech Jesu exemplar agnoscit Paulus in Epistolâ ad Hebræos. Ait enim, cap. 7, v. 2, 3: « Primum quidem interpretatur rex justitiæ; deindè autem et rex Salem quod est, rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealogiâ; neque initium dierum, neque finem vitæ habens; assimulatus autem Filio Dei, manet sacerdos in perpetuum. Hæc in Jesu κριτήρια exstant valdè manifesta; nam et regia ejus potestas, et præstans justitia, et insigne pacis studium prædicantur in veteri Testamento ac in novo, ut probatum est à me in Parallelismo. Sine patre natus est, quippè ex Virgine; sine matre, quippè Filius Dei; cujus genealogia nulla est, utpotè Dei, parentum majorumque seriem haudquaquàm percensentis. Neque initium habet, neque finem; quippè ab omni retro ævo à Patre natus est, nullâ temporum diuturnitate unquàm exstinguendus; cui dixit Deus, Psalm 109, v. 3: *Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum; ex utero antè Luciferum genui te;* qui ipse de se hæc prædicat: *Ab initio et antè secula creata sum, et usque ad futurum seculum non desinam*, Eccli. cap. 24, v. 14, qui primum se et novissimum esse ait, alpha et omega, principium et finem. Undè Paulus comparationem Jesu cum Melchisedecho persequens: « Melioris Testamenti, inquit, sponsor factus est Jesus; et alii quidem plures facti sunt sacerdotes, idcircò quòd morte prohiberentur permanere; hic autem eò quòd maneat in

æternum, sempiternum habet sacerdotium. Undè et salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis, » Hebr. cap. 7, v. 22 *et seq.;* quod et subindè repetit. Sacerdos fuit Jesus, non oleo illo ex arborum fructibus expresso unctus, sed *oleo lætitiæ præ confortibus suis;* non Hebræorum solùm sacerdos, sed ethnicorum quoque, et ut Tertulliani verba usurpem, *præputiati sacerdotii Pontifex,* perindè ut Melchisedech, qui non inter ethnicos solùm, sed ergà Abrahamum etiam Hebræorum parentem sacerdotio functus est. Ethnicorum etiam rex fuit Melchisedech; Christus *judicabit in nationibus,* ut est in centesimo nono Psalmo. Incircumcisus fuit Melchisedech, ut est in Gen. c. 14, v. 18; Christus circumcisionem abrogavit. Denique et hæc Mosis verba: *At verò Melchisedech rex Salem, proferens panem et vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi, benedixit ei,* Melchisedech similitudinem aliam declarant cum Jesu Christo, à quo sacrificium panis et vini in Eucharistiæ sacramento institutum est; quod etiam Malachiæ vaticinatione celebratur. Atque hâc Christi et Melchisedech similitudine ductus Petrus Cunæus, homo acutus et eruditus, unum eumdemque fuisse ausus est asseverare, et in eâ formâ, quam Christus Jesus gessit deindè in terris, Abrahamo victori sese Filium Dei obtulisse. Quam opinionem expendere, atque eam etiam quam defendit Hieronymus in Epistolâ ad Evagrium, instituti mei non est.

5° Multas quoque Jesu similitudines gessisse Isaacum deprehendimus. Isaacum genuit centenarius pater, et ut sacris utar locutionibus, plenus dierum: *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum;* verba sunt Pauli ad Galatas. Qui Christi Pater *Antiquus dierum* à Daniele appellatur. Matre vetulâ, et ad illam diem sterili, Dan. 7, 9, 23, natus est Isaacus; Synagogæ filius fuit Jesus, matris pulchræ quidem, et decoris ritibus ac splendidis cæremoniis ornatæ, sed jam effœtæ et infœcundæ, quippè non conferentis gratiam Spiritûs sancti, per quam cordibus humanis charitas infunditur; gratiam, inquam, illam, quæ, ut ait Paulus, vita æterna est. Promissionis filius fuit Isaacus; Jesum Deus *promisit per Prophetas suos in Scripturis sanctis,* inquit Paulus, Rom. c. 1, v. 2. Unigena uterque fuit. Isaacus à patre sacrificio destinatus, et ad mortem ductus est; Deus Jesu *proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum;* utì scribit Paulus ad Romanos. Isaacus ligna, quibus imponendus et immolandus erat, itidem ut Jesus crucem, in montem ipse portavit.

6° Sed et aries ipse, quem immolavit Abrahamus, plurimas venturi Christi notas in se habuit. Eadem quippè in ariete κριτήρια ad Christum pertinentia reperio, ac in agno et ove, quæ suprà in Parallelismo observari possunt, simplicitatem dico, innocentiam, patientiam, et quod morti vel ab ipso ortu destinatur. Quibus et hæc adjiciemus; hortari nos Apostolum, ut induamus Christum, quòd detonsâ ex arietibus lanâ vestiamur; hortari nos Jesum ipsum apud Joannem, ut carnem suam edamus, quòd arietinâ et agninâ carne vescamur; cornibus hæsisse in vepreto arietem Abrahami; spinis Jesum coronatum fuisse, totoque vitæ decursu summas difficultates et angustias tolerâsse; Abrahamum post tergum conspexisse arietem; sed et Jesum post multos annos de se oriturum prævidisse; atque id significâsse Jesum cum diceret: *Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum; vidit, et gavisus est;* Abrahamum Deo sacrificâsse arietem, Isaaco filio succidaneum; passum quoque esse Deum, ut prò hominibus à se procreatis sibi Jesus mactaretur. Eadem denique loca sacrificio utriusque celebrata sunt, illius Moria, hujus Golgotha, mons uterque hierosolymitanus. Quanquàm in ipso Golgothâ, in quo mortem tulit Christus, arietem Abrahami immolatum esse Judæi opinantur.

7° Damus et aliam Christi Jesu imaginem, Josephum, qui itidem ut Isaacus patre jam sene natus fuit, eoque diuturnam Christi exspectationem significavit. Cùm præ fratribus à patre diligeretur, fratrum sibi concivit invidiam et odium, quod et Jesu contigit. Josephi somnia, quæ summam illi dignitatem portendebant, in Jesu eventum habuerunt; à fratribus suis adoratus est, nec allegoricè tantùm, sed reverà etiam sol et luna, ac reliquæ stellæ, ad Jesu Dei nutum orbes suos decurrunt. Advenienti Josepho mortem fratres meditantur: *Venite,* inquiunt, *occidamus eum,* Gen. c. 37, v. 20; veniente ad homines Jesu, *Morte turpissimâ,* inquiunt, *condemnemus eum,* Sap. c. 2, v. 20. Venditur Josephus à fratribus, viginti, vel ut alii interpretes habent, triginta nummis, testibus Ambrosio, lib. de Patriar., c. Joseph, cap. 31, et Augustino, serm. de Temp. 81; Jesus à Judâ triginta quoque nummis venumdatur. Cruenta Josephi tunica ad Jacobum perlata, cruentam Jesu mortem significat.

Apud Putipharem eunuchum servitutem serviit Josephus; Jesus *semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* Josephus carcere clausus inter duos reos, alteri mortem, salutem alteri et libertatem vaticinatur, oratque ut dignitati restitutus suî meminerit; Jesus cruci affixus inter duos latrones, altero in extremis interitu digna loquente, æternam alteri felicitatem spondet, cùm ab eo rogaretur, ut regnum adeptus sui memor esset. Decoram Josephi et elegantem formam non semel laudat Moses; sic laudatur et illa Christi in Psalm. 44, v. 3: *Speciosus formâ præ filiis hominum; diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.* Ad Josephi *nutum frumenta populis vendebantur,* ait Moses, Gen. c. 42, v. 6: Jesus escas populis esurientibus non semel subministravit; ipse se panem vitæ, panem vivum qui de cœlo descendit, esse profitetur; qui venerit ad se, non ampliùs esuriturum; qui panem hunc manducaverit, non moriturum. Josephus suis exstitit causa salutis, proptereàque eos sic alloquitur in Gen. cap. 45, v. 5, 7: « Pro salute vestrâ misit me Deus antè vos in Ægyptum... præmisitque me Deus, ut reservemini super terram... Non vestro consilio, sed Dei voluntate hùc missus sum. » Nec suos solùm, et Ægyptios, sed exteras quoque gentes fame laborantes sublevavit, et *salvator mundi* à Pharaone dictus est; quæ in Christum Jesum tàm aptè cadunt, ut non tàm de Josepho, quàm de ipso scripta esse videantur. Fratres dimittens Josephus, præceptum hoc dat proficiscentibus: *Ne irascamini in viâ;* à discipulis abiturus ad Patrem Jesus: *Pacem,* inquit, *relinquo vobis, pacem meam do vobis*, Joan. 14, v. 27. Pharao Ægyptios coràm Josepho in genua jubet procumbere, totamque Ægyptum ex ipsius arbitrio pendere, et alterum eum esse à rege: *Deus exaltavit Jesum,* inquit Apostolus, Phil. c. 2, v. 9 et seq. *et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.* De Josepho sic fatur moriens Jacob: *Filius accrescens Joseph, filius accrescens;* de Christo Jesu sic Joannes Baptista, Joan. c. 3, v. 29: *Illum oportet crescere, me autem minui;* cujus et figura est lapis ille Danieli, cap. 2, v. 35, memoratus, *qui factus est mons magnus, et implevit universam terram.*

8° Jesum expressit et paschalis agnus: *Etenim,* inquit Paulus, 1 Cor. c. 5, v. 7, *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Quæ comparatio cùm instituta sit à nobis suprà in Parallelismo, et accuratissimè à Bocharto in Hierozoico, part. 1, lib. 2, cap. 50, pauca tantùm nonnulla commemorabimus. Quo anni, mensis, et diei tempore paschalis agnus, hoc ipso immolatus est Christus Jesus. Nam cùm alio die Christus, alio Judæorum primores Pascha celebraverint, factum est, ut inciderit veri Agni Christi mors in eum ipsum diem, quo agni typici sacrificium fieri Moses sanxerat. Notant Steuchus Eugubinus in Exod. c. 12, v. 6, et Masius in Jos. c. 5, v. 10, persuasum esse Judæis, hoc ipso die se à Messiâ iri redemptum, quo in Ægypto per Agni esum in Phase Domini libertatem adepti sunt. Convenit quoque locus, Hierosolyma, ubi postquàm arca constituta est, paschale sacrificium ille fieri necesse fuit. Agnum mactari oportuit *sine maculâ:* Jesum agnum ἄμωμον καὶ ἄσπιλον appellat Petrus in primâ Epistolâ. Paschalem Agnum comedere festinanter, pedibus calceatis, baculos manibus tenentes, et ad iter expediti jubentur Israelitæ; Christus Jesus intrà paucas horas captus, damnatus, et morti datus est. Agni et Christi Jesu mors cruenta, utraque in gratiam populi. Sanguis Agni domorum foribus aspersus Hebræis saluti fuit, perindè ut Jesu sanguis universis hominibus, quicumque eo abluuntur. Undè Isaias de Christo: *Iste asperget gentes multas.* Ne agni ossa confringerentur lege cautum erat; de Jesu sic Joannes, cap. 19, v. 31 et seq.: « Ad Jesum autem cùm venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura..... Facta sunt enim hæc ut scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. » Agni reliquias ullas in crastinum servari nefas erat; Christus de cruce depositus est, et in monumentum conditus ipso interitûs sui die. Fermenti usus Paschalibus festis vetitus fuit; et ab Agni esu polluti et incircumcisi arcebantur; ad sacrum corporis Christi epulum accedere debemus, juxtà Pauli præceptum, *non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis.* Post agni paschalis esum ægyptiacâ statìm servitute exempti sunt Israelitæ; per corporis Christi esum, vitiorum, dæmonum ac mortis tyrannide liberamur. Sed et hic Israelitici populi ex Ægypto in Chanaanitidem reditus, typus fuit reditûs Christi ex eâdem regione in patriam. Unde et utrumque reditum una ῥήσει Oseas significavit, cap. 11, v. 1: *Ex Ægypto vocavi Filium meum.* Israelem quidem filium suum primogenitum appellat Deus in Exodo, et apud Jeremiam, quæ Chri-

sto Jesu convenire ostendimus in Parallelismo.

9° Paulus Apostolus in priore ad Corinthios Epistolâ, hæc scribit : « Nolo enim vos ignorare, Fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt et omnes mare transierunt; et omnes in Moyse baptizati sunt, in nube, et in mari; et omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritalem biberunt (bibebant autem de spiritali consequente eos petra autem erat Christus). » Quibus intelligimus, et nubem illam igneam Hebræis prælucentem, et cœlo depluens Manna, et Petram quæ ad tactum Mosis aquis fluxit, futurorum mysteria continere. Tunc baptizati sunt in nube, ac deindè baptizati sunt in nomine Jesu Christi, ut sæpè loquitur Lucas in Actis ; undè liquidum est nubem illam Christi typum fuisse. Quid quod et dux dicitur Christus à Prophetis, et lux, et ignis, ut docuimus in Parallelismo ; quæ in Columnam illam noctu nubilam, igneam interdiù conveniunt. Quid quod in Exodi decimo quarto capite Angelus Dei castra Israelitarum dicitur præcessisse ; cum superiori capite, et nono Nehemiæ, et Psalmo septuagesimo septimo, Deum ipsum se itineris ducem iis præbuisse legamus. Manna verò, panis cœli, et panis Angelorum appellatur in Exodo, et in Psalmis non quòd panis Angelorum, vel cœlestis panis reipsà esset, sed quòd veri Angelorum panis, et de cœlo lapsi, Jesu Christi figura esset. Sic ergò Jesus de se apud Joannem : « Non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Panis enim Dei est qui de cœlo descendit, et dat vitam mundo. » Et deindè : « Ego sum panis vitæ. Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt. Hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. » Verè enim hic est cibus cœlestis, quo animos nostros refici decet, spretis jam Ægyptiis cupediis, terrenarum videlicet rerum studiis. Tùm subjicit : « Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum ; et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vitâ. » Hùc referenda sunt quæ de mannâ in libro Sapientiæ scripta exstant : « Angelorum escâ nutrivisti populum tuum, et paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem. Substantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat; et deserviens uniuscujusque voluntati, ad quam quisque volebat, convertebatur. » Dei substantiam Christum appellat, utpotè qui sit « Splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus. Atque illud est absconditum manna, quod vincenti daturum se pollicetur Spiritus in Apocalypsi, alludens ad manna in aureâ urnâ reconditum, et in arcâ Testamenti asservatum. Nec veteres Judæos fugit hæc manna significatio, nam id Philo esse docet : « Verbum divinum rerum omnium antiquissimum, cœleste contemplatoris animi, et incorruptum alimentum. » Idem et Petram esse ait « firmam et infractam Dei sapientiam, altricem eorum, qui incorruptæ vitæ appetentes sunt. » (Phil. libr. pejorem meliori insidiari et lib. Quis sit rerum divinarum hæres.) Petram autem Christum esse dixit Paulus, τυπικῶς videlicet et συμβολικῶς. Quemadmodùm enim in desertis et arentibus locis sitienti populo aquam percussa à Mose rupes emisit ; ità in squallidâ mundi hujus solitudine, hominibus cœlestem gratiam sitientibus, Jesus plagis ad mortem ictus largos de cœlo divinæ gratiæ imbres aspersit. Quocircà sic ipse de se : « Qui biberit ex aquâ quam ego dabo ei, non sitiet in æternum ; sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. » Rursùm : Ego sitienti dabo de fonte aquæ vivæ gratis ; » quæ jam attulimus in Parallelismo, cùm fontem esse Jesum probaremus. Consequitur autem nos petra isthæc, cùm gratiæ suæ donis nos prosequitur Christus, et se nobiscum futurum pollicetur *omnibus diebus usque ad consummationem seculi.*

10° Quin et hircus ille emissarius, cujus capiti mala imprecabatur pontifex, quique Israelitarum noxis velut onustus in loca sola abigebatur, Christum denotabat, *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo ;* atque hâc ipsi sarcinâ impositâ, urbe Hierosolymâ exactus, et ad mortem deductus est.

11° Æneo serpenti, ad sanandos serpentium morsus proposito à Mose in solitudine, se confert Jesus Dominus apud Joannem : « *Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ità exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* » Quemadmodùm enim serpentis hujus aspectus venenatam et adurentem serpentium vim exstinguebat, ità peccati ac diaboli, à quibus in ignem æternum mergi possumus, *in omnibus sumentes scutum fidei, possumus omnia tela ignea exstinguere.* Per fidem enim intuemur Chri-

stum. Serpentium Israelitis infestorum figuram habuit æneus serpens, at eorumdem veneno caruit : « Deus Filium suum misit in similitudinem carnis peccati, ait Apostolus ad Rom. 8, v. 3, et de peccato damnavit peccatum in carne, ut justificatio legis impleretur in nobis. Et 1 ad Cor. 1 v. 21 : Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso. Sed quamvis Adamo similis factus sit Jesus, ejus tamen peccatum, exitiale nobis et damnosum, non habuit : « Tentatus per omnia pro similitudine, absque peccato (Hebr. c. 4, v. 15). » Moses « Serpentem æneum posuit pro signo ; » de Jesu hæc vaticinatus est Simeon ad Mariam matrem : « Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur (Luc. c, 2, v. 34). » Quod et de eo jam antè prædixerat Isaias, cap. 11, v. 10, 12 : « In die illâ radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur. » Sublatus est uterque in altum, serpens tigillo, Jesus cruce. Novitii quidem Judæi, dùm arcanam mysterii hujus significationem rimantur, tradunt eos qui serpentium ignitorum morsibus in deserto appetiti, in salutari ænei serpentis aspectu remedium quærebant, non tàm iis ad quærendam salutem hærere debuisse, quæ sub sensum cadebant, quàm ferales serpentis antiqui, peccati videlicet, ictus recordari, et ad Dei misericordiam palàm omnibus propositam mentis oculos convertere. Narrat autem Justinus in Dialogo cum Tryphone, cùm aliquandò quæreret à Judæis, annon subesse videretur occultum aliquod mysterium mandato huic de æneo serpentis simulacro palàm proponendo, quod præscriptæ in Decalogo simulacrorum interdictioni manifestò contraibat, quemdam ex iis ingenuè id esse fassum, dein subjecisse, sæpiùs à se rogatos super eâ re doctores suæ gentis, expediendi sui rationem nullam invenisse.

12° Christum sui similem olim proditurum vaticinatabur Moses cùm diceret, Deut. c. 18, v. 15 : *Prophetam de gente tuâ, et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus; ipsum audies.* Hujus oraculi veritatem in Jesu eluxisse palàm testati sunt Petrus et Stephanus in Act. cap. 3, v. 21, et cap. 7, v. 37; et accuratâ ac luculentâ comparatione probavit Eusebius libro Demonstrationis Evangelicæ tertio. Cujus dissertationis summa sequar fastigia. Utrumque Deus principem ac ductorem misit; Mosem Hebræorum, hominum omnium Jesum. Uterque se à Deo missum magnis approbavit miraculis. Moses Hebræos ex Ægyptiorum servitute vindicavit in libertatem ; Jesus homines dæmonum omnium mancipatos vinculis exemit. Moses Hebræis per desertum ad terram promissam, Jesus hominibus per vitæ hujus angustias ad cœlestem patriam, ducem se præbuit. Moses nutu mare sistit et exsiccat; Jesus sævientes ventos frænat, et tumidos fluctus dictis sedat. Moses Hebræos trans mare salvos ducit et incolumes ; Jesus fluctibus suspensus graditur suprà mare, et Petro idem posse concedit. Moses Hebræos, Jesus homines ab idolorum cultu avertit. Moses Hebræis, Jesus universo generi humano leges sanxit. Moses Hebræos, trajecto mari Rubro, Ægyptiorum tyrannidi subduxit; Jesus hominibus per baptisma jugum dæmonum detraxit. Moses Deum inter et Hebræos conciliatorem ac proxenetam se gessit : *Unus mediator Dei et hominum homo Christus Jesus,* ait Paulus in Priore ad Timotheum cap. 2, v. 5. *Fuit* Moses *cum Domino quadraginta dies et quadraginta noctes, panem non comedit et aquam non bibit,* Exod. cap. 34, v. 28 ; Jesus *cùm jejunâsset quadriginta diebus et quadraginta noctibus, postcà esuriit* (Matth. c. 4, v. 2). Moses splendidâ facie descendit de monte : Jesus conscenso cum tribus Apostolis monte, *transfiguratus est antè eos, et resplenduit facies ejus sicut sol.* Esurientibus Hebræis coturnices et manna de cœlo, et aquam de rupe sitientibus, Deus per Mosem administrum et interpretem in deserto largitus est ; Jesus turbæ in deserto fame languenti cibaria non semel suppeditavit, et aquam vitæ se gratis daturum pollicitus est. Septuaginta viros de senibus Israeliticis, populi magistros ac duces constituit Moses, cujus et spiritum cum illis communicat Deus ; Jesus discipulos septuaginta duos quoquoversùs dimittit, doctrinæ suæ præcones, et Spiritu suo afflatos. Mariam lepris laborantem sanat Moses ; hominem Jesus eodem morbo affectum sanitati restituit. Moses duodecim exploratores in terram Chanaan, Jesus duodecim Apostolos in universam terram mittit. Oseæ filio Nun, Josuæ nomen imponit Moses, Simonem Jesus Petrum dici jubet. Veteris Testamenti sequester Moses, novi conditor Jesus. His adde, Mosem, ac reliquos etiam Israelitarum liberos, statim ab ortu, nefario Pharaonis mandato fuisse morti addictos ; Jesum nascentem ab Herode fuisse ad mortem quæsitum, reliquos etiam Bethlehemitici tractûs infantes trucidatos ; Mosem verò et Jesum parato sibi letho à parentibus fuisse subductos. Denique quemadmodùm reliquis Prophetis

longè præstitit Moses, sive propheticam facultatem spectes, sive patrata miracula; quod toto capite probavit Maimonides, ita eos, atque ipsum etiam Mosem, Christus longo intervallo superavit, et quoad vim futurorum præsciam, et quoad prodigiorum edendorum facultatem.

13° In Aarone quoque Christi Jesu constat simulacrum. Hic novæ legis pontifex, quod fusâ disputatione probavit Paulus in Epistolâ ad Hebræos, ille priscæ. Unctus ille oleo ex baccis arborum expresso, hic oleo lætitiæ. « Dixit Dominus ad Moysen : Ecce constitui te Deum Pharaonis, et Aaron, frater tuus, erit propheta tuus; » de Christo Jesu dixit Moses, Deut. c. 18, v. 15 : « Prophetam de gente tuâ, et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus; ipsum audies. » Semel ille in anno Sancta Sanctorum inibat solus, « non sine sanguine, quem offerebat pro suâ et populi ignorantiâ; » Christus Jesus « per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æternâ redemptione inventa » (Hebr. c. 9, v. 7 et 12). De Aaron sic Deus ad Mosem, Exod. c. 28, v. 38 : « Portabit Aaron iniquitates eorum quæ obtulerunt et sanctificârunt filii Israel ; de Christo Jesu sic Isaias, cap. 53, v. 4 et seq. : « Verè languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit, et non putavimus eum quasi leprosum, et percussum à Deo, et humiliatum ; ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus. » Deum inter et homines sequester fuit Aaron ; 1 Tim. c. 2, v. 5; *Unus mediator Dei et hominum homo Christus Jesus* (Hebr. c. 9, v. 15). Deum Aaron resperso *sanguine Testamenti* veteris, *quod mandaverat ad* Israelitas *Deus,* facinorosis hominibus reddebat propitium ; Christus Jesus « novi Testamenti mediator est, ut morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori Testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis (Hebr. c. 9, v. 15). In seditione Core, Dathanis, et Abironis, cùm grassaretur incendium, et noxios sacer ignis corriperet, Aaron « stans inter mortuos ac viventes, pro populo deprecatus est, et plaga cessavit, » Num. c. 16, v. 48; sæviente peccatorum lue, et humanum genus depascente, in tutum subduxit nos Christus, et periculo exemit : « Undè et salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis » (Hebr. c. 7, v. 25). Neque solùm ad vivos, ac porrò victuros, sed ad defunctos etiam mortis suæ beneficium pertinere voluit, et veteris Testamenti promissiones novi beneficiis abundè persolvit.

14° Egregium verò, non nomine solùm, sed re etiam, Jesu typum gerit Josue; hic enim successit defuncto Mosi ; Jesus abrogatâ Mosis lege, novam proposuit; *Omnes enim Prophetæ et lex usque ad Joannem prophetaverunt,* inquit Jesus ipse apud Matthæum ; et Paulus ad Romanos : *Finis Legis Christus.* Mosis minister fuit Josue : *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege.* Legem autem Mosis nomine intelligi manifestum est ex eo quod in Evangelio ait Abrahamus apud Luc. cap. 17, v. 29 ; *Habent Moysen et Prophetas, audiant illos;* et ex eo quod scribit Paulus ad Corinthios 2, cap. 3, v. 15 : *Sed usque in hodiernum diem, cùm legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum.* Moses ad Chanaanitidis terræ fines Hebræos deduxit; in terram ipsam inducere non potuit, quod præstitit Josue; quomodo id in Christo Jesu expressum sit, sic Paulus Galatas docuit : « Scientes autem quòd non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi; et nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi, et non ex operibus legis ; propter quod ex operibus legis non justificabitur omnis caro. » Appositum quoque et illud ex Epistolâ ad Hebræos cap. 7, v. 18, 19 : « Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus et inutilitatem; nihil enim ad perfectum adducit lex, introductio verò melioris spei, per quam proximamus ad Deum. » Quam itaque per legem Mosis obtinere homo non poterat, Jesu Christi beneficio promissam terram, cœlestem nempè patriam assequitur. Chanaanitidis terræ, Jordane trajecto, compotes Hebræos facit Josue; in patriam cœlestem ablutos nos baptismi aquis inducit Jesus. Duodecim lapides de Jordanis alveo sublatos ad posteritatis memoriam in castris statui jubet Josue, atque alios item duodecim in ipso Jordanis alveo; Jesus duodecim seligit Apostolos, quorum principi derivatum à petrâ nomen imposuit ; ipsos verò fundamentum mysticæ suæ domûs esse jussit. De his sic Paulus ad Ephesios, cap. 2, v. 19 et seq. : « Estis cives Sanctorum, et domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino. » De iis et multò antè Zacharias in hæc

verba : « Et salvabit eos Dominus eorum in die illâ, ut gregem populi sui; quia lapides sancti elevabuntur super terram ejus. » Secundæ circumcisionis Hebræis administer fuit Josue; in Jesu circumcisi sumus, « circumcisione non manu factâ, in exspoliatione corporis carnis; sed in circumcisione Christi, circumcisione cordis in spiritu, non litterâ. » Josue circumcidit Israelitas in Galgalis, undè et loco nomen; quod opprobrium incircumcisæ Ægypti ab Hebræis illìc fuisset amotum et devolutum; Jesus opprobrium nostrum morte suâ amovit et devolvit in Golgothâ; cujus nominis origo eadem est quæ vocabuli Galgal, nimirùm גלל. Bellator Josue; bellator et Jesus, cujus ex ore gladius anceps exibat. Sic Israelitæ denique de Josue : *Sicut obedivimus in cunctis Moysi, ità obediemus ei;* sic Jesus ad Israelitas : *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi.*

15° Insunt in Samsone notæ plurimæ, quas ad Christum Jesum meritò referre possis. Matre sterili natus est Samson; Virgine matre natus est Jesus. Samsonis matri « apparuit Angelus Domini, et dixit ad eam : Sterilis es et absque liberis, sed concipies, et paries filium; cave ergò ne bibas vinum ac siceram, nec immundum quidquam comedas; » Judic. 13, 3, 4. Mariæ matri Jesu ait Angelus : « Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum; ecce concipies in utero, et paries Filium, et vocabis nomen ejus Jesum. » Luc. 1, 30, 31. Pergit Angelus ad Samsonis matrem : *Erit enim Nazaræus Dei;* Judic. 13, 5. De Jesu sic Matthæus : *Et veniens habitavit in civitate quæ vocatur Nazareth; ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas : Quoniam Nazaræus vocabitur,* Matth. 2, 23. Iterùm Angelus de Samsone, *Ipse incipiet liberare Israel de manu Philistinorum,* Judic. 13, 5 : de Jesu sic Angelus : *Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum,* Matth. 1, 21; et apud Lucam, 1, 32 : « Dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus; et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis. » Manuæ Samsonis patri, de filii ortu dubitanti, visus est Angelus; apparet et Angelus Josepho patri Jesu, conjugis pudicitiam suspectam habenti. Addit auctor libri Judicum de Samsonis matre, cap. 13, 24, 25 : « Peperit itaque filium, et vocavit nomen ejus Samson; crevitque puer, et benedixit ei Dominus; cœpitque spiritus Domini esse cum eo; » de Mariâ sic Matthæus : « Peperit Filium suum primogenitum, et vocavit nomen ejus Jesum, » Matth. 1, 25; de quo sic Elizabeth apud Lucam, 1, 41 : « Benedictus fructus ventris tui; » et iterùm Matthæus : « Baptizatus autem Jesus, confestim ascendit de aquâ, et ecce aperti sunt ei cœli, et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se, » Matth. 3, 16. Samsonis nomini Solis significatio inest; שמש enim *Solem* sonat, שמשון verò *Solem eorum;* sic enim exponit Hieronymus, lib. de Nomin. hebr. ; de Jesu sic Malachias : *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ,* Malach. 4, 2. Uxorem philistæam ducit Samson, eique intimos animi sensus aperit; Ecclesiam ex ethnicis cogit, sibique adjungit Christus, eamque decretorum suorum interpretem constituit. Samson ad uxorem visens, obvium leonem interficit, in cujus ore post aliquot dies favum melis reperit; Jesus Ecclesiam constituens ait, Joan. 16, 33 : *Confidite, ego vici mundum.* Atque hic quidem mundus adversùs Jesum priùs ferox, ab eo tandem domitus suave ipsius accepit jugum, melleamque Evangelii dulcedinem degustavit. *Samson sitiens valdè clamavit ad Dominum;* Jesus animam agens sitire se dixit. Samson Gazæ dormit ad mediam noctem, tùm experrectus postmodùm ipsas portæ fores detrahit, et humeris impositas defert ad verticem montis; Jesus lethi somno excitus, de mortis exit potestate. Quod prævidens David, ait, Ps. 67, 21 : *Domini, Domini exitus mortis*; de quo item Petrus Act. 2, 24, sic disserebat Hierosolymus : « Quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni, juxtà quod impossibile erat teneri illum ab eo. » Samson « multò plures interficit moriens, quàm antè vivus occiderat; » Jesus morte suâ dæmonem, peccatum, ac mortem ipsam devicit.

16° En tibi in Samuele aliam etiam Christi Jesu imaginem. Partus ille fuit matris sterilis, perindè ut Samson; Christus Virginis. Nazaræus etiam fuit, eâque re, itidem ut Samson, Christo similis fuit. Unigena Samuel, unigena et Christus. De Samuele hæc legimus : « Puer autem Samuel proficiebat, atque crescebat, et placebat tàm Deo quàm hominibus, 1 Sam. 20, 26; » hæc de Christo Jesu : « Et Jesus proficiebat sapientiâ, et ætate, et gratia apud Deum et homines, Luc 2, 52. » Iterùm de Samuele : « Crevit autem Samuel, et Dominus erat cum eo; » sic quoque Lucas de Christo : « Puer autem crescebat, et confortabatur, plenus sapientiâ, et gratia Dei erat in illo. » Sacerdos fui Samuel; sacerdos et Christus. Propheta etiam uterque.

17° Sed et David, non vaticiniis duntaxat suis, nec quod Bethlehemo ortus itidem ut

Jesus, sed gestis etiam rebus toto vitæ curriculo Christum Jesum præmonstravit, expressumque ejus typum postfuturis proposuit; et cum jussu Dei unctus est, et rex creatus; et cum esu panum propositionis sacerdotem se gessit; utraque in se conjuncta et sacerdotii et regni potestate; et cum singulari adversus Goliathum certamine, populum jugo Philistæorum exemit; perindè ut Jesus expugnato Diaboli imperio humanum genus in libertatem filiorum Dei restituit; et cùm variis illum labori bus et angustiis exercuit Deus, priusquàm ad regiam dignitatem eveheret; et cùm arcam à Philistæis priùs captam de domo Abinadab reduxit Hierosolymam; itidem ut Jesus Ecclesiam, fractâ diaboli potestate, certis sedibus constituit; et cùm post traditum illi regnum, filiorum suorum perduellionem et scelera expertus est; perindè ut adversùs Jesum regem patremque nostrum nova quotidiè flagitia designamus; et cùm pacem per eum Deus populo suo peperit, et adversas ipsi gentes subjecit, quemadmodùm pacis à Deo nobis concessæ sequester est Jesus, cui potestas omnis à patre tradita est. Indè adeò apud Prophetas, Isaiam, Jeremiam, Ezechielem, et Ozeam ipsum, Davidis nomen Christo tribuitur.

18° Nec minùs in Salomone agnosci potest Jesus. A pace Salomoni nomen; quàm pacificus fuerit Jesus fusè in Parallelismo probavimus. Appellatus quoque est Salomon ידידיה, hoc est, *Dilectus Domini*; idem de Jesu clarâ voce Deus ipse de cœlo non semel testatus est, cùm diceret: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*, Matth. 3, 17 et 17; ipse se à Deo patre suo dilectum esse Jesus sæpè declaravit. קהלת præterea, hoc est, ἐκκλησιαστής, seu Concionator cognominatus est Salomon; quod quàm Christo Jesu conveniat cognosci potest ex Parallelismi tricesimo quinto capite. Salomon ædificavit templum à Deo; Jesus Ecclesiam. Davidis filius uterque, uterque rex. Regina illa Saba, quæ Salomonis fama excita venit ad eum, ejusque sapientiam et opes mirata est, Ecclesiam refert, quæ ethnicis ferè conflata, Jesu doctrinâ, virtutibus et gratiâ capta ei sese applicuit.

19° In Jona sui propositam esse figuram palam Jesus declaravit: « Sicut enim, inquit, fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus, Matth. 12, 39. » Habes hic itaque eximium Jesu ad vitam redeuntis simulacrum. Jonas, sæviente tempestate, et nautis de vitâ sollicitis, dormit securus; quod et Christo contigit. Jonas pro nautarum salute mittitur in mare, silent fluctus, et tempestas sedatur; in Jesu « complacuit omnem plenitudinem habitare, et per eum reconciliare omnia in ipsum; pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt, Col. 1, 19, 20. » Nautæ Jonam in mare missuri Deum orant ne sibi crimini detur viri innocentis interritus: « Quæsumus, Domine, ne pereamus in animâ viri istius, et ne de super nos sanguinem innocentem, Jon. 1, 14; » Pilatus Jesum letho daturus, « acceptâ aquâ, lavit manus coràm populo, dicens: Innocens ego sum à sanguine Justi hujus; vos videritis! » Matth. 27, 46. Sic de se ad Deum Jonas in ventre ceti: « Abjectus sum à conspectu oculorum tuorum; » sic de se ad Deum Jesus in cruce: « Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? » Jonas maris periculo functus Ninivitas ad obsequium Dei compellit; gentes post vitam à Jesu receptam, ad Dei cultum vocantur. Jonas concionator, perindè ut Jesus. Ad pœnitentiam Ninivitas hortatur Jonas: *Pœnitentiam agite,* inquit Jesus, *appropinquavit enim regnum cœlorum.*

20° Apparet itidem in Eliacimo, Helciæ filio, Jesu Christi imago; nam quæ de Eliacimo dixit Isaias, huic datum iri clavem David, idem Christo accommodat Angelus Ecclesiæ Philadelphiæ, apud Joannem in Apocalypsi: « hæc dicit Sanctus et Verus, qui habet clavem David; qui aperit, et nemo claudit; claudit, et nemo aperit; quæ ex Isaiâ πρὸς λέξιν sumpta sunt. Scribit prætereà Isaias Sobnam regiæ Ezechiæ præfectum, cum officio suo nequiter abuteretur, magistratum abdicatum fuisse, suffecto Eliacimo, viro frugi et pio; hæc figura est veteris legis, priscique pontificatûs Aaronici, quo impiè abusi sunt nefarii sacerdotes, eoque abrogato nova lex, et sacerdotium secundùm ordinem Melchisedech priore melius, per Christum introducitur. Sic Isaias ad Sobnam, 22, 17, 19: « Ecce Dominus asportari te faciet, sicut asportatur gallus gallinaceus, et quasi amictum sic sublevabit te. Coronans coronabit te tribulatione; quasi mittet te in terram latam et spatiosam; ibi morieris, et ibi erit currus gloriæ tuæ ignominia domûs Domini tui. » Scilicet hoc est quod pleno ore decantârunt Prophetæ, sedibus suis depulsum iri israeliticam gentem, et in varias orbis partes dissipatum. Nos eorum repræsentamus testimonia in Parallelismo, ubi agimus de abrogatione mosaicæ legis, de novæ legis sanctione,

et de dispersione Judæorum. Unum hic dabimus pro multis depromptum ex Daniele, 19, 26 : « Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo; et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio.... et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium. » Subjicit Isaias, 22, 19 et seq. : « Et expellam te de statione tuâ, et de ministerio tuo deponam te; et erit in die illâ, vocabo servum meum Eliacim, filium Helciæ, et induam illum tunicâ tuâ, et cingulo tuo confortabo eum, et potestatem tuam dabo in manu ejus; et erit quasi pater habitantibus Jerusalem, et domui Juda. » Similibus minis israeliticos proceres incessebat Ezechiel, cùm diceret, 34, 6 et seq. : « Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego ipse super pastores, requiram gregem meum de manu eorum, et cessare faciam eos, ut ultrà non pascant ampliùs pastores semetipsos, et liberabo gregem meum de ore eorum, et non erit ultrà eis in escam. » At de Christo Jesu sic Paulus in Epistolâ ad Hebræos, 8, 6 et seq. : « Nunc autem melius sortitus est ministerium, quantò et melioris Testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est. Nam si illud prius culpâ vacâsset, non utique secundi locus inquireretur. » Servum suum Deus Eliacim appellat, quemadmodùm et Christum aliis apud Isaiam locis : « Ecce servus meus, suscipiam eum. » Deindè : « Vos testes mei, dicit Dominus, et servus meus quem elegi. » Sic Jesus ipse de se : « Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. » Rursùm : « Ego autem in medio vestrûm sum, sicut qui ministrat. » Non Dei solùm servus, sed et hominum. Prædicit deindè Isaias futurum Eliacimum Hierosolymitarum et Judæ domûs patrem; paternos suos affectus ergà Hierosolymitas his verbis testabatur Jesus Dominus, Matth. 23, 32 : « Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti? » Filiolos etiam Discipulos suos appellat : « Filioli, adhuc modicum vobiscum sum. » Sed et *Pater futuri seculi* dicitur ab Isaiâ. Clavis ista domûs David, Eliacimi humero imponenda, symbolum erat muneris ipsi traditi, ejus nimirùm quod antè gesserat Sobna. Fuerat autem ille הסכן, ut hoc ipso loco docet Isaias. הסכן ærarii tribunum, et regiæ gazæ custodem interpretor, cujus officii insigne erat clavis. Præclare id in Christum Jesum convenit, qui habet claves mortis et inferni, qui Petro tradidit claves cœli thesaurorum æternorum penus, *quo fur non appropriat, neque tinea corrumpit*, quod et ipsum simile est thesauro in agro abscondito. Quin etiam Colossenses docet Apostolus, in Christo Jesu absconditos esse thesauros omnes sapientiæ et scientiæ. Addit Isaias : « Et figam illum paxillum in loco fideli; » quibus regni Christi diuturnitas ac firmitas significantur. Hanc itidem prædixit Psaltes : « In æternum servabo illi misericordiam meam, et testamentum meum fidele ipsi; et ponam in sæculum sæculi semen ejus, et thronum ejus sicut dies cœli. » Indè Angelus ad Mariam de Jesu : « Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis. » Pergit Isaias : « Et erit in solium gloriæ domui patris ejus, et suspendent super eum omnem gloriam domus patris ejus. » Consonant istis verba Jesu : « Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio; » potissimùm vero hæc : « Nunc clarificatus est Filius hominis, et Deus clarificatus est in eo. Si Deus clarificatus est in eo, et Deus clarificabit eum in semetipso, Joann. 13, 31, 32.

21° Cernere licet et in Jeremiâ expressam Christi Jesu imaginem. Nam primùm sanctitate præditus est uterque, priusquàm ab utero matris in lucem exiret. Virginitatem uterque coluit. Uterque etiamnùm puer populi docendi munus exequi aggressus est. Uterque ab idolorum cultu multos ad veram pietatem traduxit. Utrique pietas sua et beneficentia fraudi et ignominiæ fuit, cùm à suis, quos à sceleribus retrahere et imminenti calamitati subducere volebant, pessimis modis accepti sint. Uterque summâ patientiâ et lenitate inflictas sibi pœnas tulit. Uterque percussoribus suis et vexatoribus à Deo veniam precatus est. At utriusque demùm vicem Deus, excisâ gente, severissimè ultus est.

22° Magnum etiam in Zorobabele Jesu Christi instar fuit. Davide prognatus uterque fuit. Ille babylonicâ captivitate liberatis Judæis, et Hierosolymam redeuntibus, ducem se præbuit; hic homines, mundi hujus, quem propter confusionem meritò Babylonem dicas, vinculis exemptos deducit in patriam, cœlestem nempè Jerusalem. Templum Hierosolymitanum instaurat Zorobabel; Ecclesiam Dei ex vivis lapidibus Jesus extruit. Oriens appellatur Zorobabel apud Zachariam; item Lapis cui inesse dicuntur oculi septem, cujus temporibus futurum

promittitur ut terræ crimina auferantur, ut gloriâ floreat ipse, ut sedeat in folio suo, teneat imperium, et aliâ pace componat; quæ Christo ut conveniant, sciri potest ex Parallelismo nostro, in quo Orientis et Lapidis symbolis agnoscitur, pacis auctor esse ostenditur, eique gloria ingens ac imperium æternum spondetur.

23° Denique Jesum Josedeciden, et Christum Jesum componit inter se Eusebius ad calcem libri quarti Demonstrationis evangelicæ. Ea nos adjectis nonnullis decerpemus. Nomen primò utrique idem. Pontifex uterque, quod de Christo declaratur in Epistolâ ad Hebræos, et à nobis in Parallelismo. Adversatur utrique Satanas. Ille Babylone redeuntium in patriam Judæorum cum Zorobabele dux fuit; hujus ductu mundi hujus captivitate liberati homines cœlum petunt. Ille vestibus indutus est sordidis; hic peccata nostra ipse tulit, humanum et infirmum corpus subiit, ac supplicii demùm ignominiâ fœdatum. Ille noxis purgatus novas vestes ac mundas induit, eique cidaris imposita est; Christus mundo, morte, peccato, ac diabolo edomitis, veste immortalitatis assumptâ, et diademate suscepto triumphat, et cœlo invehitur. Jesu Josedecidæ ait Deus : *Judicabis domum meam, et custodies atria mea;* Christum Deus orbis universi judicem constituit, ut in Parallelismo docuimus, totiusque Ecclesiæ custodem præposuit. In templo reparando socium Zorobabeli se præbuit Josedeci filius; Ecclesiam Dei, vivi templum, Christus ædificavit. Præclarum sanè est, et proposito nostro conveniens illud Hieronymi in Agg. 1 : « Unus « atque idem est Dominus noster atque Salva- « tor, Rex et magnus Sacerdos; cujus typum, « secundùm id quòd Rex erat, portabat Zoro- « babel; secundùm id autem quòd Pontifex « erat, portabat cognominis ejus Jesus. »

CAPUT CLXXI.

De naturâ, vi, et usu prophetiarum.

1° Plures superiorum similes poteramus typos conquirere, in quibus Deus venturi Messiæ indicia hominibus longè antè proposuit. Multos collegerunt prisci, novique Scripturæ sacræ interpretes; sed cui non satisfecerint, quos attulimus, nihil ei sanè futurum est satis. Ex hâc porrò typorum Christi serie, et ex superiore Parallelismo, accurata quædam Messiæ et mirifica, non adumbratio, sed descriptio exurgit. Nec enim iis obscura aliqua criteria sed aperta; non aliquæ Christi Jesu notæ, sed universæ continentur; stirps ab ultimâ retrò origine, tempus nascendi, patria, nomen, mores, dignitates, studia, negotia, acta, casus vitæ universi, mors, ipsumque adeò genus mortis, sepultura, et quæ mortem consecuta sunt, mirabilis ille ad vitam reditus, et stupendi eventus rerum, quarum gratiâ vitam et mortem Jesus obierat, et omnes deniquè characteres, quibus discerni et distingui potuit. Nam etiamsi horum signorum aliquod in alio, si fortè, idem appareat; puta si quem alium vel Davide ortum reperias; vel Bethlehemi natum, vel Prophetam, vel sacerdotem, vel pastorem, vel concionatorem, vel pacificum, vel sanctum, vel humilem, vel pauperem, vel principem, vel regem, vel fortem, vel legumlatorem, vel falsò accusatum, vel nefariâ morte extinctum; at hæc in se qui complexus fuerit universa, si veteres replicemus memorias, præter Jesum reperiemus omninò neminem. Sacra quædam veteris Testamenti oracula Prophetæ suo Muhammedo accommodare conati sunt Islamitæ, sed quòd ex iis, propter paucitatem, nihil certi colligere se posse cernerent, in uno Alcorano omne doctrinæ suæ præsidium posuerunt. Ex his projecta et insana Celsi apparet impudentia, qui Prophetarum prædictiones innumeris aptiùs, quàm Jesu, convenire, nefariè prorsùs et impudenter ausus est dicere. Quodque maximâ admiratione dignum est, et exceptionem omnem aut cavillationem respuit, non unus aliquis Propheta omnia hæc solus de eo prænuntiavit; quod ipsum tamen vel pertinacissimam obstinationem frangeret; sed ab ipsis mundi incunabulis, per quatuor annorum millia, uno ore venturum Christum prædixerunt viri complures, in ejusque ortu, vitâ, virtutibus, rebus gestis, morte, ac tota deniquè ἰσχονομία præmonstranda consenserunt. Quæ si quis casu evenisse dicat, casus hujusmodi in rerum naturâ aliquandò contigisse ostendat; quorum nulla omninò exempla vel recens præbet vel vetus historia. Egregiè Eusebius, Orat. de laudib. Constant. c. 17 : « Age verò, cum præterea cujus animus « lapidis in modum induruit hujusmodi inter- « rogationibus in nostram sententiam pertra- « hamus, sic ex eo sciscitantes : Heus tu, dic « mihi, vocem eo qui ratione præditus sit « dignam emittens; non ex stolido pectore, « verùm ex animo rationis et intelligentiæ « compote fructum proferens; dic, inquam, re « apud te sæpiùs expensâ, quis alius antehàc, « ex omnibus iis qui olim Sapientes appellati

« sunt, apud charos Deo quondàm Hebræorum « filios, compluribus retrò seculis, itidem ut « Sospitator noster, vaticiniis Prophetarum « cognitus et prænuntiatus est? Qui quidem et « locum in quo natus est, et tempora adventus, « et vitæ rationem, et edita ab eo prodigia, et « sermones, et res præclarè gestas animo præ- « cipientes, in libros sacros retulerunt. »

2° Quòd si singulare aliquod vaticinium, ab aliis sepositum et excerptum, aut è typis unum aliquem seorsùm expendas; rei fortassè veritas, vel propter obscuritatem, vel propter ambiguitatem minus elucescet. Verùm non ex singularum partium conflictu, sed ex totius comparatione efflorescit et spectatur similitudo; neque ex digiti extremi, aut pedis inspectu, vel imæ auriculæ, hominem alioqui notissimum possis agnoscere, sed ex corporis integri filo, et eâ specie quæ ex partium omnium compage et convenientiâ exurgit. Igitur non sigillatìm sumendæ sunt Parallelismi partes, neque ex detruncatis membris arbitrium faciendum; quæ suis emota locis robur amittunt, ordini suo restituta vim recipiunt; sed spectanda tota series est, cùm altera res alterius opem poscat, et amicè conjuret. Quam seriem in Jesum quadrare universam si deprehenderimus, uti certè quadrat, tùm facilis existimatio erit, non casu aliquo, aut fortuitâ rerum consensione, sed certo Dei nutu ac consilio hæc ità provenisse; ut homines ad oracula divina attenti, eorumque sententiam pia mente ac docili perscrutantes, de salutari Messiæ adventu admonerentur, ab eoque malorum suorum levamen expectarent. Neque tamen concedimus, nulla in toto hoc Parallelismi contextu exstare vaticinia, quæ non aliorsùm flecti queant; cum reperiri pleraque in eo possint, quorum exitum in alio, præterquàm in Jesu, frustrà quæsiveris. Quo argumento Origenes vehementer urgebat impurum sophistam Celsum, has Prophetarum prædictiones fanaticis quibusdam convenire affirmantem, qui se Dei filios de cœlo venisse jactabant. Atque hanc assumit in exemplum, quâ Bethlehemo proditurum Israelitarum principem Michæas asseveravit, eamque nemini illorum accommodari posse ostendit, quæ tamen examussìm in Jesum congruit. Assumit et alteram hanc Jacobi, Gen. 49, 10 : *Non auferetur sceptrum de Judâ, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium.* Hæc si quis alteri cuipiam aptare voluerit, ostendat necesse est, quomodò regiam potestatem Juda retinuerit, quoad Siloh ille advenerit; ostendat quoque gentes in eo spem suam et expectationem collocâsse; quæ in Christum Jesum omnia rectè cadunt.

3° Notandum prætereà est, quasdam Prophetarum vaticinationes, non solùm cum pertinentibus eòdem prædictionibus, sed et cum toto locorum, undè excerptæ sunt, contextu esse spectandas. Quemadmodùm enim alia est rei nudæ, alia ejusdem cum adjunctis spectatæ existimatio; ità περιοχῆς separatim sumptæ, vel imperfecta erit significatio, vel diversa ab eâ, quæ ex totius operis, vel totius loci, undè ipsa prodiit, attentâ consideratione existet. Adhibenda itaque magna cautio est, non quam suggerit pervicax animus, et contradicendi cupidus; sed quam recta postulat ratio, et constans perscrutandæ veritatis studium, quamque in aliorum librorum lectione adhibere solemus.

4° Quod non eo tamen pertinere velim, ut quæcumque hùc attulimus vaticinia, quoscumque proposuimus typos Christi, fidem ipsis nullam haberi postulem, nisi in eamdem planè sententiam ac antecedentia et consequentia conspirent. Nam quòd Salomonem, exempli gratiâ, figuram Christi gerere dixerimus, si quis insanis ejus amoribus et vetito idolorum cultui consentaneum quippiam requirat in Christo, parùm is æquus sit profectò rerum æstimator. Hunc narrationis ordinem et connexionem vix patitur afflatus ille divinus, quo agitati Prophetæ futura præcinebant. Scabrum quid, salebrosum, ac dissipatum edere solet ἔκστασις, et per varias species rerum sibi obversantes præcipitatur instinctus animus, nec ullis sese legibus sermonis coerceri patitur. Scio hoc Patres Ecclesiæ discrimen observâsse sanctos inter Prophetas et pseudoprophetas, quòd hi furore perciti, illi tranquilliori et sedatiori mente futura profarentur; atque hoc potissimùm argumento convicisse Montanum, Priscam et Maximillam, propheticam sibi vim arrogantes, quòd emotâ mente furiosis et insanis similes raptarentur; cum Prophetæ sui compotes, placido, serenoque animo edere soleant oracula. Quapropter scripserat Miltiades librum, *non oportere prophetam in extasi loqui.* Verùm *extasim* intelligit furorem, qui mentem statu suo depellit, et adigit ad insaniam, qualis erat divinorum, pseudoprophetarum, et Montanistarum. At sancti Prophetæ, etiamsi divino correpti spiritu effervescerent dicendo, et præter solitum incalescerent, mente tamen constabant, nec quidquam præter intellectum proferebant. Atque hæc propriè dicta erat

quali correptum Petrum, quali Paulum, narrat Lucas in Actis; quo sensu vocem illam sæpè usurpant Dionysius Areopagita, Cyprianus, aliique ecclesiastici scriptores. Pseudoprophetarum autem furor, et alienatio mentis, παρέκστασις dicebatur; quâ voce non semel utitur anonymus Cataphrygarum adversarius apud Eusebium, quâ cum corriperetur Pseudopropheta, prolabi eum aiebat in licentiam et audaciam, à spontaneâ inscitiâ exorsam, desinentem verò in mentis furorem non voluntarium. Ex his sequitur Prophetarum mentem, etsi pacatior est quam Pseudoprophetarum, Deo tamen agitante præter morem exardescere, neque ab his eamdem orationis constructionem, et compositionem, connexionemque rerum, atque ab historicis, esse expectandam. Quæ cùm ità sint, patet iniquè eos agere, qui propositos Christi Jesu typos ità cum eo confligunt, ut totos consentire velint, detrahendamque iis fidem censeant, si vel minimâ suî parte nutet similitudo. Quocircà nonnullos meritò carpebat Hieronymus, qui quod in Adamo Christi figuram positam esse tradidisset Paulus, quæcumque in Genesi de Adamo et Evâ scripta sunt, ad Christum referre conabantur. Scitum quippè est, ac vulgi consensu tritum adagium, quamlibet comparationem aliquâ ex parte vacillare. Idem de reliquis etiam, quæ proposuimus vaticiniis dictum velim; iniquum esse videlicet, non eorum solùm, sed et totorum librorum, aut capitum, undè illa deprompta sunt, veritatem et πλήρωμα in rebus prædictis quærere; puta totum Nathanis oraculum, quo Davidi Messiam nepotem spondet Deus, ad Christum referre; cùm quædam Christo, Salomoni nonnulla, aliqua utrique conveniant. Ad Christum quidem pertinere isthæc : *Ego ero illi in Patrem, et ipse erit mihi in Filium*, affirmat Paulus in Epistolâ ad Hebræos; quæ et Salomoni aptari possunt, quanquàm diverso modo. Uni verò Christo ista conveniunt: « Stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum; » et hæc quoque : « Et fidelis erit domus tua, et regnum tuum usque in æternum antè faciem tuam, et thronus tuus erit firmus jugiter. » Contrà, in unum Salomonem hæc cadunt : « Qui si iniquè aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, et in plagis filiorum hominum. Utrumque autem spectant illa : « Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum ejus; ipse ædificabit domum nomini meo. » Indoctus fuerit qui universum Isaiæ librum ad Christi Jesu vitam et acta velit exigere, quod in quinquagesimo tertio capite mors ejus præsignificetur. Probat hoc ipsum Theodoretus exemplo Christi, qui de Hierosolymitano excidio, et de fine rerum ac orbis interitu, simul et promiscuè disseruit : « Scripturæ verò divinæ mos est vaticinia permiscere; sermonibus enim de captivitate, eos qui pertinent ad revocationem adjungunt. Et in Evangeliis Dominus simul conjungit sermones de Jerusalem et de consummatione. » Iniquè ergò faciunt, qui allegoriæ cujuspiam mysteria scrutantes, rem totam perspectam habuisse non contenti, inquirunt in verba singula, eaque ad allegoriæ sensus exigere satagunt. Infelicem hanc diligentiam gravi et luculenta oratione castigat eximius ille Judæorum doctor Maimonides in More Nevochim : « Hoc ergò, inquit, diligenter observa; est enim fundamentum magnum ad ea quæ tibi explicare volo. Proindè cùm videbis me in aliquo capite explicare parabolam aliquam, et in genere summam et scopum illius tibi indicare, noli postulare rationem et applicationem omnium verborum et rerum in parabolâ contentarum ad rem significatam. Nam si id feceris, in alterutrum duorum horum incides : vel declinabis à scopo et intentione parabolæ; vel defatigabis te in quærendâ explicatione illorum, quæ explicari nequeunt, et ex hoc studio incides in vesaniam et vanitatem, inter multos nostro hoc tempore adeò familiarem, qui conantur quædam invenire et eruere è verbis auctorum, de quibus auctores ne unquàm quidem somniârunt. Tuum autem propositum in majori parabolarum parte esse debet, ut scias summam illius rei, de quâ te auctor Parabolæ cupit erudire. » Aliud quidem nobis suadere velle videtur Augustinus libro decimo septimo de civitate Dei, cùm de Psalmorum prædictionibus ità scribit : « Testimonium quod profertur, de contextione totius Psalmi debet habere suffragium, ut certè nihil sit quod ei refragetur, si non omnia suffragantur, ne more centonum ad rem quam volumus, tanquàm versiculos decerpere videamur; velut de retrogrado carmine, quod non de re nullâ, sed de aliâ longèque diversâ reperiatur esse conscriptum. Hoc autem ut in quocumque psalmo possit ostendi, exponendus est totus. » Quibus id tantùm postulat Augustinus, ut si minùs totius psalmi contextus in ejusdem prædictionis sententiam conspiret, nihil ei certè habeat contrarium. Et meritò; nam quis adeò ineptus sit, ut ex aliquo Scripturæ loco hanc eliciat conclusionem, quæ cohærentibus ex

adverso repugnet? Dedimus nos quidem operam, ne in Parallelismi hujus testimoniis simile quidquam peccaremus; nec hujusmodi reprehensiones veremur.

5° Nam quòd impios quosdam homines blaterantes audivi aliquandò, vitam ac res Christi gestas, non aliter in veteris Testamenti libris prædictas reperiri, quàm in Homero aut Virgilio, ex quorum libris ὁμηρόκεντρα, et Probæ Falconiæ Centones consuti sunt, dignum eorum inscitia est, quibus Centonum concinnandorum ars parùm perspecta est. Animadvertas siquidem constare illos locutionibus Homericis et Virgilianis, non verò sententiis. Quemadmodùm enim scriptio quævis iis constat elementis, quæ in indice litterarum, quem Alphabetum appellant, singula reperias; iis verò dictionibus, quæ in lexico; ità Centones illi ejusmodi consarcinati sunt locutionibus, quas ex Homero et Virgilio in tantâ narrationum varietate facilè colligas. Verùm totam aliquam narratiunculæ comprehensionem haudquaquàm ex iis transferre queas; imò verò id vetat lex Centonum, quæ duos ad summum versus simul transferri patitur. Multùm verò discrepat ea prædictionum colligendarum ratio, quæ non verba tantùm, aut enuntiationes, sed certæ alicujus et definitæ sententiæ circumscriptionem, et singulare ac notis suis distinctum pronuntiatum continent; suisque personis, vel locis, vel temporibus adstrictæ sunt et adjunctæ; nec in alium, aliumve sensum conferri queunt, itidem ut Centones. Uno verbo dicam; longè aliud est, vestimenta tantùm, quæ locutionum instar sunt, subministrare, quod Homerus et Virgilius Centonum consarcinatoribus faciunt; aliud cum vestimentis corpus ipsum exhibere, quod Prophetarum proprium est.

6° Hoc si fieret, quod postulant adversarii, nullique proferrentur Christi Jesu typi, nullæ ipsius prænuntiæ Prophetiæ, nisi totius contextus, præcedentiumque ac sequentium consensione roboratæ; si perpetuâ orationis serie, et apertissimis verbis, nulla rerum aliarum permistione confusis, Christum Prophetæ prædixissent, jam utique non Prophetiæ essent, sed historiæ; nec quidquam relictum esset piorum fidei; jam, ut verbis utar Apostoli, *exinanita esset fides. Est* enim *fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. Juxtà fidem*, inquit ille quoque in eâdem Epistolâ ad Hebræos, *defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes et salutantes.* Hinc David ignorantiæ suæ sibi conscius, et obscuritatis quâ obseptum animum suum sentiebat, Deum his verbis interpellat, Ps. 42: « Emitte lucem tuam et veritatem tuam; ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum et in tabernacula tua; et introibo ad altare Dei. » Memorabile et illud Habacuc Prophetæ, c. 2, v. 2, 3: « Et respondit mihi Dominus, et dixit: Scribe visum, et explana eum super tabulas, ut percurrat qui legerit eum: quia adhuc visus procul, et apparebit in finem, et non mentietur; si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet, et non tardabit. Ecce qui credulus est, non erit recta anima ejus in semetipso: justus autem in fide suâ vivet. » Ergò Prophetis res eminùs fuerant ostentatæ, nondum clarè apparuerant. Hùc spectat sigillis septem signatum sacrum illud volumen, Joanni visum, quod solus Leo de tribu Judâ aperire potuit. Nempè his promissionum et prædictionum involucris fidem sanctorum hominum exercebat Deus, per quam potissimum beneficiis ab eo ornari promeriti sunt. *Credidit, Abraham Deo*, ait Moyses, Gen. 15, 6, *et reputatum est illi ad justitiam.* Quod sanè parendo duntaxat legi, neutiquàm fuisset consecutus. *Non enim per legem promissio Abrahæ, aut semini ejus, ut hæres esset mundi, sed per justitiam fidei.* Quantùm igitur apud Deum valuerit Patriarcharum et Prophetarum fides, Hebræis Apostolus fusè exposuit. At fidei, cui tantùm tribuebat Deus, locum relinqui oportebat; nullus autem fuisset relictus, nisi res futuras velut per nebulam, obscuras, hiulcas, et imperfectas Deus Prophetis, Prophetæ hominibus præmonstrâssent. Nam cùm triplici modo res attingere soleamus, vel per sensus, vel per intellectum, vel per voluntatem, majorem esse animadvertimus intellectus amplitudinem et capacitatem quàm sensuum; majorem item voluntatis quàm intellectus. Undè sequitur majorem inesse nobis ad intelligendum facultatem, quàm ad sentiendum; majorem item ad volendum, optandum, et amandum, quàm ad intelligendum. Quamobrem Deus magis à nobis amari vult, quàm cognosci; magis item cognosci, quàm sentiri. Perfectè enim amari vult, aliquâ tantùm ex parte cognosci, nullo modo sentiri. Hìnc illud Mosis à Christo iteratum: « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in totâ animâ tuâ, et in totâ mente tuâ. Hoc est maximum et primum mandatum. » De cognitione Dei sic Paulus ad Corinthios: « Videmus nunc per speculum et in ænigmate, tunc autem facie ad fa-

ciem; nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum. » Idem sibi volebat David, cùm de Deo diceret: *Et posuit tenebras latibulum suum;* et alibi: *Nubes et caligo in circuitu ejus.* Et Isaias: *Verè tu es Deus absconditus.* De sensibus verò sic Paulus ad Philippenses: *Pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, et intelligentias vestras in Christo Jesu.* Optat pacem Dei, quæ suprà corporeos sensus posita est, eorumque effugit captum, intellectus eorum et voluntates custodire. Idem ad Timotheum: *Qui solus habet imm rtalitatem, et lucem inaccessibilem; quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Deus ipse Mosi præcisè edixit: *Non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo et vivet.* Quo respiciebat. Joannes, cùm diceret: *Deum nemo vidit unquàm.* Hinc Petro gratulatur Christus, quòd ea de se crederet, quæ ipsi caro et sanguis non revelâssent. Hinc spiritum promptum esse sciscit, carnem verò infirmam. Paulus quoque docet *prudentiam carnis, mortem esse; prudentiam autem spiritûs, vitam et pacem.* Quod et pluribus locis inculcat. Cùm igitur perfectam suî cognitionem nobis Deus impertiri nolit, quamdiù corporeis hisce vinculis constricti tenemur, suæ οἰκονομίας signa et indicia sic temperavit, ut in creperâ luce ambulantes erràbunda vestigia fidei ductu regeremus. *Dùm sumus in corpore*, inquit Apostolus, *peregrinamur à Domino; per fidem enim ambulamus, et non per speciem.* Juxta hanc facultatum nostrarum distinctionem, triplex hominum genus agnovisse reor vetustos Ecclesiæ Patres, *carneos*, seu *terrenos* qui rebus sensibilibus dediti sunt; *animalium*, quorum omne est in animis ad Dei cognitionem attollendis studium; *spiritalium*, quorum eximius est in Deum amor, ac pietas singularis. In his defectum intellectus fides sarcit; et Prophetiarum mysteria, ad quæ mens humana caligat, fides irretortis oculis intuetur. Has quippè ambages iis extricaturum se promisit Deus, quorum dedita sibi mens esset, quique rectis studiis veritatem sectarentur. « Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, » inquit Christus, « quia abscondisti hæc à sapientibus et prudentibus, et revelâsti ea parvulis. Ità, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te. » Quibus adsonant ista Pauli ad Corinthios: « Sapientiam autem loquimur inter perfectos, sapientiam verò non hujus seculi, neque principum hujus seculi, qui destruuntur; sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus antè secula, in gloriam nostram, quam nemo principum hujus seculi cognovit; si enim cognovissent, nunquàm gloriæ Dominum crucifixissent. Sed sicut scriptum est: « Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum; nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei; » et in sequenti Epistolâ: « Quòd si etiam opertum est Evangelium nostrum, in iis qui pereunt est opertum; in quibus Deus hujus seculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei. » Rursum ait Jesus Discipulis: « Vobis datum est nôsse mysteria regni cœlorum; illis autem non est datum; » qui nempè superbis et elatis animis imbecillitatis humanæ parùm memores insolescerent. Stuporem quippè ipsis et tenebras offundit Deus, ut quæ occurrunt in oculos, ne ea quidem videre possint. Quem in numerum Israelitas retulit Isaias, sic eos disertis verbis incessens: « Miscuit vobis Dominus spiritum soporis, claudet oculos vestros; Prophetas, et principes vestros, qui vident visiones, operiet. Et erit vobis visio omnium, sicut verba libri signati, quem cùm dederint scienti litteras, dicent: Lege istum; et respondebit: Non possum; signatus est enim. Et dabitur liber nescienti, diceturque ei: Lege; et respondebit: Nescio litteras. » Par est istorum hæc apud Danielem sententia: « Tu autem, Daniel, claude sermones, et signa librum usque ad tempus statutum. » Et deindè: « Et ait, Vade, Daniel, quia clausi sunt signatique sermones, usque ad præfinitum tempus. » Nec aliud sibi volebat Amos, cùm diceret: « Væ desiderantibus diem Domini; ad quid eam vobis? dies Domini ista; tenebræ, et non lux..... Numquid tenebræ dies Domini, et non lux? caligo, et non splendor in ea? » Idem etiam significabat velamen, quo faciem obnupsit Moses, cùm de monte descenderet. « Moyses, inquit Paulus, ponebat velamen super faciem suam, ut non intenderent filii Israel in faciem ejus quod evacuatur, sed obtusi sunt sensus eorum; usque in hodiernum enim diem idipsum velamen in lectione veteris Testamenti manet non revelatum, quoniam in Christo evacuatur; sed usque in hodiernum diem, cùm legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum. Cùm autem conversus fuerit ad Dominum, auferetur velamen. » Hoc autem velum oculis suis obductum esse ne recentiores quidem Judæi inficiantur,

olimque sibi ab hominibus quibusdam detractum iri fatentur; tùm videlicet, cùm ab iis Scripturæ intelligendæ modum rationemque condiscent. Nempe respiciunt ad hoc effatum Isaiæ : *Et præcipitabit* (Dominus) *in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, et telam quam orditus est super omnes nationes.* Quam prædictionem ad Christum pertinere sequentia manifesto indicant, et Hebræi ipsi fatentur. Porrò non omnes prædictiones involucris obsepsit Deus, sed Prophetas quandoque claris, apertisque verbis oracula sua pandere jussit; eaque præsertim quæ ad morum emendationem, vel ad instantium malorum cautionem, aut emolumentum denique eorum conducerent, quos præsentibus auxiliis Deus prosequi vellet; alias verò Prophetias, quibus graviora, et suprà plebis captum posita inessent mysteria, intrà quasdam obscuritatis latebras reclusit; ad excitanda videlicet piorum hominum studia, et profani vulgi obtutus arcendos. « Prophetæ igitur quæcumque auditoribus utilia cognitu jam indè esse poterant, et moribus emendandis opportuna, nullâ adhibitâ occultatione, Deo sic volente, proloculi sunt. « Quæcumque verò secretiora erant, ac iis tantùm tradi digna, quibus intima patebant « mysteria, quæque disciplinæ erant reconditioris ac studii, utpotè quæ vulgarem captum superarent, hæc per obscuros sermones, « per ænigmata et allegorias, per parabolas et « parœmias explicârunt; ut qui labori suo non « parcerent, sed pro virtute et veritate operam « omnem subire essent parati, disquisitione « adhibitâ illarum assequerentur intellectum; « eoque reperto, quemadmodùm ratio postulat, « uterentur. » Verba sunt Origenis adversus Celsum disputantis.

7° Animadvertendum prætereà est Prophetiarum quasdam unicam admittere interpretationem, quæ Christum merè respiciat; cujusmodi ea est quæ habetur in nono Danielis, quæque venturi Messiæ tempus definit : quasdam verò duplici interpretatione gaudere, alia κατὰ λέξιν, κατὰ σχῆμα, sive, ut Rabbinicè loquar, alia *juxtà sonum suum*, hoc est, litteræ suæ sensum; alia *juxtà sensum suum allegoricum;* sive, ut Origenicè, alia πρὸς τὸ ῥητὸν, alia πρὸς διάνοιαν : harum autem duplex esse genus, cùm aliæ recta referantur ad Christum, ad alia verò obliquè; aliæ contrà allegoricè pertineant ad Christum, juxtà obviam verò et simplicem significationem aliò spectent. Prioris generis ea est, quæ habetur in vicesimo primo psalmo, quamque adnotarunt Evangelistæ : *Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem* : hoc enim reverà et κατὰ λέξιν Christo contigit, Davidi verò obliquè. Alterius generis hoc exemplum suppeditat idem psalmus : *Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te*; quæ de se quidem David κατὰ λέξιν, de Christo vero κατὰ σχῆμα prædixit. Quanquam et κατὰ λέξιν potest in Christum congruere. Postremo huic generi duplex inest futurorum indicium, ut recte à Grotio observatum est : bis, inquam, vaticinia hæc rem præsignificant; primum quidem, cùm ipsum editur oraculum, secundò, in eo exitum habet, quem directe spectavit. Exemplo erit mox allatum Nathanis vaticinium, quo Davidem Deus sic compellat : *Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum ejus; ipse ædificabit domum nomini meo*, 2 Reg. 7, 12. Cùm ea enim ad Salomonem directò, obliquè ad Christum spectent; et per verba hæc Christus primùm prædictus est, tùm cùm vaticinium ipsum edidit Nathan; iterùm quoque prædictus est Christus, per typum, cùm ortus est Salomon, ad quem directò spectaverat Nathanis oraculum, quemque Christi figuram gerere ostendimus; et cùm templum construxit, quod Ecclesiæ à Christo ædificatæ imago fuit. Sed de hoc prædictorum genere, quæ fiunt per figuras, jam suprà egimus; quod attinet ad ea quæ fiunt per verba, triplicem his, totique adeò Scripturæ, inesse sensum docuit Origenes, ut in Origenianis nostris observavimus, triplexque proindè ejus interpretandi genus agnovit, et quod litteræ adhæret, et quod σχῆμα persequitur, et quod utrumque. Sed verba ipsa egregii doctoris afferre satius est : « Ostendimus, ut opinor, auctoritate « Scripturæ divinæ, ex iis quæ in lege scripta « sunt, aliqua penitùs refugienda esse et ca« venda, ne secundùm litteram ab Evangelii « discipulis observentur, » (nempè ea quæ Christum κατὰ σχῆμα, alia verò κατὰ λέξιν respiciunt, in quibus cavendum omninò est, ne ità inhæreamus litteræ, ut latentem figuram omittamus, tùm enim verè littera occidit; de quo genere sic idem in primo capite Philocaliæ : « Sed quoniam sunt quædam Scripturæ, quæ « nihil habent corporum, ut deinceps ostendemus, animam tantùm et spiritum nonnunquam quærere oportet. » Nempè id sibi vult, Scripturis hujusmodi vel corporeum nihil inesse, sensum videlicet nullum κατὰ λέξιν, vel si quis insit, levem eum esse, momenti nul-

lius, ac pro nihilo ducendum). « Quædam « verò, ut scripta sunt, obtinenda (ea videlicet « quæ merè ad Christum pertinent), alia autem « habere quidem secundùm litteram veritatem « suî; recipere tamen utiliter et necessariò « etiam allegoricum sensum » (nimirùm quæ ad Christum spectant κατὰ λέξιν, ad alia verò κατὰ σχῆμα). Triplicem hunc sensum distinguere videtur Josephus in Antiquitatum suarum Prœmio, cum legem à Mose sic conscriptam esse docet: « Hæc quidem ænigmatis, uti par « est, involvente legislatore; alia exponente « allegoricè cum dignitate; quæcumque verò « directè proponere utile fuit, ea planè et « disertè explicante. » Quorum omnium causas privatìm exponere sibi Josephus proposuerat.

8° In interpretando eo genere Prophetiarum, aliisque Scripturæ locis, quæ allegoricum sensum recipiunt, plerorumque Judæorum desudavit industria. Testis Philo, qui totis allegoriarum voluminibus Scripturam sacram explanavit. Testis et Aristobulus, itidem Judæus, Philone antiquior, et in Machabaico secundo laudatus, qui Mosem interpretans allegoriis usus est, cujus insigne fragmentum ad id probandum attulit Eusebius. Testes et Therapeutæ à Philone celebrati, sive Judæi, sive Christiani Judaica instituta servantes, à quibus « expli- « cationes sacrarum Scripturarum fiebant tro- « picè per allegorias, » quique morem hunc à majoribus acceperant. Testis Eleazarus pontifex apud Aristeam; qui Aristeas, germanusne sit, an supposititius, operum nostrorum non est nunc inquirere; satis est hoc veterum Hebræorum institutum ex eo cognoscere. Testis denique Josephus, in loco proximè notato. Veniunt et in hunc censum Deuterotæ, Scripturarum sacrarum interpretes, quos scribit Eusebius exponere solitos fuisse, quæ per ænigmata in eis essent adumbrata. Quos inter ii tantùm admittebantur, qui robustâ ac præstanti quâdam animi maturitate et vi præditi essent. Conferendi illùc quoque quos *concionatores* appellant. Porrò ἐξήγησιν illam δι' ὑπονοιῶν, Philoni memoratam, quam τῷ φανερῶς λεγομένῳ opponit Plutarchus, explicandis Homeri poematis jam olim adhibitam fuisse discitur ex Platone, cum Homeri θεομαχίας minimè recipiendas esse docet, οὔτ' ἐν ὑπονοίαις πεποιημένας, οὔτ' ἄνευ ὑπονοιῶν, cùm non facilè dignoscere possit adolescens, quid sit ὑπόνοια, qui non. Ὑπονοίας intellige, quæ deinde allegoriæ dictæ sunt; vetustiorum enim scriptorum ea vox est, teste Plutarcho. Has ὑπονοίας, sive διανοίας (utroque enim nomine appellantur) Judæi מדרשים dixerunt, iisque libros suos referserunt; nec minùs iis tribuunt nonnulli auctoritatis et fidei, ac cabalicis ipsis traditionibus, ut auctor est Maimonides in More Nevochim. Ii quoque significationem allegoricam אגדה et דבר גדול appellant, eosque aiunt valde falli, qui eam exponant *tanquàm locutiones ab hominibus usurpari solitas;* cùm exponenda sit *tanquàm parabola;* nudam verò et simplicem appellant, פשוט, et דבר קטן. Et jam olim scitum est inter ipsos omni Scripturæ sensum inesse utrumque, *simplicem cum occulto*. Hìnc Agadici dicti, in Midrasch Thehillim, aliisque Judæorum scriptis memorati, qui in eruendis profundioribus mysteriis operam consumebant omnem, nec cabalicis nugis abstinebant. Perpauci hi erant numero, fortassè ob studii difficultatem, quæ plures deterrebat; eorum quoque scriptiones erant oppidò raræ; fortassè quòd vulgi captum præterirent. Idem Maimonides in Jad Chazacah, libro de conversione, tertio capite, terram Chanaan significare ait, *terram viventium; hanc autem esse seculum futurum.* Idem libro de Regibus, postquàm lupi et agni concordiam allegoricè exposuit, universè concludit has ῥήσεις, iisque similes, quæ pertinent ad Messiam, allegorias esse. Plerasque hujusmodi proponit; et Præfatione in Misnajoth, dictatâ Thalmudis, quæ κατὰ λέξιν sumpta, ridendæ absurditatis plena esse videbat, ad σχῆμα detorsit. Eadem aliorum multorum ratio est. Thalmuditæ, capite quinto Beracoth, omnem tabernaculi mosaici supellectilem ad cœlestium significationem revocant. R. Isaac Abrabaniel, vir celebris inter suos, docet omnem tabernaculi apparatum ad id præcipuè esse instructum, ut sit, *velut liber sapientiæ sublimioris, et rei gloriosæ ad quam ista referuntur.* Idem apud R. Mosem Albeldam reperias. Quid reliquos commemorem, qui nudâ litteræ doctrinâ non contenti, ad allegorias mentem extulerunt, quales inter cæteros Rabba ben Nachmoni in Beresith Rabbâ, et R. Jacob Baal Hatturim in Genesin, et R. Simeon in Jalcut, et Elisah in Ecclesiasten, et R. Joseph Samiga in convocatione sanctitatis, et auctor libri, cui titulus est: *Pomum et flos*. Circumfertur liber Rabbinicus, cui titulus: *Fundamentum Canticorum,* expositio videlicet libri Ruth, quâ ostenditur geminum in Scripturâ contineri sensum, apertum et opertum. Istarum ὑπονοιῶν diversa genera exposita sunt à R. Azariâ in Meor enajim, et ab Aben Ezrâ in Threnos. Laudatus jam sæpiùs

Maimonides, in præfatione præclari operis More Nevochim, multa de Scripturæ sacræ parabolis et enigmatis disserit. Ac primùm ostendit, non solùm perplexo hoc docendi genere usos esse sapientes, sed et necessariò hoc fecisse, nec aliter facere potuisse. Tùm multiplices ait esse parabolarum formas, ad idque potissimùm susceptum sibi hoc opus, ut ad Prophetarum parabolas intelligendas lectori viam muniret; nec enim ad propheticarum vaticinationum intelligentiam posse perveniri, nisi enodandarum parabolarum ratio teneatur. Atque id confirmat hoc loco Oseæ : *Ego visionem multiplicavi, et in manu Prophetarum assimilabo*, sive, *similitudines proponam*. Id enim sonat hebraicè vox, אדמה. Utitur et hoc Ezechielis, 17, 2 : *Fili hominis, propone ænigma, et narra parabolam ad domum Israel :* et hoc altero, Ezech. 20, 49 : *Et dixi, A, a, a, Domine Deus; ipsi dicunt de me: Numquid non per parabolas loquitur iste?* Quibus addit et ista Salomonis, Prov. 1, 5, 6 : *Audiens sapiens sapientior erit, et intelligens gubernacula possidebit; animadvertet parabolam et interpretationem, verba sapientum, et enigmata eorum.* Deindè ex מדרש docet de parabolâ ad parabolam progressum fieri, velut per funes connexos ac cohærentes, ad intelligentiam legis, sic tanquàm in profundo puteo latentem; et quæcumque in eâ de ritibus ac cœremoniis tradita sunt, occulta mysteria continere. Demùm verba, quæ parabolam continent, candelæ parvi pretii comparat; latentes verò in eo sententias, margaritæ, quæ cùm in tenebris prolapsa intercidit, diobolaris illa ad eam conquirendam et reperiendam candela accenditur. At Therapeutæ apud Philonem, aptissimâ comparatione legem animalis similem esse dicunt, et verba quidem, corporis; animæ verò, sensus verbis inclusos. Aben Ezra Scripturæ sacræ sensus, corporis instar esse dicebat, allegorias, vestimentorum. Neque sanè solùm constat priscos Judæos admisisse allegoricum interpretandi genus; sed litteræ etiam corticem præ eo sæpè sprevisse, et præcepta legis, non prout concepta sunt verbis, sed juxtà mysticum sensum servâsse, Eusebio affirmanti credendum est : « Quoniam, « inquit, autem de sacrarum legem præceptis, « et allegorico qui iis inest sensu disseruimus, « sequitur ut notemus genus universum Ju« dæorum in duas partes esse divisum, et mul« titudinem quidem legum præceptis, prout « verbis concepta exstant, subjecisse; reli« quam verò partem, eorum videlicet quorum « firmiores mentes sunt, hâc necessitate solu« tos, ad diviniorem quamdam philosophiam, « et suprà vulgi captum positam, et ad allego« ricorum sensuum, qui in lege reconditi sunt, « investigationem animum adjicere voluisse. » Onkelon nobilissimum Mosis interpretem allegorias nonnunquàm persequi, et ipsa res clamat, et declarat Aben Ezra, allegoricis licèt interpretationibus valdè adversarius. Videant nunc Judæi recentiores, atque inprimis pervicacissimi inter ipsos Caraitæ, quantùm ab hâc doctrinâ recesserint, dùm legis verbis adhærentes, mysticos sensus et allegoricas interpretationes respuunt; spreto majorum suorum more, quorum qui cordatiores erant, neglectâ in multis, quoad litteræ sensum, lege, eidem juxtà allegoriam ferè obsequebantur. Notabilis est imprimis clarissimi doctoris Aben Ezræ audacia, qui in Dissertatione quâdam, quâ legis explanandæ diversos modos proposuit, eum solùm amplectitur, qui litteræ inhæret ac verba persequitur, allegorias omnes repudiat. Quanquàm aliquibus Scripturæ locis inesse mysteria, ad eaque assurgendum esse fateri cogitur. Et verò nisi de suâ pertinaciâ remitteret hoc verporum genus, et multa דרך משל על interpretanda esse fateretur, in quam multa absurda incurreret, naturæ, rerumque ordini, legi etiam mosaicæ, Prophetarum sententiis, ac veritati ipsi contraria? Nihil hic de Joanne attinet dicere, qui occultos veteri Testamento sensus inesse passìm docuit; nihil de Christo Jesu, à quo idem crebrò traditum est, quique doctrinæ suæ præcepta parabolis tegere ac dissimulare solitus, monitum hoc subjiciebat : *Qui habet aures audiendi, audiat;* quasi auditoribus denuntians, nisi allegoricâ interpretatione adhibitâ reconditas sententias evolverent, frustrà hæc à se proponi. Contenti simus testimonio Pauli, qui Judæos, apud quos suâ jam ætate gliscebat ea labes, gravissimis sæpè verbis castigat : *Circumcisio cordis*, inquit, *in spiritu, non litterâ*, Rom. 2, 28. Idem alibi mysticum et interiorem sensum faciei Mosis comparat; exteriorem verò velamini faciei Mosis imposito : *Usque in hodiernum diem cùm legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum; cum autem conversi fuerint ad Dominum, auferetur velamen*, 2 Cor. 3, 15. Idem passìm novi Testamenti mysteria in veteris historiis adumbrata esse docet : *Hæc autem*, inquit, *in figurâ contingebant illis; scripta sunt autem ad correptionem nostram, id quod fines seculorum devenerunt.* Indè adeò psalmo septuagesimo septimo para-

bolæ appellantur prodigia à Deo edita, in gratiam, vel in emendationem Hebræorum. Et psalmo centesimo decimo octavo, his verbis Deum orat Propheta : *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tuâ;* futurorum nempè præsignificationes. Atque ii sunt verè clausi, signatique sermones, de quibus futurum prædicit Daniel, 12, 10, *ut neque intelligant omnes impii, porro docti intelligant.* Hoc argumentum eruditè prosecutus est contrà Celsum Origenes noster, et libro quarto de Principiis, quem qui studiosè legerit operæ fructum feret. Unum hùc addam, quod jam suis locis monui, undè obfirmata Judæorum pertinacia deprehenditur, ipsos quantumvis exosos allegoricas explanationes, easdem tamen admittere, ad eludenda vaticinia Prophetarum, quæ in Christo Jesu κατὰ λέξιν completa sunt. Velut illud Davidis : *Foderunt manus meas, et pedes meos;* tum istud : *Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem;* atque hoc etiam : *Et dederunt in escam meam fel, et in siti meâ potaverunt me aceto;* et id quoque Isaiæ : *Et dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum*, necnon et illud Zachariæ : *Ecce rex tuus veniet tibi justus et Salvator; ipse pauper, et ascendens super asinam, et super pullum filium asinæ;* tùm et illud ejusdem : *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos.* Quæ ἀλληγορικῶς Judæi pro arbitrio detorquent. Sed et inter novitios Judæos R. Manasse in opere de Resurrectione multas patrum suorum ineptias, in Thalmude Rabbinorumque libris consignatas, flectit ad allegoricum sensum, seseque singulari tractatu acturum spondet de allegoriis, quæ his scriptionibus continentur. Suo sibi denique gladio jugulantur ipsi, cùm pervulgatum hoc inter eos usurpant effatum : *Ne unica quidem in lege littera exstat, è qua non pendeant montes magni.*

9° Abeamus ad ethnicos, quorum plerique hoc genere delectati sunt. Homeri, ut dixi, poemata in allegorias jam olìm à plerisque tracta fuisse, vel ex uno hoc, quod attuli, Platonis effato colligitur. Exstabant olìm Homericæ allegoriæ Metrodori Lampsaceni ; exstant hodièque et illæ Heraclidis Pontici, et Porphyrii. Nonnullas etiam Plutarchus in libro De vitâ et poesi Homericâ proposuit. Idem in libro de audiendis Poematibus egregium earum exemplum affert, undè intelligas quos intrà fines eæ debuerint consistere, ne vel progrederentur longiùs nimis curiosi et ingeniosi interpretes, mysteria Homero affingentes, de quibus ne in somnis quidem cogitavit; vel in nudo verborum sensu hærerent. Longè verò plurimas reperias apud Eustathium. Notabile est illud Dionis Chrysostomi in Oratione de Homero, solitum fuisse Homericis temporibus res naturales fabulis implicare. Addidisset, res quoque pertinentes ad mores et ad politica, et cujuscumque tandem generis, figmentis dissimulare. Hieroglyphica Ægyptiorum, eorumque significationes retulit in litteras Chæremon, Augusti ætate. Nec multò post Cornutus Græcorum mythologiam naturæ rationibus accommodavit, eo libro, qui sub Phurnuti nomine circumfertur. Ab utroque, Cornuto, et Chæremone, *Græcanicorum mysteriorum allegoricè interpretandorum rationem,* accepisse Origenem testificatur Porphyrius. Edidit Palæphatus Ægyptius : *Solutiones eorum quæ fabulosè dicta erant.* Totus est in hujusmodi fabularum Græcarum allegoriis evolvendis Fulgentius Planciades. Quasdam et illarum anagogas scripsit Michael Psellus. At consumpsit diuturnitas temporis, Zenonis, Chrysippi, et Diogenis Babylonii libros, quibus fabularem historiam à nugis dejunctam, traduxerunt ad Physiologiam, et Orphei ac Musæi nominibus præscriptas fabellas, tùm et illas Homeri ac Hesiodi, ad suas de Diis opiniones applicârunt. Vana sanè fuisset eorum opera, qui doctrinam suam velârunt figmentis, nisi fuissent qui dispellere tenebras, et arcana eruere studuissent. Imò verò fatendum est, quæcumque gens fabulatores habuit, eamdem et suos fabularum Interpretes habuisse. Id quod de Assyriis et Arabibus Lucianus commemorat. Plura afferre poteramus in eam sententiam, si incerta res aut controversa ageretur. Satis profectò ex istis intelligitur metalepticum hoc interpretandi genus hebræis scriptoribus pariter et τοῖς ἔξωθεν acceptum ac familiare fuisse; ac iniquè porrò facturos, si qui in nobis culpare audeant, quod in aliis probare coguntur.

10° Nunc antequàm manum tollamus de tabulâ, postularet locus, ut de ethnicorum oraculis disputaremus, quæ propheticæ facultatis specie quâdam vulgi stoliditati diutissimè illuserunt, et christianæ legis adversariis ad prædictionem veteris Testamenti vim oppugnandam argumentum præbere possunt. Nam si Prophetias, quibus se tutetur, habet etiam mendacium et impietas, quid in iis præsidii veritas collocabit? Verùm jam tùm etiam cùm maximè vigerent oracula, ità prolapsa erat eorum fides apud sanæ mentis homines, ut

nihil inter eos esset contemptius. Pythiam auro à Philippo corruptam, facere dicebat Demosthenes φιλιππίζειν. Chrysippum superstitionibus valdè deditum, ut Stoicum decuit, oraculis totum volumen implevisse ait Cicero, « partim falsis, partim casu veris, ut fit in omni oratione sæpissimè; partim flexiloquis et obscuris, ut interpres egeat interprete, et sors ipsa referenda sit ad sortes; partim ambiguis, et quæ ad Dialecticum referenda sint. » Audiamus prætereà Origenem sic disputantem contrà Celsum : « Possumus quidem, si Aristotelis et Peripateticorum scripta compilare velimus, non pauca afferre ad ea labefactanda, quæ de Pythiâ et reliquis oraculis feruntur. Possumus quoque, si expromamus quæ de iisdem rebus ab Epicuro, ejusque sectatoribus disputata sunt, ostendere, nonnullos Græcorum refellere et aspernari oracula, quæ per universam Græciam communi et tralatitio usu, etiam cum admiratione recipiuntur. » Vanitatem verò oraculorum apertè confitetur Porphyrius, rei apprimè consultus, ut qui librum scripserat De philosophiâ ex oraculis petitâ. Rem pluribus testimoniis, tùm et exemplis ac rationibus confirmare promptum esset; sed cùm Eusebius toto id libro Præparationis Evangelicæ sexto prestiterit, amandari se illùc lector benignus patiatur. Idem omninò de sibyllinis carminibus putandum est; non recentioribus istis, quæ circumferuntur et κιβδηλείας vulgò damnata sunt, sed de antiquis etiam, quorum meminerunt Veteres. « Callidè, inquit Cicero, qui illa composuit, perfecit, ut quodcumque accidisset, prædictum videretur, et hominum et temporum definitione sublatâ. Adhibuit etiam latebram obscuritatis, ut iidem versus alias in aliam rem posse accommodari viderentur. » Et deindè : « Quamobrem Sibyllam quidem sepositam et conditam habeamus, ut id quod proditum est à majoribus, injussu Senatûs ne legantur quidem libri, valeantque ad deponendas potiùs, quàm ad suscipiendas religiones. » Post operam ad scriptionum illarum futilitatem demonstrandam utiliter à Blondello positam, in longiori argumenti hujus tractatione, mihi ingratus, lectori inutilis labor poneretur. Quanquàm et ea, quæ in contrarium attulit Joannes Crassetius, pietate insignis et doctrinâ, cum fructu et voluptate legi possunt.

ACOSTÆ VITA.

Josephus Acosta, natione Hispanus, patriâ Methymnensis, à puero se Societati Jesu addixit anno salutis 1553, nondùm expleto ætatis suæ 14. Quatuor alios natu majores fratres habuit in eâdem Societate, Hieronymum, Jacobum, Christophorum et Bernardinum, quorum postremus obiit Mexici 29 Maii, anno 1615, ob virtutem eximiam cum insigni doctrinâ conjunctam, magno suî desiderio relicto. Vir fuit ingenio præstanti, acri judicio, labore indefesso, facundiâ doctrinâque excellens, qui omne disciplinarum genus didicit, et professus est. Primus de suâ Societate Ocaniæ Theologiam docuit; deindè in Occidentis solis Indiam navigavit anno 1571 et Peruanam Societatis Jesu Provinciam præpositus Provincialis gubernavit. In Hispaniam reversus, rexit Domum Professam Vallisoletanam. Interfuit Congregationi Generali quintæ, ex dispensatione speciali cum jure suffragii. In Aragoniæ, et Bœticæ Provinciis Visitatoris partes egit, aliis etiam Regendi muneribus functus est. Demùm Salmanticensis collegii habenas cùm teneret cum laude prudentiæ, integritatis, et doctrinæ, morbo oppressus mortalitatem exuit, die 15 Februarii, anno sæculari 1600, ætatis suæ 60, Professionis quatuor votorum 30. — Scripsit : *De Christo Revelato Libros* 9. Romæ apud Jacobum Tornierum 1590, in 4°, et Lugduni apud Jo. Baptistam Buysson 1592, Salmanticæ, et Venetiis; — *De Temporibus Novissimis Lib.* 4. Ibidem apud eosdem, iisdem annis; — *De naturâ Novi Orbis Libros* 2 quos etiam Hispanicè vertit. — Et *De Promulgatione Evangelii apud Barbaros, sive de procurandâ Indorum salute Libros* 6. Coloniæ apud Arnoldum Mylium 1596 in 8°, et priùs 1589 et 1595. — *Historiæ naturalis, et moralis Indiæ Libros* 7, 1590 in 4°, et 1591 in 8°, et 1610 in 4°. Eos transtulit Italicè Joannes Paulus Gallutius 1596 in 4° et Latinè Theodotus de Bry, inseruitque parti 9 suæ Historiæ Occidentalis. — *Concionum Tomos* 3. Gravi, et eleganti stylo, Salmanticæ apud Joannem, et Andream Renault, 1596 et sequenti in 4° et Venetiis, 1599, Coloniæ 1600 in 8°. — *Concilium Limense* lib. 3 digessit, et latinè conscripsit.

DE CHRISTO
IN SCRIPTURIS REVELATO LIBER.

CAPUT PRIMUM.

Universæ Scripturæ scopum esse Christum.

Quisquis divinas et arcanas litteras legit, neque Christum novit, et cogitat: legere quidem potest; quod legit, intelligere nullo modo potest. Accidat enim ei necesse est, quod de Eunucho illo Æthiopico Lucas refert, qui cùm Isaiæ præclarissimum vaticinium de Christi passione volveret, atque ex eâ urbe reverteretur, in quâ non ità pridem illa ipsa quæ ille propheta commemorat, palàm gesta perfectaque essent, tamen à Philippo rogatus, an quæ legeret intelligeret, professus est planè, se nisi idoneum esset nactus interpretem, intelligere minimè posse. Quæ hominis et humilis, et vera confessio, adjuncto pio discendi studio, salutem attulit ignoranti quidem, sed veritatis cognitionem desideranti. Nam Christo, per Philippi ministerium annuntiato, et prophetica oracula luce velut allatâ perspexit, et ipsum qui ibidem continetur, Christum amplexus, Evangelicam gratiam cœlesti lavacro tinctus, assecutus est. Itaque priùs discere oportet Christum, quàm Scripturæ sacræ arcana nobis penetranda existimemus, cùm ne primus quidem aditus sine illo pateat, qui cœlestis hujus litteraturæ primum elementum se profitetur. *Ego*, inquit, *sum α et ω, principium et finis.* Quod si impossibile est, primis elementis ignoratis, librum tenere, quo pacto cœlestem doctrinam consequi quisquam poterit, Christum nesciens, qui, à primo sermonis initio usque ad summum, unus scopus est, ac veluti magni et pulchri corporis ipsa mens, quæ sensum, vitam, vires, decorem, atque omnia omnibus partibus administrat? In capite libri scriptum est de me dicit in psalmo ipse Christus, quemadmodùm Apostolus Paulus exposuit qui finem legis eumdem affirmat ad justitiam omni credenti. Quod si, ignorato fine cujusvis vel actionis, vel orationis, quid rei agatur, aut significetur, cognoscere penitùs non possumus, sed hæreamus prorsùs, aut aliud pro alio cogitemus necesse est: quis non videat, si Christus est legis finis, legem sine Christo nihil aliud quàm magnas tenebras legenti, periculosos errores intelligentiam sibi usurpanti allaturam? Sicut ergò, cùm in narrantem aut sermocinantem aliquem virum incidimus, cujus initium et institutum nescimus, quamvis multa audiamus parùm admodum aut nihil percipimus, estque nobis tota ipsa oratio insuavis et molesta, donec de quo sit sermo narratione doceamur, edocti verò perjucundè audimus, ac facillimè intelligimus, quòd summam totius orationis teneamus: ità sanè qui Christum Jesum in sacrâ Scripturâ cogitat, cùm sibi non ità difficilem, tùm verò dulcissimam experitur, adde utilissimam etiam, quamvis non ità multa illius evolvat. At Christum qui vel non credit, vel parùm cogitat, quamvis multa, ac prolixa Scripturarum spatia percurrat, nihil is propemodùm intelligit, nihil omninò fructûs suavitatisque percipiet. Quare in omni legis divinæ paginâ sedulò Christum meditari, quærere, et cogitare debemus. *Ego sum via, veritas, et vita; et principium verborum tuorum veritas;* et: *in ipso vita erat, et vita erat lux hominum. Neque est alia vita æterna, nisi ut cognoscant homines te solum Deum verum et quem misisti Jesum Christum.* Itaque universa non solùm novi, sed veteris etiàm Testamenti scriptura huc spectat, ut Christus agnoscatur, fidelique obedientiâ colatur, in eoque uno salus hominum sita esse intelligatur.

CAPUT II.

Legem Evangelio declarari et perfici.

Ex quibus fit, ut Testamenti veteris nulla sit ratio melior interpretandi atque intelligendi, quàm novi ejusdem æterni Testamenti cognitio. Quod enim illud annuntiat, hoc exhibet, quemadmodùm Christus suos docuit, cùm dixit: *nolite putare, quoniam veni solvere legem aut prophetas: non enim veni solvere legem sed*

adimplere. Amen quippè dico vobis donec cœlum et terra transeat, iota unum aut unus apex non prœteribit à lege donec omnia fiant. Usque adeò exactè veteri respondet novum, Legi Evangelium. Ut enim in eximià picturà solet peritus artifex priùs rudi materià delineare atque adumbrare formam, quam vivis posteà perfectisque coloribus exprimit, ac priora vestigia ruditer impressa sequens, et perficiendo quodammodo delet, et delendo quodammodo perficit : ità Evangelica gratia, olim præfigurata, Legem et implet, et tollit. Nihil enim illic prædictum est, nihil præsignatum, quod non sit hìc exhibitum, atque perfectum. Quarè nullo modo illa pugnant : *non veni solvere legem, sed adimplere*; et : *lex et prophetæ usque ad Joannem.* Neque illa rursùs : *evacuati estis à Christo, qui in lege justificamini*; et : *Legem destruimus? Absit : sed legem statuimus.* Etenim cùm legis finis sit Christus, tunc maximè lex statuitur, cùm Christus tenetur, tunc egregiè consistit, cùm cedit Evangelio. An qui fornici futuro fulcra præstruit, cùm fuerit opus perfectum, conqueritur quod perpetuæ structuræ supposita ad tempus materia cedat ? Nonne hoc agunt, hoc expetunt fulcra ipsa, ut moles cui fabricandæ serviunt, perpetuâ firmitate consistat ? Quod si ipsa disjiciantur, opere absoluto, nulla est artificis accusatio. Utrumque enim ratione idoneâ excogitavit, atque inter se cohærere fecit. Quod totum argumentum de lege et Evangelio à Paulo præclaro est simili explicatum. *Lex,* inquit, *pædagogus noster fuit in Christo.* Notum est et quotidiè fit, ut pueri nobiles ac regii severo pædagogo tradantur nutriendi atque instituendi, non ipsi quidem, sed patri potiùs, à quo hereditatem percepturi sunt, et in cujus disciplinam liberam atque ingenuam ex illâ veluti servili, jam confirmatâ ætate et maturâ, transeunt. Itaque et pater, et pædagogus optimè inter se conveniunt, quamvis pro diversâ puerorum ætate et captu, diversam educationis formam teneant, atque ab hoc certè perficitur quicquid illius curâ rudioribus annis inchoatum traditur. Quarè tantùm abest, ut lex et gratia pugnent inter sese, ut altera alteri per quàm necessaria sit, ut lex præparet quod gratia perficiat. Et vetus quidem Testamentum aut vix aut nullo pacto intelligi potest, nisi novum credatur. Ut novum verò credatur, magnoperè confert vetus, in quo testata ea ipsa omnia, quæ Spiritus idem in novo docet. Benè ergò Isaias dixit : *nisi credideritis, non intelligetis,* quod oporteat novum credere, ut vetus intelligatur. Benè quoque Salvator noster admonuit : *si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi : de me enim ille scripsit.* Nam *revelatur justitia Dei ex fide in fidem,* ut Paulus loquitur; id est, ex fide veteris in fidem novi Testamenti evangelicam.

CAPUT III.

Evangelium Lege et Prophetis comprobari.

Hoc, ut divinam sapientiam, omnia consilio suo moderantem, decebat, Christus tenens, mirabile est dictu, quoties et quantâ diligentiâ fidem suam ex veteris Scripturæ documentis asseruerit, confirmârit, astruxerit. Idque jàm cum impiis et infidelibus agens, jàm cum suis mitioribus quidem et ad discendum bene paratis, sed tamen crassis adhùc, et parùm ingenio promptis. Ac Judæis quidem tùm Moysem suum objicit, quem aut oscitanter legerent, aut infideliter acciperent; propterеà scrutari jubet Scripturas, quoniam ipsæ de illo testimonium perhiberent, et Davidem opponit de Christo canentem : *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* Et cùm accepisset Isaiæ volumen, ac locum fortè aperuisset ex capite sexagesimo primo, in auribus illorum tunc esse prophetiam illam impletam docuit, quod ipse ille esset quem Spiritus Domini unxisset, atque ad evangelizandum pauperibus misisset, ut sanaret contritos corde, ut prædicaret redemptionem captivis, et cæcis visum largiretur, et confractos dimitteret liberos, et tempus salutare Deoque gratum annuntiaret hominibus : quæ omnia sanè ille egregiè præstabat, ut ipsâ rei veritate evicti testimonium redderent, vel ii homines qui mox ipsum præcipitem acturi fuerant. Jam verò discipulos quàm frequenter, quàm dilucidè Scripturarum admonet, atque in iis præsertim, quæ ab illorum et sensu et studio maximè aliena intelligebat, hoc est, de passione suâ et morte et opprobrio crucis : *Ecce,* inquit, *ascendimus Hierosolymam, et consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis.* Quæ statim explicat : *tradetur enim gentibus, et illudetur, et flagellabitur, et conspuetur; et postquam flagellaverint, occident eum, et tertiâ die resurget.* Atque alio loco ; *quod scriptum est oportet impleri in me*; et : *cum iniquis deputatus est. Etenim ea quæ sunt de me, finem habent.* Et rursus : *Filius quidem hominis vadit sicut scriptum est de eo.* Mox etiam ad Petrum : *quomodò ergò implebuntur scripturæ, quia sic oportet fieri ?* Et postquàm à mortuis resurrexit, duobus iter facientibus ac

de ipso sermocinantibus sese comitem adjungens : ô, inquit, *stulti, et tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt prophetæ. Nonne hæc oportuit pati Christum, et ità intrare in gloriam suam?* Et incipiens à Moyse et omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant. Atque eâdem die, Apostolis apparens, repetit quæ pridem de Scripturis in ipso complendis commonefecerat. *Hæc,* ait, *sunt verba quæ locutus sum ad vos, cùm adhùc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, et prophetis, et Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent scripturas, et dixit eis : quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere à mortuis tertiâ die, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes.* Quâ scripturarum intelligendarum Apostoli luce perfusi, sensu et spiritu à Domino accepto, cùm mysteria Christi vel narrando traderent; vel disputando et scribendo docerent, ad fidem conciliandam Evangelio prophetarum oracula tanti ubique fecerunt, ut non dubitet Petrus ipsi oculorum testimonio præferre, ad hunc modum scribens : *Et hanc vocem nos audivimus de cœlo allatam cùm essemus cum ipso in monte sancto. Et habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris.* Ex qua re animadvertimus, cur sancti Evangelistæ Matthæus præcipue ac Joannes passìm cùm Christi res gestas referunt, etiàm testimonia veteris scripturæ adhibenda sibi putent. Matthæus quidem cùm Virginis conceptum et partum narrat, cùm urbem Christi natalem, tùm puerorum cædem ab impio rege perpetratam, cùm Christi ex Ægypto regressum, cùm Joannis prædicationem, cùm Christi evangelizandi exordia, cùm conversationis suavitatem, et miram mansuetudinem, cùm beneficia et curationes allatas miseris, cùm ingressum in Hierosolymas illum illustrem atque aselli equitationem, cùm Judæ proditionem et inanem pœnitentiam, cùm vestimentorum sortitionem, cùm alia deniquè commemorat, quæ modò memoriæ non occurrunt. Porrò Joannes scripturam impletam profert, cùm à Christo flagello deturbatos è templo mercatores scribit, cùm asello vectum Dominum et ipse commemorat, cùm in cruce pendens sitire se dixit, ut aceto potaretur, cùm crucifixum quidem, sed nullum ipsius os comminutum, deniquè cùm narrat resurrectionis aperta indicia sese ac Petrum vidisse, nec tamen resurrectionem credidisse, quòd nondùm scripturam didicissent : cæteras quoque scripturas tunc fuisse ab Apostolis intellectas, cùm jam Dominus esset gorificatus. Tunc enim et gestorum esse recordatos, et Scripturæ attestatione commonitos penitùs credidisse. Tanti apud primos Ecclesiæ principes fuit veteris scripturæ auctoritas ad novam de Christo fidem asserendam. Itaque videre est in omni ferè concione aut collatione Apostolorum, Christi Evangelium testamenti veteris prædictionibus comprobatum. *Huic,* inquit Petrus, *omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus.* Idem aliàs quoque : *Deus autem qui prænuntiavit per os omnium Prophetarum pati Christum suum, sic implevit.* Et infrà : *Et omnes Prophetæ à Samuel et deinceps qui locuti sunt, annuntiaverunt dies istos.* Similiter Stephanus : *Et occiderunt eos qui prænuntiabant de adventu Justi, cujus vos nunc proditores et homicidæ fuistis.* Eodem modo Paulus ad Antiochenos : *Qui enim habitabant,* inquit, *Hierusalem et principes ejus hunc ignorantes et voces prophetarum quæ per omne sabbatum leguntur, judicantes impleverunt. Cùmque consummassent omnia quæ de eo scripta erant, deponentes eum de ligno posuerunt in monumento.* Et Romæ in vinculis positus : *Exponebat,* inquit, *testificans regnum Dei, suadensque eis de Jesu ex lege Moysi et Prophetis à mane usque ad vesperam.* Atque ad Romanos scribens : *segregatus in Evangelium Dei, quod antè promiserat per Prophetas suos in scripturis sanctis.* Immensum erit hujus argumenti percurrere singula; sed præclarum adhuc Petri documentum non prætermittam, quod ità habet : *De quâ salute exquisierunt atque scrutati sunt Prophetæ, qui de futurâ in vobis gratiâ prophetarunt, scrutantes in quod vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi : prænuntians eas quæ in Christo sunt passiones et posteriores glorias : quibus revelatum est, quia non sibimetipsis, vobis autem ministrabant ea, quæ nunc nuntiata sunt vobis per eos qui evangelizaverunt vobis.* Passiones Christi quas dicat, perspicuum est, irrisiones certè, et convitia, flagella, alapas, cæteraque gravia, quæ Evangelistæ narrant; atque inprimis abjectissimum mortis genus, opprobrium crucis. In his enim prænuntiandis tanta est prophetici Spiritus magnitudo, ut longè copiosiùs in Prophetis, quàm in Evangelistis legantur. Posteriores verò glorias, re-

ourrectionem, mirabilem ad Patrem ascensum et consessum ad dexteram, tùm potestatem in omnia humana et cœlestia datam, et regnum immortale sanctorum, atque ipsam judicii extremi majestatem significat; quæ futura quidem, partim è spiritu familiari occulta et incerta sapientiæ Dei docente, didicerant; sed desiderio tanta mysteria assequendi ardentes, jussi sunt Prophetæ divinitùs, aliis potiùs scribere quàm sibi ipsis videnda expectare. Atque hoc insinuat Petrus, quemadmodum Abacuc discertè loquitur : *Contemplabor,* inquit, *ut videam, quid dicatur mihi, et quid respondeam ad arguentem me. Et respondit mihi Dominus et dixit : scribe visum et explana eum super tabulas, ut percurrat qui legerit eum. Quia adhuc visus procul, et apparebit in finem, et non mentietur. Si moram fecerit expecta illum, quia veniens veniet et non tardabit. Ecce qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso : justus autem in fide suâ vivet.* Quo testimonio sæpè Paulus ostendit sive antiquos sive posteriores justos ex Christi fide justificatos. Quibus argumentis satis illud effectum est, quod initio diximus, vetus quidem Testamentum sine novo intelligi minimè posse : novum verò veteri comprobari, quòd unus Christus fidei auctor, juxta Apostolum, consummatorque sit.

CAPUT IV.

Judæos in lege cæcos esse, quòd Christum ignorent.

Quæ cùm ità habeant, facilè est Judaicæ cæcitatis causas pernoscere, quibus cùm nihil magis in manibus sit, nihil frequentius in ore, quàm Scriptura divina, nihil est tamen obscurius atque infructuosius. Quin potiùs noxium et exitiale malitia illorum redditum est, quod est unicè ad salutem ipsorum divinitùs institutum, ità vaticinante Spiritu sancto : *Fiat mensa eorum coràm ipsis in laqueum et in retributiones et in scandalum. Obscurentur oculi eorum ne videant, et dorsum eorum semper incurva.* Verè enim ex mensâ cœlestis Scripturæ, quà pasci et ali debuerant, scandalum potiùs et laqueum, et dignam iræ retributionem accipiunt : quòd oculi illorum clausi sint, et dorsum in terram incurvum, ut æterna ac cœlestia videre non possint, terrenis his infimisque afflixi, dùm in spirituali lege nihil nisi carnale cogitant, nisi animale, vel desiderant vel expectant. Propterea Isaias audivit : *Claude oculos populi hujus, et aures ejus obtura, ut videntes non videant, et audientes non intelligant.* Vident divinos codices et legunt atque audiunt, sed in iis ipsis cæci sunt, et surdi ac trunci. Ipsi enim oculos suos compresserunt. Nam quod illa dixerit Isaias propterea quòd Christum repellentes, quæ de Christi excellentia prophetæ docent, Judæi intelligere non possint, aperte Joannes indicat, cum recitato illo testimonio adjungit : *Hæc dixit Isaias quandò vidit gloriam ejus, et locutus est de eo. Itaque accidit iis quod ab eodem propheta alibi scriptum est : Quoniam miscuit vobis Dominus spiritum soporis, claudet oculos vestros, Prophetas et Principes vestros, qui vident visiones, operiet.* Quo pacto vero oculos perfidorum claudat, et operiat majores natu ac magistros docet consequenter : *Et erit vobis visio omnium sicut verba libri signati : quem cùm dederint scienti litteras, dicent : Lege istum; et respondebit : Non possum, signatus est enim. Et dabitur liber nescienti litteras, diceturque ei : Lege; et respondebit : Nescio litteras.* Ità declarat sacram Scripturam ab illis non esse quidem auferendam (quos catholicæ Ecclesiæ Scriniarios esse oportere præclare Augustinus dixit) sed tamen ità clausam et illibatam futuram, ut æquè et litteras scienti et ignoranti ex usu sit. Causam hujus in illâ gente stupendæ cæcitatis atque infatuationis è vestigio ponit Spiritus sanctus. Et dixit Dominus : « Eò quòd appropinquat populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me, cor autem ejus longè est à me, et timuerunt me mandato hominum et doctrinis : ideò ecce ego addam, ut admirationem faciam populo huic miraculo grandi, et stupendo; peribit enim Sapientia à sapientibus ejus, et intellectus prudentium ejus abscondetur. » En undè et quò venerit infelicitas et absurditas hominum, qui repellentes bonam conscientiam fidei quoque jacturam fecerunt. Christum enim non recipientes neque agnoscentes, ut oportuit, lucem Scripturarum sanctarum, quæ unus est Christus, amiserunt. Quàm hoc præclarè Paulus eloquitur, quàm divinè philosophatur hoc loco : *Habentes igitur,* inquit, *talem spem, multâ fiduciâ utimur; et non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam, ut non intenderent filii Israel in faciem ejus, quod evacuatur.* Vetus Testamentum dicit per Moysem figuratum, quod non erat futurum æternum sicut novum, ac proindè evacuandum quod cæremonias et promissiones terrenas contineret. Sequitur verò : « Sed obtusi sunt sensus eorum. Usquè in hodiernum enim diem id ipsum velamen in lectione veteris Testamenti manet non revelatum (quoniam in Christo evacuatur.) sed usquè in ho-

diernum diem cùm legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum. Cùm autem conversus fuerit ad Dominum, auferetur velamen. » Quid igitur prodest intendere in Mosem, cùm velatus opertusque sit? Quid per illius apices oculos clausos ducere? Usque dùm enim convertantur ad Dominum, et David regem suum agnoscant, ut est ab Osee dictum: *Populus ille jacebit in tenebris.* Velamen autem legis et prophetiæ nullum est aliud, quàm ignorantia Christi. Quoniam in Christo, inquit, evacuatur. Uno verbo dixit omnia. Lex enim Evangelio cedit, neque est alia illius utilitas quàm ut præparet Evangelio, quo veniente non habet ultrà locum. Obscuritas quoque, et intelligendi impedimentum omne tollitur simul atque in lege Christus prædictus et multis modis ac variis significatus agnoscitur. Legem enim sine spiritu legis, qui est Christus (Spiritus oris prophetici, ut dixit Hieremias) intelligere est impossibile. Itaque flentem et querentem Joannem quòd librum divinæ præscientiæ clausum atque obsignatum sigillis septem nemo aperire posset, aut legere, neque in cœlo, neque in terrâ, neque subtùs terram, unus de senioribus illis throno Dei astantibus benè sperare jussit ac sedato esse animo, quòd leo de stirpe David, idemque agnus pro nobis occisus, solus esset librum explicaturus, quem clausum Isaias populo infideli prædixerat.

CAPUT V.

Adversùs Gnosticos, aliosque hæreticos vetus Testamentum repudiantes.

Sicut vetus Testamentum Judæi, novo repudiato, amplectentes, nihil nisi onus inutile portant, magnisque et perniciosis erroribus involvuntur, quòd litteram occidentem teneant, spiritum vitalem abjiciant: ità ex diametro oppositi quidam Christiani nomine, re pagani, cùm novum Testamentum laudant et probant, vetus improbant atque rejiciunt, utrumque æquè perdunt. Etenim cùm sit idem Spiritus fidei, ut Apostolus docet, qui tàm veteris quàm novi Testamenti ministros afflavit, atque in iis elocutus est, haud fieri potest, ut aliàs mendax iniquusque sit, aliàs sanctus et verax. Initio sanè nascentis Ecclesiæ à Satana introducti sunt homines pessimi, qui Christianum sibi nomen usurpantes, et fœdissimam vitam agerent, et portenta dogmatum inveherent, quibus omnia Scripturæ sanctæ munimenta convellerent, ut dùm à veris Christianis minùs internoscuntur, vulgus vocabulo ipso deceptum pessimam de Christi Ecclesiâ, ut Justinus atque Eusebius conqueruntur, opinionem conciperet. In his fuère Carpocrates, Cerdon, Marcion, cæteræque Gnosticorum pestes, quos Irenæus et Tertullianus, et Epiphanius, cæterique hæresum oppugnatores referunt, legem et prophetas damnâsse, veteris Testamenti Deum recusâsse, neque patrem Domini nostri Jesu Christi esse voluisse. Quorum nugas etiam auxit tempore procedente Manes, cujus impietatem et vanitatem incredibilem cum aliis in multis, tùm maximè in damnando Deo veteris Testamenti non solùm refert, sed copiosè etiam refellit Augustinus. Quod si monstra hæc hominum rogites, quâ fronte Christianum sibi nomen imponant, Evangelium recipiant, Christum profiteantur, et tamen Deum illius, mundi hujus conditorem, legis et Prophetarum auctorem aversentur, quem Evangelia Epistolæque omnes Apostolicæ unum Deum eumdemque Patrem Domini nostri Jesu Christi apertè crebròque prædicent, quid responsuros putas? Id prorsùs quod impudentem ac vesanam talium licentiam respondere par est. Depravatam esse novi Testamenti scripturam, quoties veteris auctoritatem tuetur. Ità pro libidine vetera convellunt, nova decurtant. Sed nihil hìc immorari ampliùs aut libet aut expedit. Illud confessione vel mendacii ipsius teneamus, non posse novum Testamentum sine fide veteris stare. Quanquam admonuisse nihil vetat propter illorum pestilentes errores tempore jam Apostolico pullulantes à Petro et Judâ, et ipso Paulo, atque à Joanne quoque contrà corruptorem fidei venena, Apostolicæ doctrinæ antidoto in Epist. Ecclesias fuisse munitas.

CAPUT VI.

Collationem utriusque Testamenti esse perutilem ad infideles coarguendos.

Si quis igitur utriusque Testamenti de Christo sententias diligenter colligat, atque inter sese pari fide conferat, tùm ità concinnet ac coaptet, ut quæ in Evangelio leguntur exhibita, in lege demonstret prædicta, magnum is, meâ sententiâ, operæ pretium facturus est. Ac vix dicere possum, quantos hujus laboris fructus, si ut par est adhibeatur, futuros putem. Primus ille est certus et expeditus ad refellendos ac debellandos eos, qui vel evangelicam legem aspernantur, cùm veterem mordicus retineant, vel contrà novo suscepto atque probato Testamento rejiciunt vetus. Nam confundendi expugnandique Judæos nulla est ratio, nulla via,

nisi ex scripturis ipsorum Jesus Christus demonstretur: in quo omnia à lege et prophetis prædicta penitùs expleta sint, ut amentiæ et furoris sit, alium, in quo illa fiant, præstolari. Incubuit in id studii vehementer Paulus, egregius Christi prædicator, cujus indefessam in hoc Judæis probando operam cùm aliàs sæpè, cùm apud Thessalonicenses maximè actus Apostoli commendant. « Cùm perambulàssent, inquit, Amphipolim et Apolloniam, venerunt Thessalonicam ubi erat Synagoga Judæorum. Secundùm consuetudinem autem Paulus intravit ad eos, et per Sabbata tria disserebat eis de Scripturis, adaperiens et insinuans quia Christum oportuit pati, et resurgere de mortuis, et quia hic est Jesus Christus, quem ego annuntio vobis. » Cui præceptoris optimi industriæ par nobilium auditorum cura respondit: « Nam nobiliores, inquit, eorum qui sunt Thessalonicæ susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidiè scrutantes Scripturas, si hæc ità se haberent. » Quo tempore eloquentissimi ac Scripturarum potentissimi fratris Apollinis, in Evangelico negotio promovendo et Judaicâ perversitate confutandâ extitit mirabilis vis. « Judæus, inquit, quidam Apollo nomine, Alexandrinus genere, vir eloquens, devenit Ephesum potens in Scripturis. Hic erat edoctus viam Domini; et fervens spiritu, loquebatur, et docebat diligenter ea quæ sunt Jesu. » Ac mox: « Qui cùm venisset in Achaiam, contulit multùm his qui crediderant, vehementer enim Judæos revincebat publicè, ostendens per Scripturas esse Christum Jesum. » Hoc Apostolorum studium imitati in conciliandis fidei christianæ Judæis, vel si sponte insanire mallent, obstruendis, ac pudefaciendis, posteriores nonnulli, non verbo solùm, sed litteris etiam egerunt, ut Christus in utroque Testamento pariter ostenderetur. Extat præclara ac prolixa disputatio Justini Martyris cum Thryphone, principe Synagogæ. Extant libri sancti etiam martyris Cypriani ad Quirinum adversùs Judæos, in quibus breviter certis capitibus Scripturas utriusque Testamenti congruentes adhibet. Et quia non Judæis tantùm, quibus familiares erant Scripturæ, sed gentibus etiam efficax atque invictum argumentum ad fidem Jesu asserendam, fuit semper mirabilis prædictio prophetarum de iis quæ Christiani tenemus et sapimus, tantò tot seculis antè prodita: Propter quam causam plerosque ex gentibus Thessalonicensibus et fœminas et viros credidisse Lucas refert (quem enim vel mediocri prudentiâ præditum non moveat et flectat divina vis, quæ in rebus gestis Christi Christianæque reipublicæ oraculis prophetarum tàm longâ antè ætate, tàm minutè, tàm certò, tàm copiosè, tàm uno tot virorum consensu prædictis denuntiatisque admirabili veritate elucet?) Eam ob rem etiam ad gentes hoc argumentum persecuti sunt sancti Patres, ut quæ religio christiana tenet, in libris Judæorum consignata per viros à Deo afflatos exponerent, quod in utrâque apologiâ pro Christianis idem martyr Justinus effecit. Communiter verò ad omnes sive Judæos, sive Gentiles, sive etiam Christianos perscripsit Cæsariensis Eusebius doctissimum opus de evangelicâ demonstratione, totis decem libris copiosissimè ostendens omnia quæ de Christo religio nostra tenet asserta divinitùs, atque innumerabilibus prophetarum oraculis prædicata. Divus verò Augustinus etsi minùs operosè, sed aptè satis ipse quoque eumdem modum secutus est in quâdam magni illius de civitate Dei operis parte, hoc est, in decimo sexto, in decimo septimo, et decimo octavo libro. Quod argumentum etiam beatus Prosper, et copiosè tractavit et eleganter, in suo de divinis prædictionibus opere. Nam qui ex novo Testamento, legis et prophetarum adversarios expugnarent Manichæos, et Gnosticos et Cerdonianos, fuère complures quos jam retuli, imprimisque is ipse Pater in toto opere adversùs Faustum atque aliàs sæpè defendens veterum Patrum innocentiam et mores pro illâ ætate justissimos. Quod etiam facit Epiphanius, atque utroque superior Irenæus. Quarè ex mutuâ collatione legis et Evangelii triplicem fructum capimus, si vera sunt ea quæ diximus, quod Judæi confunduntur, quod Gentiles conciliantur, quod Hæretici deteguntur.

CAPUT VII.

Fideles valdè confirmari utroque Testamento mutuò collato.

Neque verò inferior est utilitas fidelium in utrâque Scripturâ comparandâ. Primùm enim fides stabilitur et crescit, deindè intelligendis Scripturis quædam magnitudo lucis affertur, tùm meditandis salutaribus mysteriis, atque animo altè infigendis de unâquâque re congestæ utrinque divinæ voces plurimùm valent: demùm instructioni populi Christiani, ut aptè copioséque fiat ab iis quorum interest Dei verbum tractare, conducit. Quæ à me breviter enumerata uberiùs paulò exponenda sunt.

Ergò fidem in nobis, ut gignitur divino verbo, eodem quoque ali et augeri ac perfici, nemo contradicet. Consensus verò cœlestium omnium verborum atque idem ubique veritatis Spiritus, nisi de unoquoque capite sententiæ variæ locis ac temporibus, non solùm auctoribus, maximè diversis, mirificè inter se conspirantes uno velut aspectu objiciantur, perspici facilè non potest : simul verò composita, atque ex longissimè distantibus locis in unum collata, dici non potest, quam fidei lætitiam, quos cumulos afferat. Apollinem per Scripturas Jesum probantem multùm contulisse iis qui crediderant, suprà jam ex Lucâ protulimus. Quare à se quidem plantatos Paulus Corinthios admonet, ab Apolline autem rigatos. Ut enim stirpes teneræ atque copiâ coalescunt et et augentur, ità novi fideles sapientià illius viri eloquentis et Scripturarum imbre creverunt, Deo scilicet præstante incrementum. Ac cùm multa et magna sint argumenta, qui testimonia Dei nostri credibilia facta sunt nimis, ut habet psalmus, illud nullo modo inferius est cæteris, fortassis etiam superat omnia, quod in maximâ eloquiorum Dei et multitudine et varietate mirabilis quidem consensus et suprà omnem humanam cogitationem atque artem sibi undique constans pulcherrimè elucet. Est enim summæ veritatis solius ut sibi per omnia constet. Humana ingenia quantàcumque industriâ et facultate polleant, vel sibi ipsis vel veritati interdùm contradicant necesse est. Itaque summi philosophi atque excellentes legum latores discrepare ac dissidere quodammodò à se, ab iis qui accuratiùs eorum scripta relegunt, deprehendi solent. At divinas Scripturas, cùm ab auctoribus non solùm diversis, sed multis sæculis, et toto dicendi genere inter se maximè remotis proditæ sint, quicumque legunt, quâ par est attentione, et Dei dono intelligunt, omninò est incredibile dictu quàm ex illarum mutuò collatarum concordantiâ, et veluti symphoniâ, reddantur attoniti : ut cogantur quemadmodùm singula Dei opera, bona, omnia autem, bona valdè probantur; ità eloquia illius singula quidem vera per se, sed omnia simul pronuntiare verissima. Quia enim omnes utriusque Testamenti Patres eumdem fidei Spiritum acceperunt, eumdem Deum, eumdem Christum Dominum nobis consonant, tanquàm per diversa foramina fistulæ, ejusdem spiritus vox artificiosa concentum jucundissimum faciat. Hæc planè sunt duo illa Seraphim, ut scriptores haud vulgares volunt, sibi mutuò respondentia ac reddentia vocem eamdem in laudatione ter sancti atque omnipotentis Dei. Duo quippè Testamenta unum atque eumdem Regem gloriæ celebrantia sibi perpetuò consonant. Quare Thessalonicenses illi nobiles, quorum suprà mentionem fecimus, cùm ab Apostolo Christi Evangelium audissent atque assensi essent, tamen quotidianâ diligentiâ veteres scripturas investigantes, utrum ne illa ipsa ibi essent, quæ docebat Paulus, ubi omnia convenire deprehenderunt robustas in fide radices egêre.

CAPUT VIII.

Lucem magnam afferri cognitioni Scripturæ sacræ utriusque paginæ collatione.

Ad comparandam verò germanam Scripturarum intelligentiam, nihil æquè confert ac Testamenti utriusque de rebus iisdem auctoritates collatæ. Namque, ut Augustinus præclarè docet, nusquàm meliùs scripturæ sensum discimus quàm in scripturâ, quòd apertè una doceat quod alia dixit obscuriùs. Ità fit ut familiaris veluti consuetudo divinorum eloquiorum promptam et expeditam quamdam facultatem pariat, intelligendis iis, quæ per ænigmata alioqui dici viderentur, atque ità ambiguè, ut vix quò essent referenda constaret. Quid, quòd totius veteris Testamenti, ut sæpè jam diximus, finis atque institutum Christus est, cujus novum nihil aliud est quàm manifesta annuntiatio? Itaque quicquid illic occultum est, hìc velut luce infusâ patefit, claveque David allatâ, quòd clausum tradidêre majores nostri ad felicitatem hæredis Christiani populi reseratum est. Nonne hoc dixit brevissimè et absolutissimè Paulus, cùm loquens de veteri Testamento in Christo evacuari, hoc est, aperiri prodique dixit? Meritò Apostoli cùm sine intellectu propemodum essent, usque adeò ut apertè docentem futuram crucis passionem non intelligerent, tamen ubi et passus et crucifixus est, et surrexit à mortuis, spiritum ex ore ipsius hauserunt, ut intelligerent Scripturas. Neque enim est alia ratio sacras Scripturas intelligendi, nisi ex cognitione et fide Jesu qui mortuus est propter peccata nostra, et resurrexit propter justificationem nostram. Igitur si quæ gesta per Christum sunt, cum iis ordine conferamus, quæ à prophetis de illo prædicta sunt, dubium esse non potest, quin optimam atque clarissimam interpretandi rationem secuturi simus. Solent notæ longam atque ignotam navigationem facturi descriptionem à pe-

ritis earum regionum laboratam diligentissime inspicere, et ad singula penè momenta cum iis conferre quæ occurrunt. Quæ littora, quæ promontaria, qui sinus, rupes, scopuli, vada, omnia illic examinant, atque ipsius picturæ ad vera quæ vident, comparatione, et multa meliùs in descriptione intelligunt, quæ erant obscura in expertis, et in ipso suo itinere animadvertunt notata non pauca; quæ nisi descriptâ chartâ admonerentur, facilè præterirent. Tùm verò mirificè exultant atque instrumenti sui fidem probatam rebus, ad cœlum tollunt. Ità prorsùs mihi, in Prophetis et Evangelio accidere contemplanti, videtur. Nam quia antiquis omnia in figurâ contingebant, atque omnes prænuntiabant de adventu Justi, remissionem peccatorum per unum Christum pollicentes, quem proposuit propitiatorem omnibus in sanguine ipsius, ut divinæ litteræ tradunt, nec esse profectò est, ut vicariam sibi operam lex vetus et nova mutuò præstent, atque ex cognitione alterius pleniùs alterum innotescat: Ità, quod sæpè dixi, Prophetæ Evangelio testimonium perhibent fidemque conciliant; Evangelium Prophetis vicissìm auctoritatem atque inintelligentiam tribuit. Quæ omnia in unum collata, cùm caput quodvis consideratur, ut de Sacerdotio Christi, aut de regno, aut de opprobriis, et cruce, aut de adventu ultimo, admirabilem sibi mutuò lucem afferunt, fructusque pariunt gustatu jucundissimos, ac veluti thesauros exquisitos et copiosos Sapientiæ studiosi produnt: quibus illud usu venit, quod beatus Psaltes de se canebat: *Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa.* Id mihi quoque accidisse fateor, cùm adjeci animum ad colligendas utriusque Testamenti de Christo scripturas, atque ordine, qui mihi visus est commodissimus, de unoquoque capite congressi quæ memoriæ potuerunt occurrere ex nonnullâ sacrorum Bibliorum meditatione quæsita. Ità enim alias aliis scripturis et aperiri et ditari, et magnificum Dei Spiritum omnia prospicientem inter se conjunctas referre, animadverti, ut quod regina illa de Salomonis sapientiâ dixit, plus longè se esse expertam quàm fama accepisset, id ego mecum seriò jactarem, multò ampliùs mihi contulisse cœlestis hujus sapientiæ verba, aure cordis auscultavisse, ac de re quâvis quid illa vel in novo vel in veteri instrumento produceret, consuluisse, quam mirificis licèt, et grandibus sanctorum Patrum præconiis credidissem.

CAPUT IX.

Ad pietatis studium inflammandum, valere plurimum Testimonia varia de Christo in unum collata.

Sed si adhuc etiam addiderim ad pietatis studium non parùm accessionis fieri, accuratâ de Christo revelato utriusque paginæ collatione, nihil vel novum vel inexpertum dixero. Quamvis enim ad Christi Jesu divitias, quas meritò ininvestigabiles Paulus appellat, cognoscendas ac desiderandas Evangelica atque Apostolica doctrina sufficiat, tamen nescio quomodo his adjuncta ac benè commixta prophetica quoque tot oraculis prædictionibusque plenissima admirabili Christi suavitate animum implet. Ità Joannes vidisse se narrat *eos, qui vicerunt bestiam habentes cytharas Dei, cantantes canticum Moysi servi Dei, et canticum agni.* Neque enim aliud est Mosis totiusque Legis canticum, aliud Agni; sed unum atque idem omnes divini cytharædi carmen sonant: Regis nostri gloriam, atque agni nuptias epithalamiumque celebrantes. Hanc sanctarum Scripturarum meditationem pietate plenissimam, magnus doctor Paulus Timotheo illis verbis commendat.: *Tu verò permane in iis quæ didicisti, et credita sunt tibi, sciens à quo didiceris, et quia ab infantiâ sacras litteras nôsti, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem quæ est in Christo Jesu. Omnis scriptura divinitùs inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitiâ, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* En tibi ex Paulo universæ Scripturæ sacræ fructum, ut instruamur ad salutem per fidem et agnitionem Jesu Christi. Hic est ille cubitus apud Ezechielem, in quo uterque murus templi, id est, vetus et novum Testamentum jungitur, in quo etiam omnis fabricatio arcæ Noe consummatur, ut benè Hieronymus admonet. Omnis enim divina Scriptura, ut Augustino placet, nihil aliud quàm Christum annuntiat, et charitatem docet. Quare studiosa et sincera meditatio Scripturæ, quantùm ad Christi Jesu cognitionem et dilectionem excitandam inflammandamque conducat, meliùs res ipsa quamvis docebit expertum, quam verbis ullis exprimi potest. Ego verò sæpè mirari soleo hujus sæculi mores. Cùm nihil enim sit ad pietatem veramque in Deum devotionem parandam, divinorum librorum lectione potentius, nihil à sanctis Patribus majoribus nostris vel in se usurpatum magis, vel aliis ad proficiendum in viâ Dei commendatum, tamen hâc ætate vix unum aut alterum reperias, qui Bi-

blia sacra hoc instituto relegat; alios nescio quos libellos et opuscula adeunt, cùm mente in Deum assurgere cupiunt, atque animum expurgare à vitiis. Bona illa quidem et pia et salutaria opuscula, sed cùm Evangeliorum aut apostolicæ doctrinæ, aut sapientiæ aut prophetarum libris non magis comparanda, quàm cum sole lucerna exigua. Itaque Biblia sacra cùm aperiunt, aut discunt, aut versant, totum illud negotium veluti artificiale habetur, in aliosque refertur, videlicet, ut concionentur, ut de cathedrâ doceant, qui optimè, ut cognitionem Scripturæ sibi pariant tanquàm scientiæ cujuspiam nobilioris. O nos planè hebetes, et ad divinas litteras hauriendas cæcos, ubi maximè vel unicè potiùs, spiritus loquitur, ibi spiritum minimè quærimus. Et putamus nos dulcissimos ac jucundissimos fructus vitalis ligni posse percipere, cùm alio instituto carpamus, alio alii producti sint. Quid aliud hoc quàm quod pueri faciunt nuces ad ludendum, nucleo neque aperto vellentes? Quandò ille secùs, cui *eloquia Domini dulciora super mel et favum*, cui *super aurum et topazium cara*, aut ille cui *ignita jacula, et ad omnem hostis vim retundendam quovis clypeo fortiora*, aut ille cui *nullus alius cibus ad nutriendam vitam, nulla ad recreandam sitim fluenta uberiora?* Christus nempè erat petra, de quâ illi avidissimè hauriebant. Et sicut dicit Scriptura, si quis indè biberit, non solùm fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam, verùm et de ventre ejus fluent flumina aquæ vivæ ex quibus alii omnes, non solùm homines mente præditi, sed jumenta etiam, hoc est, indocta et rudis plebs ubertim refici ac satiari queat. Hanc Scripturæ utriusque in Christo revelando ac celebrando concinnitatem, beatus pater Augustinus tanti facit, ut ad Januarium scribat : « Quis hanc lætitiam divinorum sacramentorum, cùm sanæ doctrinæ luce clarescunt, non præferat universi mundi hujus imperiis, etiam inusitatâ felicitate pacatis? Nonne tanquàm duo Seraphim clamant ad invicem concinentiam laudis Altissimo, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth : ità duo Testamenta fideliter concordantia sacratam concinunt veritatem Deo? Occiditur ovis, celebratur pascha, et interpositis quinquaginta diebus datur lex ad timorem scripta digito Dei. Occiditur Christus, qui tanquàm ovis ad immolandum ductus est, sicut Isaias testatur, celebratur verum pascha, et interpositis quinquaginta diebus datur ad charitatem spiritus sanctus, qui est digitus Dei, etc. » Hujus igitur generis divitias in lectione ac meditatione utriusque Scripturæ de Christo, plurimas invenit, quicumque studiosè quærit, ac copiosis scientiæ et intellectûs in Christo spoliis, ut David loquitur, vehementer delectatur atque exultat.

CAPUT X.

Ad docendi atque exhortandi munus, opus esse notitiâ accuratâ utriusque Testamenti.

Neque verò cœleste talentum nactus occultandum putat, sed cum aliorum utilitate multiplicat : Et Sapientiam Dei, qui est Christus, ut sine fictione discit, ità sine invidiâ communicat. Infinitus enim est, ut ait Sapiens, thesaurus hominibus; quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei. Erit ergò doctus scriba in regno cælorum, qui de hoc thesauro profert nova et vetera, hoc est tùm novi, tùm veteris Testamenti de Christi mysterio electas distinctasque sententias. Ac jure nova priùs, deindè vetera commemoravit Christus, quemadmodùm Augustinus exposuit, secutusque ipse est, quod in mysteriis Christi, et Ecclesiæ, quæ duæ veluti claves quicquid divini continent, signatum claudunt, primùm docendus sit populus fidelis quæ Evangelica atque Apostolica doctrina teneat, posthàc legis et Prophetarum oraculis eadem munienda, exornanda, amplificandaque sunt. Hic enim est *aureus ille forceps* apud Isaiam, *ad cœlestem carbonem de altari prendendum, ac Prophetæ labia purganda comparatus*, qui nexu duplicis aciei, utriusque Testamenti in Christo (cœlesti scilicet ignitoque carbone) comprehendendo atque exhibendo, ut sanctus Hieronymus vult, manifestè figuram tenet. Est *rota* quoque *in medio rotæ* quam vidit Ezechiel : quem locum quoniam explicat divinè Gregorius, verba illius subjiciam. « Rota intrà rotam est Testamentum novum, sicut diximus, intrà Testamentum vetus, quia quod designavit Testamentum vetus, hoc Testamentum novum exhibuit. » Et post nonnulla : « Quid est quod in Tabernaculo propitiatorium fieri jubetur, super quod duo cherubim, unum à summitate una et alterum à summitate alia, ex auro mundissimo ponuntur expandentes alas, et operientes oraculum? Quid est, quod se mutuò respiciunt, versis vultibus in propitiatorium, nisi quod utraque Testamenta ità sibi in mediatorem Dei et hominum concordant, ut quod unum designat, hoc alterum exhibeat? quid enim per propitiatorium nisi ipse Redemptor humani generis designatur?

De quo per Paulum dicitur : *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius.* Quid verò per duo cherubim, quæ plenitudo scientiæ dicuntur, nisi utraque Testamenta signata sunt ? Ex quibus unum à summitate una propitiatorii, alterum à summitate alterâ stat : quia quod Testamentum vetus de incarnatione nostri Redemptoris cœpit prophetando promittere, hoc Testamentum novum perfectè narrat expletum : duo autem cherubim ex auro mundissimo facta sunt, quia utraque Testamenta purâ ac simplici veritate describuntur. Expandunt verò alas, et oraculum operiunt, quia nos qui omnipotentis Dei oraculum sumus, à culpis imminentibus Scripturæ sacræ ædificatione protegimur. Cujus dùm sententias sollicitè aspicimus, ab errore ignorantiæ ejus alis velamur. Duo ergò cherubim in se mutuò respiciunt, versis vultibus in propitiatorium, quia utraque Testamenta in nullo à se discrepant. Et quasi ad semetipsa vicissim facies tenent, quia quod unum promittit, hoc aliud exhibet, dùm inter se positum mediatorem Dei et hominum vident. Facies quippè à semetipsis cherubim averterent, si quod unum Testamentum promitteret, aliud negaret. Sed dùm concorditer de mediatore Dei et hominum loquuntur, ut vicissim se respiciant in propitiatorium intendunt. Rota ergò in medio rotæ est, quia inest Testamento veteri Testamentum novum. Prophetia ergò Testamenti novi Testamentum vetus est, expositio Testamenti veteris Testamentum novum. » Tàm multa ex beato illo Patre repetivimus, quod neque pulchrius quicquam, neque verius de utriusque Testamenti in Christo consonantiâ afferri posse videatur. Quamvis autem cognitio Christi ex Scripturis petenda sit, tamen possunt fideles homines simplicitate fidei contenti, per Christi imitationem usque ad ipsius perfectam notitiam pervenire ; sed qui non solùm seipsos, sed alios etiam ædificare atque instruere debent, omninò id sine diligenti Scripturarum tractatione præstare non possunt. « Homo enim, ut Augustinus scribit, fide et spe et charitate subnixus, eaque inconcussè retinens, non indiget scripturis nisi ad alios instituendos. Itaque, multi, inquit, per hæc tria in solitudine sine codicibus vivunt. » At eum quem familiæ suæ Dominus præficit, oportet, juxtà Paulum, esse doctorem, ut possit exhortari in doctrinâ sanâ, et eos qui contradicunt arguere. Itaque lectioni sacræ vacet necesse est. Confert verò magnoperè quæ fusè et mixtim in Scripturâ traduntur, ea in locos certos et capita distribuere : in quibus quæ sunt ejusdem rationis, ordine collocentur. Hoc et ad memoriam valet, et ad inveniendi promptitudinem, et ipsam demùm intelligentiam mirificè juvat.

CAPUT XI.

Quemadmodum Ecclesiasticis concionibus habendis, Christi cognitio ex Scripturis usui sit.

Inter omnia verò quæ de divinis Scripturis erui possunt, nihil Christiano doctori, Ecclesiasticoque oratori perindè utile vel necessarium potiùs occurret, ac de Christo Domino familiaria habere atque ordine collocata testimonia, ut cœlesti hoc promptuario in omnem usum locuples sit. Paulus quidem inter Corinthios *nihil se* arbitrabatur *scire, nisi Christum* atque hunc *crucifixum.* Hunc discere atque in hoc edoctos esse omnes exhortabatur. *Hæc est,* inquit, *lex, vestra sapientia coràm populis :* Quoniam ergo de Christo sermonem creberrimè incidere necesse est, permagni refert, quæ de Christo tradit Scriptura, in promptu habere. Deindè cùm per anni curriculum, Christi et doctrinam et gestas res Ecclesia commemoret, atque ea potissimùm decantet, et tanquam propria Christiani populi instituta proponat, quis dubitat quantoperè instructum ad quasvis Ecclesiasticas conciones is se habiturus sit, qui Christi mysterium, magnitudinem, beneficia, exempla, cæteraque optimè teneat ? Nam cùm dies ii festi incidunt, incidunt autem per annum plurimi, quibus peculiaria Christi mysteria celebrantur, de iis ipsis loqui ad ædificationem atque instructionem fidelium, non potest sine gravi querelâ prætermittere Ecclesiasticus orator ; quod aptè copiosè ac pro dignitate præstare minimè potest, cui non fuerint de eâ re cognita utriusque Scripturæ divinæ oracula. Itaque cùm de natali Christi, cùm de apparitione, cùm de miraculis, cùm de passione et morte, cùm de resurrectione cæterisque dicendum erit, proferet sanè de thesauro suo nova et vetera : neque unquam exhaustum sibi queretur, aut causabitur, qui quò plura expenderit, eò sibi copiosiùs affluere experietur, modò sugere hæc sponsæ ubera premereque non cesset. Postremò si nulla est perfecta virtus, cujus non sit exemplum singulare Christus Jesus, de quâ, oro, re catholico ac pio viro esse sermo poterit, ex quo non statim ad Christum tanquam ad bonorum omnium lumen gradus fiat ? Itaque de patientiâ, de

humilitate, de contemptu sæculi, de benignitate in proximos, de pietate ardente in Deum, de quovis denique argumento dicturus, nihil sibi potiùs existimabit, quàm ut illa ipse quæ vel celebrat vel commendat, vel admonet, in Christo qualia fuerint, ostendat, et vivâ veluti formâ ipsis oculis exhibeat. Est enim totius Christianæ ædificationis exemplar, quod divinitus est hominibus in excelso monte monstratum, secùndum quod cuncta quæ gerimus fabricare jubemur, in quo omnis structurâ crescit augmentum corporis factus : in quo et *nos superædificamur lapides vivi, domus spiritualis*, ut offerantur Deo *hostiæ spirituales* gratiæ atque *acceptæ per Jesum Christum.*

CAPUT XII.

Cur divina Scriptura vocetur Testamentum

Satis de scopo divinæ Scripturæ, qui unus est Christus, ac de utilitate conferendi ex utroque Testamento quæ de Christo traduntur, hactenùs disseruimus. Jàm de distributione differentiisque scripturarum, quæ Christum nobis annuntiant, aliquid necessariò dicendum erit, tùm de ratione et phrasi divinorum eloquiorum, in quibus admirabili dispositione sermonum Dei, ità sunt omnia plena Christo, et tamen clausa, ut neque sapientes plura desiderare, neque ignavi et indigni quicquam ferè percipere possint. Id enim ab Isaiâ prædictum est, ubi Dominus suos ad hunc modum alloquitur : « Et erit vobis in sanctificationem. In lapidem autem offensionis et in petram scandali, duabus domibus Israel, in laqueum et in ruinam habitantibus Hierusalem. Et offendent ex eis plurimi et cadent et conterentur, et irretientur et capientur. » Hoc quoque à Prophetâ declaratum est cùm dixit : « fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum et in retributiones et in scandalum, » quod in Christi cognitione vehementer impegerint : quod ille considerans : *beatus*, inquit, *qui non fuerit scandalizatus in me*. At *oves* Christi *vocem ejus agnoscunt*, cæteris diffugientibus eumque adversantibus. Itaque Isaias adjungit et sequitur : *liga testimonium, signa legem in discipulis meis; et expectabo Dominum qui abscondit faciem suam à domo Jacob.* Hanc igitur sermonum Dei mirabilem arcanumque facultatem, quantùm Dei gratia suggesserit, explicare conabimur, si primùm cur Scripturam suam Testamenti nomine Deus noster appellari voluerit, et cur duplex Testamentum sanxerit, exposuerimus.

Omnis quidem *scriptura divina Testamentum dicitur*, quod veluti *pacta conventa inter Deum et homines contineat.* Itaque *Testamentum, pactum, fœdus*, et si qua sunt talia, pro eodem habentur n divinis litteris : quod vocabulum Hebraicum *Berith*, teste Hieronimo, satis indicat. Annotavit quippè, quòd ubicunque in Græco *Testamentum* legimus, ibi in Hebræo sermone sit, *fœdus*, sive *pactum*, id est, *Berith.* Idemque aliàs scribit, ad hunc modum : « Si quis diligenter Hebræa volumina, et cæteras editiones cum septuaginta Interpretum translatione contulerit, inveniet ubi Testamentum scriptum est, non Testamentum sonare, sed pactum, quod Hebræo sermone dicitur, Berith. » Pactum verò cur dici putamus Scripturam sacram, nisi quod inde promissiones Dei, hinc hominum obsequia certâ stipulatione contineat? Ac si quis penitùs consideret, animadvertet profectò, inter homines pactum de iis iniri, quæ cùm anteà non deberentur vel deberi non putarentur, ipso pacto certa, rata ac debita fiant. Itaque pactione efficitur, ut jus novum quæratur alterutri, vel potiùs ambobus, qui inter se de re aliquâ pascuntur. Sic se res habet, sive de servitute, sive de conjugio, de adoptione, de societate, de collegio, de ineundâ hæreditate, de cæteris denique humanæ vitæ contractibus omnibus ratio fiat, ut quæ pacto firmantur, ea anteà libera haberentur : deindè intervenit mutua fides utramque partem in unâ societate constringens. Exempli causâ, hic quidem ut militet paciscitur, ille ut stipendia præbeat : alteri incumbit ut serviat cùm famulatui addicit, alteri cibo domoque ut excipiat. Ergo cùm divinæ litteræ Testamentum, sive quod idem est, pactum Dei nominant, illud primum cogitare debemus, aliquid novum, magnum, minimèque hominibus debitum esse, quod sponte suâ summus ille rerum omnium Dominus offerat nobis. Hæ sunt promissiones bonorùm æternorum ac supercœlestium, quæ nulli creatæ naturæ debentur neque humanæ, neque Angelicæ verò, quia sunt propria deitatis ipsius. *Maxima*, inquit B. Petrus, *et pretiosa nobis promissa donavit, ut divinæ efficiamur consortes naturæ.* Quo quid potuit altius dici? Quin potius ne cogitari quidem potuit, *siquidem oculus non vidit neque auris audivit, neque in cor hominis ascenderunt quæ præparavit Deus expectantibus se : nobis verò, ait, revelavit Deus per Spiritum suum.* Jam verò quoniam bona tanta se daturum pepigit Deus, quæ nec na-

turæ hominum, nec meritis debebantur, quæ proindè supernaturalia Theologi rectissimè appellant, atque hujus tantæ donationis nullum esse poterat firmamentum, ubi erat immensa disparitas, nisi Dei verbum, atque ejus, qui non mentitur, neque mutatur, certa pollicitatio, ut utrinque contractus atque societas iniretur, necesse fuit, homines, primùm ut Dei dictis fidem haberent, deindè ut ea sperarent, quæ ipsorum quoque captum excedunt, atque ità demum obsequentes et sibi imperata facientes, promissa bona consequerentur. Atque hoc est totum Dei Testamentum, hoc pactum, hæc scriptura, hoc stipulationis sempiternæ monumentum. Ubi quis non videt totius humanæ justitiæ coràm Deo, primum fundamentum esse fidem, quam pulcherrimè Apostolus definit, *sperandarum substantiam rerum argumentum non apparentium?* Ut enim Deus vitam, ac felicitatem supernaturalem pollicetur, ità exigit fidem de iis quoque supernaturalem, idque meritò. Nam si verbo suo ac pollicitatione sese ipse astringit ad ea conferenda, quæ naturâ nostrâ omnibus modis superiora sunt, ac nulla ratione debita, æquissimum est reverà, ut homo etiam fidem Deo habeat, quamvis omnem humanam rationem superent, quæ jubetur sperare, vitamque Deo dignam instituat. Atque hoc modo fit, ut pactum utrinque constet : siquidem Deus divinitatem pollicetur homini, homo Deo intellectum ac voluntatem ad superhumana devovet ac devincit. Quod quoniam præstare ipse per se non potest, quòd omnes vires humanas excedat tanta res, ut possit, divinitùs adjuvatur, eâdem ipsâ gratiâ, quâ vocatur ad divinum consortium, inspirante, et agente, et perficiente, ut credat, ut speret, ut diligat, ut denique dignè Deo vivat; atque hâc fide vivâ erectus ad illa æterna bona, hæc caduca contemnat, adversa omnia patienter ferat, nihil in omni rerum humanorum eventu divinæ amicitiæ felicitatique præponat. Itaque Testamento pactoque sacro sanctoDeo astringit fidem suam, et vitam æternam, et quæcumque ad illam opportuna sunt pollicetur : ac proindè fidem hominis exigit talem, ut vitæ æternæ cuncta postponat, quod solum potest præstare fides viva atque efficax, quæ per dilectionem operatur. Hùc omnis divina Scriptura tendit, hæc summa est totius Testamenti. *Quæcumque enim scripta sunt,* ait Paulus, *ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam, et consolationem Scripturarum, spem habeamus.* Quod autem pacti inierit Deus cum hominibus, propheta declarat illis verbis : *en Dominus elegit te hodiè, ut sis ei populus peculiaris, sicut locutus est tibi, et custodias omnia præcepta illius, et faciet te excelsiorem cunctis gentibus quas creavit in laudem, et nomen et gloriam suam, ut sis populus sanctus Domini Dei tui.* Et in alio loco : *ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis, et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus.* Quod rursus Apostolus explicat. Cum enim lege scriptum sit : *Ponam tabernaculum meum in medio vestri : et non abjiciet vos anima mea : Ambulabo inter vos, et ero Deus vester, vosque eritis populus meus.* Paulus ad Ecclesiæ filios referens, ita loquitur : *vos estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus. Quoniam inhabitabo in illis*, et cætera ex Levitico, quibus adjungit Hieremiæ verba : *Ego recipiam vos, et ero vobis in patrem, et vos eritis mihi in filios et filias, dicit Dominus omnipotens.*

CAPUT XIII.

Testamentum dici Scripturam sacram non solùm ratione communi pacti, sed etiam speciali, paternæ hæreditatis adeundæ.

Divinum igitur statum suprà omnem humanam conditionem positum, quem neque natura consequi, neque philosophia sapientum hujus sæculi deprehendere potest, solâ Dei gratiâ et voluntate constantem, solâ etiam fide divinitùs infusâ comprehensum, sacra et arcana nobis Scriptura declarat; quam idcircò maximè Testamentum sive pactum appellari, satis, ut opinor, ostendimus. Hujus enim super humanæ civitatis societatisque gloriam, in quâ etiam ipse est ascriptus et annumeratus, qui eam fundavit Altissimus, Dominus narrat, juxta Psalmum : In Scripturis populorum et principum horum qui fuerunt in eâ. Et quoniam initum à Deo cum hominibus pactum ejusmodi est, ut nullâ verborum vi exprimi possit, imperitiæ nostræ consulens Spiritus sanctus multis diversisque vocabulis ex humano usu petitis, rei nobis magnitudinem proponit. Nullum enim humanæ societatis conjunctionisque genus est, quod inter Deum et homines non usurpet. Joannes quidem communiter societatem vocat cum Paulo. Hic *vocatos nos esse in societatem filii Dei* : ille, *societatem nos habere cum patre et cum filio ejus Jesu Christo.* Ipse Christus *amicos* nos dignatur, et vocat. Servos Domini acquisitos et charos omnis propemodum pagina sacra demonstrat. Regni ac Regis plurima mentio est. Uxorem quoque ac virum, sive sponsam et

sponsum, et Apostolicus et Propheticus sermo celebrat : ubi etiam Deum nos sibi desponsasse in fide legimus, zelo quoque ardentem uxorio, violati thori jura expostulare. Quibus sane modis illud agitur, ut arctissima quædam atque inenarrabilis creatoris cum suâ creaturâ conjunctio ex pacto ipsius, hoc est, ex merâ gratiâ, aliquâ ex parte deprehendatur. Sed inter omnes humanarum conjunctionum differentias, *paternam* maximè celebrat Scriptura, quod parentis ac filiorum ratio, omnes propemodum leges divinæ nostræ conjunctionis declaret. Filios autem dico non naturâ sed adoptione : qui in bona paterna succedunt non naturali debito, sed legali ac voluntariâ institutione parentis. Quam institutionem capessendæ hæreditatis proprio jam nomine Testamentum vocandum censuit optimus pater Deus. Itaque Paulus utrumque conjungit, adoptionem et Testamentum : *Quorum adoptio est, inquit, filiorum et gloria, et Testamentum, et legislatio, et obsequium, et promissa.* Atque illud quod ex Hieremia sumptum Apostolica auctoritate produxit : *Ero vobis in patrem, et vos eritis mihi in filios et filias.* Quod hic *adoptionem* dixit, alius Apostolus *voluntariam generationem* definivit : *voluntariè,* inquit, *genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus* gratiam, initium creaturæ appellans, quemadmodum novam creaturam Paulus. Ex quo fit, ut *hæreditatis copiosæ atque æternæ* creberrima in Scripturis mentio sit : *In hæreditatem nos immarcessibilem et incontaminatam regeneratos, et secundùm spem hæredes esse vitæ æternæ, et hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi,* et Deum esse *partem nostram et sortem atque hæreditatem,* aliaque innumera legimus, quibus abundè instituimur, quæ sit species et ratio divini Testamenti. Nam præter communem illam pacti rationem, etiam hanc peculiarem Testamenti didicimus, ubi filii adoptivi in paternam hæreditatem gratiâ non naturâ vocantur. Accedit ad hæc quod inter omnia pacta conventa, nihil in rebus humanis Testamento certius aut firmius. Ob eam rem promissionem suam Deus Testamentum vocari voluit, firmitudinem voluntatis suæ eâ voce declarans. Quod sanè Apostolus illis verbis ostendit : « Abundantius « volens Deus ostendere pollicitationis hære- « dibus immobilitatem consilii sui, interposuit « jusjurandum, ut per duas res immobiles, « quibus impossibile est mentiri Deum, fortis- « simum solatium habeamus, qui confugimus « ad tenendam propositam spem. » Quibus expositis perspicuum est, cur divina Scriptura Testamentum vocetur, quamque id aptè fiat tùm ratione illâ communi pacti et fœderis inter Deum et homines initi, tùm verò hâc propriâ et peculiari, quâ filii Dei adoptantur, et æternæ vitæ hæredes instituuntur.

CAPUT XIV.

Quod novum Testamentum Christi morte firmatum sit.

At interpellabit nos fortasse aliquis, falsò Testamenti propriam rationem et nomen divinæ pollicitationi à nobis asseri, cùm planè constet, hæreditatem non adiri ex Testamento, nisi è vivis decedente institutore. Itaque cœlestis regni possessionem ac promissionem et pactum quod Scriptura continet, donationis potiùs aut si quod est alius melius verbum ad vivos pertinens, quàm Testamenti formam tenere. Neque enim Deus bona unquam relinquet sua. Sed eam disputationem elegantissimè Paulus absolvet. Is ad Hebræos, commendans Christi passionem et mortem vel hâc ratione fuisse necessariam, ut hæreditatem nostram divino Testamento præstitam adire possemus, ità scribit : « Et ideo novi Testamenti media- « tor est Christus, ut morte intercedente in « redemptionem earum prævaricationum, quæ « erant sub priori Testamento repromissionem « accipiant, qui vocati sunt æternæ hæredita- « tis. Ubi enim Testamentum est, mors necesse « est intercedat testatoris. Testamentum enim « in mortuis confirmatum est : alioquin non- « dùm valet, dùm vivit qui testatus est. » Prorsùs hoc agit Paulus, hoc vult : Dei promissa non fuisse habitura unquam effectum suum, nisi Christi sanguis et mors intercederet. Atque ob eam causam hæredes jam olim vocatos, hoc est, justos antiquos, ab hæreditate dilatos, donec ipse qui instituerat Deus, morte sua pactum redderet firmum. Quare benè atque aptè Testamentum Dei eam pollicitationem appellatam, quòd hæreditatem divinam non nisi per mortem hominis Dei sibi cessuram sperarent. Id quod illorum unus scitè proclamat Christum alloquens : *tu quoque in sanguine Testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua ;* ita significans libertatem Sanctorum qui in imo carcere tenebantur, non nisi Agni sanguine fuso futuram. Quem et sanguinem Testamenti appellat, quòd eo Dei promissio firmum ac immutabilem sortiretur eventum. Quare non solùm sanguis Testamenti dictus est, sed etiam Testamenti

æterni à Paulo : « Deus, inquit, pacis qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium in « sanguine Testamenti æterni, Dominum nostrum Jesum Christum. » Hic quis non altitudinem cœlestium eloquiorum admiretur? Cui non erit cum summâ jucunditate mirabilis unius voculæ notio? cùm ex Apostolo didicerit, cur Dei ad patres facta promissio, Testamentum divinitùs sit vocatum, ut ità demùm se in Dei filios ascriptos, et divinæ gloriæ hæredes futuros scirent, si Christi sanguine peccata, quibus tenebantur obnoxii, delenda cogitarent. An non disertè hoc et perspicuè jam moriturus ipse Christus exposuit, cùm in supremâ cœnâ Sacramentum calicis instituens suisque propinans, dixit : *hic est sanguis novi et æterni Testamenti qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Novi et æterni Testamenti dixit sanguinem suum, quamvis enim apud nullum Evangelistarum omnia ea verba extent, certissima tamen Ecclesiæ traditione, nec minori atque illorum est auctoritate dicta esse, qui Christiani sumus tenemus : ergo propterea æterni Testamenti sanguinem dixit, quòd morte suâ immutabilem prorsùs dispositionem, atque ut juridicè loquamur, ultimam voluntatem, suis quos in finem dilexit, atque omnium suorum hæredes fecit, testatus est. Neque enim sicut vetus Testamentum novo mutatum est, ità novum aliquo alio Testamento mutabitur, sed ratum, validum, efficax, æternumque erit. Namque *hominis confirmatum Testamentum nemo spernit, aut superordinat,* ait Paulus.

CAPUT XV.

Quid conveniat; quid etiam intersit inter novum et vetus Testamentum.

Quid autem causæ fuerit, cur vetus mutatum sit, et quid inter utrumque differat, deinceps dicendum est. Neque aliundè petendum est hoc quoque quod quæritur, quàm ex eodem optimo præceptore, qui postquàm novi Testamenti vim et efficaciam Christi morti tribuisset, illo themate posito : « Testamentum in mortuis confirmatum est, alioquin nondum valet, dum vivit, qui testatus est; » protinùs de vetere adjungit : « Undè nec primùm quidem sine sanguine dedicatum est : lecto enim omni mandato legis à Moyse universo populo, accipiens sanguinem vitulorum et hircorum cum aquâ et lanâ coccineâ et hyssopo ipsum quoque librum et omnem populum aspersit, dicens : Hic sanguis Testamenti, quod mandavit ad vos Deus. » Itaque vult prius Testamentum veluti simulacrum et characterem fuisse posterioris. Quare duo Dei Testamenta quodammodo unum sunt; neque enim, ut homines quia voluntatem mutant, Testamentum innovant, ità Deus se gessit; sed priore potiùs Testamento alterum futurum perfectum atque ultimum significavit; quod tunc condidit, cùm rerum ipsarum status commutatus est. Sunt ergò unum utraque, vel potiùs inter ambo convenit, primùm quòd ab eodem auctore atque eodem spiritu edita sunt : *Habentes,* ait Paulus, *eumdem spiritum fidei et nos credimus, propter quod et loquimur.* Et in Hieremiâ legimus : *Feriam domui Israel, et domui Juda fœdus novum.* Igitur Deus idem, idemque auctor utriusque Testamenti, quicquid delirent Severiani, et Gnostici, et Manichæi. Deinde, *ut effector, sic et finis utriusque Testamenti idem,* nempè Christus, *qui est finis legis ad salutem omni credenti. Lex enim spiritualis est,* Apostolo etiam teste, et *lex spiritus vitæ in Christo Jesu.* Quare uterque Cherubim in idem propitiatorium intendunt, eodem respiciunt, ut est suprà satis expositum, per unius Christi sanguinem remissionem peccatorum, et vitam æternam monstrantes hominibus. Igitur idem Deus, idem Christus, idem spiritus utriusque, eadem vita æterna ab utroque promissa, eadem hæreditas ipse Deus. Sed tamen formâ et modo discrepant plurimùm, tùm verò efficacia et vi : postremo firmitate atque universitate. Formam prioris Testamenti fuisse imperfectam ac rudem nemo ignorat, quòd temporalia et terrena ut in plurimum sonet, quòd in externis corporeisque actibus edocendis plurimùm immoretur; quòd sacrificia, cæremonias, observationesque et ritus propemodùm pueriles exigat. Sed magno id consilio à spiritu sancto gestum est, quòd genus hominum tunc puerile et rude, instar puerorum erudiendum esset : *Cùm essemus,* inquit, *parvuli, sub elementis mundi eramus servientes.* Nonne legis antiquæ propemodùm pudeat, nisi pueros instrui cogitemus, cùm et de purgando ventre talia præcepta illi populo data legimus, qualia puerulus acciperet à nutrice? « Habebis, inquit, locum extra castra ad quem egrediaris ad requisita naturæ, gerens paxillum in baltheo, cùmque sederis, fodies per circuitum, et egesta humo operies quo relevatus es. » Attamen hoc tam puerile præceptum quo sensu lex, quæ spiritualis est, et carnales velut carnaliter alloquitur, accipi velit, sapienti indicat statim : Dominus enim Deus tuus ambulat in medio castrorum,

ut eruat te et tradat tibi inimicos tuos, et sint, castra tua sancta, et nihil in eis appareat fœditatis, ne derelinquat te. Ergò hæc eò spectant omnia, ut, qui conscientiam suam sordibus contractis exonerandam cupiat, ità sibi consulat, ut ne alios offendat, petat secretum, nec cæteros flagitiorum suorum fœtore corrumpat. Denique confessionis sacramentalis secretum esse summum admonet, ut benè à nobis esse dictum intelligas, utrumque Testamentum fine esse idem, sed formà diversum. Quam exempli producti rationem, cùm ad cætera accommodaveris, invenies profectò quod dixi esse verissimum. Hinc jam secundùm illud discrimen oritur, ut vetus inefficax atque infirmum fuerit, novum perfectum et validum. Nam *lex per Moysem data est, gratia* et *veritas per Jesum Christum facta est.* Quamobrem à Paulo omnia illa veteris legis externa signa nominantur *vacua, et egena elementa,* quòd spiritum gratiæ significarent quidem, sed minimè præberent; esse enim *impossibile sanguine hircorum et taurorum auferri peccata. Nihil igitur ad perfectum adduxit lex.* Contrà novi Testamenti vis et efficacitas ea est, quâ possint omnia peccata solvi : et cœleste regnum patere credentibus atque obtemperantibus Christo quemadmodùm copiosè ad Hebræos scribens Apostolus probat. Ad hæc illud accedit quod vetus Testamentum ad paucos quosdam pertinuit, novum ad omnes omnium gentium homines. Ut enim demonstrat egregiè Eusebius Cæsariensis, eâ fuit legis Mosaicæ dispositio, quæ nullo modo posset nisi in unâ quâdam provinciâ observari. Quo namque modo possent homines ad unum templum locumque definitum undiquè ascendere? Quoniam modo purificari ibi mulieres edito partu, et masculos suos primogenitos offerre, et repræsentare homines frugum primitias, et pro peccatis expiandis deferre hostias? Ipsa profectò præceptorum Mosaicorum series perspicuè declarat constrictum quemdam, atque angustum principatum, ut insanire omnibus modis Judæi hodiè videantur, qui legem prorsùs contrà legem observare contendunt. Quid novum Testamentum? *Ite,* inquit, *in mundum universum, et prædicate Evangelium omni creaturæ. Et venit hora, quandò neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis patrem. Spiritus est Deus, et eos qui adorant, in spiritu et veritate oportet adorare...* Igitur manifestum est hoc ad omnes gentes, illud ad exiguum populum pertinere. Ac si quis profundiùs rem inspiciat, non dubitabit, quin lex sese ipsa quodammodò oppugnet atque evertat, hoc est, infirmam et inutilem, et quòd ampliùs, penè impossibilem declaret. Quod Apostolus confirmat Galatis cùm scribit ad hunc modum : « Quicumque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt; scriptum est enim : « Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea. » Hàc suâ collectione Paulus tanquàm certum atque expeditum se prætermittere indicat, illud, neminem fuisse qui fecerit omnia legis præscripta, quod erat proposito necessarium. Sicut Petrus cæterique Apostoli etiam judicavêre dicentes : *Ut quid tentatis Deum imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri neque nos portare potuimus?* Quare legem non sui gratiâ datam, sed Evangelio veluti suppositam, atque hactenùs vigentem, quatenùs id quod erat perfectum adesset. Nusquàm profectò meliùs discere possumus quàm in ipsâ lege, quæ multitudine præceptorum, inutilitate quoque rerum, angustiis demùm vel potiùs impossibilitate ad implendum, satis nos commonet, aliud se agere, aliud spectare quod permansurum esset, seque ministram potiùs quàm principem esse.

CAPUT XVI.

Cur vetus Testamentum finitum sit, quâve ratione.

Quibus ordine expositis, facillimum est videre cur vetus Testamentum temporale fuerit, novum æternum. *Illa* enim *erant præcepta*, ut habet Ezechiel, *non bona*, hoc est infirma, angusta, multiplicia, perquàm difficilia, quæ corpora quidem hominum contingerent, sed ad ipsam conscientiæ puritatem minimè penetrarent. Pædagogi igitur disciplinæ paterna providentia successit, legi Evangelium, umbræ ipsa rerum imago. Atque hoc modo vetus Testamentum simul et dissolutum est, et expletum. Nihil enim aliud sibi volebat, quàm ut populum Dei ad Christum deduceret. Ac quemadmodum machinæ fabricando operi suppositæ, simul atque illud effectum est, concidunt sanè, neque id iniquè ferre videntur, quod in eum usum tantummodo comparatæ fuerint : ità lex vetus nihil aliud fuit quàm fabricando novo supposita quædam machina, quæ ipso Dei opere effecto, potiùs impedimento nobis, quàm adjumento foret. *Prophetæ*, inquit, *Christus, et lex usque ad Joannem.* Atque hoc modo intelligenda est illa differentia utriusque Testamenti, quam Apostolus insinuat, cùm scribit ad Co-

rinthios : *idoneos nos fecit ministros novi Testamenti, non litterâ, sed spiritu; littera enim occidit, spiritus autem vivificat.* Ubi quæri non immeritò potest, cur litteram veteri Testamento tribuat, spiritum novo reservet, si lex etiam spiritualis est, ut ipse aliàs censet. Adde quod eodem spiritu fidei locutos esse et novos et veteres patres ipse quoque confirmat. Quin etiam seipsum inter eos numerat, cum carnales sunt, *et sub peccato venundatum* quæritur. Quid igitur ministris novi Testamenti spiritum arrogat, veteribus Patribus litteram tantùm relinquit? Sed status diversus utriusque legis cogitari debet, ut quid proprium cuique sit intelligatur. Antè enim quàm veniret veritas, et oriretur Sol justitiæ in terrâ, populus tùm ad intelligendum rudis, tùm ad parendum rebellis, per externâ et crassa elementa docendus fuit, ac terroribus ad obedientiam compellendus, sive etiam bonis futilibus quidem, sed quæ stultis in pretio essent, invitandus. Hæc omnia litteram sapienter vocat Apostolus; quòd reverà sicut litteræ ad aliud significandum comparatæ sunt, quòd qui litteratus non est, quia non percipit quamvis per paginas oculos ducat, nihil aliud quàm inani picturâ pascitur; ità Judæi atque alii omnes legem quæ spiritualis est, et spiritualia significat, carnaliter accipientes, nihil fructus referunt, quin etiam læduntur interdùm, hoc est enim occidere litteram. At in novo Testamento, quia non solùm præcepta data sunt, sed ipse spiritus gratiæ tùm mentem illustrans ad divina capienda, tùm animum inflammans ad amanda æterna, et contemnenda mortalia, rectissimè idonei ministri Evangelii, non litterâ sed spiritu donati dicuntur. Neque tamen negandum est in veteribus fuisse quàm plurimos qui spiritu ducerentur, habentes animum Evangelicum, quamvis corpore legi servirent, quod de Prophetis, de Patriarchis, de ipso legis interprete Mose, nullo modo dubitare potest, qui perfectionem sapientiamque illorum Patrum attenderit, ut nihil fere sit in novo Testamento expromptum, ut Augustinus optimè sentit, quod illi Patres non dixerint aut certò insinuaverint. Ut sunt contrà multi ac plerique homines Christianam atque Evangelicam legem profitentes, qui sensu carnali, vitaque valde imperfecta ad veteris quodammodo Testamenti statum pertinent. Neque de iis loquor qui Christum confitentur, factis negant, quos nullo modo hæredes esse divinarum promissionum constat; sed de eâ parte bonorum fidelium dico, qui terrenis rebus quodammodo affixi, ædificant super Christi fundamentum, lignum, fœnum, stipulam, quos etiam more populi Judaici, utpotè animales, sapientiam docere non expedit, sed metu salutari deterritos, et externis officiis bonis occupatos, summa Dei benignitas servat, infirmos scilicet atque alios tantùm manducantes, et diem sapientes, et litteræ potiùs quàm spiritui adhærentes. Horum maximus grex est semperque fuit in Ecclesiâ Christi, qui sub novo agentes Testamento, tamen moribus et sensu vetus magis referre videntur. Contrà atque illi, quos dixi, patres antiqui, quorum status veteris fuit, sed fides et spiritus novo Testamento digna. Quin etiam in eodem homine reperiuntur suo quodam modo quæ ad utrumque statum Testamenti pertineant : est homo vetus et novus, interior et exterior, sensus et ratio, caro et spiritus. Nihil itaque mirum, si Paulus veteris hominis miseriam deplorans, se *carnalem et sub peccato venundatum* conqueratur, qui idem mente servit Deo, et legis spiritum approbat, et gratia novi Testamenti perfruitur. Hanc autem omnem de differentiâ litteræ et spiritus, veteris et novi Testamenti disputationem absolvit nobis Hieremias Propheta, cujus producit Paulus testimonium in hæc verba : « melioris Testamenti mediator est (de Christo scilicet agit) quod in melioribus « repromissionibus sancitum est : vituperans « enim eos dicit : Ecce dies veniunt, dicit Do« minus, et consummabo super Israel et super « domum Juda Testamentum novum, non se« cundum Testamentum quod fecit Patribus « eorum in die quâ apprehendi manum eorum, « ut educerem illos de terrâ Ægypti : quoniam « ipsi non permanserunt in Testamento meo; « et ego neglexi eos, dicit Dominus. Quia « hoc est Testamentum quod disponam domui « Israel post dies illos, dicit Dominus, dabo « leges meas in mentem eorum, et in corde « eorum, superscribam eas et ero eis in Deum, « et ipsi erunt mihi in populum. » Hùc ergò redeunt, quæ diximus, omnia ut brevissimâ periodo Joannes utriusque Testamenti diversitatem omnem exposuerit, cùm dixit : *legem quidem per Mosem datam; sed gratiam et veritatem per Christum esse factam.* Itaque quod interest inter eum qui jubet, et eum qui dat, quodque inter illud quod nihil est nisi quod designat, et quod per se est, id legem à gratia, Testamentum vetus à novo distare intelligamus.

CAPUT XVII.

De partitione veteris Testamenti in legem et Prophetas.

Quoniam universæ Scripturæ scopum ostendimus Christum, divino nobis verbo et promissum et exhibitum, ac de Testamento quâ ratione dicatur, idque duplex cur sit, exposuimus, breviter utriusque etiam Testamenti partes quatenus ad institutum nobis de Christo revelato sermonem pertinet, persequi oportere videtur. Mihi verò nulla melior distributio venit in mentem eâ, quam Gregorius Magnus inducit, cùm locum illum Ezechielis explicat sanè obscurum : « cùmque aspicerem animalia, « apparuit rota una super terram juxtà animalia, « habens quatuor facies : et aspectus rotarum « et opus earum, quasi visio maris, et una si- « militudo ipsarum quatuor : et aspectus ea- « rum et opera quasi sit toto in medio rotæ. « Per quatuor partes earum euntes ibant, et « non revertebantur cùm ambularent. » Rotam intelligi Testamentum, ac rotam in medio rotæ novum in vetere contentum, non solùm Gregorius, sed Hieronymus, et Ambrosius volunt. Quatuor verò facies rotæ, vel quod subditur, quatuor partes rotarum, optimè ab illo explicantur, quod omnis divina Scriptura quadruplici distinctione constat. Vetus enim Testamentum lege et Prophetis; novum, Evangelicâ et Apostolicâ doctrinâ absolvitur. Ac communi quidem voce, vetus omne Testamentum legi nomine sœpe numerò comprehenditur. Nam quod Christus dixit, *ut fiat sermo, qui in lege eorum scriptus est : quia odio habuerunt me gratis*, manifestè in psalmis scriptum legimus, ita non solùm Prophetas, sed etiam Psalmos legis nomine accipimus. *Nonne*, inquit, *scriptum est in lege vestra, quia ego dixi, Dii estis?* quod itidem in Psalmis haberi nemo ignorat. Illud autem quod Apostolus scribit ad Corinthios, *in lege scriptum est, quoniam in aliis linguis et labiis aliis loquar populo huic, et, nec sic exaudient me, dicit Dominus*, ex Isaia depromptum est. Quare cùm lex ab Evangelio secernitur, totum Testamentum vetus, etiam Prophetas et Psalmos complectitur. Sed utitur frequenter Scriptura eâ voce contractiùs, ac totum vetus Testamentum in legem et Prophetas secat; quæ quidem est partitio percelebris. Sic Christus : *lex et Prophetæ usque ad Joannem*, volens intelligi vetus Testamentum se adveniente finitum ac rursùs : *hæc est enim lex et Prophetæ*. Et illud : *In his duobus mandatis universa lex pendet et Prophetæ* : Et in Actis Apostolorum Paulus, se credere omnibus quæ scripta essent *in lege et Prophetis*. Idem suadebat Judæis Romæ de Jesu *ex lege Moysi et Prophetis*. Sed rogas quid hîc legis, quid Prophetarum partibus cedat? Meo sanè judicio, quæ à Moyse scripta sunt legis propriè sortita sunt vocem, quamvis antè datam legem facta referantur. Nam ad Galatas scribens Paulus : *Qui sub lege*, inquit, *vultis esse, legem non legistis?* et producit Scripturam de Abraham duos filios habente, unum de ancillâ, alterum de liberâ. Alibi quoque mulieres subdi debere viris, ut lex præcipit, quod utrumque ex Genesi antè scriptam legem protulit. Prophetæ verò accipiuntur reliqui omnes sacri Scriptores, sive Historiam sacram, sive Agiographa, sive Psalmos sive Prophetiam propriè dictam litteris mandaverint; videtur autem is ordo divinorum Scriptorum præcipuè à Samuele inchoare. Etenim Petrus Apostolorum princeps in eâ concione quam habuit ad populum Hierosolymitanum circumfusum, ac claudum subitò integritati redditum obstupescentem post multa de Christo, post testimonium ex lege Moysis assumptum, pergit dicere in hunc modum : *Et omnes Prophetæ à Samuel et deinceps qui locuti sunt, annuntiaverunt dies istos.* Ubi satis insinuat post Moysem Prophetas à Samuele numerari. Sed quoniam reperimus historias Josue, Judicum et Ruth ante tempora Samuelis, quæ Moysis voluminibus certum est non comprehendi, aut hi libri tanquàm Appendices Moysi legi annumerantur, aut à Samuele scriptos possumus existimare, aut certè Petrum nihil aliud sibi voluisse, quàm præcipua et maximè illustria de Christo oracula Prophetarum, à Samuele cœpisse, cùm alioqui Scriptura divina, etiam ipsum Josue annumeret in Prophetis.

CAPUT XVIII.

De alia partitione veteris Testamenti in legem, et Prophetas, et Psalmos.

Verùm testamenti veteris partitionem in legem et Prophetas, quæ est celebratissima ac familiarissima Scripturis, invenimus alia quoque ratione factam à Christo, qui pro duabus tres Scripturæ de se partes commemorat ad hunc modum : « Et dixit ad eos : Hæc sunt « verba quæ locutus sum ad vos, cùm adhùc « essem vobiscum, quoniam necesse est im- « pleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, « et Prophetis et Psalmis de me. » Quid, oro, causæ est, cur hîc Dominus vulgatâ ac solemni

partitione legis et Prophetarum minime contentus, etiam psalmorum mentionem peculiarem adhibendam putavit? An Propheta David non fuit? An cùm libri Prophetarum commemorantur, non in iis vel primus intelligi solet Psalmorum liber? Ità est planè, dubitare non possumus. At Christus magnâ certè ratione non solùm psalmos distinctè commemoravit, verùm etiam ultimo loco posuit, hoc est, proximo sibi, quamvis tempore anteriore cæteris prophetis scripti sint. Etenim ipso dicendi ordine insinuavit, tametsi omnis vetus Scriptura Christum annuntiat, legem tamen Moysis id parciùs et obscuriùs facere, Prophetas apertiùs et copiosiùs : Davidicos psalmos omnium uberrimè. Quam ob rem ampliùs quàm cœteræ Scripturæ fidelibus sunt in ore, et toto anni curriculo frequentantur. Breviter verò distributionis commemoratæ, quod ad institutum nostrum pertinere videbitur, partes singulas persequemur.

CAPUT XIX.

In libris Moysis pleraque allegoricè et obscurè dicta esse de Christo.

Ergo Moysen de Christo scripsisse, ipse Christus est auctor : Scripsisse autem tectè et obscurè pleraque, satis declarat, cùm scrutari jubet illius Scripturas, et cùm se illarum interpretem adhibet, incipiens à Moyse. Cur autem famulus Dei Moyses cùm de facie Dominum viderit, ac mysteria salutis nostræ manifestè cognoverit, tamen vultum suum operuerit cùm loqueretur ad populum, hoc est, divina mysteria non sine magnis involucris tradiderit, quemadmodùm Paulus Apostolus interpretatur? Causa illa fuit, quod rudem et ineptam tantis rebus capiendis plebem nactus esset. Quod Scriptura significat cùm dicit : *Ità ut non possent intendere filii Israel in faciem Moysi propter gloriam vultus ejus.* Est verò sapientis magistri, ad auditorum se captum accommodare. Quare imperium prorsùs ac penè infantile genus humanum ità Spiritus sanctus maximas res edocuit, ut paulatim sensu crescente, etiam divinarum rerum atque altissimarum scientia proficeret. Offendit enim atque perstringit infirmos oculos, lucique non assuetos copia ipsa lucis ; eâdem adumbratione congruenti attemperata, miricè fovet ac recreat. Itaque libri Moysis pleni obscuritatibus et ænigmatibus sunt, rebusque ipsis, quas narrant, non minùs prophetant quàm verbis, quod proprium divinitatis sit per res ipsas gestas loqui, ut homines per verba solent. Notumque est Pauli documentum ad innumerabilia Scripturæ arcana aperienda summoperè necessarium : *Omnia in figurâ contingebant illis; scripta sunt ad correptionem nostram.* Debemus autem in iis quæ in novo Testamento de veteri interpretata tenemus, etiam ad reliqua conjectanda institui. Nam quemadmodùm parabolas quasdam suas ipse Christus exponere dignatus est suis, ut cæterarum etiam rationem interpretandarum exemplo proposito discerent, ut de eo qui semen jecit, cujus partes tres interierunt, reliqua fructum attulit plurimum, et de zizaniis non eruendis ante Judicium, et si qua sunt simili modo exposita; ità quoque non pauca in lege simpliciter narrata, quàm reconditos sensus de Christo, et Ecclesia admirabili fecunditate gestarent, ab ipso Salvatore illiusque Apostolis explicata sunt, ut quæ sit divini sermonis intelligendi ratio, eodem tramite discerenmus. Quis enim cùm duos filios habuisse Abraham Patriarcham legeret, in iis duo Testamenta intelligeret, nisi Paulus interpretaretur? Quis immensas diluvii aquas quibus mundus interiit, brevem baptismi nostri aquam, quâ homo vetus interit, et novus efformatur, acciperet, aut ità philosophantem non contemneret, nisi Petri auctoritate cohiberetur? Nonne talibus exemplis divinâ auctoritate introductis, supercilium illorum deprimitur, qui allegoricos sensus contemnunt, qui nullos adhibendos putant, nisi rebus valdè inter sese similibus? At certè Scriptura non solùm ità tenuiter adumbrata commendat, ut nihil negligamus, nihil quamvis exilem de Christo et Ecclesiâ speciem prœbeat, relinquendum putemus; verùm etiam ex contrariis contraria interdùm pronuntiat. Adam enim typum Christi facit, non in eo tantùm quòd primus homo de terrâ, terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis, ut sicut imaginem terreni portavimus, ità cœlestis quoque portemus; sed in eo maximè, in quo Christo plurimùm adversatur, hoc est in fraude, in peccato, in inobedientiâ, per quam peccatores constituti sunt multi, etiam qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ. Cur hoc? Ut planè intelligamus per obedientiam Christi justificari plurimos, atque in iis etiam multos qui non obedierunt in similitudinem Christi, hoc est, qui nullis bonis actibus sese Deo addixerunt, sed tantùm merito Christi commendati sunt, quales esse omnes parvulos in ipso baptizatos catholica fides tenet. Idcirò Apostolus dixit : *Quis est forma futuri.* Quæcumque vero de sacrificiis et oblationibus

in lege instituta sunt, Christi agni immaculati verum perfectumque sacrificium adumbrare, nemo dubitat, qui epistolam ad Hebræos legerit, in quâ his de rebus copiosè disserens Paulus, *umbram* legi attribuit *futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum.* Quod, quam ob rem dixerit, mox declarat, quòd *impossibile sit sanguine hircorum et taurorum auferri peccata,* quemadmodùm psalmus habet: *holocausta et pro peccato non postulasti, aures autem perfecisti mihi. In quâ voluntate*, inquit, *sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel.* Quam veterum victimarum cum uno vero perfectoque sacrificio commutationem Malachias quoque eleganter cecinit. « Non est, inquit, mihi voluntas in vobis, et munus non suscipiam de manu vestrâ. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda. » Quod de Christianæ religionis singulari sacrificio Eucharistiâ dici, Patres omnes intellexerunt, et res ipsa nos abundè docet. Atque ut tam multis illis hostiis et oblationibus crucis unicum sacrificium, perfectamque oblationem significari rectè ex Apostolicâ doctrinâ accipimus, itâ Sacramenta quoque nostra et populi Christiani cursum, ibidem debemus agnoscere. Quâ de re seriò nos Apostolus commonet: « Nolo, inquit, vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes « sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt, et omnes in Moyse baptizati sunt in « nube et in mari, et omnes eamdem escam « spiritualem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritualem biberunt; bibebant « autem de spirituali consequente eos petrâ, « petra autem erat Christus (hoc est, non « præsentem illam petram, sed futuram spiritualiter Christum debetis accipere), sed non « in pluribus eorum beneplacitum est Deo. « Hæc autem in figura facta sunt nostri. » Hîc Baptismi, atque Eucharistiæ, totiusque doctrinæ Evangelicæ insinuatio fit. Itaque ex hâc regulâ erit facilè cætera beneficia illi populo præstita ad spiritualia Ecclesiæ bona divinitùs collata transferre. Jam quæ de animalium ciborumque vetitorum ratione lex præcipit, Cyrilli atque Augustini documento servato, ad actuum immundorum, quæ verè inquinant mentem, expultricem philosophiam accommodare, ejusdem operæ est. Idque nos Evangelium satis docuit uno illo verbo: *Non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quod procedit de ore.* De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. Itaque secundùm Apostolum *lex spiritualis est;* sed cùm lata esset populo et duro, et rudi, spiritum carne, quasi gladium vaginâ, texit, ne temerè attrectatus noceret potiùs imperitis, qui prudenter districtus à spiritualibus viris, et fulget egregiè, et adversùs hostes magno adjumento est.

CAPUT XX.

Extare in lege nonnulla de Christo testimonia clarissima.

Quamquàm autem libri Mosaici, quòd à Christo remotissimi sint, et auditores nacti maximè ineptos, obscurissimè pleraque de Christo pronuntient, magisque per allegoriam quàm per prædictionem apertam propriamque futura vaticinentur; tamen summus sacræ omnis Scripturæ auctor Spiritus sanctus, ut majestatem præscientiæ suæ ostenderet æquè remota ac propinqua perspicientis, in iis ipsis antiquissimis libris nonnulla usque adeò apertè et perspicuè de Christo dixit, ut apertiora neque in Prophetis neque in Psalmis legamus. Exempli causa pauca subjungam. In ipso generis humani exordio serpenti dicitur: « Inimicitias ponam inter te et mulierem, et se« men tuum, et semen illius, ipsa conteret « caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus. » Quod de Christo per crucem diabolum vincente, vicissìmque in illo suo exitu ab ipso appetito et impugnato, dici certissimum est atque manifestissimum; cùm præsertim Hebraica ad semen referant secundam illam clausulam: ipsum conteret caput tuum. Quid illud? *Benedicentur in semine tuo omnes gentes;* quod tertiò Abraham audivit ex Deo: Isaac et Jacob semel atque iterùm? Nonne manifestam de Christo continent Prophetiam? Aut quod usquàm præclarius vaticinium extat, quàm illud Jacob jam morituri? *Non auferetur sceptrum de Judâ nec dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium.* Quamvis enim non facile sit demonstrare de tribu Juda, mansisse vel reges vel duces usque ad Christi adventum, tamen inter omnes constat, cùm primùm alienigena atque Idumæus Herodes regnum Israelis adeptus est, tunc omninò Christum adventâsse in mundum. Itaque Eusebius Cæsariensis intelligit non priùs defecturum Ducatum de semine Jacob, quàm veniret Christus: quod velint, nolint Judæi, perquàm olìm impletum est, ut frustrà suum

Messiam præstolari vel hoc testimonio apertè coarguantur. Præthereà Balaam divinitus afflatus ità exclamat : *videbo eum, sed non modò intuebor illum, sed non propè. Orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israel, et percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth.* Quod de vocatione Gentium, Christi ortum stellâ indicante, prædictum, sicut à Matthæo narratur, nemo dubitat. Omnium autem præclarissimum notissimumque oraculum in Deuteronomio legimus. *Prophetam de gente tuâ, et de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies.* Et mox, *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, et ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi. Qui autem verba ejus quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam.* Quemadmodùm verò de nullo alio Prophetâ hæc accipi possint, quàm de Jesu Nazareno, quoniam eruditè et copiosè ille ipse vir doctissimus Eusebius demonstrat, nihil opus est nobis, amplius immorari. Sed cum Philippo, Petro, et Stephano hunc ipsum esse Jesum de quo illa scripta sunt, etiam cæcis ostendere possumus. Scripsisse igitur de Christo Mosem plerumque quidem obscurè aliquandò etiam expressè satis ostensum est.

CAPUT XXI.

Prophetas de Christo scripsisse copiosiùs, et apertiùs.

Secundo loco Dominus Prophetas post legem commemoravit, cùm illa discipulis excitatus à mortuis dixit, de quibus disputamus jamdudum : *necesse est,* inquit, *impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis de me.* Prophetas congruentiùs accipimus, qui majores quatuor, minores duodecim vulgò numerantur, quorum etiam Ecclesiasticus meminit, quamvis Danielem prætererit, fortassè quòd Chaldæo, non hebraico sermone sicut Esdras, quem itidem tacet, scriptus esset. Fuêre verò præter hos alii complures, ut Samuel, ut Nathan, ut Elias, ut Helisæus. Sed hi vel nihil litteris commendarunt; vel Historias sacras scripsisse putantur, in quibus Christi venturi vestigia nonnulla posita sunt. Sed prophetico stylo revelationes sermonesque suos illi, quos dixi, digesserunt, ac propstereà Prophetæ, veluti proprio nomine vocantur. Quanquàm Salomon ipse, et Job, et Sapientiæ auctor et Ecclesiastici eximias interdùm de Christi mysteriis prophetias afferant; quippe qui spiritu Christi imbuti non moribus solùm, sed fidei quoque Christianæ plurimum prosint. Sed in Prophetis illis sexdecim, quos dixi, sine dubio copiosior et illustrior est de Christi adventu cæterisque mysteriis ejus, oratio. Et quamvis pro temporum illorum opportunitate, multa de moribus tradant, multa in sceleratos ac desertores invehantur, multa vel minentur tristia vel secunda polliceantur; tamen præcipuus maximusque conatus illorum ad Christi regnum celebrandum fertur, idque partim rerum præsentium occasione sumptâ, partim absoluto prædicendi futura spiritu. Verum est enim quod Stephanus affirmat, hos omnes prænuntiàsse de adventu justi, et quod Petrus, omnes Prophetas Christo testimonium perhibere. In omnibus verò longè excellit Isaias, Christum, Christique omnia et acerba et præclara perspicuè celebrans, ut ab antiquis Patribus Evangelista meritò nominetur. Daniel quidem certissimè valdèque expressè Christi adventum tùm priorem tùm posteriorem denuntiat. Hieremias et Ezechiel etiam personis ipsis suis Christum sæpe prophetant, et illustria valdè de illo canunt. Cæteri quoque præsertim Zacharias, et Michæas, et Joel, et Malachias, tanquàm stellas quasdam primæ magnitudinis, de Christi adventu et regno præclara multa suis monumentis insculpunt. Sed, ut dixi, Isaias longè superat cæteros, unusque hic ferè plusquàm reliqui omnes ad Christi regnum, illisque notitiam confert.

CAPUT XXII.

Psalmos suprà omnes Scripturas veteres Christum celebrare.

Utrùm hâc parte etiam Davidis spiritum æquet, an ab illo uno vincatur potiùs, non facilè dixerim. Videtur mihi tamen in Christi mysteriis præcinendis, uni Davidi palma concedi. Primùm persona illius veluti imago quædam est Christi ipsius. Itaque vel nomine alterius alter sæpe vocatur, quemadmodùm imaginibus præclaris usu venire solet. Nam cùm Oseas dicit, *quæsituros filios Israel Dominum Deum suum et David regem suum;* et cùm Ezechiel *Davidem principem futurum inter oves Domini;* et cùm Hieremias, *servituros Israelitas Deo, et David regi suo,* nemini est dubium Christum Davidis nomine intelligi. Neque enim genere solùm, quod cæteris regibus et Patribus in Christi genealogiâ commune fuit, sed similitudine quâdam admirabili. David Christum exhibuit : ex quo filius David insigniter vocari voluit, qui erat idem ipse naturâ filius Dei. Ex nomine

igitur et gestorum similitudine non parvum argumentum ducitur ad excellentem Regis Davidis de Christo cognitionem comprobandam. Hinc fit, ut argumenta Psalmorum ex historiâ quidem plerumque petenda sint; sed ad mysteria ea prædicenda progredi semper inveniantur, quæ longo tractu historiæ angustias excedunt. Maxima enim Psalmorum pars in Christo celebrando consumitur. Quin etiam complures fuisse Hilarius meminit, qui omnia quæ in libris Psalmorum scripta sunt, ad personam Domini nostri unigeniti filii Dei existiment esse referenda, nihilque in eis aliud quàm quod ei sit proprium, contineri. Quæ eorum opinio, ait ille, argui non potest. Quam tamen non omnino probat, nisi quemadmodùm in alio loco scribit: quia omnia in Christo et per Christum sunt, quicquid illud in Psalmis et sub diversorum est nomine Prophetarum, omne de ipso est. Quanquam enim diversa sint argumenta Psalmorum, et quidam in eis historici, quidam Prophetici magis, atque alii mysteria potiùs, alii mores legemque commendent, ac in omnem vitæ benè instituendæ partem copiosè instructi sint; tamen non falsò viri pii et docti censent, vix ullum esse in iis, qui Christi gustum aliquem non præ se ferat. Itaque et à sanctis Patribus majoribus nostris nulla Scripturæ pars et plenior et melior Christiano judicatur lectione Psalmorum, nulla æquè ab ipsâ matre omnium Catholicâ Ecclesiâ frequentatur. Ut quemadmodum omnibus eduliis panis adhibetur, ità toto decursu anni cùm cæteræ Scripturæ varientur, omnes tamen cantione Psalmorum consocientur. Ac deberent sanè Deo dicati viri Ecclesiastici, sicut hunc librum assiduè versant ac manibus terunt et ore repetunt, ità animum intelligentiæ eorum, quæ frequentant, adhibere, magnos sine dubio fructus, copiososque splendores divinarum illustrationum indè relaturi: quod experiuntur homines alioqui non insigniter litterati, sed qui juxtà Apostolum *psallunt, spiritu et mente psallunt.* Quantùm autem cæteros Prophetas anteeat in mysterio Christi unus David, videtur mihi Scriptura aptissimè declarare, cùm in libris Regum ad hunc modum de illo loquitur: « hæc sunt autem verba novissima, quæ dixit David filius Isai: dixit vir cui constitutum est de Christo Dei Jacob, egregius psaltes Israel; Spiritus Domini locutus est per me, et sermo ejus per linguam meam. » Ubi post recitatum psalmum in numero quidem nostri psalterii decimum septimum, sed ab auctore libri regnorum novissimum dictum, laudem egregiam Davidis ponit, quòd is vir sit, cui constitutum est de Christo, hoc est, cujus institutum omne fuit Christum canere. Illud namque quod nos legimus, cui institutum est de Christo, alii explanatè, atque ad Hebraica, ut referunt viri doctissimi, magis accommodatè legunt, super Christo, id est, qui à Deo constitutus fuit ut de Christo loqueretur, et carmina ederet. Ob quam rem egregium psaltem Israelis dicit, cujus os et linguam nequaquàm Pythius, sed verè divinus spiritus atque ardor impleverit. Hic populi Israelitici, hoc est, fidelis et Deum verum colentis Pindarus, hic Flaccus noster est, et si quo alio nomine divinus lyricus innotescere queat: egregius certè, atque omnium qui unquàm vel fuêre vel futuri sunt, vates elegantissimus. Cui singulare fuit perpetuumque Christum, Christique res admirandas carmine celebrare. Quod ipse Christus agnoscens, commemoratâ lege et Prophetis in se præcinendo summum dignissimumque locum Psalmis attribuit.

CAPUT XXIII.

Evangelicam atque Apostolicam Doctrinam Legi et Prophetis in mysteriis Christi lucem consummatam afferre.

Quoniam verò quæ prædicuntur nullâ meliùs ratione capiuntur, quàm cùm præsentia atque effecta narrantur, vetus testamentum, quod in prædicendo Christo et regno ipsius totum versatur, excipit novum, ubi et Christus ipse per historiam Evangelicam exhibitur atque Dei digito ostenditur, et per Apostolicam tùm vitam, tùm doctrinam à toto mundo et auditur et colitur, quod est regnum ejus cœleste, hoc est, Ecclesia Christiana Deum piè colens, et feliciter assequens. Quare tota novi Testamenti ratio in has duas partes rectè à Patribus distributa est, in Evangelicam atque Apostolicam Scripturam. Evangelica quidem plurimâ ex parte altior sensu, stylo humilior, quod ad homines minus purgatos Dei verbum loqueretur; Apostolica verò pleraque Dei mysteria apertiùs tradens, quippè cùm jàm esset spiritus datus, et Jesus per passionem suam glorificatus, aperiensque sensum suorum ut Scripturas intelligerent ac divina caperent: cùm sit auctor ipse et principium et finis, α et ω, nullam de Christo discendo meliorem aptioremque methodum tradi puto, quam ut à doctrinâ Evangelicâ inchoet omnis divinæ Sapientiæ studiosus, cui adjungat protinùs Apostolicam, inde ad Psalmos et

Prophetas, et legem gradum facturus, ex iisque omnibus rursùs ad Christi Evangelium reditu facto. Hæc enim illa est scala, quæ alios descendentes, alios ascendentes sustinet; quæ una est via in cœlum, quod vero Israelitæ Natanaeli dixit: *Amen amen dico vobis, videbitis cœlum apertum et Angelos Dei ascendentes et descendentes suprà filium hominis.* Hic si cœlum apertum, Scripturam revelatam exponere velim, neque novam rem, neque à veritate alienam facturus sim; Angelos vero, Dei ministros et prædicatores, tum anteriores, tum posteriores in Christo, omnes sibi mutuo occurrentes, atque eumdem fidei spiritum habentes, vel me tacente Paulus alloquitur. Itaque in Christo et per Christum atque ad Christum omne ministerium nostrum est, sive ascendamus in Deum, sive descendamus ad homines. *Sive enim mente excedimus, Deo, sive sobrii sumus, vobis. Charitas enim Christi urget nos,* aiebat ille.

INDEX TESTIMONIORUM

A CHRISTO ET APOSTOLIS

IN NOVO TESTAMENTO CITATORUM EX VETERI.

Quæ huc in id congesta sunt, ut pii lectores nativam quorumdam intelligentiam, quæ ab ipso Christo vero interprete, et Spiritu ejus per Apostolos sit tradita, assequantur, perspiciantque in quem usum ea Apostoli et Evangelistæ adduxerint.

GENESIS.

1. Masculum et fœminam fecit eos, Matth. 19, Marci 10. — 2. Requievit Deus die septimà ab omnibus operibus suis. Hebr. 4. — 2. Factus est primus homo Adam in animam viventem, 1 Cor. 15. — 2. Dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori, Matth. 19, Marc. 10; Ephes. 5, 1 Cor. 6. — 2. Erunt duo in carne unà, Matth. 19, Marc. 10, 1 Cor. 6, Gal. 3. — 12. Exi de terrà tuà et de cognatione tuà, Act. 7. — 12. Et in semine tuo benedicentur omnes gentes, Act. 3, Ephes. 5. — 15. Sic erit semen tuum, Rom. 4. — 15. Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam, Rom. 4, Jacob. 2, Gal. 3. — 15. Erit semen tuum peregrinum in terrà non suà, Act. 7. — 17. Quia patrem multarum gentium constitui te, Rom. 4. — 18. Secundùm hoc tempus veniam, et erit Saræ filius, Rom. 9. — 21. Ejice ancillam et filium ejus, Gal. 4. — 21. In Isaac vocabitur tibi semen, Rom. 9. — 22. Nisi benedicens benedicam te, et mul. Hebr. 6. — 22. Quia benedicentur in te omnes gentes, Gal. 3, Act. 3. — 25. Quia major serviet minori, Rom. 9.

EXODUS.

3. Ego sum Deus Abraham, etc., Matth. 22, Marc. 12, Luc. 20. — 9. In hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te potentiam meam, Rom. 9. — 12. Os non comminuetis ex eo, Joannis 19. — 13. Omne masculinum adaperiens vulvam, Luc. 2. — 16. Qui multùm, non abundavit, etc. 2 Cor. 8. — 20. Non mœchaberis, Matth. 5. — 20. Non adulterabis, non occides, non furtum facies, non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium, non concupisces, Rom. 3. — 20. Non concupisces, Rom. 7. — 20. Non occides, Matth. 5, Luc. 18. — 20. Honora patrem tuum et matrem tuam, Matth. 15, Marc. 7, Ephes. 6. — 21. Qui maledixerit patri suo, vel matri, morte moriatur, Matth. 15, Marc. 7. — 21. Oculum pro oculo, dentem pro dente, Matth. 5. — 22. Principi populi tui non maledices, Act. 23. — 24. Hic sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus, Hebr. 9. — 25.

Vide, omnia facito secundùm exemplar, quod tibi ostensum est, etc. Hebr. 8, Act. 7. — 32. Fac nobis deos qui præcedant nos, Act. 7. — 33. Miserebor cui voluero, etc. Rom. 9. — 34. Non sicut Moyses ponebat velamen super faciem, 2 Cor. 2.

LEVITICUS.

12. Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum, 1 Petr. 1. — 18. Qui fecerit homo, vivet in eâ, Rom. 10, Gal. 3. — 19. Non perjurabis, Matth. 5. — 19. Diliges proximum tuum sicut teipsum, Roman. 13, Gal. 5, Jac. 2, Matth. 22, Marc. 12. — 19. Diliges proximum tuum, Matth. 5. — 20. Qui maledixerit patri et matri, etc. Matt. 15. — 24. Oculum pro oculo, Matth. 5. — 26. Quoniam inhabitabo in illis, et inambulabo, etc. 2 Cor. 6.

NUMERI.

9. Os non comminuetis ex eo, Joan. 19.

DEUTERONOMIUM.

4. Etenim Deus Noster ignis consumens est, Hebr. 12. — 5. Non concupisces, Rom. 7, 13. — 5. Non occides, Matth. 5, Luc. 18. — 5. Non mœchaberis, Matth. 5, Luc. 13. — 5. Non furtum facies, Luc. 18, Rom. 13. — 5. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium, Luc. 48, Rom. 13. — 5. Honora patrem et matrem, Matth. 15, Marc. 7, Ephes. 6. — 6. Audi, Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est, Marc. 12. — 6. Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde, etc., Matth. 22, Marc. 12, Luc. 10. — 6. et 10. Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies, Matth. 4, Luc. 4. — 6. Non tentabis Dominum Deum tuum, Matth. 4, Luc. 4. — 8. Non in solo pane vivit homo, Matth. 4, Luc. 4. — 10. Deus personam hominis non accipit, Gal. 2. — 18. Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus, Act. 3, 7. — 19 In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum, Matth. 18, Joan. 8, 2 Cor. 13. — 19. Oculum pro oculo, dentem pro dente, Matth. 5. — 21. Maledictus omnis qui pendet in ligno, Gal. 3. — 25. Non alligabis os bovi trituranti, 1 Cor. 9, 1 Timoth. 5. — 25. Si quis mortuus fuerit non habens filium, Matth. 21, Marc. 12, Luc. 20. — 27. Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus, etc., Gal. 3. — 30. Quis ascendet in cœlum, Rom. 10. — 30. Propè est verbum in ore tuo, et in corde tuo, Rom. 10. — 32. Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem etc., Rom. 10. — 32. Mihi vindictam, ego retribuam, Rom. 12.

JOSUE.

1. Non te deseram, neque derelinquam, Heb. 13.

REGUM II.

6. Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium, Hebr. 1.

REGUM III.

19. Domine, prophetas tuos occiderunt, etc., Rom. 11. — 19. Reliqui mihi septem millia virorum, Rom. 11.

JOB.

5. Comprehendam sapientes in astutiâ eorum, 1 Cor. 3.

LIBER PSALMORUM.

2. Quare fremuerunt gentes, Act. 4. — 2. Filius meus es tu, ego hodie genui te, Act. 13, Hebr. 5. — 2. Reges eos in virgâ ferreâ, Apoc. 2, 19. — 4. Irascimini et nolite peccare, Ephes. 4. — 5. Sepulcrum patens est guttur eorum, Rom. 3. — 6. Discedite à me, omnes qui operamini iniquitatem, Matth. 7, 25, Luc. 13. — 8. Ex ore infantium et lactentium, etc., Matth. 21. — 8. Quid est homo quòd memor es ejus? Heb. 2. — 8. Omnia subjecit sub pedibus ejus, 1 Cor. 15. — 9. Quorum os maledictione et amaritudine plenum est, Rom. 3. — 13. Non est justus quisquam, non est intelligens, Rom. 3. — 13. Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem, Rom. 3. — 15. Providebam Dominum in conspectu, etc. Act. 2. — 15. Non dabis sanctum tuum videre corruptionem, Act. 2, 13. — 17. Ego eram fidens in eum, Hebr. 2. — 17. Propterea confitebor tibi in gentibus, Domine, Rom. 15. — 18. Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, Rom. 10. — 21. Eli, eli, lamna sabacthani, Matth. 27, Marc. 15. — 21 Diviserunt sibi vestimenta mea, Matth. 27, Joan. 19. — 21. Nuntiabo nomen tuum fratribus meis, Hebr. 2. — 23. Domini est terra et plenitudo ejus, 1 Corinth. 10. — 24. Odio habuerunt me gratis, Joan. 15. — 30. In manus tuas commendo spiritum meum, Luc. 23. — 31. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, Rom. 4. — 33. Qui enim vult vitam diligere, et dies videre bonos, 1 Petr. 3. — 39. Hostiam et oblationem noluisti, Heb. 10. — 40. Qui manducat mecum panem, Joan. 13. — 43. Propter te mortificamur totâ die, Rom. 8. — 44. Thronus tuus Deus in seculum seculi, Hebr. 1. — 50. Ut justificeris in sermonibus tuis, Rom. 3. — 54. Jacta super Dominum curam tuam, 1 Pet. 5. — 61. Unusquisque autem propriam merce-

PROVERBIA.

ISAIAS.

est dolus, 1 Pet. 2, 1 Joan. 3. — 53. Qui peccata nostra pertulit in corpore, 1 Pet. 2. — 54. Lætare, sterilis, quæ non paris, Galat. 4. — 55. Et erunt omnes docibiles Dei, Joan. 6. — 55. Et qui sitit, veniat; et qui vult accipiat aquam vitæ gratis, Apoc. 22. — 55. Dabo vobis sancta David fidelia, Act. 13. — 56. Domus mea, domus orationis vocabitur, Matth. 21, Marc. 11, Luc. 19. — 59. Contritio et infelicitas in viis eorum, Rom. 3. — 59. Galeam salutis assumite, Eph. 6, 1 Thess. 5. — 59. Veniet ex Sion qui eripiat et avertat impietatem à Jacob, Rom. 11. — 60. Et portæ ejus non claudentur per diem, Apoc. 21. — 60. Et civitas non eget sole neque lunâ, Apoc. 21. — 60. Nox ultrà non erit, Apoc. 22. — 61. Spiritus Domini super me, Luc. 4. — 62. Dicite filiæ Sion : Ecce rex tuus venit, Matth. 21. — 64. Quod oculus non vidit, nec auris audivit, etc., 1 Cor. 2. — 65. Inventus sum à non quærentibus me, Rom. 10. — 65. Totâ die expandi manus meas ad populum non credentem, Rom. 10. — 65. Novos verò cœlos et nova terra, 2 Pet. 1, Apoc. 21. — 66 Cœlum mihi sedes est, Act. 7. — 66. Ubi vermis eorum non moritur, Marc. 9.

JEREMIAS.

7. Vos autem fecistis illam speluncam latronum, Matth. 21, Marc. 1, 11, Luc. 19. — 9. Qui gloriatur, in Domino glorietur, 1 Corinth. 1, et 2, 10. — 10. Quis non timebit te Domine ? Apoc. 15. — 17. Ego sum scrutans renes et corda, Apoc. 2. — 31. Vox in Ramâ audita est, Matth. 2. — 31. Ero vobis in patrem, et vos eritis mihi in filios, 2 Cor. 6. — 31. Ecce dies venient, dicit Dominus, et consummabo super domum Israel, et super domum Juda testamentum novum, Hebr. 8. — 31. Hoc autem testamentum quod testabor ad illos, etc., dabo leges meas in cordibus eorum, Hebr. 20. — 31. Cecidit Babylon magna, Apoc. 18.

EZECHIEL.

3. Accipe librum, et devora illum, Apoc. 10. — 20. Qui fecerit homo, vivet in eâ, Rom. 10. — 32. Sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, Matth. 24. — 36. Nomen Dei per vos blasphematur inter gentes, Rom. 2.

DANIEL.

9. Cùm videritis abominationem desolationis quæ dicta est à Daniele prophetâ, Matth. 24, Marc. 12, Luc. 21.

OSEE.

1. Et erit in loco ubi dictum est eis : Non plebs mea vos, etc., Rom. 9. — 2. Vocabo non plebem meam, plebem meam, Rom. 9, 1 Pet. 2. — 6. Misericordiam volo, et non sacrificium, Matth. 9, 12. — 10. Tunc incipient dicere montibus : Cadite super nos; et collibus : Operite nos, Luc 23. — 11. Ex Ægypto vocavi filium meum, Matth. 2. — 11. Absorpta est mors victoriâ, 1 Cor. 15.

JOEL.

2. Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo, Act. 2. — 2. Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit, Rom. 10.

AMOS.

5. Numquid victimas et hostias obtulistis mihi? Act. 7. — 6. Væ vobis divitibus! Luc. 6. — 9. Post hæc revertar, et reædificabo tabernaculum David, Act. 15.

JONAS.

1. Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, et tribus noctibus, Matth. 12, Luc. 11. — 3. Pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ, Matth. 12, Luc. 11.

MICHÆAS.

5. Et tu Bethlehem, terra Juda, Matth. 2. — 7. Veni separare hominem adversùs patrem suum, et filiam adversùs matrem, Matth. 10, Luc. 12.

AGGÆUS.

2. Adhuc semel, et ego movebo non solùm terram, sed et cœlum, Hebr. 12.

HABACUC.

1. Videte contemptores, et admiramini et disperdimini; quia opus operor ego in diebus vestris, Act. 13. — 2. Justus autem ex fide vivit, Rom. 1, Galat. 3.

NAHUM.

1. Quàm speciosi pedes evangelizantium pacem! Rom. 10.

ZACHARIAS.

8. Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, Ephes. 4. — 9. Ecce Rex tuus venit, Matth. 21, Joan. 12. — 11. Et acceperunt triginta argenteos, Matth. 27. — 12. Videbunt in quem compunxerunt, Joan. cap. 19. — 13. Percutiam pastorem, Matth. 26, Marc. 14.

MALACHIAS.

1. Jacob dilexi, Esau autem odio habui.

Rom. 9. — 3. Ecce ego mitto Angelum meum, Matth. 11, Marc. 1, Luc 7, Joan. 1. — 4. Ipse est Elias qui venturus erat, Matth. 11. — 4. Quid est quòd scribæ dicunt, quòd Eliam oporteat primùm venire? Matth. 17, Marc. 19. — 4. Ut convertat corda patrum in filios, Luc. 1.

FRASSENII VITA.

Frassenius, gallicè Frassen (Claudius), in Picardo propè Peronam viculo natus 1620, ordinis franciscani definitor generalis, doctor sorbonicus parisiacusque custos, obiit annis, doctrinâ virtutibusque plenus 1711. Vir eximiæ admodùm modestiæ, litteris sacris generosè deditus, curriculum longum in solitudine quantùm fas erat ignotâ ultrò degisset. Peractis verò franciscanorum comitiis universalibus, Toletum 1682, Romamque 1688 accersitus est. Ubi cùm magnam apud sodales fecisset suî admirationem, tùm perspicaciâ mentis, tùm judicii maturitate, solitariam vivendi rationem laboresque in latebris consuetos festinus repetiit. Plurima inter quæ lucubravit opera, præcipuè notanda sunt : 1° Philosophiæ cursus, 2 vol. in-f°, multis pretiosus longèque pretiosior, nî quæstiunculis inanibus, ut mos erat apud coætaneos, interdùm turbaretur. 2° Theologiæ cursus philosophico præstantior, Parisiis, 1672, 4 v. in-f°. 3° Disquisitiones biblicæ, Parisiis, 1682, 2 v. in-f° : Quorum alterum volumen de bibliis agit in genere, alterum de Pentateucho duntaxat disquirit, utrumque typicis non semel formis recusum.

CONCILIATORIUM BIBLICUM

IN QUO PRÆCIPUI SACRI TEXTUS SPECIE TENUS

PUGNANTES CONCILIANTUR ET EXPLICANTUR.

Cùm Scriptura sacra sit ipsum Dei Verbum à viris propheticis interno S. Spiritûs afflatu perscriptum, nemini dubium esse debet in sacris voluminibus, eodem regente divino atque dictante Spiritu veritatis conscriptis, nihil reverà pugnans et adversum inveniri : enimverò sicut à summâ Veritate falsum aliquid, aut mendacium etiam levissimum procedere nequit, ità verum sibi aliquà ex parte repugnans videtur prorsùs impossibile. Quamobrem præclarè omninò S. Justinus martyr (in Dialog. cum Triph. Judæo) : « Nusquàm audebo, inquit, vel hoc in animum inducere meum vel eloqui, ut dicam adversari sibi invicem Scripturas; verùm si qua Scriptura ejusmodi esse videatur, et obtentum, quasi adversaria sic alteri, habeat; omnibus modis persuasum habens nullam scripturam ab aliâ diversam esse, ipse me potiùs quæ dicta sunt, non intelligere fateor. » Aureum planè dictum, et quod omnibus sacræ Scripturæ studiosis animo constantissimè debet observari. Nec minùs appositè S. Augustinus (lib. de præd. et grat., cap. 1) : « Cùm in voluminibus sacrarum Litterarum, seu futurorum quid spiritu Prophetico prænuntiantibus, seu præteritorum historicâ veritate narrantibus, seu vitæ monita Apostolicâ autoritate tradentibus aliquà veluti diversum sonante sententiâ, vel movetur lector, vel sollicitatur auditor, certâ et inconcussâ fide teneri debet, unius atque ejusdem Spiritûs, et ejus præter quem nihil est veritatis, apertiùs alib , paulò occultiùs alibi sonare mysteria. Ac proindè si quid occultâ significatione suspensum, aut à scribente

breviter indicatum, minùsque quàm humani cordis obtusio poscebat, expositum est, hîc lucidiùs apparere, ibi altiùs latere, nusquàm deesse noverit veritatem. » Hinc sedulò monebat (de Genes. ad lit. cap. 8) : « Conandum est efficere, ne aliqua absurditas, vel repugnantia putetur esse in sacris Scripturis, quæ opinionem lectoris offendat. » Præiverat Origenes sacrum Interpretem his verbis admonens (in cap. 3 ad Rom.) : « Contraria quæ videntur esse in Scripturà, non ità esse debet ostendere, qui fideliter et integrè sacrorum Voluminum colligit sensum. »

Consultò igitur postremam hanc præsentis voluminis partem damus in dissolvendis apparentibus antilogiis et conciliandis textibus in speciem pugnantibus, ne divini Codicis constantissima veritas aliquà ex parte nutare videatur. Non me latet hoc argumentum jam à plurimis cùm veteribus, tùm modernis felicissimè fuisse occupatum : præluserunt olìm in eo S. Hieronymus, in Quæstionibus Hebraicis, et suis in sacros Auctores Commentariis; S. Augustinus, Quæstionibus in Libros veteris Testamenti, atque eximio opere de Consensu Evangelistarum. Suam etiam præcipuam in eo posuerunt operam è recentioribus Richardus Cluniacensis, sub ann. 1160; Andreas Altamerus, circà annum 1081; Seraphinus Cumiranus, Jacobus Tirinus, Dominicus Magrius, Michael Vualtherus, Joannes Thaddæus et alii benè multi; quibus, quod spectat ad Pentateuchum, præivit R. Manasses Ben Israel. At fruantur laude suà, quotquot sunt illi viri clarissimi qui copiosos manipulos in hâc messe fecerunt : nihil enim hâc meà lucubratiunculà præclaris et ingentibus eorum operibus derogatum volo; imò qualecumque hoc spicilegium, non tàm meis, quàm eorum studiis ex parte acceptum refero; tametsi ea mihi mens non sit, omnia illorum sectari vestigia, atque tempus ponere et perdere in conciliandis illis levioribus antilogiis, quarum solutio etiam tironibus passim fit obvia. Eos duntaxat commemorabo textus, qui viris eruditis nonnihil negotii facessunt. Ut autem ordine et concinnà serie procedat hic labor, per singula veteris et novi Testamenti capitula leviter excurremus, et præcipuarum, si quæ in eis occurrant, speciè tenùs contradictionum, decisionem, quà fieri poterit nitidà brevitate, proferemus.

Ex Libro Genesis.

Cap. 1, v. 5 : *Appellavitque Deus lucem, diem; et tenebras, nocte.* Quî fieri potuit, inquies, ut jam esset dies, cùm nondùm existeret *luminare majus ut præesset diei,* v. 16, nec adesset sol, qui diem à nocte disterminat. Responsio. Lux illa primigenia quæ tres priores mundi dies instituit et distinxit, solis brevi futuri vices agebat, et assiduo suo motu totum aeris terrarumque ambitum perlustrans, sui splendoris præsentià vel absentià, diei noctisque vicissìm intervalla descripsit, donec quarto die conditum solis corpus, *illi rerum omnium primigeniæ luci dignum ac triumphale vehiculum esset,* ait præclarissimè S. Basilius (homil. 6, pag. 7).

Ibidem, v. 12 : *Producant aquæ reptile animæ viventis, et volatile super terram.* Non consentiunt ista cum sequentibus, v. 24 : *Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta et reptilia.* Neque cum his, cap, 2, v. 19 : *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, et universis volatilibus cœli,* etc. Enimverò si aqua sit omnium reptilium et volatilium matrix, quà ratione terra eorum origo affirmatur? Quòd si etiam aves ex aquà prodierunt, cur non in aquis sicut pisces velut in nativo domicilio deliciantur? *Unumquodque enim* (ait Aristoteles, lib. 2, de Cœlo, cap. 7), *in eo est ex quo est.*

Responsio ad primum. Reptilia dicuntur quæcumque pedibus carent, aut habent ita breves, ut ad gressum non sint idonei; sunt autem hæc duplicis generis : terrestria simul et aquatilia; illa, jubente Deo, producta sunt è terrà *die mundi sexto;* hæc verò *die quinto* ex aquis prodierunt. Porrò pisces ideò *reptilia* nominavit Moyses, quòd in suo progressu speciem proreptionis ferant, et ventre aquis incubent quasi repentes et remigantes. Ad secundum, dico verosimilius videri aves simul cum piscibus ex aquà veluti matrice prodiisse : nam ait S. Basilius (homil. 8) : « Volantibus ad natantia quasi consanguinitas quædam est; sicut enim pisces aquam secant agitatione quidem pennarum ad ulteriora quæ petunt proficiscentes, caudæ verò motatione flexiones sibi rectosque impetus gubernantes; sic et in volatilibus fieri conspicere licet, aerem pennis alisque findentibus, simili natantibus modo; quarè cum una sit utrisque conditio, ipsum, inquam, natare, sic una quædam affinitas ex aquarum generatione tributa est. »

Consentirem nihilominùs S. Augustino dicenti (lib. 3, de Genesi ad litter., cap. 2) aves esse primitùs factas ex aere terræ viciniori,

qui cùm totus sit aqueus, tùm propter vapores ex aquis elatos, tùm propter frequentem imbrium in terras delapsum, non absurdè *aqua* nominatur. Cui sententiæ favens Rupertus, ait (lib. 13, de Oper. Tri., cap. 50), Aves esse productas non ex densâ aquæ materiâ, qualis est ejus quæ propriè appellatur *aqua*, sed ex aquâ tenuiori ac veluti nebulosâ. Undè posterioris suprà laudati textûs verba respectivè sunt exponenda, ut τὸ volatilibus non ad τὸ *de humo*, sed ad τὸ *formatis*, referatur; ut sit hic sensus: « Formatis de humo cunctis animantibus, et ex aquâ volucribus, hæc duo animantium genera adduxit Dominus ad Adam, ut videret quod vocaret *et ea;* hinc copulativa repetit quidem vocem *formatis*, non autem vocem *de humo*. Cùm enim hîc fiat recensio animalium à Deo productorum, et nomina sibi propria sortitorum ab Adamo, non sanè intererat dicere undè illa essent producta.

Ibidem, v. 22: *Factum est vespere et mane dies sextus.* His verbis, et totius capitis decursu innuitur Deum sex dierum spatio universam mundi fabricam atque hominem illius moderatorem et incolam condidisse; quibus repugnant hæc cap. 2, v. 4: *Istæ sunt generationes cœli et terræ, quandò creata sunt, in die quâ fecit Dominus Deus cœlum et terram;* ubi *in die*, non *in diebus*, *cœlum* et *terra*, et quæ eorum ambitu continentur, dicuntur esse *concreata*. Cui sententiæ favet etiam hoc Syracidis oraculum: « Qui vivit in æternum creavit omnia simul. » Hinc S. Aug. (lib. 4, de Gen. ad litt., cap. 33) concludit: « Deum universa semel, simulque uno eodemque temporis momento è nihilo produxisse; » dierum verò plurium in singulis condendis mentionem factam, ad comprehensionis nostræ tarditatem juvandam. Quin etiam eo progressus est Philo (lib., alleg.), ut rusticanæ ac fatuæ simplicitatis esse pronuntiet, putare sex diebus mundum esse conditum. Undè ea verba: *Complevitque Deus die septimo,* etc., interpretatur non de numero dierum aliquot, sed de perfectione universi, quæ per senarium numerum perfectum significatur.

Responsio. Verosimilius videtur Deum reverà sex dierum naturalium intervallo mundum condidisse, quod utique apertè satis docet Moyses, cùm Exod. 20, ex hâc veluti constantissimâ sententiâ Judæis suadet sex quidem diebus licitum esse serviliter operari, at quiescendum die septimo: *Sex enim diebus*, inquit, *fecit Deus cœlum et terram, et omnia quæ in eis sunt; et requievit die septimo.* Censuit itaque Moyses dies in creatione mundi intercurrentes, reverà fuisse naturales; alioqui evanida foret illius conclusio, nec legitimè colligeret die septima exemplo Dei ab omni opere esse feriandum. Neque his obstant verba cap. 2; hic enim vox *dies*, sicut et alibi, sæpè pro indeterminato et indefinito tempore supponitur; sic Deuter. 32, v. 35: *Juxtà est dies perditionis*, etc. Et 1 ad Corinth. 6. *Tempore accepto exaudivi te et in die salutis adjuvi te;* ubi numerus certus pro indefinito accipitur. Accedit quòd Hebræis mos sit interdùm sufficere numerum singularem pro plurali, et pluralem pro singulari: undè cùm ex Moysis narratione satis apertè constet sex dies intercurrisse in mundi fabricâ, argumentum est hic *diem* indefinite et pro numero plurali esse positum.

Similiter vox *simul* ab Ecclesiastico memorata, non designat simultatem temporis, quasi res omnes eodem instanti fuerint productæ; sed simultatem vel operantis, vel operationis; ut significet omnes mundi partes in rerum exordio continuâ operatione et nullâ per sex dies interpositâ morâ, non ab alio quàm à Deo ipso rerum omnium Opifice esse formatas. Atque sic particula *simul* non ad verbum *creavit*, sed ad vocem *omnia* est referenda, ut sit nomen collectivum omnium specierum, significetque omnia communiter et universaliter esse à Deo condita.

Cap. 2, v. 1: *Complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat, et requievit die septimo ab universo opere quod patrârat.* Duæ sunt hujus versiculi partes, quæ inter se committuntur: nam si opus suum complevit Deus die septimo, non solido illo die requievit; completio enim operis est operatio.

Responsio. Septuaginta Interpretes ut primum nodum solvant, pro *die septimo* scripserunt *sextum*; sed repugnat Hebræus textus ubi legimus *baiom hassebii*, i. e. *die septimo*. Undè Hebraizantes censent præteritum *complevit* explicandum esse per præteritum plùs quàm perfectum, ità ut futurum ויכל *hic* scriptum, per *vau* conversivum, idem sonet ac *compleverat*; unicum enim Hebræorum præteritum omnes præteritorum species complectitur. At cùm Vulgata distinctè habeat *complevit*, ut illius servetur integritas, respondet Caietanus Deum *sextâ die* omnia opera sua implevisse actione positivâ; *septimâ* verò actione negativâ, seu per negationem ulterioris rerum productionis: Lyranus, res omnes complevit Deus die sextâ secundùm entitatem et virtutem; die verò

septimâ secundùm ejusdem virtutis operationem et exercitium. Rectiùs meo judicio sententiarum Magister: « Complevit Deus die septimo opus suum, quia benedixit ei et sanctificavit illum; » benedictio autem et sanctificatio omnium divinorum operum veluti consecrationem et coronidem importat: porrò hæc benedictio tametsi quædam operatio sit, divinæ quieti non opponitur.

Ibidem, requievit Deus die septimo ab universo opere, pugnat cum his verbis Joan. 5: « Usque modò Pater meus operatur et ego operor. »

Responsio prima. Deus quievit ab opere creationis, non ab opere conservationis et gubernationis, quâ rebus existentibus providet. Secunda. Requievit à novis speciebus in rerum naturâ constituendis, non à novis individuis in locum deficientium sufficiendis.

Ibidem, v. 5: *Et omne virgultum agri antequàm oriretur in terrâ.* Hæc pugnare videntur cum his antecedentibus verbis capitis 1, v. 12: *Protulit terra herbam virentem et facientem semen juxtà genus suum, lignumque faciens fructum*, etc. Etenim si tertio die mundi arbores simul et plantæ ad Dei mandatum ex terrâ exortæ sunt, quarè Moyses recensitâ totius universi formatione, asserit eas nondùm exstitisse. Hanc difficultatem ut solvant Hebræi, hunc textum sic legunt: *Omne virgultum agri nondùm erat in terrâ*, etc. Causa, quia *nondùm pluerat Dominus super terram.* Undè factum est, inquiunt, ut terra nascentia tertio die producta, quæ adhùc tenera intrà terræ sinum constiterant, mox atque pluvia esse cœpit, prodierunt in apertum, et ad præscriptam sibi à Deo naturalem magnitudinem succreverunt. Adjicit Moyses Bar Nachman, Moysem in præsenti loco non loqui de terræ crescentiis tertiâ die præcipiente Deo enatis, sed de herbis et arboribus, quæ cœlestium pluviarum irriguo hominisque operatione et industriâ enascuntur; et istiusmodi arbores et herbas nullibi adhuc locorum exstitisse, eò quòd terra nondùm fœcundata fuerat pluviæ illapsu nec hominis operatione exculta. At genuinus sensus magis est, Moysem hic indicare Deum non tantùm cœli et terræ auctorem, sed etiam arborum et plantarum, quæ tertio die mundi conditæ, tametsi cœlestibus pluviis nondùm irrigarentur, nec excolerentur hominis labore, nihilominùs virescebant et succrescebant beneficio fontis aut vaporis erumpentis è terrâ, qui noctis frigore concretus in rorem, terræ germina initio mundi irrigabat.

Ibidem, v. 18: *Non est bonum hominem esse solum*, contradicit his 1, Corint. 7, v. 1: *Bonum est homini mulierem non tangere;* Et his v. 26: *Bonum est homini sic esse*, id est liberum à mulieris consortio et matrimonii vinculo.

Responsio. Priori loco loquitur Deus absolutè et de communi bono speciei humanæ per generationem propagandæ; in posterioribus agit Apostolus de bono personali hominis particularis et convenientiori viro christiano ad perfectam sanctimoniam anhelanti; sic enim liber ab uxoris et matrimonii vinculo tantùm cogitat quæ Domini sunt, ut sit sanctus corpore et spiritu; at cum hæc gratia non omnibus concedatur, aliquibus enim ait ibidem *melius est nubere quàm uri*; ideò etiam de eis verè nunc dicitur *non est bonum hominem esse solum.*

Cap. 3, v. 16: *Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tibi*, repugnat huic 1 Corinth. 7, v. 4: *Vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Deindè subjectio mulieris non videtur prævaricationis supplicium, sed conditionis debitum et naturæ obsequium; enimverò etiam antè lapsum, *vir erat caput mulieris*, 1 Corint. v, 3.

Responsio. Mulier sub viri potestate est, in re domesticâ et regimine familiæ; sic enim ei ut Corpus capiti subjici debet et obsequi: at ratione vinculi et fidei matrimonialis, vir sui corporis potestatem non habet; illud enim cessit in uxoris dominium et usum.

Ad secundum subjectio grata et voluntaria (qualis perpetuò fuisset, si stetisset primæva integritas) non fuisset pœna peccati; in eo namque statu nec vir ullatenùs fuisset uxori molestus, nec uxor à viri voluntate abiisset in diversum: sed unus alteri, et uterque Deo plenissimè consensisset; at subjectio molesta et invita, qualis post lapsum in plerisque jam exstat, reverà est prævaricationis indicium et supplicium.

Cap. 4, v. 7: *Sub te erit appetitus tuus, et tu dominaberis illius*, non cohæret cum illo Jeremiæ 10, v. 24: *Non est hominis via ejus, nec viri est ut ambulet et dirigat gressus suos.*

Responsio. In priori asseritur hominis libertas in moderandis suis affectibus et motibus componendis; in posteriori gratiæ necessitas ad id debitè et meritoriè exequendum declaratur.

Ibidem, v. 26: *Iste* (Enos) *cœpit invocare nomen Domini*, non consentit cum his v. 4: *Respexit Dominus ad Abel et ad munera ejus;* neque verò simile fit Adamum, Seth, aliosque

viros piissimos nomen Domini non invocâsse.

Responsio. Iste cœpit invocare nomen Domini publicè, cogendo piorum hominum cœtus ad laudes et gratiarum actiones Deo persolvendas, atque etiam præscribendo ritus et cæremonias quibus in sacrificiis impensiùs et religiosiùs quàm anteà coleretur Deus: ut dùm nefaria Caini progenies pravis suis moribus et exemplis homines à pietate et cultu Dei averteret, ipse publicæ hominum depravationi publicum objiceret religionis argumentum.

Aliter hunc textum legunt et interpretantur quidam Hebræi; nàm vocem *huchal*, id est *cœptum est*, ipsi deducunt à radice *chalal*, quæ in conjugatione *piel* et *niphal*, significat *profanare :* undè paraphrasis Chaldaica editionis Venetianæ præfata verba sic reddit : *In diebus ejus profanati sunt homines ut non ampliùs invocarent nomen Domini;* vel ut explicat S. Hieronimus (quæst. in Gen.), « tunc primùm in nomine Domini fabricata sunt idola. » Clarius R. Kimhi (in Radic.) : « In diebus Henos erraverunt homines post Idololatriam et invocato nominis Dei tunc fuit profanata. » At interpretatio hæc videtur minùs accurata, et redolens purum putum rabinicum figmentum, cùm nullum idololatriæ et simulacrorum vestigium antè diluvium exstiterit, uti disertè probat S. Cyrillus (lib 1 contrà Julia, pag. 16) : « Omnes, inquit, ab Adamo usque ad Noe nati mortales Deum naturâ unum et verè omnium architectum ac Dominum coluerunt; traditur enim nullus anteà alios deos aut dæmones impuros veneratus, etc. » Idem habet, lib. 3, pag. 110. Rectiùs itaque vertit Interpres noster.

Cap. 5, v. 26 : *Mathusala postquàm genuit Lamech, vixit septingentis octingenta et duobus annis.* Quæ si vera sint, vixit Mathusala usque ad finem diluvii; at ubi inundante diluvio degebat? non in arcâ, siquidem in eâ tantùm erant octo animæ, teste S. Petro, nimirùm Noe cum conjuge, atque tribus filiis et eorum uxoribus. Respondeo ultimum annum Mathusalæ non fuisse completum, sed inchoatum; nam ut habet communis Hebræorum traditio, referente R. Salomone, paucis diebus antè diluvii initium, Mathusala è vivis excessit. Natus est enim Mathusala anno mundi 687, cùmque vixerit annos 969, sequitur eum obiisse anno mundi 1656, scilicet eodem anno quo factum est diluvium, paucis septem (si ut mox dicebam, Hebræis credimus) diebus antequàm illud inundaret. Ità S. Hieronymus quamobrem non accuratè satis S. Augustinus, lib. 1 quæst. in Gen., censet eum obiisse sex annis ante diluvium; sexto enim anno antè diluvium vitâ functus est, non Mathusala, sed Lamech ejus filius, qui fuit pater Noe, ut patet Gen. 5, v. 30 et 31. Sed audit eumdem S. Augustinum initio quæst. in Gen. : « Quæri, inquit, solet quomodò Mathusalem secundùm annorum computationem, vivere post diluvium potuerit, cùm omnes, præter eos qui in arcam ingressi sunt periisse dicantur? sed hanc quæstionem, plurium Codicum mendositas peperit. Non solùm quippè in Hebræis aliter invenitur, verùm etiam in Septuaginta interpretatione. Mathusalem in codicibus paucioribus, sed veracioribus sex annos antè diluvium reperitur fuisse defunctus, quæ cum Scripturâ non cohærent. »

Cap. 6, v. 3 : *Erunt dies illius* (hominis) *centum viginti annorum.* Quæ si intelligantur de futurâ deinceps hominum ætate, contradicunt his cap. 11, v. 13 : *Vixitque Arphaxad, postquàm genuit Sale, trecentis tribus annis;* necnon sequentibus, ubi plurium hominum vita ducentis annis major recensetur. Si verò sermo sit de concessis induciis hominibus antediluvianis ad agendam pœnitentiam : non 120 anni, sed tantùm 100 ab eo tempore ad diluvium usque effluxerunt; nam Cap. 5, v. 31, Noe quingentorum annorum fuisse dicitur dùm procreavit liberos; et Cap. 7, v. 6 et 11, fertur ingressus in arcam sexcentesimo vitæ anno, hoc est centum annis post datam præfatam sententiam; nàm si spectemus Moysis relationem, ea verba à Deo dicta sunt cum jam Noe filios genuisset.

Respondent SS. Hieronymus (in trad. Hebr.), et Augustinus (lib 15 de civ. cap. 24), hic non præscribi certum humanæ vitæ terminum, sed inducias ad agendam pœnitentiam, quâ neglectâ, et eo tempore exacto, Deus nefarios illos homines aquis diluvii erat extincturus. Cur verò illi viginti anni non adjiciantur, rationem hanc profert S. Hieronymus quæ etiam placet S. Chrysostomo (Homil. 15 in Genes.), quòd, quemadmodùm Deus ex misericordiâ interdùm pœnitentibus vitam prorogat, sicut Ezechiæ regi pœnitentiam agenti quindecim annos adjecit; ità obduratis peccatoribus aliquandò diuturniorem futuram vitam abbreviat, ne illi graviora peccata peccatis adjicientes, majora sibi tormenta et supplicia mereantur. Undè Psalmista : *Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos.* At arridet magis expositio S. Augustini et aliorum dicentium hunc agendæ pœni-

tentiæ terminum à Deo fuisse Noe denuntiatum cùm hic ageret quadringentos et octoginta annos; Moysem verò per synecdochen à maximâ parte quingentos annos numerâsse. Nàm, ut observat idem S. Augustinus, quæst. 4 in Exod.: « Divina Scriptura solet tempora ità nuncupare, ut quod de summâ perfectionis numeri paululùm excrescit aut infrà est, non computetur. » Proindè Noe tametsi natus esset duntaxat annos 480, cùm divinum mandatum de arcâ fabricandâ et promulgandâ pœnitentiâ accepit, nihilominùs à Moyse dicitur per synecdochen natus annos 500, dùm uxore ductâ filiorum procreationi sese dedit. Cùm enim animadverteret se frustrà impios homines ad pœnitentiam cohortari, ut denuntiatam divinam ultionem declinarent, de conservandâ per matrimonium humanâ propagine, atque piâ instituendâ familiâ quæ à futurâ clade esset immunis, divino instinctu fuit sollicitus per illos sequentes viginti annos; qui si adjiciantur illis 500, quos habuisse dicitur Noe dùm filios procreavit, meritò computantur 520, à divini illius mandati significatione ad diluvium usque, tametsi reverà essent tantùm quingenti : quibus si adjicias centum annos quos in arcâ conficiendâ insumpsit, verè dicitur, cap. 7, v. 6, fuisse *sexcentorum annorum quandò diluvii aquæ inundaverunt super terram*. Nulla igitur in his textibus pugna, sed facilè invicem cohærent.

Ibidem, v. 6 : *Pœnituit Deum quòd hominem fecisset*, contradicit his primo Regum 15, 29 : *Porrò triumphator in Israel non parcet et pœnitudine non flectetur; neque enim homo est ut agat pœnitentiam;* atque etiam his Malachiæ 3, et Jacobi 1, ubi Deus dicitur immutabilis.

Respondet S. Augustinus (lib. 1, de Civit., cap. 7 et lib. 2, ad Simpl. quæst. 2, et lib. 86 quæst. 52), Scripturam hìc, sicut et alibì sæpè de Deo more humano loqui, atque priora verba metaphoricè accipi, non secundùm affectum, sed effectum; neque enim Deus pœnitentium more revocat affectum priorem quem invariabiliter habet : sed retractat ea quæ fecerat et quæ ab æterno retractanda decreverat pro tali temporis et eventûs circumstantiâ. Sic Jerem. 18 : *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo quod locutus sum adversùs eam, agam et ego pœnitentiam super malo quod cogitavit ut facerem ei.* Undè vulgatum S. Ambrosii in Lucam, *novit Deus mutare sententiam si tu noveris emendare delictum.* Pœnitere ergò dicitur Deus, quandò hominum scelera ità detestatur ut de eis cum auctoribus delendis statuit, aut revocat ea quæ in tali circumstantiâ revocanda decreverat : sic primo Regum 15, ait : *Pœnitet me quod constituerim Saul regem.* Uno verbo « pœnitentia Dei, ait Hugo Victorinus (Eruditionis Theol. titulo 90) : non est mutatio intentionis à primo proposito; sed mutatio operis à primo instituto.... nec est mutata voluntas in approbatione faciendi; sed ordo mutatus in institutione facti. »

Cap. 9, v. 12 : *Porrò Arphaxad vixit tringinta quinque annis et genuit Sale;* dissonat cum hoc Lucæ 3, v. 36 : *Qui fuit Sale, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad;* ubi Cainan medius inter Arphaxad et Sale consistit. Quod etiam habent Septuaginta Interpretes in præfato Genes. loco : *Et vixit Arphaxad centum triginta tribus annis, et genuit Cainan.... et vixit Cainan centum triginta tribus annis, et genuit Sale.* Mirè se torquent Interpretes in hujus nodi dissolutione. Se huic negotio imparem ingenuè profitetur venerabilis Beda (Præfat. comment. in Act. Apost.) : « Lucas, inquit, testimoniis Græcis utitur, potiùs quàm Hebræis; ex quo accidit, quod maximè miror, et propter ingenii tarditatem vehementissimo stupore perculsus, nescio perscrutari; quâ ratione, cùm in Hebraicâ veritate à diluvio usque ad Abraham decem tantùm generationes inveniantur ; ipse Lucas, qui, Spiritu sancto calamum regente, nullatenùs falsum scribere potuit, undecim generationes juxta Septuaginta Interpretes, adjecto Cainan in Evangelio ponere maluit. » Alii verò Interpretes, ne nihil hâc in re dicerent, varias in sententias divisi sunt, quas omnes ad duas, classes revocare licet. Quidam enim Cainanem retinendum censent in serie ac genealogiâ Patrum ; alii verò omninò expungendum et removendum arbitrantur : qui omnes tametsi in alterutrâ sententiâ consistant, diversis tamen causis et rationibus invicem dissentiunt. Quorum varia judicia copiosissimè referunt Fredericus Spanhemius (tertiâ part. dub. Evang. dub. 23), Jacobus Usserius (dissert. de Cainane), Michael Waltherus (In Harm. Biblic.), et alii benè multi. Quoniam autem brevitati sicut et claritati studemus, prætermisso variarum illarum sententiarum examine, quò magis anxiè fatigatur lectoris animus, quàm jucundè reficiatur, respondeo verosimiliùs mihi videri hunc Cainanem esse omninò suppositititum ; atque in textum Septuaginta et S. Lucæ irrepsisse, et ab utroque (si accederet Ecclesiæ judicium) esse expungendum. Rationes quæ me in hanc sententiam, non tam alliciunt quàm rapiunt, sunt :

1. Altum de illo Cainane ipsius Moysis sicut et Auctoris Libri primi Paralipomenon in Hebræo codice et Vulgatâ silentium. A quo enim tutiùs historiæ veteris ac Patriarcharum ætas exquiratur quàm à Moyse antiquissimo historiæ omnis parente? Nàm, ut acutè ratiocinatur Pererius, « generatio Cainanis ignota fuit Moysi, aut nota. Ignotam fuisse Moysi, quæ perspecta fuerit et cognita septuaginta Interp. quis audeat dicere? Cùm Moyses tantò propior quàm illi fuerit ei ætati, solusque illorum temporum historiam tantâ cum diligentiâ et curâ conscripserit. Sin autem ea generatio nota fuit Moysi, cur igitur eam prætermisit? præsertim autem cùm ejus generationis vel adjectio vel detractio non parùm variet chronologiam quæ inter diluvium et Abraham à Moyse describitur; quam quidem chronologiam voluisse Moysem integrè, exactè, ac perfectè tradere, illud est clarissimum indicium, quod seriem generationum, quæ fuerunt inter diluvium et Abraham, distinctè et accuratè percenseat, et suos cuique generationi annos subtiliter computatos propriè assignet. Quî sit igitur credibile Moysem, generatione Cainan prætermissâ, vitiosam nobis Chronologiam aut voluisse tradere, aut cùm minimè vellet, inscienter tamen tradidisse? Equidem diù multùmque cogitans nullam rationem, quæ mihi animum expleret, reperire potui, cur Moyses generationem Cainan (siquidem ea inter Arphaxad et Sale intercessit) præterire debuerit aut potuerit. Nàm quod aiunt quidam voluisse Moysem generationes quæ fuerunt antè et post diluvium ad duas tantùm decades redigere, id nec probari ab istis potest, et leve ac futile est, nec tale ut propter id debuerit Moyses chronologiam, cujus exacta cognitio magni erat momenti, perturbare atque confundere. His adde, quòd saltem in Libris Paralipomenon, in quibus supplentur, quæ alibi in sacris Litteris derelicta fuerant, undè nomen etiam illi habent, commemorata fuisset generatio hæc Cainan; siquidem in exordio prioris Libri Paralipomenon series generationum quæ fuerunt antè et post diluvium similiter atque hìc recensetur, nec ullum tamen verbum fit de generatione Cainan. » Hæc ille.

2. Cainanem istum Chaldaici paraphrastes, Onkelosus et Jonathan non agnoscunt.

3. Eum etiam prætermittunt nobiliores et antiquiores auctores; imprimis enim Julianus Africanus, Origenis æqualis, omisso illo Cainane, Arphaxadum annos 135 natum genuisse Salam dicit; et ab Adamo usque ad mortem Phaleg, annos elapsos enumerat, non recensitis annis ipsius Cainanis. Quin etiam ipsemet Origenes, tametsi interdùm Cainanis hujus meminerit, nihilominùs tamen, Tract. 20 in Joannem, scribit decem esse generationes ab Adamo ad Noe: at si enumerandus esset ille Cainan, non decem sed undecim generationes essent computandæ. Theophilus quoque Antiochenus, temporum epilogismum juxtà Septuaginta instituens, omisso Cainane, Arphaxadum Salæ Patrem facit. Imò et ipsorum Apostolorum temporibus, Dositheus, in textu Hebraico quem interpolatum Samaritanis suis dedit, Patrum post diluvium annis, ex septuaginta editione desumptis, Cainanem cum suis annis prorsùs prætermisit, numeratis hoc modo à diluvio usque ad primum Abrahami (vel 70 Tharæ potiùs) annis 942, quot erant et juxtà Septuaginta, ut ex Eusebio refert Georgius Syncellus. Neque etiam Cainanis meminerat Josephus, cujus tempore Græci codices, quos aliàs sequi solet, procùl dubio id nomen nondùm habuerunt; alioquin vix reticuisset S. Hieronymus qui omnem dissonantiam lectionis quæ est in libro Genesis inter codices Hebræos et Septuaginta Interp. curiosè pervestigans ac diligenter annotans, dissonantiam hanc adeò insignem, nullo digitulo tangit. Epiphanius quoque datâ operâ ac certò consilio rationem temporum supputans, ut Melchisedechianorum dogma refelleret, Cainanem planè omisit. Idem facit Vulgatus Interpres tàm in Genesi, quàm in Paralip. Insuper S. Irenæus, vetustissimus auctor, à generatione Domini usque ad Adamum in Lucâ numerat generationes 72, qui numerus, si Cainan absit, sibi constat, præsente eo fallit. Indè non leve indicium est eo tempore Cainanem illum nec apud Septuaginta nec apud S. Lucam fuisse insertum. Accedit his Moysis institutum, Canonem videlicet et accuratam annorum seriem ab orbe condito ad suam usque ætatem attexere; at si omisisset annos quos vixisset Cainan, haud dubiè turbaretur ille calculus sacer, nec haberetur accurata mundi chronologia. Adde quòd Abrahamum à diluvio esse decimum, qui Cainane interjecto esset undecimus, non Hebræi tantùm, quos inter Josephus, affirmant, sed et ex Chaldæis Berosus ab ipso Josepho productus, et ex Græcis Eupolemus, cujus locum servavit Eusebius. Deniquè si admitteretur ille Cainan secundùm recensionem Septuaginta fatendum esset uno eodemque anno patrem et filium in lucem pro-

diisse; nam, juxtà Hebræum codicem, Arphaxad genuit Sale anno ætatis suæ 35; at illo ipso anno, juxtà septuaginta Interpretes, idem Arphaxad refertur genuisse patrem ipsius Sale, nimirum Cainan; subindèque si uterque textus subsisteret, uno eodemque anno pater et filius dicerentur geniti; quod quàm absurdum sit nemo est qui non videat.

Excipere nituntur adversarii dicendo Arphaxadum genuisse Sale anno vitæ suæ 35, non *actu*, inquiunt, sed *virtute et prudentiâ*, quia eo anno genuit Cainan patrem ipsius Sale, qui in suo parente virtute continebatur. Neque, aiunt, id insolitum est in sacris Litteris; nam in Genealogiâ Salvatoris nostri apud S. Matthæum, dicitur Joram genuisse Oziam, non sanè actu, sed virtute, quia Joram genuit proximè Ochoziam, proavum Oziæ. At exceptio hæc omninò insulsa est et rigida: tametsi enim interdùm in Scripturâ avi dicantur gignere nepotes, nullibi tamen referuntur illos gignere eodem anno quo illorum patres. Peccat etiam *Elencho parium*: enimverò in generatione Jorami apud S. Matthæum nulla temporum ratio obstat quominùs Matthæi verba commodè de generatione mediatâ Oziæ intelligantur, quia ibi non agitur de canone et calculo temporum generationum, sed duntaxat de lineâ Majorum Christi Domini, quos in tres tesseradecades consultò distribuendas fortè ob mysterium aliquod suscipit, uti præmonuerat, v. 17. Secùs autem est in textu de quo agitur; nam in codice Hebræo disertè asseritur annus generationis actualis Sale, qui Simul non potest esse annus generationis actualis Cainan, alioqui pater et filius uno eodemque anno fuissent geniti.

At, inquies, his obluctantur Septuaginta Interpretes et S. Lucas, qui Cainanem Arphaxadi filium et Sale patrem disertè pronuntiant. Responsio. Ità quidem legimus in exemplaribus hodiernis: verum omnia antiquiora exemplaria hunc Cainanem non habuisse argumentum est, quòd plurimi veteres hujus Cainanis non meminerint. Undè concludere juvat cum Bened. Pererio (ad 11 cap.) generationem Cainam non fuisse in omnibus Libris Septuaginta, atque probabiliter etiam conjicitur eam non fuisse traditam ab illis: adeòque eos Libros qui eâ generatione carebant, ut qui cum Hebræis codicibus congruerent, veros et integros esse judicandos; eos autem qui generationem Cainan habebant, in hâc parte mendosos esse atque corrigendos. Facile autem fuit, aliquem nactum Libros Septuaginta, in quibus erat generatio Cainan; indè eam transtulisse in Evangelium S. Lucæ: quod à principio non animadversum, non solùm inhæsisse in uno eo libro, sed in eos posteà qui usque ad hanc diem exscripti sunt esse derivatum. At enimverò, si quod de veritate Librorum Septuaginta circà generationem Cainan satis benè probatum est, idem quoque de libro Evangelico S. Lucæ probaretur; equidem sententiam hanc toto assensu complecterer. Hæc ille. Atqui codex quatuor Evangeliorum et Actuum Apostolorum in antiquissimis membranis litteris majusculis sine spiritibus et accentibus descriptus (quem grassante per universam Galliam Calviniano furore, Beza ex monasterio S. Juliani juxtà Lugdunum suffuratus, in Angliam profugus Cantabrigiensi bibliothecæ donavit) hic, inquam, codex vetustissimus Cainanem illum non habet.

Instabis: Minor fides esse debet huic uni codici, quàm tot antiquissimis Auctoribus qui Cainanem illum retinent. In primis Syrus Interpres, quem vetustissimum esse fatentur omnes, Cainanem interserit inter Arphaxad et Sale; similiter et Eusebius in exordio Chronici sui, S. Epiphanius sub finem Ancoratûs sui et hæresi 66, et initio Panarii, et unus qui pro Latinis sufficiat S. Augustinus, lib. 16 de Civit. Dei, cap. 3, ubi numerat Abrahamum in vigesimâ primâ generatione ab ortu rerum, qui in vigesimâ tantùm consisteret si Cainam esset prætermittendus.

At omnia ista momenta facilè concidunt. Nam ad auctoritatem Syri Interpretis quod spectat, non videtur hâc in re magni ponderis; quippè Cainan ille in Syrum codicem intrusus videtur à quodam amanuensi in descriptum à se exemplar bonâ quidem fide, videlicet ut Syrus interpres cum codicibus Septuaginta, et S. Lucæ consentiret, à quo exemplari vitiato error in cætera Syræ versionis exemplaria demùm propagari potuit. Neque majorem fidem in hoc argumento meretur Eusebius, ut qui sibi non constat. Nam ibidem Arphaxad statuit genuisse Sale, tametsi paucis interpositis lineis scribat Arphaxad genuisse Cainan; nisi fortè fraus facta sit in Eusebii codice. Eâdem responsione fit satis auctoritati S. Epiphanii; tametsi enim locis prolatis Cainanem Arphaxadis filium adstruat, tamen in hæresi Melchisedechianorum constanter asserit Arphaxad genuisse Sale, nullâ Cainanis mentione factâ, cùm tamen id plurimum conducere videretur ad ejus scopum; nam hâc ratione plures

intercessissent anni inter Sem et Abrahamum, adeòque Samaritas, quos impugnat, acriùs urgere potuisset Melchisedechum non esse Sem, utpotè cùm inter Melchisedechum et Sem plures intercedant anni vix Melchisedecho concedendi.

Ad S. Augustinum dico non mirum quòd Cainanis mentionem fecerit, cùm antè illius ætatem jam corrupti fuissent plerique codices Græci et Latini. Undè Georgius Syncellus « lectos per omnes Christi Ecclesias sacros Geneseos Libros Cainanem habere » affirmat, et ob illum prætermissum, tùm Eusebium, tùm alium quemdam ætate suâ vetustiorem erroris arguit; at magis arguendus ille quòd interpolatis Septuaginta Interpr. codicibus, nimiam fidem incautus fecerit. Probabiliorem itaque cum Petavio (lib. 9, de doctrinâ temp. cap. 17), Cornelio à Lapide (in cap. 2, Genes. 12), Petro Possino (in Diallactico geneal. Christi), Joan. Cordesio (in libello Gallico de geneal. Christi), et aliis plurimis Catholicis auctoribus, puto sententiam quæ hunc Cainanem cùm in Septuaginta tùm in Lucæ codicem irrepsisse affirmat, à quo tamen non privato cujusque, sed publico Ecclesiæ judicio esset expungendus.

Eodem cap. 11 : *Vixitque Thare septuaginta annis, et genuit Abram, Nachor et Aram*, non concordat cum hoc cap. 12, v. 4 : *Septuaginta quinque annorum erat Abram cùm egrederetur de Aram.* Nam hic exitus contigit post Thare obitum, teste S. Lucâ de Abraham dicente : *Tunc exiit de terrâ Chaldæorum et habitavit in Charan; et indè, postquàm mortuus est pater ejus, transtulit illum Dominus in terram istam*, etc. Vixit autem Thare 205 annis, cap. 11, v. 32, ac subindè dùm Abraham exiit de Haram, aut non erat natus de 75 annis, sed 130, aut non est dicendus genitus anno 70 patris sui. Si enim huic annorum calculo adjicias 135, qui supersunt ex Thare ætatis et vitæ serie, perspicuum erit Abrahamum patre mortuo natum esse annos 130; nam si septuaginta quinque demas à ducentis quinque, remanent centum triginta.

Respondeo apparentem hanc antilogiam Interpretum ingenia adeò torsisse, ut S. Hieronymus (in traditionibus Hebraicis) hunc locum *quæstionem indissolubilem* pronuntiârit, tametsi eam alibi enodare fuerit aggressus. Plures equidem ab auctoribus proferuntur horum textuum in speciem pugnantium conciliationes. 1° Andræas Masius (in caput ultimum Josuæ) verosimilius putat Abraham venisse in terram Chanaan septuagesimo quinto anno ætatis suæ, vivente adhuc patre et annum agente 145, qui tamen mortuus dicitur à S. Stephano, non quidem morte naturali, sed spirituali, quòd inanium deorum cultui deditus recusaverat ire in Chananæam regionem, quò Deus illum cum Abrahamo filio vocabat. Verùm hæc interpretatio tropologica est et narrationem historicam evertit. 2° Sentiunt alii cum S. Augustino (lib. 16, de Civit., cap. 15) Abrahamum reverà natum esse anno septuagesimo vitæ patris sui Tharæ, sed bis evocatum in terram Chanaan; primò quidem quandò, vivente adhuc patre suo et annum agente 145, ipse Abrahamus natus erat anno 75; atque de hoc adventu agit Moyses, Genesis 12, cùm autem ad visendum patrem sæpiùs in terram Chaldæorum pergeret illùcque ivisset dùm patrem morti proximum audivit; demùm patre mortuo, relictâ quæ eum obtigerat hæreditate, atque ultimo Chaldæis valedicto, venisse in terram Chanaan nusquàm ampliùs in Chaldæam reversurus; atque de hoc adventu agere S. Stephanum. Hæc quidem explicatio non est omninò improbabilis. At verosimilior ea mihi videtur quæ asserit Abrahamum reverà natum esse anno patris sui 130, neque his officere priorem Genesis textum; non enim intelligendus est Thare anno septuagesimo tres præfatos genuisse filios; sed tantùm docere voluit ipsum nullos ante filios genuisse, uti explicat S. Augustinus (Quæstione 25 in Genesi). Quamobrem res sic videtur componenda, quod Thare eo anno genuerit Aran; deindè aliquot post annos Nachor; novissimè autem cum esset 130 annorum genuerit Abrahamum qui minor erat natu; tametsi omnium prior ratione dignitatis nominetur, quòd ipsum elegisset Deus in cujus semine benedicendæ erant omnes gentes : quemadmodum 1, Par. 4, inter filios Abrahæ prior numeratur Isaac, quàm Ismael, et inter filios Isaac prior Jacob, quàm Esau.

Cap. 13, v. 15 : *Terram quam conspicis* (Abraham) *dabo tibi*, opponitur huic Actuum 7, v. 5 : *Non dedit illi hæreditatem in terrâ illâ, nec passum pedis.* — Resp. Abrahamo dedit regionem Chanaatidem quoad jus, posteris autem ejus quoad possessionem : illi factæ sunt quidem repromissiones; sed quæ essent in his implendæ : habuit ille (ut loquuntur jurisperiti) *jus ad rem*; hi verò *jus in re.* Stat igitur utriusque textûs veritas.

Cap. 15, v. 13 : *Futurum erit semen tuum in*

terrâ non suâ ; et subjicient eos servituti, et affligent eos quadragintis annis. Idem reperitur Judith 5, v. 9 : *Descenderunt in Ægyptum illùcque per quadragintos annos sic multiplicati sunt, ut dinumerari eorum non posset exercitus* Similiter Actuum 7, v. 6 : *Semen ejus erit accola in terrâ alienâ... et malè tractabunt eos annis quadringentis.* Quin etiam diuturniorem adhuc et prolixiorem hunc incolatum fuisse significatur Exod. 12, v. 48 : *Habitatio autem filiorum Israel, quâ manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum.* Item ad Galatas 3, v. 17 : *Hoc autem dico testamentum confirmatum à Deo, quæ post quadringentos triginta annos facta est Lex.* At hi omnes textus nec invicem, nec cum historiâ captivitatis Israeliticæ cohærere possunt ; tantùm enim abest ut Israelitæ vexati fuerint in Ægypto per 430 annos, ut vix suprà ducentos ibi steterint. Tot enim numerandi sunt anni illius incolatûs, quot fluxerunt ab eorum ingressu cum Jacobo et duodecim Patriarchis ejus filiis, ad exitum duce Moyse ; at intercedunt anni ducenti tantùm aut paulò ampliùs : nam Caath, filius Levi, numeratur inter eos qui cum Jacobo descenderunt in Ægyptum ; hic autem vixit tantùm 133 annis : quibus si adjicias 137 vitæ Amram, ejus filii et Moysis patris, unà cum 80 quot Moyses erat natus quandò fuit à Deo ad Pharaonem delegatus (Exod. 7, 7), efficies tantùm annos 350. Ex quibus si detrahas annos ipsius Caath ante illam demigrationem ; atque eos quot erat natus priùsquam gigneret Amram, et quot post eum genitum vixit, eamdemque computandi rationem serves in Amram ; vix reperies annos 215. Confirmantur ista : Josephus triginta novem annos natus erat, dùm ejus pater Jacob in Ægyptum descendit ; vixit autem 110 annis ; subindèque ab ingressu patris in Ægyptum ad mortem ejus sunt anni 71. At verò ab ejus morte ad Moysis nativitatem intercesserunt anni 64, quibus si adjicias annos 80 Moysis dùm populum eduxit, erunt anni 215 : non itaque sunt 430.

Huic implicatæ difficultati varii varia respondent : at prætermissis aliorum expositionibus, *respondeo* tres in primo vaticinio Israelitarum status prænuntiari, 1° Eorum peregrinationis : *Peregrinum erit semen tuum ;* 2° servitutis : *Et subjicient eos servituti ;* 3° vexationis et persecutionis : *Et affligent*, etc. Tempus peregrinationis incipit à vocatione Abrahæ et exitu de domo paternâ ut peregrinaretur in terrâ alienâ : nam tàm ipse quàm ejus filii usque ad exitum de Ægypto, nullum habuerunt proprium solùm ; sed hinc inde indigenæ et peregrini degerunt *et pertransierunt de gente in gentem et de regno ad populum alterum* (Psalm. 105), quamobrem Jacob stans coram Pharaone dixit : *Dies peregrinationis meæ* 130 *annorum* : hoc autem peregrinationis tempus exordium habuit à tempore quo Abraham, ut Deo vocanti et jubenti pareret, exiit de terrâ suâ et de cognatione suâ et de domo patris sui. Indè verò usque ad descensum in Ægyptum, ut notat Waltherus, fluxerunt anni 215, quod sic demonstratur : ab egressu Abrahami ex Ur usque ad natum Isaacum sunt anni 25 ; natus enim est Isaac anno ætatis Abrahæ centesimo Gen. 21 v. 5 ; à nativitate Isaaci sunt 60 anni usque ad nativitatem Esau et Jacobi ; sexagenarius enim Isaac erat, cùm ei nascerentur parvuli, Gen. 25. v. 27, à nativitate Jacobi usque ad nativitatem Josephi sunt anni 91 (qui sic colliguntur : Joseph erat annorum 30 cùm veniret in conspectum Pharaonis Gen. 41, v. 46 ; adde annos 7 fertilitatis ac duos sterilitatis, de quibus Gen. 6, v. 45, habebis 39 annos. Jam verò Jacobus, cùm sisteretur Pharaoni, erat annorum 130, Gen. 47 v. 9 ; subtrahe hinc 39 annos, quibus Joseph in Ægypto erat, relinquuntur 91 anni, tempus nimirùm à nativitate Jacobi ad nativitatem Josephi). Joseph autem natus erat annos 39 quandò pater ejus venerat, in Ægyptum, ex quibus summatim conficiuntur 215 anni. Jam cùm mansio Israelitarum in Ægypto, quod antè subduximus, fuerit 215 annorum, anni hi omnes simul juncti exactissimè producunt 430 annos qui disertè numerantur Exodi 12, v. 40. Galat. 3, v. 17.

At, inquies, ista futura peregrinatio per 430 annos denuntiatur, non Abrahamo, sed ejus semini. — Resp. Dum à Deo evocatus Abraham exiit de Ur Chaldæorum, jam tùm declarabatur pater Israelitici populi ; dixerat enim ei Deus : *faciam te in Gentem magnam.* Undè jam in parente peregrinabatur semen ; quemadmodùm Levi dicitur ad Apostolo decimatus, *cùm esset adhuc in lumbis Abrahæ* : dum enim decimaretur Abraham, decimabatur quoque ejus posteritas quæ erat in lumbis ejus. Itaque illi 430 anni peregrinationis non absurdè numerentur ab exitu Abrahæ de Ur Chaldæorum. Anni autem servitutis computandi sunt post mortem duodecim Patriarcharum, usque ad Pharaonem illum qui vitæ eorum infantium insidiabatur. Nam Israelitas anteà Egyptiis in-

servisse patet Exod. 1, v. 11 ubi rex ille novus qui ignorabat Joseph, mandavit præfectis operum ut aggravarent Israelitarum onera ; proindèque anteà servituti erant addicti. Tempus verò vexationis fuit ab hoc regio edicto ad Israelitarum exitum. Nam, v. 13, legimus : *Oderantque filios Israel Ægyptii et affligebant illudentes eis, atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris,* etc. Quamobrem omnes præfati textus facili negotio cohærebunt, si 430 annos peregrinationis numeres à vocatione Abrahæ ; 400 autem circiter à nativitate Isaaci in quo reverà semen Abrahæ cœpit in seipso peregrinum esse, usque ad promulgationem Legis, quæ mense tertio egressum Ægypto subsecuta est ; reliquos verò annos servituti et vexationi deputes.

Instabis rursùs : Peregrinatio et mansio illa dicitur facta in Ægypto ; at Abraham et Isaac non fuerunt Ægypti indigenæ et inquilini nisi brevissimo tempore ; itaque non comprehenduntur in hàc peregrinationis serie ; ac proindè ab eis non est computanda. — Resp. Has voces (*in Ægypto*) intelligendas esse metaphoricè et per synecdochem, quà pars peregrinationis diuturnissima in uno loco, accipitur pro toto peregrinationis tempore ; maximè cùm Abraham et Isaac etiam fuerint in Ægypto advenæ, tametsi Chanaatidem postmodùm repetierint. Quamobrem Septuaginta Interp. appositè hunc textum sic reddunt : *Habitatio filiorum Israel qui habitârunt ipsi et patres eorum in terrâ Ægypti et in terrâ Chanaan fuit* 430 annorum. Causa verò cur Moyses tantùm nominavit mansionem in Ægypto, fuit triplex, inquit Waltherus. 1° Enim totius illius habitationis 430 annorum et initium fuit in Ægypto et finis : de fine id clarum est ; de principio patet idem ex Gen. 12, ubi narratur, statim ut Abraham venit ex Mesopotamià in terram Chanaan, cogente fame venisse in Ægyptum. 2° Illius habitationis 430 annorum major pars in Ægypto est consumpta, siquidem in terrâ Chanaan diversis temporibus manserunt tres illi Patriarchæ, Abraham, Isaac, et Jacob 1954 annis. At continua Hebræorum mansio in Ægypto fuit ducentorum quindecim annorum. Accedit, quòd habitatio Hebræorum in Ægypto tribus rebus fuit valdè insignita et nobilitata. Primùm enim Joseph eo tempore summo cum imperio universam Ægyptum per octoginta annos gubernavit, ubi Hebræi in magnâ fuerunt prosperitate. Deindè post mortem Josephi perinsignis et admiranda fuit Hebræorum multiplicatio, licet laboriosissimâ servitute affligerentur ab Ægyptiis. Denique liberationem eorum atque exitum ex Ægypto tot et tanta tunc facta prodigia valdè memorabilem et stupendum reddiderunt. Ob hasce itaque causas Moyses solam Hebræorum in Ægypto mansionem commemorare voluit.

Ibidem, v. 16 : *Generatione autem quartâ revertentur hùc,* pugnat cum lib. 1, Paralip., cap. 1, ubi ab Abrahamo ad Caleb (qui ingressus est terram repromissam) numerantur sex generationes in tribu Judæ nimirum Isaac, Jacob, Juda, Phares, Esron, Caleb ; et totidem in tribu Levi, ab Abrahamo usque ad Moysem, scilicet Isaac, Jacob, Levi, Amram, Moses.

Respondeo vaticinium hoc intelligi de generationibus aut genitis hominibus qui diutissimè peregrini erant futuri et advenæ in Ægypto, quique aut eorum filii seu nepotes indè erant aliquandò exituri, ut terram promissam occuparent. Sed Judas, Phares, et Esron, qui triplicem generationis gradum istituunt, steterunt in Ægypto ; Caleb autem, qui quarto gradu distabat, ex Ægypto egressus terrâ sanctâ poti tus e

Ibidem circà finem numerantur decem gentes expugnandæ ab Israelitis : cùm tamen Josue 24, v. 11, et Actorum 13, v. 19, solùm septem fuerint exterminatæ. Resp. septem duntaxat equidem referuntur expugnatæ ; vel quòd hæ potentiâ et ditione præstarent, aliæ verò tunc eis essent subditæ, sicut plerumque contigit minores principatus à potentioribus occupari, et cum eis incorporari : vel quòd illæ jam erant extinctæ aut aliò translatæ cum illùc Israelitæ accesserunt.

Cap. 29, v. 23 : *Major serviet minori*, contradicit his cap. 32, v. 5, ubi Jacob per nuntios ait Esau : *Hæc dicit servus tuus Jacob.* Respondeo : Oraculum istud non spectabat immediatè personas Esau et Jacob, sed eorum posteros ; habet enim : *Duæ gentes sunt in utero tuo, et duo populi ex ventre tuo dividentur, populusque populum superabit, et major serviet minori ;* quod utique impletum est cùm David Idumæos sibi fecit tributarios 2 Reg., cap. 8, v. 14.

Cap. 45, v. 27 : *Omnes animæ domùs Jacob quæ ingressæ sunt in Ægyptum fuêre septuaginta ;* quod repetitur Exod. cap. 1, v. 5, etc. Deuter. 10, v. 22, cùm tamen S. Stephanus, Act. 7, v. 14, dicat : *Mittens Jacob accersivit patrem suum in animabus septuaginta quinque.* — Re-

spondet S. Hieronymus (in Quæst. Hebraic.) : « Manifestum est, inquit, omnes animas, quæ ingressæ Ægyptum de femoribus Jacob, fuisse septuaginta, dùm sexaginta sex posteà ingressæ sunt, et repererunt in Ægypto tres animas, Joseph scilicet cum duobus filiis ejus ; septuagesimus autem ipse fuit Jacob. Hanc rem ne videamur adversùs Scripturæ auctoritatem loqui, etiam Septuaginta Interpretes in Deuteronomio transtulerunt, quòd in septuaginta animabus ingressus est Israel in Ægyptum. Et paulò post, quòd si nobis id opponitur, quomodò in Actibus Apostolorum, in mentione Stephani, dicatur septuaginta quinque animas ingressas esse Ægyptum, facilis excusatio est. Non enim debuit S. Lucas, qui ipsius historiæ scriptor est, in gentes Actuum Apostolorum volumen emittens, contrarium aliquid scribere adversùs eam Scripturam quæ jam fuerat gentibus divulgata ; et utique majoris opinionis illo duntaxat tempore Septuaginta Interpretum habebatur auctoritas quàm Lucæ, qui ignotus, et vilis, et non magnæ fidei in nationibus ducebatur. Hoc autem generaliter observandum, quòd ubicumque sancti Apostoli aut Apostolici viri loquuntur ad populos, iis plerumque testimoniis abutuntur quæ jam fuerant in gentibus divulgata, licèt plerique tradant Lucam Evangelistam, ut proselytum, Hebræas litteras ignorâsse. » Hæc S. Hieronymus, quibus significat Moysem ideò sexaginta sex tantùm numerâsse, quòd non fuerit complexus ipsum Jacobum atque Josephum, et duos ejus filios, Ephraim et Manassem in Ægypto natos ; qui si adjiciantur, conficiunt numerum septuagesimum. S. Stephanus verò nedùm hos numerat, sed etiam eis accenset tres (codicem Septuaginta Interp. secutus) Josephi nepotes, unum ex Manasse nempè Machir ; duos ex Ephraimo, Sutalaam et Taam ; duosque pronepotes, videlicet Galaad ex Machir, et Edom, filium Sutalaam, qui prioribus septuaginta adjuncti, efficiunt septuaginta quinque ; at cùm hi in Ægypto nati fuissent, eos cum ingredientibus in Ægyptum Moyses non recensuit.

Cap. 48, v. 22 : *Do tibi partem unam extrà fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio et arcu meo.* At Genes. 33, v. 19, et Josue ultimo, v. 33, refertur hunc agrum emptum fuisse à Jacobo *pretio centum agnorum ;* non ergò fuit vi armorum conquisitus. — Respondeo hunc agrum primùm reverà emptum fuisse centum agnis à Jacobo ; at cùm propter cladem Sichimitis illatam indè metu excessisset Jacob, hunc agrum invaserunt Amorrhæi, quos posteà Jacob, in eam regionem reversus, vi et armis expulit.

Ex Exodo.

Cap. 14, v. 13 : *Ægyptios quos nunc videtis, nequaquàm ultrà videbitis usque in sempiternum ;* Ut v. 31 : *Et viderunt Ægyptios mortuos super littus maris.* — Respondeo Israelitas non vidisse ampliùs Ægyptios vivos et persequentes, sed in aquis suffocatos et mortuos ; quorum cadavera ad littora maris ejecta, in argumentum erant victoriæ Dei pro Israelitis pugnantis, et eorum hostes expugnantis,

Cap. 20, v. 5 : *Dominus Deus tuus, fortis, zelotes visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam generationem,* militat cum hoc Ezech. 18, c. 20 : *Filius non portabit iniquitatem patris,* etc. — Resp. Prior textus intelligitur de filiis qui iniquorum patrum impia vestigia sectantes, eorum pravitatem æmulantur ; posterior verò de filiis qui parentum iniquitatem et malitiam aversantur,

Cap. 20, v. 24 : *Altare de terrâ facietis mihi,* contradicit huic cap. 27, v. 1 : *Facies et altare de lignis Setim.* — Resp. Duplex erat altaris pars, interior et exterior ; illa è terrâ, hæc è lignis Setim constabat.

Cap. 20 : *Reddet animam pro animâ, oculum pro oculo, dentem pro dente,* etc., proscribitur per hæc Christi verba Matth. 5, v. 38 : *Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe ei et alteram,* etc. — Resp. Loquitur Moyses de judicio publico magistratûs quem de reddendâ ad æquitatem justitiâ et secundùm juris et legis apices informat ; Christus verò de homine privato, qui si ad Evangelii normam sese conformare cupiat, non debet vim vi repellere, sed vincere in bono malum, et in patientiâ suâ possidere animam suam.

Cap. 31, v. 18 : *Deditque Dominus Moysi..... duas tabulas testimonii lapideas scriptas digito Dei ;* et cap.32, v. 16 : *Scriptura quoque Dei erat sculpta in tabulis ;* quibus significatur Deum seipso aut angelorum ministerio tabulas Legis inscripisse ; at cap. 34, v. 28, de Moyse dicitur : *Scripsit in tabulis verba fœderis.* — Respondet S. Augustinus (lib. 5 decem. cap. 15, in Deuter) priores textus intelligi de prioribus tabulis digito Dei exaratis, quas Moyses ob adorationem vituli aurei indignabundus confregerat ; posteriorem verò de reparatis aliis tabulis quas dictante Deo Moyses ipse descripsit ; at posteriores hæ tabulæ dicuntur etiam

scriptæ digito Dei. Exodi 30, v. 1, et Deuteron. 10, v. 4. Respondent alii posteriores tabulas dici à Deo scriptas, quòd ejus mandato et dictamine fuerint exaratæ; à Mose verò, quòd Dei dictantis verba exceperit et insculpserit. At hâc eâdem ratione universa Scriptura sacra dici posset scripta digito Dei. Eis itaque consentio qui verbum (*scripsit*) cap. 34, v. 28, non ad Moysem, sed ad Deum referunt. Nec adversatur quod versu 27 antecedente jubetur Moyses scribere; nam hoc non spectat ad Legis tabulas, sed ad præcepta quæ priùs referuntur. Undè signanter Moysi ait Deus : *Scribe tibi verba hæc*, etc. Quamobrem, quæ ipse scripserat, illa in medio versûs concluduntur per accentum atnach; igitur verbum construendum est cum nomine remotiori ויכתב quod in primo versûs segmento ponitur; ac subinde hîc repetendum aut subaudiendum est nomen יהוה.

Ex Levitico.

Cap. 2, v. 1 : *Anima cùm obtulerit oblationem sacrificii Domino, simila erit ejus oblatio fundetque super eam oleum et ponet thus;* cujus contrarium mandatur cap. 5, v. 11 : *Offeret pro peccato suo similæ partem ephi decimam; non mittet in eam oleum nec thuris aliquid imponet;* quod iteratur Numerorum 5, v. 15. — Resp. Duplex hîc commemoratur sacrificii genus : aliud Eucharisticum et gratiarum actionis, pro beneficiis acceptis ; aliud Expiatorium et satisfactionis pro peccatis; in priori oleum et thus, benignitatis et venerationis symbola, gratissima habet Deus; at illa prohibet in posteriori, in signum suæ aversionis à peccato.

Ibidem, v. 11 : *Omnis oblatio quæ offeretur Domino absque fermento fiet;* at cap. 23, v. 17 : *Offeretis sacrificium novum Domino... panes primitiarum duos de duabus decimis similæ fermentatæ.* — Resp. Duo pariter hîc designantur sacrificia, alia quæ fiebant voluntariè et in signum venerationis : alia quæ præcipiebantur in gratiarum actionem : à prioribus arcetur fermentum quod est hypocrisis et insinceritatis symbolum, dicente Christo Matth. 16, v. 6 : *Cavete à fermento Pharisæorum quod est hypocrisis;* ut admonerentur Judæi, sacrificia non esse offerenda ad pietatis ostentationem ; tametsi non recusaverit Deus oblationem similæ fermentatæ in signum gratitudinis ob concessa ad victum necessaria.

Cap. 18, v. 16 : *Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis;* At Deuter. 25, v. 5 : *Fratris defuncti uxorem accipiet frater ejus, et suscitabit semen fratris sui.* Resp. Prioribus verbis prohibetur ducenda uxor fratris aut viventis dùm ab eo repudiatur, aut mortui, quandò ille posteritatem et filios habet. Posterioribus autem, hoc postremum conceditur ad suscitandam fratris absque filiis mortui familiam, unde specialis hæc lex, illius generalis est exceptio.

Ex Libro Numerorum.

Cap. 2, v. 17, præcipitur ut tabernaculum et arca Dei *deferantur in medio castrorum,* dùm proficiscerentur; at cap. 10, v. 33, legimus : *Arca fœderis Domini præcedebat eos per dies providens castrorum locum.* — Resp. In priori textu significatur ordinaria arcæ deportatio et consistentia in medio castrorum, quatenùs omnes tribus ratum haberent sibi divinum ex æquo adesse Numen, et pari cultu et observantiâ Deum sibi præsentem venerarentur; in posteriori explicatur extraordinaria Dei dispositio et sanctio quâ semel voluit ut Israelitarum è Monte Sinai recedentium arca itinere trium dierum præcederet castra, tùm ad designandam eis viam quâ pergerent, tùm ad firmandos eorum animos atque significandum nihil eis ab hostibus esse timendum.

Cap. 4, v. 3, præcipitur Levitis ut *à trigesimo anno et suprà usque ad quinquagesimum annum stent et ministrent in tabernaculo fœderis;* at Paralip, c. 23, v. 3 et 24. Levitæ dicuntur *fecisse opera domûs Domini à viginti annis et suprà;* Numer. autem 8, v. 24 : *A viginti quinque annis.* — Resp. Multiplex fuit Levitarum munus ; nam alii aut inserviebant senioribus, aut officia inferiora exequebantur : alii deputabantur ad militarem templi custodiam : alii denique Sacerdotibus manus dabant in sacrificiis et aliis sacris officiis exequendis. Ad primum munus idonea erat ætas 20 annorum; ad secundum requirebatur annus 25 transactus ; ad tertium desiderabatur annus trigesimus.

Cap. 12, v. 1 : *Locutaque est Maria et Aaron contrà Moysem propter uxorem ejus Æthiopissam;* at hæc Exod. 2, v. 21, dicitur *filia Sacerdotis Madian.* — Respondent aliqui cum Josepho (lib. 2 Antiq., cap. 10) Moysem duas habuisse uxores, unam filiam Raguelis Madianitarum sacerdotis nomine *Sephoram*, aliam filiam regis Æthiopum, dictam *Tarbin.* Verùm istud commentitium omninò videtur, quippè cùm hujus uxoris nulla prorsùs in Scripturâ sacrâ fiat mentio : neque alii commemorantur filii Moysis quàm quos ex Sephorâ suscepit.

Undè Respondeo hanc dictam esse *Æthiopissam*, non ab Æthiopia occidentali et Africanâ quæ jacet sub zonâ torridâ, sed orientali quæ posterioribus temporibus dicta est *Arabia*, hebraicè *Cusch*, complectiturque non solùm Madianitas, sed etiam eos populos qui ad Arabicum sinum vergunt, testibus Herodoto (lib. 7), Plinio (lib. 5, cap. 8,) et S. Augustino. Undè Habacuc cap. 3, v. 7, eamdem Madianitarum et Æthiopum gentem significans, ait : *Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ; turbabuntur pelles terræ Madian*, ubi eadem natio diversis nominibus exprimitur, interprete S. Hieronymo.

Cap. 14, v. 30 : *Omnes qui numerati estis à viginti annis et suprà, et murmurâstis contrà me, non intrabitis terram super quam levavi manum meam ut habitare vos facerem, præter Caleb, filium Jephone, et Josue, filium Nun.* At Josue 14, v. 1, et cap. 17, v. 4, summus sacerdos Eleazarus, tametsi ex adultioribus, eam terram est quoque ingressus. — Respondeo illam interminationem ferri tantùm in eos qui ad exploratorum terræ Chanaatidis falsam relationem, murmur et seditionem fecerant in Moysem; quorum criminis cùm reus non fuerit Eleazarus, et multi alii Levitæ, pari cum sontibus pœnâ non debuerunt plecti. Nec officit quod v. 1 et sequentibus cuncti filii Israel dicantur vociferâsse contrà Moysem et Aaron ; hæc enim vox *omnis* limitatè accipienda est et determinanda ad majorem partem, uti eam accepit S. Paulus 1 Cor. 10, v. 10 : *Neque murmuraveritis sicut quidam eorum murmuraverunt et perierunt ab exterminatore;* quosdam dicit, non omnes ad unum. Itaque vox illa *universa multitudo* sumenda est restrictivè, cum exceptione paucorum. Sic usurpatur Exod. 32, v. 3, ubi etiam dicitur omnem populum auream contulisse materiam ad vitulum, cùm tamen plurimi Levitarum in idololatriam istam non consenserint, et propterea à Deo reportarint benedictionem, Exod. 32, v. 26, 29, et hujus ipsius expressam restrictionem habemus apud S. Paulum.

Cap. 20, v. 26, Eleazarus Summus Pontifex adfuit Aaroni patri suo morienti; at Levit. 21, v. 11, interdicitur summo Pontifici ne sit præsens cuiquam morienti, etiam patri et matri.— Respondeo Eleazarum, quandiù in vivis fuit Aaron, fuisse summum Pontificem designatione tantùm, nondùm ministerio et officio; quamobrem sacras pontificatûs vestes cum induit Moyses Aarone mortuo, uti præceperat Deus ; ibidem illa autem prohibitio, quæ est in Levitico, spectat tantùm ad summum sacerdotem actu suo munere defungentem.

Cap. 22, v. 12 : *Dixit Dominus ad Balaam, noli ire cum eis;* at v. 20 : *Surge et vade cum illis;* v. 35 : *Vade cum istis.* — Respondeo Deum noluisse primùm ut Balaam iret maledicere populo Israelitico; tandem ob duritiam cordis ire ipsi permisit cum displicentiâ, eâ lege ne quid loqueretur aliud, quàm quod præceperat ei.

Cap. 27, v. 12 : *Ascende in montem Abarim, et contemplare indè terram;* at Deut. 34, v. 1 : *Ascendit Moyses super montem Nebo, in verticem Phasga*, etc. — Resp. Abarim montem esse; Nebo et Phasga vertices ejus. Differunt itaque ut pars et totum, locus integer et membrum.

Ex Deuteronomio.

Cap. 2, v. 19, : *Non dabo vobis de terrâ filiorum Ammon, quia filiis Loth dedi eam in possessionem ;* at Josue 24, 25 : *Dedit Moyses Tribui Gad... dimidiam partem terræ filiorum Ammon.* — Respondeo, regionem quam Moysis tempore possidebant Ammonitæ, retinuerunt ex integro ; at ea regionis pars jam pridem à Sehone, Rege Amorrhæorum, occupata, distributa fuit inter Israelitas.

Cap. 15, v. 4 : *Indigens et mendicus non erit inter vos;* at ibid., v. 11 : *Non deerunt pauperes in terrâ habitationis tuæ.* — Respondeo priori textu Moysem non prædicere nusquàm inter Hebræos fore pauperes, sed hortari Judæos, ut suâ liberalitate et misericordiâ in fratres efficiant ne quis eorum egeat, et illas in angustias agatur ut ad victum necessaria mendicet; quamobrem posteriori loco adjicit : *Idcircò ego præcipio tibi ut aperias manum fratri tuo egeno et pauperi qui tecum versatur in terrâ.* Itaque in his duobus textibus præcipitur Judæis, vel ut fratrum suorum egestatem futuram suis eleemosinis præcaveant, vel ut præsentem sublevent.

Cap. 17, v, 17 : *Rex non habebit uxores plurimas quæ alliciant animum ejus, neque argenti et auri immensa pondera;* at ex primo Reg. constat Davidem et Salomonem habuisse plures uxores et argenti et auri immensam copiam. — Respondeo. Interdicitur regi uxorum pluralitas sicut et nimia divitiarum copia, quæ ejus animum ad nefarias voluptates alliciant, atque à Dei cultu revocent, uti contigit Salomoni; non verò quæ disseminando generi humano et publicæ regni utilitati inserviant.

Reges enim ad superbiendum, cum injuriâ subditorum argenti et auri pondera multa colligere non debent; aliàs multis pecuniis opus est ipsis ad regnum et regiam majestatem conservandam.

Ex Libro Josue.

Cap. 1, v. 11 : *Post diem tertium transibitis Jordanem;* at ista non cohærent cum totâ narratione; nam capite sequenti mittuntur exploratores qui per tres dies latitârunt in montanis, v. 22, unumque in domo Rahab. Rursùs, cap. 3, v. 1, venerunt Israelitæ ad Jordanem et ibi morantur tres dies. — Respondent aliqui cum S. Augustino (Quæst. 2, in 1, cap. Jos.) Josue hæc statuisse ex humanâ prudentiâ sperans exploratores ad se quamprimùm redituros. Verùm magis arridet eorum responsio qui censent per histeron proteron hæc esse accipienda; ità ut missio exploratorum, adeòque ea omnia quæ secundo capite referuntur, præponi debeant illi Josuæ edicto per castra promulgato; ità ut tres dies quorum hìc fit mentio, sint iidem cum tribus illis diebus qui cap. 3 referuntur; quæ est ipsa Josephi in Libris Antiq. sententia.

Cap. 2, v. 14 : *Anima nostra sit pro vobis in mortem,* etc; quibus verbis exploratores promittunt Rahabæ et universæ ejus familiæ vitam et salutem si eos illa non prodiderit; at id contrariatur huic divino mandato Deuter. 20, v. 14 : *Cùmque tradiderit Dominus Deus tuus illam* (terram Chanaan) *in manu tuâ percuties omne quod in eâ generis masculini est in ore gladii,* etc.—Responsio. Percutiendi erant omnes Chananæi Idololatræ et Israelitarum hostes; non verò amici et ergà veri Dei cultum benè affecti, qualis erat Rahab et universa ejus familia, uti liquet ex ejus Rahabæ ad exploratores discursu.

Cap. 7, v. 15 : *Quicumque in hoc facinore* (furti) *deprehensus fuerit, comburetur igni;* at v. 25, Achan, qui repertus est hujus criminis reus, lapidatus est. — Respondet S. August. (Quæst. 9 super Josue) per *ignem,* intelligi quamcumque calamitatem et pœnam; subindèque lapidationem. Respondent alii Achan cum filiis suis non vivos fuisse exustos, sed primùm lapidatos, deindè cum re furtivè ablatâ et universâ supellectile igne consumptos, Deo haud dubiè mitigante pœnam.

Cap. 10, v. 13 et 14 : *Stetit itaque sol in medio cœli; non fuit anteà nec posteà tàm longa dies.* Undè Eccli. 46, v. 5 : *Una dies facta est quasi duæ.* At 1 Paralip. 4, v. 22, memoratur vir qui etiam stare fecit solem; similiter Isaiæ 38, v. 8, sol reversus est decem lineis, per gradus quos descenderat, adeòque idem decem linearum spatium ter eodem die est emensus, sicque lumen emersit horarum circiter 32. — Respondet Masius diem Josuanum non conferri cum aliis in longitudine, sed cum simili fine et effectu; ita quòd nusquam Deus ad alicujus hominis preces cædendi hostis gratiâ sic diem produxerit. At in historiâ cardinalis Ximenii idem miraculum ad ejus preces innovatum legimus in expugnatione Maurorum. — Respondet Lyranus stationem solis sub Josuâ contigisse in solstitio æstivo; Ezechiæ verò temporibus, in brumali; ac proindè illa longior fuit hâc; enimverò duplicata dies in ætate, quadruplicatæ hiemali correspondet. — Responsio communior est, in Josue libro sermonem esse de productione diei respectivè ad Palestinæ climata, in quibus tàm prolixa dies nusquàm contigit.

Ibidem, v. 26, Rex Hebron cum aliis quatuor dicitur suspensus et necatus in stipite; at v. 36, refertur cum suis civibus occisus *in ore gladii.* — Respondet Lyranus in posteriori versu agi de rege novo qui priori capto extrà urbem Hebron et suspenso, in urbis regimine successerat, atque postmodùm in ejusdem civitatis vastatione fuit trucidatus; nam inter suspensionem unius et alterius interemptionem, plures civitates cepit Josue; ac subindè de uno eodemque hæc diversa occisio non potuit referri.

Ibidem civitates Hebron et Dabir dicuntur captæ et vastatæ à Josue; quod confirmatur cap. 11, v. 21 : *In tempore illo venit Josue et interfecit Enacim de montanis Hebron et Dabir, et Anab, et de omni monte Juda et Israel, urbesque eorum delevit.* At 1 judicum Hebron et Dabir dicuntur expugnatæ à tribu Juda, duce Calebo post Josue obitum. — Respondet Masius ab utroque duce et Josue et Calebo has civitates fuisse expugnatas; accidisse enim potuit post Josue victoriam et vitam, ut Chananæi, præsertìm gigantes, montivagum genus, qui tempore expeditionis Josue in speluncis latitarant, postmodùm resumptis animis et armis eas urbes invaserint. Licèt enim Josue, quos assequebatur Chananæos, perimeret minimèque parceret, nihilominùs tamen cùm potiùs raptìm armata manu regionem illam transcurreret, satisque haberet victoriâ suâ terrorem omnibus Chananæis incutere, quàm omnes omnium

locorum latebras extremâ diligentiâ perscrutari; indè factum est, ut plures ejus ultricem manum evaserint, confugerintque vel in speluncas, vel in civitates Palestinæ vicinas, uti legimus cap. 11, v. 22, qui captatâ postmodùm occasione in easdem civitates subactas à Josue irruperunt, undè tandem ab Israelitis, duce Calebo, fuerunt ejecti.

Ex Libro Judicum.

Cap. 1, v. 8: *Oppugnantes ergò filii Juda Jerusalem ceperunt eam, et percusserunt in ore gladii, tradentes cunctam incendio civitatem;* at v. 21: *Jebusæum autem habitatorem Jerusalem non deleverunt filii Benjamin;* nam Josue 18, v. 28, Jerusalem numeratur inter quatuordecim civitates quæ assignatæ sunt in sortem tribus Benjamin. — Respondeo verisimile esse, unam eamdem urbem utrique tribui fuisse concessam; ità tamen ut septentrionalem partem, quæ quondam vocabatur *salem,* Genes. 14, v. 18, cesserit in sortem Benjaminitarum; australis verò quæ dicebatur *Jebus,* à tribu Juda fuerit occupata. Undè tribus Juda et Benjamin communem in eâdem civitate habitationem, et in Jebusæo hostem habebant. Tametsi enim civitatem hanc (fortè annuentibus Benjaminitis) ceperint et vastaverint Judæi, attamen ab eâ Jebusæos, qui ad arcem confugerant, non potuerunt expugnare; hìnc Josue 15, v. 63 : *Jebusæum autem, habitatorem Jerusalem, non potuerunt filii Juda delere, habitavitque Jebusæus cum filiis Juda in Jerusalem usque in præsentem diem.* Ex quibus manifestum fit duas tribus, Benjamin et Judam, conjunctìm eamdem civitatem Jerusalem incoluisse, et Jebusæis in arce sese tutantibus tandem dedisse manus ut pacificè tamdiù cohabitarent, donec à Davide captâ illa arce, ab eâ civitate pulsi sunt 2 Reg., c. 5, v. 7.

Cap. 10, v. 1 : *Post Abimelech surrexit dux in Israel Thola, filius Phua, patrui Abimelech, vir de Issachar;* ex quibus apparet Tholam fuisse nepotem Gedeonis; nam Gedeon erat frater Phua; at cap. 6, v. 15, Gedeon dicitur de tribu Manassis: itaque ejus frater ex tribu Issacharis non erat oriundus. Respondet S. Augustinus (quæst. 47 in hunc lib.) Gedeonem et Phuam fratres uterinos habuisse distinctos patres et ex diversis tribubus; mulieres enim poterant viris aliarum tribuum nubere, ubi non aderat periculum miscendarum hæreditatum.

Ibidem, v. 4: *Ex nomine ejus appellatæ sunt Havot Jair, id est oppida Jair.* At Numer. 20, v. 41, hoc nomen illis oppidis factum fuerat ab alio Jair longè antiquiore. Responsio : appellatio primùm facta est ab antiquiore Jairo qui ea occupaverat; cum verò hæc oppida meliorem in formam fuissent instaurata atque muris cincta, à posteriore Jairo, idem nomen, quod fortè temporum successu variatum fuerat, denuò restitutum est et innovatum.

Cap. 18, v. 1, *Tribus Dan quærebat possessionem sibi, ut habitaret in ea : usque ad illum enim diem inter cæteras Tribus sortem non acceperat.* At Josue c. 19, v. 40 : Tribus Dan cum aliis Tribubus, dum distribueretur terra Chananæorum, in sortem venit. Respondeo reverà Dan Tribum sortem cum aliis obtinuisse; at cùm hæc esset angustior quæ numerosæ jam multitudini sufficeret, amplior fuit quærenda. Accedit quòd hæc tribus non potuerit eripere Amorrhæis fortissimis populis partem regionis sibi concessam; quamobrem ab aliis populis minùs pugnacibus alia fuit occupanda.

Ex libro primo Regum.

Cap. 13, v. 1 : *Filius unius anni erat Saul cùm regnare cœpisset; duobus autem annis regnavit super Israel.* At Act. 13, v. 20 : *Exindè postulaverunt regem, et dedit illis Saul, filium Cis, virum de tribu Benjamin annis quadraginta.* Duo hìc pugnare videntur : primum quòd Saul dicatur *filius unius anni* dùm regnare cœpit, cùm jam esset adultæ ætatis, et altior aliis Israelitis ab humero et sursùm; secundum quòd referatur *duobus annis regnasse,* cum alibi regnaverit annis quadraginta. Responsio ad primum : Saul erat filius unius anni vel quandò regnum iniit, ob innocentiam scilicet et mentem ab omni malitiâ immunem; quia, ut loquuntur doctores Hebræi, referente Jario, *nondùm gustaverat gustum peccati;* quibus concordat illud S. Pauli monitum 1 Cor. 14: *Nolite pueri effici sensibus, sed malitiâ parvuli estote.* Vel jam ab anno regnum inierat dùm hæc agerentur, nimirùm illius regni in Galgalis innovatio et confirmatio. Ad secundum : duobus annis regnavit legitimè et antequàm reprobaretur à Deo ; vel regnaverat duobus annis cùm sibi eligeret tria millia virorum ex Israel, et copias militares contraheret. Sunt etiam qui sentiunt ex principatu Samuelis et Saulis confici quadraginta annos à S. Paulo memoratos; cùm enim Samuel judicem egerit annis triginta octo , quia populo præfuit ab adolescentiâ, uti colligitur ex 1. Reg. 12, v. 2; quibus annis, si duos regni Saulis adjicias conflabuntur quadraginta,

quos utique simul commemorare voluit S. Paulus, utriusque præfecturæ tempora conjungens et neutri scorsim definitè annos adscribens.

Ibidem, v. 13: *Quod si non fecisses, jam nunc præparàsset Dominus regnum tuum super Israel in æternum.* At Genes. 49, promittitur Judæ sceptrum non auferendum ex ejus familiâ donec Messias venerit; non potuit ergò regni perpetuitas concedi posteritati Saulis qui erat ex tribu Benjamin. — Respondeo promissionem illam Sauli factam, fuisse tantùm conditionatam, et ex hypothesi quòd ipse fideliter in omnibus Deo paruisset : neque illa futura erat usque ad mundi finem, sed donec aliquis ex ejus stirpe virilis seminis exstitisset; at cùm prævidisset Deus Saulem ab hâc conditione deflexurum, absolutè decrevit sceptrum ab eo auferendum et transferendum in tribum Juda, donec veniret Messias.

Cap. 15, v. 35 : *Et non vidit Samuel ultrà Saul usque in diem mortis suæ* : at, cap. 19, v. 24, refertur Saul Prophetans nudus coràm Samuele. Responsio. Non vidit ampliùs eum Samuel regem agentem et salutaria monita excipientem et exequentem, sed ut à Deo rejectum et exauctoratum, atque mente motum.

Ex libro secundo Regum.

Cap. 8, v. 18 : *Filii autem David sacerdotes erant.* At David erat ex tribu Judâ, *in quâ nihil de sacerdotibus Moyses locutus est,* inquit Apostolus, Hebr. 7, v. 14. — Resp. Vocem *cohen,* hìc positam, non solùm *sacerdotes,* sed et *principes, præsides* et *populi duces,* ac *militum præfectos* significare; undè Paral. 18, v. 17, hic locus sic redditur : *Filii David primi ad manum regis.* Quamobrem sacerdotes dici poterant justitiæ, et concilii regii principes et presbyteri.

Cap. 10, v. 18 : *Occidit David de Syris septingentos currus et quadraginta millia equitum* : at, Paral. 19, v. 18 : *Interfecit David de Syris septem millia currum et quadraginta millia peditum.* Quæ prioribus non cohærent. Respondeo in hoc bellicoso congressu ex Syrorum exercitu desiderata esse octoginta et septem militum millia, et in libro Paralip. suppleri quod in historiâ Regum fuerat prætermissum; prætermitti verò quod in illo libro fuerat narratum; proindè hìc addit *peditum quadraginta millia,* quod ille omiserat, nec meminit *equitum,* quia istud in lib. Regum fuerat expressum. Cæsi sunt igitur in hoc bello octoginta septem armatorum millia, nimirum quadraginta millia equitum vulgarium, et septem millia nobiliorum qui septingentis curribus vehebantur, uti refert liber Regum : et præterea quadraginta millia peditum, quod liber Paralip. narrat.

Cap. 15, v. 7 : *Post quadraginta annos dixit Absalon ad regem,* etc. Ista non concordant cum regno Davidis qui non multùm ultrà quadraginta annos imperavit. — Respondet S. Hieronymus (in quæst. Hebr.) hos 40 annos numerandos esse à tempore quo Saul interfecit Sacerdotes, ut denotetur divinam ultionem suscitari super David, quòd Achimelech Sacerdotem fefellerat fueratque in causâ cur hic cum aliis Sacerdotibus trucidaretur. Putant alii exordium horum 40 annorum ducendum esse à tempore quo Israelitæ petierunt regem, ut ex hâc rebellione revocarent in memoriam Samuelis oraculum, quòd hæc petitio foret exitiosa. Aliqui petendum volunt ab unctione Davidis, quæ videtur contigisse anno secundo regni Saulis; ac subindè hæc Absalonis in patrem perduellio contigit ad minùs anno integro antè Davidis mortem

Cap. 21, v. 19 : *Tertium quoque fuit bellum in Gob, contrà Philistæos in quo percussit Adeodatus, filius Saltus polymitarius Bethleemites, Goliath Gethæum.* At Goliath occisum fuisse à Davide constat Reg. 18. — Respondeo hunc Goliath diversum esse ab eo quem David adolescens interfecit, ut constat ex textu, ubi in tertio bello contrà Philistæos hic gigas dicitur occisus cùm jam David annosus esset et viribus deficeret, Ibidem, v. 15. Quamobrem Paralip., cap. 20, v. 6, hic dicitur *frater Goliath Gethæi,* frater, inquam, si non sanguine et origine, certè similitudine roboris et vastâ corporis proceritate.

Cap. 24, v. 9 : *Et inventa sunt in Israel octingenta millia hominum fortium, qui educerent gladium et de Judâ quingenta millia pugnatorum.* At hic numerus non concordat cum eo qui assignatur 1 Paralip. cap. 21, ubi legimus : *Inventus est omnis numerus Israel mille millia et centum millia virorum educentium gladium : de Judâ autem quadringenta septuaginta millia virorum bellatorum.* — Respondeo. Census quem refert prior textus exhibitus est ab Joab, qui cùm esset ex tribu Juda, exactiùs rem in suâ tribu confecerat; in cæteris verò tribubus paulò negligentiùs; neque etiam tribum Levi et Benjamin numeraverat; imò territus plagâ è cœlo immissâ, accedente etiam inhibitione regis, à populi numeratione destiterat. Is verò census qui refertur in libro Paralip. videtur confectus à principibus militum, qui Joabo in hâc populi numeratione aderant, quique partes suas in

remotioribus tribubus numerandis implentes, antequàm illis innotuisset regis edictum, pergebant numerare populum, cùm jam Joabus destitisset : undè collegerant alia trecenta millia virorum ex Israel. Pauciores verò referunt ex Judâ, quia fortè cùm huic negotio darent operam, inhibitionem regis acceperunt. Adjici potest quod in priori numeratione virorum Israel, scribantur tantùm viri fortes; in posteriori verò etiam gregarii milites. Similiter in priori numeratione virorum de tribu Juda scribuntur milites cum ducibus et præfectis; in posteriori verò soli milites referuntur. Vel in libro Reg. non comprehenduntur legiones ordinariæ, quippè quæ jam antè in numerato erant pro regis custodiâ; expeditæ enim semper habebantur distributiones duodecim, una in unâquaque tribu habens viginti quatuor millia virorum stringentium gladium, qui numerus per duodecim subductus et multiplicatus, summam militum efficit ducenta et octoginta octo millia; his autem præerant sui duces duodecim cum suâ quisque chiliade atque chiliarchis, ut ibidem dicitur, ex quibus assurgit summa duodecim millium; hoc numero addito priori, prodeunt præcisè trecenta millia, quæ in Paralip. excedunt numerum qui recensetur in libris Regum.

Ex libro tertio Regum.

Cap. 7, v. 15 : *Finxit duas columnas æreas, decem et octo cubitorum altitudinis columnam unam ;* at 2 Paralip. 3, v. 15, illæ duæ columnæ dicuntur habuisse triginta et quinque cubitos. — Respondeo. In priori textu tribuuntur cubiti sacri decem et octo utrique columnæ; in posteriori vero 35 communes; et ideò idem planè dicitur utrobique; cubitus enim sacer duos continebat communes, ideòque 18 sacri 36 efficiebant communes; ex communibus verò deest unus in Paralipomenis, ex sacris nihil, quia in Regum libro docetur, quænam plena et perfecta fuerit columnarum longitudo, at in Paralipomenis, basis excipitur utriusque columnæ, quæ unius cubiti fuit communis, qui si addatur, exsurgit numerus triginta sex cubitorum.

Ibid., v. 26 : *Mare æneum duo millia batos capiebat;* at lib. 2 Paralip., cap. 4 : *Capiebat tria millia metretas;* quæ cùm eadem sit mensura cum batis, hi textus non cohærent. — Respondeo in priori referri batos *sacros*, in posteriori verò textu *vulgares*. Porrò hi tertia parte minores erant illis, subindèque *metretæ* erant minores illis *batis*. Adjici potest in hoc ingentissimum vas infundi quidem solere tantùm bis mille batos, licèt capere posset tria millia, usque ad labri summitatem.

Cap. 15, v. 14 : *Asa autem excelsa non abstulit;* at 2 Paralip., cap. 14, v. 5 : *Abstulit de cunctis urbibus Juda aras et fana,* etc. — Respondeo *excelsa* fuisse duplicis generis, alia in quibus vero Deo cultus impendebatur, alia in quibus colebantur falsa numina; hæc destruxit Asa, illa non abstulit.

Ex libro quarto Regum.

Cap. 8, v. 26 : *Viginti duorum annorum erat Ochazias cùm regnare cœpisset,* etc. at 2 Paralip. 22 : *Quadraginta duorum annorum erat Ochozias cùm regnare cœpisset ;* qui posterior locus non solùm à priori dissidet, sed si ex integro admittatur, concedendum erit filium biennio seniorem esse suo patre. Nam Joram, Ochoziæ pater, mortuus est quadragenarius, quo vitâ functo, Ochozias regnum est auspicatus. Responsio communis est mendum irrepsisse in libros Paralip., ex notis Hebraïcis vitiatis, ita ut pro כ et ב ex quibus conficitur numerus 22, positum sit מ et ב, ut fieret numerus 42. Ità sentiunt Cajetan, Mariana cum aliis plurimis. At cùm istius mendi nec S. Hieronymus, nec Bibliorum correctores sub Pio V. et Clemente VIII meminerint, neque illud expunxerint, atque omnia exemplaria cujuscumque conditionis constanter habeant illum numerum 42 in libris Paralip. vix concederem errorem sic invaluisse, ut in omnia prorsùs exemplaria irrepserit, nec ab aliquo veterum fuerit notatus. Unde meo judicio meliùs respondent cæteri qui sentiunt Ochoziam regnâsse quidem vigenti annis cum patre suo joram et avo Josaphat, atque tunc fuisse natum viginti duos annos, ut fert textus libri Reg. mortuo autem patre suo Joramo, qui sceptrum tenuerat octo annis, Ochoziam præfuisse solum per duos annos, atque tunc natum fuisse annos quadraginta duos, ità quòd in consortium Regni venerit cum patre solo octo annis, et cum patre et avo duodecim; Josaphat namque regnavit viginti quinque annis.

At inquies, verosimile non fit Ochoziam cum patre et avo regnâsse, tùm quia nullum est ejusmodi regni consortii in Scripturâ Sacrâ exemplum; tùm quia Ochozias ipse minor erat natu inter fratres, qui nonnisi post mortem Josaphat trucidati sunt per latrunculos Arabum : tùm denique quia mortuo Joramo, *habitatores Jerusalem constituerunt Ochoziam filium ejus minimum regem pro eo,* Paralip. 22. Itaque anteà rex non erat.—At omnia hæc argumenta

facile dissolvuntur : Primum quidem omninò falsum est ; nam Ezechias duobus annis regnavit cum patre ; enimverò 4 Reg., Cap. 18, dicitur regnâsse viginti novem annis, cùm tamen solus tantùm viginti septem regnaverit, duos autem cum patre suo. Ad secundum dico non videri insolitum filios natu minores spretis grandioribus ad regni consortium evocari ; sic à Davide selectus est Salomon præ Adonià ; et Abia præ cæteris fratribus. Ad tertium respondeo novum non esse quòd qui priùs rex fuerat inauguratus, iterùm acclamante populo rex salutetur ; sic Saul, Reg. cap. 10, ab Israelitis rex agnitus, iterùm cap. 11, in Galgalis rex proclamatur ; sic pariter Salomon Paralip., cap. ultimo, in regem denuò ungitur.

Adjicies iterùm : Si mortuo patre, Ochozias natus fuisset annos 42, ejus mater Athalia fuisset grandævæ ætatis, nec subindè apta regno ; quis enim mulieri admodùm vetulæ atque nefariæ animo lubenti paruisset ; — Verùm quis nescit quantùm semper vigeat iniquæ mulieri vafrities ; quantùmque valeat apud mercenarios aulicos prospera, si faveant, repromittens ; et dira quæque obsistentibus interminans mulier crudelissima, quæ in proprios etiam nepotes regnandi libidine illecta desævierat ?

Sunt etiam qui ut utrumque hunc textum concilient, dicunt quadraginta duos illos annos in libris Paralip. commemoratos, numerandos esse ex quo domus Amri usque ad regnum Ochoziæ regnare cœperat ; istudque ratione Athaliæ, matris hujus Ochoziæ, quæ erat filia Amri regis Israel 4 reg., c. 8, v. 7. Amri enim, cujus nomen hìc ad familiam pertinet, ex quâ ipse primus regnavit, ut legitur 3 Reg., cap. 16, sceptrum regni Israel tenuit octo annis, Achab ejus filius cum Ochozià filio viginti duobus, et Joram à Jehu sublatus duodecim.

Cap. 16, v. 3 : *Achab filium suum consecravit transferens per ignem secundùm Idola gentium* ; at 2 Paralip., cap. 28 : *Reliquit filium Ezechiam regni successorem*. Resp. Probabile esse Achabum plures habuisse filios, ex quibus unum idolis immolavit, superstite Ezechiâ regni successore. Si verò unicum habuerit, dicerem illum non fuisse flammis extinctum, sed duntaxat eis expositum lustrationis gratiâ. Neque enim gentiles filios suos inanibus diis oblatos igne semper comburebant, sed etiam purgationis et expiationis causâ per medias flammas transferebant, quod districtè prohibetur Judæis Deuteronomii cap. 23, v. 10, iis verbis : *Nec inveniatur in te qui lustret filium suum, aut filiam ducens per ignem*. Quamobrem signanter præfatus textus habet, transferens per ignem, ut significetur filium Achabi more gentilium transmissum esse per medias flammas, quasi consecrationis et purgationis gratiâ, non autem ustulatum et vitâ privatum.

Cap. 24, v. 6 : *Dormivit Joachim cum patribus suis*, quæ juxtà Scripturæ consuetudinem, et loquendi modum, significant eum obiisse in Judæà et sepultum in sepulchris patrum. At 2 Paralip. cap. 36, v. 6, dicitur catenis vinctus à Nabuchodonosore ductus in Babylonem et sepulturà asini sepultus, juxtà vaticinium Jeremiæ, cap. 22, v. 18. Resp. Quod cùm ex 4 Reg., cap. 23, v. 36 liquidò constet Joakimum regnâsse undecim annis, Jeremias verò, cap. 25, asserat Nabuchodonosor anno quarto ineunte regni Joakim, vel tertio finiente, ut tradit Daniel, venisse Jerosolymam, eam expugnâsse, atque captum Joachimum et partem vasorum sacrorum transtulisse in Babyloniam ; aliundè verò Jeremias prædixerit eum projectum iri extrà portas Jerusalem, et sepulturâ asini sepeliendum, necesse est eum rebus cum Nabuchodonosore compositis, ex victoris clementiâ remissum fuisse Jerosolymam, et restitutum in regnum sub conditione tributi. Nam Joakim tribus annis servîsse Nabuchodonosori expressè traditur cap. 24 lib. 4 Reg., ac subindè anno quarto regni sui in regnum restitutus, promissum tributum solvit tribus annis sequentibus, quinto videlicet, sexto et septimo ; at cùm vanâ spe protectionis à rege Ægypti delusus, anno octavo Chaldæum procrastinationibus lactando tributum non solvisset ; neque etiam anno nono ; tandem Nabuchodonosor expeditionem in Ægyptios aggressus, priùs in sibi perduellem Joakimum arma movit, Jerosolymam denuò in potestatem initio undecimi anni Joakimi recepit, non tàm armorum vi, quàm fraude. Cùm enim superiore jam anno aliquot menses in Jerosolymæ obsidione posuisset, eamque longiùs proferendam timeret, hujus anni principio consilium cepit obtinendi in urbem ingressum, promittens interpositâ jurisjurandi religione, pacificum fore ingressum suum, ut Josephus ait. Cui promissioni Joakimus eo faciliùs assensum præbuit, quominùs erat destitutus à commeatu, et ejus clementiam jam fuerat expertus, Babylonem, tertio sui regni anno abductus, remissusque. Ergò Nabuchodonosorem cum exercitu suo mœnibus accepit. *At ille receptus, non servavit fidem*, ut ait Josephus, *sed florem juventutis Jerosolymitanorum cum ipso rege interfecit;* Ratus videlicet fœdifrago frangendam fidem,

quem etiam insepultum extrà mœnia projici jussit, ut Jeremiæ vaticinium impleretur, qui prædixerat eum extrà portas Jerusalem projiciendum, ad æstum per diem, et ad gelu per noctem, et putrefactum sepulturâ asini sepeliendum : nemine omninò in tanto populo reperto, qui nocturnam pietatem regio cadaveri exhiberet, exemplo Tobiæ. Sed oportuit Uriæ Prophetæ cadaver projectum super sepulchra ignobilis vulgi vindicari. Quòd autem nihilominùs dicitur *dormîsse cum patribus suis*, sciendum est eam locutionem etiam in morte violentâ aliquandò à Scripturâ usurpari ; ut in Jorami et Achabi morte. Denique in secundo Paralip. significatur in ejus corpore inventas esse notas, quæ ostendebant eum alicujus idoli stigmaticum factum fuisse quales in magis et maleficis sæpè reperiuntur.

Ex libro primo Paralipomenon.

Cap. 2, v. 15, David dicitur septimus et ultimus filius Isaï : at 1 Reg. 16, v. 11, cùm Isaï coràm Samuele adduxisset septem filios, dixit unum adhuc superesse, nempè Davidem pascentem oves.—Respondent interpretes cum magistro historiæ Ecclesiasticæ Isaï præter istos septem filios à se immediatè genitos, alterum habuisse adoptivum, nempè Jonathan, filium Sammaa, seu nepotem ex tertiò filio, quem cùm haberet domi, etiam cum aliis filiis sistere voluit coràm Samuele, ne fortè is esset quem Deus seligeret in regem.

Cap. 3, v. 6 : *Porrò in Jerusalem ei* (Davidi) *nati sunt filii Simmaa, et Sobab, et Nathan, et Salomon, quatuor de Bethsabee ;* at Proverb. v. 3, Salomon testatur se fuisse *unigenitum coram matre suâ*, proindè non potuit habere tot fratres uterinos. — Respond. Salomonem idcircò dici unigenitum, non quòd solus reverà esset à Davide ex Bethsabeâ genitus sed quia velut unigenitus erat dilectissimus, undè septuaginta reddunt, *unicè dilectum*

Cap. 10, v. 6 : *Interiit ergò Saul, et tres filii ejus, et omnis pariter domus ejus concidit ;* at 2 Reg. 2, v. 8 : *Abner Isboseth filium Saul regem constituit super Israel,* etc. — Respondeo reverà quidem Isboseth aliquandiù regis nomen obtinuisse ; at cùm duobus annis regnâsset specie tenùs, et non tàm sua quàm Abneris autoritate et virtute, tandem in lecto miserè trucidatum esse : ejus autem filius Miphiboseth erat in aulâ Davidis ex gratiâ et sine imperio ; undè familia Saulis cum eo concidisse dicitur, quippè quæ nullâ ampliùs autoritate ad posteros propagandâ invaluit.

Cap. 21, v. 25 : *Dedit ergò David Ornan pro loco siclos auri justissimi sexcentos ;* at 2 Reg. cap. 24, v. 24 : *Emit ergò David aream et boves argenti siclis quinquaginta.* — Respons. In priori loco emitur majori pretio locus et spatium amplissimum ubi oblatum fuerat sacrificium ; in posteriori solùm commemoratur emptio loci ubi constitutum fuerat altare, unà cum bobus immolatis, et lignis ad sacrificium necessariis. Undè non est eadem emptio, sed duplex ; cùm enim David inter angustias sævientis pestis placare vellet Domìnum, in eodem loco ubi percutientem Angelum conspexerat, primùm emit quinquaginta siclis argenteis locum altaris et necessaria ad holocaustum ; postquàm verò (ait Waltherus) igne cœlitùs delapso, et sanatâ lue, David intellexisset hunc ipsum locum esse quem Dominus ad ædificandam domum suam elegisset, jam exiguâ illâ areâ quæ altari cesserat, noluit esse contentus, sed totum illum montem Moriah emit ab Areunâ sexcentis siclis auri ; hìc enim clarissimè asseritur, quod rex pretium hoc dederit pro loco ; ibi autem commemorantur saltem boves, ligna et area. Hæc expositio robur etiam accipit ex 2 Paralip. 3, v. 1, ubi dicitur, quòd Salomon ædificârit domum Domini in monte Moriah, qui demonstratus fuerat David, in loco quem paraverat David in areâ Ornan Jebusæi.

Ex libro secundo Paralipomenon.

Cap. 2, v. 14 : *Misi tibi virum prudentem et scientissimum patrem meum, filium mulieris de filiabus Dan ; cujus pater fuit Tyrius.* at 3 Reg., cap. 6, v. 14 : *Tulit Hiram de Tyro filium mulieris viduæ de tribu Nephtali, patre Tyrio.*—Resp. Pater Hirami erat reverà ex tribu Nephtali, et dictus est Tyrius, non origine, sed incolatu, quòd Tyri diutissimè vixisset ; mater verò illius ex tribu Dan, undè Hiramus ille dictus est ex tribu Nephtali genere paterno, quòd clarè exhibet textus Hebræus, posteriorem locum sic ad verbum reddens : *Filius mulieris viduæ ipse de tribu Nephtali.*

Cap. 24, v. 21 Zacharias dicitur interfectus *in atrio domûs Domini* : at Matth. 23, v. 35, dicitur *occisus inter templum et altare.* Resp. Hic *Templi* nomen accipitur vel in strictiori, vel in latiori significatione. Priori modo eam tantùm continebat partem tecto coopertam : posteriori verò omnem ambitum muris cinctum, subindèque aream in quâ sub dio erat altare holocaustorum. In priori significatione, occisus est Zacharias in atrio domûs Dei : in posteriori

verò occisus fuit inter templum muris clausum, et istud altare holocaustorum, quod sub dio fuisse multis probat Glassius Phil. Sacr. pag. 119.

Ex libris Esdræ et Nehemiæ.

Pugnare videntur manifestè hi duo libri in recensione eorum Judæorum qui è captivitate Babylonicâ redierunt Jerosolymam. Nam Esdræ 2, v. 5, filii Area numerantur 77. At Nehem. 7, v. 10, sunt 652. Insuper apud Esdram, ibidem, v. 6, filii Phaath Moab, filiorum Josue Joab 280, 12. Apud Nehemiam verò 28, v. 18, apud Esdram, v. 9, filii Zethua sunt 945, apud Nehemiam, v. 13, iidem sunt 945, etc. Respondeo discrimen hoc esse petendum ex duplici indice diversis in locis et diverso tempore edito. Nam recensio quæ exstat apud Esdram, facta est in Babyloniâ, in quâ scripta sunt nomina eorum qui ad exitum erant parati. Quæ verò est apud Nehemiam post illam Esdræ, annis 72, est confecta ab ipso Nehemiâ, si benè auguratur Grotius, eorum est qui reverà redierant Jerosolymam. Porrò ex iis qui nomina sua ad reditum consignaverant, plurimi fortè mutato consilio, maluerunt stare in Babyloniâ ; nonnulli etiam qui non fuerant scripti, sese exeuntibus comites dederunt ; aliqui etiam fortè in viâ defecerunt; indè fit quòd eædem familiæ vel numerosiores, vel minores in alterutro indice appareant. Undè rectè stat utriusque veritas.

Quæ ex libris Judithæ, Estheris, Tobiæ et Jobi colligi possent antilogiæ, mox enucleabuntur in eorum librorum discussione.

Ex libro Psalmorum.

Psalm. 1, v. 5 : *Non resurgent impii in judicio,* ait Actor 17, 31, Rom. 14, v. 10, et alibi sæpè asseritur futura omnium omninò hominum resurrectio. Resp. 1° Illa verba intelligenda esse non de Resurrectione generali hominum, et Judicio extremo, sed de judiciis temporalibus, in quibus impii non consistent, sed causâ cadent ; verbum enim *Kum* hìc scriptum non solùm significat *surgere* et *resurgere,* sed etiam *stare* et *consistere* : hìnc impii non consistunt in judicio *emendationis*, in quo stant justi, quia probantur velut aurum in fornace : impii verò in Deum blasphemantes et murmurantes velut arentes paleæ, in igne tribulationis cremantur et abeunt in favillas. Nec in judicio *discussionis* in quo si nosmetipsos judicamus, non judicabimur ; quia impii peccatorum suorum pondere ita deprimuntur, ut nullam emendationis spem habentes, in desperationem ruant. Si verò quis ea verba ad extremum judicium referat, etiam verum erit dicere impios in eo non resurrecturos, quia non resurgent in æternum victuri et coronandi, sed puniendi et morituri ; nam sicut oves in inferno detrudentur, et mors depascet eos.

Psalm. 7, v. 7. *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* At obstetricibus Ægyptiacis propter mendacium, quò Pharaonem ludentes salvârunt Hebræorum puerulos, ædificavit Deus domum ; et Rahab, quia mendacio liberaverat exploratores Israelitarum, sortem in populo Dei, imò et in genealogiâ Christi obtinuit. Respondet S. Augustinus 1° Obstetrices Ægyptias non fuisse præmio donatas ob mendacium, sed propter timorem in Deum et misericordiam in illos puerulos. Similiter Rahab gratiam obtinuit, non propter mendacium, sed propter beneficium ; neque Deus in illis probavit verbum mendacii, sed affectum obsequii. 2°, Cùm triplex sit mendacium, *perniciosum*, *officiosum, et jocosum;* istud lædit, illud prodest, hoc delectat, Deus absolutè perdet et castigabit graviter omnes qui loquuntur mendacium perniciosum, leviùs autem qui officiosum et jocosum.

Psalm. 31, v. 3 : *Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, dùm clamarem totâ die.* Si tacuit quomodò clamavit totâ die? Resp. Tacuit dùm peccatum per novem menses occuluit, nec confessus est, donec à Prophetâ publicè est objurgatus. Clamavit autem totâ die, et rugiit à gemitu cordis, cùm propter gravitatem admissi sceleris, tùm propter sanitatem et vitam pueri ex adulterio nati.

Psalm. 34, v. 21 : *Custodit Dominus omnia ossa eorum; unum ex illis non conteretur*; at plurium justorum, præsertim martyrum, ossa constat esse contusa, igne combusta ac in cineres et favillas dissipata. — Resp. Duplicem cogitari posse ossium contritionem, unam in destructionem, aliam in reparationem ; permittit quidem Deus ad tempus ossa justorum comminui ; at in resurrectione omnia instaurabit ad unum, nec sinet aliquid ex eis perire.

Psalm. 37, v. 25: *Non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.* At Luc. 16, Lazarus jacebat ad januam divitis cupiens saturari de micis quæ cadebant sub mensâ ejus, et nemo illi dabat ; quin et ipse David viaticum pro se et suis petiit à Nabale, et panes à sacerdote. — Respondent aliqui oraculum istud

intelligi de pane spirituali verbi Dei', quo justorum animæ destituuntur. At sensus litteralis est, quòd licet justi interdùm et ad tempus egeant pane, et eas in angustias adigantur, ut à Deo videantur abjecti, attamen Deus non sinit eos diù conflictari cum adversis, sed eripiens eos ab omni egestate ità bonis cumulat, ut eorum posteritas abundet.

Psalm. 103, v. 5: *Fundasti terram super stabilitatem suam.* At Psalm. 135, v. 6: *Firmavit terram super aquas.* — Resp. Terræ basis et fulcrum est ipsa Dei potentia, quæ hoc universum virtute suâ sustinet; terra verò, utpotè centrum universi, velut in aquis consistere dicitur, quia aquis instar insulæ cingitur ac munitur.

Psalm. 112, v. 6: *Justus in æternum non commovebitur.* At Proverb. 204, v. 16. *Septies in die cadit justus.* — Resp. justus fide, spe et charitate firmatus, adversitatibus undique sævientibus non dejicitur, nec à justitiâ penitùs declinat: dùm verò ex humanâ fragilitate tumultuantibus tentationum procellis, jactatur, statìm erectâ in Deum mente et fiduciâ resurgit et consistit.

Psalm. 116: *Omnis homo mendax.* At Apocal. 14, v. 15: *In ore eorum non est inventum mendacium.* — Resp. In priori textu admonemur ad quid inclinet inducta per peccatum humana fragilitas; in posteriori, à quo præservemur per Christi gratiam, quæ *sanat omnes infirmitates nostras.*

Ex libro Proverbiorum.

Cap. 1, v. 26: *Ego in interitu vestro ridebo*: at Ezech. 18, v. 33: *Nolo mortem morientis,* etc. — Resp. Deus ex misericordiâ non vult mortem peccatoris impœnitentis; at ex justitiâ delectatur in vindictâ et pœnâ quâ ejus finalem perduellionem ulciscitur.

Cap. 6: *Vade ad formicam, ô piger*, etc. His verbis exemplo formicæ stimulat homines otiosos, ut sibi procurent in tempore opportuno quibus in adverso vescantur; at Lucæ 12, v. 22. Christus ait: *Nolite solliciti esse animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini*, etc. — Resp. In priori provocatur humana prudentia ad providendum sibi de necessariis: in posteriori nimia hæc sollicitudo damnatur; undè homo in labore vultûs sui vesci quidem debet pane suo, ità tamen ut jactet cogitatum' suum in Domino qui ipsum enutriet.

Cap. 26, v. 4: *Ne respondeas stulto juxtà stultitiam suam, ne efficiaris ei similis*; at v, 5: *Responde stulto juxtà stultitiam suam, ne videatur sibi sapiens.* — Resp. His admonemur non esse imprudenter agendum cum stultis, et excæcatis peccatoribus, nec eorum sannis et conviciis reciprocandum: at si illorum petulantia vergat in Dei offensam, proximi injuriam, et nostram infamiam, tunc pro viribus est coercenda.

Ex libro Ecclesiastes.

Cap, 1, v. 10: *Nihil sub sole novum*: at Jeremiæ cap. 31, v. 22: *Creabit Dominus novum super terram;* et Apocalypsis 21, v. 5: *Ecce nova facio omnia.* — Resp. 1°. Nihil novi in rerum naturâ apparere intrà ipsius naturæ seriem et primigeniam rerum constitutionem et consistentiam; res enim cœlestes et terrenæ eodem ordine consistunt, quo primitùs à rerum omnium opifice fuerunt constitutæ: eadem enim est terræ cæterorumque elementorum virtus, eadem animantium fœcunditas ad alia sibi similia procreanda; iidem cœlorum et astrorum flexus et influxus,, non solùm in genere, sed etiam in specie; tametsi propter hominum prævaricationem minùs perfecta jam sint ista, si individua attendas, quàm fuerant in primaria sua formatione. 2° Si hoc Salomonis effatum ad mores referas, sensus erit omnia mortalium ad felicitatem et animi tranquillitatem studia, non esse nova: nam si quis res in primis sæculis actas haberet in prospectu, distinctissimè animadverteret nihil jam ab hominibus tentari, quod à majoribus non fuerit auspicatum; quæ interpretatio proximiùs ad Salomonis mentem collineare videtur; neque enim hìc agit de naturalibus et artificialibus, multò minùs de supernaturalibus et divinis, in quibus nova pro libito quotidiè Deus molitur.

Cap. 3, v. 19: *Unus est interitus hominis et jumentorum, et æqua utriusque conditio; sicut moritur homo, ità et illa moriuntur.... Quis novit si Spiritus filiorum Adam ascendat sursùm;* at cap. 11, v. 7: *Spiritus hominis redit ad Deum qui dedit illum.* — Resp. In priori textu proferri sententiam hominis carnalis voluptatibus indulgentis, qui nihil aliud quàm corporeis deliciis inhians, sibi persuadere nititur non aliam esse post mortem sperandam felicitatem; sed homines quemadmodùm et bruta totos interituros: in posteriori verò refertur sententia hominis fidelis, atque verè et piè de animæ immortalitate et futurâ post mortem alterâ vitâ sentientis.

Cap. 9, v. 2: *Nescit homo utrùm amore an odio dignus sit*: at 2 ad Timotheum 4, v. 8,

S. Paulus constanter asserit : *Reposita est mihi corona justitiæ quam reddet mihi Dominus*, etc. Responsio. Nescit homo naturali lumine et propriis suis viribus atque humanâ sapientiâ, an sit odio vel amore dignus, cùm Deus bona temporalia sine ullo discrimine conferat probis et improbis; at istud nosse potest, uti noverat Apostolus, ex sibi factâ divinâ revelatione.

Ex libro Ecclesiastici.

Cap. 7, v. 15 : *Non iteres verbum in oratione tuâ* : at Matthæi 26, Christus Dominus *tertiò oravit eumdem sermonem dicens.* — Resp. In priori textu prohiberi verborum reiterationem inutilem ex scrupulosâ nimiùm conscientiâ; non verò piam et humilem eadem verba majori ac ferventiori affectu iterantem.

Cap. 40, v. 29 : *Fili, in tempore vitæ tuæ ne indigeas; melius est enim mori quàm indigere :* At Matthæi 19 : *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus.*— Resp. Prioribus verbis damnari otiosorum hominum inertiam, quæ illos ad egestatem et mendicitatem adigit; non verò paupertatem Evangelicam quam suis sectatoribus Christus Dominus instillat, quatenùs liberi à rerum mundalium curâ et sollicitudine securiùs Deo famulentur, et suæ saluti consulant.

Cap. 49, v. 5 : *Præter David, et Ezechiam, et Josiam, omnes peccatum commiserunt*; at David ipse etiam gravissimè peccavit, nec à peccatis et divinâ vindictâ immunis fuit Ezechias, ut apparet ex 4 Reg., cap. 20. — Resp. In illo textu sermonem esse de peccato idololatriæ ac fœdere cum idololatris, à quo tres illi tantùm reges Juda fuerunt immunes; nam hujus criminis Josaphat, alioquin pius, arguitur 20, Paralip., 18.

Ex Isaiâ.

Cap. 1, v. 26 : *Restituam tibi Judices tuos ut fuerunt priùs et conciliarios tuos sicut antiquitùs* : at Judæi post restitutam à captivitate Babylonicâ libertatem, nusquàm eamdem obtinuerunt auctoritatem regiam et judicialem supremam quâ priùs fuerant potiti. — Resp. Vaticinium istud intelligi de statu Judæorum, vel post captivitatem, vel post adventum Christi. In priori statu habuerunt Judices et duces, qui præcedentibus, si non eâdem dignitate et imperii majestate, saltem eâdem pietate, prudentiâ, et religione eis præfuerunt, ut Esdras, Nehemias, Machabæi. In posteriori vero statu, Deus pontificibus Judæis, scribis et pharisæis substituit Apostolos et eorum successores Ecclesiæ pastores et doctores, qui illos Synagogæ Judices et duces vitæ innocentiâ, sapientiâ ac vigilantiâ longè superabant; igitur quovis sensu vaticinium accipias, habes impletum.

Cap. 2, v. 4 : *Conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces. Non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultrà ad prælium;* quæ de hominum statu post adventum Christi dicta esse liquet ; at Matth. 10, v. 34, Christus ipsemet ait : *Nolite arbitrari quia venerim pacem mittere in terram; non veni pacem mittere, sed gladium.* — Respons. Isaiæ verba accipienda sunt de Ecclesiæ propagatione, eaque pacifica, non autem armorum vi, nec adversariorum exterminatione, uti contigit in institutione et disseminatione Synagogæ, quæ nonnisi Chananæorum aliorumque idololatrarum excisione, in Palæstinâ stabiliri et propagari potuit.

Cap. 7, v. 23 : *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce Virgo concipiet*, etc., quæ Matth. v. 23, et Lucæ v. 31, accipiuntur de Christi Domini ortu futuro. At isti interpretationi repugnant : 1° Prophetæ Scopus qui, inquiunt Judæi, eo loci non agit de venturo Messiâ. 2° Promissæ liberationis ab intestantibus adversariis signum, quod dari debuit Achazo de re præsenti, non verò futurâ post multa sæcula, quandò nec Achazus ipse, nec aliquis ex ejus familiâ esset in vivis. 3° Nominis alma significatio, quæ non virginem intactam, qualis fuit Deipara, sed mulierem quamcumque etiam adulteram significat; ut Proverb. 30, v. 19. 4° Constructio participii temporis præsentis, quo Juvencula, de quâ fit sermo, dicitur *concipiens* et *pariens;* subindèque illa tùm erat in vivis: Non agitur ergò, inquiunt, de matre Messiæ diù postmodùm futurâ, sed vel de conjuge Ezechiæ Achabi filii, vel de conjuge filii ipsius Isaiæ Prophetæ.—Resp. Reverà Prophetam his verbis annuntiare futuram Messiæ ex Matre Virgine conceptionem et nativitatem : neque ullas ex Judæorum argutiis, his quidquam officere : non signum; cùm enim Prophetæ, quoties specialem aliquam futuram liberationem à summis calamitatibus spondebant, solerent injicere mentionem Messiæ Salvatoris, cujus intuitu tam stupenda beneficia Judaico populo conferebantur, quod ille ex eâ gente esset oriundus; apposité Isaias Christi Domini futuri ortùs hic meminit, ut Achazi et Judæorum terrorem depelleret : cùm enim hi audissent duos reges potentissimos Syriæ et Israel in regni Judaici perniciem et extinctio-

nem conspirâsse, et jam formidandos adesse eorum exercitus, de suâ fortunâ suisque rebus actum esse arbitrantes, abjiciebant animos; quos ut erigeret Propheta et fidem faceret de proximâ liberatione, repetit promissionem factam de venturo Messiâ, ostenditque hostium conatus et minas fore inanes, quoniam non priùs deficere debebat regnum istud et sceptrum, quàm Messias venisset. Porrò cum nondùm adventâsse demonstrat ex eo quod ille oriundus esset ex Virgine, nulla autem virgo intacta permanens eò usque pepererat : quoniam verò Achazus ipse idololatriæ deditus unà cum Judaico populo hanc liberationem à Deo quem graviter offenderant, concedendam inficiabatur, ut certam de illâ spem faceret Isaias, longè præstantius beneficium, nempè Incarnationem Verbi eis spondet, cujus adventûs signum erit Virgo intacta concipiens et pariens : *Ecce Virgo concipiet*, etc., quasi hic Propheta, agens non tàm cum Achazo quam cum domo David, diceret : Vos non vultis, aut non audetis petere signum liberationis promissæ, Dominus interim ipse dabit aliud longè illustrius, non quo à duorum regum inflammato odio, et toties jam victricibns copiis; sed quo ab antiquâ et longè duriori diaboli tyrannide liberemini. Quod signum eò etiam spectare videtur, ut animos confirmet languentes et consternatos metu imminentis belli. Nam si à majori illâ vi atque exitio liberabit aliquandò Deus populum oppressum, multò sanè faciliùs id præstabit à *duabus caudis titionum fumigantium*, hoc est, duorum regum in perniciem Judæorum conspirantium : enimverò si ea fuit amoris vis in Deo, ut Filium suum unigenitum daret, quomodò negaret alia, quæ infinitis spatiis leviora sunt? Proindè à dono majori largitionem beneficii minoris Propheta hoc pacto confirmat, ut signum ipsi idem esset, quod argumentum.

Neque etiam his officit, imò ad ea confirmanda plurimùm conducit vox *alma* : nam ut aliàs observavimus, reverà Virginem adolescentulam designat, de cujus pudicitiâ et integritate nullum sit dubium : uti planissimè constat ex perpetuo hujus vocis usu in Scripturâ, in quâ septies tantùm usurpatur, videlicet Genes. 24, v. 43, ubi vocabulum istud tribuitur Rebeccæ dùm adhuc esset virgo, quoniam additur eam non cognovisse virum. Et Exod. 2, v. 8. Maria, soror Moysis, quando adhuc adolescentula erat et virgo, dicitur *alma*. Idem nomen tribuitur Virgini juvenculæ Psalm. 68, v. 26, et Cant. 1, v. 3. Quis itaque dubitabit idem nomen ab Isaiâ hîc usurpatum, puram et illibatam denotare virginem, qualis fuit antè partum, in partu, et post partum Virgo Deipara?

At, instant Judæi, vox *alma*, Proverb. 30, v. 19, denotat juvenculam temeratam; nam inter ea quæ nullum suî vestigium post se relinquunt, atque adeò difficilè cognoscuntur, Salomon adjicit, *viam viri in almâ*, seu juvenculâ. — Resp. His verbis non significari juvenculam ex congressu virili temeratam et laxatam, sed è contrà ità clausam et absconditam, ut ad eam nullus viro ejus pudicitiæ insidianti pateat accessus; nec subindè ullam operæ virilis vestigium in eâ deprehendere liceat; quia reverà nullum est. Ac si diceret Salomon : Faciliùs deprehenderes in aere aquilæ viam, aut navis in mari, aut serpentis repentis super petram, quàm vestigia viri ad januam illius adolescentulæ virginis, quæ se à virorum conspectu et insidiis subducit.

Urgent iterùm, Hebræos significare virginem non voce *alma* sed voce *betula*. — Respondeo vocem *betula* significare quidem virginem quandiù illa intacta permanet, sive interim illa juvenis sit, sive annosa; at vox *alma* significat juvenculam virginem à virorum conspectu et consortio semotam, qualis erat Deipara.

Cap. 23, v. 17 : *Et erit post septuaginta annos visitabit Dominus Tyrum, et reducet eam*. At Ezechielis 26, v. 14 : *Non ædificaberis ultrà*, et v. 21 : *In nihilum redigam te, et non eris, et requisita non invenieris ultrà in sempiternum*. — Respondet S. Hieronymus tyrum fuisse quidem restitutam et rursùs ædificatam in civitatem, non verò in auctoritatem et dignitatem regiam quâ plurimis insulis et populis imperabat; nam deinceps paruit Chaldæis, Græcis et Romanis. Adjici potest eamdem civitatem non fuisse restitutam, quippè cùm illius cives et incolæ fuerint exstincti, et in varias provincias dissipati; alii verò novam civitatem loco prioris instauratam habitaverint.

Cap 38, v. 1 : *Dispone domui tuæ, morieris tu et non vives*; at v. 5 : *Ecce ego adjiciam super dies tuos quindecim annos* : quæ de eodem Ezechiâ rege dicta, aut in Scripturâ antilogiam, aut in Deo mutationem arguunt. — Resp. Ezechias juxtà causarum naturalium seriem et dispositionem haud dubiè moriturus erat, nisi Deus ejus lacrymis, pœnitentiâ et pietate commotus, ipsi vitæ inducias concessisset; itaque Propheta primùm edixit quod Deus ex naturali rerum dispositione prævideral ab æterno futurum, nisi aliter statueret; quod etiam se fa-

eturum præsciverat. Hæc egregiè explicat S. Augustinus, lib. 6. de Gen. ad litteram, Cap. 17 : « Secundùm quasdam futurorum causas, inquit, moriturus erat Ezechias, cui Deus addidit quindecim annos ad vitam ; id utique faciens, quod antè constitutionem mundi se facturum esse præsciebat, et in suâ voluntate servabat. Non ergò id fecit, quod futurum non erat ; hoc enim magis erat futurum quod se facturum præsciebat ; nec tamen illi anni rectè additi dicerentur, nisi aliquid adderetur, quod se aliter in aliis causis habuerat. Secundùm aliquas igitur causas inferiores, jam vitam finierat ; secundùm illas, quæ sunt in præscientiâ et voluntate Dei, qui ex æternitate noverat quid illo tempore facturus erat, et hoc verè futurum erat : tunc erat finiturus vitam quandò finivit vitam. »

Cap. 53, v. 2 : *Non est species ei* (Messiæ) *neque decor*, etc. At Psalmo 45, v. 2, dicitur *speciosus formâ præ filiis hominum*, etc. Resp. Loquitur Propheta de Christo sputis fœdato, flagris laniato, et plagis cruentato qualis apparuit in Passione, in quâ fuit despectus, humiliatus, et reverà vir dolorum : Psalmista verò eum repræsentat secundùm eximias corporis et animi dotes quibus à nativitate fuit præditus, et quarum respectu speciosus erat præ filiis hominum.

Ex Jeremiâ.

Cap. 22, v. 30 : *Hæc dicit Dominus, scribe virum istum sterilem*, quæ de Jechonia dicta sunt ; at 1 Paralip. 3, v. 17, septem filii ejus numerantur, inter quos Salathiel, qui in genealogiâ Christi sedem habet. Resp. Sterilis fuit Jechonias, non defectu prolis, sed successoris n regiâ dignitate et auctoritate. Undè additur : *Nec enim erit de semine ejus vir qui sedeat super solium David, et potestatem habeat ultrà in Judâ.* Tametsi enim Zorobabel ejus nepos dux fuerit reducum in terram Juda, ejusdemque operâ et auspiciis templum fuerit instauratum, nusquàm tamen verè regiam auctoritatem est consecutus : neque enim ille absolutè, et solus, populo jus dicebat, sed consortes habebat Nehemiam et alios illustrium familiarum principes ; qui omnes à regibus Persarum pendebant.

Cap. 34 : *Oculi tui oculos regis Babylonis videbunt*, etc. At Ezech. 12, v. 13 : *Abducam Sedechiam in Babylonem, in terram Chaldæorum, et eam non videbit, ibique morietur.* — Resp. Sedechias, captus à Chaldæis, et ad Nabuchodonosoris præsentiam deductus, vidit equidem regem Babylonis, at cùm ad ejus imperium fuisset visu privatus, in Babylonem dein captivus deportatus, eam videre non potuit.

Cap. 25, v. 1 : *In anno quarto Joakim, filii Josiæ, regis Juda, ipse est annus primus Nabuchodonosor regis Babylonis*, quibus significatur ipsum Nabuchodonosorem expugnâsse Jerosolymam anno quarto regni Joakim, et primo sui imperii. At Danielis, Cap. 1, id factum asseritur *anno tertio regni Joakim ;* ubi Daniel primum Nabuchonosoris annum asserit concurrere cum quarto anno regni Joakim, non vero cum tertio ut narrat Jeremias. Resp. primum imperantis Nabuchodonosoris annum concurrisse cum exeunte tertio et ineunte quarto regni Joakim ; quamobrem Prophetæ invicem non pugnant dùm quartum vel tertium memorant. Porrò hic Joakim (ut diximus) putatur bis captus a Nabuchodonosore, ex eo quòd 4 Reg. 23, colligitur illum *undecim regnâsse annis ;* cùm autem hic scribatur tertio anno, scilicet penè completo, migrâsse in Babylonem, qui secundùm Jeremiam primus fuit annus Nabuchodonosoris, iterùm videtur rediisse in regnum, serviens regi Babel tribus annis 4 Reg. 24, v. 1. At posteà rebellis effectus, denuò est captus, et in itinere mortuus. Hic autem Joakim erat filius Josiæ regis, pater Joachin, quem et Jechoniam appellant ; frater autem Sedechiæ, qui et *Sellum* dicitur, sub quo Jerusalem destructa est ; et frater Joachaz, quem Pharao Necao adduxit vinctum in Ægyptum. Admonet etiam S. Hieronymus, « Non putandum esse eumdem in Danielis principio esse Joacim qui in Ezech. exordio Joachin scribitur : iste enim extremam syllabam *cim* habet, ille *chin*. » Hic ergò fuit à Pharaone Necao pro fratre suo Joachaz constitutus rex Judæ.

Cap. 36, v. 3 : *Non erit ex rege Joachim qui sedeat super solium David ;* at 4 Reg., v. 24 : *Dormivit Joachim cum patribus suis, et regnavit Joachin, filius, ejus pro eo.* Resp. Solium quidem paternum ascendit Joachin, at in eo sedisse non est dicendus, quippe qui fixam sedem non habuerit, ei in eo brevissimo tempore steterit, nimirùm circiter tribus mensibus ; dein namque abductus fuit in Babylonem cum universâ familiâ ; posteri verò illius qui Judaico populo præfuerunt, non egerunt ut reges, sed tantùm ut principes qui regibus Persarum tributum pendebant.

Ex Ezechiele.

Cap. 1, v. 8, de mysticis animalibus dicitur : *Non revertebantur cùm ambularent* · At. v. 14 : *Ibant et revertebantur in similitudinem fulguris.* Respons. Primus textus significat ea animalia

non deflexisse à rectâ viâ, nec fuisse reversa priusquàm designatum sui cursûs scopum tetigissent; at ubi illùc pervenere, rectâ viâ et pari velocitate reversa sunt; ut sive eundo, sive redeundo exactissimè Deo parerent.

Cap. 11, v. 13, vaticinatur Ezechiel ad viros qui erant Jerosolymis; at ipse Jerosolymis non stetit.—Resp. Cùm in extasi vaticinaretur Ezechiel, ac sua oracula ad viros Jerosolymis consistentes dirigeret, sicut illos sibi videbatur habere præsentes, sic etiam eis verba fecit quæ dein mandavit scriptis ut ad eorum notitiam venirent. Accedit quod non sit insolitum Prophetis verba ad absentes facere, quæ per nuntios evulgarentur ad quos spectabant. Sic nationibus remotissimis multa multa denuntiârunt Prophetæ, quæ demùm vulgante famâ eis innotuerunt.

Cap. 20, 11 : *Dedi eis præcepta mea, et judicia mea ostendi eis, quæ faciens homo vivet in eis* : at v. 27 : *Ergò et ego dedi eis præcepta non bona, et judicia in quibus non vivent.* Resp. in priori textu admonemur quantùm divinorum mandatorum observantia conferat ad vitam æternam promerendam, ut legisperito inquirenti : *Quid faciendo vitam æternam possidebo?* meritò dixerit Salvator : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata;* in posteriori verò significatur ejus divinæ Legis transgressionem esse inobservantibus summè noxiam, et eis mortem æternam inferre. Quamobrem prævaricatores illos arguit Deus, quòd suâ pravitate fecerint, ut Lex quæ certa est et secura ad vitam æternam via, esset illius temeratoribus in perniciem et ruinam.

Cap. 30, v. 14 : *Faciam judicia in Alexandriâ:* At Alexandria exstructa fuit ab Alexandro ducentis post Ezechielem annis; eam ergò subvertere non potuit Nabuchodonosor, rex Babylonis, de quo ibi sit sermo. Resp. Hanc civitatem quæ Hebraicè dicebatur *No* et quæ, teste Nahum, cap. 3, v. 8, amplitudine æmulabatur Niniven, complectebaturque suo ambitu viginti leucas, ut refert Diodorus Siculus (lib. 30, cap. 7), per anticipationem dicta est Alexandria, quoniam à Nabuchodonosore vastata, dein ab Alexandro Magno instaurata fuit, et ab ejus nomine dicta Alexandria.

Ex Daniele.

Cap. 1, v. 21 : *Fuit autem Daniel usque ad annum primum Cyri regis;* quibus significari videtur eum illo anno obiisse : at cap. 10, v. 1 : *Anno tertio Cyri, regis Persarum, verbum revelatum est Danieli, etc.* — Resp. In priori textu non excluduntur anni posteriores duo quibus Daniel cum Cyro vixit; sed cùm paulò anteà mentio facta esset initii captivivitatis Babylonicæ, quâ ipse Daniel cum aliis è nobilioribus Judæis fuerat in Chaldæam deportatus, significatur Deum vitam Danieli prorogâsse usque ad illius captivitatis solutionem, quæ cœpit fieri anno primo Cyri regnantis, tametsi Daniel, jam grandævus et senio confectus, relictâ aulâ regiâ in quâ plurimùm valebat, vitam privatam et quietam ad duos annos deindè egerit, atque in Judæam fuerit reversus, si qua Hebræorum traditioni fides.

Cap. 2, v. 1 : *In anno secundo, Nabuchodonosor vidit somnium, etc.* At cap. 1, v. 5, Daniel enutritus est cum sociis vescens cibo regio tribus annis priusquàm appareret coràm rege. — Respondeo somnium istud contigisse anno secundo non quidem *regni* quo solis Babyloniis et Chaldæis Nabuchodonosor imperabat, sed *monarchiæ* quâ devictâ Ægypto aliisque regnis adjacentibus expugnatis, atque Asiâ subjugatâ, totius penè Orientis imperium obtinuit; ità tradunt Josephus, lib. 10. Antiq., cap. 11, et ex eo S. Hieronymus, Lyranus, et alii benè multi. Undè consequens est ista evenisse anno post expugnationem Jerosolymæ septimo.

Ibidem, v. 3, in interpretatione somnii et stupendæ statuæ; quatuor tantùm describuntur futuræ monarchiæ, cùm tamen longè plures fuerint. Respondeo hîc duntaxat repræsentari eas monarchias à quibus Judæi erant vexandi, videlicet imperia Babyloniorum, Persarum, Medorum et Romanorum, quorum regna tunc temporis jam florere cœperant. Regnante enim apud Hebræos Ezechiâ, regnabat in Babylone Merodach Baladam, ut est Isa. 38, apud Macedonas verò Perdiccas, rex quartus; apud Romanos Romulus, rex primus; apud Medos Medidus, rex tertius. Quod autem regnum Babylonicum aureo capiti comparetur, non videtur tantùm esse causa quòd longior fuerit monarchia, aut ditior, aut latior, sed fortasse ob hoc quòd ipsi victori, domitis vicinis et rebellibus, majori pace regnare contigerit quàm Cyro, Alexandro vel Julio, primis cæterarum monarchiarum assertoribus. Nam Nabuchodonosor invictissimus ultrà quadragesimum annum regnavit, et senex quietum regnum filio Evilmerodach reliquit uti promissionem habuit per Jeremiam, cap. 27. Hinc apud Ezechielem, cap. 17, est *aquila grandis :* apud Isaiam *lucifer, filius auroræ.* Josephus, Antiq. lib. 10, ait Dioclem Philostratum, Berosum et alios exte-

ros scriptores honestam illius facere mentionem. Eusebius quoque Megasthenem citat, qui illum Hercule robustiorem fuisse, universamque Libyam et cæteram Asiam usque ad Armenios domuisse dicit. Orosius verò testatur Hispanos suos Iberos ad illum pro pace legatos misisse. Hinc patet quantæ potentiæ rex fuerit.

Ibidem, v. 46 : *Tunc rex Nabuchodonosor cecidit in faciem suam, et Danielem adoravit, et hostias et incensum præcepit ut sacrificarent ei :* at Deuter. 6, v. 13, et alibi sæpè : *Dominum Deum adorabis, etc.* — Responsio verosimilior, Nabuchodonosorem ethnico more ratum Danielem esse numen aliquod divinum, cultum ei voluisse exhibere, maximè cùm Chaldæos sapientes (à quibus et somnium et illius interpretationem sciscitatus fuerat) audîsset respondentes : *Sermo quem tu quæris, rex, gravis est ; nec reperietur quisquam qui indicet illum in conspectu regis, exceptis Diis.* At Nabuchodonosor à Daniele admonitus et meliùs informatus, propositum mutavit, et Deum verum adoravit. Cujus quidem conjecturæ argumentum est 1° ipsa Danielis pietas anteà perspecta ; qui enim regiis cibariis vesci noluit, ne quid in Mosaicam Legem peccaret, quomodò divinos honores sibi deferri pateretur? 2° Ipsa Nabuchodonosoris statim prolata Dei veri confessio ; ait enim illicò Danieli : *Verè Deus vester Deus Deorum est, etc.*

Nonnullæ, ex Prophetis quos ob brevitatem sermonis MINORES appellant, proferuntur etiam antilogiæ; verùm cum illæ sint minoris momenti, atque facilis earum solutio viris in Scripturarum lectione tantillùm exercitatis occurrat, in iis elucidandis et dissolvendis tempus, ne perderem, non judicavi esse ponendum.

Ex S. Matthæo.

Cap, 1, in recensendâ et explicandâ Christi genealogiâ invicem plurimùm discrepant SS. Matthæus et Lucas; maximè verò quantùm ad ordinem et nomina eorum qui in hâc majorum Christi serie referuntur. In ordine, ut notat Waltherus, est dissonantia triplex. Primò namque S. Matthæus ab Abrahamo per descensum ad Christum usque procedit; Lucas verò per ascensum à Josepho ad Adamum omnium hominum protoparentem. Secundò, Matthæus nullius antè Abrahamum meminit Patriarchæ; Lucas continuat seriem Patriarcharum ad Adamum usque per posteros Noe et Sethi. Tertiò, Matthæus à Davide usque ad Christum generationes 28, à Salathiele usque ad Joseph 12, numerat; Lucas autem à Davide usque ad Christum generationes 42, à Salathiele usque ad Joseph 21, recenset. Universè Matthæus tres tesseradecades, et personas 42, Lucas verò 77 profert. Quartò, Matthæus verbo *genuit* usus est ; S. Lucas certo nullo. In nominibus quoque magna variatio est; Matthæus enim 1° per Salomonem; Lucas per Nathanem ejusque posteros genealogiam Christi recenset. 2° In tertiâ tesseradecade S. Lucas Jechoniæ loco nominat Neri et alios præterea à Matthæo omissos. 3° Josephi patrem, quem S. Matthæus Jacobum dicit, S. Lucas constituit Heli.

Resp. Ad primum, ordinem numerandi disparem et retrogadum, rei ipsi nihil quicquam derogare ; dummodò recta rerum series instituatur. Ad secundum, dico, idcircò S. Matthæum in Abrahamo consistere, S. Lucam verò ad Adamum, Deumque progredi : 1° Quia S. Matthæus suum ad Judæos Evangelium dirigebat, quamobrem ut faciliùs Christi historiam, quam ordiebatur, ipsis gratam redderet, eumque verum Messiam comprobaret, sat judicavit illius genealogiam ab Abrahamo eorum protopatriarchâ deducere ; Lucas verò cùm ad omnes prorsùs nationes scriberet, necessarium duxit Christi genealogiam summâ diligentiâ ad Deum usque ducendam, quo faciliùs insinuaret eum esse qui nos à Deo in protoparente lapsos, ad eum suis meritis et monitis revocaret; ideò ascendendo processit. 2° S. Matthæus stetit in Abrahamo, quia ei Patriarchæ primò ex hominibus post diluvium dictæ sunt promissiones de Messiâ : undè cùm ille communis esset parens ejus populi ex quo oriundus erat Messias ; ad confirmandam de eo fidem, satis erat ostendisse Christum ex semine Abrahæ esse natum. Lucas verò ad communem omnium prorsùs hominum parentem progressus est, ut ostenderet Christum esse propositum omnium hominum Salvatorem ab initio mundi ; neque aliud esse nomen datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.

Ad tertium dissonantiæ momentum repono, nil mirum videri quòd plures à S. Lucâ quàm à S. Matthæo in Christi genealogiâ referantur ; siquidem ille per Nathanem, hic per Salomonem Davidis ex Bersabeâ filios, Christi proavos nominat ; ac proindè ab utroque diversi memorantur ; potuit autem una prosapia in multò plures familias quam alia sese effundere. Neque enim Salathiel et Zorobabel, qui apud Lucam, iidem sunt qui à S. Matthæo recensentur ; illi enim ex stirpe Nathanis, hi ex stirpe Salomonis;

illi vigesimnm aut vigesimum primum in Christi Domini prosapiâ gradum obtinent, hi duodecim aut tredecim gradibus à Christo distant; illis alii patres et proavi alio nomine quàm his adscribuntur. Porrò eadem nomina pluribus interdùm imponi solita nemini dubium est, præsertim dùm illa sunt præstantium virorum et aliquid boni ominis portendunt; ità ergò duæ stirpes seu lineæ sunt, sicut nominibus, sic et gradibus et personis prorsùs distinctæ et diversæ apud Lucam à Nathane per Neri usque ad Heli; et apud Matthæum à Salomone per Jechoniam usque ad Jacobum Josephi patrem.

Quorsùm autem in texendâ Christi Domini genealogiâ diversam rationem et institutionem inierint SS. Matthæus et Lucas, non eadem est auctorum sententia et ratio. Sunt enim qui existimant à Matthæo recenseri genus Josephi per lineam Salomonis, quæ sceptrum regale diù tenuit; à S. Luca autem Mariæ Virginis ex Davide per lineam Nathanis, ad quam posteà solium Davidis ducum titulo devolutum fuit: cujus rei duplex ratio assignari potest. Prior, ut constet Mariam esse ex domo Davidis, licèt non per lineam Salomonis ejusque posterorum, penès quos plures annos fuit regia potestas; posterior, ut appareat, Mariam desponsatam Josepho non in domum alterius tribus, aut familiæ, sed in domum et familiam Davidis translatam esse, ut ità undique firmissimè probetur, Christum nostrum esse ex domo et familiâ Davidis, sive censeatur ex familiâ Matris, ex quâ Virgine natus est, sive ex illâ familiâ in quam Maria per desponsationem transiit. Verùm ista sententia nequaquàm mihi videtur probabilis; nam cùm S. Lucas eodem contextu dicat *Joseph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat*, atque ità cætera deinceps filios patribus continuâ serie connectens, aut, Josepho omisso, velle Christum Heli nepotem dici, aut Josephum ipsius Heli non filium sed generum, à recto sermone usuque loquendi alienum est. « Fatendum est igitur, ait apposité Grotius, ejusdem Josephi genùs ab altero prorsum, ab altero retrorsùm censeri. Neque verò aliena à Christo existimanda est origo Josephi, cùm natus sit Christus ex eâ quam Josephus in matrimonio retinuerit. Nam si ea vis est Legis, ut partus viduæ ex agnato defuncti viri conceptus in omne jus defuncti succedat, non aliter quàm si ex ipsius geniturâ ortum traxisset, quidni id quod sine humanâ operâ ex legitimâ illius conjuge natum est, quasi ipsius solo divinitùs insitum, ipsius proprium censeatur? atque hinc est nimirùm quòd non tantùm ab Evangelii scriptoribus Josephus, pater Christi, nuptiis videlicet patrem demonstrantibus, nominatur; sed et Christus omnia obsequia atque operas illi præstitit quæ exspectari possunt à filio in sacris paternis constituto. Quòd si ubique gentium adoptivi liberi ex ejus gentis cui velut insiti sunt nobilitate censentur, quantò justiùs omnia jura gentilitia Josephi ac promissiones divinæ ipsius majoribus factæ ad Dominum Jesum pertinebant! » Hæc ille.

Neque necessum erat specialem Beatæ Virginis genealogiam texere, non solùm quia usitatum non erat apud Judæos ut in genealogiis fœminæ censerentur; sed maximè quia Beatæ Mariæ stemma ex Josephi stemmate facilè colligebatur; hæc enim non modò extrà tribum suam, sed ne extrà familiam quidem nubere potuit quippè quæ fratres consanguineos nullos habuerit. Nam puellæ Israelitides, quæ fratres non haberent, lege divinâ jubentur nubere agnatis proximis, uti definitum est Numerorum 36, ex specie facti quæ se in filiabus Salphaad Moysi obtulerat Deo ità decernente, cunctæ fœminæ de eadem tribu maritos accipient, ut hæreditas permaneat in familiis; ubi vox מטה *Matte,* quæ sæpiùs ibi repetitur, non modo tribum, sed etiam stirpem, præsertim hoc loco significat: ità ut præfata verba, si hebraicum textum attendamus, propriè significent familiam stirpis paternæ, uti egregiè hîc demonstrat Grotius; quòd etiam, inquit, exigit ratio Legi addita, quæ hæc est, ne bona avita mancipii jure ad extraneos deveniant: quod non tribuum tantùm, sed et gentium, familiarumque conservandarum causâ constitutum esse ex simili Lege, quæ est de redempturis, intelligi potest. Hinc est quòd is qui Tobiæ historiam scripsit, moris Judaici non indiligens observator, Saram virginem conquerentem introducit, quòd pater ipsius filios hæredes non haberet; neque verò esset frater ei, cujus filio se uxorem ex Lege servaret, cap. 3. 18. Nec secùs is qui Judithæ historiam scripsit, maritum ejus ait fuisse non modò τῆς φυλῆς αὐτῆς, τῆς πατειᾶς αὐτῆς. Chrysostomus quoque et Epiphanius, quibus mores Judæorum ignoti vix esse poterant, iis in locis viventibus ubi maxima Judæorum erat multitudo, ità Legem quam dixi Moysis interpretantur. Legibus s nè atticis, quarum antiquissimas ex Moysis Legibus desumptas, ac tantùm non descriptas esse facillimum probatu est, idem quod diximus inve-

nitur constitutum. Vocabatur autem puella talis, sive sola ex asse hæres esset patri, sive soror s, non etiam fratres hab-ret; ut idem Grotius probat plurimis exemplis petitis à veteribus ethnicis, quibus ea Mosaica Lex non solùm innotuit, sed etiam fuit in usu.

Existimant nonnulli Matthæum lineam naturalem et regiam ducere; Lucam vero sacerdotalem, tùm ex eo quòd hic describat genealogiam Davidis per Nathanem, quem existimant naturalem fuisse Uriæ sacerdotis filium, à Davide, inito cum Bersabeâ matrimonio, adoptatum. Quamobrem istùc referunt hoc 2 Reg., c. 8, v. 18: *Filii autem Davidis Sacerdotes erant;* quam sententiam tradit S. Ambrosius, in tertium caput Lucæ scribens, quòd « per Salomonem Matthæus generationem derivandam putavit; Lucas verò per Nathan: alteram regalem, alteram sacerdotalem Christi familiam videtur ostendere. Fuit enim verè et secundùm carnem, regalis et sacerdotalis familiæ; Rex ex regibus, Sacerdos ex sacerdotibus, quoniam et Rex in Dei virtute lætatur, cui judicium à patre rege defertur; et Sacerdos in æternum, secundùm quod scriptum est: *Tu es Sacerdos*, etc. Benè igitur uterque tenuit fidem, ut Matthæus per reges ductam originem comprobaret; et Lucas per sacerdotes à Deo transmissam in Christum seriem generis deducendo, sanctiorem ipsam originem declararet. » Hæc ille; cui concinunt Nazianzenus, in Carmine de Christi Genealogiâ: *A patre sacrificum duxit genus;* Hilarius, Canone 1 in Matth., Petrus Blesensis, Epistolâ 3. Ergò, etc.

Verùm hujus sententiæ plurima jugulum petunt. 1° Namque non constat Uriam fuisse sacerdotem, ac proindè nec Nathanem putatum ejus filium. 2° Quamvis Urias concederetur sacerdos, non ideircò evincitur ipsum fuisse patrem naturalem Nathanis, imò contrarium deduci videtur ex 1. Paralip., cap. 3, ubi numerantur filii à Davide in Jerusalem ex Bersabeâ geniti: *Porrò in Jerusalem nati sunt ei filii Simmaa, et Sobab, et Nathan, et Salomon, quatuor de Bersabeâ, filiâ Ammiel,* ubi Nathan eâdem in serie scribitur cum Salomone, quem nullus dixerit adoptatum, et non verè à Davide genitum. 3° Si fuerit Nathan adoptatus, ex ejusque stirpe Christus prodierit, falsum erit Christum esse ex Davide oriundum secundùm propagationem naturalem et fructum ventris Davidici, cui repositum erat à Deo patris solium et regnum. 4° Tametsi gratis concederetur Nathanem reverà fuisse sacerdotem, indè non esset consequens omnes qui in ejus serie numerantur, ad ultimum usque, summos Sacerdotes exstitisse, quippe nullius eorum in pontificali serie meminit Josephus, lib. 15, cap. 16. Unde verosimilior mihi videtur eorum sententia, qui existimant S. Matthæum genealogiam naturalem Josephi, ac subinde Christi; Lucam verò tantùm legalem scrip-isse. Ita, post S. Justinum martyrem sensit Julius Africanus, in Epistolâ ad Aristidem, quam nobis servavit Eusebius Lib, 1 Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 8, ubi inter cætera scribit: « Cùm igitur velut scopus nobis propositus sit Josephus, explicandum nobis est, quomodò uterque pater illius esse dicatur, tam Jacob, qui ex Salomone, quàm Heli, qui ex Nathan originem ducit; ac prætereà, quomodò isti duo Jacob et Heli fratres fuerint; deindè quâ ratione horum patres Matthan et Melchi, diverso genere prognati, avi Josephi fuisse probentur. Matthan et Melchi cùm eamdem uxorem, alter post alterum habuissent, liberos ex eâ, qui uterini fratres erant, susceperunt. Quippè Lex non vetabat ne mulier vidua, seu repudiata, seu viro ipsius mortuo, alteri nuberet. Igitur ex Esthâ (hoc enim mulieris nomen fuisse accepimus) primus Matthan, qui à Salomone genus ducebat, Jacobum filium sustulit. Post Matthanis autem interitum, Melchi, qui ad Nathanem originem referebat, cùm ex eadem tribu sed diversâ familiâ editus esset, ut anteà diximus, uxorem eam sortitus, Heli filium suscepit. Hoc modo Jacob et Heli, licet diverso genere prognatos, uterinos fratres reperiemus; quorum alter, Jacob scilicet, cùm frater ipsius Heli sine liberis decessisset, viduam ejus conjugem sibi accipiens, tertium ex eà Josephum genuit, naturali quidem ratione filium suum. Unde etiam scriptum est: *Jacob autem genuit Joseph;* sed secundùm Legem filius erat Heli, quippè cùm ejus semen Jacobus frater suscitâsset. Proindè nec generis per eum deducta series, vana ac futilis deprehendetur, quam Matthæus quidem recensens, *Jacob*, inquit, *genuit Joseph;* Lucas verò, è contrario, à filiis ad parentes ascendens: *Jesus*, inquit, *qui erat, ut putabatur* (hoc enim disertè addit) *filius Joseph, qui fuit Heli, qui fuit Melchi.* Neque enim poterat disertiùs exprimi fictitia illa generandi ratio quæ ex Lege profecta est. Ideò in hujusmodi liberorum generatione, verbum istud, *genuit*, ad finem usque reticuit, cùm ad ipsum usque Adamum, qui fuit Dei, gradatim ascendendo, totius generis seriem perduxisset. Neque verò id

certâ ratione destitutum, aut temerè confictum est. Cognati enim Salvatoris nostri, sive ad ostendendam generis sui nobilitatem, sive ut simpliciter rem docerent, veraci utique sermone hæc nobis tradiderunt. » Hæc Africanus, cujus sententiæ scopus est ostendere Jacobum fuisse fratrem uterinum Heli, ex unâ eâdemque matre Jeschâ; quæ cùm ex Mathat genuisset Heli, jam vidua nupserit Mathano, et procreaverit Jacobum. Cùm autem Heli sine liberis defunctus esset, ex præscripto Legis Deuteronom. 25, de suscitando semine fratri, uxorem Heli duxit Jacob, ejus uterinus frater, et ex eâ procreavit Josephum, naturalem quidem suum, legalem autem Heli filium, sicut Booz ex Ruthâ, Mahalonis viduâ, genuit Obed, naturalem suum, Mahalonis verò filium legalem.

At, inquies, si Josephus fuisset filius legalis Heli, debuisset ejus nomine appellari: nam Deuter. 25, in descriptione juris et Exercitii Leviratûs, videtur præcipi, ut primogenitus suscitatus fratri defuncto, nomen ejus sortiatur. « Verùm ut egregiè docet S. Augustinus (quæst. 46, super Deuter.), hâc lege constituitur, non ut filius procreatus nomen defuncti patris, cui suscitatur, obtineat; sed quòd ille non sine posteritate mortuus esse videatur; et ideo permanet ejus nomen, hoc est memoria. Neque enim etiam si ipse filium genuisset, nomen suum ei fuerat impositurus, ut nomen ejus non deleretur ex Israel; sed ex hoc utique non deleretur, quia non sine liberis ex hâc vitâ emigraret; et hoc jubetur in ejus uxore frater ejus implere quod ille non potuit. Nam etsi frater non fuisset, et propinquus ducebat uxorem ejus qui sine filiis mortuus esset, ad suscitandum semen fratri suo; sicut fecit Booz ducendo Ruth, ut semen excitaret propinquo suo, cujus fuerat illa uxor, nec de illo pepererat; et tamen qui de illâ natus est, ex nomine quidem defuncti constitutus est, quia filius ejus est dictus; atque itâ factum est ut nomen defuncti non deleretur ex Israel, nec tamen ejus nomine appellatus est. » Hæc S. Augustinus.

Nonnihil tamen peccat Africanus in hâc recensione, præsertim dùm ait in generatione illâ Christi quam refert S. Lucas, tertium esse Melchi; nam in Evangelio S, Lucæ tertius nominatur Mathat, avus scilicet Josephi, Melchi verò quintus, atavus scilicet Josephi. Itaque aut Africanum memoriâ lapsum esse dicendum est, aut certè in codice Evangelii quo usus est Africanus Melchi scriptum fuisse pro Mathat; quæ est conjectura Bedæ in cap. 3 Lucæ. Certè Gregorius Nazianzenus, in Carmine 38, de Christi genealogiâ, Africanum sequens Melchi pro Mathat posuit, et Ambrosius, in Lib. 3 Commentariorum in Lucam.

Ibidem, v. 8: *Joram autem genuit Oziam;* at 4, Reg. 8, 1. Paralip., cap. 3: *Joram genuit Ochoziam, Ochozias genuit Joas, Joas genuit Amasiam;* hic verò Oziam, alio nomine Azariam, genuit. Resp. Joram genuisse Amasiam generatione non immediatâ, sed mediatâ; quo sensu nepotes ab avis dicuntur geniti; et omnes homines ab Adamo protoparente procreati. Quare autem tres illi reges intermedii, fuerint ab Evangelistâ prætermissi, diximus suprà.

Ibidem: *Josias autem genuit Jechoniam in transmigratione Babylonis;* at 2, Paralip., c. 34, v. 8: *Colligam te ad patres tuos, et insereris in sepulchrum tuum in pace; nec videbunt oculi tui omne malum quod ego inducturus sum super locum istum.* Itaque filios non genuit in illâ transmigratione, quæ nonnisi post ejus mortem contigit. Transmigratio enim facta est tertio mense regni Jechoniæ, 4 Reg. 24. Itaque inter natalem diem Joachim et transmigrationem interfuerunt triginta sex anni. Deindè Josias non genuit Jechoniam, sed Joachim, qui fuit pater Joachin, seu Jechoniæ. Josias enim quatuor genuit filios; primus fuit Johanan, secundus Eliakin, qui Joachim, tertius Joachas, qui et Sellum, quartus Sedecias, qui et Matanias. Porrò Joachas, licèt tertiò genitus, proximè in regno successit Josiæ patri occiso; sed amovit eum Pharao, rex Ægypti, eique suffecit fratrem secundò genitum, puta Joakim; hunc post undecim annos regni cepit et occidit Nabuchodonosor, rex Babylonis, eique substituit filium nomine Joachin; quem post tres menses in Babylonem abducens, subrogavit ei in regno patruum, puta Sedeciam, quem tandem rebellantem abduxit, et excæcavit, in eoque desiit stirps regia Davidis.

Resp. 1°. *In transmigratione* idem esse ac *sub tempus transmigrationis*, cùm videlicet peccata Judæorum maximè Deum urgerent ad vindictam, ut illos perduelles exilio et captivitate plecteret. Porrò transmigratio Judæorum in Babylonem fuit triplex: prima enim contigit anno undecimo Joachin regis, in quâ abductus fuit Daniel et Ezechiel; secunda contigit post tres menses, in quâ cum rege Joachin, filio Joakim, abductus fuit Mardochæus, patruus Esther; tertia et generalis accidit post undecim annos, scilicet anno undecimo et ul-

timo Sedeciæ regis, quâ penè omnes reliqui abducti sunt. 2° Censent interpretes filium Josiæ, et patrem Joachin, seu Jechoniæ, dictum fuisse etiam Jechoniam. Quare hic supplenda videtur una generatio, addendumque antè versum 12: *Jechonias autem genuit Jechoniam,* uti ferunt nonnulli codices Græci et Latini, tametsi Joachim Josiæ filius in veteri Testamento nullibi dicatur Jechonias; solus enim hoc nomine donatur Joachin 1, Paralip., cap. 3, v. 16. Censerem ego prætermissum esse illum Joachim, sive ab ipso S. Matthæo, ne scribendo Joachim et Joachin videretur idem repetere, uti existimat S. Augustinus (Lib. de consensu Evangeliorum, c. 4), sive potiùs scriptorum vitio et ignorantiâ, putantium scilicet eumdem esse Joachim et Joachin, quare alterum quasi redundantem expunxerunt. Ità S. Epiphanius adversùs Epicureos; affirmat etiam Stapulensis vetustissimum quoddam exemplar Evangeliorum ita habere: *Josias genuit Joachim, Joachim autem genuit Jechoniam.*

Ibidem, v. 12: *Post transmigrationem Babylonis Jechonias genuit Salathiel.* At quomodò potuit Jechonias post transportationem Babylonicam, seu in ipsâ captivitate filios procreare, cùm in carcere vinctus fuerit? — Resp. Hanc generationem non contigisse tempore Nabuchodonosoris, qui ergà Joachin acerbissimè semper egit quandiù fuit in vivis; at illo mortuo, Evilmerodhac, ejus filius, Joachin eduxit è carcere, *et posuit thronum ejus super thronum regum qui erant cum eo in Babylone,* 4, Reg., cap. 25, v. 27, quo tempore Joachin, cùm liberè ageret, haud dubiè filios genuit, qui ideò *in terram, quam ignorabant projecti* fuisse dicuntur Jerem. 22, 28, quia nempè captivi nati sunt; nam tempore transmigrationis, etsi Jechonias uxorem habebat, 4 Reg. 24, 15, tamen credibile est nondùm filios habuisse. Alioquin Nabuchodonosor, non Mathaniam, ejus patruum, sed aliquem potiùs ex ejus filiis regem pro ipso constituisset 4 Reg. 24, 17, et 2 Paralip. cap. 36, v. 8.

Ibidem: *Salathiel autem genuit Zorobabel:* Ista non cohærent cum 1, Paralip. cap. 3, v. 19, ubi Zorobabel dicitur *Filius Phadaiæ,* fratris Salathielis. — Respondet Alphonsus Tostatus, Zorobabelem istum, de quo in Paralipomenis, non esse eundem cum eo qui filius Salathielis à Matthæo constituitur, sed alium cognominem ex Pedaiâ genitum; rationem affert, quia Zorobabel à S. Matthæo commemoratus, dicitur genuisse filium Abiud: At 1 Paralip. c. 3, inter filios Zorobabelis, nullus nominatur Abiud, sed Mesullam, Hananias, et alii; sed parùm videtur probabile diversos fuisse Zorobabeles, quorum mentio in Paralipomenis et apud Matthæum. Quamobrem, omissis aliis solutionibus, verosimiliorem eam existimo, quæ tradit Salathielem fuisse Jechoniæ primogenitum, qui cùm absque liberis fuisset extinctus, probabile est Phadaiam fratrem ejus pro jure Leviratûs ductâ Salathielis uxore, semen ei suscitâsse, et sic Zorobabelem ab illo genitum, censeri filium Salathielis, quasi ab eo fuisset procreatus. Quamobrem etiam Esdras cap. 3, v. 2, ut et Aggæus cap. 1, v. 1, Zorobabelem non Phadaiæ, sed Salathielis filium faciunt, quos dubio procul etiam secutus Matthæus: tametsi enim Phadaiæ filius naturalis fuerit, legalis tamen fuit Salathielis.

Ibidem, v. 13: *Zorobabel autem genuit Abiud;* at 1 — Paralip., c. 3, v. 19, ubi recensentur filii Zorobabel, nullus apparet Abiud; legimus enim: *Zorobabel genuit Mosollam, Hananiam, et Salomith sororem eorum; Hasabam quoque et Obol, et Barachjam, et Hasadiam, et Josabhesed, quinque.*

Hujus nodi solutio negotium non modicum facessit Interpretibus. Respondent enim aliqui Mesullam fuisse binominem, et vocatum etiam Abiud. Aliqui putant Hasabah vel Ohol posteritatem, quæ non describitur in Paralipomenon Lib. à Matthæo recenseri. Alii arbitrantur Zorobabelem, præter filios, quorum nomina habentur primo Paralipomenon Libro, adhuc habuisse alios, et inter illos Abiud, cujus genealogia texitur à S. Matthæo. Addit Spanhemius, et ex eo Waltherus genealogiam à Matthæo contextam et ad Josephum deductam per Abiud, fuisse quidem hominum è Davidis familiâ descendentium, sed obscurorum admodùm, et redactorum ex singulari Dei dispensatione ad statum privatum et conditionem vilem et abjectam; et quia ista declinatio facta est statim in Abiud, indè fortè factum quod nec illius, nec posterorum ejus majorum Josephi, obscuram prorsùs vitam agentium meminerit scriptor seriei genealogicæ in Paralipomenis, sed illos descripserit, qui tùm temporis in majori dignitate et æstimatione erant constituti. Si verò quis requirat unde S. Matthæus hanc genealogiam Abiud et omnium ex eo ad Josephum usque descendentium texuerit, responsio communis esse potest, id accepisse à Spiritu Sancto dictante, qui ei in conscribendo Evan-

gelio peculiari afflatu et instinctu adfuit. Verùm quoniam hoc responso non fieret satis argutiis et cavillis Judæorum et paganorum, reponerem S. Evangelistam hanc genealogiam scripsisse ex tabulis genealogicis Judæorum, in quibus illæ solebant summâ diligentiâ, et conscribi et asservari, præsertim verò eorum qui erant oriundi, sive ex tribu Judâ, sive ex tribu Levi: ex tribu Levi quidem, ne sacerdotium quisquam invaderet, qui non esset ex tribu illâ, cui peculiari ratione Deus honorem illum destinaverat; ex tribu Judâ verò, ob Messiam ex illâ nasciturum.

Quia autem promissio generalis postmodùm restricta fuit ad domum Davidis, dubium non est, quin posterorum Davidis quorumcumque major fuerit habita ratio quàm aliorum, ut constaret qui a Davide, quâ lineâ, et quo gradu descenderent. Nam à Judæis conscriptas fuisse in tabulariis publicis origines et propagationes familiarum, uti rem exploratam et perspectam, constantissimè tradit Africanus apud Eusebium, adjiciens (Lib. 1 Historiæ Ecclesiasticæ, c. 7): « qualiter Herodes priscas illas Israelitarum familias nihil ad se pertinere intelligens, ignobilitatis suæ conscientiâ stimulatus, omnia illa familiarum monumenta concremavit; ratus se tùm demùm nobilem visum iri, cùm nemo esset qui ex publicis monumentis originem generis sui ad Patriarchas posset referre. Tametsi hanc narrationem nonnihil peccare existimem; » nam, ut appositè advertit Valesius ad hunc locum, Josephus, in libro de Vitâ suâ, originem et antiquitatem stirpis suæ commemorans, ex publicis archivis eam repetit. Igitur restabant adhuc ætate Josephi publica tabularia, in quibus Judaicarum familiarum origines continebantur. Ac proindè falsum est Herodem ea omnia combussisse. Porrò hæc tabularia erant in templo Jerosolymitano sub custodiâ Scribarum, ut equidem existimant rerum Judaicarum Scriptores. Itaque optimè Ruffinus verba Africani ita vertit: « Omnes Hebræorum generationes descriptæ, in archivis templi secretioribus habebantur. »

Censerem igitur ejusmodi tabulas exstitisse inter Judæos, etiam temporibus S. Matth., et illum indè aliqua derivâsse, quæ in hoc capite proponit. Cùm enim hoc ipso catalogo Judæos convincere vellet, Christum natum ex posteritate Davidis, utpotè oriundum ex Matre desponsatâ viro de domo Davidis, nec tamen in omnibus secutus fuerit seriem genealogicam, prout exstat in Veteri Testamento indè à Zorobabele, dubium non est, quin ejusmodi tabulas descripserit, quæ et veritatem continerent, et quarum auctoritas esset indubitata inter Judæos: alioquin scopum suum non attigisset, et sine causâ obnoxium se fecisset cavillis hostium Christiani nominis, ut qui statim in limine adeò graviter impegisset; et sic totum suum de Christo Evangelium suspectum reddidisset. Nisi ergò genealogia hæc ex publicis documentis tunc temporis inter Judæos notis petita fuisset, Judæi Christi Domini adversarii hanc invehendi in Evangelicam ipsius historiam occasionem avidè arripuissent.

Cap. 3, v. 15: *Ego debeo à te baptizari, et tu venis ad me!* Verba sunt S. Joannis Baptistæ, quibus dat intelligi se novisse divinam Christi majestatem et sanctitatem etiam antequàm ab eo baptizaretur. At Joann. 1, v. 33: *Et ego nesciebam eum, sed qui misit me baptizare in aquâ, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem*, etc. Respondet S. Augustinus (Lib. 2 de consensu Evangel., cap. 15) Joannem equidem novisse Christum esse Messiam, etiam antè baptismum, ex signo autem illo visibili cognovisse insuper aliud, quòd propriâ quâdam excellentique potestate baptizaret, ut soli ipsi baptismi sanctitas tribuatur. At magis probatur expositio S. Chrysostomi, Euthymii, et Theophylacti: *Non noverat ipsum*, id est, ex familiari consuetudine, et amicâ conversatione, antequàm Christus ipse accederet ad baptismum; quippè cùm Christus in Ægypto et Nazareth, Joannes verò in deserto ab infantiâ stetisset. Simul autem atque vidit eum accedentem ad baptismum, divino afflatu cognovit illum ipsum esse ad cujus præsentiam exultaverat in utero Matris; quem in medio Judæorum stare, nec tamen ab eis cognitum, cujus non esset dignus solvere corrigiam calceamenti, et quem post se venturum, et in Spiritu ac igne baptizaturum prædicaverat. Quemadmodùm olim Samuel, ait Rupertus, certò sciebat inter filios Isaï unum esse qui in regem ungendus erat, cùm neminem eorum ex facie cognovisset; at simul atque Davidem vidit, Deo revelante, eum esse cognovit quem ungere deberet. Breviùs, noverat anteà Joannes Christum cognitione interiori et inchoatâ; at novit etiam notitiâ exteriori, et interiori plenissimè confirmatâ et consummatâ, dùm (quandò baptizaretur Christus) vidit cœlos apertos, et Spiritum Dei descendentem sicut columbam in eum, quæ manifestatio externa internæ revelationi et illuminationi conjuncta, eum in-

duxit ut Christum verè Messiam affirmaret, et Agnum Dei, qui mundi peccata tolleret.

Cap. 4, v. 2 : *Cùm* (Christus), *jejunâsset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, esuriit; et accedens tentator;* at Lucæ 4, v. 2 : *Agebatur à spiritu in desertum diebus quadraginta, et tentabatur à Diabolo;* quibus significat Christum à dæmone tentatum, non post quadraginta jejunii dies, ut ait S. Matthæus, sed toto ipso jejunii et solitudinis tempore. Insuper SS. Matthæus et Lucas variant in ordine tentationum; quam enim ille tertiam, eam hic secundam recitat. Resp. *quadraginta dies* ità scriptum à S. Luca, ut possit vel ad superiora verba, nimirum *agebatur in desertum*, etc., vel ad inferiora et sequentia scilicet *tentabatur*, etc., referri. Certè Origenes, vel quisquis fuit alius auctor Homil. 29, ità legit, ut sentiat Christum quadraginta diebus tentatum; nec abhorret ab hâc sententiâ quod scribit S. Marcus 1, 13 : *Erat in deserto quadraginta diebus et quadraginta noctibus et tentabatur à Satanâ.* Undè S. Augustinus (lib. 2, de cons Evang. cap. 4,) Beda (lib. 1. in Marc.), et alii plerique interpretes existimant, præter tres celebres illas tentationes, Christum per dies quadraginta, alias leviores, veluti præludia, fuisse perpessum. Ad secundum, dicit S. Augustinus, ibidem, cap. 16 : « Ad summam rei nihil interesse, nec aliquid deperire veritati, quòd unus Evangelista easdem sententias aliis verbis, et alio interdùm ordine, quàm alter explicat, dùm manifestum sit omnia illa, quæ scribuntur, esse facta. »

Ibidem, v. 17 : *Exindè cœpit prædicare*, etc., nimirùm cùm audisset Joannis Baptistæ detentionem et incarcerationem; at Joannis 3, v. 22, Christus simul cum Joanne Baptizabat; undè facta est contentio inter Discipulos Christi et Joannis; subindèque prædicabat antè Joannis incarcerationem.—Resp. S. Matthæum præteriisse ea quæ tribus primis capitibus narrat S. Joannes; hic enim solus recenset ea quæ Christus egerit post suum baptismum, et antequàm ejus præcursor Joannes in vincula conjiceretur; quamobrem S. Matthæus non negat Christum anteà prædicâsse et baptizâsse; sed tantùm iudicat illum eo munere præsertim functum esse cùm jam S. Joannes ministerium istud implere non posset. Si verò quis requirat quamobrem S. Joannes, prædicante Christo, ab utroque munere non desierit, respondent S. Chrysostomus, Theophylactus, et Euthymius, ideò non destitisse, ut semper aliqui ad se venirent, eosque baptizatos à se, et quodammodo initiatos mitteret ad Christum. Insuper si desiisset, majore adversùs Christum æmulatione ejus Discipuli concitarentur, quasi causa esset ut ipsorum Præceptor minus inclaresceret, et ab officio cessaret. Si enim tàm sæpè ab eo moniti se nonnisi aquâ baptizare, Christum verò Spiritu sancto baptizaturum, in eoque jam baptizare; nihilominùs tamen invidebant Christo; quid facturi essent si baptizare desiisset? Adde, inquiunt iidem auctores, quòd si baptizare cessâsset, indignatione quâdam, quòd Christus etiam baptizaret, fecisse videretur.

Cap. 8, v. 5 : *Accessit ad eum Centurio:* at Lucæ 7, v. 3. : *Misit ad eum Seniores*, et v. 6 : *Misit Amicos.* — Respondent communiter interpretes, centurionem ad Christum accessisse, cùm ad eum amicos et Seniores delegavit : quæ enim quis per legatos suos dici vel geri curat, ea ipsemet dicere aut gerere perhibetur, haud aliter ac si ipse præstò esset. Verùm probatur magis S. Chrysostomi et Theophylacti responsio, Centurionem primò, delegâsse seniores ad Christum, deinde amicos suos; tandem, cùm Christus non longè abesset à domo, ipsemet ei processit obviàm.

Ibidem, v. 20 : *Occurrunt ei duo dæmonia habentes;* at Marci 5, 22 : *Occurrit de monumentis homo in spiritu immundo;* S. Lucas similiter, cap. 8, v. 27, unius tantùm meminit. — Resp. SS. Marcum et Lucam unius duntaxat dæmoniaci meminisse, quia hic famosior et truculentior erat, utpotè cùm in eo integra dæmonum legio hospitaretur; quamobrem alterius dæmoniaci liberatione prætermissâ, illustre Christi miraculum in hujus curatione potissimùm enarrant, multaque de eo recensent quæ S. Matthæus prætermiserat.

Cap. 10, v. 10, prohibet Christus Apostolis quos ad prædicationem delegat, ne habeant in viâ *pecuniam, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam;* at Joan. 13, v. 23, Christus ipse excipiebat loculos, eos servante Judâ, in Apostolorum victum et subsidium; similiter Christus plurima vestimenta habebat, Joann. 1, v. 23. Etiam Marci 6, v. 8, permittit virgam, et v. 9, usum sandaliornm. — Resp. ad primum, Christum in primâ illâ delegatione ad Judæos, Discipulis interdixisse usum pecuniæ ut expeditiùs suo munere defungerentur, quia noverat eis necessaria ab auditoribus esse copiosè ministranda : quamobrem Lucæ 22, v. 36, de primâ hâc prædicatione et velitatione loquens, ait : *Quandò misi vos sine sacculo, et*

perâ, et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? et illi dixerunt nihil. Aliundè verò, quia Apostolico cætui ministranda erant necessaria ad victum et vestitum, permisit acceptationem et usum pecuniæ, urgente necessitate impendendæ. Ad secundum dico, eum non prohibere ne quis duas tunicas simul habeat necessitatis et frigoris pellendi causâ, sed ne divitum instar plures mutatorias, et citrà necessitatem vestes habeat. Ad tertium, vetat calceos qui totum pedem tegant, non sandalia quæ plantam pedis muniunt, ne in saxa impingant; cùm enim Judæa aspera et saxosa esset regio, eaque calida, sufficiebant sandalia quæ pedis plantam protegerent. Ad postremum vetat usum virgæ, imperatoriæ et defensoriæ, non sustentatoriæ et portatoriæ. Triplex enim est usus virgæ: primus in signum potestatis et juridictionis. Sic Psalm. 44: *Virga æquitatis, virgâ Regni tui.* Secundus defensorius et vindicatorius, Psalm. 88: *Visitabo in virgâ iniquitates eorum.* Tertius, portatorius, quo pauperes innixi solent incedere ad fatigationis levamen. Duos priores usus virgæ vetat Apostolis, quos mittebat sicut oves in medium luporum: posteriorem verò permittit.

Cap. 11, v. 8: *Venit Joannes, neque manducans, neque bibens:* at cap. 3, v. 4: *Esca autem ejus erat locustæ et mel sylvestre.* — Resp. Joannem Baptistam verissimè quidem dici non manducâsse, neque bibisse, aut quia parcissimè victitabat, quasi nullo potu et cibo reficeretur, juxtà illud vulgare: *Parum reputatur pro nihilo*: aut quia non more aliorum hominum, sed veluti ferarum instar vivebat locustis, herbis et radicibus. Ideò apud S. Lucam cap. 7, v. 33, signanter dicitur *neque manducans panem, neque bibens vinum*, potu et victu apud homines usitatis.

Cap. 14, v. 15: *Vespere autem facto, accesserunt ad eum Discipuli ejus, dicentes... Dimitte turbas*: at v. 24: *Vespere autem facto, solus erat ibi.* — Resp. Vesperam apud Judæos fuisse duplicem; unam *Solis*, quâ incipit declinare ad Occidentem; alteram *Luminis*, quod post solis occasum aliquandiù refulget, uti disertè tradit R. Aben Ezra: « Ecce, inquit, sunt duæ vesperæ: una vespera Solis, hoc est, tempus quo occidit sol et absorbetur sub terram. Vespera secunda est lux, splendor, sive irradiatio illa, quæ post occasum ejus in nubibus aliquandò apparet. Durat autem hoc tempus, quod est inter occasum solis et irradiationem ejus in nubibus, ad integram horam tertiamque ejus partem. » De priori vesperâ sermo fit in primo textu; de posteriori in secundo.

Cap. 15, v. 22, Mulier quæ Christum exorat, ut filiam à Dæmone vexatam liberare dignetur, dicitur *Chananæa*: At Mar i 7, v. 26, appellatur *Syrophœnissa* et ἑλληνίδα, id est *Græca.* — Resp. Mulierem illam triplici hâc appellatione dictam, ratione prosapiæ, religionis, et habitationis, seu patriæ: ratione quidem prosapiæ, dicta est Chananæa, non à Cana majori, quæ urbs in Phœniciâ erat contermina tribui Azer, Josue 28, sed à posteris Chanaan; Chananæi enim fuêre populus unus è septem, qui Palæstinam juxtà mare, ut patet Numer. 13, v. 30, olim incoluêre, et ab Hebræis, duce Josue, fuêre expulsi, sed non ex toto; nam aliqui superstites fuerunt, et manserunt in Phæniciâ, puta in Tyro et Sidone, à Chanaanis posteris conditis; nam Chanaanis primogenitus filius, vocatus est Sidon, et Sidonis urbis conditor, Genes. 10, v. 15. Quamobrem Sidonii Syrophænices dicti sunt, composito nomine, quia Phœniciam incolebant, ut distinguerentur ab aliis Phœnicibus, qui non in Syriâ, sed in Africâ habitabant dictique sunt Libyophœnices, id est Phœnices habitatores Libyæ. Quamobrem hæc mulier dicta est Syrophænissa, quòd Phæniciam Syriæ partem incoleret; unam enim partem Syriæ fuisse Phœniciam Plinius (lib. 5, cap. 12), et Strabo (lib. 6) auctores sunt. Phœniciam autem eam fuisse oram ubi conditæ erant Tyrus et Sidon, iidem docent. Tandem vocatur Græca, ratione religionis, quòd gentilis esset; nam in Novo Testamento, maximè apud S. Paulum ad Rom. 7, v. 17, Gal. 3, v. 28, omnes gentiles vocantur Græci: atque etiam quia græci olim dominabantur Phœniciæ et Syriæ; ideoque lingua eorum Græca latissimè, et ad Syriam usque propagabatur. Ità S. Augustinus, Epist. 200.

Cap. 21, v. 19: *Et videns fici arborem unam secùs viam, venit ad eam; et nihil invenit in eà nisi folia tantùm, et ait illi: Nunquàm ex te fructus nascatur in sempiternum, et arefacta est continuò ficulnea; et videntes Discipuli mirati sunt, dicentes: Quomodò continuò aruit?* At Marci 11, v. 13: *Cùmque vidisset à longe ficum habentem folia, venit si quid fortè inveniret in eà; et cùm venisset ad eam, nihil invenit præter folia: non enim erat tempus ficorum;* ubi tria pugnare videntur. 1° Namque Matthæus dicit ficum fuisse secùs viam; Marcus verò à longè conspectam. 2° Addit Marcus tunc nondùm advenisse tempus fructuum: quorsùm igitur intempestiva illa fructûs postulatio, et quòd non

adessent, fulminata maledictio? 3° Matthæus ait ficum maledictam continuò aruisse, atque miratos Apostolos, quòd tam citò aruisset; Marcus verò innuit Apostolos istud die sequenti deprehendisse. — *Resp.* Ista minimè pugnare; non primum, quia tametsi ficus illa fuerit secùs viam, nihilominùs potuit à longè conspici priusquàm ad eam Christus accederet; neque secundum, quia Christus rerum omnium supremus Dominus hanc arborem, tametsi nihil de se tale promeritam, suâ maledictione arefacere voluit, ut signum esset Judæis, quemadmodùm Origenes in Matthæum 17. interpretatur, quòd Synagoga, arbor à Deo plantata et exculta, tandem propter infœcunditatem suam multò magis esset arefacienda et abjicienda. Hoc enim inter arbores et homines interest, quod arbores naturâ suâ nonnisi certo quodam anni tempore fructus ferre debeant; homines verò toto vitæ suæ tempore tenentur benefacere. Tota vita nobis est æstas, tota debet esse frugifera; nec quicquam nos præter voluntatem nostram steriles facit. Ad tertium dico, quod tametsi fulminata Christi maledictione ficulnea continuò exaruerit, ejus tamen ariditas manè sequenti fuit manifestata Apostolis et turbæ.

Cap. 26, v. 22 : *Non bibam amodò de hoc genimine vitis usque in diem illum, cùm illud bibam vobiscum novum in Regno Patris meî :* at Actor. 10, v. 41, testatur S. Petrus : *Manducavimus et bibimus cum illo, postquàm resurrexit à mortuis.* — Resp. Christum à mortuis suscitatum, exutâ infirmitate et mortalitate corporis, sæpè quidem cum Apostolis manducâsse et bibisse in testimonium veræ suæ Resurrectionis; non verò ut naturæ necessitati indulgeret : significat ergo hâc loquendi formulâ, mortem suam instare, ac deinceps se communi hominum more cum eis non conversaturum uti hactenùs fecerat; tametsi post Resurrectionem suam jam immmortalis, atque eâ ratione, in Regno Patris constitutus esset eis appariturus.

Cap. 27, v. 44 : *Id ipsum autem, et latrones qui crucifixi erant cum eo improperabant ei;* ubi utrique latroni tribuitur quòd probra dixerint Christo patienti. At S. Lucas cap. 23, v. 39 : *Unus autem ex iis qui pendebant latronibus, blasphemabat eum.* — Resp. SS. Chrysostomum et Hieronymum existimare utrumque latronem initio Passionis Christo fuisse convitiatum, sed alterum posteà, visâ Christi patientiâ, et conspectis tenebris, aliisque portentis et miraculis, resipuisse, atque socium increpâsse, quemadmodùm habet S. Lucas. Cæteri verò SS. Patres Ambrosius (lib. 10 in Luc.), Augustinus (lib. 3, de consensu Evang.), Leo (in Sermone de Passione), et alii arbitrantur hæc à S. Matth. dicta esse per synecdochen, atque scriptum numerum pluralem pro singulari, quatenùs significaret omnium hominum conditiones in Christi Passionem et mortem conspirâsse, etiam et latrones qui cum eo crucifixi erant.

Cap. 28, v. 29 : *Illæ autem* (piæ mulieres) *accesserunt, et tenuerunt pedes ejus;* at Joan. 20, v. 19, Christus à mortuis resurgens, dixit Magdalenæ : *Noli me tangere.* — Resp. quod si ab utroque Evangelistâ eadem Christi facta mulieribus et Mariæ Magdalenæ apparitio commemoretur, verosimile esse eas omnes simul ad Christi pedes proruisse, eosque fuisse amplexatas : neque enim S. Joannes dicit Magdalenam Christi pedes non tetigisse, sed Christum illi dixisse : *Noli me tangere,* tametsi fortè cùm Christus hæc diceret, eum jam illa tetigisset, ut nonnulli interpretes, referente Maldonato, sentiunt. Si verò diversa referatur apparitio, fortè idcircò prohibita fuit Magdalena Christum tangere, quia de ejus Resurrectione, etiam testificante Angelo, dubitabat, et viventem cum mortuis adhuc quærebat.

Ex S. Marco.

Cap. 1, v. 24 : *Quid tibi et nobis, Jesu Nazarene? venisti perdere nos; scio qui sis, Sanctus Dei;* verba sunt dæmonis, quibus profitetur se nôsse Christum : at 1 Cor. 2, v. 8, dicit Apostolus principes hujus sæculi (quos alibi Dæmones appellat) et eorum ministros non agnovisse Christum. *Si enim cognovissent,* inquit, *nunquàm Dominum gloriæ crucifixissent.* — Respondeo dæmones cognovisse quidem Christum esse Messiam, tùm ex vaticiniis de Christo venturo, quæ longè perspicaciùs quàm homines noverunt impleta, tùm ex S. Joannis Baptistæ prædicatione, et designatione : *Ecce Agnus Dei,* etc., tùm fortè quia audierant vocem divini Patris : *Hic est Filius meus* etc., tùm denique ex prodigiis et miraculis quæ Christus ipse in hujus veritatis confirmationem operabatur : hinc infrà, v. 34 : *Non sinebat ea loqui, quia sciebant eum;* et Lucæ 4, v. 41 : *Exibant autem à multis dæmonia, clamantia et dicentia, quia tu es Filius Dei; et increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant eum esse Christum.* At ista noverant tantùm conjecturaliter, non certò et citrà omnem dubitationem. Undè dæmon Christi tentator ait : *Si Filius Dei es,* etc. Itaque loquitur S.

Marcus de notitiâ conjecturali; Apostolus verò de notitiâ certâ et indubitatâ.

Cap. 2, v. 4 : *David intravit in domum Dei sub Abiathar principe Sacerdotum;* at Reg., cap. 21, v. 1 : *Venit David in Nobe ad Achimelech,* etc., qui tunc erat summus Sacerdos, et pater Abiathar. — Respondet venerabilis Beda hos textus nihil habere dissonantiæ : Abiathar enim jam tùm erat Pontifex cum patre Abimelech, atque eo vel ægrotante vel absente, Pontificis munia obibat. Neque enim apud Hebræos insolitum erat ut duo simul summo Sacerdotio fungerentur, ut apparet Numer. 3, v. 4 et 32, Reg. 14, v. 4, etc., tametsi unus esset primus, alter secundus, 2 Reg. cap. 25, v. 18. Fungebatur itaque Abiathar Sacerdotio cum patre; at hoc à Saule occiso, fugit Abiathar ad David, et comes factus est totius exilii ejus. Posteà verò, eo regnante, summi Sacerdotii gradum et dignitatem obtinuit, ac toto tempore regni illius in Pontificatu perseverans, multò majoris excellentiæ quàm pater effectus est; ideòque dignus fuit cujus memoriam Dominus, etiam vivente patre, quasi summi faceret Sacerdotis.

Cap. 15, v. 27 : *Erat autem hora tertia, et crucifixerunt eum;* at S. Joannes cap. 20, v. 14 : *Erat hora quasi sexta,* quandò videlicèt Pilatus sedens pro tribunali, dixit Judæis : *Ecce Rex vester.* — Resp. in hujus difficultatis solutione, mirum in modum sese torquere interpretes. Sunt enim qui existimant in Marco itidem scriptum fuisse quòd Dominus Jesus Christus crucifixus fuerit horâ sextâ; verùm librariorum errore numerum 6 in 3 commutatum esse; ità auctor Commentariorum in Psalmos S. Hieronymi titulum referentium in explanatione Psalmi 77. Alii verò aiunt apud S. Joannem corruptum esse textum, et pro sextâ horâ legendum tertiam; sic Petrus Alexandrinus, in Disputatione de Paschate : « Erat hora quasi tertia, ait, sicut habent libri accuratè descripti; atque adeò ipsum autographum manu propriâ Joannis Evangelistæ scriptum, quod gratiâ Dei ad hanc diem salvatum exstat in sanctissimâ Ephesiorum ecclesiâ, et à fidelibus eò accedentibus magnâ cum reverentiâ invisitur. » Verùm cùm Evangelistæ non expresserint tempus crucifixionis notis numeralibus, sed dictionibus integris, suspicio de textûs interpolatione nequaquàm hìc locum habere potest.

Itaque tàm his quàm aliis plurimis omissis explicationibus, minùs rei veritati, et textûs sinceritati congruis, simpliciorem, et si benè augurer, congruentiorem ut subjiciam, pauca hìc sunt advertenda, et præmittenda : 1° Apud Judæos et plurimas alias nationes, diem alium esse naturalem, alium civilem, seu astronomicum. Naturalis, est tempus ab exoriente sole ad occasum, cui opposita nox ab occasu solis ad ejusdem ortum decurrit. Civilis dies, est tempus quod ex uno cœli circumactu resultat, quo dies naturalis et nox continentur. Vicenæ quaternæ partes unius diei civilis horæ vocantur, quarum prima à diversis gentibus diversimodè inchoabatur. Nam Hebræi insistentes primæ rerum creationi, quâ tenebræ præcesserunt lucem, inchoabant diem civilem cum occasu solis, quos secuti sunt plures alii populi, maximè Athenienses; contra verò Babylonii inchoabant illum ab ortu solis, et veteres Umbri à meridie; Romani autem à mediâ nocte, quorum mos apud alias omnes penè nationes jam invaluit.

Alia prætereà apud Hebræos est diei civilis distributio, nimirùm in octo partes, quarum quatuor assignabantur diei, et nocti totidem. Noctis quidem partes illæ dicebantur Vigiliæ, tribus horis jam nobis communibus constantes, quòd milites vigiles tanto tempore excubias agerent : prima autem vigilia incipiebat cum solis occubitu; secunda desinebat cum nocte media, et ab eâdem deindè incipiebat tertia; quarta verò cum solis seu diei ortu desinebat. Horarum diurnarum prima incipiebat ab ortu solis, complectebaturque tres horas jam nobis communes; secunda tot horis constabat, principiumque à fine tertiæ, undè vocabatur hora tertia. Apud eos namque vigebat consuetudo, quam videmus apud nos etiam obtinuisse, ut horæ sequentes ex præcedentibus nomen acciperent; sicut nos, postquàm meridianæ horæ signum datum est, usque ad horam primam, aut certè usque ad majorem horæ partem, meridianam horam appellamus, cùm propriè non meridiana, sed prima post meridiana sit; nam meridiana ea est quæ ab undecimâ inchoatur, et duodecima finitur. Itaque aliquandò dicimus, de spatio loquentes quod inter undecimam est, esse horam undecimam, aliquandò esse duodecimam, nunc à principio, nunc à fine nomen accipientes.

Quæ deindè sequebatur etiam tres horas nobis communes continens, quia incipiebat à meridie, in quâ sexta numerabatur, et etiam ipsa dicebatur sexta. Ultima denique, quòd inciperet à communi nonâ finiente, etiam appellabatur hora nona, durabatque ad finem duodecimæ communis, seu ad occasum solis.

Ità Censorinus (Lib. de die natali, c. 23), et ex eo Jansenius, Baronius, Tirinus, et alii. Porrò inter illas horas, notiores vulgò et insigniores erant tertia, sexta, et nona; quòd, ut notat S. Hieronymus (In cap. 7 Danielis), sacrificia et preces publicæ illis horis fieri solerent, atque populus, festis maximè diebus, sono tubæ ad orandum convocabatur, ut docemur Numer. 10, v. 10.

His ità præmissis, facilis est textûs conciliatio. Nam, inquit Maldonatus, quia Christus, et damnatus, et crucifixus fuit eo temporis spatio quod est inter finem horæ tertiæ, quod idem sextæ initium erat, et finem sextæ, quod erat initium nonæ, S. Joannes ex fine spatium illud appellans, vocavit horam sextam; S. Marcus ex initio vocavit tertiam : sed quia non est verosimile Joannem sextam horam vocaturum fuisse, nisi spatium illud ad finem sextæ inclinatum fuisset, sicut non solemus horam primam postmeridianam appellare nisi cùm meridiana et semis transacta est, credendum est Christum post horam decimam et semis, si nostro more horas numeremus, damnatum fuisse; respondebat enim hora tertia nonæ nostræ, sexta duodecimæ, tertia et semis erat decima et semis : eo ergò tempore damnatus est Christus. Ideò S. Joannes scribit *horâ quasi sextâ* damnatum esse, post unam circiter horam nostram, id est horâ decima et semis crucifixus est, quam Marcus *horam tertiam* appellat, quia totum illud spatium horarum ab horâ tertiâ usque ad sextam hora tertia vocabatur.

Ex S. Lucâ.

Cap. 2, v. 34 : *Ecce positus est hic* (Christus) *in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel;* at cap. 9, v. 5, 6 : *Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.* — Resp. Christum equidem venisse quærere, et salvum facere quod perierat; nihilominùs tamen in causam, seu veriùs in occasionem esse cur plurimi, ejus gratiam respuentes, atque salutaria dogmata contemnentes, majorem sibi damnationem acquirant. Neque enim existimandum est, hâc voce (*positus*), Christum ità comparatum, et à Deo Patre, definito consilio, datum hominibus, ut aliqui ruinam et casum incurrerent. Sed, inquit Maldonatus, hujusmodi locutionibus, quales in Scripturâ multæ sunt, non Dei consilium, sed tàm certus significatur eventus, ut divino consilio tribui posse videatur. Similis locus est, ex quo magnam hic lucem accipit, Isaiæ 18, vers. 13, 14, 15 : *Dominus exercituum ipsum sanctificate, ipse pavor vester, et ipse terror vester, et erit vobis in sanctificationem : in lapidem autem offensionis, et in petram scandali duabus domibus Israel, in laqueum et in ruinam habitantibus Jerusalem, et offendent ex eis plurimi, et cadent, et conterentur, et irretientur, et capientur.* Cùm enim Deus non in ruinam se, sed in sanctificationem populo suo positum esse dicat, tamen multos eorum suâ culpâ casuros affirmat.

Itaque Christus Dominus per se et directè positus est in resurrectionem multorum *à Deo, qui vult omnes homines salvos fieri* ; indirectè verò, et per accidens, in ruinam eorum videlicet qui fuerunt rebelles lumini.

Cap. 3, v. 2 : *Sub principibus Sacerdotum Anna et Caipha;* at Joannis 18, v. 13, solus Caiphas dicitur Judæorum Pontifex. — Respondent communiter interpretes, Annam et Caipham alternis vicibus Pontificatum gessisse, at Josephus sententiam refellit, scribens multos fuisse Pontifices medios inter Annam et Caipham, asseritque Caipham creatum fuisse Pontificem à Valerio Graccho, qui Pilatum proximè antecessit, atque toto tempore Pilati summo Pontificatu functum usque ad finem imperii Tiberii Cæsaris. Itaque dico Annam, quia socer erat Caiphæ, fueratque summus Pontifex, atque summi Pontificis filius, plurimùmque autoritatis apud Judæos obtineret, hic Caiphæ adjungi tanquàm præcipuum Sacerdotum principem. Tametsi enim unus apud Judæos summus esset Pontifex, plures tamen erant Sacerdotum principes, seu capita familiarum sacerdotalium; undè passim in Christi Domini Passione nominantur *Principes Sacerdotum et Pontifices,* qui Christum apud Pilatum accusârunt, et crucifixo insultârunt.

Cap. 18, v. 35 : *Factum est autem cum appropinquaret Jericho, cæcus quidam sedebat.* At Matthæi 20, v. 29 : *Et egredientibus illis ex Jericho secuta est eum turba multa ; et ecce duo cæci*, etc. Ubi non unus sed duo nominantur, qui Christum, non ingredientem Jericho, sed indè ingredientem dicuntur interpellâsse ut eis visum restitueret. — Respondet S. Augustinus (Lib. 2 de consensu Evangelist., cap. 65), diversum esse cæcum de quo agit S. Lucas, ab eis quos S. Matthæus commemorat. Verùm cùm omnes circumstantiæ non solùm ab illis Evangelistis, sed etiam à S. Marco annotatæ in hàc cæci illuminatione consentiant, nimirùm quòd sederit secùs viam, quòd audierit Jesum transire, quòd clamaverit dicens : *Jesu, fili Da-*

vid, etc., ideo verosimilius existimo unam eamdemque cæcitatis curationem ab illis narrari; unius verò duntaxat cæci à SS. Marco et Lucâ mentionem fieri, quòd ille notior esset in eâ civitate. Undè ejus nomen etiam annotavit S. Marcus dicens eum appellatum fuisse Bartimæum, hoc est filium Timæi.

Quòd verò S. Lucas dicat eum fuisse illuminatum à Christo dùm intraret Jericho, alii verò Evangelistæ id accidisse referant cùm indè exiret, non omninò pugnat. Nam inquit S. Ambrosius (in cap. 23 S. Lucæ), verosimile est cæcum illum in ingressu urbis rogâsse Christum ut illuminaretur; at cùm propter turbam fortè non audiretur ab Apostolis, vel Christus ipsemet se audire dissimularet, quatenùs fidem ejus et spem magis ac magis excitaret, postridiè iterùm stetit ad portam civitatis et elatiori voce clamans visum postulavit et impetravit.

Cap. 22, v. 24. S. Lucas contentionem Apostolorum de primatu refert post institutionem cœnæ; at S. Matthæus et S. Marcus, cap. 10, v. 41, eam referunt antè cœnam.—Resp. contentionem illam tribus vicibus et temporibus distinctis contigisse; primò, quidem dùm Christus existens Capharnaüm jussit censum tàm pro se quàm pro Petro solvi, ut refertur Matthæi 18 v. 1, Marci 9, v. 34, Lucæ 9, v. 46; secundò, dùm mater filiorum Zebedæi petiit à Christo sessionem ad dextram et ad sinistram in Regno ejus pro duobus filiis, cujus meminit S. Matthæus præfato cap. 20; tertiò, verò post institutionem cœnæ, quam solus S. Lucas commemorat; nulla itaque est hìc verborum pugna, cùm diversa à diversis Evangelistis proferatur Apostolorum contentio.

Cap. 24, v. 33, duo discipuli euntes Emmaü post cognitum Christum Dominum qui eis apparuerat, dicuntur regressi in Jerusalem et *invenisse congregatos undecim;* at tantùm decem Apostoli cum discipulis ibi convenerant, siquidem, teste S. Joanne cap. 20, v. 20, Thomas non erat cum eis dum apparuit Jesus illis discipulis congregatis, quandò scilicet illi duo discipuli referebant quæ eis contigerant in viâ; et quomodò Christum cognoverant in fractione panis; insuper Judas etiam aberat, suspendio anteà necatus. — Resp. post Judæ suspendium, Apostolorum collegium id obtinuisse nomen, ut vocaretur undecim, quo à cæteris discipulis distinguerentur, tamesti pauciores essent; quoniam denominatio fieri consuevit à potiori parte, etiamsi unus et alter desit: sic triumviri et septemviri dicuntur congregati, tametsi fortè omnes non adsint. Hæc autem appellatio *undecim* ità facta est communis, ut etiam post Matthiæ substitutionem in locum Judæ et restitutionem numeri duodenarii Apostolorum, dicatur Petrus, Actor. 2, v. 14, surrexisse *cum undecim*, licet jam suffecto Matthiâ in locum Judæ, duodecim Apostoli adessent. Hìnc non aliter quàm *Undecim* nominantur Matthæi 28, v. 16, Marci 16, v. 14, et alibi.

Ex Sancto Joanne.

Cap. 1, v. 8 : *Non erat ille lux*, nimirùm Joannes Baptista; at Cap. 5, v. 5 : *Ille erat lucerna ardens et lucens.* — Resp. hæc non pugnare; neque enim S. Joannes Baptista erat lux illa quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, nimirùm Messias, Doctor, et Salvator mundi; sed tantùm erat lucerna ardens et lucens, non propriâ quidem luce, sed à Christo acceptâ : *Non erat ille lux*, inquit Origenes, « sed particeps luminis; suum « non erat quod in se et per se fulgebat. »

Cap. 2, v. 11 : *Hoc fecit initium signorum Jesu in Canâ Galileæ et manifestavit gloriam suam.* Quandò videlicet, aquam in vinum convertit. At Lucæ 2, cum factus esset annorum duodecim, jam manifestam fecerat gloriam suam : nam sedens in medio doctorum, *Stupebant omnes qui eum audiebant, super prudentia et responsis ejus.* — Resp. Reverà quidem Christum duodecennem egregium divinæ suæ majestatis et gloriæ specimen dedisse; at nullo adhuc sensibili et visibili miraculo id demonstrârat : quamobrem illa aquæ in vinum conversio reverà primum fuit ex miraculis sensibilibus ab eo editis cum vitam publicam ageret, et commissum sibi officium impleret. Itaque illa in medio doctorum sessio et doctrinæ propalatio primum fuit signum sapientiæ, hoc verò divinæ potentiæ; ad illud Doctores quidem obstupuerunt, nec tamen ipsi adhæserunt; ad hoc verò, discipuli in eum crediderunt.

Ibidem, v. 21 : *Quadraginta et sex annis ædificatum est templum hoc*, videlicet Jerosolymitanum; at ista non cohærent cum Historiâ Sacrâ, sive ista accipias de primâ hujus templi ædificatione à Salomone; sive de duplici illius instauratione à Zorobabele et Herode. Nam prima illius ædificatio à Solomone peracta est septem annis cum dimidio; restauratio verò illius post captivitatem Babylonicam à Zorobabele et sociis cœpit anno primo Cyri, non quidem regni, quo imperabat in perside, sed Monarchiæ, quâ expugnatâ Babylone, Chal-

dæorum imperium transtulit ad Persas. Ab hoc itaque anno primo cœpit fabrica templi, duravitque ad annum sextum Darii Hystaspis; at in hâc temporis serie non sunt quadraginta sex anni, sed tantùm quindecim : Cyrus enim tres annos regnavit ut monarcha; huic successit filius Cambyses, qui post Cyrum Patrem sex duntaxat annis regnavit; deindè Magi per septem menses. Denique Darius Hystaspis, cujus anno sexto consummatum fuit templum. Ex quibus conficiuntur tantùm quindecim anni. Neque tandem hæc verba videntur accipi de instauratione templi per Herodem. Nam Josephus (Lib. 15 de Antiq.) auctor est ædificationem Herodiani templi novem annis cum dimidio absolutam esse. — Resp. omissis aliorum sententiis, probabiliorem eam opinionem mihi videri quæ hos quadraginta sex annos quibus ædificatum est templum, adscribit illius templi instaurationi factæ ab Herode : cœpit enim opus illud Herodes anno regni sui 18 (computando scilicet regni ipsius annos ab eo tempore quo expugnatis Hierosolymis, et pulso Antigono, regnum occupavit; non verò ab eo tempore quo à senatu romano rex fuit declaratus), ac proinde annis ante mortem 16. Nam, inquit Ludovicus Capellus, à depulso Antigono regnavit annos 34. Christus autem natus est sub finem regni Herodis, et (uti videtur) paulò ante ejus obitum. Cùm autem Christo ista dicerent Judæi, natus erat annos duntaxat 30. Hoc enim contigit paulò post Christi baptismum, Paschate, nimirùm quod proximè secutum est ipsius baptisma. Itaque à primis ab Herode jactis templi fundamentis ad id momentum, quo illud Christo objiciunt Judæi, fluxerunt præcisè anni 46. Nec obstant Josephi verba; tametsi enim eo tempore absoluta fuerit templi structura, planum est tamen ex eodem semper aliquid additum et exstructum ab eo tempore ad illius ornatum. Imò et pluribus post annis. Hinc idem Josephus (Lib. 20, cap. 8) testatur Agrippæ demùm Junioris tempore, 60 circiter post Christum natum annis, absolutum fuisse totum templi ædificium et ornatum. Itaque nihil aliud videntur sibi voluisse hîc Judæi quàm reponere Christo : « Jam ab « annis quadraginta sex cœpta est ab Herode « hujus templi structura, necdum est absoluta; « tu verò illud brevi dierum trium spatio in« staurabis collapsum? »

Cap. 5, v. 31 : *Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum.* At Cap. 8, v. 14 : *Et si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum.* — Resp. Christum in priori textu occurrere tacitæ objectioni adversariorum, qui Cap. 8, v. 13, ipsi opponunt : *Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum;* quia ex communi Judæorum sententia : *Nemo hominum testatur de seipso;* nam si testimonium unius firmum non est, multò minùs firmum esse debet si quis de seipso testatur : undè vulgare apud Romanos adagium « Neminem idoneum esse testem in re suâ, » cùm videlicet ipse solus testimonium in sui favorem et patrocinium perhibet; quod ultrò juxtà hominum opinionem etiam de seipso gratis admittit Christus. At ut adjicit in secundo textu, aliter sentiendum est dùm proprium hoc testimonium, alterius fide dignissimi etiam assertione firmatur. Undè sic eos urget, cap. 8, v. 17 : *In lege vestrâ scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est : ego sum qui testimonium perhibeo de meipso; et testimonium perhibet de me, qui misit me pater.* Ex quo clarissimè conspicitur quod Christus non excludat proprium de seipso testimonium, sed ex Patris testimonio cum suo exactissimè convenienti, proprium suum firmat, ut se verum Messiam esse demonstret.

Cap. 6, Recenset S. Joannes miraculum in multiplicatione quinque panum et cibatione hominum quinquies millium. Quam historiam describunt etiam S. Matthæus, cap. 14, et Marcus, cap. 6, et Lucas, cap. 9. At in eâ descriptione multiplex occurrit inter Evangelistas dissonantia, ut apposité observant, Pelargus, Witacherus etc. Nam 1° tres posteriores Evangelistæ referunt Christum ab Apostolis sollicitatum ut turbam dimitteret; Joannes verò ostendit eum prævenisse discipulos et dixisse ad Philippum : *Undè emenus panes ut manducent hi.* 2° Joannes Philippo tribuit responsionem : *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis,* etc. Cæteri verò eam adscribunt omnibus Apostolis. 3° Joannes dicit Andræam Christo denuntiâsse unum esse puerum qui haberet quinque panes et duos pisces : at hanc præsentem escam alii Evangelistæ penes Apostolos fuisse memorant. 4° S. Lucas narrat homines discubuisse quinquagenos; Marcus verò centenos et quinquagenos. 5° Tres Evangelistæ dicunt turbam dimissam esse peracto miraculo; Joannes verò asserit illos homines stetisse ut Christum raperent et facerent regem. Tandem Matthæus et Lucas narrant exindè Christum venisse Genezareth, Marcus Bethsaidam, Joannes Capharnaum.

Resp. ad primum, utrumque videri factum ex parte Apostolorum et Christi, ut simul illi cum eo fuerint solliciti de cibatione numerosissimæ turbæ ; ità tamen quòd tres Evangelistæ prius, Joannes posterius enarret. Ad secundum, dico Philippum non tàm suo, quàm omnium discipulorum nomine fuisse locutum ; undè quod ùnus gessit, aliis tribuitur : neque enim id insolitum est in Scripturâ, ut unius actio alteri ejusdem consortii adscribatur. Ad tertium repono, quòd cùm puer ille ab Andræâ demonstratus Christo, unus esset ex eis qui collegio Apostolico ministrabant, meritò id quod habebat ille, dicitur fuisse penès discipulos, cùm ille esset unus ex discipulis et Sectatoribus Christi. Ad quartum dico, S. Lucam partis illius turbæ meminisse, S. Marcum verò omnem omninò expressisse numerum : vel illum duntaxat meminisse virorum ; hic etiam puerorum et mulierum. Ad quintum respondeo utrumque accidisse, nempè ut post cibationem dimissa fuerit turba, quatenùs quisque ad propria rediret; omnes tamen aliquandiù simul stetisse ut Christum regem salutarent. *Ad ultimum* tandem, censeo Christum post illud insigne miraculum, plures quantociùs adiisse civitates ; ut ex illius miraculi, ab eis qui præsentes aderant, diffamatione per eam regionem, paratos homines ad excipiendam lucem Evangelicam, suâ cælesti prædicatione et doctrinâ imbueret.

Cap. 7 : *Non potest mundus odisse vos.* At cap. 15, v. 19 : *Ego vos elegi de mundo, proptereà odit vos Mundus.* — Respondeo duos illos textus ad diversas personas dirigi ; in priori namque Christus alloquitur parentes suos *qui in eum non credebant,* v. 15, nec ejus Evangelicam doctrinam sectabantur ; quippè qui nil aliud quàm inanem gloriam ambiebant. Quamobrem Christum stimulabant ut manifestaret seipsum mundo, quatenùs eo per miracula et famam inclarescente, ipsi quoque ratione cognationis fierent illustres. Cùm itaque sæcularibus desideriis urgerentur et hominibus terrena sectantibus in omnibus consentirent, non poterat mundus eos odisse, quos habebat sectatores et asseclas. Secùs autem de discipulis et Apostolis, qui cùm omnibus mundi illecebris nuntium remisissent, non poterat eos mundus non odisse quos habebat suis desideriis et votis repugnantes ; nemo enim Apostolorum est qui cum S. Paulo asserere non potuerit : *Mundus mihi crucifixus est et ego mundo.*

Ibidem, v. 34 : *Ubi ego sum, vos non potestis venire.* At cap. 17, v. 24 : *Pater, quos dedisti mihi, volo ubi sum ego, et illi sint mecum.* Respondeo Christum priori loco damnare Pharisæos carnales homines, Evangelicam gratiam respuentes, quibus denuntiat, propter eorum perduellionem, nullam habituros cum eo societatem in æternâ beatitudine, quâ fruebatur. Posteriori verò agit de fidelibus omnibus qui ejus præcepta et dogmata sectantes, repromissam hæreditatem æternam accipient : hìnc cap. 12, v. 26, ait : *Ubi ego sum, illìc et minister meus erit.*

Cap. 9, v. 39 : *In judicium ego in hunc mundum veni.* At cap. 12, v. 47 : *Non veni ut judicem mundum, sed salvificem.* — Resp. Venit unigenitus Dei Filius per incarnationem in mundum ad judicium redargutionis contrà perduelles et superbos Pharisæos qui Evangelicæ luci infidelitatis tenebras objiciebant, et ejus diffusioni pro viribus adversabantur. Venit etiam ad judicium examinis et discretionis, ut discerneret credentes ab incredulis, et pios ab impiis : non autem venit ad judicium reprobationis quo in mundi fine hœdos separabit ab ovibus, et justos ab impiis; hos in inferno perpetuò cruciandos ; illos verò in cœlo æternùm coronandos.

Cap. 15, v. 15 : *Jam non dicam vos servos, sed amicos.* At Matthæi cap. 25, v. 21. ait : *Euge, bone serve,* etc. — Resp. Discipuli Christi servi quidem sunt jure creationis, redemptionis, vocationis ; amici verò jure adoptionis, communicationis, ac manifestationis secretorum, ut interpretatur S. Augustinus, tractatu 55 in Joannem. Quamobrem priori textui Christus Dominus adjicit : *Omnia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis.*

Cap. 20, v. 1 : *Maria Magdalena venit manè cùm adhuc tenebræ essent* :at Marci de 16, v. 2, de mulieribus Mariam Magdalenam comitantibus legimus : *Valdè manè unâ Sabbathorum veniunt ad monumentum, orto jam sole.* Respondeo Mariam Magdalenam in ipso primo diei articulo, quandò nonnihil illuxerat, exiisse de domo et urbe, expectans alias pias fœminas, cum quibus posteà, orto jam sole, pervenit ad monumentum : tametsi, ut notat Vatablus, S. Joannes videatur hîc Hebræorum scribendi morem sectatus, præteritum pro futuro ponentium, ut, *orto jam sole*, idem significet ac cùm jamjàm oriturus esset sol, et adhuc essent tenebræ ; non quidem illæ densiores, sed quales in crepusculo matutino, cœlo jam albescente ; undè S. Marcus dixit *valdè manè* ; Lucas autem *valdè diluculò*,

Ex Actibus Apostolorum.

Cap. 1, S. Lucas hujus libri auctor, testatur initio se sermonem fecisse *de omnibus quæ cœpit Jesus facere et docere;* at Joann. 21, v. 25 : *Sunt autem et alia multa quæ fecit Jesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.* Respondeo ista nullatenùs invicem pugnare : neque enim (ut apposité notat S. Chrysostomus) S. Lucas ait se scripsisse in Evangelio *omnia*, sed *de omnibus;* nimirùm ordinem et seriem rerum gestarum ; non verò singula quæ adorandus Salvator gesserit. Neque enim Evangelistæ omn s omninò Christi actus, omniaque ejus verba Scriptis tradiderunt, sed ea duntaxat annotârunt de illius Conceptione, Nativitate, Vitâ, Miraculis, Oraculis, Passione, Morte, Resurrectione, et in cœlum Ascensione, quæ saluti credentium sufficere videbantur, ut exponit S. Augustinus, tractatu 58 in Joannem.

Ibidem, v. 18 : *Et hic quidem* (Judas) *possedit agrum de mercede iniquitatis;* at Matthæi 27, v. 3 : *Pœnitentiâ ductus retulit triginta argenteos* principibus Sacerdotum et Senioribus, atque illicò *suspensus, crepuit medius.* Respondeo hic esse τὴν κατάχρησιν quâ quod alicujus ære emptum est, hoc illius esse censetur. Porrò agri illius emptio tribuitur Judæ, non quòd ipse reverà ipsum emerit, vel possederit, sed quia pontifices ex triginta argenteis, quos Judas in mercedem traditionis acceperat, et retulerat, agrum illum coemerunt in sepulturam peregrinorum ; undè acquisivit ille pecuniam, et pretium quo ager ille emptus est. *Accedit*, quòd proditor ille reverà acquisivit agrum, si non eventu, saltem respectu et effectu, quia ille in causâ fuit cur ager emptus diceretur *ager sanguinis.*

Cap. 2, v. 23 : *Hunc* (Christum) *definito consilio, et præscientiâ Dei traditum per manus iniquorum affigentes interemistis;* quibus significatur Christum à Deo traditum ad mortem : at ipsemet Christus, Joann. 12, v. 11, hanc traditionem hominibus tribuit, Pilato dicens : *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.* — Respondeo Christi traditionem ad mortem, Deo et hominibus tribui, diverso respectu : Deus enim ex nimiâ suâ charitate unigenitum Filium suum tradidit ad mortem, ut suo sanguine nostra peccata elueret, et suâ morte nobis æternam vitam promereretur. Judæi verò eum tradiderunt Pilato crucifigendum, ex odio et diaboli instinctu, ut nomen et gloriam illius cum vitâ exstinguerent.

Cap. 4, v. 27 : *Convenerunt enim verè in civitate istâ adversùs sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes, et Pontius Pilatus, cum gentibus, et populis Israel, facere quæ manus et consilium tuum decreverunt fieri;* ac si Deus decreto suo statuisset, ac prædefinivisset ut Herodes, Pilatus, et populus Judaicus cruentas manus in Christum injicerent, eumque crucifigerent ; quod utique variis Scripturæ sacræ textibus adversatur, in quibus Deus negatur malorum tentator et auctor. — Respondeo impietatem crucifigentium Christum nequaquam Deum prædefinivisse, sed ità usum esse impio istorum hominum facto, ut fini à se intento, nempe humani generis per mortem Christi redemptioni, eorum malitia subserviret. Quâ de re audiendus est S. Leo, qui expendens hæc verba, *quæ manus tua, et consilium tuum decreverunt fieri*, ait, : « Numquid iniquitas persequentium Christum ex Dei est orta consilio? et illud facinus, quod omni majus est crimine, manus divinæ præparationis armavit ? Non hoc planè de summâ Justitiâ sentiendum est, quia malum diversum, multùmque contrarium est id, quod in Judæorum malignitate præcognitum, et quod in Christi est Passione dispositum. Non indè processit voluntas interficiendi, undè moriendi ; nec de uno exstitit spiritu atrocitas sceleris, et tolerantia Redemptionis. Non enim impias furentium manus immisit in se Dominus, sed admisit ; nec præsciendo quod faciendum esset, coegit ut fieret, cùm tamen ad hoc carnem suscepisset, ut fieret. » Et inferiùs : « Quod itaque Dominus Jesus Christus furorem frementium pati voluit, in nullo auctor eorum criminum fuit, nec egit ut hæc vellent, sed cessit ut possent ; et sic usus est abcæcatæ plebis insaniâ, quomodò et perfidiâ traditoris, quem ab immanitate concepti sceleris, et beneficiis est revocare dignatus et verbis, assumendo in Discipulum, provehendo in Apostolum, monendo signis, consecrando mysteriis, ut cui nihil benevolentiæ deesset ad correctionem, nihil occasionis superesset ad crimen.

Cap. 9, v. 7 : *Viri autem illi qui comitabantur, stabant stupefacti ; audientes quidem vocem, neminem autem videntes :* At cap. 26, v. 14 : *Omnesque nos cùm decidissemus in terram, audivi vocem loquentem mihi.* Cap. autem 22, v. 9 : *Et qui mecum erant, lumen quidem viderunt, vocem autem non audierunt ejus qui loquebatur mecum;* in quibus duæ videntur antilogiæ : Prima, quòd Sauli comites dicantur stetisse stupefacti et simul prostrati : secunda, quòd in priori loco dicantur audivisse vocem, neminem autem vi-

disse : In posteriori verò, vocem non audivisse, lucem autem vidisse. — Respondeo illos comites Christi, tonante voce attonitos, initio quidem cum Saulo fuisse collapsos et prostratos, deindè verò surrexisse, atque præ metu penè exanimatos, non ausos ulteriùs progredi; undè *stabant*, id est, *sistebantur:* statio enim hìc opponitur, non tàm sessioni aut prostrationi, quàm motui et progressioni. Ad secundum, dico eos comites audivisse quidem vocem, seu potiùs vocis sonum, non distinctum, et articulatum, sed confusum; ita ut nec quæ dicerentur, nec qui loqueretur possent deprehendere; quamobrem additur, *ejus qui loquebatur mecum*, id est, Christi. Cui non absimile est id, quod refertur Joann. 22, v. 19, quòd cùm vox de cœlo ad Christum fieret, turba circumstans sonum vocis audiens, verba autem, et sensum verborum non percipiens : *Alii dicebant tonitru esse factum, alii putabant Angelum Christo fuisse locutum.* Similiter viderunt quidem lumen circumfusum; Christum verò cum Saulo loquentem non viderunt.

Cap. 13, v. 2 : *Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus ad quod assumpsi eos;* quibus significat Christus Paulum ab Apostolis et fidelium suffragiis in Apostolum et Ecclesiæ Doctorem esse ordinandum : at ille ad Galat. 1, v. 1 : *Paulus Apostolus, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum et per Deum Patrem.* — Respondeo segregationem illam Pauli ad opus, non fuisse primam illius vocationem ad Apostolatum, ad quem jam, Christi vocante, fuerat electus initio suæ conversionis (dixit enim Dominus ad Ananiam de ipso Paulo : *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coràm gentibus*, etc.), sed potiùs commissi ipsi à Christo Apostolici muneris exercitium, nec non declarationem publicam eum reverà fuisse à Deo electum in Apostolum et Evangelii Doctorem, ut haberet etiam testimonium ab Ecclesià sinceritatis et veritatis suæ doctrinæ, ne quis de illius certitudine dubius esset.

Cap. 22, v. 39 : *Ego homo sum quidem Judæus à Tarso Ciliciæ :* At cap. 22, v. 28, interrogatus à tribuno, an Romanus esset, dixit *etiam* et Romanum se esse natum. — Respondeo : Reverà Paulum fuisse patrià Tarsensem, nihilominùs civium Romanorum privilegiis et juribus donatum : Tarsus enim, ubi natus erat, juribus et privilegiis civitatis Romanæ gaudebat, testibus Plinio (lib. 7, cap. 27), Dione et Cassio. Hæc ergò minimè pugnant; nempè origine et professione esse Judæum, patriâ Tarensem, privilegiis et juribus civem Romanum.

Cap. 25 : *Ad Cæsaris tribunal sto, ibi me oportet judicari :* At Cor., cap. 6, v. 1, reprehendit fideles, qui in judicio contendebant coràm judicibus ethnicis : *Audet*, inquit, *aliquis vestrûm habens negotium adversùs alterum judicari apud iniquos!* — Respondeo hìc esse distinguendum inter personas litigantes, quandò videlicèt uterque, tàm auctor, quàm reus, fideles sunt, et Ecclesiæ filii : tunc enim damnandus est ille, qui fratrem suum Christianum ad tribunal ethnici magistratûs, præsertim pro re levissimâ, provocat, cùm litis et contentionis suæ decisionem excipere posset ab adhibitis fidelibus arbitris, et pastoribus Ecclesiæ. Secùs verò est, quandò alteruter litigantium infidelis est, nec potest aliundè damnum resarciri aut præpediri vexatio, quàm per judicium et sententiam ethnici magistratûs. Porrò S. Paulus à Judæis vim passus, et in extremo vitæ discrimine propter eorum insidias et infestationes positus, cùm aliud tribunal et medium sese tuendi non haberet, licèt provocavit ad tribunal Cæsaris : maximè cùm non solùm vitæ suæ, sed et Ecclesiæ consuleret, ut nempè fideles quos Christo pepererat verbis vel scriptis, posset in fide confirmare. Quin etiam divinis mandatis et monitis parebat; nam, ut legimus cap. 23, v, 11, Christus apparens ei nocte, ait : *Constans esto; sicut enim testificatus es de me in Jerusalem, sic te oportet et Romæ testificari.* Ut ergò huic divinæ monitioni faceret satis, occasionem commodam nactus, appellat Cæsarem, ut sic tutò posset Romam proficisci, et ibi Evangelium disseminare.

Cap. 27, v. 33 : *Quartâ decimâ die, hodiè exspectantes, jejuni permanetis, nihil accipientes :* At homo, alioquin sanus, teste Hypocrate, non potest ultrà septem dies, sine ullo cibo vivere. — Resp. Quòd etsi miraculo deputet S. Chrysostomus, quòd illi tamdiù jejuni steterint incolumes; nihilominùs veriùs dicendum arbitror, verba ista *nihil accipientes*, sic esse intelligenda, quòd illi nihil comederint per modum stati et ordinarii convivii, sed tantùm carptìm et obiter quædam delibaverint, quantùm scilicet necessarium erat ad vitam tuendam, et vires fovendas.

Ex Epistolâ ad Romanos.

Cap. 1, v. 8. *Gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra*

annuntiatur in universo mundo : At eo tempore quo Apostolus hæc scribebat ad Romanos, Evangelium non erat ubique terrarum disseminatum. Respondeo : Quòd etsi fortè Evangelica lux eo tempore nondùm singulis nationibus irradiâsset ; nihilhominùs tamen cùm Roma esset caput imperii, et ex omnibus mundi nationibus homines in eam confluerent, fieri facilè potuit, ut per numerosissimum gentium illùc affluxum, fides Christianorum ibi degentium longè, latèque inclaresceret. Accedit quòd cùm Epistola ad Romanos una sit ex postremis quas scripsit S. Paulus, verosimile est eo tempore Evangelicam prædicationem et lucem omnibus nationibus jam innotuisse.

Cap 2, v. 13 : *Factores Legis justificabuntur :* At cap. 3, v. 20 : *Ex operibus Legis non justificabitur omnis caro.* Respondeo : Apostolum in priori textu sermonem facere de Legis observantiâ cum fide et gratiâ Christi, in his maximè quæ ex Lege Mosaicâ per Evangelicam non fuerunt rescissa et innovata ; in posteriori verò de observatione purâ et nudâ ipsius Legis Mosaicæ ; in quâ maximè Judæi gloriabantur ; quorum ut supercilium reprimeret Apostolus, ostendit perfectam non esse sperandam justitiam ex simplici istius Legis observatione, quæ duntaxat immunditiam legalem eluebat : *justitia autem Dei per fidem Jesu Christi in omnes qui credunt in eum.*

Cap. 3 : *Quæ utilitas Circumcisionis ? multùm per omnem modum :* Car. 7, v. 19 : *Circumcisio nihil est ;* et cap. 5, ad Galat. : *Neque Circumcisio aliquid valet.* Respondeo : Circumcisionem plurimùm profuisse Judæis antè promulgationem Legis Evangelicæ ; siquidem eis erat in signaculum fidei, et nota quâ in Dei peculium adlegebantur, ut essent *populus ejus, et oves pascuæ ejus ;* quin etiam inserviebat ad remissionem peccati originalis, uti docent SS. Augustinus (lib. de civit.), Bernardus et Gregorius (lib. quarto moralium) : « Quod, inquit, apud nos valet aqua Baptismi, hoc egit apud veteres, vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificii, vel pro iis qui de Abrahæ stirpe prodierant mysterium circumcisionis ; » at promulgatâ Evangelicâ Lege, illius, sicut et antiquæ Legis Sacramentorum virtus omnis elanguit, et eorum utilitas rescissa fuit et abrogata. Quamobrem Apostolus ad Galat., cap. 2, v. 1, ait : *Si circumdamini Christus vobis nihil proderit.*

Cap. 4, v. 20, De Abrahamo dicitur *in repromissione etiam Dei, non hæsitavit diffidentiâ :* At Genes. 15, cùm audisset Deum sibi promittentem possessionem terræ Chanaam, illam promissionem signo confirmari petiit, dicens : *Undè scire possum, quòd possessurus sum eam?* Similiter Genes. 17, auditâ promissione divinâ sibi factâ de futurâ prole, cùm jam esset centenarius : *Risit dicens in corde suo ; putasne centenario nascetur filius ?* Respondeo : 1° Ea verba Abrahamum non protulisse ex animi diffidentiâ : nam ibidem, v. 6, legimus : *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam ;* sed requisivit modum exsequendæ illius divinæ promissionis. Vel petiit signum, non sibi, sed posteris, ut ipsi, tametsi in terrâ alienâ captivi, certissimi essent se divinitùs aliquandò in libertatem restituendos. Propter illam Abrahæ factam repromissionem, et signo sensibili confirmatam. 2° Dico, Abrahamum ea dixisse, non ex incredulitate, et cordis hæsitatione ; sed ex admiratione, propter repromissum sibi tam insolitum et stupendum beneficium ; undè ibidem Apostolus paulò antè dixerat : *Et non infirmatus est in fide, nec consideravit corpus suum emortuum,* etc.

Cap. 5, v. 20 : *Lex subintravit ut abundaret delictum :* at cap. 7, v. 12 : *Lex quidem sancta, et mandatum sanctum ;* etc. — Respondeo Reverà quidem Legem esse immaculatam et sanctam, quippè cùm nihil præscribat quod non ad Dei cultum, utilitatem proximi, et propriam hominis Legem servantis sanctimoniam spectet. Triplicia enim erant veteris Legis præcepta ; scilicet cæremonialia, quibus cultus et religio ergà Deum ; judicalia, quibus justitia ergà proximum, et moralia, quibus modi comparandæ et servandæ sanctitatis et virtutis ergà scipsum præscribebantur. Nihilominùs Lex fuit, non quidem causa, sed occasio ut abundaret delictum ; non per se et directè, sed indirectè et per accidens : *Nitimur enim in vetitum semper, cupimusque negata.* Undè S. Augustinus (In Psam. 102 :) « Lex ideò data est, ut crescente peccato, humiliarentur superbi ; humiliati confiterentur, confessi sanarentur ; » non quidem per Legis istius virtutem, siquidem illa neminem ad perfectum adducebat : Hinc idem S. Augustinus (Tractatu 3 in Joan. :) « Lex minabatur, non opitulabatur ; jubebat, non sanabat ; languores ostendebat, non auferebat, sed per gratiam Jesu Christi, qui sanat omnes infirmitates nostras.

Cap. 6 : *Liberati autem à peccato, servi facti estis justitiæ :* at ibidem, v. 20 : *Cùm servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ.* — Respon-

deo fideles à peccatis solutos, et jugo Christi, atque Evangelicæ Legi mancipatos, simul esse justitiæ servos et liberos. Servi quidem sunt, quia non habent licentiam quidvis agendi pro arbitrio, sed tenentur sectari normam vivendi à Christo et Ecclesiâ præscriptam. Liberi verò, quia durum peccati et dæmonis jugum excutientes voluntariè, et animo lubenti sese divinorum mandatorum observationi subjiciunt. Undè in ipsis est libertas religiosa, non effrænata licentia, et voluntaria servitus, non violenta coactio, hoc est libertas serva, et servitus libera.

Cap. 7, v. 6 : *Nunc autem soluti sumus à Lege :* at Matthæi 5, v. 7 : Christus ait : *Non veni Legem solvere, sed implere.* — Respondeo Apostolum significare nos esse per Christi gratiam solutos et liberos à gravissimo legis veteris jugo, et irritatione ad peccandum; quo fiebat ut illa esset occasio mortis et divinæ animadversionis : non verò ab observantiâ præceptorum Decalogi, et aliorum quæ ad mores probè instituendos spectabant, et quæ Christus non venit solvere, sed implere, tàm in se, quàm in suis sectatoribus.

Ibidem, v. 18 : *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio :* at Phil. 2, v. 13 : *Deus operatur in nobis velle et perficere.* — Respondeo Apostolum significare in se quidem jam ad Christum converso bonam esse propensionem ad volendum id quod bonum est, imò et ipsam bonam voluntatem à Spiritu S. excitatam; at reluctantibus illecebris corporis et animi affectibus, nonnisi cum difficultate, atque aliâ opitulante gratiâ, piam illam voluntatem executioni posse mandare. Quamobrem, v. 22, subjicit : *Condelector Legi Dei, secundùm interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.*

Cap. 14, v. 6 : *Qui sapit diem, Domino sapit :* at ad Galat. cap. 4, v. 10 : *Dies observatis, et menses, et tempora, et annos;* quibus Apostolus reprehendit fideles, qui abrogatam legem Mosaïcam, in Festorum dierum observatione iterùm sectabantur; igitur improbat quod priùs approbaverat. — Respondeo Apostolum in priori loco indulgere infirmitati Judæorum, qui recens ad Christum conversi, præscriptos in Mosaica lege festos dies religiosè servabant, discernebantque diem sacrum à profanis, ut à cibis in ipsâ lege vetitis, illis præsertìm diebus abstinerent, erant enim a, ait Theophylactus, inter Romanos nonnulli ex Judæis Christiani, qui etsi à carne suillâ ordinariè non abstinerent, statutis tamen diebus ab eâ cavebant; alii verò qui illâ asiduè vescerentur, et qui abstinentes illos incusabant. » Quamobrem inter eos eâ de re non levis exoriebatur contentio, quam ut cohiberet Apostolus, quemque reliquit suo consilio, dummodò id solùm ad Dei gloriam referat. Siquidem utrumque vacabat crimine, neutrumque justâ erat reprehensione dignum; quoniam qui id sectabantur, non id præstabant quòd crederent legis Mosaicæ observantiam adhuc vigere : sed ea duntaxat ex devotione et pietate, in quâ fuerant instituti ab infantiâ, exsequebantur. Secùs autem erat de Galatis, qui in eo errore versabantur, ut legem Mosaicam unà cum Evangelicâ necessariò ad salutem servandam esse judicarent. Neque enim putandum est Apostolum his in locis damnare ciborum certis diebus abstinentiam, dierumque festorum observantiam ab Ecclesiâ præscriptam; quippè cùm ejus præceptis alibi jubeat esse parendum, sed tantùm id vetat fieri animo et ritu Judaico. Quâ de re audiendus S. Hieronymus (in hunc locum ad Galat.) : « Dicet, inquit, aliquis : Si dies observare non licet, et menses, et tempora, et annos, nos quoque simile crimen incurrimus, quartam Sabbati observantes, et Parasceven, et diem Dominicam, et jejunium Quadragesimæ, et Paschæ festivitatem, et Pentecostes lætitiam; et pro varietate regionum, diversa in honore Martyrum tempora constituta. Ad quod, qui simpliciter respondebit, dicet, non eosdem Judæicæ observationis dies esse quos nostros. Nos enim non azymorum Pascha celebramus, sed Resurrectionis et Crucis; nec septem juxta morem Israel numeramus hebdomadas in Pentecoste, sed Spiritûs Sancti veneramnr adventum. Et ne inordinata congregatio populi fidem minueret in Christo, propterea dies aliqui constitui sunt, ut in unum pariter omnes veniremus; non quo celebrior sit dies illa quâ convenimus, sed quò quâcumque die conveniendum sit, ex conspectu mutuo lætitia major oriatur. Qui verò oppositæ quæstioni accuratiùs respondere conatur, illud affirmat, omnes dies æquales esse, nec per Parasceven tantùm Christum crucifigi, et die Dominicâ resurgere, sed semper sanctum Resurrectionis esse diem, et semper cum carne vesci Dominicâ; jejunia autem et congregationes inter dies propter eos à viris prudentibus constitutos, qui magis sæculo vacant quàm Deo, nec possunt, imò nolunt toto in Ecclesiâ vitæ suæ tempore congregari, et antè humanos actus Deo orationum suarum afferre sacrificium. Quotus enim quisque est, qui saltem hæc pauca quæ statuta sunt, vel

orandi, vel jejunandi semper exerceat? Itaque sicut nobis licet, vel jejunare semper, vel semper orare, et diem Dominicam, accepto Domini Corpore, indesinenter celebrare gaudentibus, non ità et Judæis fas est omni tempore immolare Agnum, Pentecosten agere, Tabernacula figere, jejunare quotidiè. »

Idem quoque sensum indicans Apostoli, tradit hunc locum pleniùs ab Apostolo explicari in Epistolâ ad Collos. ubi ità scribit : *Nemo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut Neomeniæ, aut Sabbatorum; quæ sunt umbra futurorum.*

Ex Epistolâ primâ ad Corinthios.

Cap. 1, v. 17 : *Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare ;* at Matth. 18, v. 19, Christus Apostolos delegans ad hominum conversionem et salutem, ait : *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos,* etc. Respondeo duplex potissimum fuisse Apostolici ministerii munus : nimirùm Evangelii Prædicationem, et Sacramentorum administrationem ; istud principale, hoc minùs præcipuum. Apostoli namque id potissimùm debebant intendere, ut salutarem Evangelii doctrinam hominibus ingererent, quatenùs illi ad Christum conversi per Baptismi gratiam regenerari possent, et in fidelium cœtum adlegi? quod cùm per inferiores Ecclesiæ ministros, puta sacerdotes et diaconos, posset executioni demandari, prædicationi Evangelii potissimùm Apostoli incumbebant.

Cap. 3, v. 11 : *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus ;* at Ephes. 11, v. 20 . *Ædificati estis suprà fundamentum Apostolorum et Prophetarum.* Respondeo Ecclesiæ et salutis nostræ fundamentum esse duplex, principale ac primarium ; et minùs principale ac secundarium : Christus solus est primarium, et Ecclesiæ cujusque animæ fidelis fundamentum, quod seipso constitit, et omnia propriâ virtute sustinet etiam Apostolos : *Ipsius enim gratia salvati sumus.* Quamobrem S. Augustinus (in Psalm. 86, v. 1) eum appellat *Fundamentum fundamentorum,* in quo omnium nostrûm salus stabilitur et fulcitur. Nihilominùs tamen Apotoli, qui Evangelicam fundamentalem doctrinam disseminârunt, quique in fide et charitate post adventum in eos S. Spiritûs steterunt inconcussi, etiam rectè dicuntur Ecclesiæ fundamenta secundaria et minùs præcipua ; utpotè qui plures fundârint Ecclesias, et Fideles omnes suâ doctrinâ, constantiâ, et sanctimoniâ confirmaverint.

Cap. 4, v. 15 . *Neque me ipsum judico ;* at cap. 11, v. 31 : *Si nos judicaremus, non judicaremur.* Respondeo Apostolum in priori textu proscribere judicium vanitatis, quo quis se aliis inani gloriâ anteponens, dignitates aut honores ambit, optatque se aliis præferri. In posteriori verò, commendat judicium probationis et correctionis, quo quis proprios defectus investigans, et habens ob oculos, invigilat ut eos emendet.

Cap. 7, v. 1 : *Bonum est homini mulierem non tangere :* at v. 2 : *Unusquisque suam habeat uxorem.* — Respondet S. Hieronymus (lib. 1 contrà Jovinianum) « Apostolum non dicere : *Bonum est mulierem non habere,* sed *bonum est mulierem non tangere,* quasi et in tactu periculosum sit, quòd qui illam tetigerit, non evadat ; nempè quæ virorum pretiosas animas rapit, et facit adolescentium evolare corda. Alligabit quis in sinu ignem, et non comburetur ? aut ambulabit super carbones ignis, et non ardebit ? quomodò igitur qui ignem tetigerit, statim aduritur, ità viri tactus et fœminæ, sentit naturam suam, et diversitatem sexûs intelligit. Narrant et gentilium fabulæ Mithram et Erichthonium, vel in lapide, vel in terrâ de solo æstu libidinis esse generatos. Undè et noster Joseph, quia tangere eum volebat Ægyptia, fugit ex manibus ejus, et quasi ad morsum rabidissimi canis, ne paulatim virus serperet, pallium quod tetigerat, abjecit. » Hæc S. Hieronymus.

Ex Epistolâ secundâ ad Corinthios.

Cap. 1, v. 8 : *Suprà modum gravati sumus suprà virtutem ;* at 1 ad Corint. 10, v. 15 : *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari suprà id quod potestis.* — Respondeo Apostolum in hoc utroque textu intelligendum esse de tribulationibus et tentationibus, vel corporeis, vel spiritualibus, ab hominibus, aut à dæmone ingestis, eisque vel per solas naturæ vires, vel animo divinâ gratiâ vegetato et roborato, subeundis. Certum est autem calamitates illas omnes interdùm ità graves videri, ut in eis animus omninò deficeret, nisi cœlesti gratiâ et virtute roboraretur. Ubi verò divino vegetatur auxilio, gloriosum de iis tribulationibus triumphum agit. Quamobrem gloriabatur Apostolus ad Romanos 7, v. 38 : *Certus sum quia neque mors, neque vita.... poterit nos separare à charitate Dei.* Undè illud (suprà virtutem) significat suprà vires naturæ et corporis, non suprà vires animi et gratiæ ; tantùm enim abest ut Apostolus divinâ gratiâ vegetatus, ani-

mum abjiceret, ut etiam diceret ad Romanos 5: *Gloriamur in tribulationibus*, etc., quoniam, ut subjicit in hoc capite quod expendimus, v. 5: *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ità et per Christum abundat consolatio nostra.*

Cap. 5, v. 16: *Etsi cognovimus secundùm carnem Christum, sed nunc jam non novimus*; at S. Paulus non fuit Christi discipulus, nec ejus conversationis in vitâ mortali comes. — Respondeo Apostolum his verbis significare, vel quòd si aliquandò Christum (quem haud dubiè vidit, aut saltem plurima de eo audivit dùm viveret) judicavit hominem purè mortalem, jam deposito illo errore, noverat immortalem et impassibilem; vel quòd si olim gloriaretur de Christo, quòd ex suâ gente esset oriundus; et eâ ratione, longè majorem cum eo, tàm ipse quàm fideles ex Hebræis, haberent affinitatem, quàm ex gentibus conversi, jam vanâ et inani illâ jactantiâ abjectâ, illustriùs de Christo sentiret; eum videlicet esse hominem Deum, totius mundi Redemptorem et Doctorem, qui non solùm Judæis, sed et cunctis hominibus esset auctor gratiæ et salutis æternæ. Vel denique intendit Apostolus, quòd si, dùm Christum, ejusque sectatores persequeretur, affectu carnali de eo sentiens, existimaret eum esse Legis adversarium, et expugnatorem; jam prava illâ rejectâ sententiâ, religiosiùs et veriùs de eo sentiret.

Cap. 11, v. 4: *Si quis alium Christum prædicat quem nos non prædicavimus, aut alium Evangelium quod non recepistis, rectè pateremini*: at Galat. 18: *Licet nos aut Angelus de cœlo evangelizet vobis præter quod evangelizavimus, anathema sit.* Respondeo Apostolum priori loco arguere Corinthios, quòd ejus prædicationi minùs quàm par erat deferrent, atque parati essent alteri etiam opposita iis quæ dixerat evangelizanti adhærere. Quamobrem subdit: *Existimo me nihil minùs fecisse à magnis Apostolis: nam etsi imperitus sermone, sed non scientiâ.* In posteriori autem textu, loquitur de doctrinâ falsâ gratiam et meritum Christi evacuante, quam pseudoapostoli disseminabant. Undè in utroque textu querimoniam adversùs novellorum fidelium inconstantiam instituit.

Ex Epistolâ ad Galatas.

Cap. 1, v. 17: *Non veni Hierosolymam ad antecessores meos Apostolos, sed abii in Arabiam*; at Actor. 9, v. 26, refertur Paulum à conversione suâ Damasco ivisse Hierosolymam. — Respondent communiter interpretes S. Paulum post conversionem suam abiisse in Arabiam, cùm redîisset Damascum post annos tres, indè ivisse Hierosolymam, ut videret Petrum, quemadmodùm ipse testatur v. 6. Verùm cùm S. Lucas in præfato loco Actuum subjiciat, omnes fideles Hierosolymis consistentes timuisse Paulum, *non credentes quòd esset discipulus. Barnabas autem apprehensum duxit illum ad Apostolos, et narravit illis quomodo in via vidisset Dominum*; verosimile non fit Apostolos et alios fideles Hierosolymis consistentes, nihil per triennium de miraculosa Pauli conversione audivisse. Quamobrem dicendum arbitror cum S. Hieronymo, S. Paulum statim à conversione suâ ivisse Hierosolymam, sed clàm et in abscondito, atque necessitate fugæ compulsum; non autem ut videret Petrum, et conferret cum eo Evangelium, quod tantùm se fecisse initio suæ conversionis hìc negat; quippè cùm id egerit solùm per tres annos: *Deindè*, inquit, *post annos tres veni Hierosolymam, ut viderem Petrum*, etc.

Cap. 5, v. 25: *Sina enim mons est in Arabiâ, qui conjunctus est ei, qui nunc est Jerusalem*: at mons Sina longissimo intervallo distat ab Hierosolymitanâ civitate. — Respondeo Sina Hierosolymæ esse conjunctum, non viciniâ loci, quasi esset confinis et conterminus Hierosolymæ, sed conformitate similitudinis, ut explicat Theophylactus. Hinc glossâ ordinariâ, *conjunctus*, inquit, hoc est, *similis*, est enim convenientia quadruplex (juxtà mentem Apostoli) inter montem Sinai et Jerusalem 1° quia sicut Sina mons sterilis est in deserto, sic Hierosolyma civitas brevi futura erat sterilis, et expugnanda atque vastanda à Romanis; jamque sterilis erat in suis sacramentis, sacrificiis, et legalibus cæremoniis, quarum virtus per Christi mortem fuerat evacuata. 2° Sicut Sina est extrà terram promissionis; ità Jerusalem hæc legalis, et Synagoga à Deo reprobata, erat extrà Ecclesiam Christi. 3° Quòd Hebræi illi (qui in monte Sinai, Moyse promulgante, divinam Legem acceperant) Judæorum, qui Jerusalem ut metropolim suæ gentis incolebant, essent Majores. 4° Denique proximiùs ad mentem Apostoli, sicut montis Sinai Arabes incolæ, agrestem et servilem vitam ducebant; ità Jerusalem seu Synagoga à Sinâ ortum habens, filios in servitutem generabat, qui umbris et figuris delectati, solidam Evangelii doctrinam respuebant. — Hic enim probare vult Apostolus Testamentum Vetus, quod in monte Sinai habuit exordium, filios duntaxat in servitutem generare; quod utique hoc argumento evincit. Qualis fuit Sina, talis est Jerusalem; at testamen-

tum in Sinâ conditum, fuit pro servis; igitur Jerusalem, seu Synagoga, tantùm servos generat. Quamobrem signanter ait, *quæ nunc est Jerusalem;* quasi diceret, *præsens Judaica Jerusalem;* quam versu sequenti opponit Hierosolymæ cœlesti, seu Ecclesiæ, quæ non est instar ancillæ. *Illa autem*, inquit, *quæ sursùm est Jerusalem, libera est, quæ est Mater nostra.*

Cap. 6, v. 2: *Alter alterius onera portate;* at v. 5: *Unusquisque onus suum portabit.* — Respondeo in priori loco agi de vitiis et infirmitatibus fratrum quæ nobis oneri quidem sunt, nihilominùs ex charitate debent tolerari, ut datâ opportunitate possimus eos ad meliorem frugem revocare, maximè cùm nos ipsi aliundè plurimis infirmitatibus et delictis laboremus. Undè præclarè admonet Theodoretus: « Tu habes hoc delictum, illud verò non; ille contrà quod tu non habes, sed aliud. Tu fer illius delictum, ille tuum; sic impletur lex charitatis. » Posterior locus intelligitur de extremo Judicio Dei, in quo cujusque propria opera probabuntur, et unicuique retribuet Deus secundùm opera ejus; quæcumque enim homo gesserit, erunt illius onus et sarcina dùm perget ad tribunal Christi, ut ab illo æquissimo judice accipiat prout gesserit, sive bonum, sive malum.

Ex Epistolâ ad Ephesios.

Cap. 1, v. 7: *In quo* (Christo) *habemus redemptionem per Sanguinem ejus;* at idem Apostolus ad Romanos 7, v. 24, præstolatur et exorat liberationem suam de corpore mortis hujus. — Respondeo Duplicem distingui posse à Christo redemptionem; unam liberationis, quâ per sanguinem ejus erepti sumus è potestate dæmonum, qui nos peccatis inquinatos, atque criminum vinculis irretitos veluti captivos detinebant: alteram securitatis, quâ ab omni dæmonum infestatione, et carnis atque mundi illecebris futuri sumus immunes. Illam Christus nobis promeruit et contulit in Cruce. Nam, inquit idem Apostolus ad Collossenses 2, 15: *Delens quod adversùs nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio affigens illud Cruci, et exspolians principatus et potestates traduxit confidenter, palàm triumphans illos in semetipso;* hanc verò ex parte quidem jam obtinemus; at plenissime tantùm in cœlo donanda est, cùm videlicet nostrum corpus hoc corruptibile exuerit corruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem: ad Corintbios, capite 15, de posteriori hâc liberatione agit Apostolus in Epistolâ ad Romanos; de priori verò in hoc loco.

Cap. 3, v. 8: *Data est gratia hæc mihi in gentibus evangelizare quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi à sæculis:* at incarnatio Verbi revelata fuerat et repromissa patribus Veteris Testamenti, qui omnes illius adventum præstolabantur; igitur mysterium illud non erat à sæculis absconditum. Respondeo S. Paulum hic agere, non cum Judæis, quibus nota erant de venturo Messiâ Prophetarum oracula, sed cum gentilibus, qui nihil omninò de eo audierant.

Ibidem, v. 15: *Ex quo* (Patre Æterno) *omnis paternitas in cœlis, et in terrâ nominatur;* at Joann. v. 44, Christus Judæos alloquens, ait: *Vos ex patre diabolo estis.* — Respondeo Apostolorum hic agere de paternitate propriè dictâ, quæ importat generationem et originem ab aliquo vivente in ejus naturæ similitudinem; Christum verò de paternitate impropriè dictâ et similitudinariâ, quâ quis dicitur ejus esse filius, cujus affectus et opera sectatur; quo sensu reverà Judæi dici poterant filii diaboli, quia, inquit Christus, desiderium illius et opera maligna sectabantur.

Cap. 6, v. 2: *Honora Patrem tuum et matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione;* at Exod. ubi recensentur præcepta Decalogi, primo præcepto, de cultu uni vero Deo impendendo promittitur *misericordia in millia*, seu in millesimam usque generationem. Non itaque honor parentibus impendendus, est in primum præceptum in promissione. — Respondeo hoc præceptum esse primum secundæ tabulæ, cui facta sit repromissio longævitatis; cæteris enim nulla similis divina promissio annexa est. Accedit, quòd illa promissio, quæ præceptis primæ tabulæ adjungitur, non ad illa duntaxat spectet, sed etiam in aliorum præceptorum observatores diffundatur; quippè Deus sua beneficia repromittit legem servantibus; supplicia verò minatur iis qui divinorum illius præceptorum erunt transgressores.

Ex Epistolâ ad Philippenses.

Cap. 2, v. 7, Christus dicitur *in similitudinem hominum factus.* Undè inferebant Manichæi illum verè humanam carnem non induisse. Cujus contrarium distinctè asserit S. Joannes, scribens: *Verbum caro factum est.* — Respondeo Christum fuisse in similitudinem hominum factum, non accidentaliter, sed substantialiter, quod videlicet humanam naturam induerit cæteris hominibus persimilem: quâ ratione Adamus, Genes. 5, dicitur genuisse filium ad imaginem et similitudinem suam, hoc est, in naturâ consimilem: qualiter etiam ad Corinth.

5, dicitur gestare imaginem hominis terreni, quia in humanitate sumus Adamo similes, idem specie cum eo corpus gestantes, et eâdem specie animâ viventes.

Cap. 4, v. 13 : *Omnia possum in eo qui me confortat;* at ad Rom. 7, v. 8 : *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.*—Resp. Apostolum in priori textu sermonem facere de homine divinâ gratiâ vegetato et illustrato; eâ namque roboratus, omnia quæ occurrere possunt ad salutem obstacula, facilè poterit devincere; secùs verò de homine propriis suis viribus relicto, qui habere quidem potest aliquod desiderium boni, at propter repugnantes carnis et mundi illecebras illud sectari nequit, nec perficere.

Ex Epistolâ ad Colossenses.

Cap. 1, v. 15, Christus dicitur *Primogenitus omnis creaturæ;* igitur inquiebant Ariani, Christus est inter creaturas censendus. — Respondet S. Anselmus illa Apostoli verba intelligenda esse de Christo ut homine, quâ ratione est *Primogenitus omnis creaturæ,* non tempore, sed dignitate; quippè cùm sit finis quem Deus in mundi formatione primò intendit, et propter quem creavit omnia : verùm proximiùs ad Apostoli mentem hæc videntur de Christo, ut Verbum divinum est, intelligenda; in id enim collimant verba hæc quæ sequuntur : *Quoniam in ipso condita sunt universa in cœlis et in terrâ, visibilia et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates; omnia per ipsum et in ipso creata sunt;* at Christus, quà homo, non potest dici Apostolorum conditor. Igitur vox *Primogenitus* hìc, sicut et Matthæi 1, v. 27, idem sonat ac *Unigenitus,* vel priùs genitus quàm Creatura; ut S. Paulus significet Christi Domini generationem, utpotè æternam, longè anteriorem esse temporali creaturarum productione.

Ibidem, v. 24 : *Adimpleo ea quæ desunt Passioni Christi in carne meâ;* at Passioni Christi nihil deesse potuit; siquidem ille testatur, Lucæ 23 : *Ea quæ sunt de me finem habent;* et Joan. 17 : *Opus consummavi,* etc. —Respondeo duplicem distingui posse Christi Passionem, et in duplici corpore, proprio scilicet, et mystico. Priori nihil defuit, nec ad doloris acerbitatem, nec ad meriti valorem et plenitudinem; posteriori verò plurima desunt, siquidem persecutiones ab Ecclesiâ et Sanctis subeundæ, nondùm finem obtinuerunt, sed ad consummationem usque seculi vigebunt; oportet enim nos per multas tribulationes intrare id Regnum Dei. Igitur ea quæ desunt isti Passioni ex parte suâ, et respectivè ad se implebat Apostolus pro ædificatione et profectu Ecclesiæ. Undè 2 ad Timotheum 2, ait *se sustinere omnia propter electos, ut salutem consequantur.* Cum Christo itaque S. Paulus patiebatur, non expiando et redimendo, sed fideles exhortando, et exemplo suo ad constanter ferendas tribulationes excitando. Vel breviùs, Apostolus implebat quæ deerant Passioni Christi in se, quia fructum Dominicæ Passionis sibi procurabat : tametsi enim Christus plenissimè pro nobis Deo Patri fecerit satis, et omnia cœlestia beneficia nobis fuerit promeritus, eodem S. Apostolo dicente ad Ephes. 1, v. 3 : *Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo,* nihilominùs tamen participatio divinæ illius benedictionis per Sacramentorum receptionem, exercitium bonorum operum, et constantiam in adversis, nobis est concilianda.

Ex priori Epistolâ ad Thessalonicenses.

Cap. 1, v. 10, hortatur eos ut *expectent Christum è cœlis;* at in Epistolâ posteriori, cap. 2, v. 2, ait *Diem Domini non instare:* frustrà ergò ad præstolandum Christi adventum è cœlis excitabat. Resp. sensum Apostoli non esse, quòd brevi futurus esset Christi ad Judicium adventus, sed Thessalonicenses monebat ut erigerent animos, et firmissimam spem haberent se liberandos ab illis tribulationibus, quibus vexabantur; atque pro eis æternâ felicitate et gloriâ fore donandos à Christo æquissimo hominum judice, et bonorum operum remuneratore.

Cap. 2 : *Nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis neque ab aliis:* at v. 10 ait : *Vos testes estis, et Deus, quàm sanctè, et justè, et sine querelâ vobis, qui credidistis, fuimus;* et plurima his similia profert passìm, quibus videtur inanem gloriam, et jactantiam sectari. Respondeo duplicem distingui posse gloriationem; unam hypocritarum, et vanitati studentium; alteram justorum, et ædificationi ac saluti proximi invigilantium, uti distinxisse videtur Apostolus 2 Cor 5, v. 6 : *Non iterùm vos commendamus nos vobis,* inquit, *sed occasionem damus vobis gloriandi pro nobis; ut habeatis ad eos qui in facie gloriantur, et non in corde.* Hypocritæ gloriantur *in facie*; quippè cùm sint suipsius demiratores, laudumque suarum buccinatores vanissimi, licet eorum intùs reclamans conscientia dictorum inanitatem demonstret. Justi verò habentes testimonium conscientiæ bonum, intùs gloriantur *in corde,* nec nisi soli

Deo placere gestiunt; et dùm gloriantur, in Domino gloriantur; noverunt enim quod qui seipsum commendat, ille non sit probatus, sed quem Deus commendat. Nihilominùs tamen contingit interdùm, ut suorum laborum et bonorum operum præcones fieri debeant, tùm ad sui ministerii commendationem, tum ad confirmandos eos quos per Evangelii prædicationem Christo pepererant; tùm maximè ad reprimendum hypocritarum et pseudo-prædicatorum evangelicorum supercilium, qui in proprias laudes excurrentes, infimæ plebis corda bonorum lenociniis demulcent, et eam in suì admirationem rapiunt; quem ob finem ingentes suos pro Christo et animarum salute labores, atque vitæ integritatem sæpiùs commendat Apostolus, ne quis ex minori de illo conceptâ æstimatione, ministerium ejus despectui haberet, et sic illius prædicationis fructum penitùs evacuaret.

Ex Epistolis ad Timotheum.

Cap. 1, v. 9: *Lex justo non est posita;* at nemo justus, nisi qui divinæ Legi sese conformat. — Respondeo Apostolum hic urgere Judæos, qui mosaicam legem etiam à Christianis observandam esse contendebant: quorum ut supercilium reprimeret, ait legem quidem adhuc urgere Judæos, qui servorum instar sub ejus sarcinâ et jugo vitam ducere gestiebant, non verò Christianos, qui per Baptismatis gratiam renati et justificati, grave illius severissimæ Legis jugum excusserant, ut legi Evangelicæ ex amore colla subjicerent.

Ibidem, v. 15: *Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum;* at ad Philipp. 3, v. 6, asserit se *secundùm justitiam quæ ex Lege est, conversatum esse sine querelâ*, hoc est, *inculpatè;* quomodò ergò fieri potuit, ut jam ad Christum conversus, reverà esset peccatorum omnium pessimus? maximè cùm nosse posset Adamum, Cainum, Judam, Herodem, Caipham et Pilatum, tradentes Christum ad mortem, longè graviùs peccâsse. — Respondeo Apostolum ista dixisse, non solùm ex humilitate, ut plurimi interpretantur, vana quippè est humilitas, quæ contradicit veritati, sed ex proprio suæ conscientiæ judicio: cùm enim ex divino sibi affulgente lumine suorum peccatorum gravitatem apprimè nôsset, illamque assiduè meditaretur, ac velut haberet in prospectu, in aliorum verò offensam oculos minùs intenderet, mirum non est quòd præ cæteris quasi omnium reorum maximus se accuset, atque tàm humiliter de se sentiat, ut 1, Corint., 15, v. 8, se reputet *tanquàm abortivum, et Apostolorum minimum*, imò *qui non sit dignus vocari Apostolus.*

Cap. 2, v. 12: *Docere autem mulieri non permitto*: at ad Titum cap. 2, præscribit ut, *anus sint bene docentes, quatenùs prudentiam doceant adolescentulas.* — Respondeo eum prohibere ne mulieres publicè, et in fidelium cœtu, doctoris et concionatoris Evangelici fungantur officio; eis tamen concedit facultatem privatim filios et domesticos instruendi de rebus fidei, et ad salutem necessariis.

Ibidem, v. 14: *Adam non est seductus*: at Genes. 3, Adamus ab uxore inductus est in prævaricationem, et ab eâ fructum vetitum accepit et comedit. Respondeo Adamum non fuisse seductum à serpente, quemadmodùm Eva, quæ serpenti nimiùm credula, existimavit se tria, quæ promiserat, consecuturam, si de fructu prohibito comederet; nimirùm scientiam boni et mali, immortalitatem, et perfectam cum Deo similitudinem. Undè illa ab ipso tentatore serpente se deceptam fuisse ingenuè profitetur: *Serpens*, inquit, *decepit me;* Adamus verò eamdem excusationem non profert; sed ait se illectum ab uxore ad esum illius fructus: *Mulier*, inquit *quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi.* Igitur mulier illa viro fuit offendiculo, et transgressionis causa. Quamobrem non tàm dici potest Adamus seductus, quàm ab uxore inductus in crimen.

Cap. 5, v. 20: *Peccantes coràm omnibus argue:* at Matth. 18, v. 15: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te et ipsum solum.* —Respondet S. Augustinus (Serm. 16, de verb. Dom.) Christum loqui de peccato occulto et soli homini in quem committitur, vel in cujus præsentiâ fit, qui ad emendationem ex affectu charitatis, privatim est corripiendus; ne si publicè argueretur, aut factum protervè negaret, aut adversùs arguentem excandesceret. Apostolus verò agit de peccato publico, atque de peccatore in judicio convicto et manifesto, qui tàm in criminis vindictam, quàm in aliorum terrorem et emendationem, publicè est arguendus. Undè in correctione fraternâ attenditur hominis privati ad meliorem frugem receptio et conversio: at in reprehensione publicâ, quam hic præcipit Apostolus, providetur omnium illorum saluti quibus crimen istud innotuerat.

Ex posteriori Epistolâ, cap. 1, v. 9: *Data est nobis hæc* (gratia) *in Christo Jesu ante tempora sæcularia:* at nullus hominum erat ab æterno, qui gratiam exciperet. Respondeo Gratias om-

nes, quæ intuitu meritorum Christi nobis conceduntur, datas ab æterno censeri, non *in effectu*, sed *in decreto Dei;* ut idem significet vox *data*, quod dari decreta et prædestinata. Undè ad Titum 1, v. 2, non dicit eam gratiam datam, sed promissam: *quam,* inquit, *promisit qui non mentitur Deus, antè tempora sæcularia.* Vel data censetur, respectu Dei donantis, cui omnia præsentissima sunt ab æterno, tametsi futura esset respectu nostri, pro eâ temporis differentiâ in quâ eramus exstituri, et eam gratiam excepturi.

Ex Epistolâ ad Titum.

Cap. 1 : *Dixit quidam ex illis proprius ipsorum propheta, Cretenses semper esse mendaces:* at qui ista protulit, non fuit propheta, sed poeta; et quidem ethnicus; nimirùm vel Epimenides, vel Callimachus, poeta Cyrenensis, qui contrà referente Origene (Lib. 3, contrà Celsum), cùm infinita poemata perlegisset, percurrissetque Græcam ferè omnem historiam, nihilque de Jove ejusque sepulchro, quod apud se repositum Cretenses gloriabantur, dictum intellexisset, illos hoc disticho, quem paulò aliter suprà dedimus, sic perstringit:

Cretenses semper vani struxêre sepulcrum,
Cretenses, Rex alme, tuum; at succumbere morti
Non poteras; etc.

Verùm hos Versus Epimenidis esse, et ab illo Callimachum eos fuisse mutuatum, asserunt S. Chrysostomus(Sermone 3 super hanc Epist.), et Epiphanius (Lib. 1 Panarii), atque ex illo Apostolum superiora verba accepisse, communis est interpretum sententia. — Respondeo omissis aliorum sententiis, verosimilius mihi videri, idcircò Epimenidem poetam ab ethnicis proprium Cretensium prophetam esse dictum, vel quod existimaretur aliquo afflatus fuisse numine, qui scribenda suggereret, atque divinâ quâdam virtute putaretur præditus: undè Laertius refert eum ab Atheniensibus accersitum lustrandæ urbis causâ, quin etiam ipsi tanquàm numini à Cretensibus fuisse sacrificatum. Itaque Apostolus illum Cretensium prophetam nominavit, ex eorum quidem opinione, et ad pleniorem eorum convictionem. Fortè etiam prophetæ nomen ei indidit, quòd poetæ communiter appellarentur Vates, qui carmina sua divino quodam afflatu efferre putabantur, juxtà illud Ovidii :

Est Deus in nobis, sunt hæc commercia cœli;
Sedibus æthereis spiritus ille venit.

Hinc Poetæ antiquitùs illi dicebantur, qui Phœbi et musarum interiori afflatu verba promerent. Accedit etiam quòd ille Epimenides scripserit librum *de Oraculis.* Neque etiam insolitum est apud ethnicos, prophetas quosdam censeri : enimverò Clemens Alexandrinus, referens ordinem ministrorum sacrorum apud Ægyptios, novissimum dicit inter eos incedere prophetam : similiter auctor libri primi *Recognitionum,* nomine Clementis, non procul ab initio scribit : « Ægyptum petam, atque ibi « Hierophantis vel prophetis, qui adytis præ« sunt, amicus efficiar; et pecuniâ invitatum « magnum precabor, ut educat mihi animam « ab inferis. » Fuerunt etiam Idæi Jovis prophetæ in Cretâ, de quibus Porphirius in lib. 8 *de Abstinentiâ.* Noti sunt etiam prophetæ Baal, et aliorum ementitorum numinum ex Scripturâ sacrâ.

At, inquies, si Epimenides, sive Callimachus, meritò scripserint Cretenses esse mendaces, ut contendit Apostolus, quòd divina non sentiant dùm fingunt Jovem in eorum insulâ sepultum, consequens erit Jovem non esse mortuum, sed vivum, subindèque veram esse idololatrarum de Jove sententiam. Insuper aut Epimenidis carmen verum est, aut falsum; si verum, Cretenses ergò non sunt mendaces, quia Epimenides, autor carminis, fuit Cretensis: si falsum, igitur Cretenses fallaces non sunt.

Ad primum respondet S. Hieronymus : « Sicut in eo quod ait Apostolus, *Corrumpunt* « *bonos mores colloquia prava,* et in illo : *Ipsius* « *enim et genus sumus,* non statim totam Me« nandri comœdiam, et Arati librum probavit; « sed opportunitate versiculi abusus est, ità et « in præsenti loco non totum opus Callimachi, « sive Epimenidis (quorum alter laudes Jovis « canit; alter de Oraculis scriptitat) per unum « versiculum confirmavit; sed Cretenses tan« tùm mendaces vitio gentis increpavit; non « ob illam opinionem, quâ sunt arguti à poëtis, « sed ob ingenitam mentiendi facilitatem, de « proprio ejus gentis auctore confutavit. Et ut « sciamus Apostolum, non fortuitò, et transi« toriè, sed consideratè, et circumspectè, et ex « omni parte se protegendum adversùs Creten« ses locutum. *Testimonium,* inquit, *hoc verum* « *est,* non totum carmen, de quo testimonium « sumptum est, non universum opus, sed hoc « tantùm testimonium, hic tantùm versiculus, « quo mendaces vocantur. » Hæc S. Hieronymus.

Ad secundum dico propositionem illam, *Cretenses sunt mendaces,* vel particularem esse, et sic necesse non est ut Epimenidem includat; vel generalem, quatenùs connotat innatum gentis illius vitium et proclivitatem ad men-

tiendum. Cùm autem non adeò commune est proprium cuique genti vitium, quin aliquis illius sit expers, ab eâ pravâ Cretensium inclinatione potuit immunis esse Epimenides. Accedit etiam quòd mendaces interdùm verum loquantur, quorum veritas alterius hominis fide digni testimonio fieri potest manifesta.

Ex Epistolâ ad Hebræos.

Cap. 7, v. 3 : ***Melchisedech sine patre, sine matre, sine genealogiâ, neque initium dierum, neque finem vitæ habens;*** at ista nulli hominum ab Adamo propagatorum conveniunt. — Respondeo reverà Melchisedechum habuisse patrem et matrem, atque aliorum hominum instar genitum et mortuum ; dici autem *sine patre et sine matre*, quòd nec ejus generationis seriem, nec quandiù vixerit, et quandò obierit Scriptura referat. Nimirùm ut appareret eum differre à leviticis sacerdotibus, qui patre esse debebant Aaronide, matre autem Israelitide, ut legitur Levit. 8, v. 1, et 21, v. 1. Quamobrem diligentissimè observari solebant census generis ipsorum, ut videre est Esdræ 2, v. 62. Cui explicationi favet Syrus interpres illa Apostoli verba sic reddens : *Cujus nec pater, nec mater scripti sunt in genealogiis.* Porrò ex silentio Mosis de ortu, propagatione, et obitu Melchisedechi, Apostolus colligit in eo adumbratum fuisse Christum, non quidem respectu personæ et naturæ, nam Christus respectu personæ, patrem habet æternæ suæ generationis principium, matrem verò respectu humanæ naturæ, ratione cujus etiam habuit *initium dierum*, dùm conceptus est ex Spiritu S. et *finem vitæ*, dùm exspiravit in Cruce, et *genealogiam*, quam SS. Matthæus et Lucas describunt. Fuit ergò Melchisedech typus Christi, præsertìm respectu Sacerdotii, in eo quod quemadmodùm ille neminem habuit in Sacerdotio antecessorem cui fuerit subrogatus, nec successorem, cui officium moriendi consignaverit, sic Christus non habuit sibi à majoribus traditum sacerdotale munus; nec moriendo transmisit ad alterum, uti fiebat ab Aaronicis sacerdotibus; neque enim sacerdotes novæ Legis sunt Christi in sacerdotio successores, sed ministri, in quibus, et cum quibus ipse seipsum quotidiè sacrificat, idem simul Sacerdos et Victima.

Ibidem, v. 11, populus sub sacerdotio Aaronis dicitur *Legem accepisse*; at Lex fuerat Israelitis à Deo per Mosem præscripta ante institutionem Aaronici sacerdotii. — Respondeo *Legis* nomine hìc non tantùm intelligi Decalogum, sed quæcumque ad disciplinam et institutionem Judæorum pertinebant, quorum plurima etiam post institutum sacerdotium Aaronicum sunt tradita.

Cap. 9, v. 6 : ***In priori quidem Tabernaculo semper introibant Sacerdotes sacrificiorum officia consummantes;*** at victimæ non offerebantur in Tabernaculo, sed in atrio sub dio, ubi erat altare holocausti, ut videlicet fumus et nidor victimarum combustarum solveretur in aerem, fuisset enim fætor intolerabilis, si omnes hæ victimæ in Tabernaculo undiquè clauso fuissent crematæ. — Respondeo nomine *Tabernaculi* Apostolorum comprehendere etiam illam atrii partem in quâ erat altare holocausti, id namque ad ejus scopum sufficiebat : nimirùm ad distinctionem prioris Tabernaculi à novo, quæ utique distinctio viget, etiamsi priori Tabernaculo locus altaris holocausti adjungatur. Vel voce *Sacrificii*, non intelligit oblationem victimarum, et ritum eas mactandi atque comburendi, sed officia sacerdotalia quæ fiebant in Tabernaculo; nimirùm oblationem sanguinis, candelabri, et lucernarum accensionem et exstinctionem, panum Propositionis singulis Sabbatis appositionem, et thymiamatis, tàm manè quàm vesperè, post oblatum juge sacrificium, fumigationem.

Cap. 12, v. 24 : *Novi Testamenti Mediator Jesus;* at fuit etiam Mediator Veteris : nam, inquit Origenes (Apud Pamphil. martyrem in Apologiâ), « antè manifestum hunc in carne in « fine sæculorum adventum, nondùm erat « homo, erat tamen et tunc Dei et hominum « Mediator; undè et data Lex in ipsius Media« toris manibus dicitur, ut Lex esset sancta, « et Mandatum sanctum et bonum, et hæc « omnia à Christo sanctificarentur. » Quamobrem Apocalyp. 13, v. 8, dicitur *Agnus occisus ab origine Mundi;* quòd ejus Passionis virtus et gratia ab ipso mundi exordio jam in homines, quovis sæculo fuerint diffusæ. Undè S. Leo (Lib. 3 de Trinitate) : « Non, novo, inquit, « consilio Deus rebus humanis, nec serâ mi« seratione consuluit; sed à constitutione « mundi unam eamdemque omnibus causam « salutis instituit. Gratia autem Dei quâ sem« per est universitas justificata Sanctorum, « aucta est Christo nascente, non cœpta. Et « hoc magnæ pietatis sacramentum, quo totus « jam mundus impletus est, tàm potens etiam « in suis significationibus fuit, ut non minùs « adepti sint qui in illud credidere promissum, « quàm qui suscepère donatum. » — Respondeo Christum reverà quidem fuisse utriusque Testamenti Mediatorem et Auctorem sanctifica-

tionis; nihilominùs tamen potiori jure appellari *Mediatorem Novi* quàm *Veteris*, quòd in novo fœdere et pacto inter Deum et homines sanciendo, impleverit omnia typica quæ in Veteri Testamento ipsius adventum et passionem figurabant, uberioresque gratias contulerit, quàm quæ fuerint concessæ patribus Veteris Testamenti; atque etiam omnia Sacrificia, omnesque legales ritus antiquaverit, et suâ morte consummaverit.

Ex Epistolis S. Petri.

Ex Priori, cap. 1, v. 12 : *In quem desiderant Angeli prospicere;* at Matth. 18, v. 10 : *Angeli eorum semper vident faciem Patris.* — Respondeo S. Matthæum loqui de visione beatificâ, quâ sanctissimi Angeli fruuntur perpetuò; Apostolum verò, de mysterio Redemptionis factæ per Christum; cujus operis tanta est altitudo et profunditas, ut quamvis Angeli divinæ Sapientiæ luce collustrati, longè perspicaciorem illius quàm homines notitiam habeant, cùm tamen eam penitùs plenissimè apprehendere non possint, quodam desiderio tenentur, majorem et splendidiorem obtinendi. Undè colligere licet Angelos mirè delectari visione humanitatis Christi, et gloriæ, tum corporis, tùm animæ quæ longè eos transcendit. *Vel,* ait S. Julianus Toletanus, « Angeli semper Deum vident, et videre desiderant. Ne enim sit in desiderio anxietas, desiderantes satiantur; et ne sit in satietate fastidium, satiati desiderant. Desiderant igitur sine labore, quia desiderium satietas comitatur, et satiantur sine fastidio, quia satietas ex desiderio accenditur. »

Cap. 2, v. 11 : *Obsecro vos tanquàm advenas et peregrinos;* at S. Paulus ad Ephesios 1, v. 16 : *Jam non estis hospites et advenæ, sed cives Sanctorum*, etc. Respondeo : Loquitur S. Paulus de statu gratiæ, atque conversis gentibus ad Christum, qui cùm olim à Judæis haberentur pro peregrinis et alienis à vero Dei cultu, jam, discrimine sublato, fierent ecclesiæ filii, et in unâ Christi familiâ adunarentur. S. Petrus verò loquitur de statu gloriæ, respectu cujus omnes fideles, quamdiù in terris militant, censentur advenæ et peregrini.

Ex posteriori, cap. 1, v. 19 : *Habemus firmiorem Propheticum sermonem;* at vox Patris, quam in ipsa Transfiguratione Christi audivit S. Petrus, scilicet : *Hic est Filius meus*, etc., non videtur minùs certa quàm vox ejusdem audita à Prophetis, maximè Davide, cùm diceret : *Filius meus es tu*, etc. Igitur sermo propheticus non erat firmior visione et sermone S. Petri. Respondet S. Augustinus, (Serm. 27 de verbis Domin. in cap. 4) propheticum sermonem dici quidem *firmiorem*, non autem *veriorem*, quia vocem illam cœlo delapsam Judæi calumniatores tribuere possint magicis præstigiis, uti vocem similem Patris ad Christum tribuerant tonitrui; at idem de sermone prophetico, dato quòd esset propheticus (quod ultrò concedebant), non poterant asserere; præsertìm quia Prophetæ multis sæculis Christum præcesserant. Undè colligit S. Augustinus : « Nondùm erat Homo Christus, quandò misit Prophetas : Si ergo magicis artibus fecit, ut coleretur et mortuus, numquid magus erat antequam natus. » Respondent alii oracula prophetarum per lumen fidei nota, firmiora et certiora censeri omni cognitione sensitivâ et quovis testimonio oculari et aurito, quod habuerat S. Petrus in mysterio Transfigurationis; ità quod vox divini Patris, tametsi eadem fuerit audita ab Apostolis et Prophetis, subjectivè tamen, quatenùs in Apostolorum auribus resonabat, non tàm videbatur certa et firma, quàm oracula Prophetica, quæ verè esse divina, et à Deo esse derivata per fidem constabat. Verùm simpliciùs et ad mentem Apostoli proximus dicendum arbitror sermonem propheticum dici firmiorem, non absolutè et simpliciter, sed respectivè ad eos ad quos Apostolus scribebat, qui cùm essent ex Judaismo conversi, haberentque scripta Prophetarum in summâ veneratione et auctoritate, quibus Apostolorum prædicatio nondùm videbatur æquanda, quòd non adhuc constaret plenissimè eos esse à Spiritu S. illuminatos et instructos, idcircò S. Petrus cùm Christi supremam dignitatem, ejusque doctrinæ veritatem ex iis quæ manifestata cœlitùs fuerant, in Transfiguratione probâsset, huic quasi domestico testimonio adjungit aliud quod auditoribus videbatur firmius et majoris autoritatis, scilicet oracula Prophetarum de Christo vaticinantium.

Cap. 2, v. 4 : *Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in Tartarum tradidit cruciandos;* quod utique confirmat S. Judas in Epistolâ, v. 6, dicens Deum reservâsse *Angelos in Judicium magni diei vinculis æternis sub caligine;* at in Priori Petri, cap. 5, v. 8, Diabolus *tanquàm leo rugiens circuit quærens quem devoret.* Similiter dæmon ille Jobi tentator, dixit se *circuivisse terram et perambulavisse eam;* dæmones ergò non sunt alligati; quod insuper constat ex plurimis energumenis aliisque hominibus, qui variis dæmonum infesta-

tionibus vexantur. — Respondeo reverà dæmones initio suæ prævaricationis et in Deum perduellionis, fuisse infernalis ignis carcere mancipatos, ibi cruciandos in æternum; nihilominùs Deum in hominum vel peccatorum vindictam, vel justorum exercitium et probationem aliquandò permittere ut ex illo tenebricoso carcere exeuntes, per aerem excurrant, et virus suum in homines eructent; tametsi nihil eis ex suppliciorum suorum acerbitate remittatur.

Ex epistolis S. Joannis.

Cap. 1, v. 8 : *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est* : at cap. 3, v. 9 : *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit.... et peccare non potest.* — Respondeo Apostoli sensum in priori textu hunc esse, neminem mortalium ità innocentem censeri (nisi singulari et extraordinario Dei favore et privilegio præveniatur) quin alicujus peccati reus appareat; quippè cùm *septies in die cadat justus*, Proverb., cap. 24, et, ut ait S. Jacobus, cap. 3 : *In multis offendimus omnes.* Quamobrem S. Augustinus ait, (lib. de Naturâ et Gratiâ cap. 36,) « solâ B. Virgine exceptâ, si omnes illos Sanctos, cùm hìc viverent, congregare possemus et interrogare, utrùm essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus? Utrùm hoc quod iste dicit, an quod Joannes Apostolus? Rogo vos, quantalibet fuerit in hoc corpore excellentia sanctitatis, si hoc interrogari potuisssent, nonne unâ voce clamâssent : *Si dixerimus quia peccatum non habemus*, etc. »

In posteriori verò textu significat Apostolus hominem gratiâ Dei vivificatum et vegetatum, quamdiù semen gratiæ quâ renatus est, vigilanter servat, ejusque ductum sequitur, nusquàm peccat, nec peccare potest. vel non potest peccare, nisi cum difficultate, et quâdam reluctantiâ propriæ conscientiæ, urgentis eum, ne accepti divini beneficii fiat ingratus.

Cap. 2, v. 18 : *Filii novissima hora est : et sicut audistis quia Antichristus venit* ; at 2, ad Thessalonicenses cap. 2, v. 3, testatur S. Paulus non priùs futurum Judicium, *nisi venerit discessio primùm, et revelatus fuerit Homo peccati, et Filius perditionis*, hoc est, *Antichristus*, qui erit sceleratissimus et perditissimus. — Respondeo Antichristum eum censeri, qui Christo ejusque doctrinæ adversatur; cùm verò temporibus S. Joannis, plurimi essent Christi fidelium persecutores, merito jure dixit jam adesse Antichristum, non quidem in se, sed in suis præcursoribus; verùm nondum advenisse in propriâ personâ, uti asserit S. Paulus, licèt jam adesset in suis fautoribus et præcursoribus.

Ex Libro Apocalypsis.

Cap. 1, v. 1, Apocalypsis dicitur revelatio... eorum *quæ oportet fieri citò* : at à tempore quo facta fuit hæc revelatio S. Joanni, plurima jam effluxerunt sæcula, nec tamen hactenùs quæ in eo libro prænuntiata sunt, fuerunt executioni demandata. — Respondeo vocem *citò* significare res quæ in hoc libro prænuntiantur, quàm primùm esse incipiendas, tametsi non citò finiendas. Nam persecutiones Christianorum quæ hìc revelantur, cœperunt sub Trajano, perseverabuntque ad finem mundi.

Cap. 4, v. 8, Quatuor animalia mystica quæ referunt sortem et statum Beatorum in cœlis cum Christo regnantium, dicuntur non habuisse *requiem die ac nocte;* at cap 14, v. 13, mortuis in Domino *dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis.* — Respondeo beatas mentes in cœlis non esse otiosas sed assiduè occupari in Dei laudibus et gratiarum actionibus persolvendis, occupatione quidem, non quæ laborem et dolorem inferat, sed quæ cælesti voluptate eas repleat et reficiat. Quamobrem operantur quiescendo, et quiescunt operando.

Cap. 5, v. 1 : *Vidi librum scriptum intùs et foris;* at v. 4, ait *neminem dignum inventum aperire librum et videre eum.* Respondeo Joannem nudâ et simplici visione vidisse quidem librum signatum sigillis septem, ac neminem præter Agnum inventum esse qui solveret signacula, et investigaret mysteria quæ in eo reserantur.

Cap. 7, v. 4, referuntur signati *ex omni tribu filiorum Israel;* at omittuntur tribus *Ephraim* et *Dan.* — Respondeo 1° tribum Ephraim non fuisse prætermissam, tametsi distinctè non exprimatur; siquidem nomine *Joseph* fuit declarata; cùm enim tribus Manasse expressè recenseatur inter alias, necessariò consequitur per *tribum Joseph* versu octavo memoratam, non aliam intelligi quàm tribum Ephraim. 2° Omissa autem fuit tribus Dan, quòd ex eâ, ut tradunt SS. Ireneus (lib. 5, cap. 3), Ambrosius (lib. de Bened. Patriarcharum, cap. 7) Augustinus (Quæst. 22 in Josue), etc., oriundus sit Antichristus, cui præ cæteris, Danitæ tunc temporis superstites famulabuntur. At veriùs censerem idcircò hanc tribum fuisse prætermissam à S. Joanne, quòd illa jam olim redacta fuerit ad unam familiam *Hussin*, ut tradunt Hebræi, referente Grotio, quæ familia bellis et calamitatibus penitùs interisse videtur, etiam antè Esdræ tempora. nam. Paralip., posteritas

Patriarcharum omnium commemoratur, Dan autem omittitur,

Plures sunt aliæ hujusmodi apparentes antilogiæ et contradictiones in sacris Libris, sed minoris difficultatis et momenti; quas facilè dissolvet lector quisquis erit in sacrorum Librorum lectione tantillùm eruditus, quique noverit veram contradictionem, ut definiunt logici esse pugnam duarum propositionum, ex affirmatione et negatione ejusdem subjecti, et eodem modo spectati, ortam. Indè vera oppositio requirit quinque conditiones : 1° ut fiat circà eosdem terminos, tàm numero quàm ordine; 2° circà eamdem partem subjecti; 3° circà subjectum eodem respectu consideratum; 4° secundùm eamdem temporis circunstantiam; 5° deniquè, ut una propositio distinctè affirmet, altera neget : quæ si singula attendantur, omnis certè in sacris Libris antilogia evanescet; quæcumque enim proferri potest pugna textuum, vel non spectat ad idem subjectum, vel non ad eamdem ipsius partem, vel non eodem respectu atque in eodem tempore consideratum; vel unus textus apertè non affirmat quod alius negat. Quamobrem ne benigno lectori videar importunus, ab hoc opere, quod præter mentem, majorem in molem jam excrevit, manum tandem subducam.

Explicit Introductionis secunda pars.

INCIPIT INTRODUCTIONIS TERTIA PARS.

JOANNIS IAHN VITA.

Iahn (Joannes) philosophiæ theologiæque doctor, Ecclesiæ metropolitanæ ad S. Stephanum Viennæ in Austriâ canonicus capitularis, archiepiscopalis consistorii consiliarius, archeologiam biblicam, theologiæ dogmata, linguasque orientales successim è Cathedrâ explanavit. Quibus in disciplinis omnibus consummatus visus est, sed præsertim in iis quæ ad archeologiam librorum sacrorum spectant. Verum, cùm scientiam suam non è puris usquè fontibus exhausisset, Protestantium videlicet scriptorum studio deditus, magnam dicendi libertatem non semel usurpavit, propter quam à publicis coactus abstinere lectionibus, plurimorum operum lucubrationem aggressus est. Tametsi secreto solitudinis afflatu maturior factus, Iahn in plurimis ideas suas represserit, non omninò audaculum professorem auctor exuerat. Cæteroquin, si pauca excipias quæ præfecundâ rerum imaginatione potiùs quàm naturâ nituntur, nullus certè erit philologus feliciori methodo, stylo elegantiori, sagaciori factorum æstimatione cognitioneque conspicuus. Ne defensore tàm egregio sacra Religionis causa fraudaretur, pleraque Joannis Iahn opera doctissimus Ackermann labeculis expurganda suscepit. Quapropter speramus fore ut *Archeologiæ biblicæ* lectoribus nulla occurrant reprehendenda, multa autem miranda. Ejusdem præterea fœtus supersunt qui sequuntur : 1° *Introductio* ad libros veteris et novi Fœderis, quam ipse è germanico sermone in latinum compendiosè redegit. 2° *Lexicon* arabico-latinum christomathiæ arabicæ accommodatum, Viennæ, 1802, in-8°. 3° Bibliorum *Editio*, hebraicè. 4° *Enchiridion hermeneuticæ generalis tabularum veteris et novi Fœderis*, in-8°. 5° *Appendix ad hermeneuticam sacram, sive fasciculi vaticiniorum de Messiâ*, 2 vol. in-8°.

Iahn Viennæ, anno 1817, vitâ defunctus est.

ARCHÆOLOGIA BIBLICA.

Praeliminaria.

§ 1. Archæologia. — Archæologia subjectivè est scientia, objectivè, systema rerum antiquarum memorabilium, atque adeò et res gestas, et omnia reliqua antiqua memoratu digna, uti ritus, consuetudines, mores, etc., complectitur; sensu verò arctiori ad sola hæc postrema restringitur. Quemadmodùm autem memorabilia illa, vel ad rem domesticam, vel publicam seu politicam, vel ecclesiasticam seu sacram, spectant; ità quoque archæologia est vel domestica, vel politica, vel sacra. Biblica Archæologia de solis illis antiquis rebus memorabilibus tractat, quæ in Bibliis occurrunt, attinguntur, vel pro notis ponuntur.

§ 2. Necessaria theologo. — Archæologia Biblica omnibus quidem non modò jucunda, sed etiam utilis, theologo autem et Bibliorum interpreti etiam necessaria est, 1° ut se cogitatione totum in ætatem, regionem et adjuncta sacrorum scriptorum et coævorum lectorum transferat, veram objectorum quorumcumque naturam et indolem cognoscat, et quælibet rectè dijudicet; 2° ut allusiones ad ritus, consuetudines, leges, proprietates regionis, aliaque adjuncta, observet, et plenum horum locorum sensum percipiat; 3° ut adversariorum argumenta, quorum pleraque ignorantiæ antiquitatis innituntur, rectè dissolvat; 4° ut illas divinas dispositiones, ad conservationem religionis inductas, illis temporum adjunctis congruisse, perspiciat; 5° ut vim argumentorum, quibus libri sacri probantur esse genuini, penetret. Atque archæologiam Biblicam omninò tanti esse momenti patet quoque ex eo, quòd omnes, qui rerum antiquarum ignari, ad Biblia scrutanda accesserunt, innumeros gravesque errores prodiderunt. Cf. Joan. Steph. Menochii præfat. ad libr. octo de republ. Hebr. Parisiis 1648.

§ 3. Fontes archæologiæ biblicæ. — Ut autem archæologia, exoptata subsidia præstet, necesse est, ut hauriatur ex genuinis et indubiis fontibus, et tandem rectus fiat ejusdem usus. Fontes sunt: I. Libri sacri, qui sunt testes domestici, et plerique etiam coævi, adeòque gravissimi. II. Monumenta antiqua, utpote testes adhucdùm viventes: talia sunt arcus triumphalis Titi, quem Relandus in spoliis templi Jerosolymitani in arcu Titiano Romæ conspicuis repræsentavit; rudera Persepolitana; sepulcra seu cryptæ in Syriâ, Palæstinâ, et Ægypto, ubi etiam pyramides, obelisci et rudera diversorum ædificiorum, antiquitatem et perfectionem artium testantur. Rudera urbium Baalbeck et Palmyræ, quæ à Woodio æri incisa repræsentata fuerunt, ex recentiori quidem ævo descendunt, illustrant tamen ea, quæ in Bibliis de ædificiis Herodis attinguntur. III. Nummi vetusti græci, phœnicii, ægyptiaci, romani, aliique non minùs ac judaici illi, quorum inscriptiones characteribus antiquis exaratæ testantur, non fuisse confictos. IV. Scripta Philonis Judæi et Josephi Flavii, qui ambo coævi erant Apostolis, et quorum ille quidem in Ægypto, hic verò in Judæâ et dein Romæ vixit. V. Auctores antiqui græci et latini, qui non nunquàm res orientales, in libris sacris obiter memoratas, uberiùs exponunt, imprimis Herodotus, dein Xenophon, Arrianus, Strabo, Plutarchus, Diodorus Siculus, et reliqui ferè omnes. Hos verò auctores exteros et multò recentiores, dissentientibus coævis aut saltem domesticis Bibliorum scriptoribus postponendos esse, sana ars critica docet. VI Mischna, seu textus Thalmudis, qui ferè ab anno 190 usque ad annum 220 ex traditionibus compilatus, et demùm Gemaris duabus explanatus fuit, quarum altera, dicta Jerosolymitana, circa annum 280 conscripta; altera verò babylonica nuncupata, anno 427 cepta, et circa annum 500 ad finem perducta fuit. In usu notitiarum, quas hoc opus suppeditat, permagnâ cautione opus est; multa enim recentiora, quæ antiquitati ignota erant, interposita sunt. VII. Scriptores illi ecclesiastici, qui in Syriâ aut aliis regionibus orientalibus vixerunt, imprimis

Hieronymus et Ephraem Syrus; libri quoque alii syriaci et arabici, imprimis antiquiores; ipsa denique etiam itineraria peregrinantium, qui recentiori ævo regiones illas lustrârunt, et indolem earum, atque mores, ritus et consuetudines incolarum in suis itinerum historiis exposuerunt. Sunt quidem hi omnes, testes de rebus multò recentioribus; ast quùm orientales non sint novationum amantes, et antiquis inhærere malint; pleraque antiquissima constanter retinuerunt, ex quibus permulta in Bibliis, lucem capiunt. Quùm autem nihilominùs non pauca quoque, tot seculorum decursu, mutata fuerint, cavendum est, ne recentiora antiquitati obtrudantur. Qui antiqua cæteris constantiùs tenuerunt, sunt Arabes, qui in desertis Arabiæ vagantur; his proximi sunt nomades in Palæstinâ, Syriâ, Mesopotamiâ, Babyloniâ seu Erak, atque demùm in Ægypto et Africâ septentrionali; cæteræ gentes, prout Hebræis propinquiores sunt, æstimandæ. Denique distinguenda sunt illa, quæ hi auctores ipsi viderunt et observârunt, ab his, quæ duntaxat conjiciunt, et quibus sententiam suam interponunt; in illis enim sunt testes, in his verò judicis sibi arrogant officium, quod unicuique nostrûm competit.

Pars prima.

DE ANTIQUITATIBUS DOMESTICIS.

CAPUT PRIMUM.

INTRODUCTIO GEOGRAPHICA.

§ 4. *Geographia Biblica.* — Primùm quidem situm et indolem locorum illorum, in quibus usitata erant ea, quæ memorabilia exponenda veniunt, cognitam esse oportet; quare præcipua geographiæ Biblicæ capita præmittimus. Ne autem justo diutiùs in limine hæreamus, pro notis ponimus non modò sedes populorum, qui Gen. 10 (1) memorantur, sed etiam fontes et cursum fluviorum Euphratis et Tigridis, atque plura alia de Asiâ minori et Græciâ; situm duntaxat earum regionum, quæ in Bibliis sæpiùs memorantur, paucis exponemus.

§ 5. *Aramæa.* — Regio, quæ in Bibliis nomine Aram, venit, est tractus vastissimus, qui à monte Tauro usque ad Damascum et Babyloniam, atque à mari Mediterraneo usque trans Tigridem in Assyriam protenditur. Diversæ autem partes diversis quoque nominibus insigniuntur.

I. Aram beth Rechob, Assyria, sensu strictissimo, parva provincia, seu peninsula Tigride et Zabo majori et minori cincta, quæ demùm septem aliis provinciis aucta fuit, et ætate Isaiæ et Achazi aliis occupationibus usque in Syriam et in Palæstinam progredientibus, in latissimum imperium assyriacum increvit. Ninive, metropolis, in littore orientali Tigridis, ferè ubi nunc in littore occidentali Mosul cernitur, sita erat; primùm ab Arbace et Belysi anno 877 ante Chr. vastata, sed rursùs restituta; demùm à Cyaxare I et Nabopolassare anno 625 ante Chr. eversa, et nunquàm restaurata fuit.

II. Aram Naharaim, Mesopotamia, nunc al-Gezira, seu insula nuncupata; nam instar insulæ ferè undique Euphrate et Tigride cincta est. Provinciæ singulares sunt: 1° campi Mesopotamiæ, et 2° tractus Nesibenus.

III. Aram sine epitheto, est Syria, nunc al-Scham, seu *regio sinistra,* dicta, quia facie in orientem converso Arabi, ad sinistram, id est, ad septentrionem sita est. Celeberrimæ ruderibus adhucdùm insignes urbes sunt Baalbek vel Baal-Gad, seu Heliopolis; et Thadmor, seu Palmyra; porrò חלביו, nunc Haleb seu Aleppo, et Antiochia. Districtus singulares erant: 1. Regnum Damascenum. 2. Regnum Maacha, 3. Regnum Tob, 4. Regnum Hamath, et 5. Regnum Geschur, ad Orontem fluvium.

Orientales (1) cœli regiones ad corporis situm definituri, vertunt faciem ad ortum solis; quare vocant ortum non modò מזרח, sed etiam quod coram facie est, על פני, septentrionem non solùm צפונ, sed etiam שמאל, occidentem non tantùm ערב, sed etiam posterius, אחרונ, אחונ, et mare, ים, quia mare Mediterraneum hanc plagam occupat; denique austrum non modò נגב et דרום, sed etiam dexteram, תימנ, ימינ dicunt.

§ 6. *Phœnice.* — Pars Syriæ et Palæstinæ ad littora maris Mediterranei, à fluvio Eleuthero, qui inter Orthosiam et Tripolim, 34° 26′ lat., in mare se exonerat, usque ad Achzibam seu Ecdippam, 32° 50′ lat., vel, ut quibusdam placet, usque ad ostium fluvii Beli ad Acco seu Ptolemaidem, Phœnice est regio, parva quidem, imprimis curta, sed à commerciis et artibus celeberrima et ditissima. Urbes erant

(1) Confer Comment. in Genes. cap. 10.

(1) Quod de Syr. Arab. et Mahum. intellige. Alii aliter cœli regiones definiunt.

celebres, Sidon, et Tyrus, quæ Sidone quidem recentior, sed demùm celebrior erat, à Nabucadnezare vastata, dein in adjacente insulâ restituta; rursùs ab Alexandro Magno eversa, et denuò restaurata, antiquam celebritatem non recuperavit.

§ 7. *Media.* — Media, sub 32 — 40° lat., contermina est ad occasum Assyriæ et Armeniæ, ad septentrionem mari Caspio, ad ortum Hyrcaniæ et Parthiæ, atque ad austrum Persiæ. Metropolis erat Ecbatana, nunc Hamdan dicta.

§ 8. *Persia, Suziana, Elymais.* — Persia, est ille tractus, qui à mediâ usque ad mare Persicum, à gradu lat. 34 ad 27 protenditur, atque Susianam et Elymaidem comprehendit; arctiori verò sensu ad occasum habebat Susianam, et ad ortum Caramaniam. Susiana, cujus metropolis Susan erat, Persiam inter et Babyloniam media, ad austrum sinui Persico contermina est, et nunc Chuzistan dicitur. Elymais, in libris antiquioribus pro universâ Persiâ venit, strictiori verò sensu, est districtus, qui Susianæ ad septentrionem, et Babyloniæ ad ortum septentrionalem situs erat, conterminus aliunde Mediæ; limites accurate definiri nequeunt.

§ 9. *Babylonia, Chaldæa.* — Babylonia, à metropoli celeberrimâ Babylone, denominata, sensu latiori, ad septentrionem terminabatur Armeniâ, et hâc extensione olim dicebatur Sinar seu Singar; strictiori autem sensu, ad septentrionem confinis erat Mesopotamiæ, ad occasum Arabiæ Desertæ et ad austrum sinui Persico. Pars aliqua australis in occidentali littore Euphratis, à regibus Assyriæ, quibusdam tribubus Chaldæis concessa, inde Chaldæa dicta fuit; propriè autem sic dicta Chaldæa non erat ad littora ponti Euxini orientalia in austrum vergentia, ut Michaelis existimavit, sed pars Armeniæ orientalis et meridionalis, ut Xenophon Cyrop. 2, 3, et Expedit. Cyri 4, 5, docet.

§ 10. *Arabia.* — Arabia incolis Palæstinæ dicebatur regio orientalis, Ἀνατολή, Babyloniis verò occidentalis, Ἀραβία. Hinc Arabes jam orientales, jam occidentales dicebantur, 2 Paral. 9, 14. Jer. 3, 2, et ipsi quoque se utroque nomine compellabant, et adhucdùm compellant, ita tamen, ut campestres seu scenitæ se dicant collectivè ערב, incolæ autem urbium ערב, conf. Jer. 25, 24. Divisio in Felicem, Petræam et Desertam Arabiam, à Megasthene et Ptolemæo usurpata, orientalibus ignota est, et in Bibliis non observatur.

Arabia Felix dicitur peninsula, sinu Arabico (qui recentioribus mare Rubrum dicitur), oceano meridionali (qui olim in hâc plagâ mare Rubrum nuncupabatur), et sinu Persico cincta, ut linea, ab extremitate sinûs Persici, ad portum Ælan seu Aila, in orientali extremitate sinûs Arabici situm, ducta, claudatur. Pars verò illa, quæ ad ortum cingitur Arabiâ desertâ, et ad austrum sinu Arabico (qui hâc in parte duo brachia in septentrionem extendit), ad occasum autem Ægypto et mari Mediterraneo, et ad septentrionem Palæstinâ circumdata est, ab urbe Petrâ, סלע, dicitur Arabia Petræa. — Idumæa, etiam Seir dicta, pars est septentrionalis Arabiæ Petrææ in orientem vergens. — Illa denique pars, quæ ad austrum Arabiæ Felici, ad ortum Babyloniæ et Euphrati, ad septentrionem Euphrati et Syriæ, atque ad occasum Gileatidi confinis est, audit Arabia deserta. Magni sunt in his regionibus, præsertim in Arabiâ Desertâ et Petræâ, tractus volubilibus arenis contecti, qui nomadibus pascua præbent.

§ 11. *Ægyptus.* — Ægyptus, ferè sub 31° 37' ad 23° 45' lat., ab ortu terminatur Arabiâ Petræâ et sinu Arabico, ab austro Æthiopiâ seu potiùs Nubiâ, ab occasu desertis Africæ seu Libyæ, et à septentrione mari Mediterraneo. Divisa fuit in duas, nonnunquàm etiam in tres partes, nempe inferiorem (septentrionalem), quæ Delta dicitur, et superiorem (meridionalem), quæ arabicè *Zaid*, græcè Θηβαΐς, et hebraicè פתרום nuncupatur, nisi hoc nomine Phatros, solus veniat nomus Phaturites. Pars inferior Ægypti superioris tanquàm tertia, seu media, nonnunquàm heptanomis dicta fuit, quia septem districtibus constabat. Nilus celeberrimus, qui ferè constanter nomine יאר venit, secat regionem in duas partes, et omni anno, mensibus augusto et septembri, vallem mundat, limoque suo nigro fœcundat, atque demùm in mare Mediterraneum se exonerat, olim quidem septem ostiis, quorum hodiedùm duo duntaxat majora supersunt. Urbes celebriores sunt Thebæ, seu Diospolis magna, metropolis Ægypti superioris, jam ab Homero à 100 portis laudata, et adhucdùm à ruderibus percelebris; Memphis, ferè in confinio Ægypti inferioris et superioris, ad littora Nili occidentalia; Tanis, quæ nunc in insulâ lacûs Tennis seu Mensale superest; atque Alexandria, ab Alexandro in littore maris Mediterranei ad limites occidentales Ægypti ædificata, portu insignis.

§ 12. *Terra Gessen seu regio Goschen et torrens Ægypti.* — Regio Goschen, in Vulgatâ Gessen, dicitur, Gen. 47, 6, 11, regio pascuosa; igitur nequaquàm erat pars culta Ægypti. Ex 1 Paral. 7, 21, seq. liquet, hunc terræ tractum eò usque procurrisse, ut non procul ab urbe Gazâ terminaretur; itaque orientalis erat pars Ægypti inferioris, quæ ad littora maris Mediterranei in Arabiam Petræam protendebatur; quare interpres Alexandrinus, geographiæ hujus regionis optimè gnarus, vertit Gen. 45, 10, Γεσεν Αραβιας. Ex his efficitur, regionem Goschen esse illum tractum, ferè triangularem, qui lineâ ab Heroopoli ad torrentem Ægypti ductâ, mari Mediterraneo et Pelusiaco Nili brachio clauditur.

Ubi autem quærendus sit commemoratus modò torrens Ægypti, qui in Bibliis sæpè recurrit, adhuc sub judice lis est. Verosimillimum tamen est, esse torrentem, qui ad Rhinocoluram, nunc al-Arisch dictam, tempore hyemis mare influit; nam interpres Alexandrinus vertit Ρινοκολουρα; et Epiphanius, harum regionum non minùs ac interpres Alexandrinus, gnarus, testatur Hær. 66, p. 703, Rhinocoluram ab incolis nuncupatam fuisse νεελ, quod est ipsum נחל, aliis vocalibus prolatum, atque peregrinator Helferich Reisbuch Frankf. 1573 p. 385, scribit, venisse se 1565 ad al-Arisch in regionem, quæ dicebatur Nechile, quod rursùs est ipsum נחל paulò inflexum. Cf. Brochard in Reisebuch Frankfurt S. 466 et Wansleb. in der Sammlung der Reisen von Paulus III, 164. Peregrinatores ibidem non invenisse torrentem, ratio non est alia, quàm quòd non advenerunt eâ hyemis parte, quâ vallis seu torrens aquâ non caret.

Quantùm utilitatis habeat Palæstinæ notitia geographica ad S. Scripturam intelligendam, docet S. Hieronymus, in epistolâ ad Domnionem et Rogatian. : « Quomodò Græcorum historias magis intelligunt, qui Athenas viderint, et tertium Virgilii librum, qui à Troade per Leucatem et Acroceraunia ad Siciliam, et inde ad ostia Tiberis navigaverint; ità sanctam Scripturam lucidiùs intuebitur, qui Judæam oculis contemplatus sit, et antiquarum urbium memorias, locorumque vel eadem vocabula, vel mutata cognoverit. Unde et nobis curæ fuit cum eruditissimis viris hunc laborem subire; ut circumiremus provinciam, quam universæ Christi Ecclesiæ sonant. »

§ 13. *Limites regionis Hebræorum.*—Chanaan, regio Abrahamo et posteris ejus à Deo promissa, et primitùs partim à Chananaeis, posteris Chanaan filii Cham, partim ab Abrahamo, Isaaco et Jacobo occupata, fluvio quidem Jordane et mari Mortuo, Arabiâ Petræâ, mari Mediterraneo atque Syriâ cingitur; ast promissiones simul ea respiciebant, quæ Hebræi, quondàm ad arma provocati, in potestatem suam redacturi essent. Ita mox in principio, ut in regionem, quam patriarchæ occupaverant, penetrare possent, reges Gileaditis, qui arma arripuerant, expugnârunt, atque tractum trans Jordanem à fluvio Arnone usque ad radices montis Hermon seu Antilibani, jure belli occupârunt, Num. 21, 21, seq., et sequentibus seculis alias porrò vicinas regiones in ditionem suam redegerunt. Hâc extensione limites definiuntur Gen. 15, 18, 21. Num. 34, 1, 2. Deut. 11, 24. Jos. 1, 4, 11, 16, 17, 13, 1, 7, 15, 33.

Ad austrum ab extremitate maris mortui limites diversis anfractibus procurrebant penès Idumæam et Arabiam Petræam ad torrentem Ægypti, ut pascua Arabiæ Petrææ, et imprimis illius deserti, quod per Arabiam Petræam et Desertam usque ad sinum Persicum, et penès Euphratem in septentrionem protenditur, manerent libera; limites enim in his eremis præfiniri non poterant. Ne verò quidpiam ultra torrentem Ægypti occuparetur, singulari lege cautum fuit, Deut. 17, 16. Post victricia Davidis arma, Idumæa quoque tota usque ad sinum Elaniticum, Hebræis paruit. Extrema ex hâc cœli regione urbs commemorari solet Beerscheba.

Ad occasum, à torrente Ægypti usque ad urbem Acco seu Ptolemaidem, vel potiùs usque Achzibam seu Ecdippam, Jos. 19, 28, 29, mare quidem Mediterranæum, præfinitus fuit terminus, Philistæi tamen in littoribus australibus persistebant, à Davide demùm quidem victi, deinceps autem denuò sæpius jugum excusserunt. Ab Achzibâ limites vertebantur in terram continentem, et penès Phœnicen, 17 millaribus germanicis in septentrionem, usque ad 34° lat. procurrebant, ubi Aphecâ, inter Biblum seu Gible et Baal-Gad seu Baalbek, sita erat. Phœnice itaque limitibus Hebræorum exclusa fuit, Jos. 13, 2, 6. conf. Num. 3, 6, et Jos. 19, 24, 31.

Limites septentrionales ab Aphecâ multis et magnis anfractibus procurrebant in orientem, attingebant in Cœlesyriâ fines regni Hamath et comprehendebant quoque urbem Baal-Gad sub 34° lat., in cujus confinio sita fuisse videtur

illa urbs Dan, quæ sæpiùs extrema in septentrione, allegatur. Inde limites ita vergebant in austrum versùs orientem usque in Arabiam desertam, ut regnum Damascenum excluderetur, quod totum cum urbibus quoque Betach et Bairuth, demùm à Davide armis occupatum fuit, sub successoribus verò rursùs libertatem suam vindicavit, et regno Israel multa incommodo creabat.

In orientali plagâ limes quidem statutus erat Euphrates, Deut. 11, 24, neque tamen in desertis illis accuratè definiri poterat. Montes Gilead, sub Mose occupati, procurrunt usque ad desertum, quod littus Euphratis ambit, et pascua præbebat Rubenitis et Gaditis, 1 Paral. 5, 9, 16. Magnum tractum armis subegerunt tribus trans Jordanem sub Saulo, 1 Paral. 5, 19. Ammonitæ tenebant tractum trans Arnonem in oriente; atque Moabitæ habitabant regionem trans Arnonem in meridie, ut Arnon fluvius esset limes, qui Hebræos ex orientali plagâ dirimeret ab Ammonitis, et ex australi plagâ à Moabitis, donec David hos populos subegisset, et limites in septentrionem quoque usque ad 35° 15' lat. extendisset, urbi urbs Thipsach, seu Tapsacus, sita erat.

Ex his liquet regnum Davidis et Salomonis fuisse vastissimum; à gradu enim lat. 28 usque ultra gradum 35^{tum}, et à gradu longit. 52 usque ad gradum 59^{num} porrigebatur.

§ 14. *Facies regionis. Montes.* — Canaan est regio Montosa. Duo montium juga, alterum cis, et alterum trans Jordanem, procurrunt ex Syriâ usque in Arabiam, quæ passim jam majori, jam minori planitie interrupta sunt. Montes præcipui sunt: 1° Libanus, duobus montium jugis constans, quæ ferè parallela à 33° 12' lat. in septentrionem usque ad 34° 32' procurrunt, et mediam relinquunt, magnam vallem, quæ Cœlesyria, Κοιλησυρια, dicitur, Gen. 10, 23. Jos. 11, 17. Exsurgunt nempe hi montes ultra dimidium milliaris germ. ab antiquâ Tyro in septentrione, ubi fluvius Leontes, nunc Kasmie dictus (qui, inter ambos medius, ex Cœlesyriâ venit) mare ingreditur. Tractus occidentalis Græcis Libanus, et orientalis Antilibanus dicitur, quod discrimen nominum, Hebræi non observant; utrumque enim nomine Libani comprehendunt. Libanus ab ostio Leontis in septentrionem ita protenditur, ut paulisper vergat versùs orientem, et penès mare relinquat planitiem diversæ latitudinis; duo enim duntaxat promontoria in mare excurrunt, alterum ad ostium Lyci, qui nunc Nahr el-khalb dicitur, sub 33° 50'; et alterum sub 34° 16' Θεου προσωπον dictum. In his montanis erant cedri, quarum adhucdùm 20, 40, vel potiùs, ut Aryda Maronita archipresbyter Tripolitanus, quondam Viennæ professor LL. OO., testatus est, 14 antiquissimæ et prægrandes, minores autem quam plurimæ super sunt. Antilibanus ab ostio Leontis primum quidem vergit in orientem tandem verò, Libano fere parallelus, in septentrionem procurrit; multò altior est est Libano, in vertice perpetuis nivibus tectus, Jer. 18, 14; ast in Libani quoque rimis et fissuris altioribus septentrioni obversis, nives tempore æstatis non deficiunt, quæ in urbes vicinas ad refrigerandum potum deportantur, Prov. 25, 13. Antilibani vertex altissimus, Hebræis dicebatur Hermon, Sidoniis Sirjon, et Amorrhæis Senir; Deut. 3, 9; ast recentiori ætate tria hæc nomina tribus diversis verticibus tribuebantur 1 Paral. 5, 23. Pars Damascum respiciens dicebatur Amana, unde torrentes, vel potiùs duo torrentis brachia, Amana et Pharphar descendunt, 2 Reg. 5, 12. Antilibanus alit abietes et pinos. Altitudo montium ferè est 1500 vel 1600 orgiarum, et spectaculum præbet grande et magnificum, unde plures tropi deprompti sunt, Isa. 10, 34, 29, 17, 35, 2.

2° Carmelus, jugum montium, quod tribus fere milliaribus germ. ab austro Ptolemaidis, ubi mare sinum facit, exsurgit, et versùs meridiem protenditur milliaribus germ. duobus et dimidio. Latitudo in septentrione est duorum et dimidii, in meridie verò quinque milliarium germ.; ambitus ferè est 8, vel ut d'Arvieux contendit, 13 milliarum germ. Montes in septentrione et oriente altiores sunt quàm in meridie et occidente, et in septentrione quoque in mare excurrunt; versùs meridiem verò recedunt, et littus planum in formam dimidii circuli relinquunt. Horum montium et vallium indolem, ipsum nomen indicat; nam כרמל ex כרם אל contractum, est hortus Dei, seu regio peramœna. Vertices montium quercubus et abietibus, valles verò olivis et lauris consitæ sunt, nec ullibi desunt fontes et rivi orientalibus gratissimi. Quare plures à Carmelo deprompti occurrunt tropi Isa. 29, 17, 32, 15, 35, 2. Mich. 7, 14. Jerem. 48, 38. Notatu dignæ quoque sunt specus quàm plurimæ, quarum saltem multæ jam olim aderant, atque semitæ per continuos anfractus ductæ, ut quivis facilè in ipsis se abscondere, ibique latere possit à nemine reperiendus Amos 9, 3, 2 Reg. 2, 25, 4, 25. Alius mons Carmelus cum urbe co-

gnomine erat in tribu Juda, 1 Sam. 25, 5, 27, 3; 2 Sam. 3, 2.

3° Thabor, Ιτταβυριον, mons singularis, figurâ ab austro in septentrionem ovali, semitertio milliari germanico à Carmelo ad ortum, et ferè duobus milliaribus germanicis à Jordane ad occasum, ad latus septentrionale planitiei Iizreel seu Ezdrelom, in altitudinem 30 stadiorum elevatur, ambitu ad radicem, trium horarum. In vertice est planities ovalis, cujus peripheria 26 stadia complectitur, in quo quondàm fuit urbs, et hæc non videtur esse diversa ab urbe Thabor in tribu Zebulon, quæ 1 Paral. 6, 62 vel 77 commemoratur, et Jos. 21, 52, simpliciter urbs, seu Karthan dicitur. Alia autem prorsùs est Terebinthus Thabor, quæ dimidio milliario germ. Jerosolymis distabat, 1 Sam. 10, 3.

4° Montes Israel, etiam montes Ephraim dicti, ferè meditullium totius regionis occupabant, et opponebantur montibus Judæ. In utrisque est uber solum, exceptis illis montium Israel jugis, quæ regionem Jordanis respiciunt, et illis, quæ à monte Olivarum usque ad planitiem Jerichuntinam protenduntur; hæc enim sunt aspera et salebrosa, et postrema perpetuò latronibus latibula præbebant, Jos. 16, 18, 18, 17. Luc. 10, 30. Altissimus vertex hujus ultimi jugi montium est, qui nunc quidem Quarantania dicitur, olim autem saxum Rimmon dictus fuisse videtur, Jud. 20, 45, 47. Montes Ebal et Garizim, solâ valle divisi, ille ad aquilonem, hic ad austrum Sichemi, ex Deut. 27 et Jos. 8, 30, 35, celebres sunt. In montibus Judæ specus sunt permultæ et partim permagnæ, quarum celeberrima est Adullam, 1 Sam. 22, 1, 2; conf. quoque Gen. 23, 9, 19. Jos. 10, 16; erat autem et urbs hujus nominis, Jos. 15, 35.

5° Trans Jordanem sunt montes Gilead, qui ab Antilibano, seu à vertice Hermon usque in Arabiam Petræam procurrunt. Pars septentrionalis Baschan nuncupatur, et à quercubus et pascuis celebris erat: media pars, Gilead arctiori sensu dicebatur; in Australi verò parte erant montes Abarim; inter hos, è regione Jerichunti, eminebat mons Pheor seu Phegor, et vertex Nebo, è quo universa regio Canaan conspicitur, Deut. 3, 27, 32, 48, 50, 34, 1, 2.

§ 15. *Planities.*—Planities celebriores sunt.

I. Littus maris Mediterranei, à torrente Ægypti usque ad Carmelum. Tractus à Gazâ usque ad Joppen, dicitur simpliciter *planities*, in quâ erant quinque urbes principes Philistæorum, Gaza, Ascalon, Azotus, Gath, et Ekron vel Accaron. Tractus à Joppe usque ad Carmelum, dictus fuit Scharon vel Saron, quibusdam collibus distinctus, à quo distinguendus locus Scharon, Thaborem inter et lacum Gennesareth, et tertius locus Scharon in tribu Gad trans Jordanem, à pascuis celebris.

II. Planities Iizreel, Εζδρηλομ, μεγα πεδιον, à montibus Carmeli et mari Mediterraneo usque ad Jordanem è lacu Gennesareth egredientem, per mediam Palæstinam procurrit; longitudo est inter 5 et 6, latitudo verò inter 2 et 3 milliaria germanica. Pars orientalis, ut mox dictum fuit, Scharon, occidentalis verò planities Megiddo dicebatur. Conf. Jud. 4, 1, seqq. 6, 33, 7, 18; 1 Sam. 29, 1, 11, seqq.; Reg. 23, 29; 2 Paral. 35, 22; 1 Macab. 12, 49.

III. Regio; seu districtus Jordanis, sunt littora utraque Jordanis à lacu Gennesareth usque ad mare Mortuum; latitudo ab occasu in orientem ferè est 3 milliarium germ., longitudo ab aquilone in austrum, à Josepho de bell. Jud. L. IV, c. 8 § 2, juxta meliorem lectionem, dicitur esse 1200 stad. seu 30 mill. germanicorum. Hujus regionis pars erat, 1. planities Jerichuntina, fonte rigata et fœcundata, in longitudinem 70, et in latitudinem 20 stadiorum; — 2. vallis Salinarum ad mare Mortuum, 2 Reg. 14, 7; 1 Paral. 18, 3, 8, 12; 2 Paral, 25, 11; — 3. trans Jordanem campestria Moab, in quibus castrametati erant Hebræi, Num 23, 1, 26, 3; hæc sunt eadem, quæ Num. 25, 1, et Jos. 2, 1, 3, dicuntur Vallis Acaciarum.

Loca plana, seu potius valles, pluribus nominibus distinguuntur, quorum discrepantia jam accuratè discerni nequit; id modò constat נחל esse vallem, quæ habet hyeme torrentem; גיא גי גי autem vallem sine torrente; quâ ratione ab his עמק differat, ignotum est, nisi fortè sit vallis profundior, prout בקעה est vallis latior seu planities. Valles has omnes enumerare non vacat, memoratu præ cæteris digna est vallis Hinnom, ad mœnia Jerosolymæ meridionalia, tum quia tribum Juda à tribu Benjamin separabat, Jos. 18, 16, tum etiam quia in aliquâ ejus parte, Thopheth, 2 Reg. 23, 10 idolo Molok infantes concremabantur, 2 Reg. 16, 13, 21, 20; Jer. 7, 31.

§ 16. *Sylvæ.* — Sylvæ commemorantur Jos. 17, 15, 1 Sam. 14, 25. Ps. 29, 9: 50, 10; 83, 15, 16; 96, 12. *Isa.* 10, 34, 29, 17, 32, 15. Mich. 7, 14. Jer. 21, 14. Ezech. 20, 46, 47. Loca hæc copiosa docent, minimè fuisse necessarium, ut Hebræi, sicut moderni regionis incolæ, excrementis pecudum ad ignem uterentur, quod

ipsum ex Ezech. 4, 15, luculenter liquet. Conf. Deut. 29, 10, 11. Prov. 26, 21. Isa. 27, 11. 44, 12, 54, 16. Jer. 7, 16, 19. Sylvæ quæ in Bibliis laudantur, sunt : I. Sylva Cedrorum in monte Libano, conf. supra § 14, 1° et 1 Reg. 7, 2. 2 Reg. 19, 23. Hos. 14, 6, 8. II. Sylva abietum et pinuum in Antilibano, qui à Davide occupatus fuit, 2 Sam. 8, 5, 6. 1 Paral. 18, 4. III. Sylva quercuum in montibus Baschan, Zach. 11, 2. IV. Sylva Ephraim; quam Ephraimitæ quidem exscindere cœperunt, Jos 17, 15, superfuit tamen adhucdùm ætate Davidis, 2 Sam. 18, 6, 8, 17. 1 Paral. 18, 4. Pars ejus fuisse videtur illa sylva ad urbem Bethel. quæ 2 Reg. 2, 24 memoratur. V. Sylva in finibus tribus Benjamin et Juda, ad urbem Baala, quæ inde etiam urbs Sylvarum dicta fuit, Jos. 15, 9, 10. 60. Jes. 26, 10. Esdr. 2, 15, Neh. 7, 29. VI. Sylva Chareth et sylva Chorscha, admodùm ampla, in tribu Juda, 1 Sam. 22, 5, 23, 14, 16. VII. Fruticeta, quibus littora lacus Merom et Jordanis ubique obsita sunt, nomine celsitudo Jordanis, celebria, Zach. 11, 3. Jerem. 12, 5, 49, 19, 50. 44. VIII. Sylva Joardes trans Jordanem, à Josepho Fl. de Bell. Jud. L. VII, c. § 5, commemorata, à Romanis excisa. IX. Nec omittendæ sunt sylvæ in verticibus Carmeli et in declivi montis Thabor.

Si nostrâ ætate sylvæ in Palæstinâ sunt rariores, cogitandum est, non modò plures saltus ab Hebræis ipsis excisos, sed etiam ab hostibus per tot seculorum decursum vastatos fuisse, ut mirandum minimè sit, si ligna nunc ignibus, usto sub illo climate non adeò frequentibus, non sufficiunt, et exsiccata jumentorum excrementa in alimentum ignis convertuntur.

§ 17. *Deserta.*—Deserta quæ in Bibliis memorantur, sunt tractus terrarum inculti duplicis generis; alii enim sunt montosi, aquis minimè carentes; alii autem plani, arenis sterilibus obducti, in quibus fontes sunt rarissimi, et hi ipsi paucissimi aquam propinant potabilem, quæ vix profluens à sitienti arenâ absorbetur. Germinant nihilominùs passim herbæ illiberales, quæ ovibus, capris et camelis parcum præbent pastum. Arenæ caloribus solis exustæ, et hinc levissimæ, ventorum turbinibus, non secùs ac maria, jactantur, jam hinc indè in montes accumulantur, qui alio orto turbine rursùs dissipantur, et in alium locum transferuntur. Olim in his eremis non deerant pauci hinc inde viculi et oppida Jos. 15, 61, 62. 1 Sam. 25, 19, 26, quæ jam ætate Hieronymi (Proleg. Comment. in Amos.) desiderabantur. Deserta montosa paulò melioris sunt indolis. Deserta in regione Hebræorum, à locis quibus confinia erant, sortita sunt nomina. Celeberrimum est magnum illud desertum, quod teste Hieronymo, Prolog. Comment in Amos., à Thecoâ urbe, quæ Bethlehemo versùs meridiem sex milliaribus gomanis (1 1/5 mill. Germ.) distabat, inchoat, et per Arabiam desertam usque ad sinum Persicum protenditur, et denique in littore Euphratis versùs septentrionem ultra urbem Bir procurrit. Hic amplissimus terrarum tractus in Bibliis dicitur desertum Judæ, quia in tribu Juda inchoat. Jos. 19, 34, Ps. 63, 1, seqq. 2 Paral. 20, 20. Matth. 3, 1. 14, 19, 1. Marc. 1, 4, 40, Joan. 10, 39. Desertum Engedi, est ad littus occidentale maris Mortui, et desertum conterminum Ziph.; utrumque montes habet præaltos et multas specus. Magis ad austrum est desertum Maon, desertum Carmel, cum oppido cognomine, 1 Reg. 15, 12, et desertum Thecoa, ad urbem cognominem, quæ sunt partes deserti Judæ. Desertum Jericho, sunt illa montium juga, quæ montem Olivarum ab urbe Jerichunte disterminant. Desertum Bethaven pars esse videtur montium Ephraim, qui teste Josepho Flavio, versùs regionem Jordanis glabri et asperi sunt, Jos. 18, 12.

§ 18. *Jordanes, lacus Meron et Gennesareth.* — Fluvius majorem aquarum molem vehens, est unicus Jordanes, qui, prout sub tetrarchâ Philippo detectum fuit, ex lacu Phialâ, ad radicem Antilibani oritur, et emensis primùm meatu subterraneo tribus milliaribus germanicis, ad Paneadem seu Cæsaream Philippi, cum ingenti strepitu è terrâ erumpit, Joseph de Bell. Jud. L. I, c. 21. § 3, L. III, c. 10, § 7. Tribus rursùs emensis milliaribus germanicis, aquis complet locum Merom seu Samochonitidem.

Lacus Merom tempore vernali, quo aqua est altissima, 60 stadia longus, et 30 stadia latus est, paludes verò usque Daphnen extenduntur, undè Jordanes minor egreditur, Joseph. ibid. L. IV, c. 1. § 1. Æstate verò non est nisi palus, et solùm ejus partim oryza conseritur, maximâ verò parte fruticetis contectum est, quæ feris latibula præbent, Joseph. Arch. L. XIII, c. 10. § 7.

E lacu Merom egressus Jordanes, rursùs tria milliaria germanica conficit, et ingreditur mare Gennesareth, quod etiam mare Galilææ et mare Tiberiadis dicitur. Hic lacus, 3 1/2 mill. germ. longus, et uno milliari latus, aquâ clarâ et

dulci repletus est, atque ingentem alit piscium copiam, Strabo p. 714. Littora ferè collibus et montibus frugiferis obsita sunt, ex quibus plures rivi descendunt.

E lacu Gennesareth Jordanes egreditur 150 usque 200 pedes latus, et 7 pedes altus, atque multis anfractibus percurrit planitiem quæ ab ipso hoc fluvio regio Jordanis denominatur. Ex plagâ occidentali quinque recipit non satis nota flumina, ex orientali vero plagâ influunt : 1. Jabbok. 2, Jæser, flumen ignotum ; 3. Krit, et 4, versùs austrum, torrens accaciarum, à valle cognominâ ità dictus.

Jordanes originem suam perpetuis Antilibani nivibus debet ; quare tempore messis, quæ altero aprilis dimidio incipit, liquefactis calore nivibus Antilibani, intumescit, rapidiùs fertur, et superiorem quoque alveum complet, ut omnibus littoribus plenus fluat, Jos. 3, 15, 4, 18 ; Jer. 49, 19, 1 Paral. 12, 14, 15; Sirach 24, 26. Nam fluvio alveus circa Jerichuntem, de quo loco loquimur, est duplex, alter inferior ordinarius, 35 ulnas vel 70 aut 80 pedes latus, in quo profundior decurrit per annum fluvius, 10 vel 12 pedes altus, ut à ripâ ad aquas 4 vel 5 pedes sint intermedii ; alter verò alveus superior pro diversitate locorum jam 200, jam 600 orgiis latus, qui initio æstatis, ut mox diximus aquis intumescentibus completur. Peregrinatores vel antè, vel post hoc tempus Jordanem inviserunt; quare de hoc quidem fluvii incremento nihil referunt, Mirike tamen Reiseb. p. 119, testatur, se deprehendisse littora seu alveum superiorem adhùc madentem et lubricum. Sunt tamen non pauci, qui censent, fluviorum excavâsse profundiorem alveum, ut jam nunc littora ordinaria nunquàm egrediatur.

§ 19. *Mare Mortuum.* — Jordanes aquas suas in mare Mortuum exonerat, quod aliàs mare orientale, et mare Siddim, atque mare planitiei, dicitur, Deut. 3, 17, quia occupat planitiem illam Siddim, in quà olim urbes Sodoma, Gomorrha, Adma, Zeboim et Zoar (Segor) sitæ erant, Gen. 18, 20, 19, 24, seqq. Joel. 2, 20. Zach. 14, 8. Quum Jordanes hoc loco, jam ante celebrem illam hujus planitiei subversionem, exoneraret ingentem vim aquarum, quæ, in rivos deductæ solùm fœcundabant ; lacum jam illo antiquiori ævo subterraneum adfuisse, necesse est, Conf. Gen, 14, 3 ; erat autem tectus crustâ terrestri, asphalto sustentata, quod, è fundo lacûs emergens, tot seculorum cursu aggregatum fuerat, prout et usque in hodiernum diem sæpè è fundo lacûs in superficiem aquarum emergit, et disruptum fœtentes vaporum nubes in aerem spargit, conf. Isa. 34, 9, 11. Sap. 10, 7, Juda 7 ; unde lacus nomen Asphaltites adeptus est. Id ità se habuisse liquet ex Gen. 14, 10, ubi memorantur multi in hâc planitie putei, per quos asphaltum seu bitumen ex subterraneis aquis penetraverat. Hoc demùm bitumen, fulminibus à Deo positivè immissis ob immane scelus incolarum Gen. 19, 24, incensum, conflagravit, ut terrestris cortex, sustentaculo spoliatus in occultatas sub eo aquas subsideret, et lacus conspicuus prodiret (1).

Lacus, ab aquilone in austrum 14 1/2, et ab occasu in ortum, in amplissimâ latitudine, 3 3/4 milliarium germanicorum esse dicitur ; flexio autem littoris videtur esse versùs occidentem concava. Aquæ pauco quidem alumine, tanto autem sale imprægnatæ sunt, quantùm aquæ capere possunt ; hinc descendit nomen maris Salsi. Gen. 14, 3. Num. 34, 12. Deut. 3, 17. Jos. 3, 17, 12, 3, 15, 2, 8, 18, 19. Ezech. 47, 8, 10. Quia verò eâdem de causâ aquæ hæ nihil vivum alunt, lacus dicitur quoque mare Mortuum. Quæcumque his aquis immerguntur, demùm extracta, salis crustâ obducuntur.

Littora montosa sunt, exceptâ occidentali plagâ in septentrione, ubi solum planum, sale imprægnatum, sterile, exustum et cineribus contectum est, unde mos, loca vastata sale conspergendi, explicandus esset, nisi æquè ex aliis vallibus Salinarum, quæ in oriente sunt permultæ explicari posset, Deut. 29, 22. Jud. 9, 45, Ps. 105. 4. In hâc planitie, crescit solanum melangenæ, quod etiam dicitur vitis Sodomæ, et fert mala Sodomæ, quæ botri venenati, et uvæ amaræ, dicuntur, pulchræ quidem exteriori formâ, interiùs verò corruptæ, et in cineres solutæ sunt, Deut. 32, 32. Prov. 15,

(1) Calmet, Dict. de la Bible, art. *Sodome :* « In amœno, et fertili agro urbes illæ (Sodoma, Gomorrha, etc.) vitæ terrestris paradisi specimen exhibebant ; dein verò terræ facies versa, nam fulmine cœlesti incensum scatens in regione bitumen exarsit. Igni aquæ fluminis succedentes inundârunt solum ; recedentibus subindè, mare Mortuum, seu lacus Sodomæ in loco sedit ; cui etiam lacus Asphaltidis ex bitumine, seu Asphalto ex aquis ebullienti nomen inditum est. » Dici potest mare Mortuum longè antè Sodomi subversionem extitisse, sed tunc quam plurimam amplitudinem accepisse, ut habet Robert. in Geographiâ sacrâ, et alii quos consule. Vid. etiam Comment. ad Genes, 19, 24.

19, Mich. 7, 4. Sap. 10, 7 (1). Vernali tempore, quo Jordanes majorem aquæ molem adfert, lacus intumescit; quare in littore foveæ excavantur, in quibus aquæ, decrescente lacu, stagnant, in vapores abeunt, et crustam salis relinquunt, quo sale universa regio utitur, Zeph. 2. 9. Ezech. 47, 11.

Qui alii in mare Mortuum se exonerant fluvii, sunt : I ex plagâ occidentali Kidron, Joan. 18, 1, qui in valle cognomine, Jerosolymam inter et montem Olivarum, oritur, nec aquas habet nisi hyeme; primùm quidem in austrum, deinceps verò versùs ortum per prærupta saxa deserti Engedi, in quo quibusdam montium rivis augetur, descendit in mare Mortuum; II in extremitate australi influit Saphia vel Saphria, fluvius haudquaquàm exiguus; III ex plagâ orientali, ferè in medio, ostium est torrentis Zered; et paulisper versus aquilonem; IV ostium torrentis Arnon, qui in vallibus montium Gilead, ex pluribus fontibus vel rivis oritur, primùm versùs austrum decurrit, deinde in occidentem vertitur, ut cum mari Mortuo, Jordane et Jabboko peninsulam formet. Alveus hujus fluvii non exigui, ab ortu Gaditas Rubenitasque ab Ammonitis atque ab austro Rubenitas à Moabitis dirimebat, ut supra diximus.

§ 20. *Alia flumina.* — Reliqui rivi et torrentes celebriores sunt : I. Belus, ab antiquissimâ inventione vitri celebris, et hinc vitri Schichor dictus est. Oritur in montibus tribus Ascher, et post cursum 250 passuum geometricorum, ad austrum Ptolemaidis mare influit.

II. Kischon ex aquilonaribus montis Thabor radicibus, quibuscum sic dicto parvo Hermon cohæret, ortus, in duo mox brachia dividitur; nam aquarum ex his montibus subsidentium pars minor fluit versùs ortum per vallem Iizreel in lacum Gennesareth; major autem pars decurrit per vallem Iizreel in occasum, et pluribus rivis aucta, penès Carmelum in mare effunditur, atque hoc fluvii brachium dicebatur aqua Megiddo, et olim tribum Issachar à tribu Zebulon disterminabat. III. Torrens Arundineti, hyeme duntaxat aquas fert, et suo cursu ab ortu in occasum olim tribum Ephraim à tribu Manasse dirimebat, Jos. 17, 8, 9. Ostium in mare Mediterraneum est ad austrum Cæsareæ. IV. Torrens Botri, ex montibus Juda ortus, et ad Ascalonem mare Mediterraneum intrans, idem esse videtur cum torrente Sorek, vel saltem ambæ valles, hyemalem rivum alentes, cohærent, Num. 13, 24. Jud. 16, 4, 21. V. Torrens Besor, qui ad Gazam mare influit, non videtur esse idem, qui Gen. 26, 18, et 1 Sam. 30, 9, 10, 21; vallem Gerar permeasse refertur, conf. Gen. 26, 17.

(1) Confer Châteaubriand, *Itinéraire*.

Observatu dignum est, נחל significare flumen vel torrentem; sive æstate fluat, sive deficiat; נהר autem fluvium magnum, et si cum articulo הנהר usurpetur, ferè Euphratem designare.

§ 21. *Tempestas Palæstinæ.* — Cœli status, seu tempestas Palæstinæ pro diversitate locorum quidem diversa, sub hoc tamen climate generatim non adeò mutabilis est, ut in nostris regionibus, sed multò magis sibi constat. Variationem ad sex anni orientalis partes, quæ jam Gen. 8, 22, occurrunt, et in linguâ adhucdùm arabicâ celebres sunt, narrabimus, conf. Golii Lex. Arab. p. 934.

Primâ anni parte, quæ Messis, dicitur, à dimidio aprilis usque ad dimidium Junii, cœlum serenum, aura mox altero aprilis dimidio calida, imò etiam fervida, in minoribus tamen vallibus et ad maris littora temperata, progressu autem præfervida et æstuosa est. Secundâ parte anni, quæ Tempus fructuum vel Æstus dicitur, à dimidio junii usque ad dimidium augusti, æstus adeò ingravescit, ut et noctes quoque sint calidæ, et incolæ sub dio dormiant. Tertia anni pars, à dimidio augusti usque ad dimidium octobris, dicitur Æstus, quia initio calor adhucdùm præfervidus est; sed progressu imminuitur.

A tempore messis seu medio aprili usque ad dimidium septembris, nec pluvia, neque tonitrua sunt, Prov. 26, 1, 1 Sam. 12, 17, Hieronymus in Amos 4, 7. Initio quidem messis, seu altero dimidio Aprilis cernitur nonnunquàm nubes matutina, quæ, sole horizontem altiùs ascendente, mox disparet, Hos. 6, 4. Mensibus verò maio, junio, julio et augusto neque nubecula conspicitur, et terra nonnisi rore humectatur, qui ideò passim symbolum est beneficii divini, Gen. 27, 28, 29, 49, 25. Deut. 32, 2, 33, 13. Job 29, 19. Mich. 5, 6. Ros verò, etsi copiosus, ingravescente æstu non alit nisi herbas robustiores; debiliores omnes, nisi vel rivis, vel arte, vel labore hominum rigentur, æstu exuruntur et emoriuntur, Ps. 32, 4. Si hoc tempore vel scintilla cadat in gramina hæc arida, incendium oritur ingens, inprimis si vepretes, virgulta aut sylvæ propinquæ sint, Ps. 83, 15. Isa. 9, 17, 10, 14. Jer. 21, 14; confer. Exod. 22, 5. Joel 1. 19; et Jer. 9, 9. Facies regionis squalida est; nam fontes quoque

et rivi exarescunt, et solum ipsum adeò indurescit, ut rimas agat. Id omne eò magis acceleratur, si Eurus aliquot diebus spiret, qui segetibus et vitibus noxius, atque navibus quoque maris Mediterranei exitiosus est, Hos. 13, 15, Job 14, 2, 15, 2. Gen. 41, 6, 23. Isa. 2, 6, 40, 7, 8, 24. Ezech. 17, 10, 19, 12, 27, 26. Jona 2, 8. Ps. 48, 8. 103, 15. Act. Ap. 27, 14. Dicitur verò orientalibus Eurus, קדים, omnis ventus, qui ex cœli regionibus, ortum inter et septemtrionem, atque ortum inter et meridiem spirat, uti Shaw Reisebuch S. 285 et seqq., et Prosper Alpinus de medicinâ Ægypt. mox ab init. testatur. Quæ verò in illo climate, aliquot horis ante occasum solis, spirat refrigerans aura, in Persiâ hucusque, prout Gen. 3, 7, dicitur ventus diei, Chardin Voy. T. IV, p. 8. Circa æquinoctium vernum denique pluviæ aliquot dierum ingruunt, quibus non modò aura temperatur, sed omnia quoque rursùs revirescunt.

Quartâ anni parte, quæ Sementis dicitur, nempe à dimidio octobris usque ad dimidium decembris, cœlum est varium, persæpe caliginosum, nebulosum, substillum, aut pluviosum, Mox altero octobris dimidio ingruit pluvia prima seu autumnalis, ad sementem necessaria. Aura adhucdùm persæpe calida, aut etiam fervida est; vergente autem tempore frigidior, et demùm versùs finem in montibus quoque nives cadunt. Rivi adhucdùm aquâ carent, et fluvii minùs altas vehunt aquas. Secundo novembris dimidio folia arborum defluunt, et versùs ejusdem mensis finem molliores cubilia calefaciunt, quod continuant usque ferè ad aprilem, Jer. 36, 22; alij totam hyemem absque calore ignis transigunt.

Quinta pars anni, à dimidio decembris usque ad dimidium februarii, constituit hyemem; nives quidem minimè raræ, exceptis tamen montibus, vix per diem durant, et glacies tenuis est, atque liquescit, quamprimùm sol altiùs horizontem scandit. Ast aquilo gelidus, et frigus, inprimis in montibus, qui nunc nivibus operti sunt, vehemens et quoque mortiferum est. Viæ sunt lubricæ et itinera molesta et periculosa, inprimis in semitis declivibus montium, Jer. 13, 16, 23, 12. Sirach. 43, 22. Matth. 24, 20. Aere verò tranquillo et sole è nubibus emicante, calor in vallibus et planitiebus est non rarò vehemens, ut Josephus de Bell. jud. L. III, c. 9, § 1, de planitie Cæsareæ ad mare testatur. Tonitrua, fulgura, grandines frequentes; et campi floribus obsiti sunt. Rivi aquis complentur, et fluvii accrescunt. Vergente januario et ingrediente februario segetes revirescunt, arbores foliis vestiuntur; amygdalus, prima arborum, circa dimidium februarii floret.

Sexta denique anni pars, à dimidio februarii usque ad dimidium aprilis, dicitur frigus, quia initio aura adhuc friget, sed progressu temporis calescit, atque etiam fervescit. Pluviæ continuant, sed minuuntur; fulmina verò, tonitrua et grandines multiplicantur; utraque autem versùs finem prorsùs desinunt. Ultima pluvia primo dimidio aprilis ingruit, et hinc serotina dicitur.

Pluvia prima seu autumnalis, et serotina seu vernalis, ad fœcunditatem agrorum prorsùs necessaria, atque summoperè exoptata erat, Lev. 26, 4. Deut. 8, 7, 11, 14, 17; Isa. 30, 23, Jerem. 3, 3, 5, 5, 24; Hos. 6, 3; Joel 2, 3; Zach. 10, 1; Ezech. 33, 26; Job 29, 23; Prov. 16, 15, 25, 14; Jac. 5, 7. Cæterùm pluvia quælibet in illis regionibus gelida est, Edr. 10, 9; Cant. 2, 11. et præviis exortis turbinibus, pulverem jactantibus, annuntiatur, qui ab Arabibus dicuntur bonæ nuntiæ, atque *missæ* seu *nuntiæ* Koran 7, 55, 77, 1, 3, ab Hebræis verò nonnunquàm *verbum* vel *sermo Dei*, aut *mandatum Dei*, vocantur Ps. 147, 15, 18. Inprimis favonius et aquilo indicant secuturam pluviam, 1 Reg. 18, 42, 45. Prov. 25, 23; alioquin si vespere cœlum rubebat, dies crastinus serenus, si autem mane rubebat, pluvia exspectabatur, Matth. 16, 2.

§ 22. *Ubertas soli.* — Ubertas soli, à Mose celebrata, testimoniis omnium, qui regionem inviserunt, comprobatur. Tractus, qui observati sunt inculti et deserti, uberrimis quoque regionibus non desunt, quin laus fœcunditatis imminuatur. Si verò nostrâ ætate plura offenduntur Palæstinæ loca inculta, cogitandum est, id ipsum à Mose Deut. 29, 22. seqq. fuisse prædictum, et regionem ab Assyriis, Chaldæis, Syris, Romanis, Saracenis, Turcis, etc., fuisse vastatam, et nostrâ ætate sub ditione gemere Turcarum, qui agricolas non modò ad industriam non excitant, sed ipsi quoque exsugunt, atque etiam ab incursionibus Arabum minimè tuentur, et nihilominùs peregrinatores testantur unanimes, terram, ubi cultores non desunt, esse fertilissimam. Arbores frugiferas et fruges terræ omnis generis alit, nec vites desunt, etsi Mohammedani vino abstinent. Jumentorum, ferarum aviumque tanta est copia, ut nihil desideretur. Josephus, de Bell. jud. L. III, c. 3, § 3, Peræam, quæ hodiè deserta est, à vineis

et palmetis laudat; et L. III, c. 10, § 8, VI, L. c. 8, § 3, inprimis regionem ad lacum Gennesareth, et planitiem Jerichuntinam celebrat, quæ nostrâ ætate incolis orbata et deserta est; denique testatur Josephus, in Galilæâ fuisse 204 urbes et oppida, et majores quidem urbes 150,000, minima verò oppida 15,000 incolarum habuisse. Quare et ipse Josephus in hâc exiguâ provinciâ, quæ vix 8 vel 9 mill. longa, et 6 mill. german. lata est, exercitum ferè 100,000 coegit, Joseph. de B. J. L. II, c. 20, § 6. Tot homines, exiguo hoc terræ spatio coarctati, ut necessaria sibi compararent, artes colere et commercia tractare debebant, quo casu etiam litteræ et scientiæ minimè negliguntur, atque hinc liquet, Jesum edidisse miracula sua in regione, in quâ dijudicari poterant. Vilipensio Galileæ, Joan. 7, 52, ad id unum spectat, Prophetam seu Messiam nequaquàm ex hâc regione oriturum.

Fodinas in regione Canaan fuisse, innuitur Deut. 8, 9, ast ab Hebræis cultas fuisse, non legimus. Auctor libri Job describit quidem c. 28 fodinas, sed non agit de regione Canaan; alibi verò generalis modò mentio fodinarum occurrit, Ps. 95, 4. Isa. 51, 1. Posterioris ævi fodinas ad Sareptam, urbem Phœniciam, novimus. Metallurgia autem Hebræis apprimè cognita erat; nam occurrit, fornax ferri, Deut. 4, 20. 1 Reg. 8, 51. Jer. 11, 4, catinus ad separandam scoriam argenti, Ezech. 22, 18, 22, catinus auri, Prov. 17, 3, 27, 21, atque scoria quæ quidem duplicis est generis, altera concreta cum ære ex fodinâ eruto, quæ igni eliquata, operibus figulinis encausto pingendis adhibetur, Prov. 26, 23, ; altera est metallum ignobile, quod auro argentove ab artifice commixtum fuit, et per ignem rursùs eliquatur, Ps. 119, 119. Prov. 25, 4. Isa. 1, 22, 25. Ezech. 22, 18, 19. Cinis clavellatus, qui ex salicorniâ et quibusdam speciebus salsolæ conficiebatur, et ad eliquationem auri et argenti à scoriâ, atque etiam ad lotionem et purgationem vestium adhibitus fuit, notissimus erat, Malach. 3, 2. Jer. 2, 22.

§ 23. *Calamitates regionis.* — Regio hæc, utcumque prospera, pluribus tamen calamitatibus vexatur. I. Sæpè peste affligitur, quæ ex Ægypto et aliis regionibus immigrat; quare in Bibliis persæpè memoratur.

II. Regio, quia montosa et mari propinqua est, sæpè terræ motibus concutitur et vastatur, à quibus verò, testante Abdollatifo, Ægypti Descript. S. 333 ff., Jerosolyma vix unquàm detrimentum capit. conf. Ps. 46, 3. seqq. Hæ terribiles concussiones, plures prophetis et poetis tropos suppeditârunt, quibus rerum conversiones designantur, Ps. 60, 4. Isa. 29, 7, 54, 10. Jer. 4, 24. Hagg. 2, 6. 22.

III. Quintâ et sextâ anni parte, id verò est, tempore hyemis, sunt tonitrua, fulgura, grandines, cataractæ nubium, inundationes et ecnephiæ. Isa. 11, 15, quas Plinius hist. nat. II, 49, describit, et Shav. Reiseb. S. 289, in Carmelo contingere testatur. Ab his phænomenis prophetæ et poetæ tropos quàm plurimos mutuati sunt, Ps. 18, 8, 15, 29, 1, 10. 42, 8, 55, 9, 83, 16. Isa. 30. 8, 7, 8, 11, 15, 28, 3, 29, 6, 24, 8. Jer. 23, 19. 33, 23, 48, 15. Ezech. 1, 2, seq.

IV. Regionem non rarò vastant agmina locustarum migrantium, quæ ab orientalibus dicuntur exercitus Dei, et reâpse ferè ordinem exercitûs observant; vespere enim se demittunt, et quasi castra metantur; mane verò, sole altiùs ascendente, nisi pabulum invenerint, rursùs in aerem elevatæ, quo ventus fert, avolant, Prov. 30, 27, Nah. 3, 16, 17. Agmina sunt ingentia, Jer. 46, 47, et spatium occupant 2 vel 3 mill germ. longum; et 1 vel 1 1/2 mill. latum, atque in altum quoque adeò profunda sunt, ut solem contegant, et terræ caliginem inducant, Joel 2, 2, 10. Exod. 10 15. Concussione alarum insignem quoque strepitum edunt, Joel 2, 2. Subsidentes magnum terræ tractum altitudine cubiti contegunt, Joel 1, 5, 2, 11. Jud. 6, 5, 7, 12. Exod. 10, 15. Si aura frigida aut humida est, aut si rore matutino madefactæ sunt, vix moventur, donec sole siccatæ et calefactæ fuerint, Nah. 3,17. Repunt deinceps bono ordine, et ferè lineâ rectâ in septentrionem tendunt, nec impedimentis quibuscumque cedunt; foveas enim effossas corpusculis suis complent, ignem excitatum multitudine suâ exstinguunt, mœnia et muros supergrediuntur, et per januas fenestrasque domûs intrant, Joel 2, 7, 9. Omne viride devorant, ipsos quoque arborum ramos decorticant, imò inhærentes pondere suo ipsos frangunt, Exod, 10, 12, 15. Joel 1, 4, 7, 10, 12, 16, 18, 20, 2, 5. Vorando strepitum non levem excitant, Jer. 51, 14. Summa mali est, si discedente hoc agmine, veniat secundum, tertium et quartum, quod consumit reliquias, ut regio quasi exusta appareat. Postquàm omnia absumpserunt, cum vento avolant, et non solùm excrementa fœtentia, sed sua quoque ova,

terræ infossa, relinquunt, è quibus sequenti vere nova mali progenies multò copiosior exoritur. Feruntur denique etiam super maria, quo elemento, ipsis ignoto, dùm sese, ut in terram continentem, demittunt, suffocantur, et fluctibus ad littora appulsæ, et demùm putrescentes, fœtore suo hominibus etiam mortuæ molestiam creant, Exod. 10, 13, 20. Joel 2, 20. Hæ migrantes locustæ nostris majores sunt, ferè tres aut quatuor pollices longæ, et crassitudine facilè digitum hominis æquant. Forma, inprimis capitis, ferè equo similis est, ut alæ faciant quasi tegumentum dorsi; hinc sæpè equis comparantur. Aliæ sunt formæ humanæ similiores, ut longa tentacula sint quasi cæsaries fœminea, Apoc. 9, 7. Dentes sunt acuti, et hinc dentibus leonum comparantur, Joel 1, 5, 2, 4. Species sunt diversæ, in Bibliis 8 vel 9 earum nomina occurrunt.

V. Vastationem locustarum, atque defectum pluviæ autumnalis et serotinæ sequitur charitas annonæ, aut fames, quæ etiam aliàs in urbibus ab hoste obsessis, non raro adeò invaluit, ut non modò animalia immunda, sed etiam carnes humanæ in cibum converterentur, Deut. 28, 22, 49. 2 Sam. 21. 2 Reg. 6, 25, 28. 25, 3. Jer. 1, 12, 14, 15, 19, 8. 42, 17. Lament. 2, 2, 19, 20. Ezech. 5, 10, 16, 6, 12, 7, 15, 16, 17. Amos 4, 9. Joel 1, 3. 1 Machab. 9, 27.

VI. Malum præ cæteris terribile, est ventus qui ab Arabibus dicitur Samum, à Turcis *Samyel*, et ab Hebræis זלעפה Ps. 11, 6, 117, 53, רוח צח Jer. 4, 11. רוח בער Isa. 4, 4., et שערת קתב Isa. 27, 8. 28, 2. Spirat in Persiâ, Babyloniâ, Arabiâ, et in desertis Ægypti, mensibus Junio, Julio et Augusto, in Nubiâ verò quoque martio et aprili, atque septembri, octobri et novembri. Nunquàm quidem ultrà 7 vel 8, ex relatione verò G. A. Olivier (in descriptione itineris sui per imperium Turcicum) raro ultrà 2 aut 3 minuta instat; ast omnes homines, qui in campo sub dio erecti stant, momento interimit. Mortui primùm dormientibus similes jacent; verùm arrepta fortè manus, ut excitentur, abrumpitur; paulò post cadavera nigrum colorem induunt. Ventus hic, nec altè in aerem, neque infrà altitudinem duorum pedum à terrà spirat; hinc homines, quùm illum imminere observant, proni in faciem procidunt, pedibus plagæ, ex quâ venit, obversis, ore ad terram firmiter applicato, atque quod minimum fieri potest, respirantes, ne quidquam de aurà mortiferà sorbeant. Indicia autem spiraturi Samum sunt nebulæ, ferè ut iris, subrubræ, in aere è longinquo apparentes, et strepitus quipiam, de quo autem alii nihil referunt, imò referente G. A. Olivier aer est tranquillus et æstus ferè intolerabilis, antequàm spirare incipit Samum. In cubiculis et urbibus efficacia ejus non sentitur. Animalia, etiam libero aeri exposita, non perimuntur quidem, sed omnibus artubus contremiscunt, et instinctu quodam naturali caput demittunt. Cæterùm Arabes nomine Samum interdùm latiùs, pro quovis longiùs quoque durante calidiori vento utuntur, addito etiam nonnunquàm epitheto *perseverans*, atque hic etiam noctu spirat, quo tempore dicitur *hrawor*. Hic lenior Samum est idem, qui Hebræis *orientalis* dicitur, de quo jam supra diximus, conf. Ps. 103, 15, 16; Ezech. 17, 10, 19, 12; Hos. 13, 15; Jer. 18, 17.

§ 24. *Divisio Palestinæ inter Israelitas.* — Hanc regionem Hebræi armis occupârunt, et in duodecim tribus diviserunt; nam etsi posteri Josephi in duas tribus Ephraim et Manasse, dispertiti essent, tribus tamen Levi non obtinuit nisi 48 civitates, quæ in diversis tribubus dispersæ erant. Regis trans Jordanem, à Mose tribubus Ruben et Gad atque dimidiæ tribui Manasse concessa fuit, Deut. 3, 12, 17. Jos. 12, 1, 9, 13, 8, 33. Tribus Ruben obtinuit partem australem, quæ ab ortu et austro terminabatur Arnone flumine, trans quod confines erant ad ortum Ammonitæ, et ad austrum Moabitæ; limes verò occidentalis erat mare Mortuum et Jordanes. Tribus Gad sedem recepit Gileatidem, sensu strictiori sic dictam, ad septentrionem Rubenis, usque ad lacum Gennesareth. Dimidia tribus Manasse reliquam partem septentrionalem, quæ fuerat regnum Baschan, occupavit. Cis Jordanem sedes ceperunt reliquæ novem tribus et dimidia. Illa quidem pars, quæ à limitibus australibus usque ad ingressum Jordanis in mare Mortuum, ad vallem Hinnom et ad plagam aquilonarem urbis Ekron procurrit; tribui Juda tributa fuit Jos. 15, 1, 15; quia verò hæc pars, quùm deinceps regio descripta fuisset, justo major deprehensa fuit, decerpta est pars quæpiam occidentalis, cujus portio australis tribui Simeon, Jos. 19, 1, 9., et septentrionalis tribui Dan sorte cessit. Limites tribuum Simeon et Dan, non definiuntur, sed urbes duntaxat earum nominantur, Jos. 15, 2, 12. 19, 1, 4, 40, 47. Cæterùm hæc tota pars meridionalis, geographicè divisa erat in partem australem, in planitiem occidentalem

maritimam, in montem seu montana Judæ, et desertum Judæ, Jos. 15, 20, 62. Luc. 1, 38. Jeremias, 32, 44, 33, 12; his partibus addit regionem Jerosolymæ, et sortem tribus Benjamin, sed id ad tempora post schisma regni spectat.

Tribum Juda sequebatur, versùs septentrionem, tribus Benjamin, cujus limites boreales à Jordanis ingressu in mare Mortuum, procurrebant penès Jerichuntem ad septentrionalem Bethelis plagam, usque ad Kirjath-Jearim; littora verò maris Mediterranei tribui Dan cesserant, Jos. 18, 11, 14. 19, 19, 40, 47. Tractum ad septentrionalem Benjamin, sortita est tribus Ephraim usque ad torrentem Arundinum, Jos. 16, 1, 4, 8, 17, 10. Eâdem sorte expedita quoque fuit altera dimidia tribus Manasse, cujus limites ideò accuratè definiti non sunt, Jos. 16, 4, 17, 9; id verò liquet, tribum Manasse cepisse loca ad septentrionem tribus Ephraim et torrentis Arundinum, atque usque ad mare quidem Mediterraneum, nequaquàm vero usque ad Jordanem pertigisse, Jos. 17, 10. Tribus Issachar, ad septentrionem dimidiæ tribûs Manassis, obtinuit planitiem Iizreel, et penès Jordanem extendebatur in meridiem usque ad tribum Ephraim; à septentrione limes erat mons Thabor; ad occasum verò non videtur usque ad mare procurrisse, Jos. 17, 10, 19, 17, 23. Tribui Ascher sorte obtigit pars illa quæ à Carmelo, seu à limite, quo ad occasum dimidia tribus Manasse terminabatur, in septentrionem procurrebat, primùm quidem in littoribus maris Mediterranei, demùm verò penès Phœnicen, usque ad urbem Aphecam, Jos. 19, 24, 31. Tribus Zebulon sorte occupavit tractum ad orientem Ascheris, et ad septentrionem Issacharis, usque ad egressum Jordanis è lacu Gennesareth, Jos. 9, 10, 15. Matth. 4, 13. Hic districtus ad occasum et orientem arctus, in medio autem latior fuisse videtur, Jos. 19, 10, 16, 22, 26. Tribui Naphthali cessit reliqua pars, quæ terminabatur tribubus Ascher et Zebulon, lacu Gennesareth, Jordane, et septentrionalibus totius regionis finibus, ubi tamen colonia quoque Danitarum in urbe Lais, deinceps Dan dicta, sedes fixit, Jos. 19, 32, 39. Jud. 18. Post obitum Salomonis, facto schismate, tota regio divisa fuit in regnum Juda et regnum Israel, et terminus utriusque erat limes septentrionalis tribûs Benjamin.

§ 25. *Divisio Palæstinæ ætate Christi.* — Ætate Christi alia erat regionis divisio. Cis Jordanem provinciæ erant tres: I. Galilæa, quo nomine, jam Jos 12, 23, 20, 7, obvio, et dein sæpiùs recurrente, veniebat pars septentrionalis regionis, quæ Phœnice, Syriâ, Jordane et lacu Gennesareth, atque planitie Ezdrelom circumdata erat. Divisa erat in Galilæam inferiorem seu australem, et superiorem seu septentrionalem, qua Galilæa gentium dicta fuit, Isa. 8, 23. 1 Mac. 5, 15, 21, 23. Matth. 4, 15. II. Samaria, ab oppidis Ginæâ et Scythopoli usque ad Acrabatenem et oppidum Annuath, media erat totius regionis pars, nequaquàm verò usque ad mare Mediterraneum pertingebat, Joseph de B. J. L. III, c. 3, § 4, 5. conf. Joan. 4. III Judæa, quæ comprehendebat quoque Idumæam usque ad oppidum Jardan in Arabiâ Petræâ, et littus maris Mediterranei usque ad Ptolemaidem, cincta erat Samariâ, Jordane, mari Mortuo, Arabiâ Petræâ, et mari Mediterraneo, Joseph B. J. L. III, c. 3, 4, 5.

In Peræa seu trans Jordanem octo provinciæ vel districtus numerabuntur. I. Peræâ, arctiori significatione sic dicta, pars australis ab Arnone usque ad flumen Jabbok. II. Gilead ad septentrionem fluvii Jabbok. III. Decapolis seu districtus decem urbium, quæ ferè ab ethnicis habitabantur, circa Hippon, Pellam et Gadaram, neque tamen omnes in eodem districtu sitæ, sed pleræque hinc inde dispersæ erant; Scythopolis enim cis Jordanem, reliquæ erant trans Jordanem, nempe Hippos et Gadara ad orientem lacûs Gennesareth: Pella ad Jabbok, Philadelphia australior, olim Rabbath Ammon dicta; magis ad austrum Dion; porrò Canath, Gerasa, Raphana et fortassè Damascus; ast jam antiqui in enumerandis his urbibus non conveniebant, conf. Plinius Hist. nat. L. V, c. 18. Marc. 5, 1. Luc. 8, 26. Matth. 8, 28. IV. Gaulonitis, tractus ad orientalia littora lacûs Gennesareth et Jordanis usque ad Hermonem. V. Batanæa, antiqua Baschan, sed arctioribus limitibus circumscripta, ad orientem Gaulonitidis, et ad septentrionem Gileaditidis. VI. Auranitis, olim Chauran vel Chavran, Ezech. 47, 16, 18., etiam Ituræa dicta, ad septemtrionem Batanææ, et ad orientem Gaulonitidis, Luc. 3, 1. VII. Trachonitis, ad septentrionem Auranitidis, et ad orientem districtûs Paneados seu Cæsareæ Philippi, quo à Galilæâ dirimebatur, à speculis celebris, quæ adhuedùm ætate Herodis habebant incolas. VIII. Abilene in septentrione, inter Baalbeck et Damascum, 33° 30 usque ad 33° 40 lat.

à prædone Lysaniâ, qui hunc districtum à Romanis conduxerat, Abilene Lysaniæ dicta, Luc. 3, 1.

CAPUT II.

DE DOMICILIIS.

§ 26. *Prima domicilia.* — Qualis fuit prima protoparentum habitatio prorsùs ignoratur. Non certè tentorium, cùm in Genesi c. 4, v. 20, Jabel dicitur *Pater habitantium in tentoriis,* id est, ut vulgò interpretes, primus eorum qui sub tentoriis habitârunt; sed jam nota erat solidior habitatio, ex ligno probabiliter confecta. Constat enim ex versu 17 capit. citat. Cainem antea struxisse urbem quam ex filii nomine Renoch vocaverat; quod de specuum excavatione intelligi non potest; ut volunt quidam. Attamen certum est multos ex antiquis specus inhabitâsse, quæ mansiones non nimis incommodæ erant; nam et nunc adhucdùm in monte Tauro, sub climate multo rudiori, agricolæ degunt in specubus, et nomades in Arabiâ Petræâ, partim sub umbrâ arborum, et partim in specubus et in rimis saxorum mansiones figunt.

§ 27. *Recentiores troglodytæ.* — Specus in Oriente non modò frequentes, sed etiam siccæ, et multæ quoque amplæ sunt, Gen. 19, 30, 21, 9, 19. Jos. 10, 16, 1 Sam, 22, 1, 24, 3, 5. 1 Reg. 18, 4. Quare hæc habitacula satis commoda erant, utpote hyeme calida, æstate verò refrigerantia; hinc recentiori quoque ævo non pauci occurrunt troglodytæ, ast efferati prædones, qui nequidem matrimonii leges observabant, Job. 30, 1, 18, 26, 5, 6. Gen. 14, 6, 19, 32, 36, 20. 21. Deut. 2, 5, 12, 22. Jos. 24, 4 Herodot. L. III. § 74. Strabo p. 775, 776, Diodor. Sic. L. III, c. 31. Curtius L. V, c. 6. Joseph Fl. Archæol. L. XV, c. 4, § 1. Koran. 7, 71. seqq. 26, 141, seqq. 11, 64, 71. 89, 8. Qui in Bibliis occurrunt sunt : I. Seyritæ in montanis Seyr, usque in desertum Pharan in Arabiâ Petræâ, Gen. 14, 6, 21, 21, 36. 1, 2, 20, 30. Num. 10, 12, Deut. 2, 12, 22. II. Rephaim, qui urbes quoque munitas habebant, et in tres tribus divisi erant, nempe 1° Emim, in regione, quam deinceps Moabitæ occupârunt, Deut. 2, 11, 2; 2° Zamzumim, homines staturæ proceræ, in regione, quam deinceps Ammonitæ tenuerunt; et 3° Rephaim, strictè sic dicti, in regione Baschan, staturæ quoque proceræ, ab Hebræis expulsi, Deut. 2, 10, 23, 3, 3, 16. III. Troglodytæ dicti filii vel proles specuum, seu troglodytæ; staturæ erant proceræ, et ad Hebron habitabant Deut. 1, 28, 2, 10, 9, 1, 2, 10, 11. Tribus eorum erant : 1° Nephilim Num. 13, 34; — 2° Achiman; Scheschai et Thalmai, Num. 13, 22, 23. Jos. 14, 13; — 3° strictè sic dicti Anakæi circa Debir, Anab et in montibus Juda, Jos. 11, 21, 22; — 4° Anakæi ad Gazam, Gatham et Azotum seu Aschdodum, 1 Sam. 17, 4.

Specus progressu temporis incolis destitutæ, conversæ sunt in domicilia mortuorum sepulcra, Gen. 23, in refugia à persecutionibus hostium, et in latibula prædonum Jos. 10, 16, 22, 27. Jud. 2, 6, 15, 8, 20, 45. 1 Sam. 13, 6, 22, 1, seqq. 23, 25, 24, 4, 9. 2 Sam. 17, 9, 23, 13. 1 Paral. 11, 15. 1 Mach. 1, 56, 11, 41; Joseph Archæol. XIV, c. 9, § 2. B. J. L. I, c. 10, § 5, et c. 16, § 4. Locum quoque commodum præbebant necromantis, 1 Sam. 28, 8, 24; denique feræ latebras in illis quærebant.

§ 28. *Tabernacula.* — Frondosæ arbores et fruticeta superiùs perplexa, excitabant mentem hominum, ut decerperent ramos arborum, eosque duabus lineis parallelis terræ infigerent, et superiùs invicem inflexos connecterent, atque ramis, frondibus, foliis, herbis, calamis, pellibus et latioribus quoque lapidibus contegerent, quibus frigora, calores et humores arcerentur. Ita ædificabant tabernaculum seu umbraculum aut tugurium. Hæc mappalia, prout à Romanis nuncupabantur, dubio procul initio parva et humilia erant, progressu autem temporis in majorem altitudinem assurrexerunt.

Tabernacula, inventis etiam melioribus domiciliis, non mox obsoleverunt, sed longo deinceps tempore, jam ex necessiate, jam ex commoditate, jam etiam ex voluptate erigi sobant, et nunc adhucdùm à nomadibus Mesopotamiæ, tempore æstatis eriguntur, conf. Gen. 33, 17. Ps. 27, 5. Jon. 4, 5. Matth. 17, 5. Aggregata plura hujusmodi tabernacula nominibus חוות et טירה veniunt, Num. 32, 47. Gen. 25, 16. Ezech. 25, 4; vox tamen טירה etiam de ovilibus tecto carentibus, de speculis et castellis vel turribus usurpatur, 1 Paral. 6, 39, vel 54. Ps. 69, 26. Num. 31, 10. Cant. 8, 9.

§. 29 *Tentoria.* — Quùm tabernacula, quæ non facilè de loco in locum transferri, et defectu materiæ non ubique nova construi possent, ex parte pellibus contegi solerent; subnasci facilè poterat consilium, ex solis pellibus, circa perticam extensis, construendi mansiunculam, cujus facillima esset translatio. Hâc ratione Jabal invenit tentoria, Gen. 4, 10.

quæ progressu temporis jam non pellibus, sed materiis coactilibus, pannis et linteis contecta fuerunt. His domiciliis hodiedùm utuntur nomades orientales, eaque ponunt, ubi visum fuerit, præ cæteris verò, si locus admittit, sub umbrâ arborum, Gen. 18, 4. Jud. 4, 5.

§ 30. *Conformatio tentoriorum.* — Prima tentoria dubio procul rotunda erant et parva ; progressu temporis majora et oblonga facta sunt. Nomadibus in Arabiâ Petræâ sunt minora, et majora, quæ domus dicuntur, Gen. 33, 17. Minora tribus palis sustentantur, et panno, ex lanâ vel pilis camelorum contexto, tecta sunt. Majora septem vel novem palis, tribus nempe altioribus unâ serie in medio, et aliis tribus aut duobus multò brevioribus, una in utroque latere serie fixis, innituntur, et pilis caprarum contexto panno operta sunt. Medius palus omnibus quidem reliquis eminet, altitudo tamen vix ultra 8 vel 10 pedes assurgit. Arabes castra in collibus rotunda metari amant, quæ eminùs appropinquantibus perpulchrum nigro suo colore præbent aspectum, Cant. 1, 5. Spatium, circulo tentoriorum comprehensum, locus est in quo noctu greges collecti, à canibus custodiuntur, Job. 30, 1 ; ast pastorum quoque alternatim quispiam vigilias agit, Jes. Isa. 56, 9, 11. Matth. 1, 10. Tentorium Emiri seu imperatoris cæteris majus et altius est, et meditullium castrorum occupat, à quo tentoria subditorum ferè 30 passibus distant. Emiro plura quoque sunt tentoria, quorum alteram pro sexu fœmineo, alterum pro famulis, et aliud quoque, viridi telâ tectum, ad excipiendos illos, qui honoris causâ, vel quidpiam rogaturi aut propositur i adveniunt. Castra Emirorum, qui à magno Emiro dependent, ad eamdem normam disposita, et non multò plus milliari germanico remota sunt.

§ 31. *Tentorii dispositio.* — Tentoria majora velis in tres partes distributa sunt. In extimam partem minùs potentes recipiunt servos, et noctu quoque pullos quospiam, agnos nempè, capellas et vitulos, ne noctu matrem sugant. In secundâ parte sunt mares ; si verò tentorium justo minus est, mares omnes et illa quoque animalia eodem ambitu continentur. Pars intima, קבה arabicè (conf. nostrum alkobba) dicta, pro sexu est fœmineo Num. 25, 8 Potentiores extimam partem soli famulitio concedunt, nec animalia recipiunt, atque potentissimi non modò pro famulitio, sed etiam pro sexu fœmineo seu Harœm singula habent tentoria, Gen, 24, 67. Nomades verò paulò minùs zelosi, alterum sexum non tam arctè custodiunt, ac urbium incolæ, Genes. 12, 15, 18, 6, 9. 34, 1, 2.

Pavimentum tentorii aulæis seu tapetibus, vel vilibus blattis, prout fert facultas domini, opertum est, et in his sedetur ; potentioribus verò non desunt diversi panni, culcitæ, stringulæ et tegumenta nocturna pretiosa, quæ interdiu in angulo tentorii composita jacent, et noctu in pavimento sternuntur. Cæterùm curta quidem est horum pastorum supellex, non desunt tamen utres, vasa testacea et ænea, nempè ollæ, cacabi, patinæ et pateræ æneæ ex utrâque parte stanno eleganter obductæ. Focus est terra, et vasa ponuntur super tres lapides in triangulum, in formam tripodis dispositos, in quorum meditullio ignis in quâpiam terræ fossulâ ardet. Mensa est pavimentum, et mappa non alia, quàm quæ omnibus Orientalibus communis est, nempe corium rotundum, quòd in pavimento sternitur. Vestes et arma clavo pali tentorii appensa cernuntur.

§ 32. *Domus.* — Quum tabernabula temporis progressu fierent majora et aggesta humo et latis lapidibus contra aeris injurias munirentur ; observatum fuit, ex solis quoque lapidibus et terrâ humefactâ, seu luto, construi posse domicilium. Defectus lapidum in pluribus regionibus, occasionem præbuit ex luto in massas formato, et æstu solis siccato, novum genus lapidum, id est, lateres conficiendi, quos demùm vehementius fortassè incendium igni coquere docuit. Antiquissima sunt hæc initia, Gen. 11, 3, 6, 16. Unde Deut. 8, 12, jam de domibus elegantibus et ornatis sermo est, et Deut. 27, 2, 4. usus calcis quoque pro usitatissimo et notissimo ponitur (1).

§ 33. *Magnitudo domuum.* — Primas domus fuisse minutas, quivis facilè intelligit ; progressu autem temporis accreverunt ad magnas moles, inprimis in urbibus quibusdam, quæ erant majorum regnorum metropoles. Ars plures contignationes exstruendi, antiquissima est, uti ex navi Noachi et ædificio turris Babylonica apparet. Teste Herodoto L. I, § 180, domus Babylone erant trium et quatuor contignationum, atque teste Diodoro Siculo, L. I, c. 45, domus Thebis seu Diospoli in Ægypto, fuerunt quatuor et quinque contignationum.

(1) Ex Genes. c. 11, v. 3, verbis : *Habueruntque lateres pro saxis et bitumen pro cæmento*, concludi potest, ut videtur, jam ante diluvium et lateres et lapides ad ædificandum usui fuisse.

In Palæstinâ verò ætate Josuæ domus videntur adhucdùm fuisse humiles; secunda quidem contignatio nullibi memoratur, fortassè tamen non deerat, occurrit autem ætate recentiori, 1 Reg. 6, 6, 7, 4. 2 Reg. 1, 2, conf. Os 8, 4. Domus insigni architecturâ et eleganti symetriâ constructas Jeremias laudat c. 22, v. 14, et eas vocat *domus dimensas*. Ætate Christi domus potentum erant splendidæ, et ad regulas architecturæ græcæ dispositæ, conf. Joseph. Fl. de B. J. L. V, c. 5.

§ 34. *Ambitus et tectum domuum.* — Domus majores pleræque in tetragonum dispositæ erant, atque aream quadratam circumdabant. Hæc ædificia recentiori ævo veniebant nomine persico בירה, βαρις, palatium quod, teste Hieronymo, cujus ætate adhucdùm usitatum erat, (Ep. ad Princip. T. II op. p. 689) significat domus, ex omni parte conclusas, et in modum ædificatas turrium et mœnium publicorum.

Tecta domuum erant plana, qualia in oriente adhucdùm visuntur, et constabant vel terrâ aggestâ, vel in domibus divitum firmiori constructo pavimento, quod adhucdùm ex contusis carbonibus et lapillis, atque ex cineribus, calce et gypso componitur, et vi ictuum in solidam materiam cogitur. Declivitas tecti, quæ vel ex centro ad utrumque latus, vel ex altero latere ad alterum protenditur, est perexigua, ut decem pedibus vix semialterum pollicem efficiat. In illis tectorum pavimentis, quæ ex solâ terrâ aggesta et compacta parata sunt, quæpiam herbæ vel culmi tritici aut hordei crescunt, ast paulò post ardoribus solis exuruntur. Ps. 129, 7, 8. Isa 37, 27. 2 Reg. 19, 26.

Orientales hæc plana tecta persæpè ascendunt, non modò ut puriorem auram respirent, et libero in longinquum prospectu fruantur, aut eventum, qui in viciniâ contigit, cernant, 2 Sam. 11, 2, 6, 7. Isa. 22, 1. Matth. 24, 17. Marc. 13, 15, sed etiam ut æstate sub dio dormiant, toto tamen corpore operti, ne frigus nocturnum noceat; imò tentoria quoque figunt in tectis, vel tabernacula construunt, 2 Sam, 16, 22; fructus gossipii seu erioxylon, aut linum in tectis aprico exponunt, Jos. 2, 6; ascendunt quoque tectum domûs, ut clàm alicui colloquantur, Jos. 2, 8. 1 Sam. 9, 25, ut solemnitates publicas spectent, Jud. 16, 26, 27, ut publicè gemant et lamententur, vel quidpiam omnibus annuntient, 2 Sam. 16, 22. Isa. 15, 3. Jer, 19, 13, 48, 38. Matth. 10, 27, denique etiam, ut Deum orent, et olim quidem ut diis sacrificarent, Jer. 19, 13. Act. Ap. 10, 9. Hinc tectum domûs, ne quis decidat, cinctum est loricâ seu muro, qui versûs plateam et aream domûs tam altè assurgit, ut viro ferè usque ad pectus pertingat; versùs domus verò vicinas humilior est, ut si domus sunt contiguæ et ejusdem altitudinis facilè quis ex alterâ ad alteram transcendere possit. Consuetudo, tectum loricâ cingendi, Deut 22, 8, in legem conversa est; et hanc loricam illi viri Marc. 2, 4, Luc. 5, 19 demoliti sunt, ut paralyticum è tecto in impluvium seu aream domûs demittere possent.

§ 35. *Janua, vestibulum, impluvium, gynæconitis.* — Janua domûs est in medio frontis ædificii; quare Arabibus quoque *medium* dicitur. Januæ non modò domuum, sed urbium, inscriptione insigniri solebant, quam lex Mosaica, Deut. 6, 9, 13, 20. ex libro Legis depromendam esse statuit, undè *Mezuza* Judæorum, seu illa membrana, quæ inscripta exhibet loca Deut. 6, 5, 9. 11, 13, 20, et posti januæ inseritur, descendit. Porta perpetuò clausa erat, et hinc aderat janitor vel janitrix ex mancipiis, Act. 12, 13. Joan. 18, 16, 17.

Januam ingrediens, venit in vestibulum, quòd cubile quadratum est, ad parietes sedili humili instructum, excipiendis advenis destinatum, quos in domum admittere visum non fuerit. In hoc vestibulo, vel penès vestibulum sunt gradus, qui in superiores contignationes usque ad planum tectum ducunt, Matth. 24 16, 17.

Ex vestibulo janua patet ad impluvium, seu aream, quatuor lateribus ædificii cinctam, quæ vocatur *medium* 2 Sam. 17, 18. Luc. 5, 10. Pavimentum hujus areæ plerumque vario marmore stratum est; et meditullium, si loci situs admittit, occupant aquæ salientes. In quatuor ædificii lateribus, aut saltem in uno est porticus, et in alterâ contignatione ambitus, qui columnis à fabie factis sustentatur, et, ne quispiam decidat cancellis munitus est, 2 Reg. 1 2, 16, 18. Hinc tot occurrunt allusiones ad columnas, Prov. 9, 1. Gal. 2, 9. 1 Tim. 3, 15. In hâc areâ major hospitum numerus, uti in nuptiis, circumcisione filii etc., excipi solebat, Esth. 1, 5. 19. Quare supra in tecto, sicut hodiedùm in Oriente, crassus pannus ita præparatus erat, ut tota area contegi, et æstus solis arceri posset. Conf. Ps. 104, 2. Hoc tegumentum areæ Luc. 5, 19. Marc. 2, 4, dicitur στεγη.

Latus ædificii posterius; fronti oppositum,

domicilium est alterius sexûs arabicè, *Haraem*, hebraicè fortassè ארמון et הרמון dictum, locus soli marito patens, aliis autem omnibus inaccessus, cujus porta perpetuò serâ clausa est, 1 Reg. 16, 18; 2 Reg. 15, 25; Amos 4, 3; Prov. 18, 19. Ministerium obeunt ancillæ, eunuchi nigri seu æthiopes, et dominis præ cæteris chari, ante portam verò alii albi eunuchi excubant, Isa. 32, 14, Jer. 13, 25, 38, 4. 1 Reg. 16, 18. 2 Reg. 15, 25. Potentiorum gynæconitis est ædificium singulare, 1 Reg. 7, 8. 2 Paral 8, 11. Esth. 2, 3. Ex alterâ facie gynæconitidis est hortus, in quem, parva quidem sed alta, cubilia fœminarum parte anticâ prospiciunt. In domibus minoribus, quæ unico tractu absolvuntur, gynæconitis est in superiori contignatione, prout et in Homeri Iliade et Odysseâ observatur.

§ 36. *Cubilia et œci.* — Cubilia sunt alta et ampla, ac in structurâ, quæ impluvium quadratum ambit, ita sita, ut januæ in porticum, atque in secundâ contignatione, in elevatum illum ambitum pateant; patet autem janua quoque ex altero in alterum. Superius tegumentum vel planum, vel arcuatum et fornicatum est. Fornices autem ævo antiquiori non videntur fuisse cognitæ; rudera enim ædificiorum antiquorum reliquias fornicum non exhibent, nisi fortè diuturnitate temporis penitùs corruerint, ut neque vestigium remanserit. Hebræis ævo jam antiquissimo, et deinceps, erant cubicula, et integra quoque palatia æstivalia et hyemalia, Jud. 3, 20. 1 Reg. 7, 2, 6. Amos 3, 15. Jer. 36, 22. æstivalia, prout in Asiâ hodiedùm visuntur, amplitudine et altitudine nostris ecclesiarum ædificiis parùm cedunt; mox à fundamentis exsurgunt, imò non rarò tertiâ parte terræ infossa sunt, et pars antica septentrioni obversa est, ut ardentes solis radii evitentur. Pavimentum ut aer refrigeretur marmore stratum est, et meditullium, si situs loci admittat, aquæ salientes occupant. Ad sunt quoque ventilatores, qui sunt vel foramina fistulis similia, altiorem muri septentrionalis partem penetrantia, exteriùs aeri ingredienti latè patentia, interiùs verò multò angustiora; vel sunt meatus seu structuræ cavæ, instar parvarum turrium, latitudine ferè 10 cubitorum, ex medio tecti exsurgentes, et versùs septentrionem simpliciter aperti, vel multò latiori ore, instar campanæ expanso, biantes, ut spirantem auram frigidiorem excipiant, infernisque ædium locis demittant. Hujus generis erant cubicula spatiosa et refrigerata, Jud. 3, 20. 24. Jer. 22, 14.

Œcus quippiam, memoratu dignus, ità in aream seu impluvium patet, ut ex anteriori parte nullo pariete clausus sit, et nonnunquàm etiam aliquo spatio ultra porticum in aream procurrat, ubi tectum, ne prospectus ex œco impediatur, solis duabus columnis innititur. Potentibus hic œcus est simul locus, in quo legatos excipiunt, negotia tractant, et judicia agunt. Hujusmodi fuit dubio procul structura œci, in quo Jesus, Matth. 26, 69, coll. Luc. 21, 61. 62, pro tribunali stetit. Conf. quoque 1 Reg. 7, 7. Esth. 5, 1.

Cubilia et palatia hyemalia fenestris ad austrum conversa erant, ut in aprico essent; teneriores ea nihilominùs calefaciebant vel carbonibus candentibus, vel igni in urceo vel ollâ accenso, quæ foveæ, ad idipsum in meditullio pavimenti paratæ, imponebatur, velut et adhucdum in oriente mos est, ubi nonnunquàm ignis in hâc ipsâ quoque foveâ excitatur; fumus per fenestras exitum quærit, Jer. 36, 22. Isa. 44, 16, 47, 14.

Cubicula quidem quæcumque in altiori contignatione sita, dici possunt ὑπερῷον; est tamen cubile quodpiam singulare hoc nomine insignitum, et supra tectum ferè in loco, ubi infra penès terram est vestibulum, eminet, et janua ex ipso tecto patet. Usus ejus est, si solitudini vacare, vel orare libet, aut peregrinus excipiendus est, 1 Reg. 17, 19. 2 Reg. 4, 10, 23, 12. Act. Apost. 9, 37-39.

De culinis mentionem facit unicus Ezechiel, c. 46, v. 23, 24. Focus, Isa. 30, 14, Ezech. 24, 19, Isa. 30, 33, videtur fuisse ipsum pavimentum, ut sola ferè altaria, quæ erant foci, fuerint elevata. Hinc foci dicuntur Lev. 11, 35, quoque כירים, nempe à fossulis in terrâ excavatis, in quibus ignis alebatur. Camini nostri, ad fumum excipiendum et educendum inventi, seculum XVI non superant; antiqui habebant, velut nunc quoque orientales, foramina seu fenestras, quæ fumo exitum præbebant, et ab Oseâ c. 13, 3, vocantur ארבה, quod Hieronymus rectè explicat, foramen in pariete, per quod fumus egreditur, etsi in aliis Bibliorum locis foramen quodcumque, et inprimis fenestram significat.

§ 37. *Fores et seræ.* — Fores, vel bifores valvæ januæ, duobus axiculis, qui in valvis superiùs et inferiùs prostabant, movebantur, quorum superior, paulò longior, foramini superioris, inferior verò brevior foramini inferioris liminis inhærebat; atque hi sunt cardines, qui axiculi et foramen dicuntur Prov. 26, 14.

Fores claudebantur serâ, Cant, 5, 5, vel vecte, aut etiam repagulo, seu pessulo Job, 38, 10. Deut. 3, 5. Jud. 16, 3. Neh. 3, 3. Vectes erant lignei; ferrei et æneì vel ferro aut ære obducti, non erant nisi in portis majorum munimentorum et gazophylaciorum 1 Reg. 4, 14. Isa. 45, 2. Sera verò non erat nisi pessulus ligneus volubilis, valvæ portæ affixus, qui ingrediebatur in foramen postis, et incisis quibusdam dentibus incidebat in rastrum; quare lorum, aut fortassè duo lora, pessulo annexa, per foramen permeabant in exteriorem portæ faciem, quorum altero attracto, pessulus seræ in foramen postis promovebatur, et dentibus in illud rastrum incidebat, ut retrahi non posset. Aperiens habebat clavem ligneam satis magnam et instar falcis aduncam, Jud. 3, 25, quâ per foramen immissâ, pessulum ex rastro sublevabat, et altero loro subtrahebat, quod ut faciliùs perficeret, portam ad se attrahebat. Claves ex metallo confectæ, non erant nisi potentioribus, et nonnunquàm ansâ eburneâ ornatæ. Clavis hujus generis ævo monarchiæ hebraicæ à dispensatore domûs regiæ, tanquàm insigne sui muneris, in humero gestabatur, Isa. 22, 25. Foramen autem ad immittendam clavem interdùm tantùm erat, ut digitus immitti, et pessulus seræ elevari, atque ita porta absque clavi reserari posset, Cant. 5, 4, Teste Martino Del-Rio ad Cant. 3, 4, ferè tales erant seræ Arabum Bæticorum in Hispaniâ.

§ 38. *Fenestræ.* — Fenestræ in aream seu impluvium, et ex gynæcio in hortum respiciunt; in plateas duntaxat hinc inde quæpiam prodit fenestra, quæ perpetuò asseribus vel cancellis clausa est, nec aperitur, nisi ingruentibus solemnitatibus publicis, Jud. 5, 28. Prov. 7, 6. 2 Reg. 9, 30. Cantic. 2, 9. Fenestræ autem magnæ sunt, et ferè usque ad pavimentum extenduntur, ut in pavimento sedentes prospicere possint; patulæ enim esse solent, et vitro quoque carent, sæpè tamen clathris, vel cancellis, tempore hyemis verò velis pellucidis, vel valvis biforibus, quibus foramen ad immittendum lumen incisum est, clauduntur, 1 Reg. 7, 17. 18, 20, 41. Cant. 2, 9. In cubili supra fenestras clavi, eleganti capite ornati, muro conclusi sunt qui non modò transverso baculo cortinam striatam sustinent, sed etiam præcipuis ornamentis accensentur; quare tropi à clavis deprompti, dignitate suâ non destituuntur, Isa. 22, 23. Zach. 10, 4. Eccl. 12, 11.

§ 39. *Materia ædificiorum.* — Etsi materia primorum ædificiorum fuerunt lapides et lutum, usitatissimi tamen jam olim in oriente erant et sunt adhucdùm lateres, quorum nomen לבנה, ab albâ argillâ seu cretâ figulari, ex quâ conficiebantur et adhucdùm conficiuntur, ductum est. Magnitudo diversa erat, nostros lateres paulisper superans. Plerumque æstu duntaxat solis siccabantur, ad ædificia tamen solidiora jam Gen. 11, 3, igni coquebantur. Lateraria occurrit 2 Sam 12, 31. Nahum 3, 14. Jer. 43, 9. Muri ex lateribus, æstu duntaxat solis siccatis, superstruuntur basi lapideæ, quæ et ipsa in fundo solidiori non rarò omittitur. Domus hæ lateritiæ, et nonnisi tecto plano munitæ ultra generationem quidem perdurant, sed pluviis hyemalibus deluuntur, unde hyeme lutum, et demùm æstate pulveres oriuntur, Isa. 5, 25, 10, 6. Zach. 9, 3. Imbres vehementes et cataractæ nubium eas facilè lædunt, aut etiam subruunt. Matth. 7, 25. Conf. Ezech. 12, 5-7. 13, 11, 14. Amos 5, 9.

In Palæstinâ domus passim lapidibus, qui in hâc regione minimè desunt, ædificatæ erant; hinc Levit. 14, 43; 57, lex de leprâ ædium fertur, quæ, ut ex allatis ejus indiciis, et ex nomine quoque, *lepra recrudescens*, patet, vix aliud est, quàm nitrorsus acor, qui lapides solvit, et vicinos quoque lapides corruptione inficit. Ubi adest hic murorum morbus, incrustatio muri non diu hæret; aerem quoque cubiculi corrumpit, et hinc supellectilibus, et sanitati incolarum noxius est.

Palatia saxis quadris, etiam serrâ sectis, nonnunquàm quoque marmoreis et politis, ædificabantur, quæ omnia בתי גזית dicebantur, 1 Reg. 5, 31, 6, 36, 7, 9. 11. 12. Ezech. 40, 43. Paral. 22, 2; conf. quoque Exod. 20, 22. Isa. 9, 10. Amos 5, 11, 12. Cantic. 5, 15. In Persiâ insignis luxus in marmore invaluit, quem non modò rudera Persepolitana testantur, sed etiam Esth. 1, 6, legimus, ubi occurrit *marmor album, versicolor, rubrum* et *undatim crispum in vortices.* Quò splendidius aut magnificentius erat ædificium, eò majores moles erant lapidum quadrorum, 1 Reg. 7, 9, 12. Lapis fundamentalis, fortassè in angulo ædificii, et hinc quoque lapis angularis dictus, majoris æstimabatur, et ex pluribus aliis singulari curâ seligebatur, atque in ædificiis sacris jure asyli gavisus fuisse videtur. Ps. 118, 22. Isa. 28, 16. Matth. 21, 42. Act. Ap. 4, 11 2 Timoth. 2, 19. 1 Petr. 2, 6. Apoc. 21, 24.

Lapides quadri, quatenùs ex residuis ruderibus colligitur, interdùm quidem fibulis ferreis, quarum foramina hinc inde observantur,

vix autem cæmento, calce arenatâ aut lithocollâ, nisi forte tenuissimâ, connexi fuisse videntur. Lateres æstu solis siccati, primùm dubio procul nonnisi luto coagmentabantur. Paulò tamen post calx, arenæ mixta, seu cæmentum, saltem lateribus igni coctis et lapidibus adhibebatur, Lev. 14, 41, 42, 45, Jer. 43, 9.

Incrustatio parietum seu trullisatio, quæ cæmento fit, ætate Mosis communis fuit; Lev. 14, 41, 42, 45, atque nostro ævo in Oriente est elegantissima, qualis et illa fuerit, quæ Dan. 5, 5, in cœnaculo regis Babylonii memoratur.

Ligna adhibebantur non modò ad fores et portas, ad valvas et cancellos fenestrarum, atque ad tecta plana, sed etiam ad laqueata, quibus parietes ornabantur, quæ ut affigi possent, trabes muris inserebantur, quibus clavi firmiùs inhærebant, Esdr. 6, 4. Hæc cubilia laquearibus condecorata, dicebantur *domus laqueatæ,* Agg. 1, 4; conf. Jer. 22, 14, et ornabantur nonnunquàm incisis figuris, et auro, argento, gemmis et ebore, atque hinc veniunt domus eburneæ, palatia eburnea, seu cubilia ebore ornata, 1 Reg. 22, 39. 2 Paral. 3, 6. Ps. 45, 9. Amos 3, 15.

Ligna, præ cæteris usitata erant sycomori, quæ, in millia annorum perdurant; acaciæ, palmæ, inprimis pro columnis et pro tignis transversariis; abietes, oleastri; pretiosiores erant cedri, 1 Reg. 6, 18, 7, 3, 7, 11. Isa. 9, 9; pretiosissima verò ligna ætate Salomonis fuerunt אלגום vel אלמוג dicta; nomen quidem est arabicum, sed lignum per Arabiam ex Indiâ advectum fuisse videtur, 1 Reg. 10, 11, 12. 2 Paral. 2, 7, 9, 10, 21. Occurrunt Isa. 41, 19, 44, 14, 60, 13, ligna תדהר et תאשור, ignota; et תרזה, fortassè quercus ilex.

§ 40. *Supellectilia.* — Supellex domestica antiquiori ævo erat curta. Mola manuaria et simplex furnus deesse non poterat, conf. Levit. 26, 26. Deut. 24, 6. Accedebant ollæ quæpiam, cacabi, patinæ, utres, urcei, pateræ; atque blattæ aut tapeta vel aulæa, quibus pavimentum operiebatur; denique lectisternia quæpiam, ut stragula viliora et crassiora vel villosa, Jud. 4, 18, et pretiosiora pulvinaria vel culcitæ, lanâ vel erioxylo fartæ, Ezech. 13, 18, 21, quarum vicem etiam pelles supplebant. Hæc omnia, uti nunc in Asiâ moris est, interdiù in arcâ, parieti immissâ, jacebant. Fulcra lecti nunc quidem in oriente non visuntur, sed lectus noctu in pavimento sternitur, in pagis tamen, teste Arydâ, locus lecti in angulo cubiculi tribus, imò et quinque pedibus altior et satis amplus est. Illud verò, quod nominibus, מטה, ערש. משכב, venit, jam est lectus in pavimento stratus, jam quod nunc vocatur *diván,* nempe pavimentum quatuor aut saltem tres cubiculi muros ambiens, latitudine ferè trium pedum, et altitudine spithamæ, culcitis, in fundo et in pariete munitum, atque panno pretioso contectum. In hoc requietorio pedibus plexis vel genibus flexis sedetur. In angulis vel uno saltem angulo duæ tresve culcitæ superpositæ sunt, et hic est locus cæteris honoratior, quem dominus domûs occupat, nisi hospes eminentior adsit, cui hanc sedem cedat. Ita retulit Aryda. Videntur tamen Hebræis fuisse quoque fulcra lectorum, quæ interdùm nominibus ערש, מטה, משכב, veniunt, et ebore ornata fuisse dicuntur, quo requietorium mox descriptum (*divân*) exornari non potest. Hæc fulcra lectorum sedilibus persicis, *sopha* dictis, similia fuisse videntur, quæ 6 pedes longa, tres pedes lata, et ferè spithamam alta sunt, cubitalia et in tergo parietem habent, atque culcitis strata sunt. Hæc lectorum vel sedilium fulcra in columnis, cubitalibus et pariete ebore exornari poterant, et quanquàm in illis, plexis pedibus vel flexis genibus sedetur, lectorum tamen quoque usum præstant, Amos 6, 4. Ps. 41, 4, 132, 3. Delicatioribus erat מכבר, 2 Reg. 8, 15. seu κωνωπεῖον, velum culiculare, seu reticulum, quod dormituri, ne à culicibus infestarentur, vultui imponebant, 2 Reg. 8, 15. Pauperes verò, uti in Asiâ adhucdùm fieri consuevit, et simpliciori olim adhucdùm vitæ ratione etiam potentiores in itinere, pallio seu veste exteriori involuti, et lapide capiti supposito, dormiebant, Gen. 28, 11, 18, 22.

Pavimentum blattis vel tapetis stratum est; ne verò hæc inquinentur, sandaliorum usus non est, nec olim erat in cubiculis, quæ vel ideò rariùs mundari et verri opus fuit, Matth. 12, 15. In tapetis luxus effusus erat.

Lampas oleo olivarum alebatur, et procul dubio totâ nocte ardebat, conf. Job 18, 5, 6, 21, 17. Prov. 13, 7, 20, 20, 24, 20, 31, 18. Ditioribus lampades fuisse pretiosas, ex lampade seu candelabro aureo sacri tabernaculi colligitur. Faces duplicis erant generis; aliæ enim restes seu funes erant, ex triboniis seu vetustis linteis contorti, et oleo vel bitumine impraegnati, qui nonnunquàm integri flammâ corripiebantur, Judic. 15, 4, quare fulgura illis comparantur, Ps. 11, 6; aliæ autem erant

clathra ænea scipioni infixa, quibus immissa erant linteola oleo imbuta, ne verò defluens fortè oleum portantem macularet, scipioni infra vas illud, paterà ferreà vel æneà circumdata erat, Matth. 25, 3. Le Bruyn Voy. p. 185. Kaempfer Amoen. exot. p. 124. Chardin Voy. II, p. 145. Niebuhr Reiseb. II, Thl. S. 336.

§ 41. *Pagi, oppida, urbes.* — Ex aggregatis tabernaculis seu tuguriis orti sunt pagi, atque oppida et urbes. Quùm nempe quipiam se in habitaculis suis minùs tutos esse observarent, domicilia munire cœperunt. Id primùm præstitit Cain, qui videtur aliquot tuguriola, fortè in colle sita, septo vel foveâ circumdedisse, et dein fortassè tabulatum quodpiam addidisse, ex quo lapides in hostes projici possent. Quidquid sit, tales profectò erant primæ urbes munitæ; progressu temporis, septum conversum est in mœnia, fossa multò latior et profundior excavata fuit, atque tabulatum excrevit in turres. Magna incrementa munitionibus jam ætate Mosis accesserant, Num. 13, 25, 34; in comparationem tamen subsequentis ævi venire non possunt. Urbes in Palæstinâ jam ætate Josuæ non nimis minutæ erant, siquidem in urbe Ai, quæ parva fuisse perhibetur, occisa sunt 12 millia hominum Jos. 7, 3, 8, 16, 10, 2. Hebræis sub Davide, numero adeò auctis, urbes quoque majores fuisse, necesse est; inprimis Jerusalem augeri debuit, quia ad festa conveniebant multæ myriades hominum, et quanquàm permulti in tentoriis circa urbem, et in pagis proximis hospitia quærerent, multa tamen millia in ipsà urbe excipiebantur. Quantæ fuerint urbes Galilææ ætate Christi, jam supra ex Josepho B. J. L. III, 3, 2, ostendimus, et eo tempore ad festum paschale Jerosolymæ convenisse ferè trecentas myriades Judæorum, ex numero agnorum pascalium, quem Josephus refert, colligitur; et à Romanis sub Tito festo paschatis appropinquantibus centum myriades urbe conclusæ fuerunt. Unde liquet, ambitum 33 stadiorum, quem Jerusalem ætate Christi occupabat, domibus plurium contignationum benè obsitum fuisse. Cæterùm notatu dignum est, in Thalmude oppida atque urbes munitas, sicut in N. T. distingui.

Plateæ in urbibus Asiæ non sunt nisi 2 vel 4 cubitos latæ, ut frequentiori umbrâ æstus solis arceatur; ast olim plures quoque multò latiores fuisse, patet vel ex eo, quòd currus in eis agitabantur, quibus hodiè oriens caret. Ipse quoque Josephus persæpè angiportus seu plateas angustas à latioribus distinguit, quæ etiam peculiari nomine רחבות רחב insignitæ sunt. Lithostratum platearum nostrâ quidem ætate in oriente raro cernitur, olim autem saltem ætate Herodis benè notum erat, et satis frequens fuisse videtur.

Forum, quod etiam venit nomine רוחב, antiquiori ævo erat ad januam urbis, plerumque intra, nonnunquàm extra mœnia, ubi merces sub dio, vel in tuguriis aut tentoriis venum exponebantur, 2 Paral. 18, 9, 32, 6; Neh. 8, 1, 3; 2 Reg. 7, 18; Job 29, 7; Deut. 13, 17. Ætate Christi autem, ut ex Josepho discimus, fora erant, qualia nunc in urbibus Orientis cernuntur, nempe plateæ, superiùs fornice clausæ, in quo foramina ad immittendam lucem adaptata sunt. Ex hâc plateâ, quæ portis instructa est, et noctu clauditur, patent cameræ mercatorum in utrâque serie domum. In majoribus urbibus plures sunt hujus generis plateæ, et ferè pro quâlibet specie mercium aliæ, in quibus quoque artificum sunt officinæ.

Domus in urbibus orientalibus raro sunt contiguæ, et plerumque hortos amplos annexos habent. Si igitur Ninive et Babylon, spatium ferè incredibile occupâsse perhibentur, cogitandum non est, id omne domibus arctè junctis fuisse obsitum. Babylonis partem ferè tertiam horti et agri occupabant, prout veteres scriptores testantur.

Aquæductus in urbibus orientalibus esse antiquissimos, testatur Menander apud Joseph. Flav. Arch. L. IX, c. 14, § 2, et Jerosolymæ occurrit 2 Parla. 32, 30. 2 Reg. 20, 20. Isa. 7, 3, aquæductus piscinæ superior, quod nomen alium ponit aquæductum notissimum, et probabiliter eumdem, cujus rudera insignia Bethlehemo Jerosolymam, adhucdùm visuntur; ille autem superior, quas à Gihon ex occidentali plagâ, Jerosolymam deducebat, cujus quoque rudera adhucdùm deprehensa sunt. Hi et alii aquæductus omnes in Asiâ supra terram ædificati, et per valles, extructis columnis et arcubus sustentati sunt, unde colligitur, antiquis notum non fuisse, aquam conclusam in eamdem, ex qua decidit, altitudinem ascendere. Quanquàm verò aquæductus frequentes fuerunt, cisternæ tamen passim locum habebant.

Orientales urbes tanquàm fœminas cogitare solent, et eas vocant jam matres incolarum, jam uxores regis, quæ si à rege deficiunt, adulterantur; jam etiam virgines, quæ prostituuntur, et vestibus retectis nudatæ relinquuntur, si eversis muniimentis, quæ vestibus comparantur, fundamenta denudantur, 2 Sam. 20,

19, 2 Reg. 19, 21. Ps. 137, 8. Isa. 23, 12, 47, 1, 8. 54, 5, 62, 4, 5, 66, 9, 10. Jer. 3, 8, 14, 20.5, 7, 8. 13, 26, 31, 4. Lam. 1, 1, 8, 17. Nahum. 3, 5, 6. Ezech. 16, 14, 23, 29.

CAPUT III.

DE NOMADIBUS.

§ 42. *Nomadum antiquitas et honos.* — Genus nomadum antiquissimum, Gen. 11, 2, copiosum usque ad nostram ætatem, permagnos terræ tractus occupat, nec mirum; habet enim hæc vivendi ratio permulta et magna commoda, inprimis libertatem et facilè parabiles divitias. Pastores quidem hi in desertis sine fixâ sede vagantur, et præter rem pecuariam omnia alia negotia vilipendunt et negligunt; nequaquàm tamen sunt inculti et abjecti, sed graves, politi, magnanimes et potentes, uti fuêre Abraham, Isaac et Jacob, atque posteri eorum Israelitæ, donec Chanaan armis occupâssent. Greges ingentes et magnum servorum numerum alunt, atque domini quidem semper armati, venatione, inspectione subditorum, et bellis vel prædationibus occupantur; servi autem partim armati sunt, ut prædones et belluas à gregibus arceant, partim verò non habent nisi baculum et peram, quæ instrumenta alioquin sunt et olim erant omnis apparatus peregrinantium et facultatibus minùs valentium, nisi quòd loco peræ majorem saccum portabant, 2 Reg. 4, 42; conf. 1 Sam. 17, 40, 43. Ps. 23, 4. Mich. 7, 14. Judith. 10, 5, 13, 11, 17. Matth. 10, 10. Luc. 9, 3, 10, 4. Si itaque in Bibliis reges dicuntur pastores, nuncupatio nequaquàm est abjecta, sed sublimis et honorifica; quare hoc nomen persæpè etiam Deo tribuitur, qui erat Rex Hebræorum; propriè hæc compellatio dicit rectorem et curatorem, conf. Ps. 23, 1, 4, 8, 2. Isa. 40, 10, 63, 11, Jer. 10, 21, 22, 22, 23, 1, 31, 11, 36, 49, 50, 6, 51, 23. Mich. 5, 5. Nahum. 3, 18. Ezech. 10, 24, 34, 2, 28, 37, 24. Zachar, 10, 3, 8, 26, 11, 5. In antiquo quidem fœdere hæc tropica pastorum notio perpetuò indicat reges, ætate verò Christi nomine pastorum condecorabantur præceptores Judæorum, quòd primum ex scholâ Stoicorum descendit, qui solos sapientes statuerunt esse verè reges. Hoc multò sanè modestiùs, quàm à Stoicis dictum fuit, à Judæis adoptatum est. Cæterùm scimus, Jesum et propterea etiam Apostolos pastorum nomine insignivisse eos, qui regerent et gubernarent fideles. Eph. 4, 21. Matth. 9, 36. Joan. 10, 12, 14. Hebr. 13, 10. 1 Petr. 2, 25, 5, 4. 1 Cor. 4, 8.

§ 43. *Pascua.* — Pascua nobilium horum pastorum, sunt supra memorata deserta, Job, 5, 10, Marc. 1, 45. Hi vasti terræ tractus omnibus pastoribus communes, et nulli proprii sunt, nisi quispiam jus singulare in eis acquisiverit. Tale pascuum commune olim erat quoque partim Chanaan, quam Abraham occupavit, et Isaac et Jacob retinuerunt, atque Israelitæ ex Ægypto quoque cum gregibus invisisse videntur, donec à Chananæis multiplicatis excluderentur. Pascua certis gentibus propria, progressu temporis nonnunquàm in contentionem veniunt, conf. 1 Reg. 20, et idem quoque accidit regioni Chanaan, quam Hebræi deinceps armis repetiverunt. Conf. infra, § 289. Occupatâ posthàc Chanaan, Hebræis non modò patuisse vastissimum desertum Juda, sed et alia plura fuisse pascua, supra observavimus, conf. Isa. 65, 10. Jer. 50, 19. Quare ditissimos Hebræos nomades deprehendimus, 2 Sam. 17, 27 et seq. 19, 32. 1 Sam. 25. 1 Paral. 27, 29, 31.

§ 44. *Migrationes nomadum.* — In his pascuis nomades cum gregibus suis easdem ferè quotannis vias et tractus tenent, et æstate quidem in septentrionem vel montana, hyeme verò in meridiem vel planities commigrant. Castra, instante migratione, duabus horis tolluntur, et jumentis imposita portantur usque in locum, in quo rursùs figenda sunt. Greges diu noctuque per totum annum sub dio versantur; hinc lana ovium, à vaporibus stabulorum immunis, et libero semper aeri exposita, subtilior fit. Pecudes semitam, quam quotannis ambulant, ferè nôrunt ut ductoribus non multum opus sit; custodiuntur tamen à servis, mercenariis, filiis et filiabus, et quidem à filiabus quoque Emirorum seu imperatorum, quæ peregrinis adhucdùm illa humanitatis officia. Gen. 24, 17, 20, memorata exhibent. Conf. Gen. 29, 9. Exod. 2, 16. Servi subsunt œconomo, qui itidem mancipium est, et senior domûs dicitur, atque oves vespere, et fortassè quoque mane, numerat, Gen. 24, 2, 47, 6. Lev. 27, 32. 1 Paral. 28, 29, 30. Jer. 33, 13. Si animal vel fœtus desideratur, jactura à mercenario resarcienda est, Gen. 31, 38, quod verò Exod. 22, 12, limitatum est. Conf. Amos. 3, 12. Mercenarii nonnunquàm mercedem capiebant quotam certam de augmento gregis, Gen. 29, 40. Servi, qui interdùm etiam nomine possessionis vel gregis comprehenduntur hyeme tentatoria, æstate verò persæpè tabernacula habent; domini verò toto anno tentoria habitant, nisi ad tempus in urbem vicinam concesserint, Gen. 19, 1,

26, 1, 12, 10, 20, 33, 17. Lev. 23, 43. Exstruunt quoque hinc inde speculam ex quo hostes fortè appropinquantes eminùs cernere possint, Mich. 4, 8. Ezech. 25, 4.

§ 45. *Fontes et cisternæ.*—Aqua, in desertis illis perrara, ingentibus tamen gregibus necessaria, magni æstimatur, et frugaliter dispensatur, Job 22, 7. Num. 20, 17, 19. Deut. 2, 6, 28. Lam. 4, 5. Hinc nomades in illis tractibus, quos quotannis peragrant certis distantiis fodiunt puteos et cisternas, quas ita occultare nôrunt, ut nullus alius eas observet, atque aquas furari, et easdem semitas peragrare possit. Hâc ratione nomades certos tractus occupant et sibi proprios reddunt, uti Abraham, Isaac et Jacob Palæstinam. Hinc lites de illis puteis permagni fuerunt momenti, Gen. 21, 25, 26, 15, 22. Zephan. 2, 6. Aquarum verò receptacula diversa distinguuntur. 1° Scaturigines et fontes. Qui, si supernè aquas emittunt, omnibus communes sunt, sive aquas toto anno continuas, vel, ut orientales eas compellant, *fideles* seu *veraces,* sive æstate deficientes, vel *mendaces,* habeant, Job 6, 15, 22. Isa. 33, 16. Jerem. 15, 18. Qui verò supernè aquas non emittunt, putei proprii sunt illis, qui primi eos occupârunt vel foderunt; nonnunquàm tamen pluribus nomadibus communes sunt, qui constitutis diei temporibus, cum gregibus ad eos conveniunt, aquam ordine præfinito, situlis vel utribus, per gradus putei apportantes, in canales effundunt, et greges ex ordine ad potum admittunt, Gen. 29, 3, 12. 24, 11, 15. Exod. 2, 16. Jud. 5, 11. Aquæ fontium et puteorum aquæ vivæ, ducuntur, et majoris æstimantur, Lev. 14, 5, 50, 15, 13. Num. 19, 17; quare sunt symbolum prosperitatis, et ipse quoque Deus fonti aquarum vivarum comparatur, Isa. 43, 19, 20; 49, 10 Jer. 2, 13; 17, 13; Ps. 87, 7; 73, 10. Joan. 4, 10, 14, 7, 37. Symbolum hoc interdùm audaciùs exaggeratur, Ps. 87, 7. Joel 4, 18. Ezech. 47, 1 et seq. Zach. 14, 18 et seq. 2° Cisternæ sunt illorum, qui eas effoderunt, Num. 21, 22. Veniunt hoc nomine cryptæ subterraneæ amplæ, et non rarò spatium jugeri occupantes, arcto verò ostio patentes, quod hyeme aquas pluviarum et nivium immissas excipit, deinceps verò lato lapide clauditur, et arenâ aut terrâ ita contegitur, ut non facilè observetur. In urbibus cisternæ erant melioris conditionis; nam muris subterraneis, qui incrustatione firmâ obducti erant, exstruebantur, aut in saxis exscindebantur, uti hinc inde rudera testantur, et non paucæ adhucdùm superstites sunt. Quòd si fortè aquæ nomadis, in cisternâ repositæ, terræ motu vel alio casu pereunt, vel furto auferuntur, instat pastoribus et gregibus periculum exitii, quod et peregrinatoribus ad fontem properantibus contingit, si aquæ in eo defecerint; quare defectus aquarum symbolum est permagnæ calamitatis aut etiam exitii, Isa 41, 17, 18; 44, 3. Cisternæ aquis vacuæ, permultum in imo lutum habent, ut, qui in eas projicitur, morte miserrimâ pereat, inprimis si ostium claudatur, ut neque clamor ejus audiri possit, Gen. 37, 22 et seq. Jer. 38, 6. Lam. 3, 53. Ps. 40, 3; 69, 16; nihilominùs cisternæ vacuæ usum carcerum præstabant, ut carceres, quoque supra terram exstructi, nomen בור retinuerint, Gen. 40, 15.

§ 46. *Pecudes minores nomadum.* — Pecudes, quas nomades magno numero alunt, sunt oves et capræ, Jer. 49, 29. Ezech. 25, 4, quas utrasque Hebræi collectivè צאן, sigillatim verò שה nuncupant. Oves sunt cornutæ, et omnes ferè albæ, Ps. 147, 16. Isa. 1, 18. Dan. 7, 9; perraræ sunt nigræ, parvis maculis, vel majoribus maculis conspersæ; striatæ, et variis circulis quasi circumligatæ, vel ut aliis placet, variegatis pedibus, Gen. 30, 32, 34; 31, 10, 12, Oves rutili vel potiùs splendentis fusci et subcinericei velleris, Ezech. 27, 18, in Caramaniâ habentur. Alioquin tria sunt in oriente genera ovium. 1° Oves communes, quas in nostris terris cernimus; 2° aliæ informes, cruribus brevioribus, corpore macilentiori, sed vellere optimo, Amos. 1. 2 Reg. 3, 4; et 3° oves nostris majores et vellere subtili, atque harum rursùs duæ sunt species; nam aliæ caudam habent ferè tribus cubitis longam et dimidiâ spithamâ crassam, quam interdùm curriculo impositam trahunt, Exod. 29, 22. Lev. 3, 9; 11, 3; 8, 25; 9, 19; aliæ autem, brevi quidem caudâ præditæ, sed in clunibus magnam pinguedinis massam gestant.

Emolumentum ovium est lac, caro, et inprimis lana, quæ bis quotannis tondetur, et quanquam demptis expensis, de quâlibet ove vix florenum, tot tamen ferè millia florenorum importat, quot oves aluntur, et aluntur à nomade in vastissimis desertis multa millia, Job. 1, 3. 1 Sam. 25, 3, 4. 1 Paral. 5, 18, 21. Accedit annuum gregis per agnos incrementum, quod eò majus est, quùm oves non paucæ geminos pariant, Cant. 6, 5. Aries infra tres annos coit cum ove, vel vere, vel autumno; et

agni vernales præstant autumnalibus. Hinc oves, quæ tanta emolumenta adferunt, charissimæ sunt nomadibus, qui illis etiam chara nomina imponunt. Aries, nomine à pastore evocatus, gregem præit; quare primores populi passim arietes nuncupantur, Jer. 25, 34, 35; 50, 8. Isa. 14, 9; 51, 40, Zach. 10, 3. Lingua arabica plures habet voces, quibus pastores suas oves errantes compescunt, vel eas advocant ad mulgendum, vel ad aquam; et oves pastoris vocem noscunt et sequuntur, Joan. 10, 3, 14. Interdùm una alterave ovis in tentorio, non secùs ac canis, educatur et alitur, quæ Arabibus familiaris dicitur, conf. 2 Sam. 12, 13, 19. Jer. 11, 19. Ante tonsuram oves in locum macerie cinctum subdivalem arctè coguntur, ut per evaporationem et sudorem lana fiat subtilior. Hujusmodi ovilia erant et aliàs usitata, Num. 32, 16; 24, 37. 1 Sam. 24, 4. 2 Sam 7, 8. Zeph. 2, 6: stabula verò nomadibus ignota sunt. Tempore tonsuræ convivia celebrabantur, 1 Sam. 25, 2, 4, 8, 36. 2 Sam 13, 23.

Capræ collectivè communi cum ovibus nomine צאן comprehenduntur, propriè verò dicuntur עזים, ab עז *capra;* hircus verò תיש, שעיר העזים, et צפיר dicitur. Nigro sunt colore, versicolores raræ. Sub dio degunt, ut oves, nisi fortè capella aut hædus, גדי, noctu in tugurium recipiatur, ne matrem sugat. Emolumentum est lac, חלב, omni alio lacte præstantius, Prov. 27, 27; caro in illis regionibus lauta, atque pili, ex quibus feminæ pannum conficiunt, quo tentoria Arabum operiuntur. Ex pellibus parantur utres, ita ut pars pilosa quidem sit exterior, si aquam aut aliud liquidum, interior verò, si vinum continere debeant. Ex pellibus hædorum et capellarum parvi utres conficiuntur, qui vicem lagenarum subeunt. Capræ Ancyranæ pilis serici naturam imitantibus (vulgò Kamehlhaar), videntur antiquis Hebræis notæ fuisse, et Schulz in der Sammlung der Raisen von Paulus VII, 108, 110, vidit gregem harum caprarum ex montibus non procul ab Acco et Ptolemaide descendere, sicut Cant. 4, 1, 2, 6, 5, describuntur. Diversas caprarum sylvestrium species enumerare non vacat. Cæterùm notatu dignum est, inter pecudes nomadum antiquorum non modò deesse porcos sed etiam gallinas et anseres. Gallinæ Hebræis recentiori ætate non defuerunt; nam gallina quæ pullos non suos allicit, memoratur à Jer. 17, 11, et ætate Christi cantat Gallus Jerosolymæ; nec audiendi sunt Thalmudici, qui fere ducentis annis recentiores, gallos et gallinas Jerosolymæ alii vetuerunt.

§ 47. *Boves.* — Boves, collective בקר, singillatim אלף, שור, אלפים, שורים, juvenes infrà tres annos עגל, עגלה, עגלות, עגלים, ultra tres annos פר, פרה, פרים פרות, dicuntur: אבירים nuncupantur a fortitudine, quod fere epitheton est. Hæc pecora in Oriente, nostris minora, et in dorso supra pedes anteriores protuberantià quâdam notabilia, magis quidem ad agriculturam faciunt, à nomadibus tamen non minùs aluntur, Gen. 24, 25. Job 1, 3. Bubulci, qui multò minoris fiunt quàm pastores ovium, optima pascua habebant in Baschan, Scharon et Achior. Hinc boves vel tauri Baschan, fortiores et ferociores, symbolum erant hostium potentiorum. Ps. 22, 13, 68, 31. Isa. 34, 7. Ezech. 36, 18. Deut. 33, 17. Prov. 14, 4. Cornua boum, et nonnunquàm etiam hircorum, tropicè pro potentià veniunt, Ps. 75, 11; 89, 18; 25; 92, 11. Amos. 6, 13. Jer. 48, 15. Lam. 2, 3. Ezech. 29, 21. Dan. 7, 7, 8, 24; 8, 3, 5. Luc. 1, 65. Symbolum hoc insuperabilem et omnia conterentem potentiam indicat, si cornua sistuntur ferrea, 1 Reg. 22, 11. 2 Paral. 18, 10. Mich. 4, 13, 16. Hinc et antiqui nummi repræsentant reges cornutos, et Arabes Alexandrum præditum cornibus, et magnates cornibus præditos nuncupant.

Boves non tantùm jugo subdebantur, et plaustris aratrisque jungebantur, sed etiam, inprimis apud nomades, dorso onera portabant. Lac vaccarum in alimentum et potum adhibebatur, Gen. 18, 8; in caseum convertebatur, Joc 9, 10. 2 Sam. 17, 19, et spissatum quoque utri infusum, percolatum asservabatur, ut dein secaretur in partes, quæ dicuntur segmenta lactis spissati 1 Sam. 17, 18. Butyrum verò olim populis cultis usitatum non fuit, ejus locum tenebat oleum olivarem, quod non modò ad olera, sed ad omnes etiam alios cibos adhibebatur. In Bibliis quoque de butyro nulla mentio; חמאה enim, quod in Vulgatâ butyrum vertitur, Jud. 5, 25, bibebatur; itaque spissum est lac. Lac et mel lautissimis ferculis accensebatur; ast iis quotidiè vesci, indicabat, ingentem præcessisse regionis depopulationem, ex quâ nunc ampla et optima ubique pascua aderant, ut abundantia quoque lactis esset, atque etiam apes numerosiores ampliùs mellificarent. Confisa. 7, 15.

Boves vel tauri sylvestres seu feri, in Bibliis non occurrunt; nam animalia quæ nominibus יחמור et ראם, רים veniunt, sunt species gazel-

larum seu caprarum ferarum, quæ, quia quamdam similitudinem boum referunt, ab Arabibus boves feri dicuntur.

§ 48. *De asinis.* — Asini et asinæ (quæ ob pullos quos pariunt, masculis præferebantur, et hinc omni occasione sigillatim recensentur) nomadibus erant frequentes, atque in Oriente, si sedulò educantur, jumenta sunt impigra, alacria, specie pulchra et minimè ignobilia; quare magni æstimantur, et tropicè pro hominibus sedulis et industriis veniunt; Gen. 49, 14. Color ferè est ruber vel potiùs fuscus, ad quem nomen חמור alludere videtur; erant autem etiam asinæ versicolores, Jud. 5, 10; 10, 4; 12, 14; 19, 3, 5, nisi fortassè coloribus pictæ fuerint; orientales enim adhucdùm equos et boves colore, quo visum fuerit, illinire amant. Jungebantur aratris et plaustris, atque recentiori ævo etiam majoribus molis, Matth. 18, 6; hinc Deut. 22, 10, cavetur, ne asinus cum bove aratro jungeretur. Plerumqùe autem asini dorso onera, aut etiam homines vehebant, ad quod aptissimi sunt. Vectari asino, olim erat virorum gravium et principum, Gen. 22, 3, 5. Num. 22, 1, 21, 30. Jos. 15, 18. Jud. 1, 14; 5, 10; 10, 4; 12, 14. 1 Sam. 25, 10, 23. 2 Sam. 17, 23; 19, 26. 1 Reg. 2, 40; 13, 13, 2 Reg. 4, 22. 24. Zach. 9, 9. Matth. 21, 1, 7. Marc 11, 1, 7. Luc. 19, 29, 36. Joan. 12, 12, 16. Equi enim ferè ad bellum destinati erant, et pacis tempore omnes asinis vehebantur, sicut orientales adhucdùm, etiam nobiles, inprimis verò matronæ asinis utuntur. Regebantur olim injecto freno Gen. 22, 3. Num. 22, 21. Jud. 19, 10. 2 Sam. 16, 1; 17, 23. Dorso verò non imponebatur nisi pannus aut superindumentum, cui vectus insidebat. Agaso cum baculo sequebatur, qui, si opus erat, jumentum ad celeritatem incitabat, Jud. 19, 3, 13. 2 Reg. 4, 24. Prov. 26, 3. Eccles. 33, 25.

Multi ætate Davidis occurrunt, 1 Paral. 12, 40. Ps. 32, 9. 2 Sam. 18, 9, 10; 13, 29. 1 Reg. 1, 33, 33, multò tamen antiquiores sunt, et probabiliùs jam ætate Mosis noti erant; nam etsi lex Lev. 19, 19, quâ cavetur, ne animalia diversi generis ad coitum admittantur, ad aversationem bestialitatis, quæ, teste Herodoto, in Ægypto interdùm etiam publicè committebatur, augendam spectet, notam tamen ponit hanc diversorum animalium consociationem; ast jam Gen. 36, 24, ימים esse mulos, probabile non est. Ad Hebræos muli ab aliis populis adducti fuisse videntur, et recentiori ævo præstantiores veniebant ex Thogarmâ seu Armeniâ, Ezech. 27, 14, in Persiâ Esth. 8, 10, laudantur magni muli, à pernicitate celebres, quorum matres equæ erant.

Onagrorum in Oriente ingens est numerus. Duæ autem observatæ sunt species, altera *Dsigetai*, et altera *Kulan* dicta, quæ posterior ab asinis domesticis, qui datâ occasione libertatem vindicârunt, descendere existimatur, conf. Bocharti Hierozoic. L. III, c. 16, p. 871. Hi onagri, Kulan dicti, animalia quidem sunt pavida, et fugâ velocia, cicurari tamen possunt, si pulli capiantur. Dsigetai autem multo celeriores sunt, et cicurari nequeunt, Job 11, 12; 24, 6; 39, 5, 8. Gen. 16, 12. Dan. 5, 21. Eccles. 13, 19. Dsigetai esse פרא, et Kulan ערוד, cum Job 39, 5, et cum usu loquendi arabico conciliari non potest, conf. Schultens in Job 39, 8, p. 1111, et Bocharti Hieroz I, L. III, c. 16, p. 869; quare פרא et ערוד duo nomina unius speciei esse videntur. Hæc animalia specie pulchra et fugâ pernicissima, desertissimas eremos incolunt, et homines in magnâ distantiâ fugiunt. Fœmellæ gregales sunt, et à masculo ducuntur, quo occiso, etiam ipsæ disperguntur, et singillatim vagantur, Os. 8, 9. Pascua onagris sunt montes et valles salsuginosæ, Job 39, 9. Lascivi esse dicuntur, et odoratu cæteris præstare, Jer. 2, 24, atque instinctu prædití esse, quo aquas dissitas observant; quare peregrini, penuriâ aquæ laborantes, eos sequi solent, Ps. 104, 11. Isa 32, 14. Jer. 14, 6.

§ 49. *Cameli.* — Camelorum duo sunt genera, alterum Turcicum seu Bactrianum, duplici tubere præditum, atque majus et fortius, 800 imò et 1500 libras portans, sed caloris impatiens; alterum unico tubere præditum, nonnisi 500 vel 700 libras portans, sed caloris patientissimum, quod rursùs est vel Turmanicum, vel Arabicum, vel genus quoddam pernicius, quod nomine dromedariorum venit, Isa 60, 6 66, 20. Jer. 2, 23. Hæc animalia mansuetissima sunt, excepto tempore uriginis, quo linguam ex ore pendulam et spumâ opertam habent, et immorigera sunt, Jer 2, 10, 11. Paucissimis alimentis saturantur, et sitim 16 imò et 40 dies tolerant; quare pro vastissimis illis desertis inaquosis quàm maximè faciunt, ideòque à nomadibus magno numero aluntur, nec nobilis censetur arabs, nisi dominus sit camelorum, Gen. 24, 10, 64; 31, 17. 1 Paral. 5, 19, 21. Jer 49, 29; conf. 1 Sam. 30, 17. 1 Reg. 10, 2. Isa 30, 6. Ezech. 25, 4. Hinc consueta sunt jumenta ad transportanda omnis generis onera

et sarcinas, Gen. 37, 25, Jud. 6, 5. 1 Paral. 12, 40. 2 Paral. 14, 14. 2 Reg. 8, 9. Isa 30. 6, atque persæpe homines quoque iisdem vehuntur. 1 Sam. 30, 17. Onusti incedunt septeni, alter post alterum, quorum quilibet tenui funiculo laneo nexus est præcedenti, et ultimus campanulam in collo pendulam gestat, ut agaso, qui primum simili funiculo ducit, audiat, omnes reliquos sequi. Hujusmodi cameli septeni dicuntur ex quo explicatur Isa 60, 6, quod Vulgata per *inundatio* camelorum vertit. Qui camelis vehuntur, vel insident sicut equo, vel ita, ut ambo pedes ex uno alterove latere dependeant, vel sedent super qualos, ex utroque latere cameli in equilibrio suspensos, vel denique in sellâ seu pilentâ (כר), quæ quasi parva domuncula est, in dorso cameli firmata, in quâ sedet homo secum habens supellectilem, persæpè in duas partes divisa est, ut in quâlibet sedeat viator. Hæc domuncula undique tecta est velis, quæ nonnisi in parte anteriori volubilia sunt, ut insidens, si visum fuerit, prospicere, videri autem non possit. Plerumque mulieres, rariùs viri eâ utuntur, Gen. 31, 17. 34. 1 Sam 30, 17. Si in viâ descendere visum fuerit, camelus non, ut alias, genua flectit, sed agaso acclinat animali baculum suum, in quo insidens delabitur, Gen. 24, 64. Cæterum cameli, quibus divites vehebantur, passim ornati erant torquibus et lunulis eximiis, quæ שהרנים dicuntur, jud. 8, 21, 26.

Nomades omnia hujus animalis in usum convertere nôrunt : lac bibunt, quanquàm glutinosum est, et, si acidum seu spissum sit, inebriat, Jud. 4, 19; 5, 25; carnibus vescuntur, quæ verò Hebræis Levit. 11, 4, interdictæ erant; pilos, qui quotannis deflunt, in crassum pannum cogunt, quo plebeii vestiuntur, Matth. 3, 4. Arabes plurimas quoque in linguam suam intulerunt allusiones ad camelos, et tropi ab illis deprompti tantâ gaudent dignitate, quantâ Hebræorum à bobus deprompti. Occurrunt quoque Matth. 19, 24; 23, 24, duæ à camelis desumptæ sententiæ.

§ 50. *De equis.* — Equi רכש, רכב, פרש, et nonnunquàm etiam רכב dicuntur, Job 38, 22. 1 Sam. 8, 11. 2 Sam. 1, 6; 8; 4; 10, 18. 1 Paral. 18, 4. Isa 21, 7; 28, 28. Nomen אבירים, Isa 8, 16; 50, 11, epitheton fortitudinis est, quod non solis equis, sed etiam bobus tribuitur. Hæc recentioribus nomadibus charissima animalia, antiquis non erant. Occurrunt primùm in Ægypto, Gen. 47, 17; 49, 17. Exod. 9, 3; 14, 6, 28. Job 39. 6, 19, quæ regio et deinceps perpetuo ab equis celebris fuit, 1 Reg. 10, 28. Isa 31, 1; 36, 9. Ezech. 17, 15. In Palæstinâ septentrionali Josue c. 11, 4, 9, offendit currus bellicos et equitatum, sed equis captis nervi succisi fuerunt, quia in Palæstinâ montosâ exiguum usum præstare poterant, conf. Jud. 4, 15; 5, 22, 28. Paulo post Philistæi quoque currus bellicos in prælium eduxerunt, jud. 1, 19; conf. 1 Sam. 13, 5. 2 Sam. 2, 6.

Olim equi fere solum ad bellum parati erant Prov. 21, 31; quare asinis, tempore pacis usitatis, opponuntur. Os. 14, 4. Zach. 9, 9. Hebræi equitatum primùm aluerunt sub Salomone; nam qui à Davide, ex prædâ reservati fuerunt 100 equi, 2 Sam 8, 4. 1 Paral. 18, 4, erant ad usum regis destinati, quod exemplum imitatus est Absalom. 2 Sam. 15, 1. Hinc David non tantùm canit rationem domandi equos, sed etiam subsannat exercitus equestres, Ps. 32, 9; 66, 12; 20, 8, 12; 33, 17; 76, 7; 147, 10. Salomon magnam simul equorum, ex Ægypto in Syriam, mercaturam fecit; adducebantur ex Ægypto et ex Kovâ, fortasse Kuâ, quæ in Africâ sita est, 1 Reg. 10, 28. 2 Paral. 1, 16, 17; atque equus 150, quadriga 600 siclis venumibat. Ætate Ezechielis c. 27, 14, Tyrii equos emebant ex Thogarmâ seu Armeniâ. Post Salomonem Hebræi perpetò habebant exercitus equestres et currus bellicos. Qui equis vehebantur, nec ephippio, neque stapiâ utebantur, sed panno, qui dorso equi imponebatur, insidebant. Mulieres vix equis utebantur; si autem iis vehebantur, insidebant, prout asinis (sicut adhucdùm in Oriente) eâdem ratione, quâ viri. Equi ante seculum nonum quoque soleis ferreis carebant, Amos 6, 12, quare solidæ ungulæ magni æstimabantur, Isa. 5, 28. Notissimum autem erat frenum et capistrum, quo utroque etiam muli regebantur, Ps. 32, 9.

§ 51. *De Canibus.* — Etsi nomadibus canes, ad custodiendos et agendos greges necessarii, et in urbibus quoque orientalibus perquàm frequentes sunt, ab omnibus tamen, ut animalia immunda, spernuntur, exceptis solis venaticis qui mundi censentur. Hinc compellatio canis, mordax est convicium, contemptum spirans, Job. 30, 1. 1 Sam. 17, 43. 2 Sam. 3, 8. 2 Reg. 8, 13, Prov. 26, 11; conf. Luc. 16, 21. 2 Petr. 2, 22, et nomen canis mortui, simul imbecillitatem indicat, 1 Sam. 24, 15. 2 Sam. 9, 8; 16, 9, merces quoque pæderastriæ ex contemptu dicebatur *merces canis*, Deut. 23, 18; ac Judæi ætate Christi, ethnicos nuncupare solebant canes, quod Jesus per diminutivum *cani-*

culi, emollivit, Matth. 15, 22, 28. Aliàs homines mordaces hoc scommate veniunt, Matth. 7, 6. Philipp. 3, 2. Gal. 5, 15. Exceptis venaticis canes in Oriente non habent dominos, sed liberi vagantur in plateis, et alimenta conquirunt, quæ illis hinc inde in foveas conjiciuntur, Lev. 22, 31. Matth. 15, 17; quia autem hæc vix sufficiunt; etiam cadavera vorant, et homines quoque noctu invadunt, Ps. 21, 17; 22. 1 Reg. 14, 11; 16, 4; 20, 21; 21, 23; 22, 38. 2 Reg. 9, 36. Jer. 15, 3. Luc. 15, 21. Hæc animalia, tantâ copiâ vagantia, noctu, quolibet exorto tumultu, latratus ingentes edunt, et audito Orientalium planctu de mortuo, undique ululant, atque hinc explicandum est, Exod. 11, 7. Conf. quoque Jos. 10, 21.

Canes aurei seu feri, persicè *Schaghâl*, turcicè *Dschakâl* dicuntur, ab Hebræis verò, Aramæis et Arabibus nomine vulpium comprehenduntur, Job. 5, 18. Jud. 15, 4. Neh. 3, 15; 11, 27. Vulpes autem proprias Hebræi per epitheton *parvas* distinguunt, Cant. 2, 15, et canes aureos dicunt quoque nonnunquàm איים et תנים, תן, Ps. 44, 20. Job 30, 29. Isa. 13, 22. Mich. 1, 8. Jer. 9, 10. Ezech. 32, 2. Hæc animalia sunt inter canem, lupum et vulpem media 3 1/2 pedes longa, pilis flavis in extremitate nigrescentibus, et caudâ pilosâ in nigrum colorem desinente. Gregalia sunt, interdiù in antris latent, noctu vagantur et ululant, Job. 30, 29, 30; domus quoque irrepunt, ut alimenta furentur. Cæterùm adeò fatua sunt, ut furto occupata, audito ululatu alterius socii ululent, et se ipsa prodant; aliàs quoque facilè capiuntur, Jud. 15, 4. Cadavera quoque vorant, Ps. 63, 11. Mordacia quidem, solo tamen baculo compescuntur. Magna est harum bestiarum in Palæstinâ copia, inprimis in Galilæâ, ad Gazam et Jaffam seu Joppen, Jud. 15, 4. Vineis quidem, dispendia, multò tamen majora vulpes inferunt, Cant. 2, 15.

§ 82. *De venatione.* — Canes nomadum, utut copiosi, minimè tamen sufficiunt ad depellendas à grege belluas rapaces, nisi pastores ipsi eas dejiciant; quare facilè assuescunt venationi, eique eò diligentiùs operam navant, quia carnes ferinas lautissimis ferculis accensent. Primi ævi homines, ut se contra feras tuerentur, ad venandum cogebantur, et magnus venator de humano genere benè merebatur, qualem quipiam, non omnia adjuncta accuratè pensantes, Nemrodum fuisse statuunt, Gen. 10, 9. Tale verò non ampliùs erat ævum, quo Deus, per Mosen Hebræis leges tulit; quare de venatione duæ tantummodò leges latæ sunt, Exod. 23, 11, Lev. 25, 6, 7. Deut. 22, 6, 7, quæ ad conservanda ferarum Palæstinæ genera collineant. Venatio olim requirebat celeritatem et fortitudinem; hinc quippiam, leones quoque absque armis jugulaverunt, quod in Oriente hodiedùm aliqui præstant. Arma erant eadem, quorum in bello usus, nempe arcus et sagittæ; unde jam venator Ismael Gen. 21, 20, dicitur sagittarius; porrò hasta seu lancea, jaculum, gladius, astus quoque et insidiæ in subsidium vocabantur, uti retia, quibus etiam leones capiebantur, Ezech. 19, 8; porrò tendiculæ, laquei atque foveæ, quæ imprimis leonibus parabantur orbiculares, ita ut meditullium maneret elevatum, in quo fixus palus agnum retinebat; hujus balatus leones accersebat, qui, agnum rapturi, in profundam, ramis leviter contectam foveam delabebantur, ut evadere non possent, Ezech. 19, 4. Aves retibus capiebantur, Prov. 1, 17. Os. 5, 12. Amos 3, 5. Hæc technæ et machinationes passim tropicè usurpantur, et insidias, summum discrimen, vel præsens exitium significant, Ps. 9, 16; 57, 2; 60, 23, 24; 94, 13; 119, 85. Prov. 26, 27. Isa. 24, 17; 42, 22. Jer. 5, 27; 6, 21; 18, 22; 48, 44. Luc. 21, 35. Rom. 11, 9. Ipsa quoque mors sistitur venator, jaculo vel stimulo et reti armatus, quibus homines capiat et interficiat, Ps. 91, 3: Os. 13, 14. 1 Cor. 15, 55.

De cæteris animalibus, quæ in Bibliis occurrunt, consule Bocharti Hierozoicon, à Rosenmullero secundis curis editum 1793, 96. Lipsiæ, et Œdmann Sammlungen aus der Naturkunde zur Erklärung der heil. Schrift 1786, 96.

§ 83. *De prædationibus.* — Nomades probabilius à venatione ferarum ad deprædandos viatores delapsi sunt, quod negotium hucusque in vastis desertis, non secùs ac piratæ in mari, tractant. Id jam de Ismaele ejusque posteris Gen. 16, 12, prædictum legitur, et hi prædictionem hucusque opere complent; indomiti enim perpetuò fuerunt et sunt adhucdùm prædones, quibus tamen plerique alii nomades parùm cedunt. Latitant sub arenarum collibus, et peregrinos exspectant, atque usque ad cutem expoliant, conf. Jer. 3, 2, neque tamen quemquam interimunt, nisi quispiam ex ipsis interfectus fuerit; solent et laciniam spoliatis donare, ut nuditatem tegant; admittunt quoque, ut peregrini per legatos pretio satis æquo spoliationem redimant. Omnes quidem noma-

des perhumani sunt, advenas in castris omnibus humanitatis officiis liberaliter et gratis excipiunt, atque ab omnibus injuriis defendunt; ast prorsùs alii sunt homines, si peregrinis in desertis occurrunt. Sunt tamen et erant omni ævo etiam nomades, qui infame hoc negotium minimè reputant honestum; ex quibus fuit Abraham, Isaac, Jacob et Israelitæ, quorum tamen aliqui ad hoc ipsum nonnunquàm abrepti fuerunt, Jud. 9, 15; 11, 1, seqq. Mich. 2. 8.

CAPUT QUARTUM.

DE AGRICULTURA.

§ 54. *Emolumenta agriculturæ.* — Alterum hominum primæ ætatis negotium erat agricultura, Gen. 2, 15; 3, 17, 19, 4, 2, quæ maxima vitæ præstat commoda, et hæc antiquis illis, gentes agriculturâ destitutas cernentibus, magis perspicua erant. Conf. Xenophon in οἰκονομικῷ V, § 1, 2, p. 299, 305. T. IV, ed. Thieme. Quare Noe post diluvium ad eam rursùs reversus est, et quippiam quoque nomades eam minimè neglexerunt, Gen 26, 12, 14; 25, 34; 37, 7, Job 1, 3. Civitates autem plures, agriculturâ diligentiùs tractatâ, brevi tempore creverunt, inprimis civitates Babyloniorum et Ægyptiorum, qui antiquis aliis gentibus in hoc genere præcelluerunt. His accedunt Hebræi, qui agriculturæ emolumenta in Ægypto didicerunt, et deinde singulari semper industriâ insignes fuerunt.

§ 55. *Leges Mosaicæ de agriculturâ.* — Lex Mosaica 1° fundamentum civitatis jecit agriculturam, et civi cuilibet præfinivit fundum, quem coleret, et hæredibus relinqueret, nec unquàm in perpetuum, sed duntaxat usque ad proximè sequentem annum Jubilæum alienare posset, quâ lege cautum fuit, ne ditiores magnam agrorum multitudinem coemerent, et pauperibus deinceps, elocarent, quod in Oriente nullo non tempore, ad adhucdùm fieri consuevit. Huic legi additur 2° ut venditor, vel proximus consanguineus, agrum venditum, numerando pretium proventuum usque ad annum Jubilæum, redimere posset, Deut. 15, 19, 28, conf. Ruth 4, 4. Jer. 32, 7. Isa. 5, 8. Ezech. 7, 10. Decretum fuit 3° ut Hebræi, non essent nisi hæreditarii prædiorum suorum conductores et coloni regis Jehovæ, conf. infra, § 208. 4° Consuetudo agrorum terminos lapidibus signandi, jam olim vigens, Job 24, 2, in legem conversa fuit, et anathema indictum illi, qui terminos clàm dimovere auderet. Juxta has leges sub Josuà, regio in tribus, et dein in Hebræos singulos funiculo mensorio divisa fuit, Jos. 17, 5, 14; conf. Amos 7, 17. Mich. 2, 5. Ps. 78. 55. Ezech. 40, 3. Zeph. 2, 4. Quare funis quoque pro prædio venit. Ps. 16, 6. Jos. 17, 5; 14, 19. 9. Cæterùm res pecuaria non interdicta fuit.

§ 56. *Honos agriculturæ.* — Non modò emolumentum agriculturæ, sed etiam illa civitatis constitutio, quâ omnes Hebræi, tum in pagis et oppidis, tum in urbibus habitantes, sine discrimine essent rustici, huic conditioni conciliabat honorem, ut et ipsi ditiores, etsi non perpetuò cum suis servis arvum colerent, manum tamen ad aratrum ponere non dedignarentur, 1 Sam. 11, 7, 1 Reg. 19, 19, conf. 2 Paral. 26, 10. Judith. 8, 2. Sacerdotes et Levitæ, aliis quidem negotiis occupati, agriculturam tamen, ex quâ proventus suos percipiebant, vilipendere non poterant. Hic agriculturæ honos, etsi deinceps ingruente luxu imminutus, non tamen prorsùs desiit, et post exilium quoque, quùm multi Judæi essent mercatores, opifices et artifices, continuabat, inprimis sub ditione Persarum, qui, religione ducti, agriculturam maximi faciebant.

§ 57. *Media ampliandi ubertatem.* — Solum quidem Palæstinæ uberrimum est, simodò non desit ros, et pluvia autumnalis et vernalis; quare regio, opposita Ægypto, à pluviis laudatur, Deut. 11, 10. Nihilominùs Hebræi solertiâ suâ telluri subveniebant, et non modò agros elapidabant, Os. 12, 11, sed etiam divisis in canales rivis agros rigabant, ut ipsos æstate quoque instar hortorum colere possent, Ps. 1, 3; 65, 10. Prov. 21, 1. Isa 30, 25; 32. 2, 2o. Quare scaturigines, fontes et rivi, agricolis æquè chari erant ac nomadibus, Jos. 15, 9. Jud. 1, 15, et hinc Chanaan, Deut. 8, 7, quoque a scaturiginibus et fontibus, qui in Ægypto desunt, laudatur, solum quoque fœcundabatur cineribus, in quos stramen, stipulæ, gluma et vepretes atque herbæ, quibus anno sabbatico campi obducebantur, igni in agrum immisso, redigebantur, quo simul semina herbarum noxiarum destruebantur, Isa. 7, 23; 32, 13. Prov. 24, 32. Denique stercoratio quoque minimè neglecta fuit, Ps. 83, 11. 2 Reg. 9, 37. Isa. 25, 20. Jer. 8, 2; 9, 22; 16, 4; 25, 33, Luc. 14, 34, 35.

§ 58. *Genera frumentorum.* — Frumentum de quo mentio occurrit, est triticum, milium, zea seu spelta, holcus, hordeum, fabæ, lentes, cuminum pratense, melanthium, linum, gossipium; his accedunt diversæ species cucumerum, et fortassè orysa, Isa. 28, 25. Secale et avena hodiedùm in climatibus calidioribus non

habetur, sed suppletur per hordeum, quod, mixtum confracto stramine, pabulum est jumentorum. Triticum, quod etiam frumentum per excellentiam vocatur, in Ægypto ætate Josephi crescebat, ut nunc in Africâ, in fruticeta seu ramos, quorum quilibet spicam progerminabat, Gen. 41, 47. Id quidem in Palæstinâ non obtinet, sed triticum Palæstinense multo est præstantius Ægyptio. Gossypium non solùm in arboribus magnis et multos annos durantibus, sed etiam in fruticibus, qui quotannis seruntur, crescit in capsulis instar nucum, quæ maturescentes dissiliunt, demùm decerptæ atque aprico expositæ, intumescunt in magnitudidem magni mali, et exhibent gossypium cum aliquot granis, quæ sequenti anno rursùs seruntur. Gossypium fruticum, βυσσος, albedine præstat.

§ 59. *Instrumenta agriculturæ.* — Cultura soli initio simplicissima, non aliis instrumentis quàm scipionibus acutis agebatur, quibus humus relaxabatur, donec pala seu spatha, et deinceps aratrum, excogitaretur, quæ utraque instrumenta ætate Mosis notissima erant, Deut. 23. 10. Gen. 45, 6. Job. 1, 14. Primùm aratrum profectò non erat nisi ramus arboris solidior ex quo alius ramus amputatus et acuminatus prominebat; hic in solum conversus sulcos ducebat, quùm in altero rami oblongioris termino baculus transversus alligaretur, cui jumenta jungebantur. Adjiciebatur demùm stiva, quâ hoc aratrum simplicissimum regi posset. Denique componebatur aratrum quatuor partibus, temone, jugo, quod temoni alligatum erat stivâ et vomere, 1 Sam. 13, 20, 21. Mich. 4, 3 (Aratra rotis instructa Plinius Hist. nat. XVIII, 47, memorat, suâ ætate fuisse recenter inventa). Arator itaque stivam aratri, rotis carentis, manibus perpetuò et firmiter tenere, et ne loca quæpiam manerent intacta, cernuus et pronus incedere, oculosque in aratrum defigere debebat; Luc. 9, 62. Plinius, loc. cit. XVIII, 49, n. 2.

Rulla erat simul stimulus boum, atque hodiedùm in Oriente est pertica, octo pedes longa, cujus extremitati crassiori rulla seu ferreum rutrum affixum est, quo glebæ à vomere abiguntur. Altera extremitas in cuspidem ferream seu stimulum desinit, cujus punctione arator boves alacritatis admonet. Hinc patet, rullam seu stimulum hunc potuisse quoque usum hastæ præstare, 1 Sam. 13, 21. 2 Sam. 17, 29. Jud. 3, 31. Aliàs et flagellum jumentis adhibebatur, Isa. 10, 26. Nah, 3, 2.

Occa nil aliud fuisse videtur, quàm quod hucdùm est in Ægypto, nempe asser crassus, pondere injecto vel viro insidente gravatus, et à jumentis super arvum aratum tractus, quo glebæ comminuebantur, et arvum complanabatur, quod verbum שדד, quia Isa. 58, 24, 25, conf. Job 39, 7, cum שוה, complanavit, permutatur, propriè significare videtur; recentiori ævo usitatæ fortè etiam erant crates vimineæ, quarum Plinius ibidem, art. 43, meminit.

Modernus quidem Oriens, exceptâ Indiâ currus ignorat; ast olim non modò plaustra, Gen. 45, 7. Num. 7, 3, 6, 7, 8. 1 Sam. 6, 7, 8, 10, 11, 14. Amos 2, 13. Isa 5, 18; 28, 28, et currus bellici, sed etiam rhedæ et carpenta splendida usitata erant, Gen. 41, 43; 45, 19, 21; 47, 29. 2 Reg. 5, 9. 2 Sam. 15, 1. Act. 8. 28. Omnes autem currus antiqui duabus duntaxat rotis volvebantur. Carpenta undique contecta matronis usitata fuisse novimus, in Bibliis autem non legimus.

§ 60. *Jumenta agriculturæ.* — Jumenta quorum ope labor agriculturæ sublevabatur, erant tauri, vaccæ, asini et asinæ. Job 1, 14. 1 Sam. 6, 7. Isa. 30, 24; 32, 20. Cautum duntaxat fuit Deut. 20, 10, ne asinus fortiori bovi jungeretur. Qui verò in Bibliis dicuntur boves, erant tauri; Hebræis enim Lev. 22, 2, omnis eviratio interdicta fuit, nisi fortè lex nonnunquàm violata fuerit. Malach. 1, 14. Tauri sub calidioribus climatibus, præsertim si non admodùm saginentur, non sunt adeò indomiti, ut aratro jungi non possent; si verò quippiam pinguioribus pascuis facti erant petulantiores, perforabatur eis nasi paries, et annulus ferreus vel ex pilis contortus immittebatur, cui lorum vel funis alligatus erat, et hoc attracto respiratio adimebatur, quo contumacior etiam taurus facilè domabatur. Hoc annulo etiam cameli, elephantes et leones vivi capti, gubernabantur, 2 Reg. 19, 28. Isa. 37, 27. Ezech. 19, 4. Job 40, 24. Tauri demùm senescentes, carnem ad alimentum vix idoneam præbebant; quare morti naturali relicti fuisse videntur; nam antiquius ævum his animalibus, laborum sociis, admodùm clementer utebatur. Hinc tauris apud Hebræos quoque sua erat dignitas, ut tropi, ab ipsis deprompti, elegantiâ nihimè carerent. Num. 22, 4. Deut, 33, 17.

§ 61. *Agri præparatio.* — Sementis altero dimidio octobris inchoabat, quo, uti et sequenti etiam novembri et decembri, triticum terræ mandabatur; hordeum verò etiam januario et februario. Ager arabatur, et pars quæ jugo seu bigâ boum per diem arabatur, dice-

batur quoque jugum, 1 Sam. 14, 14. Jugum ipsum collo et humeris jumentorum incubabat, et funibus, non cornibus taurorum et vaccarum, sed, ut nunc in Oriente usitatum est, temoni alligatum et adstrictum erat; unde tropi subjugationis desumpti sunt, Hos. 10, 11. Isa. 9, 3; 10, 27. Jer. 5, 5; 27, 2; 8, 12; 30, 8. Nahum. 1, 3. Ps. 129, 3; 4. Matth. 11. 29, 30. Gal. 4, 1. Sulcus in Syriâ, attestante Plinio Hist. nat. XVIII, 3, non erat profundus. Canales tranjectis sulcis orti, et elevationes, occabantur et complanabantur, Job 39, 10. Isa. 28, 24, 25. Os. 10, 11. Semen probabilius occatione terræ mandabatur, ut Plinius refert; videtur tamen non raro, prout nunc in Oriente fieri solet, in sulcum fuisse conjectum, ut altero tranjecto sulco contegeretur. Quùm autem lege Lev. 19. Deut. 22, 9, cautum esset, ne ager aut vinea semine duplicis generis consereretur, et seges hujusmodi sacra esset, id est, sacerdotibus cederet; dubio procul semen frumenti à commixtis seminibus loliorum sedulò purgabatur, atque ita zizanium diligenter separabatur; nam id nequaquàm est, ut Thalmudici censent, innoxia degeneratio tritici, sed lolium temulentum, quo panis, et etiam aqua decocta seu cerevisia, vim inebriantem concipit, et sanitati plurimùm noxia est; quare hæc cerevisia, vim inebriantem concipit, et sanitati plurimùm noxia est; quare hæc cerevisia, *aqua lolii* seu *venenata* dicitur, Deut. 29, 17, 18. Ps. 69, 22. Jer. 8, 14; 23, 15. Os. 10, 4. Hinc Matth. 13, 25, 40, lolium ab inimico, operariis somno meridiano indulgentibus, superseminatum fuisse dicitur.

§ 62. *Messis.* — Segetes in Palæstinâ, jam mense februario tantæ altitudinis sunt, quantæ in nostris terris maio cernuntur. Hoc tempore, quo triticum jam ad cubiti altitudinem excrevit, nonnunquàm frigore vel vento frigido, ita læditur, ut spicam non faciat; hic morbus segetis dicitur, שדפון, et segetes læsæ dicuntur, קדים שדופות, Gen. 41, 6. Deut. 28, 22. 1 Reg. 8, 37. 2 Paral. 6, 28. Amos 4, 9. Agg, 2, 17. 2 Reg. 19, 26. Nonnunquàm verò segetes, jam mense novembri, à vento orientali hinc inde læduntur, ut flavescant, nec grana concipiant, qui morbus ירקון dicitur, Deut. 28, 22. Amos 4, 9. Jer. 30, 6. 1 Reg. 8, 37. 2. Paral. 6, 28. Agg. 2, 19. Nos priorem morbum, uredinem *(brand)*, et posteriorem, rubiginem *(gesengte saat)* dicimus; an autem sententia Orientalium, ventos esse horum morborum causam, veritate nitatur, multùm abest ut constet.

Segetes, in partibus Palæstinæ australibus et in locis planis circa dimidium aprilis, in borealibus et montanis verò tribus hebdomadibus posthàc, aut etiam seriùs maturescunt, et a vigilibus custodiuntur, qui lecto in arbore pendulo, vel contabulatæ ligneæ speculæ insident, et aves, quadrupedia et fures abigunt, Jer. 4, 16, 17, conf. Isa. 24, 20. Job 17, 18. Viatoribus verò lege Deut. 23, 26, indultum erat, spicas de alieno agro vellere, et grana manducare, dummodo falce non uterentur.

Secundâ die Paschatis, i. e., 16 à primâ neomeniâ aprilis, primus manipulus hordei maturi ad altare offerebatur, et tum messis, inchoabat, conf. Joan. 4, 35. Primùm metebatur hordeum, dein triticum, zea. milium, etc. Exod. 9, 31, 32. Ruth. 1, 22; 2, 23. Tempus messis, quòd à Paschate per septem hebdomades, nempe usque ad Pentecosten extendebatur, et hinc nomine hebdomadum messis veniebat, erat festivum, Deut. 16, 9, 12. Jer. 5, 24. Messores erant domini, filii, servi, ancillæ et mercenarii, Ruth 2, 4; 8, 21, 23. Joan. 4, 36. Jac. 5, 4, qui hilares et læti operi vacabant, ut undique cantus resonaret, Isa. 9, 3; 61, 7. Ps. 126, 6. Transeuntes gratulabantur de locuplete messe, Ps. 129, 8.

Antiquissimo ævo spicæ decerpebantur, vel culmi radicitùs evellebantur, quod adhucdùm in quibusdam orientis regionibus usitatum est, et hinc à Pharisæis pro labore servili, sabbatum profanante, habebatur, Matth. 12, 1, 5. Hebræi verò utebantur falce, Deut. 16, 9. Joel 4, 13. Jer. 50, 16, ut stipulæ, humi hærerent. Demessæ segetes brachiis comportabantur, et in manipulos colligabantur, Gen. 37, 7. Lev. 23, 10, 15. Joan. 24, 10. Ruth 2, 7, 15, 16. Amos 2, 13. Mich. 4, 12. Jer. 9, 21, 22. Manipuli demùm in cumulum congerebantur, aut plaustro convehebantur, Amos 2, 13. Ps. 126, 6. Seges autem in angulo agri, atque spicilegium pauperibus relinquendum erat, Lev. 19, 9. Deut. 24, 19. Ruth. 2, 2, 22.

Regiones Orientis, nunc plerumque decimâ, raro vigesimâ aut tricesimâ fruge fœnus reddunt; ast Matth. 13, 8, ager tricesimâ, quinquagesimâ et centesimâ fruge reddidit et Gen. 26, 12, percipiuntur fruges centuplæ. Herodotus, Strabo et Plinius memorant fœnus frugum centesimum et quinquagesimum, imò etiam trecentesimum. Hæc tanta multiplicatio profectò indè venit, quod grana singula separatim, majori à se invicem distantiâ, terræ infigebantur, et in fructices succrescebant,

Gen. 41, 5, 47, quorum quippiam, referente Plinio loc. cit. XVIII, 21, 55, etiam 300—400 spicas habebant, et in Africâ adhucdùm saltem 10 et 15 spicas ferunt.

§ 63. *Area.* — Manipuli manibus hominum vel jumentis, aut etiam plaustris, Amos, 2, 13, in aream, comportabantur, et in cumulum aggregabantur, Exod. 22, 5. Jud. 15, 5. Manipulus in agro, quin adverteretur, relictus, nequaquam repetendus, sed pauperibus in spicilegium cedendus erat, Deut. 24, 19. Area erat in ipso agro, et quidem in elatiori ejusdem parte, et parietibus tectoque carebat; neque enim aliud quidquam erat, nisi spatium orbiculare diametro 30—40 passuum, in quo solum complanatum et contusum erat, Gen. 50, 10. 2 Sam. 24, 16, 23. Jud. 6, 37, etc. Aggregatio manipulorum in aream ad triturationem, tropicè asservationem ad futuras clades designabat, Mich. 4, 13. Isa. 21, 10. Jer. 51, 33.

§ 64. *Trituratio.* — Principio frumentum baculis excutiebatur, quod deinceps in minutioribus duntaxat granis, aut in minori quantitate frumenti retentum fuit, Ruth. 2, 17. Jud. 6, 11. Isa. 28, 12, 17; aliàs enim subjiciebatur vel ungulis boum, Isa. 28, 28. Deut 25, 4, vel machinis, Job 41, 22, et quidem iisdem, quæ hodiedùm in Oriente usitatæ sunt. Hæc omnis trituratio quidem dicitur דוש; machinarum autem triplex genus commemoratur. Primum, Jud, 8, 7, 16, non liquet; fortasse erat asser inferiùs acutis lapidibus munitus; secundum, quatuor trabibus in quadrum compositum, inter quas tres cylindri volvebantur, quorum quilibet tribus rotis ferreis, in modum serræ dentatis, instructus erat; tertium denique in modum præcedentis compositum, nisi quòd cylindri, non rotis ferreis, sed acutis fragmentis ferreis, 6 pollices longis, et 3 pollices latis, muniti fuerunt. Fortè hoc genus idem est cum primo. Hæ machinæ, quibus agaso insidebat, junctis bobus, super manipulos solutos et in circulo areæ altitudine 6 et 8 pedum depositos, circumagebantur, et ita grana ex spicis excutiebantur, atque ipsum etiam stramen concidebatur, quod ita confractum תבן dicitur. Interim post machinæ cursum vir alius furcâ ligneâ ordinem strati restituebat. —Trituratio tropicè persæpè venit pro magnis cladibus, et si machina dicitur nova, quæ acutior esse solebat, clades designantur eo majores; interdùm populus victor [illegible] tanquàm machina prægrandis, quæ colles et montes, ut stramen, triturat seu comminuit; nonnunquàm tamen victi reverà in terram, sicuti manipuli in aream, prosternebantur, et his machinis triturationis conterebantur, Jud. 8, 7. 2 Sam. 12, 32, Amos 1, 3, conf. Mich. 4, 13, 14. Quia verò Deut. 25, 4, prohibitum erat, ne bovi trituranti os ligaretur, conf. 1 Cor. 9, 9, 12. 1 Tim. 5, 18, jumenta machinam trahentia de spicis ad satietatem vorabant; quare hoc intuitu trituratio tropicè designat lautiorem vivendi rationem, Os. 10, 10, 11.

§ 65. *Ventilatio.* — Quæ triturata erant, in meditullium areæ conjiciebantur, et deinceps furcâ ligneâ objiciebantur vento leniori Jer. 4, 11, 12, qui stramen et glumam abreptam dispergebat, ut grana, glebæ cum granis infixis, atque spicæ hucusque nondùm excussæ, in terram deciderent. Glebæ illæ, uti et nunc in Asiâ fieri consuevit, collectæ conterebantur, et cribro à granis separabantur, quod symbolum erat jactationis fortunæ, Amos 9, 9. Luc. 22, 31. Cumulus ventilatus, qui multas fractas, nec plenè excussas spicas complectebatur, rursùs in aream exponebatur, et desuper plura juga boum circumagebantur, qui calcatione ungularum grana excutiebant. Demùm frumentum glumæ mixtum rursùs palâ objiciebatur vento, qui glumam auferebat, ut grana pura in aream deciderent, Ruth 3, 2. Isa. 30, 24. Hæc operatio symbolum erat dispersionis populi victi, quâ mali, ut quidem illo ævo existimatum fuit, à bonis separarentur, et tanquàm stramen et gluma inutilis abriperentur, Isa. 41, 15, 16; Jer, 13, 24; 15, 7; 51, 2; Job 21, 18. Ps. 1, 4; 35, 5; 83, 14. Matth. 3, 12. Luc. 3, 17. — Stramen dispersum, quantùm quidem ad conficiendos lateres, et ad pabulum jumentorum requirebatur, colligebatur; residuum verò cum glumâ et stipulis, ut supra dictum est, incendio in cineres redigebatur, quod ipsum tropicè pro excidio hominum malorum venit, Isa. 5, 24; 38, 11; 47, 14; Joel 2, 5. Obad. 18. Nahum. 1, 10. Jer. 15, 7. Malach. 3, 17. Matth. 3, 12. — Frumentum in cryptis subterraneis seu horreis custodiebatur; ast progressu temporis non modò in Ægypto, sed etiam in Palæstinâ granaria super terram, ædificata fuerunt, Gen. 41, 35. Exod. 1, 11. 1 Paral. 27, 25.

§ 66. *De vineis.* — Alterum objectum agriculturæ sunt horti, in quibus vel vites, vel arbores frugiferæ et olera coluntur. Agemus primò de vineis. Vites, in quibusdam regionibus Orientis, uti circa littora australia maris Caspii, suâ sponte et absque culturâ crescunt,

atque uvas jucundi saporis ferunt, quæ, primâ mox ætate, homines non invitare non poterant, ut fructicem hunc colerent. Conf. Bonfrer. comment. ad Gen. 9, 20. Hinc paulò post vinum quoque occurrit, Gen. 9, 21; 14, 18; 19, 32, 35; 27, 25; 49, 7. Job 1, 18. — Hebræi in vineis non secùs ac in agris colendis erant seduli, et solùm Palæstinæ ingenti fœnore optima vina reddebat. Præ cæteris verò à vino celebrantur montana Engedi, vallis Salinarum, atque valles Escholk, et Sorek, quæ autem postrema vox non modò nomen proprium erat vallis, sed etiam generosissimæ vitis, quæ acinos parvos quidem, sed dulcissimos et jucundissimos, nihil intùs ligni habentes, fert, et in regno Maroccano adhucdùm *serki* vocatur, nomine ex Sorek inflexo, conf. Plinius XVII, 35, 5, et Menochii de Republ. Hebr. L. 7, c. 8, quæst. 9. Aliàs in Bibliis vinum montis Libani et Chelbonense seu Aleppense laudatur Os. 14, 8. Ezech. 27, 18. In Palæstinâ ipsâ adhucdùm crescunt botri pondere 12 librarum; qui non modò permagnos acinos habent, sed etiam à viro unico illæsi procul portari non possunt, Num. 13, 24, 25. Cæterùm uvæ Palæstinæ pleræque sunt rubræ seu nigræ; unde descendit phrasis : *sanguis uvarum*, Gen. 49, 11. Deut. 32, 14. Isa. 27, 2, 3. Eccles. 39, 26. 50, 15. — Nonnullæ vites in illis terris, arboribus innixæ, in magnam exerescunt altitudinem et crassitudinem, atque ex his statuæ baculi ut sceptra regum parabantur, Ezech. 19, 11.

Vitis spontè sine culturâ crescens, de quâ diximus, non est, quæ 2 Reg. 4, 39. 1 Reg. 6, 18, vitis campi dicitur; hæc enim est, sicut et in Vulgatâ nostrâ rectè vertitur, *colocyntis,* quæ Jer. 2, 21, *vitis peregrina* seu *degener* dicitur. Denique vitis Sodomæ est solanum melangenæ, cujus fructus, ut supra dictum est, *uvæ lolii temulenti*, seu *venenatæ* vocantur.

§ 67. *Situs et dispositio vinearum.* — Vineæ plerumque in declivi collium et montium plantabantur, in quo terra, persæpè super nudas petras aggesta, nonnisi macerie suffulciebatur, Isa. 5, 1. Jer. 31, 5. Joel 4, 18. Amos 9, 13. Mich. 1, 6. Erant autem, testibus Strabone et Plinio, in locis quoque palustribus et irriguis vineæ percelebres, ubi vites altissimè exerescebant, et ex his inprimis supellectilia supra dicta conficiebantur, quùm palmites aliarum vitium non essent nisi alimentum ignis, Ezech. 17, 1, 8; 9, 10, 11; 15, 1, 3; 19, 11.

Vites serebantur surculis aut malleolis. Plinius ibid. XVII, 35, n. 6, ait, vineas fuisse quintuplicis generis, nempè vel sparsis per terram palmitibus, vel per se vite subrectâ, vel cum adminiculo sine jugo, vel compluviatas quadruplici. Nostrûm non est, hæc omnia persequi; id modò annotâsse juverit, Plinium rem nequaquàm acu tetigisse, si L. XVII, c. 35, 15, dicit, in Syriâ et totâ Asiâ morem prævalere, quo vites per terram sparguntur; id quidem convenit cum Ezech. 17, 6, 7; sed vites plerasque in altitudinem excrescentes, et arboribus, vel sustentaculis, vel jugo qualicumque innixas, vel per se ipsas consistentes, prodit phrasis proverbialis sæpiùs recurrens, *sedere sub vite suâ et sub ficu suâ*, i. e. vitâ tutâ et prosperâ frui, 1 Reg. 5, 5. Jer. 5, 17; 8, 13. Os. 2, 12. Mich. 4, 4. Zach. 3, 10. Quod Deut. 22, 9, cavetur, ne vinea duplici semine conseratur, et quæ ita consita esset, sacerdoti cederet; non de arboribus, sed de oleribus, quæ in intervallis vitium, quæ magna erant, serebantur, capiendum est.

Vineæ cinctæ erant veprete vel septo, vel macerie, Num, 22, 24, Ps, 80, 13. Prov. 24, 31, Isa. 5, 5; 27, 2, 3. Jer. 49, 3. Neh. 4, 3. Matth. 21, 33. Ædificatæ quoque in eis erant turres, Isa. 5, 2. Matth. 21, 33, quæ nunc quidem in illis terris, 30 pedes longæ et latæ, atque 80 pedes altæ sunt. Hæ turres erant speculæ custodum, qui fures, belluas et inprimis vulpes et canes aureos arcebant, Cant. 1, 6; 2, 15. Lege tamen Deut. 23, 25, cautum fuit, ne custos transeuntem prohiberet, uvas decerpere, quas manducaret in viâ, si modò eas non vase aliquo auferret.

§ 68. *Cultura vinearum.* — Modus vitem putandi, et ipse quoque singularis culter vinicolæ, jam ævo Mosis notissimus erat, Lev. 25, 3, 4, conf. Isa. 2, 4, 5, 6; 18, 5, Mich. 4, 3. Joel 4, 10. Quùm autem Exod. 34, 26, et Num. 18, 11, vindemia novæ vineæ primis tribus annis interdicta esset, et uvæ quarti quoque anni, usui sacro dedicatæ essent, vites dubio procul his primis annis, ità putabantur, ut paucæ gemmæ relinquerentur, et vites anno quinto, quo prima profana, i. e. libera erat vindemia, robustiores et fertiliores fierent. Triplicem putationem hinc inde consuetam fuisse, nempè martio, aprili et maio, non modò Brochardus, sed et Plinius XVI, 49, testatur, atque Homerus quoque pro noto ponit, Odyss. VII, 120. Cæterùm Hebræi vineas elapidabant, et fodiebant, Isa. 5, 2. Palmites, nisi arbores obreperent, pedamentis vel jugis alligabantur, et vitibus, quæ per terram spargebantur, breves

ad innitendum caveæ circumdabantur, scrobibus per ambitum factis, ne vagi palmites inter se pugnarent occursantes. Hæc solertia culturæ in allegoriis, quæ à vineis depromuntur, ritè æstimanda est, Isa 5, 1 ; 27, 2, 6. Ps. 80, 9, 13. Matth. 21, 33, 46.

§ 69. *Vindemia et torcular.* — Vindemia in Syriâ inchoat medio septembri, et continuat usque in medium novembrem ; quæpiam uvæ in Palæstinâ autem jam junio et julio maturæ sunt, quod fortassè triplici putatione vitis venit, quâ positâ, etiam triplex est vindemia, primâ mense Augusto ; secunda septembri, et tertia octobri ; uvæ tamen in vitibus adhuc novembri et decembri habentur. Recematio ab Hebræis relinquenda fuit pauperibus, Lev. 19, 10.

Tempus vindemiæ erat lætissimum, Jud. 9, 27, Isa. 16, 10. Jer. 25, 30 ; 48, 34. Canticis undique resonantibus uvæ abscindebantur et comportabantur in torcular, quod erat in ipsâ vineâ, Isa, 5, 2. Zach. 14, 10. Hagg. 2, 15. Matth. 21, 33. Apocal. 14, 19, et constabat duobus receptaculis, quæ vel lapidibus ædificata, et gypso obducta, vel grandiori saxo excisa erant. Alterum superius, גת dictum, nunc quidem in Persiâ est ferè 8 pedes longum et latum, et 4 pedes altum, in quod uvæ conjiciuntur, et à quinque viris calcantur, ut mustum, per foramen, quod in pariete penès fundamentum receptaculi adaptatum et clathratum est, in receptaculum inferius defluat. Calcatio torcularis erat molesta et squalida; vestes enim rubro musto inquinabantur, Isa. 63, læta tamen et cum cantu ad modum instrumentorum musicorum peragebatur, atque calcatores sæpè exclamabant *hedad,* ut saltatio quæpiam fuisse videatur, Isa. 16, 9, 10. Jer. 25, 30 ; 48, 32, 33. Tropicè vindemia, recematio, et calcatio torcularis, prælia ét ingentes clades significat, Isa. 17, 6. 63, 1, 3. Jer. 49, 9. Lament. 1, 15.

Mustum, ut hodiedùm in Oriente usitatum est, in magnis amphoris asservabatur, quæ in terram defodiebantur ; *cellæ vinariæ* non erant subterraneæ, sed super terram ædificatæ, in quibus amphoræ, ut nunc in Persiâ, in terram infossæ erant, vel humi consistebant. Olim tamen mustum quoque in utribus asservabatur, qui, ne fermentatione rumperentur, novi erant, Job 32, 19. Matth. 9, 17. Marc. 2, 22. Mustum partim quoque coquebatur, ut syrupus fieret, qui nomine mellis comprehenditur, Gen. 43, 11. 2 Paral 31, 5. Ipsæ etiam uvæ partim in aprico siccabantur, et in massas coagmentabantur, quæ אשישי ענבים et צמוקים dicebantur, 1 Sam. 6, 19, 25, 18, 30 ; 2 Sam. 16, 1. 1 Paral. 12, 14. Os. 3, 1. Ex his uvis passis, vino impositis, et rursùs expressis, vinum dulce conficiebatur, quod æquè mustum dicebatur, Act. 2, 13.

§ 70. *De Hortis.* — Olera et arbores frugiferæ, prima erant agriculturæ objecta ; hinc horti sunt antiquissimi, et nullo non tempore frequentes erant. Ab Hebræis dicebantur גנ, recentiori ævo nomine quoque persico פרדס, παραδεισος, *paradisus,* veniebant, et sedulò colebantur. Hebræi recentiores ad hortorum culturam eò magis excitabantur exemplo Syrorum, quos Plinius ab hâc culturâ præ cæteris laudat. Arbores multiplicabantur semine et surculis vel malleolis ; dein transplantabantur, fodiebantur, stercorabantur et putabantur, Job. 8, 16. Isa. 17, 10. Insertio tropicè occurrit Rom. 11, 17, 24. Nunc quidem horti in Persiâ bono ordine dispositi, sed in regno Othomanorum simplicissimi sunt, fons tamen, aut rivus, vel receptaculum aquarum nunquàm deest, Dan. 13, 4. Eccles. 21, 40, 41. In Bibliis horti à potiori parte arborum denominantur, ut *hortus nucum ; paradisus malorum punicorum seu granatorum,* Cant. 6, 11 ; 4 13, uti et sylva Palmarum erat hortus grandis in planitie Jerichuntina, in quâ, teste Strabone p. 763, palmis aliæ quoque arbores interpositæ erant. Orientales hodierni hortos non minùs amant quàm antiqui Hebræi, non modò quia fructus delicatiores ferunt, sed etiam quia umbra est gratissima, et aquis, quibus horti carere non possunt, aura refrigeratur, 1. Reg., 22, 2. 2 Reg. 25,. 4. Os, 9, 13. Cant. 4, 13; 6, 1. Eccl. 2, 5. Joan. 8, 1 ; 20, 15. Hebræi etiam post mortem in hortis quiescere amabant, ideòque in ipsis passim sepulcra parabant, 2 Reg. 9, 27 ; 21, 18, 26. Marc. 15, 46. Matth. 26, 39. Joan. 18, 1, 2. Hinc etiam regiones amœnæ dicuntur hortus Dei, i. e., peramœnus, et arbores quoque frequenter tropicè pro hominibus veniunt ; semper virentes et frugiferæ significant probos ; infructuosæ autem et aridæ improbos, et altissimæ cedri reges, Job 26, 19. Ps. 1, 3, 5. 92, 15. Os. 14, 6, 7. Jer. 17, 8. Dan. 4, 1 ; 7, 10. Luc. 23, 31. Matth. 3, 9 ; 7, 17, 20 ; 12, 33. Ezech. 17, 3 ; 4, 21 ; 31, 3, 13. Imò cœtus quoque hominum sylvæ, atque multitudo improborum vepretibus assimilatur, Isa. 9. 10 ; 10, 19 ; 33. 34 ; 11, 1. Quaspiam arbores, in Bibliis sæpiùs commemoratas, et aliundè minùs notas paucis enarrabimus.

§ 71. *Oleæ.* — Antiquissimum et admodùm

quæstuosum objectum rei rusticæ, erant oleæ, quarum ramus jam Gen. 8, 12, et deinceps omnibus gentibus perpetuò fuit symbolum pacis et prosperitatis. Oleum jam occurrit Gen. 28, 18. Job 24, 11, quod culturam arboris multò antiquiorem fuisse docet. In Palæstinâ oleæ sunt optimæ indolis, et præbent oleum præstantissimum; hinc regio etiam ab his arboribus laudatur, inprimis opposita Ægypto bonis oleis carenti, Num. 18, 13. Deut. 7, 13; 11, 14; 12, 17; 18, 51. His arboribus conducit solum jejunum, arenosum, siccum et montosum; undè et mons Olivarum nomen duxit. Arbor, aspectu jucunda, et hieme quoque virescens, ramos latè porrigit; quare symbolum erat multarum prolium, Ps. 52, 10; 128, 3. Os. 14, 7. Jer. 11, 16, 17. Perdurat etiam 200 annos, et eà vivente jam adsunt juvenes oleæ, quæ locum morituræ occupant; nihilominùs etiam surculis plantari solent. Cultura non est alia, nisi fossio terræ, et putatio ramorum vel frondium. Fructus palato quidem suaves sunt, ferè omnes tamen in torcular conjiciuntur, ut oleum obtineatur, cujus ex unâ arbore nonnunquàm 1000 libræ percipiuntur. Hinc Hebræi cum Tyriis quoque magnam olei mercaturam faciebant, Ezech. 27, 17, conf. 1 Reg. 5, 25, et regibus Ægypti oleum dono mittebant Os. 12, 2. Cæterùm baccæ olearum, antequàm maturescant, manibus decerpuntur, vel leniter decutiuntur, Isa. 17, 6; 24, 13. Deut. 34, 20, atque, si adhùc virides sunt, et non torculentur, sed solùm tundantur et exprimantur, oleum generosissimum fundunt, omphacinum, et etiam tusum et viride. Torcularia verò ad exprimendum oleum erant singularia, גת שמנ dicta (undè nomen γεθσεμανῃ, Matth. 26, 30. Joan. 18, 1, descendit), in quibus olivæ calcabantur, Mich. 6, 15, et primum flumen secundo, ac secundum tertio generosius erat. Maturæ baccæ olivarum fundunt oleum levius. Oleum generosissimum aromatibus mixtum, ad unctiones, reliquum ad omnes cibos adhibebatur; quare etiam in sacrificiis, quæ quasi convivium regis Dei erant, olei usus præcipitur, Lev. 2, 1, 7; 15, 6, 8, 9, conf. Bonfrer. Comment. ad Lev. 1, 1, 16, et Menochii de republ. Hebr. L. 2, c. 9, quæst. 1.

Cotinus, κότινος, et oleaster, ἀγριέλαιος, dicuntur ambæ quidem oleæ sylvestres, diversæ tamen sunt arbores, etsi nonnunquàm ab ipsis Græcis confunduntur. Fructus cotini nonnisi ad colores inducendos utilis; oleaster verò, seu agrippa elæagnus Linnæi, ipsa est olea sine culturâ, cujus ramusculi, teste Sculzio in der Sammlung der Reisen von Paulus VI, 290, sterilibus oleis cultis inseruntur, ut fertilitas promoveatur, conf. Rom. 11, 17, 24.

§ 72 *Ficus*. — Non minùs frequentes in Palæstinâ sunt ficus, quæ in solo quoque arido et arenoso proficiunt, atque nequaquam, ut in nostris hortis, frutices, sed arbores sunt, non quidem rectè in altum excrescentes, attamen altæ et frondosæ, quarum umbra peramœna est, Hebræis benè cognita, Mich. 4, 4. Os. 2, 6, pullulant æquinoctio verno, Luc. 21, 29, 30. Matth. 24, 32, et primum fructus, nullis præcedentibus foliis et floribus, protrudunt; folia demùm circa finem martii progerminant. Matth. 21, 19. Marc. 11, 13. Fructus triplicis sunt generis: I, ficus præcox, quæ æquinoctio verno progerminat, nondum matura *grossus*, et matura *ficus præcox* dicitur, Cant. 2, 13, Os. 9, 10. Jer. 24, 2; altero dimidio junii maturescit, conf. Marc. 11, 13. Matth. 21, 19, atque reliquis sapore præcellit, Os. 9, 10; II, ficus æstivalis seu carica, circa dimidium junii prorumpit, et augusto maturescit; III, ficus hyemalis quæ augusto protruditur, et non maturescit nisi defluis jam foliis arboris, circa finem novembris, longior et colore magis fusco est. Ficus omnes, inprimis autem præcoces, maturæ spontè decidunt, Nah. 3, 12. Manducantur recentes, partim verò in aprico siccantur, et in massas coagmentantur, quæ דבלים דבלה dicuntur, 1 Sam. 25, 18; 30, 12; 2 Reg. 20, 7; 1 Paral. 12, 40. Cæterùm parabola Luc. 13, 6, seqq., ex studio hortensi Orientalium deprompta, et à palmâ, cui sterili hâc ratione mederi posse fingitur, ad ficum translata est.

Sycomori figurâ et magnitudine moris similes sunt et non modò in Ægypto, sed in Palæstinâ quoque, inprimis in planis littoribus Judeæ frequentissimæ sunt, 1 Paral. 27, 28. 2 Paral. 1, 15; 9, 27. 1 Reg. 20, 27. Ps. 78, 47. Stirps crassior, mox in plures ramos, ferè horizontaliter extensos, diffunditur, et altissimè quidem excrescit, facilè tamen in ramis conscenditur, Luc. 19, 4, 5. Semper viret et lignum ejus, quod nigrescens est, in millia annorum perdurat, ideòque in ædificiis præcipuus erat ejusdem usus, 1 Paral. 27, 28. Isa. 9, 9. Fructus, qui non ex ramis et inter frondes, sed ex ipso stipite prorumpunt, similes ficubus, granis tamen interioribus carent, et prædulces atque hinc stomacho molesti sunt; quare iis non vescuntur, nisi qui melioribus carent. Non ma-

turescunt, nisi ungue vel ferro vellicentur, quo facto succum instar lactis emittunt, et vulnere deinceps nigrescente, permaturescunt, Amos 7, 14. Arbor est fertilissima; septies enim per annum hos largè profert fructus, qui à pauperibus quatuor mensibus manducantur.

§ 73. *Malus Punica.* — Malus punica (sive granatum) Persiæ, Arabiæ, Ægypto et Palæstinæ domestica, arbor generosissima, nequaquàm tamen alta, et mox ab humo in ramos diffusa, ideòque à nonnullis accensetur fruticibus; verùm fructus est aspectu pulcherrimus, et gustu suavissimus, magnitudine magni mali, diametro nempe trium vel quatuor pollicum, superiùs quasi coronâ cinctus, colore primùm viridi, augusto et septembri autem rubescente et subfusco, cortice crasso et duro, sed tamen fragili. Interiora flava sunt, et pluribus pelliculis carnosis completa, quæ multum succum dulcem amarulentumque, et grana quoque alba purpureaque complectuntur, Num. 13, 24; 20, 5. Deut. 8, 8. Forma horum fructuum, arte expressa, non leve erat ornamentum Exod. 28, 33, 34; 34, 39. 1 Reg. 7, 18.

Citri et mali aurantiæ recentiori ævo ex Persiâ in Palæstinam transplantatæ fuisse videntur; si enim Palæstinæ indigenæ essent, nomen quoque hebraicum non deesset; nam *fructus arboris decoræ*, Lev. 23, 40, nec citrum, neque malum aurantium, sed fructum cujuslibet arboris generosæ, uti malum punicum et dactylos significat.

§ 74. *Balsamum.* — Balsamum est frutex, et arbor; succus verò ille odorifer et saluberrimus, qui propriè balsamum dicitur, non ex arbore, quæ in Jaman *Abu Schæmm*, dicitur, sed ex frutice stillat, qui montibus Meccæ et Medinæ domesticus est. Quemadmodùm autem hi frutices adhucdùm seculo XVI et XVII in Ægypto ad Mataream non procul à Kaherâ (Cairo), in horto arte colebantur, sic quoque olim in Gilead, et demùm in viciniâ Jerichuntis et Engedi cultos fuisse, testes locupletissimi sunt Gen. 37, 25; 43, 11. Jeremias c. 8, 22; c. 46, 11; c. 51, 8. Ezech. c. 27, 17. Josephus Fl. de Bell. L. IV, c. 8, § 3. coll. Archæol. L. VIII, c. 6, § 6; L. XX, c. 4, § 2. Plinius Hist. Nat. L. XII, 2, 5; Solinus, c. 35, § 5; Tacitus Hist. L 5, c. 6; Diodorus Siculus L. XIX, c. 98; Strabo pag. 763, et Justinus Trog. L. XXXVI, c. 3, ut conjecturæ, quæ in contrarium prolatæ sunt, prorsùs nihil evincant. Tres sunt hujus plantæ species, duæ quidem fruticum, et tertia arboris. Succum emittunt junio, julio, et augusto, qui vase testaceo excipitur; frutex quoque instrumento ferreo vel osseo vulneratur, ut copiosiorem emittat succum, qui verò minùs generosus est. Hic succus dicitur *oppobalsamum.* Fructus fruticis, qui aliquot grana continet, expressus, fundit *carpobalsamum.* Rami denique abscissi, chemicis operationibus coguntur fundere *xylobalsamum.*

§ 75. *Palma.* — Palma in Oriente et Africâ frequens; in Palæstinâ verò nostro quidem ævo rarior est, cujus ratio non est, nisi defectus cultorum; hæc enim arbor, ut fructus sapidos producat, solertes requirit colonos. Olim sub sedulis Hebræis erat frequentissima, uti non modò ex Levit. 23, 40. Deut. 34, 3. Jud. 1, 16; 3, 13; 4, 6, sed etiam ex Diodoro Sic. L. II, c. 48 et 53, et L. XIX, c. 98; Strabone p. 763, 800, 818; Tacit. Hist. L. V, c. 6; Plinio H. N. L. XIII, c. 6 et 8; Solino c. 35, § 12; Josepho Fl. de B. J. L. II, c. 9, § 1. L. III, c. 3, § 3, c. 10, § 8, L. IV, c. 8, § 2 Archæol. L. XV, c. 4. § 2, L. XVIII, c. 2, § 2, et ex nummis quoque Judæorum et Romanorum liquet, qui palmam æquè ac manipulum tritici et uvam, tanquàm symbolum Judææ, exhibent.

Palma amat clima calidum et solum arenosum, argillosum et nitrosum, in quo tamen rivus aut aqua, quâ rigetur, non desit; hinc in vallibus et planitiebus lætè crescit. Exod. 15, 27. Stirps est rectus et altissimus, qui nonnisi in vertice coronam gestat frondium toto anno virentium. Quare Hebræis non modò figura ejus pro ornatu veniebat, 1 Reg. 6, 32, sed symbolum quoque erat personæ pulchræ, Cant. 7, 8, etiam hominis probi, Ps. 1, 3; 92, 13. Fructus crescunt in pediculis, qui ex ipso stirpe in angulis frondium progerminant; et quùm palmæ aliæ sint mares, aliæ feminæ; semen ex floribus palmæ masculæ tempore opportuno in arborem fœmellam transferendum est, quod si omittatur, aut justo citiùs vel seriùs fiat, palma fœmina, prout mascula, fructum non fert, Job 15, 31, 32. Si autem tempore opportuno impregnatus est fructus, excrescit in magnos botros dactylorum, qui augusto, septembre et octobre maturescunt, atque partim recentes manducantur, partim verò in torculari, ex salicibus plexo, exprimuntur, et expressi in massas compinguntur et asservantur. Succus expressus est vinum dactylorum, olim percelebre, cujus nomine etiam comprehendebatur ille potus, qui ex arefactis illis massis dactylorum, si aquis calidis

macerati et expressi fuerant, parabatur. Frondes palmarum Hebræi festo tabernaculorum in manibus gestabant, Lev. 23, 40, et regibus solemniter urbem intrantibus in viâ sternebant, 1 Machab. 13, 51. Matth. 21, 18. Græci verò frondem palmæ victoribus athletis porrigebant, conf. Apocal. 7, 6. Cæterùm hæc arbor Orientalibus præcipua et nobilissima est; unde est sententia : *Frons palmæ et arundo,* Isa. 9, 13; 19, 15, quæ permutatur cum *caput* et *cauda*, et idem valet, ac *summum* et *infimum*, *princeps* et *abjectissimus*.

§ 76. *Terebinthi et Pistacia.* — Terebinthi dicuntur אילים, Gen. 49, 21, אלה, quæ nomina à punctatoribus nonnunquam cum אלין et אלה *quercus*, permutata fuisse videntur. Arbores sunt magnæ, multis ramis et foliis, toto anno virentes; per mille annorum durant, et tandem emorientes, loci hæredem relinquunt surculum, qui fit arbor, ita ut terebinthi in locis suis sint quasi perpetuæ; quare loca ab illis, non secùs ac ab urbibus, dominantur, Gen. 13, 8. Jud. 6, 11. 1 Sam, 10, 3. 2 Sam. 18. 19, 21 Isa. 6, 13. Ezech. 6, 13. Nonnunquàm sunt symbolum proborum, qui Isa. 61 ,3, צדק אילי dicuntur.

Pistacium', est arbor therebintho simillima; fructus verò pistacii, qui Gen. 43, 11, *Botnim* dicitur, et octobre maturescit, est generosissima nucum species, aliquatenùs amygdalo similis, sed sapore longè præstantior, et ideò Orientalibus charissimus. Nuces nostræ seu juglandes, in Palæstinâ sunt frequentes, Avellanæ autem seu Prænestinæ desiderantur, et ex Occidente in plagas orientales devehuntur; nam לוז, quod quipiam nucem Avellanam significare arbitrati sunt, amygdalorum nomen est.

Reliquâ de culturâ hortorum et regno vegetabili, vide in Olai Celsii Hierobotanico. Upsalæ 1745, 47. T. II, in-8, et in Walchii Calendario Palæstinæ 1785. Gottingæ in-4.

§ 77. *De Apibus et Melle.* — Quamquàm laus Palæstinæ, regionis lacte et melle manantis, Exod. 3, 8, 17; 13, 5; 33, 3. Levit. 20, 24. Num. 13, 28; 14, 8, 16, 14. Deut. 6, 3; 11; 26, 9, 15; 27, 3, 31, 30. Jos. 15, 16. Jer. 11, 5; 32, 22. Ezech. 20, 5, est proverbialis, et hinc Num. 16, 13, de Ægypto quoque usurpatur; apes tamen habet frequentes, quæ non modò in alvearibus, quæ ex argillâ, confracto stramine mixtâ, parari solent, asservantur, sed etiam in arboribus concavis et fissuris rupium favos fingunt, Deut. 32, 13. Ps. 81, 17. Examina apium, Deut. 1, 44, in Oriente sunt numerosiora; apes quoque illos, à quibus offenduntur, majori rabie persequuntur, ac aculeus earum est vehementior, et inflammationem infert molestiorem, ut animalcula hæc non solùm hominibus singulis, sed nonnunquàm gentibus quoque integris gravissimas molestias creaverint; quare symbolum sunt hostium ferocium, Deut. 1, 44. Ps. 118, 11, 12. Sibilo tamen seu potiùs tinnitu, uti in nostris regionibus, in certum locum pellici possunt, Isa. 7, 18.

Hebræos diligentem horum animalculorum curam gessisse, liquet ex copiâ mellis, quo magna cum Tyriis commercia tractabant, Ezech. 27, 17. Hinc mel in Bibliis frequenter memoratur, et quidem non modò favum, sed etiam eliquatum, quanquàm nomine דבש non semper venit mel apium, sed sæpè etiam syrupus dactylorum et musti, Gen. 43, 11, atque etiam μελι αγριον, *mel agreste,* 1 Sam. 14, 25, 27. Matth. 3, 4, quod non est mel apium, quæ in fissuris rupium favos fingunt; hoc enim venit nomine דבש מסלע, Deut. 32, 13, Ps. 81, 17; neque est manna liquidum, *terengabin* dictum, etsi olim mellis quoque nomine comprehensum fuit; sed est mel roscidum, seu excrementum, quod apides copiosissimum in folia arborum, in quibus sunt, ejiciunt, ut in terram quoque defluat, 1 Sam. 14, 25, 27.

Antiqui mel pro nostro saccharo usurpabant, et multùm adamabant; quare symbolum est amœnitatis et jucunditatis, Ps. 119, 11; 103. Prov. 24, 13, 14. Cant. 4, 11. Eccl. 24, 27. Quia verò majori quantitate gustatum, vomitum promovet; symbolum quoque est fastidii aut nauseæ, Prov. 25, 16, 17.

§ 78. *Piscatus.* — Pisces Hebræis, sicut Orientalibus omnibus, in amore et deliciis erant, Num. 11, 5; quare piscibus Jordanis, lacus Gennesareth et maris quoque Mediterranei minimè parcebant. Lex Mosaica enim tantùm illos, qui pinnulis, vel squammis carent, interdixerat, Lev. 11, 9. Hinc occurrit porta Piscium Jerosolymæ, à foro piscium denominata, 2 Paral. 33, 14. Neh. 3, 3; 12, 39. Isa. 19, 8. Ezech. 26, 1; 5, 14; 47, 10, atque piscatores symbolum sunt hostium, Isa. 19, 8. Jer. 10, 16. Habac. 1, 15. Ad lacum Gennesareth fuisse magna piscium commercia tractata, Strabo testatur; hinc et Apostolorum aliqui, ex hâc viciniâ oriundi, erant piscatores; atque hoc hominum genus fuisse impigrum et solers, liquet ex Luc. 5, 15, conf. Matth. 4, 19. Instru-

menta piscatûs erant hamus, Job 40, 25. Isa. 19, 8. Habac. 1, 15, jaculum ferreum, Job 40, 3, atque rete, Isa. 19, 8; 51, 20. Habac. 1, 15, 16. Job 19, 6.

§ 79. *Vervactum.* — Omni anno septimo res rustica per universam regionem intermittenda erat, nihil serendum, vites et oleæ non putandæ, et quod spontè cresceret, non metendum, nec vindemia agenda, neque arborum fructus legendi, sed omnia, sine culturâ nata, pauperibus, peregrinis et feris relinquenda erant, Levit. 25, 1, 7. Deut. 15, 1, 10. Hâc lege cautum fuit, ut ferarum genera conservarentur, solum novas vires caperet, et pauperibus subveniretur; quare etiam anno sexto singularis ubertas à Deo promissa fuit. Levit. 25, 20, 24.

Neque tamen propterea Hebræi annum septimum prorsùs otiosi transigere debuerunt; poterant enim piscari, venari, apes et greges curare, ædificia et supellectilia reficere aut nova parare, lanam, gossypium, linum, et pilos caprarum, camelorum et asinorum in opus consumere, atque de eo, quod abundabat, commercia tractare. Denique diutiùs quoque in sacro tabernaculo vel in templo, ubi hoc anno lex Mosis prælegebatur, commorandum fuit, ut de officiis et religione, atque de historiâ gentis, et de beneficiis à Deo impertitis instruerentur, Deut. 31, 10, 13. Hæc autem quies terræ, ut Moses Lev. 26, 34, 35, prædixit, longo tempore neglecta fuit, 2 Paral. 36, 21; post exilium accuratiùs observabatur.

CAPUT V.

DE ARTIBUS.

§ 80. *Origo artium.* Res arduæ, nisus consequendi commoda, atque casus fortuiti docuerunt prima artium rudimenta, et quidem pleraque initia inventa sunt mox primâ hominum ætate, quâ majores difficultates et incommoda urgebant, et longævitas subveniebat, ut faciliùs paulisper perfici possent; hinc sequenti ævo, de quo fusior nonnihil historia restat, jam plures artes occurrunt, et seculo post hominis creationem quarto, Gen. 4, 21, 23, cuprum quoque et ferrum malleo subjectum, atque instrumenta musica memorantur. Civitas, quæ cum agriculturâ non oriri non potuit, primis inventis refugium et fomentum præbebat, et locum tribuit, inventa ad majorem perfectionem perducendi. Id jam ante diluvium contigit, ut ex prægrandi navi Noachi colligitur.

Ferrum etiam inveniri solidum, testes sunt Bergmann Physische Erdbosobreibung I, 200, 451, 471, et Sonnerat Reis. 306, 361, Ausg. 1783.

§ 81. *Artes à diluvio usque ad Mosen.*—Noe atque filii ejus, qui tantam navem ædificârunt, artibus benè exercitati erant; alia quoque artificia saltem viderant, et post diluvium etiam ista, quâ potuerunt ratione, imitati sunt. Hinc inter Noachidas, qui in civitates coierunt, non multò post, plures artes et utensilia arte parata obvia sunt, Gen. 9, 21, 11, 1, 9; 14, 1, 16; 12, 7, 8; 15, 10; 17, 10; 18, 4, 5, 6; 19, 32; 21, 14; 22, 10; 23, 13, 16; 24, 22; 33, 61, 66; 26, 12, 15, 18; 27, 3, 4, 14; 31, 19; 27, 34; plura alia, quæ progrediente tempore occurrunt, attentum Bibliorum lectorem latere nequaquàm possunt.

§ 82. *Artes inter Hebræos sub Mose.* — Hebræi in Ægypto, quæ olim artibus præ aliis regionibus excellebat, permulta didicerunt; hinc demùm in Arabiâ Petræâ inter eos erant, qui omnia artificia pro sacro tabernaculo conficiebant. Lex Mosaica quidem artes non fovit, nequaquâm tamen interdixit aut vilipendit, sed uti id temporis apud alias gentes moris erat, industriæ populi reliquit.

§ 83. *Artes Hebræorum in Palæstinâ.*—Paulò post obitum Josuæ, à Joabo ex tribu Juda, condita quidem fuit vallis artificum 1 Paral. 4, 14, conf. Neh. 11, 35, et aderant eâ ætate fabri auri et argenti, Jud. 17, 3, 5; artes verò vix quidquam proficiebant, etsi quæ necessariæ erant, nunquàm deessent, nisi fortè quando artifices ab hostibus abducti fuerunt, Jud. 3, 31, 5, 8. 1, Sam. 13, 19. Faciliora verò instrumenta, ad rem rusticam necessaria, quilibet sibi ipsi parabat. Fœminæ quoque, et quidem etiam matronæ probæ, fila ducebant, texebant, acu pingebant, et vestimenta non tantùm pro suâ familiâ, sed etiam pro mercatu conficiebant, Exod. 35, 25. 1 Sam. 2, 19. Prov. 31, 18, 34. Act. 9, 39. Hinc non erat merces, nisi artificibus, qui difficiliora tractabant, uti qui currus construebant, lapides scindebant, idola sculpebant vel ex metallo fundebant, aut aurum, argentum, vel æs in opus convertebant, denique figulis, et aliis similibus artificibus; Jud. 17, 4. Isa. 29, 16; 30, 14. Jer. 28, 23. Zach. 12, 13. Ili artifices non erant, ut inter Græcos et Romanos, servi, sed ingenui, Jer. 24, 1; 29, 3; 2 Reg. 24, 14, et increscente sub regibus luxu, augebantur. Jam sub Davide et Salomone aderant, qui palatia et templum exstruere possent, et ab artificibus tyriis, qui hebræis erant superiores, discebant, 1 Paral. 14, 1. 22, 15,

in historia Hebræorum occurrunt plura instrumenta et artificia metallurgica, ex quibus colligitur, plures artes cognitas fuisse.

§ 84. *Artes post exilium* — In exilio multi Hebræi, quia non ubique agros fertiles, quos colerent, reperiebant, artibus et mercaturæ se addicebant, quod demùm, quùm progressu temporis in quàm plurimas regiones dispergerentur, adeo invaluit, ut Thalmudici præciperent parentibus, ne negligerent, filios docere artem vel opificium; quare in Thalmude plures eruditi quoque Judæi memorantur, qui artem aut negotium quodpiam tractabant, et in novo quoque fœdere Josephus, nutritius Jesu, erat artifex, qui ligna in opus convertebat; Simon refertur fuisse coriarius in urbe Joppe, Act. Ap. 9, 43; 10, 32; Alexander, eruditus Judæus, dicitur ærarius, 2 Tim. 4, 14, atque ipse Paulus et Aquila erant σκηνοποιοι. Quæpiam tamen negotia, non modò Græcis, sed etiam Judæis, hâc recentiori ætate infamia erant; agasones enim asinorum et camelorum, tonsores, remiges seu nautici, pastores et caupones, à Rabbinis prædonibus accensentur. Ast illi αισχροκερδεις Ephesii, 1 Timoth. 3, 8, et Cretenses, Tit. 1, 7, qui alioquin, testibus scriptoribus antiquis, nullum lucrum existimabant turpe, non erant alii quàm qui injustis artibus quæstum faciebant. Artifices Græci nobiliores, ævo Apostolorum jam societate quàpiam inter se nexi erant, Act. 19, 23, conf. Xenophon Cyrop. VIII, 2, 4. De quibusdam artibus sigillatim agendum est.

§ 85. *Antiquitas artis scribendi.*—An primùm scriptura symbolica, dein hieroglyphica, demùm syllabica, et denique litteralis, inventa sit, non liquet, neque id hoc loco quæritur, sed quâ ætate litteræ repertæ sint. Omnes antiqui hoc ingeniosum inventum Asiæ vel regionibus Orientalibus et ævo admodùm remoto, etsi de ipsâ ætate nil certum referunt, attribuunt, et consentiunt quoque, litteras in Græciam ex Phœnice allatas fuisse per Cadmum, et quidem si antiquo chronico Parensi fides est, anno 1519 ante Christum, seu 45 post obitum Mosis.

In Oriente litteræ profectò pluribus seculis translationem in Græciam præcesserunt. Anticlides apud Plinium Hist. Nat. VII, 57, litteras in Ægypto inventas esse tradit, et ex antiquis monumentis adprobare conatur, 15 annis ante Phoroneum, antiquissimum Græciæ regem, i. e. anno 409 post diluvium, et 117 Abrahami; inventio autem hæc profectò non est, nisi illatio antiquioris inventi Phœnicii in Ægyptum, ut litteræ apud Phœnices præcesserint.—Epigenes, qui est Plinio gravis inprimis auctor, apud Babylonios 720 annorum observationes siderum, coctilibus laterculis inscriptas, docet, qui minimum, eodem referente Plinio, Berosus et Critodemus, 480 annorum; unde Plinius colligit *æternum*, i. e., perantiquum *litterarum usum*. Simplicius, qui seculo quidem V vixit, sed sua ex Porphyrio, acuto historico, hausit, refert, Calisthenem, comitem Alexandri, Babylone observationes siderum 1903 annorum consignatas reperisse, quarum itaque initia incidunt in annum 2234 ante Christ. et hoc ipsum ævum confirmat nomen mensis martii אדר, si, ut verisimillimum est, ab ariete depromptum fuit; nam illo tempore sol hoc mense in ariete versabatur. Quùm autem litteræ dubio procul, haudquaquàm ad consignandas observationes siderum, sed ad tractanda commercia inventæ fuerint; multò profectò antiquiores sunt, quod etiam libellus emptionis Gen. 23, comprobat, qui, prout tenor ejus innuit, ætate Abrahami scriptus fuit.

Hinc nihil mirum, litteras in libris Mosis pro notissimis et pervulgatis sumi, Exod. 17, 14; 24, 4; 28, 9, 11, 17, 18; 32, 32; 34, 27, 28. Num. 17, 18; 33, 2. Deut. 27, 8, et adfuisse quoque jam tum longâ abhinc ætate librarios publicos, qui genealogias in tabulas inferebant, et שוטרים dicebantur. Exod 5, 6; 14. Deut. 20, 5 9; imò ætate Jacobi jam sigilla, quibus in Oriente nomina insculpantur, usitata fuisse, ex Gen. 38, 28; 41, 42, patet, undè multò major antiquitas litterarum colligitur.

Herodotus et Diodorus Siculus duplex antiquum scripturæ genus memorant, alterum sacrum, profanum alterum; Clemens verò Alexandrinus et Porphyrius triplex genus distingunt, nempè hieroglyphicum, sacras litteras, et profanas, de quibus aliqui אנוש חרט, Isa. 8, 1, explicant. Scriptura hieroglyphica, in Ægypto lapidibus incisa, nomine אבן משכית Lev. 26, 1. Num. 33, 52, occurrit, quæ jam tum tanto abusui exposita fuit, ut hæ figuræ divino honore colerentur. Qui illam legebant, חרטמים, non modò Exod. 8, 3, 14, 15; 9, 11, sed jam Gen. 41, 8, erant dignitate inter Ægyptios conspicui.

§. 86. *Divulgatio litterarum.* — Litteræ, orientalibus populis antiquissimo jam ævo notæ, à Phœniciis mercatoribus et coloniis, et demùm etiam ab Ægyptiis emigrantibus latè per Orientem et Occidentem divulgatæ fuerunt, quod ipsum etiam cognatio littera-

rum diversarum, quæ communem originem produnt, confirmat. Patriarchæ Hebræorum, litteras à Phœnicibus seu Chananæis acceperunt, et posteri eorum in Ægypto, ubi alioquin id temporis iidem characteres valebant, conservabant, uti ex eo liquet, quòd ætate Mosis jam longo abhinc ævo librarios publicos seu genealogos suos habuerunt, et Deut. 24, 1, 3; 17, 18, 19, lex lapidibus insculpi jubetur, ac scriptura, ita insculpta, proprio suo nomine חרות, memoratur, conf. Exod. 32, 16, 32. Quare non pauci Hebræi legere et scribere noverunt. Jud. 8, 14; plurimi tamen erant illiterati. Hinc, qui artem scribendi pro aliis profitebantur, cuilibet petenti exarabant litteras, quæ nesessariæ videbantur; hi, si non omnes, plerique tamen erant sacerdotes, qui, prout adhucdùm in Oriente moris est, atramentarium in cingulo gerebant, Ezech. 9, 2; 3, 11. In atramentario erant materiæ et instrumenta scripturæ, et culter, quo calamus acuebatur. Jerem 36, 23. Cæterùm ditiores habebant proprios, non modò notarios, sed etiam lectores, quare frequentior auditionis quàm lectionis est mentio, 1 Reg. 4, 3. 2 Reg. 12, 11. Isa 29, 18. Jer. 36, 4. Rom. 2, 13. Jac. 5, 11. Apoc. 1, 3. Hos librarios adibant juvenes, qui litteras discebant. Quippiam horum notariorum scholas quoque publicas habuisse videntur, quarum quæpiam deinceps, inprimis curâ Samuelis et aliorum prophetarum, inclaruerunt, et nomen à prophetis duxerunt, 1. Sam. 19, 16, seq. 2 Sam. 10, 5, seq. 2 Reg. 2, 3, 5; 4, 38; 6, 1. Discipuli harum scholarum erant, non quidem infantes, sed juvenes, qui singularia ædificia incolebant, ferè ut mos in academiis Persarum obtinet. Docebantur musicam et cantum, et dubio procul quoque litteras, religionem Mosaicam et poesim. A prophetis cognominabantur prophetarum filii, i. e., discipuli; prophetæ verò et doctores nuncupabantur patres, 2 Reg. 1, 12. Post exilium scholæ ad synagogas vel in ipsis erant, de quibus paulò post dicemus. Conf. Menochii de Republ. Hebr. L. 3, c. 14, quæst. quartâ.

§. 87. *Materia et instrumenta scripturæ.* — Quæ fuerit prima scripturæ materia, non liquet; usitatæ autem olim materiæ erant: 1° Ex regno vegetabili. 1. Folia arborum. 2. Liber, seu cortex arborum, ex quo demùm resoluto, et rursùs compacto, charta corticea parabatur. 3. Pugillaris, seu tabula lignea, Isa. 8, 1. Ezech. 37, 16. Luc. 1, 72, quæ tamen in Oriente vix, ut in Occidente, cerâ illinita fuit. 4. Linteum; hinc et Romæ erant libri lintei, à Livio sæpiùs memorati; aut etiam pannus xylinus, quì in Mumiis Ægyptiorum reperitur hieroglyphis inscriptus. 5. Charta papyracea, quæ ex divisis papyri arundinibus, jam ante bellum Trojanum parabatur, ut ostendit Plinius Hist. N. XIII, 21, 27.

2° Ex regno animali. Pelles animalium, quarum præparatio quidem rudior erat, donec sub Eumene rege Pergami, circa annum 200 ante Christ. melior inventa esset, quæ ab hoc loco adhucdùm Pergamena dicitur, et alias quoque μεμβρανα audit, 2 Tim. 4, 13.

3° Ex regno minerali. I. Tabulæ plumbeæ, Job 19, 24. II. Tabulæ æneæ, quæ pro monumentis perpetuis usitatæ erant. 1 Mac. 8, 22; 14, 20 26. III. Lapides seu saxa, quibus inprimis monumenta publica insculpebantur, et litteræ insculptæ nonnunquàm quoque calce explebantur, Exod. 24, 12; 31, 18; 32, 19; 34, 1, seq. Deut. 5, 19; 27, 1, 9. conf. Jos. 8, 33, seq. Job 19, 24. Ps. 16, 1; 56, 1; 58, 1; 60, 1. IV. Laterculi, qui, insculptis litteris, igni coquebantur, et adhucdùm ex ruderibus Babylonis effodiuntur; exstant autem in Oriente multò recentiores quoque hujusmodi inscriptiones V. Arena in terrâ strata, in quâ adhucdùm in Indiâ proles scribendi artem discunt, et in quâ ipse quoque Archimedes figuras mathematicas delineabat, conf. Joan. 3, 1, 8. Cæterùm, si Ezech. 2, 9. Apoc. 10, 9, libri in visione manducantur, symbolum id est revelationis, nequaquam verò argumentum, in alimentis quoque scriptum fuisse.

Instrumentum, quo scribebatur, erat stylus, 1° in materiâ durâ, uti lapidibus et tabulis æneis, stylus erat ex chalybe paratus, Isa. 19, 25, nonnumquàm cuspide adamantinâ munitus, Jer. 17, 1. 2° In tabulas ligneas, cerâ obductas, litteræ imprimebantur acuminato γραφιῷ, quod erat ex alterâ extremitate latum et planum, quo, quod malè scriptum fuerat, deleri, et cerâ rursùs complanari posset. Ast obductio ceræ in calidis illis regionibus vix usitata erat; litteræ itaque in his tabulis atramento vel tincturâ pingebantur. 3° In linteis, pannis xylinis, chartâ, pellibus et pergamenâ litteræ primùm pingebantur bacillo acuto, vel penicillo, fortassè חרט, demùm verò calamo, qui etiam findebatur; hoc eleganti calamo Orientales adhucdùm, loco pennarum nostrarum, utuntur. Culter, quo calamus scindebatur, dicebatur תער הסיפר, Jer. 36, 23.

Atramentum jam Num. 5, 43, pro usitatissimo ponitur, conf. Jer. 36, 18, et diversis modis parabatur; quos Plinius XVI, 6, XXX, 25, narrat; simplicissimum autem, adeòque antiquissimum componebatur ex contusis carbonibus, aut etiam ex fuligine et aquâ, addito gummi. Utebantur verò antiqui aliis quoque coloribus, et, ut Cicero de Naturâ Deorum II, 20, et Persius III, 11, testantur, etiam atramento, quod sepia effundit, etsi Plinius id negat. Hebræos quoque auro scripsisse sacros libros, Josephus testatur Archæol. XII, 2, 11, conf. Plin. XXXIII, 40.

§ 88. *De libris.* — Libri qui jam Job. 19, 23, Num. 21, 14. Exod. 17, 14, notissimi erant, scribebantur olim in pellibus, linteis, pannis xylinis et chartâ papyraceâ, et demùm quoque pergamenâ. Spatium materiæ in columnas plerumque minutas, Jerem. 36, 23, dividebatur. Si liber fusior erat, plures pelles, chartæ, panni xylini aut lintei connectebantur. Raró ex utrâque parte inscribebantur. Ezech. 2, 9. Zach. 5, 1. An lineæ antiquissimo ævo fuerint βουστροφηδὸν scriptæ uti in inscriptione Sigæâ et in inscriptionibus Hetruscis, mox expeditum esset, si illi lapides Jos. 8, 32, reperirentur. An intervalla verborum relicta fuerint, discussimus in Introductione in V. T. P. I, § 98.

Libri, materiæ flexibili inscripti, circa baculum, vel si liber erat longior, ex duabus extremitatibus circa duos baculos convolvebantur, et lector librum vel locum libri revolvebat, αναπτυξας τὸ βιβλιον, et lecto loco complicabat, πτυξας, Luc. 4, 17, 20; unde descendit nomen *volumen,* Ps. 40, 7. Isa. 16, 1; 34, 4. Ezech. 2. 9. 2 Reg. 19, 14. Esdr. 3, 2. Liber, hujusmodi scipioni obvolutus, et filo vel funiculo ligatus, facilè poterat sigillo obsignari. Isa. 29, 11. Dan. 12, 4. Apoc. 5, 1; 6, 6. Libri verò, qui tabulis ligneis, plumbeis, æreis, vel eburneis inscripti erant, per annulos in tergo, æquali distantiâ dispositos, per quos bacilli trajiciebantur, conjungi solebant.

Orientales amant inscriptiones librorum tropicas et ænigmaticas, quales quipiam etiam censent esse inscriptiones Psalmorum 56, 1; 60, 1; 80, 1; et profectò negari nequit, 1 Sam. 1, 18, lessum Davidis super Saülem et Jonathan, simili ratione *arcum* nuncupari.

§ 89. *De epistolis.* — Epistolæ, quæ eodem cum libris nomine veniebant, eò rariores sunt, quò ævum est antiquius. Prima memoratur epistola 2 Sam. 19, 14, seq. Deinde verò frequentior est epistolarum mentio, et interdùm etiam sub mentione nuntii latent, ut Esdr. 4, 15, 17. Mittuntur verò in Oriente plerumque sine sigillo; si autem ad magnatem scriptæ sunt, in crumenam pretiosam conduntur, quæ ligatur, et argillâ vel cretâ appositâ, et sigillo impresso signatur, conf. Isa. 29, 11. Neh. 6, 5. Job. 38, 14. Cæterum epistolæ antiquissimæ sine salutatione inchoant, et sine valedictione finiunt; verùm sub monarchiâ Persarum prolixa salutatio usitata erat, quæ Esdr. 4, 7, 10; 5, 7, in compendium redacta est. Apostoli in Epistolis salutatione quidem Græcis consueta usi sunt, omiserunt tamen consuetum χαιρειν, et adjecerunt benedictionem quampiam religioni christianæ consentientem. Paulus, qui Epistolas dictabat, in epilogo benedictionem propriâ manu adscribebat, 2 Thess. 3, 7; et generatim dictare notario magis consuetum erat, quàm scribere.

§ 90. *De Poesi.* — Poesis non modò apud Hebræos, sed etiam apud aliquas alias gentes, jam ætate Mosis ad summum perfectionis culmen evecta erat, Exod. 15. Deut. 31. Num. 21, 24. conf. quoque librum Job. Floruit deinceps apud Hebræos per mille ferè annos, et quovis honore digna reputabatur. Usus ejus erat non solùm ad voluptatem, sed antiquissimâ ætate etiam ad conservandam historiam, quùm præclarè gesta carminibus comprehensa decantarentur; porrò quàm maximè ad laudem Numinis, et ad elegantiam quoque operum eruditorum, prout libros Jobi, Proverbiorum et Ecclesiastis carminibus exaratos comperimus.

§ 91. *Indoles poeseos hebraicæ.* — Poematibus et carminibus hebraicis insunt illa, quæ omnibus poematibus communia sunt, nempe sensus elati et ardentes, sententiarum lumina, figurarum atque imaginum pulchritudo et varietas, verborum denique vis, pondus et elegantia; sunt autem alia, quibus à poematibus occidentalium distinguuntur.

I. Tropi, imagines et figuræ sunt audaciores et insolentiores, quæ inprimis ex collatione poematum arabicorum lumen capiunt.

II. Ornamenta orationis à rebus orientalibus, inprimis Palæstinensibus et Hebraicis deprompta sunt, nempe 1° ab objectis naturalibus illius regionis, uti à Libano cedrisque ejus, à Carmelo, à quercubus Baschan, à vineis, hortis et arboribus, à jumentis et feris, inprimis à bobus, asinis, leonibus, aquilis, gazellis; à fontibus et fluminibus; à terræ motibus, etc. 2° re pecuariâ et rusticâ; 3° ex historiâ; 4° ex

vitâ communi et moribus, atque etiam à vitiis, uti ab ebrietate, impudicitiâ, fornicatione et adulterio; 5° ex mythologiâ Orientalium, quâcum magnâ ex parte, sed nequaquàm omni, convenit mythologia græca et romana; sic occurrit quidem thalamus solis Ps. 19, 5, 6; ast sol non vehitur curru, sed volat alis, Ps. 139, 9. Isa. 18, 1. Malach. 3, 20; ætas aurea Isa, 2, 4; 11, 6, 9; 24, 23; 30, 24, 28; 60, 19, 20; 65, 4, 25; 66, 1, 5; porrò etiam orcus ἅδης, in quem non modò milites, belliduces, imperatores et omnes morientes, sed etiam populi devicti, civitates et regna eversa personificata, imò et arbores, symbola civitatum, descendunt, et ibi in lectis cubant, armis capiti suppositis, Isa. 14, 9, 20. Ezech. 26, 20; 31, 14, 18; 32, 7, 8, 17, 30, ita quoque flumina orci, Ps. 18, 4, 6. 2 Sam. 22, 5, etc.

III. Carmina Hebraica fortassè quidem pedibus, et certo syllabarum vel verborum numero, magis tamen sententiis parallelis dimensa sunt, quæ, syntaxi vel sensu, synonymæ, aut antitheticæ, sibi respondent. Hic parallelismus syntacticus, synonymus, antitheticus, constat jam solis duobus membris, se immediatè consequentibus, ut Ps. 114, 2, 8; jam tertio quoque membro impari, ut Os. 6, 1, 2; jam quatuor membris, quorum primum tertio, et secundum quarto respondet, ut Ps. 33, 13; jam etiam quinque membris, quorum duo prima et duo ultima sibi parallela sunt, et medium est impar, ut Isa. 31, 4; vel primum tertio et secundum quarto respondet, et quintum est impar, ut Ps. 19, 8, 10. Nonnunquàm observatur quidpiam singulare, ut Ps. 113, 5, 6. Mich. 1, 4. Hæc indoles poeseos hebrææ, benè cognita, non contemnendam opem fert interpreti et critico, uti Ps. 77, 18, 19, 139, 20, Isa. 47, 11; 49, 6, 16. In his membris observantur hinc inde aliqua similiter cadentia seu rhythmi, ut videtur, studio quæsiti, sicut Jud. 14, 18. Prov. 7, 13, 15; 29, 17. Isa. 26, 20, 21; 40, 24; 49, 8; 51, 1, 2, 5, 8; 33, 6, 7. Zach. 11, 1.

§ 92. *De musicâ.* — Cantus poesi coævus est. Instrumenta verò musica invenit Jubal, Gen. 4, 21, atque Gen. 31, 27, jam de integro choro mentio fit. Musica deinceps pari semper cum poesi passu ambulabat, et poeta carmen suum ipse canebat, et instrumento accinnebat. Hinc musica æquè ac poesis magni fiebat, et dubio procul, quamdiu poesis floruit, ad magnum perfectionis gradum evecta, nimis tamen sonora fuisse videtur; ast id à consuetudine aurium pendet.

§ 93. *Usus musicæ apud Hebræos.* — Hebræi musicâ utebantur festis diebus domesticis, civilibus et religiosis, ut in nuptiis, anniversario natalis, diebus, quibus hostes devicti sunt, in inaugurationibus regum, in cultu divino, et in itinere ad festa majora in templo celebranda, Isa. 30, 29. In sacro tabernaculo, et deinceps in templo, Levitæ erant musici; aliàs autem quilibet sine discrimine instrumenta musica tractare poterat; sacræ duntaxat buccinæ argenteæ sacerdotibus reservatæ erant, qui clangore earum, dies festos indicebant, primores convocabant, et in bello classicum ac receptui canebant, Num. 10, 1, 10. Musicam in sacro tabernaculo David in meliorem ordinem redegit, et 4000 levitas in 24 classes divisit, qui Psalmos canerent, et instrumentis accinerent. Quælibet classis per hebdomadem munus suum obibat, et præfecto parebat. Omnes verò classes à tribus directoribus regebantur, 1 Paral. 16, 5; 23, 4, 5; 25, 1, 31, conf. 2 Paral. 5, 12, 13. Hic ordo demùm sub Salomone in templum transiit, et conservatus fuit usque ad eversionem Jerosolymæ; etsi enim nonnunquàm sub regibus idololatris interruptus fuerit, sub successore tamen rursùs restitutus est, 2 Paral. 5, 12, 17; 29, 27; 35, 15; imò et post exilium denuò restauratus fuit, Esdr. 3, 10. 1 Mach. 4, 54. 13, 51, quanquàm musica recentiori hoc ævo, uti etiam poesis, eum perfectionis gradum, quem ante exilium adepta fuerat, nequaquàm attigerit.

§ 94. *Fides.* — Instrumenta chordis instructa, seu fides, erant:

I. Cithara, antiquissima, Gen. 4, 21, quæ ab octo chordis, Ps. 6, 1; 12, 1. 1 Paral. 15, 21, dicitnr *octachordon.* In nummis Asmonæorum citharæ aliæ octo, aliæ tribus chordis instructæ sunt; duplex ergo fuit cithara; quare octachordon distinguitur. Fortasse prior est κιθαρα, et posterior κιννυρα; nam hæc duo nomina 1 Mach. 4, 54, distinguuntur. Josephus Flavius verò Archæol. VII, 10, 3, citharæ 10 chordas tribuit, ut progressu temporis numerus chordarum auctus fuerit. Chordæ hujus instrumenti olim fortassè manu, ætate autem Josephi Flavii plectro tangebantur, Hoc instrumentum in Babyloniâ videtur nuncupatum fuisse פסנטר et פסנתר, Dan. 3, 5, 7, 10, 15, idem ac ψαλτηριον, quod Alexandrinis quidem interpretibus est nomen ferè omnium instrumentorum, erat tamen quoque singulare, uti nunc in Ægypto, duabus tabulis resonantibus, quæ duobus pollicibus distant, compositum.

II. Nablium, nabla vel naula, primùm in Psalmis Davidis occurrit, et Ps. 33, 2; 144, 9, quidem juncto עשׂור; sed Ps. 92, 4, ab עשׂור, *decachordo*, distinguitur. Josephus Archæol. VII, 10, 3, ei tribuit 12 chordas, ut in hoc instrumento jam decem, jam duodecim fuerint chordæ. Non plectro, sed digitis tangebatur. Constabat, ut ipsum nomen נבל innuit, ex utre seu corio, quod tabulâ resonante clausum erat; ex hoc utre duo obliquè procurrentes baculi cum tertio transverso triangulum seu Græcum delta inversum Δ formabant. Chordæ, super tabulam resonantem extensæ, in illo baculo transverso figebantur. Ita conformatum adhucdùm in Oriente reperitur, sed quinque tantùm chordis instructum, conf. 2 Sam. 6, 5. 1 Reg. 10, 12. 2 Paral. 6, 11. Aliud hujus instrumenti genus in Babyloniâ usitatum, æquè triangulare, est sambuca, σαμβύκη, Dan. 3, 5; 7, 10, 15, quod primum quatuor, deinceps etiam viginti chordis instructum erat.

Chordæ erant fila, quæ ex lino, libro, et nervis, dein verò ex ilibus ovium conficiebantur, quæ ultimæ jam ab Homero, nequaquàm ut recenter inventæ, memorantur.

§ 95. ***Instrumenta, quæ inflabantur.*** — I. Uggab, Gen. 4, 21, antiquissima fistula pastoritia, quæ primùm quidem erat sola una alterave, demùm autem septem ferè fistulis, ex arundine paratis, longitudine deficientibus componebatur, ut συριγξ. Hujus species erat *maschrokitha*, in Babyloniâ usitata, Dan. 3, 5.

II. Chalil, *nechiloth*, et *nekeb*, tibiæ sunt, quæ ex ligno, arundine, cornibus, et ossibus parabantur. Nunc in Oriente tibiæ quoque triplicis generis consuetæ sunt; prima, quæ duplici fistulâ constat, videtur esse נחילות; simplex altera cum orificio, fortassè est חליל; et tertia sine orificio fortassè נקב, Isa. 5, 12; 30, 29. Jer. 48, 36. Ps. 5, 1. Ezech. 28, 3.

III. סומפניה, vel juxta k'ri, סיפניא, Dan. 3, 5, 10, fistulâ ex arundine paratâ, Syris Sambonja, Græcis Samponja, et Italis Zampogna dicta, etquidem, ut Servius contestatur, obliqua.

IV. Cornu, instrumentum antiquissimum, ipsum erat cornu boum, in clumine abscissum, ut orificium fieret. Temporis progressu etiam cornua arietum arte in hunc usum excavata fuerunt. Cornu alio nomine dicebatur *schophar*, ut jam Josephus Fl. et Hieronymus viderunt; differentia, si quæ fuit, vix alia erat, nisi quòd schophar esset cornu arietis arte excavatum, vel fortassè progressu temporis ex ære in formam cornu paratum. In bello ejus usus latissimè patebat, et sonus ejus tonitrui comparabatur.

V. Buccina recta, cubitum longa, paulisper crassior quàm tibia, orificio instructa, et infra in formam campanulæ desinens. Tempore pacis, et si populus aut proceres congregandi erant, clangebatur leniùs, fortiùs verò, si castra movenda aut ad prælium procedendum, et id dicebatur, classicum canere.

§ 96. ***Instrumenta pulsatilia.*** — I. תפים תף, Gen. 31, 27, instrumentum tympanis aliquâ ratione simile, nempe circulus ligneus vel æneus latitudine palmæ, qui pendulis annulis æneis vel tintinabulis instructus, et pelle vel membranâ obductus est, qui manu sinistrâ tenetur et agitatur, atque manu dexterâ ad numerum musicæ pulsatur. Hoc instrumento mulieres adhucdùm per universum Orientem ad saltationem utuntur, conf. Exod. 15, 20. Job. 17, 6; 21, 12; 2 Sam. 6, 5.

II. *Ziltzelim*, *metzilloth*. Duplex eorum olim erat et est adhucdùm in Oriente genus; alterum, duæ magnæ patinæ aut cymbala, quorum alterum musicus manu dexterâ, alterum verò sinistrâ tenet, et utrumque invicem, ad numerum musicæ concutit, ut in nostrâ musicâ militari observare licet; hinc quoque numero duali מצלתים nuncupantur. Alterum autem genus, Ps. 150, 5, quatuor sunt exiguæ pateræ magnitudine majoris nodi vestium nostrarum, quas mulieres saltantes pollici vel indici et digito medio utriusque manus affigunt, et, diversis manuum quoque gesticulationibus saltantes, ad numerum musicæ invicem concutiunt. Ast. מצלות, Zach. 14, 20, nec hæc sunt instrumenta musica, neque, ut quidam opinantur, tintinnabula, quæ proprium habent nomen פעמנים, Exod. 28, 33, 36; 39, 25, 26, sed bracteæ vel laminæ æreæ concavæ, quæ equis ad ornatum affigi solebant.

III. *Menaaneim*, 2 Sam. 6, 5; instrumenta musica erant, quæ agitabantur aut motitabantur, adeòque sistra, σεῖστρα (à σείω *moveo*, *concutio*), quæ non erant aliud quàm ferrum in modum baculi tensum, et quâcumque ratione, plerumque autem in rotunditatem ovalem, aut etiam in duos angulos rectos et duas rotunditates flexum, annulis mobilibus instructum, ut agitatum, et ferro alio ad numerum musicæ percussum, sonum et tinnitum ederet. Aliud genus hujus instrumenti videntur esse *schalischim*, *triangula*, usitata mulieribus, 1 Sam. 18, 6, quæ in Oriente non tractant nisi instrumenta, quæ artem non requirunt.

Reliqua nomina instrumentorum musicorum nondùm elucidata sunt, nempe I הגיונ, Ps. 9, 17; 92, 4. Isa. 8, 19, nisi hoc nomen fortè carmen vel genus carminis designet; II גתית, Ps. 8, 1; 81, 1; 84, 1; à גת, *torcular*, instrumentum, quo ad calcationem torcularis canebatur; alii ab urbe Philistæorum Gath denominatum esse censent; III על-מות לבנ, Ps. 9, 1, fortassè meliùs עלמות לבנ; nam *Ben* est 1 Paral. 15, 18, nomen alicujus musici ætate Davidis; quid sit עלמות et עלמות, Ps. 46, 1. 1 Paral. 15, 20, non liquet; fortassè genus citharæ, et hinc 1 Paral. 15, 21. permutatur cum שמינית seu octachordo; IV ידותונ, instrumentum à musico hujus nominis denominatum, Ps. 42, 1, 67. 1; V מחלת Ps. 35, 1; 88, 1, fortassè species fistulæ pastoritiæ, ut æthiopicum *mahlet*. Alia quæpiam verba, ut שושנ עדות, Ps. 60, 1; 69, 1; 80, 1, et יונת אלים רחקים, Ps. 56, 1, videntur esse tropicæ et ænigmaticæ Psalmorum inscriptiones.

§ 97. *De saltatione.* — Saltatio Muhamedanis lusus esse videtur, qui gravitatem viri minimè deceat, et hinc mulieribus, tanquàm adultis infantibus, relinquitur. Moderna Orientalium saltandi ratio obscœna est; olim autem erat alia, et apud Græcos quidem mimica imitatio actuum humanorum, etiam militarium, quare in ludis quoque gymnasticis celebrabatur. Ex modernâ saltatione orientalium et græcarum mulierum colligitur, saltatum olim fuisse in orbem seu circulum, ita quidem, ut quæpiam, quasi dux, præcederet, et diversas, arte nequaquàm carentes mutationes pedum, gesticulationes manuum, et inflexiones totius corporis formaret, quas omnes reliquæ, in orbem sequentes, ad justum musicæ numerum, qui instrumento תופ indicabatur, imitabantur. Id consonat locis Bibliorum, in quibus de saltu sermo est, Exod. 15, 20. Jud 11, 34. 1 Sam. 18, 6, 7. Jer. 3, 4, 13. Ex Ps. 68, 26, liquet, saltâsse quoque viros musicos; et cantores quidem in orbem præcessisse, secutos esse fidicines, et ex utrâque parte à virginibus saltantibus cinctos fuisse. Hujusmodi chorea dicebatur מחול, quæ etiam in cultu divino et diebus festis ducebatur; ast proceres non saltabant plebeiis immixti, atque id est, quod Michal 2 Sam. 6, 16, 23, Davidi, qui inter populum ante arcam saltavit, vitio vertit. Proceres alias, ævo saltem recentiori, nonnisi saltum juniorum puellarum spectabant, conf. Marc. 6, 21, 25.

Ars oratoria in Oriente nunquàm fforuit; quare Paulus, inter Græcos, qui artem hanc, etsi tunc jam senescentem et degenerem, magni faciebant, non benè audiebat, 1 Cor. 1, 17.

CAPUT VI.

DE SCIENTIIS.

§ 98. *Scientiarum origines.* — Quùm artes meditatione ad certas leges redigerentur, ortæ sunt scientiæ, quarum prima initia antiquissimo ævo offenduntur; de integro autem aliquo systemate nullum etiam ævo recentiori occurrit vestigium. Reliquis præcelluerunt Ægyptii et Babylonii; laudantur quoque Arabes 1 Reg. 5, 9, et Edomitæ, Jer. 49, 6. Hebræi inclaruerunt sub Davide et inprimis sub Salomone, qui ipse omnes alios doctrinâ et perspicaciâ superàsse refertur, et hinc à celeberrimis extraneis invisebatur, 1 Reg. 5, 9, 14. Exemplum tanti regis alios plurimos dubio procul in imitationem traxit. Excolebant autem præ cæteris morum disciplinam, philosophiam religionis, historiam suæ gentis, et historiam naturalem, de quâ Salomo plurima scripsit, quæ ætatem non tulerunt. Post Salomonem Hebræi vix progressi sunt. In exilio notiones et ideas novas acceperunt, et dein quoque à Græcis permulta mutuati sunt; historiam verò non ita studiosè, ut majores eorum, excoluerunt; hinc annales postremorum seculorum, antiquioribus similes, desunt.

§ 99. *De Historiâ et Chronologiâ.* — Historiæ studium olim in oriente præ cæteris viguisse, ipsa testantur Biblia, quæ res præcipuas à creatione hominis usque ad tempora, quæ proximè Christum præcesserunt narrant, et multos alios libros historicos laudant, atque plura quoque monumenta, in memoriam rerum gestarum erecta, inscriptionibus quoque probabiliter instructa, referunt. Idem apud alias quoque gentes obtinebat; non solum Ægyptii ordinem sacerdotum, scribendæ historiæ addictum, alebant, sed etiam Babylonii, Assyrii, Persæ et Tyrii suos habebant annales. Antiquissimâ ætate id munus apud plerasque gentes ad sacerdotes spectabat, recentioribus autem temporibus etiam reges, suos habebant cancellarios, qui inprimis dicta regis et facta consignabant. Apud Hebræos etiam prophetæ historiam suorum temporum scribebant, e antiquiori ævo genealogi multa genealogiis inserebant; erat enim antiqua historia magis genealogica, quàm chronologica; quare genealogia, etiam pro historiâ venit, Gen. 6, 9, 10, 1. Hinc æra Nabonassare antiquior, non reperitur,

in Bibliis tamen hic defectus per genealogias chronologicas et insertos hinc inde numeros annorum certæ temporis periodi, aliquâ ratione suppletus est. In compendiariis genealogiis sine chronologiâ Hebræi sicut Arabes, generationes pro arbitrio omittebant, Ruth 4, 20, 25. Esdr. 7, 1, 5. Matth. 1, 8; ast aliàs nomen per posteros in genealogiis conservari, magno honori ducebatur; quare jam à primâ origine Hebræis erant publici genealogi.

Antiqui, non modò Hebræi, sed etiam Ægyptii, ut ex Herodoto et Diodoro Siculo patet, adamabant cyclum generationum, quarum tres, centum annos efficiebant; ast antiquiori ævo, quo homines erant longævi, centum anni generationi deputabantur, ut ex Gen. 15, 13, 16, atque ex 215 annis liquet, quibus Abraham, Isaac et Jacob in regione Chanaan versati sunt, et duæ tantùm generationes erant.

§ 100. *Arithmetica, Mathesis, Astronomia et Astrologia.* — Arithmeticæ species priores quator, in Pentateucho pro notis ponuntur, nec dubium est, mercatores pluribus operationibus arithmeticis, quæ tamen non erant nostræ, usos fuisse, quùm et nomina myriadis רבו, רבבה, jam Gen. 24, 60. Lev. 26, 8. Deut. 32, 30, usitata fuerint.

Mathesis, quatenùs ad rem rusticam et nauticam, atque ad artes necessaria fuit, deesse non potuit, etsi singularis ejus mentio non offenditur.

Quæpiam astronomia ad rem rusticam et nauticam necessaria erat; et menses omnes 30 dierum, qui Gen. 7, 11; 8, 3, 4, occurrunt, argumento sunt, jam id temporis tentatum fuisse, annum ad cursum solis exigere. Hâc scientiâ præ cæteris Ægyptii, Babylonii et Phœnices excelluerunt. Aliqua nomina stellarum occurrunt, Job. 9, 10; 37, 9; 38, 31, 32. Isa 13, 10; 24, 12; Amos 5, 8, 26; 2 Reg. 23, 5. Hebræos verò astronomiæ non majorem operam navâsse, mirari non subit; erat enim juncta astrologiæ, quæ illis, Exod. 22, 17. Deut. 18, 10, interdicta fuit, ab omnibus autem aliis gentibus magni fiebat, Isa. 47, 9; Jer. 27, 2; 50, 53; Dan. 2, 13, 48.

§ 101. *Divisio diei et noctis.* — Diem Hebræi juxta legem Mosaicam computabant à vesperâ usque ad vesperam; diem verò naturalem, ab ortu solis usque ad occasum, ante exilium dividebant ferè, ut nunc Arabes, in sex partes inæquales. I. Aurora seu crepusculum matutinum, quod recentiori ætate, exemplo Persarum, divisum erat in duas partes, quarum prima inchoabat, quando orientalis, altera, quando occidentalis horizontis pars illustrabatur; à Thalmudicis Jerosolymitanis dividitur in quatuor partes, quarum prima אילת השחר, dicitur, quæ Ps. 22, 1, occurrit, et Marc. 16, 2. Joan. 20, 1. λιαν πρωι nuncupatur. II. Mane, oriente sole. III. Calor diei, qui inchoat circa horam nonam, Gen. 18, 1, 1 Sam. 11, 11. IV. Meridies. V. Ventus diei, qui quotidiè aliquot horis ante solis occasum inchoat, et usque ad vesperam spirat, Gen. 3, 8, VI. Vespera, in duas partes divisa, quarum prima inchoabat, juxta Karæos et Samaritanos, occidente sole, et altera ingruentibus tenebris; juxta Rabbinos autem prima, sole ad occasum vergente, èt altera, eo occidente. Arabes cum Karæis et Samaritanis faciunt, et ita quoque Hebræi ante exilium computâsse videntur, ut Rabbini ex græco δειλη novam computationem desumpsisse videantur.

Horarum mentio prima occurrit Daniele 3, 6, 15; 4, 6, 30; 5, 5. Primùm quidem horæ ad gnomones qui nonnisi meridiem indicabant, dein ad σκιαδερικον, seu horologium solare, denique etiam ad clepsydras exigebantur. Horologium solare sub rege Hizkiâ (Ezechiâ) occurrit, 2 Reg. 18, 9, 10. Isa. 38, 8, et à rege Achaz denominatur, qui illud ex Babyloniâ accepisse videtur, unde et Aneximenes Milesius recentiori ævo primum skiathericon in Græciam transtulit. Quia verò noctu, et cœlo obnubilato quoque interdiù, ejus nullus erat usus, inventa est clepsydra, quæ adhucdùm seculo XVII in Persiâ erat simplicissima, nempe scutella ex tenui laminâ æreâ, in fundo exiguo foramine perforata, quæ in vas aquâ repletum posita, aquâ per foramen penetrante, tribus horis implebatur, ut submergeretur; quare minister clepsydræ, qui scutellam submersam ex aquâ elevaret, et vacuam super aquam reponeret, necessarius erat. Horæ præcipuæ erant tertia, sexta et nona, quæ jam Dan. 6, 11, precibus consecrabantur, conf. Act. Apost. 2, 15; 3, 2; 10, 9. Dies dividebatur, Joan. 11, 9, in duodecim horas inæquales, æstate longiores, breviores hyeme. Horæ numerabantur ab ortu solis, ut in æquinoctio tertia nostræ nonæ, sexta nostræ duodecimæ, et nona nostræ tertiæ responderet; aliis anni temporibus hora, quâ sol in Palæstinâ oritur et occidit, consulenda est, ut, quæ fortè memoratur, hora ad nostrum horologium redigi possit. Quare annotamus, solem in Palæstinâ solstitio æstivali oriri ferè nostrâ horâ quintâ, et occi-

dere ferè septimâ, solstitio verò hyemali oriri horâ septimâ, et occidere quintâ.

Nox ante exilium divisa fuit in tres vigilias, quarum prima, *initium vigiliarum*, usque versùs mediam noctem, Thren. 2, 19; secunda *vigiliæ mediæ*, usque ad gallicinium, Jud. 7, 19; et tertia, *vigiliæ matutinæ*, usque ad ortum solis extendebatur; hæc nomina à vigiliis levitarum in sacro tabernaculo et templo, desumpta esse videntur. Exod. 14, 24. 1 Sam. 11, 11. Ætate Christi autem nox, exemplo Romanorum, in quatuor vigilias divisa erat, Thalmudicis frustra repugnantibus; prima dicebatur ὀψὲ, *vespera*, *conticinium* ab ingruente nocte usque ad nostram horam nonam; secunda, inde usque ad mediam noctem, μεσονυκτιον, *media nox*, *intempestum;* tertia usque ad nostram horam tertiam matutinam, αλεκτοροφωνια, *gallicinium;* quarta denique usque ad crepusculum matutinum πρωι, *diluculum.*

§ 102. *De hebdomadibus.* — Periodus septem dierum jam in historiâ diluvii, Gen. 7, 4, 10, 8, 10, 12, et Gen. 29, 27, 28, nomen quoque ejus שבוע occurrit; antiquissima itaque est, ut gentes, apud quas inventa fuit, eam à Noachi filiis accepisse et conservâsse videantur, uti e. gr. nigri in Africâ, conf. Oldendorps Gesch. der Mission 1, 308. Dies numerabantur à die solis, ut dies Saturni esset septima, quæ Hebræis erat sabbatum; nomina planetarum, ipsis imposita sunt ab Ægyptiis. A sabbato, tanquàm præcipuâ die, tota demùm hebdomas dicta fuit, שבת, in N. F. σαββατον et σαββατα, et dies numerabantur, una vel prima Sabbati, secunda Sabbati vel etiam Sabbatorum, etc., i. e. dies solis, dies lunæ, etc. Marc. 16, 2, 9. Luc. 18, 12; 24, 1. Joan. 20, 1, 19, etc. Hebræis, præter hebdomadem dierum, aliud triplex genus hebdomadum præscriptum erat. Exod. 22, 10, 11. Lev. 25, 1, 17, et Deut 16, 9, 10. I. Hebdomas hebdomadum; periodus septem hebdomadum, seu 49 dierum à Paschate usque ad festum Pentecostis, quod, die 50 incidens, inde dicitur festum hebdomadu, Deut. 16, 9, 10; II hebdomas annorum; periodus septem annorum, ita ut septimus esset sabbaticus, quo erat vervactum totius regionis; III hebdomas septem annorum sabbathicorum; periodus 49 annorum, quæ anno quinquagesimo seu Jubilæo claudebatur. Exod. 22, 10, 11. Lev. 25, 1, 22; 26, 34.

§ 103. *De mensibus et anno.* — Mutationes lunæ primam procul dubio temporis dimensionem suppeditârunt, neque tamen, ut quipiam opinantur, originem hebdomadibus dederunt, quia nequaquàm 4 hebdomades, seu 28, sed 29 dies efficiunt; neque primitùs computationibus annorum occasionem dedisse censeri possunt; nam anni profectò primùm juxta reditum æstatis vel fructuum maturescentium, numerabantur. Quùm autem observaretur, post duodecim ferè menses lunares redire fructus maturos, annus ad 12 menses lunares seu 354 dies determinatus fuerit; ast post 17 annos quoque observabatur, eodem redeunte mense omnia esse contraria; quare, ut ex historiâ diluvii liquet, tentatum fuit, menses ad cursum solis, 30 diebus definire; sed defectus 5 dierum post 10 vel viginti annos non observari non potuit. Hinc lex Mosaica Hebræis annum et menses lunares reliquit, sacerdotes verò adstrinxit, ut secundâ die Paschatis, seu 16 post primam neomeniam aprilis, maturum manipulum ad altare offerrent; hâc ratione normam eis præbuit, annos lunares ad solares redigendi; si enim ultimo anni mense viderent, segetem statuto tempore non fore maturam, coacti erant, mensem intercalare, quod ferè omni tertio anno accidebat. — Initium anni œconomici ducebatur à mense septimo (Tischri), seu à primâ neomeniâ octobris; ecclesiastici verò anni initium, Exod. 12, 2, statutum fuit à mense spicarum (Nisan) seu à primâ neomeniâ aprilis, quia Hebræi 15 hujus mensis Ægypto egressi sunt; atque ab hoc prophetæ reliquos menses numerant, ut antiquior annus œconomicus tantùm in re rusticâ et civili observaretur. — Præceptores Judæorum quidem septembrem et martium initium duplicis hujus anni statuunt; ast post excidium Jerosolymæ, à Romanis, anni initum à martio ducentibus, decepti fuisse videntur, ut quondàm mensem intercalare omitterent; nam Josephus, et lingua quoque syriaca et arabica Rabbinis adversatur; et illa quoque, quæ majoribus tribus diebus festis præscripta erant, martio et septembri non congruunt.

Menses, qui ירחים et etiam à neomeniâ, à quâ incipiebant, חדשים, dicebantur, in singulis annis numerantur ordinariò *duodecim.* Olim etiam non propriis nominibus, sed muneris *primus secundus, tertius* est distincti, Seu. VII, 11, VIII. 4, 5, 13. Jerem. 1, 3, XXVIII, 17; pedetentim tamen peculiares quædam appellationes ortæ sunt, ut *mensis abib.* Exo. XIII, 4; *ziv.* 1 de Reg. VI, v. 1; *ierach hactanim,* 1, Reg. VIII, 2 et *boul,* 1 Reg. VI, 38, donec tandem in captivitate Babylonicâ, Hebræi adoptârunt nomina mensium Babylonica, quæ sunt: 1. Nisan, Neh. 2,

I. Esth. 3, 7, à primâ neomeniâ aprilis.—II. Ijjar, à primâ neomenia maii.—III. Sivan, Esth. 8, 9, à primâ neomeniâ junii.—IV. Thammuz, à primâ neomeniâ julii.—V. Ab, à primâ neomeniâ Augusti. — VI. Elul. Neh. 6, 75, à primâ neomeniâ septembris. — VII. Thischri, à primâ neomeniâ Octobris; initium anni civilis. — VIII. Marcheschhan, à primâ neomeniâ novembris. — IX. Khislev, Zach. 7, 1, Neh. 1, 1, à primâ neomeniâ decembris.—X. Tebeth, Esth. 2, 16, à primâ neomeniâ Januarii.— XI. Schebat, Zach. 1, 7, à primâ neomeniâ februarii. — XII. Adar, Esth. 3, 7; 13; 8, 12; 9, 1, à primâ neomeniâ martii. — Mensis intercalaris à Judæis dicitur ואדר.

Divisio anni in sex partes, jam § 19, adducta, hîc repetenda non est; ast longævitatem primorum hominum præterire non possumus; varia enim recentiores tentant, quibus illos annos centenos in totidem decennia mutent; jam annos illos primævos in menses, jam in quadrantes anni, jam in hyemes vel æstates redigere satagunt, immemores vel ignari, Orientales jam Gen. 8, 22, prout et adhucdùm Arabes, annum dividere in sex partes sextas, et non tantùm omnes sex partes, sed etiam menses, et quidem jam ad cursum solis exactos, memorari in historiâ diluvii, ne dicam, juxta hunc computum aliquos patriarchas jam quinto aut saltem decimo anno genuisse proles. Quæ veteres quipiam de anno multo breviori referunt, non sunt nisi, ut Diodorus Sic. L. I, cap. 26, disertis verbis dicit, conjecturæ, quibus immensum numerum annorum, quem Ægyptii aliique nonnulli populi jactabant, explicarent. Conf. J. A. Kanne Bibl. Untersuchungen. Erlangen 1819. P. I, p. 1, 63.

§ 104. *De Geometriâ, Mechanicâ et Geographiâ.* — Mensuræ longitudinis Gen. 7, 15, 16, et planimetria Gen. 47, 20, 27, occurrunt. In libro Job et Josuæ, memoratur funiculus mensorius, allatus ex Ægypto, ubi testibus omnibus antiquis geometria inventa, et cogentibus Nili inundationibus, maximè exculta fuit. In hâc regione Hebræi quoque tantùm de geometriâ combiberunt, ut dein regionem Chanaan geographicè delineare, et funiculo mensorio dividere potuerint. Conf. Menochii de Republ. Hebr. L. 7, c. 13, quæst. 6. Pondera libræ, quæ Gen. 23, 15, 16, attinguntur, quædam saltem rudimenta stereometriæ nota fuisse, docent. — De mechanicâ non quidem diserta mentio, sed plura alia, ex quibus ejus cognitio colligitur, occurrunt, ut navis Noachi, turris Babylonica, ædificia in Ægypto, currus, Gen. 41, 43; 45, 19; 50; 9. Exod. 14, 6, 7, et machinæ Ægyptiorum ad irrigandos agros, Deut. 11. 10. Ex his aliisque, quæ progressu temporis plura memorantur, colligitur, plura instrumenta, quæ ad illa paranda necessaria erant, vel quæ aliunde præcedere debebant, cognita fuisse. — Notitiæ geographicæ in Bibliis tot obviæ sunt, ut opus non sit, plura de iis dicere, vide Gen. 10, 1, 30; 12, 4, 15; 14, 1, 16; 28, 2, 29; 42, 1, 4; 49, 13, etc.; mentionem tamen meretur, sub Josuâ regionem Chanaan geographicè descriptam fuisse, Jos. 18, 9. In his et similibus aliqua rudimenta scientiæ mathematicæ deesse non potuerunt.

§ 105. *Medicina.* — Ægroti Babylone, et fortassè in pluribus aliis regionibus primùm in viis publicis exponebantur, ut transeuntes consulerent, quæ ipsis, simili morbo affectis conduxerint. Ægyptii in templa Serapis, et Græci in templa Æsculapii deferebant ægrotos, et media, quibus sanati sunt, scripta, in his fanis conservabantur. Ex his, per experientiam cognitis medicamentis progressu temporis ars medica in scientiam redacta est, primùm in Ægypto, multò recentiori ævo in Græciâ, cujus tamen medici paulò post, Ægyptios longè superârunt. Auxilia quoque ab inanibus artibus petita fuisse, nil mirum, quùm et Plinius plurimas medicinas referat, quæ profectò effectus, quos eis adscribit, producere nequeunt. Medici occurrunt primùm Gen. 50, 2. Exod. 21, 19. Job. 13, 14; chirurgicæ autem operationes quæpiam jam in circumcisione, Gen. 17, 11, 14, latent. De cognitione diversarum internarum partium corporis humani plura in Bibliis occurrunt testimonia, etsi cadavera usque in ætatem Ptolemæorum secta non fuerunt. Medicos internorum quoque morborum, ante Davidem adfuisse, testatur, quod 1 Sam. 16, 16, legitur consilium, Sauli insano suppeditatum. Inter Hebræos ars medica sacerdotibus commissa fuit, qui, utpote magistratus reipublicæ theocraticæ, de leprâ cognoscebant, Levit. 13, 1, 14. Deut. 24, 8, 9. Occurrunt verò alii quoque medici, qui non videntur omnes fuisse sacerdotes, 1 Sam. 16, 16. 1 Reg. 1, 2, 4; 15, 33. 2 Reg. 8, 29; 9, 15. Isa. 1, 6. Jer. 8, 22. Ezech. 30, 21, Prov. 3, 18; 11, 30; 12, 18 16, 15; 29, 1. Carpitur autem 2 Paral. 16, 12, rex Asa, non Dei, sed medicorum auxilium quæsivisse, quia medici illius ævi, frequenter non medicinis naturalibus, sed mediis supersti-

tiosis utebantur. Præ cæteris medicamentis laudatur balsamum, Jer. 8, 22; 46, 11; 51, 11. Recentiori ævo medici hebræi græcos legebant, et non tantùm scientiâ proficiebant, sed etiam numero aucti sunt, Eccles. 38, 1, 12, Marc. 5, 26. Luc. 4, 23; 5, 31; 8, 43. Joseph. Arch. XVII, 6, 5.

§ 106. *Physica, Historia Naturalis et Philosophia.* — Physica in Oriente parùm culta fuit; major opera navabatur historiæ naturali, ex cujus tribus regnis quàm plurima in Bibliis occurrunt, atque regnum quidem vegetabile et et animale ipse rex Salomo descripsit, 1 Reg. 5, 13. Philosophiæ strictè sic dictæ, occurrunt exempla in libro Jobi, in Psalmis 37, 39 et 73, atque in libris Proverbiorum et Ecclesiastis. Quùm post exilium lingua librorum sacrorum jam non esset vernacula; in templo anno sabbatico, quo lex prælegebatur, et in synagogis, quæ demùm exstruebantur, necessarii erant interpretes, qui prælecta interpretarentur. Hi linguam hebraicam in scholis discebant, quarum doctores, qui ultimis duobus ante Christum seculis, philosophiam græcam noverunt, nequaquàm simplici interpretationi idiomatis hebraici acquiescendum esse rati, illa quoque, quæ verbis Bibliorum ediscebantur, ad normam philosophiæ exigere satagebant; hinc paulò post contentiones, natæ sunt, quibus ortum suum debent sectæ Pharisæorum, Sadducæorum et Essenorum. Inter Pharisæos ætate Christi nova orta erant schismata; nam scholam Hillel inter et scholam Schammai agitabantur, ut Judæorum præceptores referunt, 18 acutissimæ quæstiones, ex quibus erat et hæc, quænam causa ad libellum repudii sufficiat. Matth. 19, 3.—Eruditi, olim dicebantur חכמים, uti apud Græcos σοφοι, *sapientes*, ævo Christi autem nomine γραμματευς, *litteratus*, veniebant, et honoris compellatione רב vel רבי, i. e., *magnus*, nempe *magister*, salutabantur; septem autem celebriores, exemplo septem sapientum græcorum, ampliori nomine רבן insigniti fuerunt. Ipsi autem se dicebant filios seu discipulos sapientiæ vel sapientum, quod cum voce φιλοσοφος convenit, Matth. 11, 19. Luc. 7, 31. Auctores sectarum dicebantur patres, Matth. 12, 27, 23, 1, 9. Discipuli audiebant filii. Doctores Judæorum, saltem quipiam, propria quidem auditoria habebant, docebant tamen etiam in synagogis, in templo, et ubicumque auditores inveniebant. Methodus erat eadem, quæ apud Græcos valebat, ut discipulus quippiam quæstionem proponeret, de quâ doctor dissereret, Luc. 2, 46. Doctores nec ab Ecclesiâ, neque à civitate instituebantur, nec salario gaudebant, nisi quod à discipulis dabatur, et honorarium, τιμη, dicebatur, 1 Tim. 5, 17; cæterùm exercitio artis vel opificii acquirebant, quibus vitam tolerarent. Cathedrâ sublimiori usos fuisse, ex Luc. 2, 46; 23, 5, quidem non efficitur, verisimile tamen est. Thalmudici tract. Berachoth præter alias modestiæ leges, quas eruditis ferunt, cavent, ne cum muliere loquantur, et ne cum plebeiis mensæ accumbant, Joan. 4, 27. Matth. 9, 11. Objecta doctrinæ permulta erant minutiæ, quibus Thalmud scatet.

In scholis Judæorum, quæ post excidium Jerosolymæ Tiberiade et Babylone, seu Seleuciæ, floruerunt, introductus est aliquis gradus academicus, qui à Maimonide Jad chazaka L. VI, 4, describitur. Præcipua, quæ observabantur, erant: 1° Ratio vitæ et doctrina candidati examinabatur; 2° approbatus cathedram conscendebat, Matth. 23, 2.; 3° pugillaris ei porrigebatur, in symbolum, ut omnia, ne memoriæ elabantur, scribat; 4° tradebatur ei clavis, symbolum, ut nunc aliis scientiam recludat. Luc. 11, 52. 5° Imponebatur ei manus, quod ex Num. 39, 18, sumptum est. 6° Committebatur ei jurisdictio, procul dubio duntaxat in discipulos. 7° Denique Tiberiade quidem רב magnus, Babylone verò מר dominus salutabatur.

CAPUT VII.

DE MERCATURA.

§ 107. *Antiquitas mercaturæ.* — Mercatura in Oriente, antiquissimo ævo orta, et paulò post multùm provecta fuit; hinc viæ publicæ, vada fluviorum et pontes, jumenta et navigia quoque ad transvehendas merces, mensuræ, pondera atque pecunia, in historiâ etiam antiquiori passim occurrunt. Gen. 12, 5; 23, 16, 37, 25, 26; 42, 1, 5; 49, 3; 10, 4, 5. Jud. 5, 17. Exod. 20, 23; 25, 4. Lev. 20, 19. Deut. 3, 14; 19, 3. Jos. 13, 2; 12, 5; 13, 13; 19, 3; 1 Sam. 27, 8, 10. 2 Sam. 5, 3; 13, 37; 15, 8.

§ 108. *Commercium Phœnicum, Arabum et Ægyptiorum.* — Phœnices olim in mercaturâ primas tenebant. Merces ex toto oriente vel ipsi, vel per conciliatores coemebant, et navibus in mari Mediterranneo ad littora Africæ et Europæ devehebant, argentum, et merces reportantes, quas in Oriente divendebant. Metropolis eorum prima erat Sidon, dein Tyrus, 240 annis ante templum Salomonis, seu 1251 ante Chr. condita. Emporia vix non ubique terrarum habebant; cæteris autem eminebant Carthago et Thartessus, in Hispaniâ, unde na-

ves, quæ longinquiora itinera suscipiebant, naves Tharsis dicebantur. De commerciis eorum legatur Ezech. 27, 28, et Isa. 23. — Incolæ Arabiæ Felicis mercaturam cum Indis tractabant, et merces partim per fretum Babel-Mandeb in Abyssiniam et Ægyptum; partim verò per sinum Persicum et Euphratem, Babylonem; et partim per sinum Arabicum in portum Etziongeber deportabant; hinc eis venerunt illæ divitiæ, quas antiqui fortassè nimis extollunt. — Ægyptiorum mercatura inchoat cum rege Necho vel Necao et ejus successore Psammeticho, eluctari tamen non potuit, donec ab Alexandro Tyrus eversa, et Alexandria condita fuisset.

§ 109. *Viæ mercatorum.* — Phœnices recipiebant merces Indicas partim ex sinu Persico, ubi in insulis Dedan, Arad et Tyro, colonias habebant; partim ab Arabibus, qui eas jam itinere terrestri per Arabiam, jam per sinum Arabicum usque in portum Etziongeber devehebant, unde itinere terrestri Gazam, et hinc in Phœnicen deportabant. Has extraneas merces Phœnices illis, quas ipsi parabant, augebant, et mari Mediterraneo in omnes alias orbis plagas deportabant. Ægyptii olim merces recipiebant à Phœnicibus, Arabibus, Africanis, et Abyssiniis, in quorum regione adhucdùm insignia rudera emporiorum supersunt; recentiori autem ævo ipsi quoque merces Indicas propriis navibus adportabant, et demùm per mare mediterraneum in alias orbis plagas devehebant. Præcipuum verò in Oriente commercium erat terrestre; hinc in Bibliis naves ferè non memorantur, nisi Ps. 107, 23, 30; et ubi sermo est de Phœnicibus, vel de Salomonis et Josaphati re nauticâ. — Ex Palæstinâ in Ægyptum duæ erant viæ notatu dignæ; altera in littoribus maris Mediterranei à Gazâ usque Pelusium, quæ tribus diebus conficiebatur; altera à Garâ ad brachium Elaniticum sinûs Arabici, quæ nunc ad montem Sinai flectitur, et ferè mense absolvitur.

§ 110. *De vecturâ mercium terrestri.* — Etsi antiqui orientales curribus utebantur, mercatores tamen merces camelis, qui in desertis faciliùs aluntur, et æstûs patientiores sunt, vehebant, et, ne à prædonibus spoliarentur, multi congregati iter faciebant, sicut adhucdùm in Oriente usitatum est, et major quidem societas peregrinantium dicitur *karvân* vel *karavân*, minor verò *kafle* vel *kafile*, συνοδια, Job. 6, 18, 20. Gen. 37, 25. Isa. 21, 13. Jer. 9, 1. Jud. 5, 6. Luc. 2, 44. Supellectilia itineris sunt: Stratum, stragulum, tapetum in quo sedeatur, corium rotundum loco mensæ, lebetes vel ollæ aliquæ æreæ stanno obductæ, patera ærea stanno obducta, quæ sub veste ante pectus portatur, et ex quâ bibitur, 1 Sam. 26, 11, 12, 16; utres pro aquâ, et, prout facultates ferunt, tentorium, luminaria et annona, Ezech. 12, 3. — Per deserta conducitur dux viæ, qui fontes, cisternas, et semitas novit, quas ex lapidum cumulis, ex indole et odore soli, et, omnibus aliis deficientibus, ex stellis dignoscit, Num. 10, 29, 32. Jer. 31, 21. Isa. 21, 14. — Omnibus paratis, peregrinantes conveniunt aliquo ab urbe intervallo, et princeps, qui ab ipsis ex ditissimis itineris sociis eligitur, indicit diem discessus. — Ita quoque actum fuit in itineribus Hebræorum ad sacrum tabernaculum, et ad templum Jerosolymæ. — Itinera quotidiana plerumque diluculo aut noctu inchoantur, et ita instituuntur, ut in statione, in quâ, si fieri possit, sit aqua, Job. 6, 15, 20., tempestivè adveniant, atque adhuc interdiù omnia parare possint, quæ necessaria sunt. In itinere nocturno non rarò, ne quisquam facilè aberrare possit, faces seu lampades, in perticis fixæ, præferuntur, quarum vicem Hebræis in Arabiâ, supplevit nubes lucens. Nisi urbs quæpiam attingatur, peregrinantes castra metantur, et noctu securitatis causâ, alternis vigilias agunt. In urbibus sunt hospitia publica, quæ *Chan* et *Karvanserai* dicuntur, in quibus habitatio gratis habetur. Ædificia sunt ampla, in quadrum disposita, in quorum medio area est. Hujusmodi hospitium primum Jer. 41, 17, occurrit, ad urbem Bethlehem situm, sub nomine כמהם גרות; Græcis hæc ædificia nominibus πανδοχειον, καταλυσις et καταλυμα veniebant, Luc. 2, 7; 10, 34.

§ 111. *Commercium Hebræorum.* — Situs Palæstinæ, ad commercia quidem peropportunus erat, neque tamen in favorem mercaturæ ullæ leges à Deo per Mosen latæ fuerunt, inprimis quia Hebræi, ad veram religionem conservandam consecrati, sine dispendio inter idololatras dispergi non poterant. Itaque sola bona fides in emptione et venditione inculcatur, Levit. 19, 36, 37; 21, 9. Deut. 25, 12, 16. Mercaturæ tamen occasio fuit per tria festa majora, ad quæ omnes mares adulti quotannis in unum locum convenire debebant; nam inde factum est, ut, qui vendendum quid habebant, illuc adferrent, ubi plures emptores sperabant; et qui emere quidpiam cogitabant, differrent in illum locum, ubi plures venditores prævidebant, quod de-

mùm mercatores quoque attraxit, conf. Deut. 14, 26. — Quia verò per legem commercia extranea interdicta non fuerunt, Salomo non tantùm mercaturam equorum fecit, ut suprà dictum est; sed etiam naves ex portu Etziongeber per sinum Arabicum in Ophir, quæ probabiliùs est Africæ regio, et usque in Hispaniam emisit; 2 Reg. 9; 26, 2 Paral. 9, 21. Hoc commercium, etsi quæstuosum, post obitum Salomonis neglectum fuisse videtur, et quùm Josaphat illud restituere vellet; naves in ipso portu scopulis allisæ, peirerunt 1 Reg. 22, 49, 50, 2 Paral. 20, 36. Aliàs Joppe erat portus Jerosolymæ minùs quidem commodus, in quo tamen naves quoque majores, in Hispaniam tendentes, appellabant, Jon. 1, 3; et ætate Ezechielis Jerosolymæ tanta erant commercia, ut in invidiam Tyri incideret, Ezech. 26, 20. Post exilium Hebræi quàm plurimi erant mercatores, qui in omnes plagas diffundebantur, atque demùm princeps Simon in Judæâ quoque portum ad Joppen commodiorem reddidit; hinc rex Antigonus Pompeio delatus est, emisisse piratas. Denique Herodes ad Cæsaream novum portum condidit.

§ 112. *De mensuris et ponderibus.* — Ad mercaturam pecunia, mensuræ et pondera necessaria sunt, quæ in Asiâ antiquissimo jam ævo definita fuerunt, et eorum normæ Hebræis in sacro tabernaculo suppeditatæ sunt, ut sacerdotes rectitudinem ponderum et mensurarum curarent. Hæ normæ transierunt deinceps in templum; eo autem everso perierunt, et jam caveri non poterat, ne mensuræ et pondera sensim mutarentur. Hebræi sub ditione alienâ, ponderibus et mensuris dominorum suorum non uti non poterant, uti jam Ezechiel cubitum recentiorem et minas novas memorat. Quare distinguenda sunt pondera et mensuræ ante et post exilium, et ea, quæ interpretes Alexandrini et Josephus Flavius referunt, in antiquius ævum transferenda non sunt. Quanta autem fuerint ante exilium pondera et mensuræ, accuratè definiri non potest.

§ 113. *Mensuræ longitudinis.* — Mensuras longitudinis gentes ferè omnes à corpore humano desumpserunt, et quantæ fuerint apud Hebræos ante exilium, nonnisi ex mediocri corporis humani habitudine colligi potest. — I. Digitus, nempe latitudo digiti, ætate Christi 10 linearum Parisiensium, quæ non æquant 10 lineas Viennenses, quia pes Viennensis 4 lineis minor est Parisiensi; ex quo sequentes mensuræ ævi recentioris, facilè æstimantur. — II. Palma, seu quatuor digiti, 1 Reg. 7, 26, conf. 2 Paral. 4, 5. Jer. 52, 21. — III. Spithama, ab extremitate pollicis usque ad extremitatem digiti auricularis, seu tres palmæ, Exod. 28, 16, 39, 9, 1 Sam. 17, 4. — IV. Cubitus, à cubito usque ad radicem manûs, Ezech. 41, 8, seu quatuor palmæ, quæ sextam partem altitudinis corporis humani efficiunt, Deut. 3, 11. 1 Sam. 17, 4. Ezechiel memorat c. 40, 5, c. 43, 13, cubitum quinque palmarum, quæ æquant longitudinem à cubito usque ad elevationes ante digitos manus; hic esse videtur cubitus Babylonius, de quo etiam 2 Paral. 3, 3, 2, mentio fit, conf. Herodotum I, 178, et Solinum 56, 2. — V: גמד, Jud. 3, 16, ut videtur, longitudo totius brachii. — VI. Calamus mensorius sex cubitorum, seu longitudo corporis humani; Ezechiel c. 40, 5, memorat calamum Babylonium sex palmis longiorem. — VII. Σταδιον, *stadium,* mensura græca, à Judæis adoptata, 125 passuum geometricorum, ferè 100 orgiarum viennensium, seu sexcentesima pars gradûs, Luc. 14, 13. Joan. 6, 19; 11, 18. Apoc. 14, 20; 21, 16. Stadium verò ægyptiacum tantùm est 67 orgiarum et 2 pedum. — VIII. Οδος σαββατου, via sabbati, 6 aut 7 stadiorum, Act. 1, 12. Hanc mensuram recentiores Judæi ex Exod. 16, 29, exsculpserunt. — IX. Μιλιον, *milliare* romanum, 1000 passuum geometricorum, seu 8 stadiorum, ferè milliare italicum, Matth. 5, 41. — X. כברת הארץ, Gen. 35, 16; 18, 7. 2 Reg. 5, 19, ex versione Alexandrinâ ιπποδρομος, *cursus equi*, qui juxta Arabes ferè explet tres quadrantes milliaris germanici, seu perasangam, quâ voce Pheschito interpretatur. — XI. Iter diei, quod jam majus, jam minus est, medium tamen est 150, ut apud Romanos, vel 160 stadiorum, ut Herodotus V 53, exponit, seu quatuor milliarium Germanicorum.

§ 114. *Mensuræ cavæ.* — I. Manipulus, vel pugillus, mensura non accuratè definita, Lev. 2, 2; 5, 12; 6, 8. II. Omer, pro aridis, ut ex Exod. 16, 16; 18, 22, 32; 33, 36, liquet, quantùm personæ cuilibet pro victu quotidiano assignabatur; igitur idem ac χοινιξ, *chœnix* Græcorum, etsi hinc inde variabat, Apocal. 6, 6, ferè 40ma aut 36ta pars modii Viennensis. — III. אפה *Epha*, Ægyptiacum οιφι, pro aridis, capiebat decem omer, ut annotatum legitur Exod. 16, 36, qui locus aliquibus quidem dubius, sed antiquissimus est, quia in omnibus versionibus, et in ipso quoque textu samaritano habetur. Epha itaque fere 4ta pars est modii viennensis. Ejusdem quantitatis erat bathus,

pro liquidis. Josephus verò Archæol. VIII, 2, 9, comparat bathum 72 ξεσταις, et μετρητης, qui tertiâ parte major erat amphorâ seu pede cubico romano, adeòque, quùm pes romanus æqualis sit ferè 11 1/2 pollicibus viennensibus, bathus ætate Christi Joan. 2, 6, fuit 15 3/4 seu ferè 16 pollices viennenses longus, latus et altus. — IV. Sea videtur esse nomen hebraicum ejusdem mensuræ, quæ nomine Ægyptiaco Epha dicta fuit, conf. Gen. 18, 6, cum Jud. 6, 19, et 2 Reg. 7, 16, 18. 1 Sam. 25, 18; ab aliis putatur esse tertia pars Ephæ. In novo Fœdere satum, σατον Matth. 13, 33. Luc. 13, 21, ex Josepho definiendum est, qui Archæol. IX, 2, dicit esse μοδιον και ἡμισυ ιταλικον, qui erat tertia pars amphoræ; ex calculo Eisenschmidii σατον erat 674 pollicum cubicorum parisiensium, seu ferè 15 pollices viennenses longum, latum et altum, sed, ut videtur, minùs rectè. — V. Chomer, pro aridis et liquidis, etiam כר dictus, decem Ephas capiebat. Itaque לתכ, ejus dimidium, quinque ephis æquale erat. — VI. Kab, de aridis duntaxat occurrit 2 Reg. 6, 25, ex quo loco liquet, parvam fuisse mensuram. — VII. Hin, pro liquidis, cujus dimidia, tertia, quarta et sexta pars memoratur; reputatur sexta pars bathi, quod locis, in quibus occurrit, utcumque congruit. — VIII. Log, duodecima pars Hin. — IX. Phura, Isa. 63, 2, est torcular; ast Agg. 2, 16, videtur esse nomen ignotæ mensuræ persicæ. — X. Ξεστης, *sextarius* romanus, 48 pars amphoræ. — XI. Μοδιος, *modius* romanus, pro aridis, tertia pars amphoræ seu pedis cubici romani. — XII. Μετρητης, mensura græca, tertia parte major quàm amphora romana, seu 1 1/3 pedem Romanum longa, lata et alta.

§ 115. *De ponderibus et pecuniâ.* — In Oriente jam ætate Abrahami valor mercium, ad certam quantitatem argenti, definiebatur, cujus puritas à mercatore notata erat, Gen. 23, 16; de monetâ verò ante exilium nullum occurrit vestigium. Argentum olim nequaquàm in partes certi ponderis, divisum erat; quare in bilance, raró in lance seu vecte, Isa. 46, 6, ponderabatur, seu pendebatur, vel appendebatur. Hinc mercatores, vel qui quidpiam emere vel vendere cogitabant, bilancem et pondera, quæ è lapidibus parata erant, et hinc אבנ et אבנים dicebantur, in cingulo portabant, Lev. 19, 36. Deut. 25, 13, 18. Prov. 10, 20; 16, 11. Mich. 6, 11. Fraudulenti duplicia pondera, leviora et graviora gestabant, ut in rem suam, jam his, jam illis uterentur. Ex his liquet, pecuniam et pondera ad eamdem normam æstimanda esse. Aurum usque ad Davidem non erat norma valoris, sed merces pretiosa, quæ æquè ad bilancem exigebatur. — Antiquissimum pondus et simul genus pecuniæ, est קְשִׂיטָה, ignotæ quantitatis, Gen. 33, 19. Jos. 24, 32. Job. 42, 11. — Ætate Mosis autem pondus præcipuum dicebatur *siclus*, ejus dimidium *beka*, et pars vigesima *gera*. Centum sicli dicebantur *mina*, 2 Paral. 9, 16, conf. 1 Reg. 10, 17; et 30 minæ seu 3,000 sicli efficiebant *talentum*, Exod. 38, 25, 26. Talentum autem Græcorum pro varietate regionum variabat; atheniense 6,000 drachmis computabatur.

§ 116. *Valor ponderum et pecuniæ ante exilium.* — Rabbini quidem, uti adhucdùm Persæ, valorem ponderum ad numerum granorum hordei, æstimant; antiquæ autem gentes grana siliquarum pro minimo pondere usurpabant, et cùm arbores, quæ hos fructus ferunt, in Palæstinâ sint copiosæ, dubio procul Hebræorum גרה, nomen minimi ponderis, granum siliquarum est, quocum concinit etymologia à גרר *traxit, detraxit.* Fannius, Augusto coævus, dicit: « semina sex aliis siliquis latitantia curvis, « attribuunt scriplo.... scripla tria drachmam « faciunt. » Hinc drachma æquat 18 siliquas, quas Eisenschmied de Ponderib. et mens. p. 23, invenit esse æquales 87 vel 88 granis parisiensibus; quare viginti siliquæ seu geræ hebrææ, i. e., siclus = 96 vel 97 granis parisiensibus, id est 26 3/4 cruciferis, et גרה ferè = 5 siliquis, ferè = 1 3/7 cruciferis nostris. — Sub monarchiâ Hebræorum erat etiam siclus et pondus regium, quo capilli Absalomi appendebant 200 siclos; quùm autem optima coma viri, reperta sit 10 semiunciarum; siclus regius erit 12, vel, si capilli Absolomi alterum tantùm effecerint, 24 granorum parisiensium, = 2 1/2, vel ad summum = 5 cruciferis nostris. — Aurum, iisdem ponderibus appendebatur; valor autem definiri nequit, quia ratio ejus ad argentum non liquet; id modò constat, siclum aureum, 1 Paral. 12, 25, valuisse, quia siclus regius erat, quartam, vel ad summum tertiam partem nostri aurei, qui 65 grana parisiensia appendit.

Hæ definitiones non sunt accuratæ, inprimis si simul consideretur diversa metalli paritas, de quâ in Bibliis frequentior recurrit mentio, uti Ps. 12, 7, argentum septies defœcatum, et alias aurum quoque purius singularibus nominibus פז, חרוץ, vel epithetis אופז, אופיר distinctum, quod aurum solidum esse videtur

§ 117. *Pondera et monetæ post exilium.* — In exilio et post reditum pondera et monetæ aliarum gentium invaluerunt. Hinc Ezechiel c. 45, 12, memorat minas exoticas 15, 20 et 25 siclorum. Dein Hebræi usi sunt monetâ Persarum, Græcorum et Romanorum ; ast principes Asmonæi proprias quoque monetas cuderunt. — Nummus antiquissimus est aureus persicus, 1 Paral. 29, 7. Esdr. 2, 69; 8, 27. Nech. 7, 70, 72, δαρειχος, nequaquàm à Dario rege, sed à persicâ voce, *rex* sonante, denominatur, quia erat pecunia regia, opposita argento à mercatoribus signato. Exhibebat effigiem regis, et alterâ facie sagittarium tiarâ acuminatâ ornatum, atque sinistrâ arcum, dexterâ verò sagittam tenentem. Pondus ab interprete Alexandrino drachmæ comparatur, = 87 granis pariensibus, id est 1 1/4 aurei imperialis; Suidas, scholiastes Aristophanis εκκλησ. v. 598, et Harpocration, Daricum valere dicunt 20 drachmas. — Præcipua moneta græca erat στατηρ, qui Matth. 17, 26, 27, duobus dimidiis siclis, seu siclo integro æqualis ponitur. Quatuor drachmis constabat, unde et τετραδραχμον dicebatur. Juxta pondus siliquæ, supra expositum, esse deberet 348 granorum parisiensium ; ast exemplaria, quæ multa supersunt, ferè pondus 302 usque 324, ad summam 333 granorum exhibent. Quò recentiores sunt hi nummi, eò quidem elegantiores, minoris verò ponderis ; unde liquet, sumptus excusionis in valorem fuisse computatos. Si illis exemplaribus, quæ superesse, et bilanci appensa fuisse diximus, addatur, quod usu detritum fuit; pondus tamen ætate Christi non superavit 316 grana parisiensia, = 1 fl. et 24 cruciferis nostris. Scoria fere 1/24 reperta est. Exhibent plerumque caput Minervæ, atque alterâ parte noctuam et monogramma vel nomen. — Drachma itaque, δραχμη, erat quarta stateris pars, fere = 21 cruciferis nostris. Alexandriæ autem drachma erat alterum tantùm, adeòque 42 cruciferorum nostrorum. — Drachmæ in commercio quotidiano quidem æqualis habebatur denarius, δηναριον, nummus romanus; verus autem valor septimâ parte minor erat. Exhibet alterâ facie deam Romam seu victoriam, alterâ verò currum, cui duæ bigæ equorum junctæ sunt, ævo autem recentiori effigiem Cærasis, Matth. 22, 19.

Ad pondus stateris, princeps Judæorum Simon 1 Mach. 15, 16, siclos cudit, qui itaque 316 ferè grana, seu 1 florenum et 24 cruciferos nostros æquabant. Qui adhucdùm supersunt, characteribus antiquis insigniti, genuini censentur, etsi aliqua fortè exemplaria, recentiori ævo ad normam antiquorum fabricata fuerint. Signatio est varia.

Ασσαριον, *as*, nummus romanus æneus, qui ætate Christi erat dimidiæ unciæ; alterâ facie effigiem olim Jani, recentiori ævo Cæsaris, et alterâ puppim repræsentabat Matth. 10, 29. Luc. 12, 6. Asses 16 erant æquales denario. — Quarta pars assis erat Κοδραντης, *quadrans*, nummus æneus; 64 quadrantes æquales erant denario, Matth. 5, 26. Marc. 12, 42. — Λεπτον, *minutum*, moneta Græca ænea, dimidium quadrantis; adeoque 128 minuta æqualia erant denario. Marc. 12, 42, 59.

Pondus, λιτρα dictum, pro diversitate regionum variabat, ita quidem, ut merces plures ad litram regionis, ex quâ advectæ erant, venderentur; quare valor litrarum Joan. 12, 3; 19, 39, definiri nequit.

Notandum autem est, olim argentum et aurum fuisse rarius, et hinc eò majoris valoris; quarto seculo ante Christum valor se habebat ad valorem in Angliâ 1780 ferè ut 10 ad 1, ut tunc quis 440 granis argenti, tantumdem emere potuerit, quod dicto anno in Angliâ, 4400 granis, seu integrâ marcâ emebatur.

CAPUT VIII.

DE VESTITU.

§ 118. *Materia vestium.* — Protoparentes primùm se foliis ficuum, dein pellibus contegebant, quæ progressu temporis certo modo subactæ sunt. Inventa demùm sunt coactilia, ex pilis animalium coagmentata, quæ novum quasi pellium genus præbebant, donec tandem pili, lana, gossypium et linum in fila ducerentur et texerentur, quæ omnes artes summam antiquitatem attingunt, Gen. 14, 33; 31, 18, 19; 37, 3; 38, 28; 41, 42; 45, 22. Job 7, 6; 31, 20. Ægyptus olim ab his erat celeberrrima, ubi Hebræi tantùm didicerunt, ut ipsis quoque Ægyptiis præcellerent, 1 Paral 4, 21, et dein in Arabiâ pro sacro tabernaculo omnia, quæ erant hujus generis, pararent, atque acu quoque pingerent. Materia majoris æstimata erat pannus xylinus, sequebatur pannus laneus, dein lineus, et denique qui ex pilis animalium parabatur. — Sericum antiquiori ævo non occurrit, nisi fortè Ezech. 16, 10, 13, משי sericum sit; id saltem constat, Alexandrum in Persiâ sericum invenisse, et probabiliùs jam illæ vestes Medicæ, quas Persæ sub Cyro cum suis commutaverunt, sericæ erant. In Occidente sericum seriùs invaluit.

§ 119. *De coloribus vestium.* — Color panni xylini albus et purpureus cæteris præferebatur. *Xylinus albus*, qui olim שש et בר, demùm etiam בוץ, βύσσος, *byssus*, dicebatur, erat vestitus festus, quo inprimis divites et proceres utebantur. Fullones singulari arte splendentem albedinem inducebant, ad quod cineres clavellatos herbæ ברית, et etiam urinam putrefactam adhibebant, quare, ne fœtor molestus esset, extra urbes habitabant, Isa. Jes. 7, 3. Xylinus pannus purpureus, sanguine venæ, in faucibus muricum hærentis, operosè tinctus erat; laus ei summa, color sanguinis concreti, nigricans aspectu idemque suspectu refulgens, et hujus generis erat purpura Tyria; color ruber nigricante deterior. — Hoc pretiosissimo colore utebantur reges et regiâ stirpe nati. Luc. 16, 19. Apoc. 18, 12. — Color coccineus primò Gen. 38, 28, et dein persæpè occurrens, magni æstimabatur. Parabatur ex cocco, seu ex ovis insectorum ilici immissis. Pannus xylinus hoc colore bis tingebatur: hinc etiam *dibaphus* dicebatur; Hyacinthinus color, à pisce sepiâ, ut videtur, cognominatus, non minùs placebat, Ezech. 23, 6. Color niger non erat nisi viliorum vestium, et inprimis lugubrium. — Versicolores vestes præcipuis accensebantur, Gen. 37, 3, 23. 2. Sam. 13, 18. — Materia vestium, jam ætate Mosis quoque acu pingebatur, non modò filis gossypii et lini versicoloribus, sed etiam aureis, quæ ex subtilibus auri laminis scindebantur; si sola altera facies acu picta erat, רקמה רקמות; si utraque, רקמתים, dicebatur, Exod. 25, 36, 35, 35; Jud. 5, 30; Ps. 45, 10; Ezech. 16, 10. Quænam autem sit vestis, שעטנז, quæ ex lanâ et lino constabat, et Hebræis Levit. 19, 19. Deut. 22, 11, interdicitur, disputatur. Josephus testatur, suo ævo sententiam valuisse, vestes esse acu pictas, quas dicit, fuisse prærogativam sacerdotum; verùm lex universalis erat, et etiam sacerdotes obligabat. — Aliis est illa vestium materia, teste Arydâ, adhucdùm in Oriente pervulgata, cujus subtegmen, ערב, est lana, stamen autem, שתי, est gossypium, ut Hebraeis, communi aliis gentibus veste interdictum fuerit. — Aliis est quoddam vestimentum ægyptiacum pretiosius, variisque figuris ad superstitiosum cultum divinum pertinentibus splendidum.

§ 120. *De tunicis.* — Simplicissima, ideòque antiquissima vestis est, plebeiis in Oriente adhucdùm usitata Ehram dicta, nempe linteum vel pannus, qui cingulo circa lumbos in orbem alligatur, et usque ad genua pertingit. In Bibliis primùm nomine כתנת insignitur, dein verò sub nomine cinguli חגורה latet, et homo hoc solo panno cinctus, nudus esse dicitur, Job. 24, 7, 10. Isa. 20, 2, 4. Mich. 1, 8. Joan. 21, 7. — Quùm anterior pars hujus perizomatis, ne vento elevaretur, cum posteriori parte inter pedes colligaretur; ortæ sunt caligæ, quæ ætate Mosis non usque ad genua pertingebant, Exod. 28, 42; progressu verò temporis usque ad talos prolongatæ sunt. Exod. 28, 42, caligæ hæ breves sacerdotibus, ob adjuncta ministerii sacri, præscribuntur; unde colligitur, alias non multùm fuisse usitatas, quod et adhucdùm in diversis Orientis regionibus observatur. Si Strabo p. 734, refert, Persas triplicibus caligis indutos fuisse, de recentiori ævo loquitur, ex quo sunt Dan. 3, 3, 21, caligæ exteriores. Orientales tamen, sive caligis careant, sive iis vestiti sint, micturi, locum remotum quærunt, et se demittunt, ut nonnisi proletarii stantes, in parietem mingant, qui designantur expressione illâ *mingens ad parietem*, 1 Sam. 25, 22, 34. 1 Reg. 14, 10; 16, 11, 13; 21, 21. 2 Reg. 9, 8. — Hoc perizoma progressu temporis prolongatum fuit usque ad collum, et demùm etiam manicæ breviores, denique longiores, totum brachium tegentes, appositæ sunt, ut tunica perfecta prodiret, quæ primùm, ut illud perizoma, usque ad genua pertingebat, demùm autem usque ad talos prolongabatur. Hæc vestis dicitur כתנת, χιτων, et primùm quidem arctè corpori adhæsit, demùm autem laxior facta est. — Babylonii, Ægyptii, et Persæ, super hâc tunicâ induebantur aliâ simili veste, plerumque pretiosiori, quâ etiam Hebræos potentiores usos fuisse comperimus, Prov. 31, 21. Matth. 10, 10. Luc. 9, 3. Marc. 6, 9.

§ 121. *Cingulum.* — Quùm illud perizoma in tunicam transformaretur, cingulum conservatum fuit, ne nempe tunica ambulantem impediret; quare, qui domi fortè discincti erant, exeuntes cingebantur, 2 Reg. 4, 29; 9, 1 Isa. 5, 27. Jer. 1, 17. Joan. 21, 7. Act. 12, 8. Erat et est adhucdùm in Asiâ duplex genus cingulorum; alterum commune coriaceum, ζώνη δερματίνη, latitudine dimidii pedis, et fibulis instructum, quibus ad ventrem clauditur, 2 Reg. 1, 8. Matth. 3, 4. Marc. 1, 6; alterum pretiosum ex gossypio, vel lino, nunc quidem etiam ex serico textum, olim autem acu pictum, latitudine palmæ, quod anteriùs ad ventrem colligabatur Jer. 13, 1. Fœminæ cingulum non raro bullâ vel umbilico pretioso claudebant, Cant. 7, 3, et gestabant etiam cingula pretio-

sissima, et fasciam pectoralem, atque ipsum quoque cingulum laxius, et aliquantùm infra lumbos ligabant, quùm viri cingulum perpetuò in lumbis gestarent; unde dicitur cingulum lumborum, et cingere lumbos, 1 Reg. 18, 46. Prov. v. 31, 17. Isa. 11, 5. Jer. 1, 17. Arabes cultrum vel pugionem in cingulo portant, quod etiam Hebræis consuetum fuit, 2 Sam. 20, 8, 10, et observatur quoque in ruderibus Persepolitanis. Cæterùm cingulum simul erat marsupium, in quo pecunia et quidquid necessarium erat, gestabatur, 1 Sam. 25, 13. 2 Sam. 18, 11. Matth. 10, 9. Marc. 6, 8.

§ 122. *De superindumentis.* — Vestis, quæ super tunicâ induebatur, שמלה, שלמה, nonnunquàm etiam בגד, ἱματιον, dicta, simplicissima, ideòque antiquissima, est pannus quadratus diversæ magnitudinis, plerumque autem 5-6 cubitos longus, et 5-6 pedes latus, qui corpori circumvolvitur; quùm autem eundo rursùm decideret, cœlo sereno commodiùs gestabatur; nempe vel duo anguli oppositi in brachia imponebantur, ut ipse pannus duobus aliis angulis in dorso penderet; illi duo anguli, in brachia inflexi, dicuntur alæ vestis, 2 Sam. 15, 20. Agg. 2, 12. Zach. 8, 23; vel pannus, juxta duos angulos oppositos convolutus, conjiciebatur in humerum sinistrum, et pars posterior per dorsum, anterior per pectus trahebatur sub axillam deteram, ibique connectebatur, ut commodè penderet. Si pannus erat minoris formæ, ferè ut pallium gestabatur. Hoc panno etiam onera quæcumque involvi, et commodè portari poterant, Exed. 12, 34. 2 Reg. 4, 39. Pauperes noctu se totos hoc panno involvebant, et super cingulum expansum, lapide capiti supposito, decumbebant, uti in Asiâ adhucdùm fieri consuevit; quare consuetudo, ne superindumentum oppignoratum, per noctem retineatur, in legem convertebatur Exod. 22, 25, 26. Deut. 24, 13. Ætate Christi creditores, non superindumentum, sed tunicam, de quâ nulla lex exstabat, pignus accipiebant, quo collineat Jesus, Matth. 5, 40. — Occasione violati sabbati, Num. 15, 32-41, mandatum fuit, ut Hebræi in quatuor angulis hujus amictûs, gestarent in vittis hyacinthinis fimbrias, ut in intuitu earum recordarentur legum divinarum, Matth. 9, 20. Luc. 8, 44. — Ex variis mutationibus hujus indumenti, prodiit 1° Meil, vestis xylina omni parte clausa, foraminibus duntaxat pro transmittendis brachiis et capite patens; pertingebat usque ultra genua; 2° Ephod, quod duabus partibus constabat, quarum altera per tergum, et altera per pectus et ventrem dependebat, et ambæ partes in humeris, fibulis connexæ erant; ætate autem Josephi Archæol. III, 7, 5, habebat manicas, quæ Exod. 28, 6, 7, non memorantur. Cæterùm Ephod et Meil erant vestes summo sacerdoti præscriptæ; gestabantur autem ab aliis quoque viris illustribus, Job 29, 14. 1 Sam. 18, 4. 2 Sam. 6, 14. Ezech. 26, 16. 3° פטיש, subucula, Dan. 3, 21, quæ in ruderibus Persepolitanis conspicitur.

Etsi clima Orientis est calidum, pellicea tamen adeò usitata sunt, ut nomen eorum in Bibliis deesse non possit, nec aliud superest, nisi אדרת. Erat jam vile et pilosum, Gen. 25, 25, quo utebantur pauperes, et prophetæ, paucis contenti, 2 Reg. 1, 8; 2, 8, 13, 14. Zach. 13, 4. Hebr. 11, 37; jam erat pretiosum, quo utebantur divites et proceres, Jos. 7, 21, 24. 1 Reg. 19, 13, 19. Jon. 3, 6. — סדין et σινδων, idem quidem nomen, nequaquàm verò eamdem rem significat; סדינ, enim pretiosa erat tunica xylina, Jud. 14, 12. 13, 19. Prov. 31, 24. Isa. 3, 23; σινδων verò erat xylinum tegumentum nocturnum. Marc. 14, 51, 52; 15, 46. Luc. 23, 53. — χλαμυς est nomen pallii græci usque ad genua pertingentis, quod in pectore, vel ad dexteram pectoris partem connectebatur; ast χλαμυς κοκκινη, quæ Matth. 27, 28. Marc. 15, 17, juxta plebeium usum loquendi, πορφυρα dicitur, est pallium rubrum militum Romanorum ejusdem ferè cum pallio græco longitudinis. Cum hoc verbo Χλαμυς conferendum non est hebraicum גלום; nam Ezech. 27, 24, גלומי תכלת nequaquàm pallia sunt græca, sed panni coloris hyacinthini, ex Arabiâ advecti. — Φελομης vel φαινολης, pœnula, vel penula 2 Timoth. 4, 13. Romanum est pallium pluviale et itinerarium, undique clausum solo aperto foramine, per quod caput eminebat, ut ipsa vestis humeris insideret.

§ 123. *Sandalia, soleæ, calcei.* — Primùm pedibus, ut ab acutis lapidibus, à solo frigido, vel solis ardoribus candente, munirentur, asserculi, vel frustra corii alligabantur. Utrumque hoc sandaliorum genus adhucdùm in Oriente cernitur; accesserunt duntaxat soleæ, ocreæ, et in Persiâ quoque calcei, qui in ruderibus Persepolitanis conspiciuntur, et à Strabone quoque memorantur. Aliàs olim usitata non erant nisi sandalia, נעלים, σανδαλια, ὑποδηματα, quæ loris seu corrigiis, שרוכ, ἱμαντες, ἱμας, alligabantur, Gen. 14, 23. Exod. 12, 11. Isa. 5, 27. Jud. 10, 4. Matth. 3, 11; 10, 10. Mar. 1, 17; 6, 9. Joan. 1, 27. Hæc sandalia vilis erant pretii, Amos. 2, 6; 8, 6. Eccl. 46, 22, ma-

tronis autem non deerant elegantiora, Jud. 10, 3; 16, 11. Quale Ezech. 16, 10, pretiosum sit calceamentum תחש expeditum non est. Ocreæ et calcei occurrunt in ruderibus Persepolitanis. Sandalia ingressuri cubile solvebant, et egredientes rursùs alligabant; unde descendunt phases: *solvit sandalia*, et, *assumpsit sandalia*, Exod. 3, 5. Deut. 25, 9. Isa, 20, 5. Ruth 4, 6, 7. Ezech. 24, 17. Solvere et alligare sandalia, erat officium servorum infimorum, quod tamen discipuli quoque doctoribus præstabant; Rabbini autem monent, ne coram ignotis id faciant, qui ipsos servis accenserent. Servorum recenter emptorum primum munus erat, domino sandalia solvere, et aliquo viæ spatio portare. Quare *corrigiam sandaliorum solvere*, Marc. 1, 7, et *portare sandalia*, Matt. 3, 11, proverbiales sunt phrases, quæ prorsùs idem sonant. Quia autem tibialium non erat usus, pedes ambulantium pulveribus vel luto contaminabantur; quare domum ingressi, depositis sandaliis, pedes lavabant, quod itidem servorum erat munus; insignioribus tamen hospitibus ipse quoque pater familias id officium præstabat, Gen. 18, 4, 5. Luc. 44, Pauperes quidem discalceati incedebant, aliàs tamen sandaliorum usus communis fuit, ut vir gravis nunquàm incederet nudipes, nisi fortè in luctu, 2 Sam. 15, 30. Jer. 2, 25. Quia autem mos erat, ut venditor emptori, in signum contractûs, traderet sandalia; convitium *discalceatus*, prodigum significabat, Deut. 29, 9, 10. Ruth. 4, 7.

§ 124. *De barbâ.* — Barba Hebræis, ut nunc Orientalibus, erat insigne viri decus, quod nullus tangere, nisi ut oscularetur, audebat, 2 Sam. 20, 9; radi verò, vel aliâ ratione barbam lædi, summum dedecus erat, 1 Paral. 19, 3, 5. 2 Sam. 10, 4, 10. Hinc barba tropicè pro viris insignibus alicujus nationis, et rasura barbæ pro indicio servitutis veniebat, Isa. 7, 10· Ps. 9, 21. Jer 48, 45. Barba diversis quoque modis colebatur, 2 Sam. 19, 24. Hebræis solùm interdictum erat radere, i. e., illos angulos barbæ, quibuscum coma capitis concurrit, Lev. 19, 27, quia genus Arabum hâc rasurâ angulorum barbæ et capillorum cum barbâ concurrentium, se numini cuipiam, quod Baccho simile erat, devovebat, Herod. III, 8. Jer. 9, 26; 25, 23; 49, 32. Sibi evellere vel scindere barbam, indicium erat summi luctûs, in quo consuetum erat, omnem ornatum deponere; alteri autem barbam evellere, summa erat contumelia. Isa. 50, 6.

§ 125. *De capillis.* — Capillos, olim ferè soli Ægyptii et quipiam Arabes radebant, Hebræi verò, ut cæteræ gentes, eos alebant, et interdùm novaculâ succidebant, quod solis interdictum erat Nazaræis, qui comam sine succisione gestabant, Num. 6, 5. Jud. 13, 15; 16, 7. 1 Sam. 1, 11. 2 Sam. 14, 16. Isa. 7, 20 Ezech. 5, 1. Calvities facile contemptum afferebat, 2 Reg. 2, 23, et capilli, ornatui deputabantur, 2 Sam. 14, 26. Cant. 5, 11, in ordinem redigebantur, vel comabantur, Jud. 16, 11, et ungebantur, inprimis diebus festis et in conviviis, Ps. 23, 5; 92, 11; 133. 2. 2 Sam. 14, 2. Ruth. 3, 3. Prov. 21, 17; 3, 3. Isa. 3, 24, etc. Unguentum erat generosissimum olivarum oleum, mixtum aromatibus, quorum præcipuum erat nardus, ex Indiâ advecta, sed passim adulterata; hinc Marc 14, 3, ναρδη πιστικη, nardus genuina esse videtur. Color comæ sub illo climate ferè niger, rufus rarus, qui, quamvis de leprâ suspectus, singulari tamen decori ducebatur. Sexus fœmineus, ut aliàs ubique gentium, cæsariem alebat, Luc. 7, 38. Jud. 11, 1. 1 Cor. 11, 6. 12, eamque, ut ex Num. 5, 18. Jud. 10, 3. 1 Tim. 2, 9. 1 Petr. 3, 3, discimus, plectebat, aurum gemmasque intertexens, 2 Reg. 9, 30.

§ 126. *De tegumentis capitis.* — Initio sufficiens capitis tegumentum erant capilli, qui demùm, ne vento diffluerent, funiculo capiti alligabantur, prout in ruderibus Persepolitanis conspicitur, et adhucdùm agasonibus orientalibus usitatum est. Tandem capiti injiciebatur linteum vel pannus, quo coma diversis modis colligabatur. Denique pannus in diversas mitras conversus fuit. Duplex autem genus mitrarum antiquarum distinguitur, nempe tiara recta, quæ in Persiâ regibus, et illis, qui à rege eâ donati erant, propria fuit, atque hæc est, quæ Esth. 8, 15, dicitur *tiara byssina* et *purpurea*, et ornata erat diademate aureo. Altera erat in modum trianguli acuminata, et quidem diversis modis, ut in antiquis monumentis videre est, et hæc est, quæ Dan. 3, 21, כרבלא et à Græcis κυρβασις, κυρβασια dicebatur. De linteo, quo orientales mitram circumvolvunt, ante exilium nulla occurrit diserta mentio, neque ex nominibus צניף et מצנפת quidquam pro eo extundi potest; neque etiam in צפירה vel ראש לוית חן, latere videtur; è contrario mitram capiti alligatam fuisse legimus. Ast Josephus Archæol. L. III, c. 7, § 3 et 7, de ligatione silet, et linteum illud circumvolutum memorat.

Unde colligitur, ejus usum demùm post

exilium invaluisse. — Omnibus mitris, quas uterque sexus gestabat, nomen commune est צניפ; mitra autem sacerdotum dicitur מגבעה, à majori altitudine; quare capiti alliganda fuit, Exod. 28, 40; 29, 9; 39, 28. Num 8, 13. Mitra summi sacerdotis, solo diademate seu laminâ aureâ, quæ ei in fronte alligata erat, distincta fuisse videtur; quare Ezech. 21, 31, etiam regi tribuitur, Exod. 28, 4, 37; 29, 6; 39, 31. Num. 8, 9; 16, 4. Mitræ nempe sacerdotum et summi sacerdotis erant, quæ ab illustribus illius ævi viris gestabantur. Progressu temporis novæ invaluerunt elegantiores, ut פאר, utrique sexui communis, צפירה תפארה, et צפיעות, ast נזר et עטרה non sunt nomina mitræ sed diadematis. — Cæterùm viri non minùs ac fœminæ; prout et nunc in Oriente consuetum est, caput nunquàm aperiebant, sed semper et in ipsis quoque precibus et in templo tecto erant capite, 2 Reg. 9, 30.

§ 127. *De peplo.* — Discrimen vestitus muliebris à virili, exiguum quidem, sed tamen, præsertim pretio et subtilitate atque longitudine vestium, notabile fuit; capillorum verò ratio alterius sexus, prout supra diximus, prorsùs diversa erat, ad quam accedat peplum. Hinc Deut. 22, 5, cautum est, ne vestitus alterius sexûs assumatur. — Peplo omnes fœminæ (exceptis ancillis et personis inferioris conditionis, Isa 47, 2,) utebantur, nec illud, prout adhucdùm in Oriente mos est, deponebant, nisi domi coram servis et illis consanguineis, quibuscum nuptiæ interdictæ erant, Lev. 18. In itinere quidem peplum super occiput rejiciebant; ast, sicut nunc in Oriente observatur, conspecto eminùs viro, mox rursùs demittebant, Gen. 24, 65. Domi suæ quoque hospiti non loquebantur, nisi velatæ et præsentibus quibusdam ancillis; nec cubiculum hospitis ingrediebantur, sed ante fores stantes, servo hospitis indicabant, quid domino dictum vellent, 2 Reg. 4, 13. quod etiam in Homero observatur. Meretrices peplum particulare certè habebant; Thamar enim, quæ pro meretrice haberi voluit, Gen. 38, 14, peplum sumpsit Virgines peplo antiquiori non fuisse usas, ex Gen. 20, 16, efficitur. — Diversa autem sunt in Asiâ peplorum genera, quæ cum iis, quæ in Bibliis leguntur, conveniunt. Matronæ quadruplici peplo utuntur, et olim quoque utebantur: primum רדיד dictum, contegit verticem, et per tergum dependet, Cant. 5, 7. Isa. 3, 23; secundum, צמה, pectus, collum, et mentum usque ad nasum operit Cant. 4, 1, 3 6, 7. Isa 47, 2; tertium, רעלה, ab oculis super faciem pendulum, Isa. 3, 19; quartum denique, pro diversitate hyemis et æstatis, מעטפה et מטפחה, dictum, totum corpus à vertice usque ad plantam pedis contegit, Isa. 3, 2, 22. Ruth 3, 15. Gen. 38, 14. In quibusdam regionibus unicum est matronis majus peplum, quod, vertici impositum, à tergo, et per faciem et pectus dependet, quare ut duplex respici potest, et hinc dubio procul nomine צעיפ designatur. In aliis locis pannum tenuiorem translucidum, per faciem pendulum, gestant, qui Isa. 3, 18, dicitur שביסים. Quale fuerit peplum, 1 Cor. 10, 11. ἐξουσία ἐπὶ τῆς κεφαλῆς dictum, ignoratur.

§ 128. *Baculus, sigillum, annuli.* — Hebræos baculum, non modò viatores pro sustentaculo, Exod. 12, 11. Jud. 6, 21 Matth. 10, 11. Marc. 6, 8. Luc. 9, 3; 10, 4; 22, 35, 36, sed etiam aliàs ad pompam, prout Babylonii solebant, gestâsse, liquet ex Gen. 38, 18, 25. Eodem more Babylonio quoque sigillum funiculo ex collo super pectus pendens, gestabant Gen. 38, 18. Cant. 8, 6. Agg. 2, 24. Sigillo solum nomen possessoris, et fortè nonnunquàm, ut hodiedùm in Asiâ, sententia quæpiam insculpta erat, atque atramento intinctum, loco subscriptionis, imprimebatur, quod Plinius XXXIII, 6, non intellexit. Si cista aut fores signandæ erant, apponebatur ligamen et arilla aut creta, cui sigillum imprimebatur. Non rarò sigillum insculptum erat annulo, cujus traditione reges supremos regni præfectos creabant, Gen. 41, 43 Esth. 3, 10, 12; 8, 2. Jer. 22, 24. Dan. 6, 10; 13, 17. Hinc annuli, quia simul sigilla erant, à tingendo טבעות, טבעה, dicuntur, et plerumque ad ornatum in digito manûs dexteræ gestabantur, Isa. 22, 24. Exod. 35, 22. Luc. 15, 22. Jac. 2, 2.

§ 129. *Annuli mulierum,* — Mulieres in digitis plures annulos, et alios quoque non solùm ex lobis aurium, sed etiam ex pariete nasi pendulos gestabant. Annulus nasi, נזם על אף, nomine quoque חח, seu illius annuli venit, qui naso jumentorum ferociorum trajiciebatur. Gen. 24, 22, Exod. 32, 2, 3; 35, 22. Isa. 3, 21. Ezech. 15, 12. Job 42, 12. Prov. 11, 22; 25, 12. Hi annuli erant, prout facultates ferebant, ex auro, argento vel alio metallo parati, aut constabant margaritis, filo appensis, Isa. 3, 19; 8, 26, aut globulis ex auro solido, Exod. 32, 2. Num. 31, 50. Ezech. 16, 11, qui etiam in auribus figurarum Persepolitanarum conspiciuntur; nam et viri aliarum gentium hæc ornamenta aurium gesta-

bant; viris autem Hebræis perforatio auris erat servilis, Jud. 8, 24. Mulieres porrò in articulis pedum gestabant periscelides seu annulos ex argento, auro, aliisque materiis paratos qui nonnunquàm catenis aureis vel argenteis, ex pede altero alterum transeuntibus, nexi erant; hæ catenæ dicuntur צעדות; fortassè comprehenduntur quoque nomine עכסים, Isa. 3, 18. Prov. 7, 22.

§ 130. *Torques, armillæ, pericarpia.* — Mundus muliebris in Oriente nullo non tempore sumptuosissimus fuit, Gen. 24, 22, 23, 52. Exod. 25, 1, 7. Num 31, 50. Isa. 3, 16, 26. Ezech. 16, 10, seqq. Gestant enim matronæ, et gestabant quoque olim, præter illos annulos pretiosos, etiam diversas torques, quibus viri quoque illustres, qui eas à rege dono accipiebant, ornabantur, ut in figuris Persepolitanis videre licet, Gen. 41. 42. Prov. 3, 4, 22; 6, 21; 14, 24. Cant. 1, 11. Dan. 5, 7; 16, 29. Ita quoque armillis et pericarpiis condecorabant se non solæ matronæ sed etiam viri principes, Gen. 24, 22; 30, 47. Num. 31, 50. Isa. 3, 19. Ezech. 16, 11; 23, 42. Jud. 10, 4. Hæc quoque ornamenta jam ex auro argentove, jam ex serie unionum, ex globulis auri solidi, Exod. 35, 22. Num. 31, 59, vel ex coraliis parata erant, Exod. 25, 1, 7. Num. 31, 50. Matronæ orientales nunc quidem tres torques gestant, et in tertiâ, quæ usque ad zonam dependet, et plerumque aurea, et gemmis ornata est, pendent olfactoriola, musco et ambra impleta, quæ Isa. 3, 20, 24, dicuntur בתי נפש. Lunulas quoque argenteas vel aureas illis olim usitatas fuisse, vel ipsum nomen שהרנים comprobat; his Arabes colla quoque camelorum ornabant, Isa. 3, 18, Jud. 8, 21, 26.

§ 131. *Amuleta.* — Orientales ab antiquissimo ævo vim influxûs siderum, incantationum et aliarum artium, firmiter credunt, contra quam, ut se præmuniant, amuleta טוטפות dicta, gestant, quæ olim, non raro erant pretiosi lapides, globuli auri solidi, aut gemmæ auro impositæ, aut schedæ characteribus inscriptæ, et rebus pretiosis exornatæ, ut simul ad decus conferrent, Ezech. 13, 17, 31. Hujus generis erant quoque effigies aureæ serpentum, quas matronæ hebrææ gestabant, Isa. 3, 20. Moses Exod. 13, 9, 16. Deut. 6, 8, 18, 19, inde phrases deprompsit, unde Judæi φυλακτήρια seu תפלים, exculpserunt, de quibus aliâ occasione loquemur.

§ 132. *Specula.* — Specula conflata erant ex ære polito; hinc etiam גליונים, dicebantur, et Job 37, 18, cœlum fuso speculo, comparatur; hinc quoque ex speculis, quæ mulieres ad sacrum tabernaculum obtulerunt, fusum fuit labrum æneum Exod. 38, 8. Mulieres specula ad pompam in manu portabant, cubicula illis non ornabantur, recentiori autem ævo interdùm fores cubiculorum, ut essent translucidæ, ex lapidibus specularibus constabant, per quos tamen objecta nonnisi obscurè cernebantur, 1 Cor. 13, 12.

§ 133. *Marsupium, sudarium.* — Marsupii locum quidem cingulum subibat; matronæ tamen marsupia aurea, instar coni formata, et superiùs panno pretioso contecta, in cingulo pendula gestabant; Isa. 3, 22. 2 Reg. 5, 23.— Sudarium uterque sexus in cingulo, vel in manu, vel super brachio sinistro ferebat, quod potentibus erat pretiosum, etiam acu pictum. In sudario illa, quæ custodire oportebat, asservabantur, et caput quoque cadaverum involvebatur, Luc. 19, 20. Joan. 11, 14; 20, 17.— Semicinctia, Act. Ap. 19, 12, erant genus sudariorum, quæ collo pro excipiendo sudore imponebantur.

§ 134. *Fucus et stigmata.* — Fucus quidem varius omnibus gentibus nullo non tempore usitatus fuit, nobis de eo duntaxat dicendum est, qui in Bibliis dicitur פוך, de cujus usu usurpatur כחל. Stibium est, in Oriente usque in Indiam, adhucdùm usitatum, quod stilo argenteo oculis, ut nigrescant et dilatentur, infertur, et superciliis quoque illinitur ut ex utrâque parte prolongentur, quod decori deputatur 2 Reg. 9, 30. Jer. 4, 30. Ezech. 23, 40. 1 Paral. 29, 2. Apocal. 3, 8. De fuco. ex cineribus Alhennæ parato, quo matronæ orientales manibus, brachiis et pedibus colorem flavum, et unguibus rubrum inducunt, etsi antiquissimo, in Bibliis non fit mentio; allusio autem occurrit Jer. 2, 22, in נכתם. Fucus ruber matronarum romanarum, qui idolis quoque diebus festis illiniri solebat, memoratur Sap. 13, 14. Consuetudo quoque antiqua, in Oriente usque in nostrum ævum perdurat, ut, qui templum invisit, vel deo cuipiam se devovet, effigiem templi, aut nomen Dei brachio dextero, stigmate inurat, quod, etsi Lev. 19, 28, sub nomine כתבת קעקע, interdictum erat, pluribus tamen locis tropicè occurrit, et sæpè *signatio* vel *obsignatio hominis* dicitur, Isa. 44, 5; 49, 16. Ezech. 9, 2, 12. Act. 9, 5. Gal. 6, 17. Eph. 1, 13. Apoc. 7, 4, 8, 1, 5; 13, 17, 18.

§ 135. *Amictus festus et lugubris.* — Amictus festus nonnisi sumptuositate distinguebatur, et

quia plerumque albus erat, lavabatur, atque aromatibus quoque, inprimis myrrhâ, casiâ et aloe infumabatur, Gen. 27, 27. Ps. 45, 9. Cant. 4, 11. Gestabatur festis familiæ, civitatis et religionis, Ezech. 7, 20., dein autem rursùs deponebatur. Enormis in his vestibus erat luxus, 2 Reg. 5, 5. Matth. 10, 10. Jac. 5, 2, Vestis lugubris seu cilicium, jam Gen. 37, 34, obvium, erat reâpse saccus, qui, foraminibus pro transmittendis brachiis instructus, usque ad genua descendebat, atque aliàs sacci usum præstabat; nomen verò traxit à laceratione, quæ à collo usque ad pectus, aut usque ad cingulum fiebat. Materia erat rudior, pannus niger, ex pilis caprarum paratus Job 5, 11; 16, 15. Jon. 3, 5. Luc. 10. 15.

Lepra vestium lintearum et lanearum pellium et corii, indiciis quidem Lev. 13, 47, 57, designata est, neque tamen liquet; nam eruditorum de eâ conjecturæ non satisfaciunt; verisimillimum est, fuisse insecta, oculo inermi invisibilia, quæ materiam arrodebant, unde nomen *plaga exulcerans* descendit.

CAPUT IX.

DE ALIMENTIS ET CONVIVIIS.

§ 136. *De alimentis generatim.* — Prima hominum alimenta erant fructus arborum, herbæ, radices, semina, et si quid aliud ex regno vegetabili conducebat, atque id omne לחם sensu latissimo dicitur, Gen. 1, 29; 2, 16. Demùm ars excogitata fuit, semina pinsendi, in massam subigendi, fermentatione perficiendi, et coquendi panem, qui dicitur לחם sensu stricto. Denique farinæ, præter aquam, etiam lac, pinguedo, oleum, vel mel additum fuit, et coctæ inde sunt placentæ, quæ לחם sensu medio dicuntur. Hæc jam ævo Abrahami ad aliquam perfectionem provecta erant. Post diluvium Gen. 9, 3, 6, animalia disertis verbis accensentur alimentis, quod antea licitum probabiliter non erat. Carnes autem sub illo climate calidiori minùs salubres sunt, et olim nequaquàm erant cibus quotidianus, sed ferè fructus, semina, panis, olera, et lac animalium, alimenta præbebant.

§ 137. *Præparatio per ignem.* — Casus, dubio procul, homines docuit, ignis usu carnes assare, et demùm coquere, quibus semel gustatis, perpetuus ignis solerter alebatur, donec fomes repertus esset, quo scintillæ, lapidum aut lignorum affrictu excitatæ, excipi, et in flammam redigi possent. Quæ ratio excitandi ignem per chalybem et lapidem, vel per affrictum lignorum, in quo verbi קדח etymologia hæret Isa. 50, 11; 64, 1, an antiquior sit, facilè definitur.

§ 138. *De molis.* —Frumentum itaque primitùs sine omni præparatione manducabatur, Lev. 2, 12. Deut. 23, 25. Invento usu ignis, cœperunt quipiam frumentum torrere, quod et deinceps fieri consuevit; hinc tostum frumentum et ejusdem farina nominibus singularibus gaudet, 2 Sam. 17, 28. Lev. 2, 12; 14, 23, 24. Ruth. 2, 14, 18. Quùm tandem quipiam, ut molestiæ masticationis parcerent, grana frumenti lignis vel lapidibus contererent, inventa sunt mortaria, et denique molæ. Mortarium, ætate Mosis ad parandam farinam jam non fuit usitatum, Exod. 2, 14. Num. 11, sed longo abhinc tempore mos obtinuerat, utendi molis. Farina quoque purior, Gen. 18, 6, distinguitur; unde patet, jam ætate Abrahami operationem hanc non fuisse recens inventam.—Molæ autem omnes erant manuariæ; asinariæ multò recentiori ævo inventæ sunt, Matth. 18, 6. Familiaris Hebræorum mola vix differebat ab eâ quæ adhucdùm in Oriente et Ægypto usitata est, et duobus orbicularibus lapidibus diametri duorum pedum, et crassitudine dimidii pedis, absolvitur; inferior, Job 41, 15, 16, Deut. 24, 6, circa medium paulisper elevatus, atque pavimento fixus est; superior verò mobilis, Jud. 9, 53. 2 Sam. 15, 21, in medio, ut inferiori ad amussim respondeat, aliquantùm excavatus, et in medio perfossus est foramine, per quod frumentum molendum immittitur; farina verò ex collisione lapidum per circuitum defluit. Adaptatum est superiori lapidi manubrium, quo circumvolvitur. Cribra, quibus farina à granis non penitùs contritis, ideòque molæ rursùs immittendis, separabatur, ex junco contexta erant; quæ ex setis equinis parantur, ætate Plinii inventa sunt.

§ 139. *Molere.* — Quùm nec molæ publicæ, neque pistores, nisi regii, Gen. 40, 2. Os. 7, 4, 10. Jerem. 37, 21, essent; mola cuilibet necessaria erat; quare interdictum fuit, molam aut lapidem molarem in pignus accipere, Lev. 26, 26. Num. 11, 5. Deut. 24, 6. Primitùs quidem molebatur hordeum, deinceps verò plerumque triticum, ut hordeo soli pauperes uterentur. Panis hordeaceus sub illo climate melior est quàm sub frigidiori cœlo; altera verò die asperior et insipidus, quod autem in Oriente etiam pani triticeo accidit; quare panis quotidiè recens coquitur, et hinc quotidiè circa vesperam molitur, unde strepitus in plateis auditur, Jer. 25, 10. Mola olim plerumque

à duabus, sortis infimæ, ancillis circumagebatur, quæ facie sibi obversæ sedentes, mediam habebant molam, ut altera lapidem manubrio moveret, et altera mox apprehenso manubrio eum plenè circumageret, Exod. 11, 5. Job 31, 10, 11. Isa: 47, 2.. Matth. 24, 41. Labor erat molestus, ad quem nonnunquàm etiam hostes capti, ad inurendam ignominiam, damnabantur, Jud. 16, 21. Thren. 5, 13.

§ 140. *Coctio panis in clibano.* — Parare et coquere panem, olim erat matris familias, etiam principis, Gen. 18, 6. Lev. 26, 26. 2 Sam. 13, 6, 8. Jer. 7, 18, 19; ast invalescente luxu matronæ hunc laborem ancillis suis reliquerunt, 1 Sam. 8, 13, quarum jam in Davidis aulâ tanta erat copia, ut ingenti hominum multitudini, cuilibet collyrida, חלת לחם, panis distribui potuerit, 2 Sam. 6, 19. His demùm pistores regii, qui in Ægypto ævo multò antiquiori fuerant, successerunt, Os. 7, 4; 7. Jer. 37, 21. — Mactra erat patina lignea. Exod. 7, 28; 12, 34. Deut. 28, 5, 17, in quâ farina cum aquâ in massam miscebatur, et post aliquod temporis intervallum, adjecto fermento, depsebatur. Quod si panes festinanter parandi erant, azymi coquebantur, Gen. 18, 6. 19, 3. Jud. 6, 9. 1. Reg. 17. 12. Exod. 12, 15, 34; 13, 3, 7. Lev. 2, 11. Deut. 16, 3. Amos 4, 5. Forma panum, Jud. 5, 13, erat rotunda, diametro 9 vel 10 pollicum; et azymus quidem non erat cultro crassior; fermentatus autem crassitiem digiti auricularis non superabat; quare panis haudquaquàm cultro scindebatur, sed manu frangebatur, Isa. 58, 7. Lam. 4, 4. Matth. 14, 19; 15, 36; 26, 26.

Clibanorum genus erat quadruplex: 1° Arena humi, excitato igni calefecta, cui, ablato igni, massæ formatæ imponebantur, post aliquod tempus vertebantur, atque demùm igni cineribusque calidis contegebantur; quòd si versæ non fuissent, non perfectè coquebantur, Os. 7, 8. Hâc ratione parabantur panes subcinericii, Gen. 18, 6; 19, 3. 1 Reg. 17, 3; 19, 6. — 2° Rotunda fossa in terrâ, ferè ut puteus, cujus diameter in Persiâ est 2 1/2 pedum, et profunditas quidem diversa, interdùm etiam 5 vel 6 pedum. Hæc fossa nomine כירים, quod Lev. 11, 35, nomini תנור jungitur, venire videtur. Fundus sternitur lapidibus, et quùm fossa excitato igni calefacta est; aufertur ignis, et panes calentibus lapidibus imponuntur, atque orificium clauditur. — 3° Urceus testaceus, ferè 3 pedes altus, תנור dictus, qui intrinsecùs et extrinsecùs argillâ illinitur, et imponitur basi mobili. In ipso excitatur ignis, et parietibus ejus agglutinantur massæ farinaceæ, quæ mox coquuntur, et vocantur מאפה תנור, Lev. 2, 4. — 4° Bractea ferrea, tribus lapidibus imposita, in quam, igni infra excitato calefactam, massæ farinaceæ imponuntur. Hæc fortassè est מחבת, Lev. 2, 5; 6, 14. — In his clibanis non modò panis fermentatus et azymus, sed alia quoque genera placentarum coquebantur, quæ enumerare non vacat, uti et reliquum culinæ apparatum non exiguum præterimus.

§ 141. *De cibis.* — Cibos coquere erat matris familias, nisi mundo muliebri intenta, id negotium ancillis relinqueret. Cibi, ut jam diximus, ferè ex regno vegetabili depromebantur, inter quos in deliciis erant etiam lentes, quæ orientalibus adhucdùm charæ sunt, Gen. 25, 30, 34, necnon placentæ, melle mixtæ, Ezech. 16, 13. Carnes nonnisi præsenti hospiti et in conviviis apponebantur, Gen. 18, 7 Deut. 15, 20, conf. Luc. 15, 23 Orientales hodiedùm parcè carnibus utuntur; longior tamen abstinentia ingentem carnis appetitum producit Num. 11, 4, 12. Invalescente luxu, potentioribus carnes factæ sunt quotidianæ. Æstimabantur præ cæteris carnes ferinæ, et juvenes boves saginati, Gen. 18, 4, 20; 41, 2. 1 Sam. 16, 20; 28, 24. 2 Sam. 6, 13, etc. Carnes ovium et caprarum, et præsertim agnorum et capellarum, in illis regionibus lautissimæ sunt; quare agni et capellæ sacrificiis sacratæ erant. Ævo antiquissimo animal ab ipso patre familias, etsi princeps esset, à grege auferebatur et mactabatur, Gen. 18, 2, 6. Jud. 6, 19, uti præparatio erat matris familias etiam principis Gen. 13, 6. Inter partes animalis crus cæteris præferebatur, 1 Sam. 9, 23, 24. Ars coquinaria jam Gen. 27, 3, 4. 9, 10, tam prompta erat, ut palatum fallere posset. Carnes animalis mactati, mox omnes, quia in climate calido non facilè incorruptæ conservantur, ad convivium parabantur, qui mos nunc quoque, etsi ars carnes in aprico siccandi, et etiam condiendi et conservandi nota est, à nomadibus observatur. Carnes, quæ coquebantur, in frusta minuta seu bolos secabantur, et ex jusculo, quo Orientales non vescuntur, adjectis oleribus embamma parabatur, Jud. 6, 19, 20. Isa. 65, 4.

§ 142. *De assâ.* — Prima carnium præparatio erat assatio, quæ, ut supra diximus, primùm casu innotuisse videtur, et demum deliciis deputabatur. Nomades more antiquissimo scindunt carnes assandas in minuta frusta ca-

que salita, veru ligneo suffigunt; et ad ignem acclinant, atque hâc parte assatâ, in alteram vertunt. Gallinas autem integras assant in veru, quod in furcis ligneis, terræ circa ignem impositis, rotatur. Integras autem oves et agnos assandos baculo acuto, à caudâ usque ad caput, et altero transverso ad anteriores pedes trajecto, quasi crucifigunt, et in clibanum illum § 140, 11, descriptum suspendunt, qui assandi modus verbo *crucifixit*, exprimitur. — Assæ plebeiis in Oriente communes, sunt locustæ; evulsis enim alis, pedibus et intestinis, saliuntur, ligno acuminato suffiguntur, igni apponuntur, et demùm manducantur. Ast non est hic unicus modus locustas præparandi; nam etiam coquuntur; in aprico siccatæ moluntur, atque in panem convertuntur; denique etiam salitæ, et in utre compressæ asservantur, atque pro tempore, in orbiculos scissæ, manducantur, Lev. 11, 22. Matth. 3, 4. Aliquæ locustarum species reputantur noxiæ; quare Lev. 11, 12, certæ duntaxat species mundæ esse statuuntnr.

Usus salis antiquissimus est; nam Num. 18, 19, jam salarium ab eo denominatur, conf. Esdr. 4, 14, et 2 Paral, 13, 6; imò Exod. 30, 35, sal purum à communi distinguitur. Cæterùm sal Orientalibus est symbolum inviolabilis amicitiæ, atque hinc *fœdus salis* idem valet ac fœdus perpetuum et inviolabile; est autem quoque symbolum conservationis atque etiam sapientiæ. Marc. 9, 49, 50. Coloss. 4, 6, et si infatuatum, i. e. acido spoliatum sit, insipientiæ symbolum est, Matth. 5, 13.

§ 143. *Cibi interdicti.* — Cibi hebræis interdicti, alii erant immundi, qui noxii vel saltem sordidi et abominabiles erant, alii autem altari consecrati erant, quibus ideò vesci nefas erat. Illis interdictis cautum erat, ne Hebræi cum gentilibus manducarent, aut epulas idololatricas frequentarent, et ita ad cultum deorum seducerentur (1); his posterioribus autem reverentia erga ea, quæ ad cultum divinum spectabant, inculcabatur. — Immunda erant, 1° quadrupedia, quæ vel non ruminant, vel ungulas non habent plenè fissas; 2° serpentes, et insecta reptantia, quæ non, ut locustæ, præter alas et quatuor pedes, simul habent duo longiora crura, quibus saliunt; 3° volucrium certæ species, quarum nomina pleraque sunt obscura; 4° pisces, qui vel pinnulis vel squamis carent; 5° omnis cibus et potus in vase, et omne semen aquâ humefactum, in quod cadaver insecti immundi delapsum erat; aquæ verò in cisternis, puteis et fontibus, atque semen non madefactum hujusmodi casu non contaminabantur, Lev. 11, 1, 38; 6° omnis cibus et potus in vase, quod in tentorio vel cubiculo morientis aut mortui non erat alligato operculo contectum, Num. 19, 15; 7° omne quod à quocumque idolis aut diis consecratum fuit, Exod. 34, 15; id erat, quod in primitivâ Ecclesiâ quibusdam dissentionibus occasionem præbuit, quas Paulus sæpius, et inprimis 1 Cor. 8, 10, corrigit; 8° hœdus in matre lactis coctus, Exod. 23, 19; 34, 26. Deut. 14, 21; probabiliùs hujus legis ratio est inculcatio mansuetudinis etiam erga animalia; aliis videtur spectari peculiaris nonnullarum gentium antiquarum superstitio, quâ adjunctis ritibus magicis agri, horti, arbores cocto ejusmodi lacte conspergebantur post finitam messem, quo feraciores redderentur in annum sequentem. — Cibi sacri, quibus vesci non licebat, erant 1° sanguis, Lev. 3, 9, — 10, 17; 7, 26, 27; 17, 10, 14; 19, 26. Deut. 12, 16; 23, 25; 15, 13; 2° animal, quod à feris dilaceratum fuit, quia sanguis in corpore mansit, Exod. 22, 30. Deut 14, 21; adeps tegens intestina, lobus major hepatis, renes et adhærens eis adeps, Exod. 29, 13, 22. Lev. 3, 4, 10, 15; 4, 9; 7, 4; 9, 10, 19, et cauda pinguis ovium, Exod. 19, 22. Lev. 3, 9; 7, 3; 8, 26; 9, 19, quæ omnia altari consecrata et sancta erant. — Consuetudine, ex Gen. 32, 25, 33, descendente, Hebræi quoque ligamento terete seu acetabulo abstinebant, quod nostri Judæi ad totam partem posteriorem animalium extenderunt.

§ 144. *Potus.* — Potus Mohammedanis est aqua, et illustribus et divitibus dulcis quæpiam potio, *scherbet* dicta, quæ olim in solâ Ægypto locum habuit, Gen. 40, 11, ubi quoque cerevisia, usitata erat, inventio fortassè ætate Mosis recentior. Orientales vino utebantur, non raro usque ad ebrietatem, à quâ permulti tropi deprompti sunt, Isa. 5, 11, 22; 28, 1, 11; 49, 26. Jer. 8, 14; 9, 14; 16, 48. Deut. 32, 42. Ps. 78, 65, etc. Vina, etsi in illo climate aliunde generosa, nonnunquàm tamen aromatibus, imprimis myrrhâ condiebantur, et hæc vina myrrhata, dicebantur interdùm sim-

(1) Dr. J. A. Ernesti opuscul. theol. p. 290: « Nec dubitem, in legibus de discrimine ciborum fuisse de consilio divino, disciplinam aliquam cupiditatum castigandarum et refrenandarum per necessitatem abstinendi ab cibis iis, quibus alii populi delectarentur: » probabiliter quæ falsis diis consecrabantur, ut sues Baccho, etc.

pliciter mixta; plerumque autem mixtum dicitur vinum aquâ dilutum, quod, insciis ementibus factum, tropicè pro adulteratione venit Isa. 1, 22. 2 Cor. 2, 17; scientibus autem bibentibus adeò consuetum erat, ut Arabes, etsi nunc vino abstineant verba de hâc dilutione usitata conservaverint. Erant quoque vina ex dactylis, et ex diversis seminibus et radicibus confecta, quæ omnia, ut jam Hieronymus vidit, nomine *sicera*, veniunt, quæ est omnis arte parata potio, quæ inebriare potest; hinc miscebatur aquâ, ut potatores eò plus consumere possent. Ex vino naturali et artificioso parabatur acetum, quod non modò ad olera et cibos, Ruth. 2, 14, sed etiam ad potum adhibebatur, Num. 6, 3; unde est posca militum Romanorum, Matth. 27, 48. Cæterum à Thalmudicis acetum quoque vinum dicitur, unde explicandus est locus Matth, 27, 34.

Ad potum adhibebatur, 1° patera simplex ærea, stanno obducta, quâ adhucdùm viatores utuntur; erat plerumque formâ lilii, non raro etiam orbiculari; utraque in ruderibus Persepolitanis exhibetur, conf. 1 Reg. 7, 26; 2° calix, etiam formâ lilii vel floris; nomen ejus גביע, calicem quoque floris significat, Exod. 25, 33; ast forma variâsse videtur, plura enim adsunt nomina; operculo per funiculum annexo tegebantur; ast quæ vocabantur גביע, קשות, קשות, operculo caruerunt, fortè nomina postrema tornatilem formam innuunt. Hæc vasa divitibus, jam ætate Mosis, fuisse aurea et argentea, ex Num. 7, 12, 83, apparet, conf. 1 Reg. 10, 21. Vasa majora, ex quibus vinum in pocula fundebatur, erant urcei, utres, minores utres, et testaceus urceus orificio angustiori.

§ 145. *Tempus et adjuncta refectionis.* — Prandium non tantùm Orientalibus, sed Græcis quoque et Romanis, circa nostram horam 10 vel 11, erat minutum, atque ferè in fructibus, lacte, caseo et similibus consistebat. Refectio præcipua erat cœna, circa horam 6 vel 7; hinc convivia quoque omnia erant cœnæ, calores enim meridiei in illis regionibus ciborum appetitum minuunt, et animi hilaritatem supprimunt, Eccl. 5, 16. Matth. 3, 26. Marc. 6, 21. Luc. 14, 24; 20, 45. Joan. 12, 2. Ante mensam lavabantur manus, quod ratio manducandi requirebat. Precum ante mensam primùm 1 Sam. 9, 13, diserta fit mentio; ast ætate Christi, ante et post mensam à patre familias dicebatur congruens ferculis et potui benedictio vel gratiarum actio, cujus formulæ in Thalmude præfinitæ sunt, et ferè recidunt in verba : *Benedictus esto, Domine Deus noster! rex mundi! qui hunc cibum, vel hunc potum ex terrâ, vel ex vite producis,* Matth. 14, 9, 15; 36, 26, 27. Marc. 14, 26. 1 Cor. 10, 30. 1 Tim. 4, 4, 5. Hebræis quidem adeò accuratus ordo hospitum non erat, qualis olim in Ægypto invalueral, Gen 43, 32; neglectus tamen non fuit, 1 Sam. 9, 22. Ætate Christi, Pharisæi arrogantes, qui ubique dignissimi haberi volebant, locum primum ambiebant, Luc. 14, 7.

§ 146. *Mensa et sedes.* — Ad cœnam pavimentum cœnaculi illo corio rotundo, quod supra memoravimus, sternebatur, super quo mensa parva et humilis scabello quàm mensæ similior, ponebatur, et hæc non portabat nisi patinam. Sedes erant ipsum pavimentum, blattis aut tapetibus vel etiam culcitis stratum, in quibus cœnantes, genibus flexis, dexterâ mensæ obversâ, quasi alter in alterius sinu recumbaret, per orbem corii sedebant. Cultri, fuscinæ et cochlearia non aderant, pannus verò, prout nunc in oriente moris est, circa peripheriam corii sternebatur, ne tapetes contaminarentur. Locum nostrarum paterarum seu orbium, subibant rotundi et tenues panes supra memorati. — Ætate verò Christi jamdudum invaluerat mos persicus, mensæ accumbendi. Aderant in cænaculo lecti plerumque tres, aut pro numero hospitum plures, quorum quilibet capiebat tres personas; unde nomina triclinium et architriclinus descendunt. Convivæ accumbebant in latere sinistro, facie ad mensam conversâ, et quidem secundus occipite ad pectus primi, et tertius occipite ad pectus secundi, et ita rursùs alter in sinu alterius recumbebat, conf. Luc. 7, 36, 38; 16, 22, 23. Joan. 2, 9; 13: 23. Lectus medius, et medius in eo locus erat honoratior, quem Pharisæi ambiebant, Luc 14, 7, 10. Sextus alter olim quidem in Asia ad mensam virorum non admittebatur, sed mensam in gynæconitide habebat, Esth. 1, 6. Luc. 7, 39; 16, 21; 17, 7. Matth. 15, 27. Babylone verò et in Persiâ feminæ à conviviis virorum exclusæ non erant, Dan. 5, 2, et præsertim Babylone, testibus auctoribus antiquis, non raro modestiæ limites excedebant.

§ 147. *Ratio manducandi.* — Cibos digitis manûs dexteræ, ex patinâ in os inferebant, prout in orientalibus plagis adhucdùm mos viget, Ruth. 2, 14. Prov. 26, 15. Joan. 13, 16. Cultro et fuscinâ opus non erat; fuscina, quæ

1 Sam. 2, 12, memoratur, nequaquàm ad mensam, sed ad focum spectat ut nempe carnes ex ollâ efferrentur. — Antiquiori ævo cuilibet convivæ portio singularis apponebatur, et ille magis honoratus censebatur, qui duas aut plures portiones recipiebat, Gen. 42, 34. 1 Sam. 1, 4, 5; 9, 22, 24. 1 Paral. 16, 13; recentiori autem ævo omnes assidentes vel accumbentes ex communi patinâ manducabant. Potus in supra dictis pateris et calicibus, et antiquiori quidem ævo cuique præbebatur in calice singulari, qui ideò tropicè pro sorte hominis venit, Ps. 11, 6; 75, 9; 116, 3. Isa 51, 22. Jer 25, 15, 27; 35, 5; 49, 12. Ezech. 23, 31, 34. Matth. 26, 27, 30. Ægyptii, ut moderni Orientales, finitâ demùm mensâ bibebant. Servi stantes, nutum domini observabant, atque mox euntes exequebantur; hinc coram domino stare, vel ambulare idem est, ac servire seu ministrare, quod etiam ad cultum Dei refertur, Gen. 5, 22, 24; 17, 1; 24, 40; 28, 15. 1. Sam. 2, 35. Ps. 25, 5, 21, 114, 9,

§ 148. *Convivia.* — Res secundæ socios lætitiæ desiderant, et ad convivia celebranda excitant; hinc non mirum est, ea jam antiquissimo ævo occurrere, Gen. 21, 8; 28, 22; 29, 22; 31, 27, 54, 40, 20. Lex Mosaica Hebræos ad secundas decimas, ex voto Jacobi Gen. 28, 22, descendentes, et sacrificiis conviviisque dedicatas, arctiùs adstrinxit. Deut. 12, 4, 19; 14, 22, 29; 16, 10, 11; 26 19, 11; secunda etiam primogenita animalia, et secundas primitias fructuum addidit, et præcepit, ut ad hæc convivia non modò proles, sed etiam servi, ancillæ, pauperes, viduæ, pupilli et Levitæ vocarentur, Deut. 16, 11, 14; 12, 12, 18, quod Jesus Judæis, qui pro conviviis à Deo remunerationem sperabant, in memoriam revocavit, Luc 14, 12, 13. Hospites per servos invitabantur, et tempore statuto accersebantur, Matth. 22, 24. Luc. 14, 7; pretioso oleo ungebantur, Ps. 23, 5; 45, 6. Amos 6, 6. Eccl. 9, 7. Matth. 14, 3. Luc. 7, 37, 38; atque antiquiori ævo, uti nunc in Asiâ, ante dimissionem, præsertim in barbâ, incensebantur. Hebræos in conviviis fortassè nonnunquàm, ut Græcos, in capite coronas, ex floribus textas, gestâsse, ex Isa. 28, 1 Sap. 2, 7, concludi vix potest. Omnes autem in vestimentis festis, id est, albis, comparebant, Eccl. 9, 8. Pompa in epulis ostentabatur jam majori quantitate ejusdem cibi, Gen. 18, 6; 27, 9; 35, 43, 44 Job 36, 16, jam etiam multitudine ferculorum, 1 Reg. 5, 2. Amos 6, 4, 5. Esth. 1, 5, 8; 7, 9. Neh. 5, 18, 24. Caro autem, et inprimis vinum, præcipuum erat, à quo ipsum quoque conviviorum nomen, *tempus potationis,* descendit Isa. 22, 13. Hæc compotatio, ingruente luxu, apud omnes gentes ita exorbitavit, ut à vesperâ usque ad mane protraheretur, atque hujusmodi convivia dicebantur recentiori ævo κωμοι, quæ Rom. 13, 13. Gal. 5, 21. 1 Petr. 4, 3. damnantur. — Quùm convivia omnia essent cœnæ; cœnaculum lampadibus illustratum erat; et quùm sub illo climate, noctu semper, saltem diluculo, frigus esset; facilè explicabis loca Matth. 8, 12; 22, 13; 25, 30. Cæteroquin, in conviviis, quæ hilaria erant conventicula, joci, ænigmata et musica non deerant: quare convivia passim imago erant felicitatis, et exclusio à convivio erat symbolum miseriæ et calamitatis, Prov. 9, 2, seqq. Amos 6, 4, 5. Isa. 5, 12; 7, 9. Matth. 26, 20, 26. Luc. 7, 46, 50; 12, 1, 9. Hinc etiam regnum Messiæ, hoc symbolo adumbratur, Luc. 7, 39, 46; 14, 12, 13, 13, 29. Matth. 8, 11; 26, 29. Hic tropus notissimus erat, ut interpretes quoque antiqui voces lætari, lætitia, atque convivari, convivium, promiscuè usurpârint, conf. Ps. 68, 4, et Esth. 9, 18, 19, cum versione Alexandrinâ et Vulgatâ. In novo quoque Fœdere χαρα, *gaudium*, pro convivio venit, Matth. 25, 21, 23. Quùm autem convivia Hebræorum pleraque ex sacrificiis pararentur, convivæ mundi seu sancti esse debebant, ad quod etiam in tropis et allegoriis respicitur, Ezech. 39, 16, 20. Isa 34, 4. Apoc. 19, 17, 18.

§ 149. *Hospitalitas.* — Antiquo illo ævo, quo publica hospitia non erant, ultronea collectio hospitis, insigne erat humanitatis officium, cui probi religiosè satisfaciebant; hæc laus hospitalitatis exstructis demùm hospitiis publicis, haudquaquàm mox desiit, et in Oriente usque in hodiernam diem perseverat. Job 22, 7; 31, 17. Gen. 18, 3, 9; 19, 2, 10. Exod. 2, 20. Jud. 19, 2, 10. Act. 16, 15; 17, 7; 28, 7. Matth. 25, 35. Marc. 9, 41. Rom. 12, 13. 1 Thimoth. 3, 2; 5, 10. Hebr. 13, 2. Hinc non tantùm nomades, peregrinos adventantes perhumaniter excipiunt, sed in urbibus quoque sunt, qui vicos obeunt, et cuilibet obvio aquam gratis offerunt; quare liberalitas hæc munusculo compensari solet, conf. Matth. 10, 42. Marc. 9, 41. Viget quoque adhucdùm antiquissima honestatis ratio, quâ quicumque, etsi cæteroquin prædo, hospitem collegit, eum tueri, et se quoque ipsum præsenti pro eo vitæ periculo objicere tenetur, nisi ab omnibus infamis haberi velit.

et id quidem jam obtinet, si quis cum peregrino vel crustam panis manducavit, Gen. 19, 1, 9. Jos. 2, 1, 6; 9, 14. Jud. 4, 17, 22; ad hunc morem non rarò alluditur, Ps. 41, 10; 91, 1; 119, 19. 2 Sam, 12, 3. Jos. 9 14. Luc. 7, 34. Joan. 13, 18. conf. Iliad. VI· 210, 231. Hospitibus, ut supra diximus, pedes lavabantur; unde demùm lotio pedum in symbolum hospitalitatis transiit, Gen. 18, 4, 29. Joan. 13, 15, seqq. 1 Tim. 5, 10

CAPUT X.

DE SOCIETATE DOMESTICA.

§ 150. *Præcautiones contra fornicationem.* — Primævâ institutione ad propagandum genus humanum per individuum consortium viri et mulieris, Gen. 1, 27; 28, damnata erat fornicatio, libido vaga, et communio uxorum; hinc pii patriarchæ hoc institutum religiosè observabant, alioquin autem jam ante ætatem Mosis, tanta erat morum corruptio, ut à pluribus gentibus, non modò fornicatio, sed etiam pæderastia in cultum deorum conversa fuerit, unde, *cynædus* et *meretrix,* propriè personas designat, quæ ad turpissima hæc flagitia consecratæ fuerunt, Deut. 23, 28. Gen. 38, 21, 22, Job 36, 14. — Huic malo, cui demùm ipsi quoque philosophi græci et romani consenserunt, ut occurreretur, lex Mosaica statuit, 1° ut inter Israelitas, nec cynædus, neque meretrix toleretur, et filia sacerdotis, si corpus suum prostitueret, lapidetur et comburatur, Lev. 21, 9; quia hæc, ut Lev. 19, 29. Deut. 23, 18, 19, dicitur, magna coram Deo flagitia sunt. — Ne autem quipiam, abjecti animi sacerdotes, avaritiâ inflammati, allicerentur, ut hæc scelera, exemplo aliarum gentium, in cultum Dei verterent, interdixit 2° ne merces meretricum et cynædorum, etsi ex voto oblata esset, ad sanctuarium suscipiatur, Deut. 23, 19, quæ lex demùm 2 Reg. 23, 6, 7, potentiæ regum succubuit. — Ut etiam origo mali præcaveretur, decretum est 3° ut seductor seductam teneretur uxorem emere, aut patri, qui filiam seductam nollet seductori vendere, consuetum sponsæ pretium (ut videtur, 30 siclos); si verò violentiâ quâpiam usus esset, 50 siclos solvere, Exod. 22, 15. Deut. 22, 23, 29. Id videtur ex antiquâ consuetudine descendisse, quæ Gen. 34, 1, 12, attingitur. Stuprum Moses non memorat, quia in foro probari non potest. — Denique, ut et pudicitia alterius sexûs, tanquàm singularis castitatis muliebris custos, corroboraretur, 4° statuitur, ut sponsa, quæ, se virginem mentita, consummato matrimonio talis deprehensa non esset, ante januam domûs paternæ lapidaretur, Deut. 22, 20, 21, Etsi rigidæ erant hæ leges, meretrices tamen, et sub regibus idololatris etiam cynædi diis consecrati non deerant, Prov. 2, 16, 19; 5, 3, 6; 7, 5, 27, 20; 6, 26, 30. Amos 2, 7; 7, 17. Jer. 3, 2; 5, 7. 1 Reg. 14, 24; 15, 12; 23, 47, etc.

§ 151. *Polygynæcia.* — Eâdem institutione primævâ polygynæcia quoque exclusa fuit. Lamech primus duas uxores duxit, Gen, 4, 19, conf. Matth. 19, 4, 8, et multos imitatores nactus est, nec post diluvium exemplum Noe et filiorum ejus quidquam profecit. Inter Hebræos ætate Mosis polygynæciam permultùm invaluisse, ex numero primogenitorum 22, 373, inter 603,550 viros, qui ultra 20 annos nati erant, colligere licet, Num. 3, 42. Ut hoc malum, progressu temporis minueretur, Moses 1° attulit Gen. 1, 27, 28; 2, 23, 24, primævam matrimonii institutionem, primam ejus transgressionem Gen. 4, 19, atque omni occasione narravit incommoda, quæ marito è pluralitate uxorum enascuntur, Gen. 16, 4, 10; 30, 1, 3, 15, et testibus viris gravibus, qui orientem inviserunt, sanè non sunt exigua. 2° Interdicitur Deut. 17, 17, regibus, quos Hebræi aliquando electuri essent, magnus uxorum numerus, quem quidem lex non definivit, sed ex consuetudine pro noto sumpsit, fortassè non ultra quatuor, uti Rabbini et Muhamedani ex exemplo Jacobi Gen. 31, 50, interpretantur. 3° Vir Exod. 21, 10, 11, obligatur, ut uxori cuilibet, tempore fixo debitum reddat, conf. Gen. 30, 14, 16. Excipitur solum tempus menstruorum, quo congressum sub mortis supplicio lex prohibuit. Denique 4° immundities, per concubitum contracta, ad integrum diem extenditur Lev. 15, 18, quo incommodo vir impediebatur, ne facilè ultra quatuor uxores ducere posset. His dispositionibus polygynæcia progressu temporis permultùm imminuta fuit.

§ 152. *Delectus sponsæ.* Sponsam filiis, et sponsum filiabus, pater familias seligebat, Gen. 21, 21; 24, 31. Exod. 21, 9. Deut. 22, 16. Jud. 14, 1, 4. 1 Cor. 7, 6. Si filius certam personam exoptabat uxorem, nihilominùs pater sponsam à patre illius petebat, Gen. 26, 30; 34, 2, 5. Jud. 14, 1, 2. Hinc patet, Isa. 4, 1, 2. Jer. 31, 22, enormem virorum penuriam innui. Pater verò filiam sine consensu fratrum germanorum in matrimonium elocare non poterat, Gen. 24, 50; 34, 11, 27. 2 Sam.

13, 20, 29, conf. Gen. 12, 11, 13; 20, 2, 6; 26, 7, 17. Impedimenta matrimonii, quibus arbitrium patrum familias in delectu limitabatur, recensentur Lev. 8, 7, 18; 20, 11, 20, ex quibus locis apparet, ea secundùm gradum consanguinitatis et affinitatis non excessisse. Præterea prohibitæ erant nuptiæ cum Chananæis, ne Hebræi per hæc connubia ad idololatriam pellicerentur, Exod. 34, 15, 16. Deut. 7, 3. Id ab Esdrâ et Nehemiâ ad omnia connubia cum alienigenis extensum est, quia illis eâ ætate idem seductionis periculum suberat Esdr. 9, 2, 12; 10, 3. Neh. 13, 23, conf. Malach. 2, 13. Sacerdotibus interdicta quoque erat persona repudiata, lapsa, et meretrix, atque summo sacerdoti etiam vidua et quæcumque alienigena, Lev. 21, 7, 13, 14. Filiæ, quæ defectu fratrum hæredes erant, alicui viro tribûs suæ, et quidem proquinquo remotioris gradûs, nubere jussæ erant, ne hæreditas ad aliam tribum et familiam devolveretur, Num. 27, 1, 11; 36, 1, 12, conf. Matth. 1, 16. Luc. 2, 1, 5.

§ 153. *Sponsalia.* — Sponsalia erant pactum inter patrem fratresque germanos sponsæ, et patrem sponsi, præsentibus testibus, recentiori ævo etiam litteris mandatum, cui interdùm jusjurandum intercedebat, Prov. 2, 17. Ezech, 16, 8. Malach. 2, 14, ad quod spectare videntur sacrificia nuptialia, quorum Josephus Arch. IV, 8, 23, meminit. Per sponsalia non modò connubium, sed etiam dona, quæ germanis fratribus sponsæ ferenda essent, et pretium sponsæ, quod patri solvendum erat, definiebantur; nam sponsæ olim soluto pretio emebantur; Gen. 29, 18, 27; 34, 11, 12. Jos. 15, 16. 1 Sam. 18, 23, 26. 3 Sam. 3, 4, quod pro varietate adjunctorum, varium fuit; ætate Mosis medium fuisse videtur 30 siclorum, et summum 50 siclorum Exod. 21, 32; 22, 15, conf. Os. 3, 1, 2. Deut. 22, 29. Hinc uxores emptæ, à maritis ferè tanquàm ancillæ habebantur, nihilominùs non raró maritos pro arbitrio flectebant et regebant, 1 Sam. 25, 19, 30. 1 Reg. 11, 2, 5; 19, 1, 2; 21, 7, 8. Honor, qui à Christianis alteri sexui habetur, ex doctrinâ Christi et Apostolorum originem ducit, Gal. 3, 8. Eph. 5, 25, 33. 1 Petr. 3, 7. — Divites verò filiam nonnunquàm donabant sponso, cui autem jus, hâc invitâ alias uxores ducendi, ademptum erat, Gen. 16, 1, 3. Uxor donata liberaliùs habebatur, et ipsa quoque, dignitatis suæ sibi conscia, plura sibi arrogabat, Gen. 16, 5, 6; 21, 9, 11, conf. 31, 15. Aliqui in præmium fortitudinis sponsam acceperunt, Jos. 15, 15, 19. Jud. 1, 15. 1 Sam. 18, 24, 27. Singulare erat, si sponsa dotem à patre tulit, Jos. 15, 18, 19. Jud. 1, 16, 17. 1 Reg. 9, 16.

§ 154. *Nuptiæ.* — A sponsalibus usque ad nuptias, intervallum 10 vel 12 mensium relinquebatur, Gen. 24, 55. Jud. 14, 8; sed matrimonium, etsi sponsum inter et sponsam nullum prorsùs vel sermonis commercium intercedebat, jam ratum erat, et sponsa dicebatur uxor sponsi sui. Si dein sponsus eam ducere nollet, ei, ut uxori, libellum repudii tradere tenebatur; vel si sponsa cum alio rem habuisset, accusata, ut adultera, ad lapidationem condemnabatur, conf. Matth. 1, 18, 20. Luc. 2, 5. — Ingruente die nuptiarum, sponsa se balneabat, et omni mundo muliebri exornabat, 2 Cor. 11, 2. Eph. 5, 26. Caput ejus coronâ cingebatur, unde nomen *coronata* descendit. Sponsus verò domi suæ convivium parabat, quod apud ditiores per hebdomadem continuabatur, Gen. 19, 27. Jud. 14, 17, 22. Tob. 11, 12. Circa vesperam, veste festâ indutus, Isa. 61, 10, cum juvenibus sibi coævis, υἱοίς του νυμφωνος, sub canticis et musicis instrumentis, sponsam, virginibus coævis cinctam, ex domo paternâ in domum patris sui deducebat, Jud. 14, 11, 16. 1 Mach. 9, 37, 47. Joan. 3, 9. Matth. 9, 18; conf. Jer. 7, 34; 25, 10. Recentiori ævo, in hâc vespertinâ sponsæ deductione, præferebantur in scipionibus lampades supra descriptæ, prout in Thalmude refertur, et Matth. 25, 1, 10, innuitur. Interim convivium virorum inchoabat, quùm alter sexus in gynæconitide convivium celebraret. Denique nuptis ampla posteritas exoptabatur, et hæc erat omnis benedictio nuptialis, Gen. 24, 60. Ruth 4, 11, 12, quæ recentiori ævo paulisper solemnior facta est, Tob. 7, 15. Sponsa denique, quæ semper, à capite usque ad calcem velata erat, in thalamum deducebatur. Hæ omnes solemnitates dicuntur : *Sponsam domum deducere, uxorem accipere, intrare in domum, et convenire,* συνελθειν, Gen. 25, 65; 29, 23, 26. Joa. 15, 18. Matth. 1, 18; 20. 24.

§ 155. *Pellices.* — Hæ solemnitates duntaxat in nuptiis uxorum propriè dictarum, observabantur; pellices enim, פילגש, non modò ancillæ, sed etiam liberæ, absque solemnitate, solo mutuo consensu assumebantur, et matrimonium erat legitimum, ut pellex, etsi mancipium esset, nec jure uxoris privari, neque vendi posset, Deut. 20, 10, 12. Patres non

rarò filiis, ne exorbitarent, pellicem tradebant ancillam, quæ mox ut filia seu nurus habenda erat, Exod. 21, 9. 12. Mulieri autem bello captæ, mensis, quo lugeret parentes et cognatos suos, indulgendus erat, antequàm herus, vel filius eam pellicem acciperet, Deut. 20, 18, 14.

§ 156. *Fœcunditas matrimonii.*— Fœcunditas matrimonii erat valdè exoptata, et major prolium numerus singulare Dei beneficium reputabatur; multò tamen majoris æstimabantur filii, qui nomen patris in genealogiis propagabant. Sterilitas verò pro summo opprobrio habebatur, Gen. 25, 2; 49, 21 Deut. 18, 4. 1 Sam. 1, 6, 7. Ps. 127, 3, 5; 128, 4. Os. 9, 14. Prov. 17, 6. Eccl. 6, 3; hinc virginibus quoque tristissimum erat, innuptas et orbas mori, Gen. 16, 2, 4; 19, 30, 32; 30, 13. Jud. 11, 34. Isa. 4, 1; 47, 9. Quare uxores steriles varia tentabant filtra, Gen. 30, 13, 16 Cant. 7, 14, vel maritis ancillas offerebant, quarum deinde proles adoptabat, Gen. 16, 1, 30, 3, 18.

§ 157. *Leviratus.* — Ne hoc desiderium prolium, incremento populi proficuum, minueretur, simulque familiarum distinctio, atque in iis avita bona conservarentur; Deus per Mosen jus leviratûs, etsi molestum et nonnunquàm perniciosum, Gen. 38, 8, 12, non sustulit, sed ita circumscripsit, ut esset innoxium. Nam cùm viduam sine liberis defuncti frater aut proximus consanguineus teneretur uxorem ducere, primum filium ex eâ genitum nomine defuncti in genealogiam inserere, atque ei hæreditatem defuncti tradere, Deut. 25, 5, 10, decretum est, ut, qui fratriam ducere nollet, in foro coram judicibus renuntiare posset, concessâ viduæ licentiâ, ipsi sandalia solvendi, faciem ejus inspuendi, atque eum scommate *discalceati*, i. e., *dilapidatoris*, compellandi. Contumelia à muliere, quæ repulsam passa fuit, illata, non adeò magna, ut per eam qui fratriam ducere nollet, facilè deterreri posset, Ruth. 4, 7, 8. Matth. 22, 23, 28. Conf. Janssens l. c. v. I, p. 100 seqq.

§ 158. *De adulterio.* — In polygynæciâ adulterium reputatur solus concubitus cum nuptâ, vel desponsatâ, vel viduâ exspectante matrimonium leviri, ut maritus, qui cum quâcumque aliâ personâ innuptâ rem habet, nonnisi fornicationem committere censeatur. Adulteri, jam tempore patriarcharum, supplicio afficiebantur, Gen. 38, 24; in Ægypto adulteræ nasus et aures amputabantur, Ezech. 23, 25. Lex Mosaica mortis supplicium statuit, Lev. 20, 10. Deut. 23, 22, genus verò supplicii disertis verbis non præfinivit, quia ex consuetudine notum erat; id autem non fuisse, ut Thalmudici contendunt, strangulationem, sed lapidationem, antiquiores Hebræi Joan. 8, 5, Ezechiel 16, 38, 40, et ipse quoque Moses, testantur, si Exod. 31, 14, 35, 2, cum Num. 15, 35, 36, conferatur. Si verò adultera esset mancipium, ambo rei vapulabant taurea בִּקֹּרֶת, neque tamen pluribus quàm 40 ictibus; adulter præterea sacrificium pro delicto offerre tenebatur, Levit. 19, 20, 22.

§ 159. *Uxor suspecta.*—Marito Num. 5, 11, 31, facultas concessa erat, uxori, de adulterio suspectæ, deferendi jusjurandum purgatorium, in sacro tabernaculo vel templo præstandum. Maritus eam ad aliquem sacerdotem ducebat simul cum ferto hordeaceo sine oleo et thure. Sacerdos postquàm eam accedere jussisset ad altare victimarum, sumebat de aquâ sanctâ, sive quæ in atrii labro erat ad sacros usus adhibenda, quam testaceo vasi injiciebat, pulvere, qui in atrii solo erat, commixtam. Tum detracto de facie peplo manibus mulieris fertum imponebat, interea dùm ipse aquas tenebat, ob acres dolores, qui inde et ex ipsâ imprecationum vi expectandi essent adulteræ, *amaras* dictas. Eamdem enim solemni formulâ, quam ipsa confirmare debebat, adjurabat, istasque diras in schedulâ scribebat, quas aquis delebat à muliere mox bibendis. Denique oblationem manibus hujus eripiebat, et in altari adolebat; quo facto aquas imprecationum ei bibendas porrigebat; è quibus hæc nil pateretur mali, si innocens esset, sin autem crimen, in cujus inciderat suspicionem, reverà admiserat, vehementissimis torquebatur doloribus intestinis, ut ejus venter intumesceret, ipsaque si superviveret, ad liberos procreandos in posterum inepta redderetur. — Ostendit Deus hoc modo investigandi adulterium, se esse vindicem fidei conjugalis, et innocentiæ protectorem. Præterea sic cautum fuit, ne mariti uxores culpâ vacuas occiderent, aut certè ne familiæ litibus, conviliis rixisque affligerentur. Insuper ostendere voluit occulta etiam crimina sibi nuda esse, et aperta, ac tandem adulterium grave scelus esse et publicâ pœnâ vindicandum.

Etsi verò uxores jusjurandum hoc formidabile horrebant, invalescente tamen licentiâ, adulteria erant frequentia, et frequentissima quidem ultimis temporibus, prout ipsi quoque Thalmudici fatentur cum Sotâ, c. 9, narrant hoc jusjurandum quadraginta ante excidium

Jerosolymæ annis abrogatum fuisse, quia viri ipsi omnes erant adulteri, et Deus imprecationem jurisjurandi opere non compleret, si maritus ejusdem criminis reus esset, conf. Joan. 8, 1, 8.

§ 160. *Libellus repudii.* — Quùm antiqui sponsas emerent, in eas pleno jure gaudere se opinabantur, cui pro arbitrio renuntiare, et uxorem repudiare possent. Id esse iniquum, et alteri sexui injuriosum, quivis facilè intelligit; quare pro adjunctis illorum temporum lex Mosaica licentiam mariti saltem eatenùs restrinxit, ut repudium sine interventu quidem judicis, ast non sine libello scripto, et non antequàm uxor repudiata cum libello repudii domo mariti excessisset, ratum esset; imò et porrò concessit, ut maritus repudiatam recipere posset, non autem, si jam alii marito juncta esset, ut nempe fides secundo matrimonio adstrueretur, Deut. 24, 1, 4. Conf. Jer. 3, 1. Quæ ratio ad repudium sufficeret, Deut. 24, 1, 4, docetur, pro nobis quidem obscurè, pro antiquis autem Hebræis procul dubio satis clarè. Interim tamen recentiori tempore post reditum ex exilio de eâ nata est acris contentio; schola enim Hillelis contendebat, quamlibet minimam causam marito ad repudium sufficere; schola Schammai verò statuebat adulterium. Conf. Matth. 19, 1, 10. — Uxores, quæ maritorum erant peculium, nequaquàm eodem jure, maritis porrigenti libellum repudii, gaudebant; ætate autem ultimâ, potentiores sibi, exemplo matronarum romanarum, idem jus arrogabant, Joseph. Archæol. XV, 7, 10. Marc. 6, 17, 29; 10, 12. Si verò uxor se gravatam sentiebat, poterat, uti ipsa quoque ancilla pellex, per judicem libellum repudii petere, Exod. 21, 10. Conf. Janssens l. c. vol. I, pag. 101, seqq.

§ 161. *Puerperium.* — In puerperio solæ primum matres, filiabus auxilio erant; alioquin puerperia in Oriente non magnâ difficultate laborant, Exod. 1, 19; difficiliori partu, qui rarior erat, matres peritiores et perspicaciores vocabantur, unde ortæ sunt obstetrices, Gen. 35, 17; 38, 28. Natus infans, præciso umbilico, balneabatur, sale fricabatur et fasciis involvebatur, Ezech. 16, 4. Antiquiori ævo, pater recens natum, etiam resonante musicâ, in sinum suum recipiebat, et hoc ritu, suum esse declarabat, Gen. 30, 31; 50, 23. Job 3, 12. Ps. 22, 11, quod uxores, quæ filios ancillarum suarum adoptabant, imitabantur, Gen. 16, 2; 30, 3, 5. Dies natalis, præsertim filii, erat festus, Gen. 21, 6, et quotannis convivio celebrabatur, Gen. 40, 20. Job. 1, 4. Matth. 14, 6. Herodot. I, 133. Cyropæd. I, 3, 9. Nuntius patri referens nativitatem filii, erat gratissimus, et, ut nunc in Persiâ, domo excipiebatur, Job 3, 3. Jer. 20, 15. Puerpera post partum filii, 7 dies erat immunda, et 33 dies sequentes domi se continebat; post partum filiæ duplicabatur numerus dierum, quibus elapsis in sacrum tabernaculum vel templum veniebat, et agnum anniculum, vel, si pauper erat, duos turtures, vel duos pullos columbæ in sacrificium purificationis offerebat, Lev. 12, 1, 8. Luc. 2, 22.

§ 162. *Circumcisio.* — Octavo post partum die filii circumcidebantur, et in carne suâ consecrabantur cultui Jehovæ et veræ religioni Gen. 17, 10, cons. Rom. 4, 11. Gal. 5, 3, et sic à gentilibus distinguebantur (1). — Hebræi antiqui circumcisionem sibi honori ducebant, Gen. 34, 14. Jos. 5, 9. Isa 9, 24, 25; ætate verò Machabæorum permulti, ad sacra Græcorum deficientes, et in gymnasiis nudi prodeuntes, circumcisionem sibi dedecori esse reputabant, et præputium arte rursùs adducebant, quod dicebatur ἐπισπᾶσθαι; operationem describit Celsus L. VII, c. 25. 1 Mach. 1, 15. 1 Cor. 7, 18. Cæterum dolores circumcisionis tertiâ die vehementissimos esse, edicunt renegati Muhamedani, conf. Gen. 34, 25.

§ 163. *Denominatio prolis.*—Antiquiori ævo, protimox, post partum, recentioribus autem temporibus filiis saltem, primum, in circumcisione imponebatur nomen, quod Orientalibus nunquàm significatione vacuum est, et antiquiori ætate ab adjunctis personæ, temporis vel historiæ depromebatur, Gen. 19, 11; 19, 38; 21, 36; 25, 25, 26. Exod. 2, 10; 18, 3, 4; sæpè quoque à nominibus Dei, atque inter idololatras ab aliquo numine petebatur, adjecto quopiam epitheto vel alio nomine. Interdùm nomen quoque erat propheticum, Gen. 17, 5, 15. Isa. 7, 3; 8, 3. Os. 1, 4, 6, 9. Matth. 1, 21. Luc. 1, 13, 60, 63. Recentiori autem ætate nomina ex majoribus familiæ seligebantur;

(1) Menochius, de Republ. Hebr. Lib. III, c. 17, quæst. 5: « Deus Gen. 17, pactum iniit « cum Abrahamo, pacti signum instituit cir- « cumcisionem.... Continebat hoc pactum pro- « missionem, quâ Deus hæc tria pollicebatur. « Primum fore, ut Abrahami posteritatem in « immensum multiplicaret, alterum, ut eis ter- « ram Chanaan possidendam daret, tertium « fore, ut ex Abrahami semine Messias nasce- « tur. Ex parte verò Abrahami et posterorum « continebat hoc pactum obligationem Deum « piè, sanctè et constanter colendi. »

quare in libris postremis fere antiqua nomina recurrunt, Matth. 1, 12. Luc. 1, 61; 3, 27. Orientales non rarò et levi ex causâ mutant nomen suum; hinc tot occurrunt personæ binomines, ut Ruth 1, 20, 21; 1 Sam. 14, 49; 31, 2. 1 Paral. 10, 2. Jud. 6, 32; 7, 1. 2 Sam. 23. Reges et magnates suorum quoque ministrorum et servorum nomina immutabant, inprimis si eos recenter adquisiverunt, aut ad eminentiorem dignitatem evexerunt, Gen. 41, 45; 18, 5; 32, 28; 35, 10. 2 Reg. 23, 34, 35; 24, 23, 24; 24, 17. Dan. 1, 6. Joan. 1, 42, 43. Marc. 3, 17. Hinc nomen quoque pro dignitate venit Phil. 2, 9. Hebr. 1, 4. Apoc. 2, 17; 13, 12. Mutabantur et nomina mortuorum; Gen. 4, 2, 8, aut vertebantur in aliam linguam. —Cæterùm Orientales nomini suo nomen patris, imò et avi, proavi, atavi, etc., addunt, ut ab aliis ejusdem nominis viris distinguantur.

§ 164. *De primogenito.* — Primogenitus, qui parentibus erat charissimus filius, dicitur quidem apertio uteri; nequaquàm tamen ille erat, quem pater ex uxore virgine, sed quem primùm ex uxore etiam viduâ genuit. Temporibus Patriarcharum pater juniorem quoque filium poterat designare primogenitum; hoc autem jus ei Deut. 21, 15, 17. ademptum fuit, quia arbitrariæ hujusmodi dispositiones animos fratrum abalienabant, Gen. 25, 31, 32; nam primogenitus magnis gaudebat prærogativis: 1° capiebat duas portiones hæreditatis, quas Jacob à primogenito Ruben, ob incestum Gen. 35, 22, in Joseph, filios ejus duos adoptando transtulit, Gen. 48, 5, 8. Deut. 21, 17; in genealogiis verò Ruben scriptus erat primogenitus, 1 Paral. 5, 1. 2° Primogenitus erat sacerdos familiæ, quod Moses, jussu Dei, à tribu Ruben in tribum Levi transtulit. Num. 3, 12, 18; 8, 18; hinc primogeniti à sacerdotio redimendi erant, Num. 18, 15, 16, conf. Luc. 2, 22. 3° Primogenitus gaudebat insigni inter fratres auctoritate, et quasi patriâ potestate, Gen. 25, 23, 27, 29. Exod. 12, 29. 2 Paral 21, 3, quam Jacob à Rubene in Judam transtulit, Gen. 49, 8, 10; quare hæc tribus, etiam antequàm reges Israelitis dabat, ubique à cæteris distinguitur. Hinc demùm primogenitus erat quoque successor in regno, excepto Salomone, quem, etsi juniorem, David singulari Dei nutu successorem designavit. Ex his patet, cur vox primogenitus interdùm singularem dignitatem, atque etiam superlativum exprimat, Isa. 14, 30. Ps. 89, 28. Rom. 8, 29. Coloss. 1. 15, 18. Hebr. 12, 13. Apoc. 1, 5, 11. Job 18, 3.

§ 165. *Educatio.* — Matres olim suas proles ipsæ lactabant, et quidem per 30 vel 36 menses, et delactatio erat dies festus, Gen. 21, 8. Exod. 2, 7, 9. 1 Sam. 1. 22, 24. 2 Paral. 31, 16. 2 Macb. 7, 27, 28. Matth. 21, 16. Joseph. Archæol. II, 9. Nutrices, quæ præbebant lac infantibus, non substituebantur, nisi mater obiisset, aut lactando impar esset; recentiori verò ævo matronæ sæpius sibi infirmiores videbantur, et officium maternum in nutrices devolvebant, quæ autem præcipuis familiæ personis accensebantur; quare in historiâ quoque memorantur Gen. 35, 8. 2 Reg. 11, 2. 2 Paral. 22, 11. Filii usque ad annum ætatis quintum in gynæconitide versabantur, tandem transibant in disciplinam patris, et discebant negotia plerumque ea, quæ patris erant, et ab ipso etiam lege Mosaicâ et religione avita imbuebantur, Deut. 6, 20, 25; 7, 19; 11, 19. Qui filios suos aliquid amplius doceri volebant, nisi servos ad id idoneos haberent, eos mittebant ad quempiam sacerdotem vel Levitam, qui nonnunquàm etiam plures alumnos habebat; nam ex 1 Sam. 1, 24, 28, liquet, ad sacrum tabernaculum scholam educandæ juventuti dedicatam fuisse, cujus generis aliæ plures fuerint, quas dein Samuel restauravit, ex quo tempore discipuli, filii Prophetarum dicti, inclaruerunt.—Filiæ manebant in gynæconitide, nisi simpliciori vitæ genere, cum urceo, ad apportandam aquam exirent, Exod. 2, 16. Gen. 24, 16, 29, 10. 1 Sam. 9, 11, 12. Discebant œconomiam et artes muliebres, donec alicui sponso venderentur, vel, meliori sorte, donarentur, Prov. 31, 13. 2 Sam. 13, 1. Filiæ divitum in suis palatiis degebant, et ut earum matres, ferè nonnisi mundo muliebri occupabantur, cantu et saltatione se oblectebant, et sæpius tricas habebant, prout peregrinatores de gynæconitide orientalium referunt, qui plura quoque scelera memorant in his mulierum palatiis patrari solita, Ezech. 23, 18. Rarò et, quo majoris sunt dignitatis, eò rarius prodeunt, sed alias invisentes fœminas facilè recipiunt. His contraria de muliere probâ laudantur, Prov. 31, 10, 31.

§ 166. *Potestas paterna.* — Potestas patris non modò in uxores, proles et servos utriusque sexûs eorumque proles, sed etiam in proles filiorum porrigebatur; nam filii nupti olim in domo patris manebant, nisi filiam, quæ defectu fratrum, hæres erat, uxorem invenissent, vel per aliquod industriæ genus, uti per locationem operarum suarum, aut per opificium

vel artem aliquam, aut per commercium, tantùm acquisivissent, ut propriam filiam alere possent. Hæc patris potestas erat absoluta, et ad extremum quoque supplicium pertinebat, Gen. 21, 14; 38, 24, quod per legem Mosaïcam ita restrictum fuit, ut pater, si filium mortis reum judicaret, causam in foro ageret; sed simul statuit, ut judex sententiam mortis ferret, si filius convictus esset, maledixisse, vel verbera intulisse patri aut matri, aut si probatum esset, filium esse luxuriosum nebulonem, protervum et contumacem, et emendari non posse, Exod. 21, 15, 17. Lev. 20, 9. Deut. 21, 18, 21. Cæteroquin potestas patris per leges fundamentales, Exod. 20, 12, consecrata fuit, nec finiebatur nisi morte patris. Qui autem antea, quâcumque ratione facultates acquisiverat, parentibus, non modò animo et verbis, sed etiam honorariis seu donis gratum animum testari jussus erat, Matth. 15, 5, 6. Marc. 7, 11, 13. Olim potestas paterna prolibus permagnæ erat auctoritatis, et ipsa quoque parentum benedictio vel maledictio magni fiebat, Gen. 9, 27, 4, 41; 49, 2, 28. Exod. 20, 12.

§ 167. *Testamentum.* — Defuncto patre, filii propriam œconomiam obtinebant ex hæreditate, quæ plerumque in æquales partes dividebatur; solus enim primogenitus duplicem portionem tulit. Pater ultimam voluntatem coram testibus, et probabiliùs quoque coram hæredibus, exponebat, 2. Reg. 20, 1; recentiori autem ævo testamenta scripta invaluerunt. Filii pellicum arbitrio et amori paterno relicti erant; Abrahamus non solùm Ismaelem, sed etiam filios ex secundâ uxore Ceturâ genitos, cum donis ante mortem suam expedivit; Jacobus autem filios quoque pellicum hæredes instituit, Gen. 21, 8, 21; 25, 1, 6; 49, 1, 27. Lex Mosaica arbitrium patris non restrinxit, et filiis pellicum æqualem hæreditatis partem tulisse videntur, quùm et Jiphtach seu Jephte, filius meretricis, conqueratur, se sine hæreditate domo paternâ pulsum fuisse, Jud, 11, 1, 7. Filiæ non modò exhæredes erant, sed et ipsæ, si cœlibes erant, ad hæreditatem pertinebant, et à fratribus in matrimonium vendebantur, ut duntaxat defectu fratrum ad hæreditatem vocarentur, Num. 27, 2, 8. Si quis, prole orbus, ad intestato decesserat, de patrimonio ejus disposuit lex Num. 27, 8, 11. Testamento verò quivis quemcunque, etiam servum, hæredem instituere poterat, conf. Gen. 15, 3; imò et illi, qui hæredes necessarios habebant, nonnunquàm in favorem servorum fidelium disponebant, Prov. 27, 8, 11. Viduæ exhæredes erant à filiis vel consanguineis sustentandæ, conf. 1 Tim. 5, 8, nisi testamento aliter dispositum fuisset; quare nonnunquàm in domum paternam revertebantur; sustentatio enim, quam hæredes suppeditabant, votis persæpè non respondebat, aut non sufficiebat, Gen. 38, 11. Ruth 2, 15; hinc prophetæ persæpè in neglectum viduarum invehuntur, Isa. 1, 26; 10, 2. Jer. 7, 6; 22, 3, Ezech. 22, 7, conf. Exod. 22, 22, 24. Deut. 10, 18; 24, 17.

§ 168. *Servi.* — Societas domestica per servos seu mancipia magnum incrementum cepit, quò plures patriarchæ, et postmodùm quoque Græci et Romani, quasi reguli etiam 20,000 subditorum fiebant. Servitus jam ante diluvium introducta et pervulgata fuit, Gen. 9, 25. Hebræi habere poterant Hebræos et alienigenas servos et ancillas; alienigenæ verò circumcidendi erant, et unicum verum Deum colere tenebantur, Gen. 17, 13, 17. Excepti erant soli Chananæi, qui, si in servitutem recepti fuissent, jam ipsâ suâ multitudine nocuissent, atque idololatriâ et malâ fide Hebræos in summum discrimen adduxissent. Gabœnitæ, Cephirithæ, Beerothitæ, et incolæ Cariathiarim, fœdere per subreptionem obtento, servis sacri tabernaculi additi sunt, Lev. 27, 1, 8. Jos. 9, 1, 27.

§ 169. *Viæ ad servitutem.* — Origo servitutis conjecturis vix erui potest; quare vias, quæ ad hanc vitæ conditionem ducebant, sine discrimine proponimus: I. Captivitas, quam permulti primam servitutis originem esse arbitrantur, Deut. 20, 14; 21, 10, 11. Gen. 14. — II. Debita, quibus solvendis debitor par non erat, 2 Reg. 4, 1. Jer. 50, 1. Matth. 18, 25. — III. Furtum, cui resarciendo facultates furis non sufficiebant, Exod. 24, 2. Neh. 5, 4, 5. IV. Plagium, quo homo liber, tempore pacis in servitutem redigebatur aut vendebatur, cui crimini Exod. 21, 16, extremum supplicium decernitur, quod Deut. 24, 7, ad eum restringitur, qui liberum hebræum in servitutem rapuisset, et eo tanquàm servo usus fuisset, aut vendidisset. — V. Nativitas ex contubernio servili, cujusmodi servi dicebantur *domi nati*, *filii ancillæ, filii domûs,* Gen. 14, 14; 15, 3; 17, 23; 21, 10. Ps. 86, 16, 116, 16. — VI. Venditio, sive homo liber, rerum angustiâ pressus, se ipse, sive dominus servum alteri venderet, et hæc erat ferè communis ratio servos acquirendi. Num. 31, 4; 14, 18, 35. Hinc servi vocantur *argento empti*. Pretium diversis temporibus, et pro diversâ mancipiorum ætate,

sanitate, dexteritate et sexu, variabat; Lex Exod. 21, 32, medium pretium, 30 siclos statuit, accuratius pretium, sed etiam medium Lev. 27, 1, 8, definitur.

§ 170. *Conditio servorum inter Hebræos.* — Servi à dominis recipiebant victum et vestitum infimæ plerumque sortis; quæ verò ab illis acquirebantur, domini erant, unde lucrum duplo majus quàm à mercenariis resultabat, Deut. 15, 18. Contubernia ferè omnes, nutu domini, inibant; ast proles, quas gignebant, erant servi domini, qui, etsi dominum, non compellarent patrem, Gal. 4, 6. Rom. 8, 15, ei tamen, tanquàm patri, addicti et fideles erant; quare patriarchæ illis arma credebant. Gen. 14, 14; 32, 6; 33, 1. Labores servorum erant, quoscunque dominus assignabat, plerumque autem rem rusticam et pecuariam exercebant; ancillæ ad labores quoque domesticos adhibebantur. Servus perspicacior et fidelis cæteris præfectus erat, qui οικονομος, dicebatur, Gen. 24, 2; 47, 6. 1 Sam. 24, 7. 1 Paral. 28, 29, 30. Ruth 2, 5, et cæteris negotia assignabat, et victum distribuebat, nisi hoc postremum solertior mater familias curaret, Prov. 31, 15. 1 Cor. 4, 1, 2; 9, 17. Gal. 4, 2. Eph. 3, 2. Tit. 1, 7. 1 Petr. 4, 10. Quipiam erant instructores vel pædagogi filiorum, et quipiam domino ministrabant, uti et ancillæ quæpiam obsequia uxorum obibant. Hi paulò meliori sorte utebantur: ast apud dominos, nihil humani à se alienum putantes, etiam reliquorum conditio tolerabilis erat, Job 31. Lex Mosaica verò, ut eorum conditio melior redderetur, statuit:

I. Ut servi humaniter habeantur; lex Lev. 25, 39, 53, de solis quidem servis, origine Hebræis, disertè loquitur; quùm autem alienigenæ per circumcisionem Hebræis incerti essent, aliquatenùs saltem ad omnes servos pertinebat. — II. Ut Dominus, qui servum cujuscumque originis, sive baculo sive pugno occidisset, à judice pro arbitrio puniretur; si verò mors servi percussi, post unum alterumve diem sequeretur, dominus impunis erat, quia consilium occidendi præsumi non potuit, et jactura servi, pœna sufficiens censebatur, Exod. 21 20, 21. — III. Ut servus, qui à Domino, oculo vel dente, id est, quocumque membro læsus esset, ipso facto libertatem nancisceretur, Exod. 21, 26, 27. — IV. Ut omnes servi sabbato et aliis quoque festis diebus, ab omni labore immunes quiescerent, Exod. 20, 10. Deut. 5, 14. — V. Ut ad convivia vocarentur, quæ ex secundis decimis instituenda erant, Deut. 12, 17, 18; 16, conf. Matth. 25, 21, 23. — VI. Ut, juxta jus antiquum Job 24, 10, 11, de iis quibus occupabantur, libere manducare possent, Deut. 25, 4, Conf. 1 Tim. 5, 18. 1 Cor. 9, 9. — VII. Ut dominus ancillarum matrimonium provideret, nisi eas ipse pellices habere, vel filio tradere mallet, Exod. 21, 8. — VIII. Ut mancipia originis Hebrææ, sex duntaxat annis servirent, et anno septimo cum dono insigni, quo œconomiam instituere possent, et cum uxore, quam attulerant, manumitterentur Exod. 21, 2, 4. Lev. 25, 1, 17, conf. Gen. 39, 15. Contubernalis, seu uxor servo à domino tradita, in servitute retinebatur, donec ejus annus septimus ingrueret. Exod. 21, 4. Lev. 25, 39, 41. Deut. 15, 12, 17; nam lex Exod. 21, 7, ancillis quidem hoc beneficium denegavit, sed Deut. 15, 12, 17, mutatâ rerum facie, concessit. — Libertus dicebatur חפשי. — si verò servus amore Domini, vel uxoris suæ, vel liberorum, quos in servitute genuit, oblatam libertatem recusaret, dominus nonnisi coram judice id acceptare poterat procul dubio, ut publicè constaret servum spontè se perpetuæ servituti addicere. In signum verò servitutis perpetuæ, aurem servi ad postem januæ perforebat, quo simul perforatio aurium ad gestanda annuleta, servilis facta fuit, Exod. 21, 5, 6. Deut. 15, 16; ast neque hi servi, alienigenis extra regionem Hebræorum, vendi poterant, Exod. 21, 7, 8. Si verò servus origine Hebræus alienigenæ, in regione Hebræorum habitanti, venditus fuisset; eum consanguineus, vel alius quiscumque, vel etiam ipse servus se, si opes aderant, redimere potuit, soluto duntaxat pretio pro residuis, usque ad septimum annum servitiis, Lev. 25, 47, 55. — IX Ut anno Jubilæo omnia mancipia hebrææ originis, manumitterentur, Lev. 25, 39, 41. — X. Servos Hebræorum quæpiam habere propria potuisse, ipsa lex Levit. 25, 49, docet, conf. 2 Sam. 9, 10. — XI. Denique servus ex aliâ gente ad Hebræos profugus, ut hospes, humaniter excipiendus, nec illi genti rursùs reddendus fuit, Deut. 23. 16, 17.

§ 171. *Conditio servorum in aliis gentibus.* — Moses quidem hanc, erga mancipia humanitatem sæpiùs inculcavit, et momentis fortissimis munivit, nihilominùs nonnunqàm duriùs in hoc hominum genus actum est, Jer. 34, 8, 22. Negari tamen nequit, mancipia Hebræorum meliori sorte, quàm aliarum gentium gavisa fuisse, ut ex illis notissimis tumultibus servorum inter Græcos et Romanos, liquet. Nec mi-

rum; nam Hebræi ad humanitatis officia, his hominibus præstanda, momentis gravibus impellebantur, quæ aliis gentibus deerant, inter quas nulla mancipiis quies, nullum legum præsidium erat, et pœnæ atrocissimæ imminebant. Fugaces et de fugâ suspecti stigmate plerumque in fronte signabantur, ad quod Gal. 6, 17. Apoc. 14, 9; 22, 4, alluditur. Ab omnibus festis communibus et ab ipso religionis exercitio arcebantur, quod apud Hebræos secus erat, et in Ecclesiâ christianâ, ex gentibus collectâ, mox mutatum fuit, Gal. 3, 28, Coloss. 3, 10 11. Phil. 10. 1 Cor. 12, 13. Eph. 6, 8. Prohibebantur vesci de illis, quibus occupabantur, Pollux in voce παυσικαπη; matrimonium seu conturbernium eis non facilè, concedebatur; peculium eorum in arbitrio dominorum erat, et de eo dominis dona ferre tenebantur. Quibus felicioribus esse licuit, ut manumitterentur, nomen tamen hæsit *libertorum*, νοθων, atque etiam libri eorum nomine *libertinorum* distinguebantur, ut taceam immanitatem dominorum. Misera ergo erat ubique conditio mancipiorum, et ingenui magnâ prærogativâ eminebant, de quâ Judæi Joan. 8, 33, gloriantur, et quam Paulus amplecti suadet, si jure obtineri possit, 1 Cor. 7, 21, 23. Rom. 8, 15. Hinc patet, quid sibi velit comparatio peccatoris, aut etiam Judæi sub lege Mosaicâ cum statu servitutis, atque christiani probi cum statu libertatis, Joan. 8, 32, 34. Rom. 6, 17. Jac. 1, 25. Comparatio illa peccatoris, jam philosophis usitata, Judæis ætate Christi apprimè nota fuit; quare Christum Joan. 8, 31, 34, facilè intelligere potuissent, nisi nodum in scirpo quærere maluissent.

CAPUT XI.

DE MORIBUS ATQUE RITIBUS CONVERSATIONIS.

§ 172. *Mores Hebræorum.* — Indoles Hebræorum exhibet communia Orientalibus vitia, arrogantiam, luxum, pompam et mollitiem. Arrogantia Hebræorum ultimis temporibus erat maximâ, Thalmud. Bab. metziap. 83, 1 Joan. 8, 33. Oppressiones et extorsiones, atque dolus sub specie amicitiæ erant vitia magnatum, quæ prophetæ perpetuò reprehendunt; occurrunt tamen insignia quoque magnanimitatis exempla, Gen. 14, 23; 44, 34. Jud. 8, 23. 1 Sam. 12, 3, 4; 18, 1; 20, 4, 8; 41, 44; 23, 16, 18; 24, 7, 12; 26, 9, 12. 1 Reg. 20, 31. Singularis Hebræorum per totam historiam est indocilitas et inflexibilitas Act. Ap. 7. Proclivitas ad idololatriam post exilium desiit; si hæc insania, ætate Machabæorum rursùs Judæos permultos politissimos invasit, potiori tamen gentis parti non prævaluit. — Virtutes politicæ erant industria in re rusticâ, et fortitudo in bello, quâ quibusdam temporibus, inprimis Davidis et Machabæorum, excelluerunt. — Virtutes morales laudantur in bibliis, præ cæteris justitia, quo nomine autem non raro omnis vitæ integritas, et puritas à scelere, comprehenditur; dein fides, fidelitas, sinceritas, humanitas, seu charitas proximi. Quàm maximè etiam celebrantur mites. Et reliqua quidem officia in Bibliis commendantur; ast cogitandum non est, Hebræos omnes his officiis satisfecisse, imò plerique longè ab illis aberant, et nunquàm longiùs, quàm ultimis temporibus, quibus legem Mosis philosophicis argutiis pervertebant, et litteram tenentes, à spiritu et scopo alienissimi, et inter omnes gentes à mendaciis, imposturis et perjuriis infames erant, Tacitus Hist. V. 5; 1 Thess. 2, 5; Eph. 2, 14 Hæc vitia demùm in ultimo contra Romanos bello, in rabiem degenerârunt, ut ipse Josephus Judæus candidè fatetur; conf. Matth. 12, 43, 45.

§ 173. *Elegantia morum.* — Elegantia morum, etsi non ad nostrum modum conformata, Hebræis nunquàm defuit, et Lev. 19, 32, momento religionis firmata erat. Tot in Bibliis occurrunt ejus argumenta, ut lector, potiùs excessum quàm defectum arguere posset. Verùm cuique terrarum plagæ, et cuivis genti propria est morum et humanitatis ratio, et quidem ubique, si verba et gestus ad vivum resecentur, exorbitans; et quùm Orientales sensa sua ferè verbis fortioribus exprimant; non mirum est, id obtinere quoque in illis verbis et gestibus, quibus civilitatis officia exhibent et non ampliùs dicunt, quàm nostra ejusmodi verba et gestus æquè exorbitantes; ità prostratio in terram, vix plus innuebat, quàm mos noster caput aperiendi, et se inclinandi. Orientales ferè omnes antiquissimos civilitatis ritus, qui Gen. 18, 1, 30; 19, 1, 3; 23, 7, 12; 41, 43; 42, 6, leguntur, et ab Herodoto aliisque antiquis referuntur, usque in nostram ætatem retinuerunt. Ætate Christi ex scholis honoris quoque compellatio רבי רב, irrepsit; aliàs enim usitata non erat, nisi compellatio, *domine*, et ætate Christi κρατιστε, Luc. 1, 3. Act. 23, 26; 24, 3; 26, 25.

§ 174. *Salutatio.* — Salutatio et valedictio benedictionem quampiam complectebatur; hinc *benedixit*, etiam venit pro *salutavit, valedixit*, Gen. 47, 8, 11. 2 Reg. 4, 49; 10, 13,

1 Paral. 18, 10. Formulæ salutationis erant *benedictus à Jehovâ esto; benedictio Dei sit super te; Deus tecum*, seu *tibi præsto sit;* communis autem formula erat : *pax* (omnis prosperitas) *sit tibi,* Ruth. 2, 4. Jud. 19, 20. 1 Sam. 25, 6. 2 Sam. 20, 9, Ps. 129, 8. Phœnices salutabant per : *Vive prosperè, mi domine!* quod ab Hebræis nonnisi regibus acclamabatur. Græci dicebant χαῖρε, Romani *salve* vel *ave,* Luc. 1, 27, 28. Matth. 26, 49; 28, 9.—Corporis gestus pro diversâ dignitate illius, qui salutabatur, erat diversus, prout ab Orientalibus adhucdùm observatur; nam pronuntiando illas salutationis formulas, manum dexteram imponunt pectori sinistro, et caput graviter inclinant. Id in omni salutatione locum habet. Si verò Arabes salutant amicum, porrò sibi mutuò porrigunt dexteram, et quasi osculaturi elevant, uterque autem manum suam retrahit, eamque, loco manûs amici, osculatur, et mox fronti imponit; si verò alteruter sublimioris est conditionis, alteri manus osculandæ copiam facit. Tum salutantes sibi invicem barbam, manum eidem supponendo, osculantur, quo unico casu licet barbam attingere, 2 Sam. 20, 9; aliqui, loco osculi duntaxat genas sibi mutuò apponunt. Persæ os, vel si alter altioris erat dignitatis, genas invicem osculabantur. 2 Sam. 20, 9. Gen. 29, 11, 13; 31, 55; 33, 4; 39, 11; 48, 10, 12. Exod. 4, 27; 18, 7.— Arabes porrò rogant de salute. Gen. 29, 6; 43, 27. 1 Sam. 16, 4. 2 Sam. 20, 8. Luc. 15, 20. Act. 20, 34; Deo de conspectu amici gratias agunt, orant pro eo Deum, et precantur omnem prosperitatem; atque salutationem, porrectionem manuum, osculum, interrogationem de salute, gratiarum actionem et preces, usque decies repetunt. Hæc amicorum salutatio longior est; hinc etiam olim festinantibus nuntiis inculcabatur, ut neminem per viam salutarent, 2 Reg. 4, 29. Luc. 10, 4. Joannes. 2 Epist. 11, vetat quoque, ne Christiani hominem hæreticum salutarent, aut in domum reciperent, nempe eo solo titulo, quòd Christianus, etsi alterius sectæ, est; nam hâc salutationis ratione, se ejusdem sectæ esse, professi fuissent. — Coram magnatibus Orientales se ferè usque ad terram inclinant, et genu vel fimbriam vestis ejus osculantur, eamque fronti imponunt; coram principibus et regibus verò se totos in terram prosternunt, vel genibus flexis fronte terram attingunt, et pedes illius vel terram osculantur. Hæc Hebræis quoque usitata fuisse, ipsa lingua testatur; nam קדד est *caput inclinare;* כרע *corpus profundè inclinare:* ברך *genu flectere;* et אפים ארצה נפל ארצה, כרע, השתחוה, *se inclinare in terram, procumbere in terram, se facie in terram prosternere.* Prostratio græcè προσκυνεῖν, et latinè *adorare* dicitur. Omnes hi gestus etiam in venerationem Deo exhibebantur; Græci autem et Latini adorationem soli numini reservabant, Act. 10, 26. Apoc. 19, 20; 22, 9. Verbum סגד de solâ adoratione idolorum occurrit, Isa. 44, 15, 17, 19; 46, 6; Aramæis autem et Arabibus latiùs patet, Dan. 2, 46; 3, 5.

§ 175. *Visitatio.* — Qui alium invisebat, ante januam clamabat vel pulsabat, donec dominus egressus, illum, si ita visum esset, introduceret, facto antea signo, ut alter sexus se in locum suum subduceret, 2 Reg. 5, 9, 12. Act. 10, 17. Magnatibus, non modò adventus priùs significandus, sed etiam, prout nunc in Oriente mos est, dona convenientia ferenda erant; hospes demùm cum omni pompâ veniebat, et honorificentissimè excipiebatur, caput ejus ungebatur, et tandem aromatibus incensabatur, cujus vestigia Gen. 27, 27. Exod. 30, 37, 38. Prov. 27, 9. Num. 16, 6; 17, 18; 37, 38, occurrunt. Incensum nostro ævo est in Oriente indicium, hospiti redeundum esse.

§ 176. *Dona.* — Ferre dona, Num. 22, 7; 16, 37; 24, 11, 13, in Oriente pervulgatum est. Origo à primis regibus derivanda esse videtur, qui non mox tributa exigebant, sed comiter suscipiebant, quod spontè offerebatur, 1 Sam. 10, 27. Id demùm in consuetudinem abiit, ut, qui regem adibat, nunquàm sine dono compareret, atque inde mos ad alios quoque magnates, imò et ad æquales, qui invisebantur, transivit, Prov. 18, 16. Reges verò ipsi quoque hunc morem observabant erga eos, quos honorare volebant, quale donum ferè semper מתנה et מתת dicitur; imò et aliis regibus dona mittebant, 1 Reg. 15, 19. Isa. 30, 2, 6; 31, 1, 2. 56, 9. 2 Reg. 16, 8; 18, 14, 18. Antiquiores quoque prophetæ dona sibi oblata non recusabant, nisi fortè ex indignatione, 2 Reg. 5, 6; 8, 9; quùm autem pseudoprophetæ vaticinia sua pro ratione donorum ederent: prophetæ veri dona respuebant, Amos 7, 14. Hæc dona confundenda non sunt cum dono שחד dicto. quo judex corrumpitur; id enim omni ævo nefas reputatum fuit, Exod. 23, 8. Deut. 10, 17; 16, 19; 27, 25. Ps. 15, 5; 26, 10. Isa. 1, 25; 5, 23; 33, 15.

§ 177. *Conditio et apportatio donorum.* — Dono offerebatur, quodcumque utile esse poterat, non modò argentum, aurum, vestes,

arma, sed etiam alimenta, quæ nonnunquàm erant minutiæ, Gen. 43, 11, 1 Sam. 9, 7; 16, 20. Job 42, 11. Res tamen minutiores, non ipsis magnatibus, sed in usum domesticorum offerri solebant, prout adhucdùm in Oriente moris est, 1 Sam. 25, 27. Reges et magnates aliis, nempe ministris, legatis, aut peregrinis, eruditis, etc., ferè vestes donabant, Gen. 45, 22, 23. Dan. 16, 29. Esth. 8, 15. Reges habebant, מלתחה, seu conclave, in quo magna harum vestium copia asservabatur, 2 Paral. 9, 24. Major honor erat, si rex aut magnas vestem, quâ indutus erat, de corpore detractam donabat, 1 Sam. 18, 4. Quicumque autem adhucdùm in Oriente à rege vestem recipit, eam mox induere, et homagium præstare tenetur, nisi iram regis excitare velit, conf. Matth. 22, 11, 12. Nonnunquàm rex omnibus hospitibus ante convivium vestes donabat, quibus induti accumbebant, 2 Reg. 10, 22. Gen. 45, 22. Apoc. 3, 5. Cyropæd. VIII, 3, 1 Iliad. XXIV, 226, 227. — Dona in Oriente adhucdùm, ad reges et magnates, ab hominibus et jumentis singulari cum pompâ portantur, et quodlibet, etsi pondere levissimum, à singulari viro ambabus manibus, aut etiam à jumento fertur, Jud. 3, 18. 2 Reg. 8, 9.

§ 178. *Honores publici.* — Summus honor exhibetur in Asià magnatibus, legatis et regibus solemniter urbem vel aulam ingredientibus. Maximus est populi concursus, fenestræ illæ paucæ, in plateas respicientes, aliàs interclusæ, recluduntur, et, uti et ipsa tecta plana, spectatoribus complentur; plateæ, ne pulveres excitentur, aquis rigantur, et floribus, frondibus arborum et tapetis sternuntur, ut non maneat, nisi semita ingredientibus. Spectatores plaudunt manibus, et undique jubila resonant, quùm aliàs rex in silentio salutatur, 2 Sam. 16, 15. 1 Reg. 1, 40. 2 Reg. 9, 13. Isa. 62, 11. Zach. 9, 9. Matth. 21, 7, 8. Primi incedunt musici, 1 Reg. 18, 46. 1 Paral. 15, 27, 29, quos sequuntur ministri et servi, denique ipse rex, omnes generosis equis vecti; olim verò reges etiam curribus, affabrè factis, vehebantur, Gen. 41, 43. 2 Sam. 15, 1. 1 Reg. 15.

Quidpiam simile in Asiâ exhibetur non modò illis, qui ad religionem Muhamedis deficiunt, sed etiam pueris, qui Koranum perdidicerunt; imponuntur enim generoso equo, et præcedentibus musicis, atque comitantibus et acclamantibus reliquis discipulis, deducuntur per urbem, unde loca. Gen. 41, 43. Esth. 6, 7, 9. 1 Sam. 10, 5, 10, aliquam lucem capiunt.

§ 179. *Conversatio. Balneum.*—Conversatio, quâ antiqui Orientales tempus fallebant, erat in januâ urbis, ubi spatium, prout adhucdùm in Mauritaniâ cernitur, pro consessu adaptatum erat, Gen. 19, 1. 2 Sam. 19, 5. Ps. 69, 13. Considentes hoc loco otiosi spectabant introeuntes et exeuntes, nundinas et judicia, quæ hìc quoque agitabantur. Gen. 19, 1, 34, 20. Ps. 26, 4, 5; 69, 13; 127, 5. Ruth 3, 11. Isa. 14, 31; 15, 4. Confabulationes non quidem frequentes, neque tamen adeò raræ, ut in modernis Asiæ domibus Kahue, fuisse videntur; antiqui enim Orientales, qui vino indulgebant, multò erant vivaciores; Hebræi saltem, ut ex Isa. 30, 29; Jer. 7, 34; 30, 19. Amos 6, 4, 5, constat, musicâ delectabantur, confabulabantur, saltabant, et cantabant. Ast ambulare illis, sicut modernis Orientalibus, sub calido climate molestum fuisse, facilè credimus; quare potiùs in urbis januâ, vel sub ficu aut vite considebant, 1 Sam. 22, 6. Mich. 4, 4. Hinc consessus persæpè memorantur, Ps. 1, 1; 107, 32; 89, 8, 111, 1; 64, 3; 50, 21; 26, 5. Balnea autem Orientalibus nullo non tempore erant acceptissima, Ruth 3, 3. 2 Sam. 11, 2. 2 Reg. 5, 10. Caloris enim sunt refrigeratio, et pulveres, corpori molestos, abstergunt; hinc, ab altero præsertim sexu, adeò frequentantur, ut meritò delectamentis accenseri possint. Antiquiores Ægyptii in Nilo se balneabant Exod. 2, 5; 7, 13, 25. Herodot. II, 37. Hebræis balneum, munditiei causâ, lege præscriptum erat, Lev. 14, 2; 15, 1, 8; 17, 15, 16; 22, 6. Num. 19, 6. Hinc probabile est, in Palæstinâ paulò post, publica balnea, qualia nunc in Oriente frequentia conspiciuntur, ædificata fuisse. — In colloquio Orientales æquissimi sunt, nec facilè contradicunt, etsi observant, mendacia ipsis narrari. Hebræis, reprobationis summum indicium erat cognominatio שטנ, *adversarius*, vel רקה *sputatilis*, seu *contemptibilis*, aut etiam נבל, *stultus*, quod idem sonabat ac atheus et sceleratus Job 2, 10. Ps. 14, 1. Isa. 32, 6. Matth. 5, 22; 16, 23. Thanchuma, p. 5, 2, p. 8. Si quid insanum prolatum fuit, dicebant: *Sufficit*, ἱκανουσθω, Deut. 3, 26. Luc. 22, 38. Formula affirmandi: *Tu dixisti*, vel *rectè dixisti*, συ ειπας, adhucdùm, teste Arydâ, in monte Libano de eo usitata est, quod quis affirmaturus, disertis verbis exprimere non vult. —Exspuere coram alio in cubiculo, ubi pavimentum tapetis opertum est, rusticitatem olet; ast remoto tapeto in angulo exspuere, nemo vitio vertit. Quare locus Deut. 25, 7, 9, eò magis ad lit-

teram explicandus est, quòd et alias quoque vehementiores in foro indignationis affectus occurrunt, Matth. 26, 67. Marc. 14, 65, conf. 1 Reg. 22, 24. Isa. 57, 4. Ezech. 2, 6, 25, 6. 2 Sam. 16, 6, 7.—Cæterùm abundè notum est, Orientales amare meridianum somnum, ad quem calores climatis invitant, 2 Sam. 4, 5; 11, 2. Matth. 13, 25, quod dicit phrasis : *Pedes tegere*, Jud. 3, 24. 1 Sam. 24, 4.

§ 180. *Mores erga peregrinos.* — Humanitatem erga peregrinos, Moses gravissimis momentis inculcavit, et exemplis quoque in Genesi adductis, ad eam invitavit. Duplex quidem genus peregrinorum lex distinguit, alterum eorum, qui, sive alienigenæ, sive Hebræi, domo carebant; et alterum alienigenarum, qui domum in Palæstinâ habebant; sed utrosque iisdem humanitatis officiis prosequendos, et eodem cum civibus jure habendos esse statuit; rarissima in antiquo orbe alienigenarum prærogativa, Lev. 19, 33, 34; 24, 16, 22. Num. 9, 14; 15, 14. Deut. 10, 18; 23, 8; 24, 17; 27, 19. Peregrini inter Hebræos olim se benè habuisse videntur; à Davide et Salomone ad labores quidem dominicales adstricti fuerunt; id autem erat communis illo ævo juris 1 Paral. 22, 2. 2 Paral. 2, 1. 16, 17. Verùm ætate Christi Judæi alienigenas ab officiis humanitatis excludebant, atque ipsum nomen רע, interpretatione ad solos amicos detorserunt, etsi loca supra adducta repugnabant, Lev. 19, 18.

§ 181. *Pauperes et mendici.* — Pauperibus, ut supra passim vidimus, lex Mosaica abundè providit; ast de mendicis nullam facit mentionem. Primi mendici memorantur Ps. 37, 25; 109, 10, atque deinceps nunquàm defuerunt. Ætate Christi sedebant in plateis, ad januas divitum, ad portas templi, et probabiliùs quoque ad januas synagogarum, Marc. 10, 46. Luc. 16, 20. Act. Ap. 3, 2. Dabantur ipsis jam cibi, jam etiam nummi, Matth. 26, 9. Marc. 10, 6. Luc. 16, 21. Nondùm ostiatim vagati fuisse videntur, prout nunc in Oriente, etsi minùs frequentes, quam in Europâ, ostiatim quoque mendicant; morem autem, clangore buccinæ vel cornu, petendi eleemosynam, qui à Muhamedanis monachis, *Kalendar* vel *Karendal* dictis, observatur, jam ætate Christi obtinuisse, ex Matth. 6, 2. liquet, ubi σαλπιστης in *Hiphil* seu *Hiktil*, transitivè capiendum est, ut plura alia verba in novo Fœdere hoc sensu occurrunt, 1 Cor. 1, 20; 3, 6; 8, 3; 15, 1, etc. Cæterùm, stipem Orientales nequaquàm misericordiam seu eleemosynam, sed justitiam compellare consueverunt, Job 22, 7; 31, 16; Prov. 3, 27, 28; 21, 21. Ps. 24, 5. Eccl. 4, 1; 14, 13, 14. Matth. 6, 1. Koran 17, 28; 30, 37; 702, 4. Lexic. Buxtorf. Chal. Th. Rabb. p. 1821.

§ 182. *Immunditiæ.* — Immunditiæ, quæ non solùm à sacris, sed etiam à consortio hominum arcebant, erant adjuncta vel contagiosa, vel de periculo contagii suspecta, vel saltem abominabilia. Plerasque in lege recensitas Hebræi jam ante legislationem observabant, Gen. 31, 35. Lex Mosaica eas tantùm accuratiùs definivit, ut Hebræi per eas quoque, ab aliis gentibus secernerentur, et à periculo seductionis ad idololatriam remotiores essent; addidit quoque ritus, quibus mundati, societati restituerentur. Immundi neminem tangebant, quos verò attingebant, æquè immundos reddebant; et omnes sacro tabernaculo et templo exclusi erant, Lev. 13, 3. Immundi verò erant: I. Leprosi, qui extra urbes et pagos habitabant, veste lugubri et laceratâ induti, nudo capite, operto mento incedere, et occurrentibus acclamare tenebantur; immundus immundus, Lev. 13, 45. Num. 5, 1, seq. — II. Gonorrhæâ, sive benignâ, sive virulentâ laborantes, Lev. 15, 3. — III. Qui quâcumque ratione, etiam concubitu legitimo, semen emiserant, immundi erant usque ad vesperam, Lev. 15, 16, 22. IV. Puerperæ post partum filii, 7, post partum filiæ, 14 diebus immundæ erant, sequentibus 33 vel 66 diebus à sacro tabernaculo vel templo et sacrificiis arcebantur, Lev. 12, 1, 6; 15, 16, 28. — V. Menstruatæ, et etiam morbido fluxu sanguinis laborantes, erant immundæ, quamdiù fluxus perdurabat, Gen. 31, 35. Lev. 15, 19, 21. Matth. 9. 10 — VI. Qui attigit cadaver hominis aut animalis, ossa mortuorum, vel sepulcrum, et qui erat in tentorio, cubili vel domo morientis vel mortui, septem dies immundus erat. Sacerdotes per sola quoque signa luctûs de defuncto contaminabantur, ideòque illis signa luctûs nonnisi de mortuis parentibus, prolibus, fratribus, et sororibus virginibus, in domo paternâ existentibus, permissa, summo autem sacerdoti de quocumque mortuo prorsùs interdicta erant, Lev. 5, 2; 11, 8, 11; 24, 31; 21, 1, 5; 10, 11. Num. 19, 11, 13.

CAPUT XII.

DE MORBIS.

§ 183. *De morbis generatim.* — Primâ mundi ætate homines, simplicissimâ vitæ ratione utentes, perpaucis morbis fuisse obnoxios, et sequentibus demùm ætatibus, non modò mor-

bos novos invaluisse, sed etiam diversis ætatibus diversos fuisse morbos epidemicos, imò et perpetuò cuilibet ferè plagæ et regioni proprios fuisse et esse quosdam morbos, nemo harum rerum mediocriter peritus negabit. Quinam morbi in Ægypto et aliis ejusdem climatis regionibus plerumque grassentur, paucis complexus est Prosper Alpinus de Medic. Ægypt. L. I, c. 13, p. 13; sunt nempe oculorum lippitudines seu ophthalmiæ, lepræ, phrenitides, articulorum dolores, herniæ, renum et vesicæ calculi, phtyses, obstructiones hepatis lienisque, stomachi imbecillitates, febres tertianæ, ardentes, hecticæ et pestilentes. Ex his ophthalmiæ, febres pestilentes et phrenitides epidemicè grassantur, alii verò morbi sparsim observantur. — Morbos in S. Scripturâ commemoratos, et aliunde minùs notos, paucis enarrabimus.

§ 184. *Morbus Philistæorum.* — Morbus Philistæorum, 1 Sam. 5, 6; 12, 6, 18, dicitur עפלים, quod nomen etiam Deut. 28, 27, occurrit, et ubique in k'ri, nomine aramæo, טחרים, explicatur, quod syriacè, טחרא et טחורא, podicem, et nisum exonerantis ventrem, significat; igitur auctores hujus notæ marginalis, cum Josepho Arch. VI. 1, 1, dysenteriam intellexisse videntur. Apud Arabes, *exphal* est tumor in anteriori parte vulvæ, herniæ virorum similis, qui autem longè abest ab hæmorrhoidibus, de quibus aliqui עפלים explicârunt. His quoque mures non conveniunt, qui 1 Sam. 6, 5, 12, 16, 18, et in Alexandrinâ et Vulgatâ versione etiam 1 Sam. 5, 6; 6, 5; 11, 18, memorantur. Quare Lichtenstein mures, עכברים, de solpugis fatalibus exposuit, quæ ad genus quidem aranearum pertinent, soricibus tamen similes sunt, ut mures dici possint. Vescuntur scorpionibus, et, cùm eos quærunt, mordent homines, præsertim in podice et pudendis, unde tubercula mortifera (עפלים) oriuntur, Plinius, Hist. nat. L. XXIX, 4. S. Solpugæ itaque fatales in regione Philistæorum, singulari Dei providentiâ, illo tempore multiplicatæ sunt, et multos homines læserunt.

§ 185. *Morbus regis Joram.* — Rex Joram, idololatra et parricida fratrum, duos annos, sicut ipsi propheta Elias litteris, 2 Paral. 21, 12, 15, allegatis, prædixerat, intestinis laborabat, et tandem viscera egessisse dicitur, 2 Paral. 21, 18, 19. Hic morbus dubio procul erat dysenteria, seu fluxus ventris, quam tanto tempore continuare nequaquàm inauditum est. Viscera hoc morbo exulcerantur, et ex ipsis cruor cum stercore aliquo, semper liquido, et cum quibusdam quasi mucosis manat, atque nonnunquàm etiam carnosa quædam ramenta simul descendunt.

§ 186. *Mola ventosa.* — Hebræi solebant post calamitates, lætiorem rerum commutationem exspectare; quare ærumnas laboribus et tremoribus parturientis, et meliorem tandem sortem læto demùm partui comparabant, Isa. 13, 8; 26, 17; 2 Reg. 19, 3; Jer. 4, 31; 13, 21, 22, 23; 30, 6; Mich. 4, 9, 10; Joan. 16, 21, 22. Hinc longiùs progressi, res adversas, quas aliæ rursùs adversitates sequebantur, comparârunt morbo, quo mulieres correptæ, gravidæ esse videntur, et omnia graviditatis incommoda sentiunt, demùm verò non pariunt nisi molam ventosam, Isa. 26, 18; Ps. 7, 15.

§ 187. *Patria lepræ.* — Lepra Ægypto, Asiæ anteriori, et generatim climati calidiori proprius morbus est; hinc inter Hebræos, Ægypto emigrantes, plures eâ infectos fuisse nihil mirum; ast omnes eâ laborâsse, et ideo Ægypto pulsos fuisse, Manetho somniavit, quem oscitantes secuti sunt Strabo, Tacitus, Justinus Trogi, et recentiores nonnulli. Morbus quidem est abominabilis, et hinc ab antiquis pro singulari pœnâ Dei habebatur, atque ab Hebræis quoque *plaga*, et *plaga scuticæ* nempe divinæ, dicebatur, Num. 12, 1, 10. 2 Reg. 5, 25; 15, 5. 2 Paral. 26, seqq. Herodot. I, 138. Ast reges Ægypti, qui, testibus omnibus antiquis, frequentiam populi ritè æstimabant, longè aberant, ut ob morbum endemium, ultra ducentas myriades hominum regione suâ expellerent. Et alioquin id reliquæ historiæ repugnat, quæ nos docet, Pharaonem populum exitum postulantem, exire diu non permississe, et egressum insectatum fuisse. Quod sanè non fecisset, si ob lepram populum exire compulisset.

§ 188. *Initia et progressus lepræ.* — Lepra se in cute quidem exteriori exserit; sed etiam telam cellulosam, imò ossa quoque et medullam, atque articulos ossium inficit, ut extremi membrorum articuli sensim emoriantur, dissolvantur et decidant, et corpus horrendum in modum mutiletur. Hinc liquet, materiam morbi in externas partes propelli ex internis, in quibus per plures annos, in infantibus plerumque usque ad pubertatem, in adultis 3 vel 4 annos latet, donec in cute se insinuet; abhinc progressus rursùs lentus est, et post plures demùm annos medium, atque post plures rursùs annos extremum gradum assequitur. Qui à nativitate

leprosus est, 50, et qui deinceps infectus fuit, adhuc 20 annos tristissimos vivere potest. — Eruptio morbi, non quidem semper eadem, plerumque tamen macula est exigua, instar puncturæ acûs, vel impertigo, vel serpigo. Macula plerumque subitò, et quidem ferè in facie circa nasum aut oculos oritur, et per aliquot annos dilatatur, donec magnitudinem lentis assequatur hæc lentigo vel lenticula, si ex serpigine orta est morphea alba; si autem ex impetigine, morphea nigra, dicitur, Lev. 13, 2; 12, 39; 14, 56. Hæc omnes maculæ, vel manifestè, vel occultè lepram indicant, à quibus Lev. 13, 6, 8, 29, distinguitur serpigo innoxia et impetigo innocua; Moses Lev. 13, distinctè explicat, quæ sint maculæ leprosæ, quæ innocuæ. Maculæ leprosæ sensim dilatantur, donec progressu temporis totum corpus occupent. Non solùm universa cutis prorsùs destruitur, sed tota quoque machina corporis afficitur. Dolor quidem non vehemens, sed debilitas magna, et tristitia est anxia, imò et impetus ad autochiriam frequentes, Job 7, 15. Denique morbus transit in quatuor genera perfectæ lepræ, nempe in lepram elephantiam, in quâ præsertim articuli membrorum solvuntur et decidunt, ac corpus horribili modo mutilatur; in elephantiam albam, in vitiliginem nigram, seu psoram, Deut. 28, 27, 35. Lev. 21, 2, 22; et in lepram rubram, seu alopeciam. Mors denique ægrotum plerumque inopinatè obrepit, sed morbum non finit; nam hic plerumque transit in posteros usque ad tertiam et quartam generationem. In generatione quartâ, si non ipsa lepra, saltem dentes immundi, halitus grave olens, et color morbidus adest. Nihilominùs leprosi à procreandis liberis, quos miserrimos futuros prævident, vix abstinent; vehementissimis enim stimulis carnis jactantur. Morbus inficit quoque eos, qui concubitu, vel multâ contrectatione cum ægroto agunt, unde liquet, meritò latas fuisse leges illas de inspectione et separatione leprosorum, in quibus tamen id solùm spectabatur, ut verè leprosi dignoscerentur, et è societate hominum removerentur. Quare non omnia indicia lepræ, aliunde indubia, sed ea sola, quæ in contentionem venire poterant, attinguntur, et sacerdotibus, quorum curæ ars medica commissa fuit, certa lepræ indicia notantur, ut leprosas maculas ab innocuis discernere possent. — Cæterùm non omnis lepra ejusdem est malignitatis; gravior omnem medicorum artem fallit, levior in principio sanari potest; quòd si verò malum jam latiùs serpsit, remedium non est, quo æger sanari posset.

§ 189. *Pestis.* — Pestis morbus æquè terribilis, sed nequaquàm tam diuturnus est; infectos enim plerumque citò aut post paucos dies interimit. Peste, ut multis videtur, etiam à Deo percussus fuit exercitus Sennacherib, 2 Reg. 19, 35, ubi pestis primo impetu, quo vehementissima esse solet, potuit 185,000 militum perimere, si prædæ ægyptiacæ, peste infectæ, per castra dispersæ fuerunt; hinc funera primùm mane observata fuisse referuntur (1).

§ 190. *Morbus Saulis.* — Spiritus Domini, qui à Saüle recessit, esse videtur coll. 1 Sam. 16, 13 (2) recta et generosa animi affectio, atque Spiritus malus à Domino, qui 1 Sam. 16, 14, 15; 18, 10; 19, 9 (3). Saülem obrepsit, et exterruit, insania, quâ sibi ideam fixit, se esse prophetam, et hinc se gessit prophetam, 1 Sam. 18, 10 (4). Ideò aulici Saülis Davidem vocârunt, ut modulamine suæ citharæ Saülem recrearet ejusque insaniam abigeret, quod David et præstitit. Conf. Eman. Sa ad 1 Reg. (Sam.) 18, 10. Janssens, l. c. vol. I, p. 317.

§ 191. *Morbus Nebucadnezaris (Nabuchonosoris).* Quod attinet fata Nebucadnezaris, de quibus sermo est, Dan. 4, certum nobis est, ea, qualiacumque, Deo immediatè concurrente

(1) Menochius, commentar. ad 4 Reg. 19, 35 : « Quo genere mortis occubuerint, non habemus ex sacro textu. Tradunt Hebræi, et ex iis Abulensis, et Cajetanus, Assyrios ab angelo igne, i. e. pestilentiâ, ut ait Josephus, fuisse percussos. »

(2) Calmet Comment. in 1 Reg. (Sam.) 16, 23: « *Directus est Spiritus Domini in Davidem.* Deus communicavit illi spiritum fortitudinis, consilii, sapientiæ, prudentiæ, magnanimitatis, liberalitatis, atque ut verbo me expediam, omnes animi corporisque virtutes, quæ in optimo rege requiruntur. »

(3) Calmet l. c. ad v. 14 : « *Exagitabat eum Spiritus nequam à Domino.* Judæi doctores, quibus non pauci christiani auctores (Cajet. Corn. Sanct. etc.) adhærent, asserunt, Saülis morbum à melancholiâ, ac atrâ bile inflammata fuisse profectum; ita ut hypocondriacus et maniâ correptus esset; crebri morbi hujus accessus, symptomata, quæ eosdem comitabantur, ac medela, quæ illi solamen aliquod afferebat, sententiam hanc probè confirmant. Satis liquet, quinam sint maniæ effectus, et quò eos, qui hoc morbo laborant, proripiat. S. Joannes Chrysostomus in hom. 1 de Davide et Saülo, de Saülis morbo loquens, eum *maniam* appellat, ac arti David, qui coram rege citharâ psallebat, videtur tribuere levamen, quod rex subinde percipiebat. »

(4) Calmet l. c. ad cap. 18, 10 : « Saül hic spiritu malo torquebatur, vel simpliciter atrâ bile succensâ agitabatur. »

illi accidisse. Id enim patet ex somnio, quod solus Daniel interpretabatur vv. 4, 6, 16, seqq., et ex voce v. 28, seqq. de cœlo factâ, quæ triste nuntium, cùm Danielis ad resipiscentiam exhortantis monitum v. 24, non audierit, regi repetiit. Nec immediatus hic Dei concursus fine suo gravi destituitur, cùm regem à superbiâ revocaret et ad agnitionem summi cœlorum regis perduceret v. 34, sicque conferret ad cognitionem unius veri Dei inter gentiles propagandam, divinamque Danielis legationem confirmandam. Cæterùm Nebucadnezari immissum erat, habemus insaniam, quâ opinabatur, se in bestiam esse immutatum, ideòque, more bestiarum vivebat; hinc Dan. 4, 31, 33, ait, se rursùs usum rationis recepisse.

§ 192. *De paralyticis.* — Paralysis in novo Fœdere memorata, non est ex usu loquendi recentiorum medicorum, explicanda; antiqui enim, ut Ritcher Diss. Med. Theol. p. 73, seqq., demonstravit, plures hoc nomine infirmitates complexi sunt, nempe 1° apoplexiam, seu paralysim totum corpus afficientem; 2° hemiplegiam, quæ unius tantùm lateris vires resolvit; 3° paraplegiam, quæ impotentiam motûs parit in partibus sub cervice positis; 4° catalepsim, quæ ex contractione musculorum vel totius corporis vel partis, e. g. manûs oritur, et periculo mortis minimè caret; hoc morbo fit, ut, e. gr. manus non possit extendi, vel extensa non possit retrahi, et simul minuatur, et quasi arescat; quare ab Hebræis dicitur *manus arida*, 1 Reg. 13, 4, 6. Zach. 11, 17. Matth. 12, 10, 13. Joan. 5, 3; denique 5° tetanum, morbum terribilem, in Oriente frequentiorem, qui ex nocturnis refrigerationibus oritur; artus nempe quicumque, e. gr., manus, fit immobilis, et jam introrsùm flectitur, ut ægrotus homini in quæstioni torto, βασανιζομενῳ, similis sit, et eosdem ferè dolores, βασανους, sentiat; mors paucis diebus sequitur, Matth. 8. 9, 10, conf. Luc. 7, 2, 1 Machab. 9, 55, 58.

§ 193. *De dæmoniacis seu energumenis.* — Accedimus ad tractandam quæstionem, quæ præsertim, inde à 50 annis multas excitavit turbas. Sententiam de accommodatione dogmaticâ Jesu et Apostolorum ad erroneas suæ ætatis vulgares opiniones, quam teste S. Irenæo excogitârunt Gnostici, locis quoque illis novi Fœderis in quibus dæmoniacis agitur, applicare studuerunt Bekker in opere: Die bezauberte Welt, et Farmer in: Versuch über die Dämonischen des N. T., quos alii secuti, cum illis contendunt, omnes, qui in libris novi Fœderis dæmoniaci vocantur, fuisse ægrotos, puta epilepticos, melancholicos, insanos, vel furentes; quare expressiones de dæmoniacis olim usitatas de solo modo exponunt, quo plerique priscis illis temporibus hos morbos explicabant, et denominabant. Ad stabiliendam suam sententiam provocant quoque ad experientiam medicorum. — His jure repugnant theologi et interpretes, imò et medici cordati antiquam Ecclesiæ doctrinam sequentes ob loca in novo Fœdere obvia, quæ sine violentiâ et secundùm sanas hermeneuticas regulas explicata indicant, dæmoniacos reverà à maligno spiritu fuisse agitatos. — Notatu dignissimum est, quod scribit Dr. J. Pareau in Antiquit. hebr. Traj. ad Rhenum 1823, p. 465: « Negari quidem non potest, sæpè à Judæis, cùm « recentiori ætate magnam dæmonibus vim in « homines tribuere assuevissent, morborum « nonnullorum causam quæsitam fuisse extra- « ordinariam, ubi nulla nisi ordinaria adesset. « Verumtamen salvâ Scriptorum sacrorum, « ipsiusque Jesu divinâ auctoritate nemo om- « nia loca, quæ de dæmoniacis agunt, ex istâ « opinione probabiliter exponat. »

Copiosiùs de hâc controversiâ egerunt Augustin. Calmet, Dissert. de obsident. Dæmonibus, Dan. Tobenz opp. omn. tom. XII, Dr. G. C. Storr. Dissert. de sensu histor. in opuscul. academ. vol. I. W. Fr. Gess Briefe über einige Theol. Zeit-Materien, besonders über den Accommodations-Grundsatz, W. T. Lang in Glatt et Süsskind Magazin für Dogmatik und Moral, Fasc. X, C. Fr. Eiferts Untersuchung, Fr. Leop. comes Stolberg in historiæ religionis Jesu Christi P. V. append. 3 Eschenbach script. medic. Bibl. Rostochii, Dr. H. A. Schott in programm., quo sententia recentiùs defensa de iis naturis, quæ in libris novi Fœderis δαιμονες audiunt, ab angelis lapsis, et Satana prorsùs distinguendis, examinatur. Ienæ 1821, etc.

Cæterùm cùm in hâc controversiâ sæpiùs necessario provocetur ad accommodationem, quâ Jesus et Apostoli usi sint, non incongruum putamus breviter præcipere.

§ 194. *De accommodatione Jesu et Apostolorum.* — Ex lectione Evangeliorum resultat, Christum, cùm populum instrueret, se in multis hominum captui, locorum ac temporum adjunctis accommodâsse; atque in hoc quàm maximè elucet divina ejus sapientia, et paternus affectus in homines. Hinc sermone usus est plano, et populari, et parabolico, quo

Orientales valdè delectantur. Neque omnia omnibus passim, et sine discrimine tradidit, sed ad hominum captum et indolem ita doctrinam attemperavit, ut mox clariùs, mox obscuriùs eam proponeret, et primò quidem faciliora et notiora. Magistri exemplum secuti sunt discipuli, ut eorum acta et scripta testantur. Si igitur sub accommodatione nihil aliud intelligitur, hoc omni errore, et periculo caret. Ast si statuitur, Christum, et Apostolos ad erroneas suæ ætatis sententias religiosas vulgares se accommodâsse, easque nullo modo impugnâsse, hoc falsum, imò impium est. Falsum est, Christum quidquam dixisse, aut egisse, quo erroris patrocinium suscepisse, et Judæos in erroneis, quibus imbuti erant, doctrinis confirmâsse videretur; è contrà tum factis, tum verbis gentis suæ præjudicia impugnavit, et ubicumque se occasio offerebat, testimonium perhibuit veritati, conf. Matth. 21, 33, 45; 23, 2, seqq. Joan. 2, 14, 16; 8, 34, seqq. Idem de Apostolis multis locis ex eorum scriptis confirmari potest.

Insuper ab impietatis notâ sententia haud purgari potest; nam cum Christi charactere divino conciliationem non admittit; nihil sibi in ejus doctrinâ, totâque agendi ratione cohæreret, ubique contradictio, et simulatio, veritatis pollicitatio, et falsitatis confirmatio. Accedit, quòd Judæis nullum jam medium remansisset exuendi erroris, quem vidissent tanti Magistri auctoritate, atque tot signis confirmatum. Tandem hâc methodo quivis sine difficultate omne positivum et supernaturale ex Christi doctrinâ expungere potest, quamprimùm cum suis opinionibus non cohæret.

§ 195. *Num dæmoniaci tantùm fuerunt ægroti?* — Dæmoniacos insanos, melancholicos, etc., fuisse, varii variis argumentis stabilire conantur. Præcipua sunt: I. Ævo Christi et Apostolorum Judæi et æquè ac gentiles graves morbos dæmonibus adscribebant, hincque eis afflictos à dæmonibus vexatos, vel obsessos credebant, illosque dæmoniacos appellabant. II. Δαιμονες et δαιμονια sunt animæ defunctorum ex sententiâ gentilium imò et Judæorum, consentientibus antiquis Ecclesiæ Patribus; dæmoniaci igitur erant ægroti, qui ab his animabus vexari putabantur. III. Hypocrates, aliique medici antiqui dæmoniacos habuerunt pro ægrotis naturalibus, præcipuè insanis, epilepticis; ipsisque remedia naturalia præscripserunt. IV. Jesus et Apostoli de dæmoniacis juxta usum loquendi tunc in Palæstinâ vigentem expressionibus vulgaribus utebantur, ut à populo intelligerentur, neque prolixis disputationibus implicarentur. V. Jesus et Apostoli eradicare maluerunt perniciosos errores, quàm populare et inveteratum e dæmonologiâ Chaldæorum adoptatum præjudicium de dæmoniacis; quare se illi accommodârunt. VI. Miracula, quæ Christus sanando ægrotos, dæmoniacos dictos, patravit, nihil in hâc hypothesi de suâ magnitudine perdunt. VII. Dæmoniaci in novo Fœdere leguntur sanati, et à dæmone seu spiritu immundo curati; igitur non à dæmone obsessi, sed naturali morbo affecti erant. VIII. Ex 2 Petri 2, 4, constat, spiritus malos ad judicium asservari; quocum eorum adventus in terram, ut homines torqueant, conciliari non potest.

§ 196. *Crisis sententiæ dæmoniacos tantùm ægrotos fuisse.* — Ad hæc argumenta respondemus, et quidem ad I: Judæi et gentiles graviores morbos dæmonibus attribuerint, inde haud sequitur, nullos à dæmone fuisse correptos. Verba Evangelistarum, agendi et loquendi ratio Christi et Apostolorum cum dæmoniacis verè obsessos indicant. — Ad II: Defunctorum animas à Gentibus dæmonum nomine appellari, et incommoda dæmoniacorum pro eorumdem effectu habita fuisse facilè largimur. Neque etiam inficiamur à christianis et judaicis scriptoribus externarum doctrinarum studiosis de animabus defunctorum cogitatum fuisse. Illud verò asserimus, de communi Judæorum Christi coævorum sententiâ, dæmoniaci mali causam in pravorum angelorum efficientiâ quærendam quumque græcè locuturi, vocabulo, in simili causâ à græcis jam recepto, uterentur, judaicam ei notionem tributam fuisse, ut ex ipsis quoque novi Fœderis libris liquet; nam dæmoniorum principem eumdem etiam diabolum, sive malorum Angelorum principem existimârunt, quod ex Matth. 12, 24. coll. v. 36, Luc. 11, 15, coll. v. 18, intelligi potest. Luculenta enim res est, dæmoniorum principem eum esse, quem Christus Matth. 22, 26., τον σαταναν appellat, quemque τον σαταναν ejicere posse negat. — Loca PP. e. g. Athenagoræ Apol. p. 28. Clementis Alex. Strom. 6. p. 775, edit. Potter. Minutii Fel. in Octav. c. 26, 28. Athanasii op. de Incarnat. Eusebii Hist. Eccl. V. 16. Lactantii Divin. Instit. IV, 27. Augustini Gen. ad litt. XII, 17. Theodoreti, in Ps. 90, 6. Cæsarii, quæst. 112, etc., quæ adduci solent, longè abest, ut dicta sint classica, ex quibus pateat, eos dæmonia, et dæmones pro animabus defunctorum habuisse, ut cuivis in-

spicienti palam est. Unicus locus ex Justini apolog. I, p. 54 edit. Maur. alicujus est momenti, dicit enim : *Qui ab animabus mortuorum correpti projiciuntur, quos dæmoniacos et furiosos omnes appellant.* — Ast Justinus hoc loco suadente contextâ oratione non videtur Christianorum, sed gentilium sententiam proferre; sed esto, tamen in aliis apologiarum locis ita de dæmonibus loquitur, ut in mente lectorum suspicio haud oriri possit, cum putâsse dæmones esse animas defunctorum ; imò Tatianus discipulus S. Justini, disertè contrarium asserit orat. ad Græc. num. 16 inter opera S. Justini edit. Maur. : « Dæmones autem, qui hominibus imperant, non sunt hominum « animæ...... Ipsi etiam interdùm habitum « corporis nostri concutiunt, sed verbo virtutis « Dei perculsi discedunt exterriti, et æger sanatur. » Ad III : Verum est, Hypocratem in libro *de morbo sacro* refutare sententiam de morbis, ut plurimùm insania, epilepsia à diis, præcipuâ ab Apolline et Dianâ immissis ; sed si conferuntur ea, quæ de morbis sacris gentilium scimus, cum iis, quæ ex libris novi Fœderis de dæmoniacis discimus, gravissima resultat differentia, ita ut nullo modo idem phænomenon dici possit. Præterea ne hoc quidem exploratum est, dæmoniacos, in novo Fœdere commemoratos, insanos aut epilepticos omnes fuisse. Nulla certè talis morbi indicia apparent in dæmoniacis, de quibus Matth. 9, 32 ; 12, 22. Luc. 13, 11 ; 13, 16, sermo est. Quod verum asseri potest, est, non omnes, quos vulgus dæmoniacos habuit, tales fuisse ; non verò omnes dæmoniacos solummodò fuisse ægrotos. — Ad IV : Si dæmoniaci tantùm ægroti erant, e. g., insani, epileptici, an necessarium erat, ut Evangelistæ referentes Jesum tales ægrotos sanâsse, eos dæmoniacos vocarent, ut à coævis intelligerentur, neque prolixis implicarentur disputationibus? Finis ob quem Evangelistæ narrârunt miracula Christi, ad quæ sanationes ægrotorum quoque pertinent, fuit demonstrare, eum esse Messiam ; num hunc assequi non poterant, si morbos, quos Jesus uno verbo sanavit, juxta eorum symptomata et effectus denominarent, et omitterent notare causam, ex quâ juxta sententiam popularem, ut prætenditur, aliqui horum morborum derivandi essent? Insuper iidem Evangelistæ narrant Jesum non tantùm dæmoniacos sanâsse, sed ita sanâsse, ut dæmonia ab iis discedere juberet, Luc. 4, 34, 35 ; 9, 42, 43, etc., quo declaravit causam m rbi esse dæmonem, sicut sanando socrum Petri Luc. 4, 39, imperans febri, ut dimittat illam, febrim morbum ejus fuisse notavit. E contra sanans lunaticos, quorum morbus lunæ influxu à vulgo tribuebatur, non imperavit lunæ, ut ab iis discederet, quia sic sententiam erroneam et superstitioni obnoxiam confirmâsset. Ex his simul apparet, temerè sumi, morbum ipsum δαιμονιον vocatum fuisse, ideòque mandatum : *exi ex eo*, non plus valere, nisi hoc, dæmonii efficientiæ tributum morbum discedere jussum esse. Certè ex eo, quòd δαιμονιζομενοι erant ægroti, quod solùm probari potest, nequaquàm sequitur, etiam morbum dici potuisse δαιμονιον, nisi etiam luna morbus est, quia lunatici Matth. 4, 24, sunt in ægrotorum numero. — Ad V : Duo in hoc argumento supponuntur 1 Judæos plurimâ ex dæmonologiâ Chaldæorum in rem suam convertisse, et 2° sententiam de obsessionibus fuisse innocuum præjudicium, ex quo spontè sequatur Jesum, et Apostolos se ei accommodare probè potuisse. Ast primùm quod attinet, ob aliquam aut veram aut fictam similitudinem inter sèntentias Chaldæorum et Judæorum hoc sine solido argumento historico sumitur ; sed ponamus, rem sic se habere ; de Jesu dici nullo modo potest, eum aut Chaldæorum, aut aliam quamcumque superstitionem repetiisse, ut cuivis evangelicam historiam legenti palam est. Altera assertio, sententiam Judæorum de obsessionibus, si falsa fuisset, innocuum præjudicium fuisse, nemini probabitur, qui non ignorat, aut ignorare vult, nexum hujus et similium sententiarum intimum cum doctrinâ religionis, quibus si veritate destitutæ sunt, latissimus campus superstitionis seminandæ, plantandæ, atque multiplicandæ aperitur. Tali igitur errori Christus et Apostoli non tantùm non contradixerunt, ut sumitur, sed, ut Evangelia, et Actus Apostolorum produnt, positivè eum confirmârunt, quod Dei Filio, et legatis divinis indignum esset. Suspicionem quoque incurrissent, quòd hominum credulitate ad sua compendia uterentur. — Ad VI : Dubio procul morbum verbo pellere, dignissimum Deo miraculum est ; ast ejicere dæmones majoris oppidò est momenti, quia Jesus eo demonstravit, se non tantùm miraculo sanare infirmitates corporis, sed se quoque victorem esse potestatis adversariæ invisibilis. Accedit, Jesum, si in tali casu non verè dæmonem ejecisset, sed tantùm morbum naturalem curâsset usurpando consuetas formulas, quæ morbos aliquos malis angelis adscribebant, contra

sinceritatem egisse, errorem superstitionem maximoperè promoventem patratis etiam miraculis probâsse, et sic studio animos hominum hoc errore imbutos confirmâsse, quod de Jesu Deo et homine cogitare impium est, conf. supra, § 194. Ad VII : Cur à dæmone liberati, non item sicut naturali modo ægroti, sanati, curati dici possint, non facilè perspicitur, cùm de omnibus dæmoniacis ex historiâ evangelicâ pateat eos aliquo quoque malo corporali affectos fuisse. Hinc facilè etiam explicabis, cur aliquoties inter recensitos ægrotos à Christo sanatos, dæmoniaci non comparent ; utique quoniam sub ægrotis jam erant comprehensi. — Ad VIII : Ex hoc non spontè et legitimè sequitur, eos hominibus nunquàm nocere posse, sed tantùm, id sine speciali Dei permissione non fieri.

Cæterum non præter rem facere putamus, si iis, qui obsessiones negant, ideòque putant Jesum et Apostolos se tantùm ad erroneas opiniones coævorum suorum accommodâsse, expendendum commendamus, quod Dr. G. C. Storr in dissert. de sensu histor. § 22 (p. 78, vol. 1 opusc. academ.) scripsit : « Nimis crebrò « falsa et ridicula numeramus, quæ tamen re- « bus omnibus certiori judicio ponderatis, vel « hoc solùm nomine improbare consuevimus, « quod, vera esse, nostro usu non didicimus, « vel aliis de causis negamus, quæ accuratiùs « exploratæ, precariæ ipsæ sunt ; vel denique « totum facilè rejicimus, quod non tam ipsum « ex toto falsum esse intelleximus, quàm cum « ejusmodi adjunctionibus vulgò credi vidi- « mus, quas falsitatis arguere quidem facilè « possimus, sed quarum nihil in Scripturis « traditur. Veluti non hoc quæritur, an multi « tum à recentioribus Christianis, tum à vete- « ribus vel Judæis vel gentilibus pro dæmo- « niacis falsò habiti sint, sed hoc unum « quæritur, an ii propriè, quos Christus et « Apostoli dæmoniacos declarârunt, verè tales « fuerint. Neque hoc disputatur, an mali spi- « ritus omni tempore, et an ipsa quoque Chri- « sti et Apostolorum ætate suo arbitratu in « certorum hominum corpora agere potue- « rint, sed in hoc inquirendum est, quibus « tandem rationibus liquidò probari possit, « vel omninò non existere posse alias, nisi « hominum, mentes, casve, quamvis liberas, « non potuisse contaminari vitiis, et homi- « num quoque odio ; vel à mentibus, quarum « natura à nostrâ valdè differat, nobisque uni- « versè incognita sit, nihil unquàm effici « posse, cujus rationem modumque nos ex- « plicare nequeamus ; vel valetudinis homi- « num, quæ tot aliis ignotis et inevitabilibus « morborum causis omni tempore patet, « etiam graviter infestandæ licentiam certo « tempore et concilio permitti iis potuisse à « Deo, uno rerum omnium potentissimo, et « sapientissimo moderatore. »

§ 197. *Dæmoniaci à dæmonibus obsessi erant.* — Præmissis præcipuis adversariorum argumentis, iisque perpensis, progredimur ad breviter proponenda argumenta, quibus evincitur dæmoniacos verè à dæmonibus correptos fuisse. Præcipua sunt ; I. Jesus sæpiùs ejectionem dæmonum ceu argumentum potentiæ suæ divinæ, quâ inimici potentia profligata est, proponit, Matth. 12, 25, seqq. Luc. 11, 17, seqq. conf. Luc. 10, 17, 18. Eodem modo loquuntur Apostoli, conf. Act. Apost. 10, 38, 16, 16, seqq. : et quidem post acceptum illum Spiritum veritatis, qui eos doceret omnem veritatem, Joann. 16, 13. Omnem fidem superat, Jesum, qui et præjudicia Pharisæorum à plebe adeò æstimatorum publicè impugnavit, in colloquiis cum suis discipulis idem præstans, rectè sententiam Judæis eo tempore probatam de diabolo, ejusque in homines operationibus apparenter suam fecisse, conf. Matth. 17, 18, seqq. Luc. 8, 9, seqq. 10, 17, 20. Imò, cùm opportunissima esset occasio, tantùm abest ab impugnatione judaicæ opinionis de vi Satanæ in hominum ab ipso sanatorum corpora, ut propterea potiùs ejusmodi ægrotos curare se posse affirmet, quòd divinâ ipse virtute polleat ; quid enim contra turpissimam Matth. 12, 24, seqq. Marc. 3, 22, seqq. Luc. 11, 15, ipsisque auditoribus periculosissimam (Marc. 3, 29, 30) criminationem plus valuisset, quàm judaici illius erroris aperta reprehensio ? Nam si morbos efficere dæmonia non poterant, nec principis eorum auctoritas liberare ab his incommodis valebat. — III. Nunquàm liberatis à dæmonio Christus vel levissimè innuit, dæmones non esse causam mali, quod sufferebant; falsò igitur à dæmonibus derivari. Ex hoc rectè concludimus, Christum sententiam Judæorum probâsse. IV. Jesus inquit, Matth. 12, 43, 45 ; Luc. 11, 24, 26, immundum spiritum ab homine egressum, ambulare per loca deserta, et quærere requiem, quâ non inventâ, cogitare de reditu ad habitationem suam, atque reducem invenire eam mundatam et ornatam, et assumptis septem aliis spiritibus, qui nequiores sunt ipso, ingredi, et ibi habitare. Quis

hæc de morbis dicat, aut intelligat? — V. Dæmoniaci novi Fœderis aliqua produnt, quæ ab epilepticis, melancholicis, insanis et furentibus aliena sunt, uti Matth. 8, 28, seqq. Marc. 5, 3, seqq. Luc. 8, 27, seqq. sciunt, quæ à se ipsis scire non poterant, Jesum esse filium Dei, Messiam. Jesus dæmones alloquitur, de nomine eorum interrogat, et dæmones respondent. Marc. 1, 24; 5, 8; 9, 9; 12, 25. Matth. 8, 29, 31. Luc. 4, 35, etc., Jesus dæmonibus minatur, eos silere, egredi, et non rursùs reverti jubet. Luc. 8, 31, 32, dæmones ex illis duobus dæmoniacis in regione Gadarenorum (Gerasenorum) exeunt, et in porcos ingrediuntur; furor verò, seu phrenesis non egreditur ex hominibus, et ingreditur in porcos; neque dici potest, gregem porcorum ab aggredientibus dæmoniacis ipsis, in mare actum fuisse, quia porci per furentes terrefacti dispersi fuissent, nec congregati cucurrissent, multò minus omnes, ferè 2000, in lacum Gennesareth se præcipitâssent. Accedit, secundùm relationem Matthæi, Marci et Lucæ dæmoniacos jam fuisse liberatos, antequàm mali quid grex porcorum pateretur. Nam Matth. 8, 32, dicitur: Οί δε εξελθοντες, quod relativum habet ad dicta v. 31: Ει εκβαλλεις ήμας, Marc. 5, 13: Καὶ εξελθοντα τα πνευματα τα ακαθαρτα, etc., et Luc. 8, 33: Εξελθοντα δε τα δαιμονια ἀπο του ανθρωπου, in oppositione ingressus in porcos. Hanc horum locorum interpretationem veram esse, patet ex usu formulæ, εξηλθε το δαιμονιον, quæ constanter omnimodam liberationem notat. VI. Patres Ecclesiæ antiqui et recentiores omnes eam tenent sententiam, homines, qui in libris novi Fœderis dæmoniaci dicuntur, verè à dæmonibus fuisse correptos. Extat igitur inde à temporibus Apostolorum continua series testium, quomodò loca de dæmoniacis fuerint explicata, et intellecta in Ecclesià. Egregiè igitur se commendat, quod dicit W. J. Lang l. c. p. 202, Christianos Apostolis coævos et succedentes, ducibus iisdem Apostolis, credidisse, dæmoniacos, vere à dæmonibus fuisse correptos.

CAPUT XIII.

DE MORTE, SEPULTURA ET LUCTU.

§ 198. *De morte.* — Hebræi vitam spectabant tanquàm iter vel peregrinationem per hunc mundum, et mortem tanquàm exceptionem in hospitio apud parentes et majores defunctos, Gen. 25, 8; 35, 29; 37, 35. Isa. 47, 1; 9, 49; Ps. 39, 13, conf. Hebr. 11, 13, 15. Eccl. 12, 7. Hospitium apud Deum Agg. 2, 23, et Eccl. 12, 9, occurrit. Hinc de morte usitatæ erant phrases: *Excipi apud populos suos*, Num. 20, 25, 26. Deut. 32, 50; *Venire ad patres suos*, Gen. 15, 15, à quo sepultura, Gen. 15, 15; 25, 8, 9; 35, 29; 37, 35; 49, 29. Jer. 8, 2; 25, 33, diserte distinguitur, unde rectè demonstratur notionem immortalitatis animæ apud Hebræos longè ante captivitatem viguisse; dicebatur porrò, uti nunc ab Arabibus, *ire*, *abire*, πορευεσθαι, βαδιξειν, απολυεσθαι, αναλυειν, Tob. 3, 6, 13. Joann. 7, 33; 8, 21; 16, 16, 17. 2 Cor. 5, 6, 9. Philipp. 1, 3. 2 Tim. 4, 6, 13. Luc. 2, 29; 22, 2, conf. vers. Alex. Gen. 15, 2, 15, et Num. 20, 26. In libris recentioribus usurpantur phrases: *Dormire, vel cubare apud patres*, seu *majores suos*, 2 Sam. 7, 12. 1 Reg. 11, 21. Aliàs dicitur quoque *exspirare*, aut, ut Gen. 42, 13: *non est*, Vulg.: *Non est super.* — Haudquaquàm autem perpetuò mortem adeò amicam intuebantur, sed persæpè etiam terribilem inimicum exhorrescebant, quem repræsentabant venatorem, stimulo seu jaculo, κεντρον, retibus et laqueis armatum, quibus homines captos interficiat, 2 Sam. 22, 6. Ps. 18, 6, 7, 176, 3. 1 Cor. 15, 55, 56. Poetæ mortem finxerunt regem terribilem orci, dederuntque ei palatium subterraneum, in quo omnibus defunctis, regibus, heroibus et militibus dominetur. De fluviis quoque orci mentio fit Ps. 18, 5. — Recentiores Hebræi, litteræ justo arctius inhærentes, et hæc ad verbum interpretantes, angelum aliquem mortis commenti sunt. Hunc putabant accusatorem hominum apud Deum, à quo mortem eorum postulet, et demùm ægrotis appareat, et guttam veneni instillet, quâ degustatâ moriantur. Hinc descendunt phrases: *Mortem gustare, calicem mortis bibere,* quæ Syris quoque et Arabibus et Persis usitatæ sunt. Conf. Calmet, dissert. ad Isai. 37 36.

§ 199. *Compositio cadaveris.* — Mortuo oculos claudebant filii vel amici, Gen. 46, 4. Tob. 14, 14. Cadaver lavabatur, Act. 9, 37, et porrò ad sepulturam præparabatur, atque nisi mox sepultum fuerit, in cœnaculum ὑπερωον, deponebatur, 2 Reg. 4, 27. Act. 9, 39. Compositio cadaveris non omni ævo eadem fuit, et pro diversitate quoque gentium variabat. — Ægyptii cadaver, pro ratione divitiarum, triplici modo condiebant, quorum primus in funeribus Jacobi et Josephi obtinuit, et ultra 2000 fl. requirebat. Gen. 50, 2, 24. Herodotus II, 86, 88, refert, sacerdotem quempiam

medicum designâsse in latere defuncti sinistro infra costas locum, qui secandus esset, atque alium secuisse, et mox summâ celeritate aufugisse, atque, ut profanatorem funeris, ab omnibus præsentibus fuisse lapidibus impetitum. Demùm reliqui sacerdotes medici, exemptis intestinis, corpus aquâ lavabant, vino dactylorum perluebant, atque mumiâ seu bitumine, myrrhâ, casiâ et nitro condiebant. Cerebrum ferro adunco per nasum eximebatur, et cranium mox dictis aromatibus complebatur. Demùm totum corpus pollingebatur, sindone involvebatur, quodlibet autem membrum sigillatim longissimis fasciis illigabatur. Hæc conditio cadaveris 30 vel 40 diebus absolvebatur, Gen. 50, 2. Alii duo condiendi modi qui paucis perficiebantur, ad nos non pertinent. Conditum cadaver in loculum seu cistam, ex lignis sycomori paratam, quæ exteriùs ferè formam hominis referebat, imponebatur, et nonnunquàm per secula supra terram, domi suæ, erectæ et parieti acclinatum, asservabatur, Exod. 13, 19, conf. Gen. 50, 24, 25. Jos. 24, 32. — Hebræi recentiores cadaver in sindonem, et caput in sudarium involvebant, et multis fasciis ligabant, Joann. 11, 44. Hæc omnia vocabantur ὀθόνια. Imponebant quoque aromata, præsertim myrrham et aloe seu xylaloe, quod ex Arabia advehebatur. Hoc dicebatur ἐνταφιάζειν, et à propinquis et amicis peragebatur, Matth. 16, 1; 26, 6, 14; 27, 15, 59. Joan. 19, 39, 40; 20, 7; 11, 44. Marc. 14, 8. Act. 9, 37. Antiquiores Hebræi eadem quidem observâsse videntur, testimoniis tamen comprobari nequit.

§ 200. *De funere.* — Etsi funera diversis gentibus fuerunt diversissima, omnibus tamen ignominiosum erat, funere consueto privari, aut à canibus, avibus et feris devorari; hinc heroes adversariis in prælio hoc dedecus minabantur, et ipsi quoque prophetæ clades repræsentant tanquàm convivia, quæ Deus avibus et feris de cadaveribus hominum occisorum præparet, 1 Sam. 17, 44, 46. 31, 8, 13. 2 Sam. 4, 12; 21, 9, 10. 1 Reg. 14, 11, 14. Jer. 7, 33; 8, 2; 16, 4; 34, 20. Ezech. 29, 5; 32, 4; 39, 17, 20. Ps. 63, 11; 79, 2, 3. Isa. 14, 19; 21, 18, etc. — Patriarchæ mortuos, aliquot post mortem diebus, sepeliebant Gen. 23, 2, 4; 25, 9; 35, 29. Posteri eorum in Ægypto, sepulturam diutiùs distulisse videntur. Hinc lex Mosaica immunditiem, per cadavera contractam, usque ad septem dies extendit, ut hoc incommodo ad celeriorem humationem cogeret. Ast posteriori ævo, exemplo Persarum inducti, mortuos mox post obitum humabant, Act. 5, 6, 10. Funus Tabithæ, Act. 9, 37, dilatum fuit, quia Petrus accersebatur. — Funus et ipsam etiam depositionem in sepulcrum, curabant filii, propinqui et amici, aut servi, Gen. 25, 19; 25, 9; 35, 29; 48, 7. Num. 20, 28. 1 Reg. 13, 30. 2 Reg. 23, 30. 1 Mach. 2, 70. Tob. 14, 16. Marc. 6, 29. Matth. 27, 59, 60. Loculus seu cista, exceptâ Ægypto et Babylone, usitata non erat, sed cadaver sindone involutum et fasciis ligatum, feretro, Deut. 3, 11, imponebatur, et à quatuor aut sex propinquis ad sepulcrum portabatur, qui ætate Christi, ut nunc Judæi portitores funeris, properâsse videntur, Luc. 7, 14. Lugentes feretrum comitabantur cum lessu, ad quem solemniorem reddendum conductæ erant præficæ et musici, Gen. 50, 7, 11. 2 Sam. 3, 31, 32. Amos 5, 16. Matth. 9, 23; 11, 17. Magnates, qui rebus benè gestis favorem populi meruerant, quàm plurimorum comitatu honorabantur, Gen. 50, 7, 14. 1 Sam. 25, 1. 2 Paral. 32, 33. 1 Reg. 14, 13.

§ 201. *Situs sepulcrorum.* — Sepulcra extra urbes, oppida et pagos sita erant, Isa. 14, 18, Eccl. 12, 5. Luc. 7, 12. Joan. 11, 32. Matth. 8, 28. Id quidem lex Mosaica de immunditie, requirebat, apud alias tamen gentes non minùs usitatum erat, et adhucdùm in Oriente observatur, ubi nonnisi regibus et aliis personis benè meritis sepulcrum in urbe conceditur; conf. 1 Sam. 28, 3. 2 Reg. 21, 18. 2 Paral. 16, 14; 24, 16. Regum Hebræorum sepulcra erant in monte Sion, 2 Paral. 21, 20; 24, 25; 28, 27. 2 Reg. 14, 20. Alioquin Hebræi sepulcra sub arboribus frondosis et in hortis adamabant, Gen. 23, 17; 35, 8. 1 Sam. 31, 13. 2 Reg. 21, 18, 26, 23, 16. Joan. 19, 41. Quùm ejusmodi loca non essent communia, etiam sepulcra ferè omnia familiis certis propria erant, Gen. 23, 4, 20; 50, 13. Jud. 8, 30; 16, 31. 2 Sam. 2, 32. Occurrunt tamen quæpiam communia, 2 Reg. 23, 6. Jer. 26, 23, aut certo generi hominum destinata, Matth. 27, 7. Humatio in sepulcro paterno singularis honos; eo autem excludi, ignominiosum reputabatur; hinc corpora hostium jam tradebantur familiæ, jam, etiam petita, denegabantur, Gen. 49, 29; 50, 13, 25. Jud. 8, 30; 13, 2; 16, 21, 31. 2 Sam. 2, 13; 22, 12; 21, 19; 37, 38. 2 Reg. 9, 28. Jer. 26, 23. Hic honor quoque leprosis negabatur, 2 Paral. 26, 23. Exosi quoque reges sepulturâ regiâ privabantur, 2 Paral. 21, 20; 24, 25; 28, 27. Hinc aliàs annotari solet, defunctum

ultimos honores et locum in sepulcro paterno obtinuisse, 1 Reg. 11, 43; 14, 31; 15, 8, etc. Summum dedecus erat, sepultura asini, i. e., sine luctu clandestina, Jer. 22, 16, 19; 36, 30.

§ 202. *Sepulcra.* — Plebs mortuos dubio procul in terram defodiebat, quod nunc in Oriente generatim obtinet; at potentiores habebant specus seu cryptas subterraneas, quæ jam dicuntur מערה, jam שוחה, שיחה, בור, jam communi nomine sepulcrorum קברים, קבר, ταφος, μνημειον, Gen. 23. Ps. 28, 30. Matth. 23, 27, 29; 27, 52, 53. Occurrit tamen Ps. 141, 7, etiam nomen שאול. Hæ specus partim jam aderant, partim recenter effossæ, aut saxis excisæ erant, Gen. 23, 2, seqq. Jos. 10 27. Isa. 22, 16. 2 Reg. 13, 21. Joan. 11, 38; 19, 41. Matth. 27, 52, 60. Talia sepulcra in Syriâ, Palæstinâ et Ægypto quàm plurima supersunt, quorum pulcherrima sunt ad plagam septentrionalem Jerosolymæ, dicta regia, opus fortè Helenæ reginæ Assyriæ, aut Herodum. Joseph. de B. J. V, 4, 2, p. 843. In hæc sepulcra per gradus descenditur, et pleraque constant duobus, aliqua tribus imò et septem cubiculis. In parietibus foramina excavata sunt, in quæ cadavera immittebantur, sæpè autem nonnisi humi deposita fuisse videntur. Cubilia postremâ sæpè sunt profundiora, in quæ rursùs per gradus descenditur, 2 Paral. 32, 33. Ps. 88, 7. Isa. 14, 15. Janua foribus lapideis, vel grandi lapide acclinato claudebatur, Ps. 5, 10. Joan. 11, 38; 20, 5, 11. Matth. 28, 2. Marc. 16, 3, 4. Hæ fores, et etiam superficies sepulcrorum, nisi aliunde facilè agnoscerentur, quotannis mense ultimo seu adar dealbabantur, ne proficiscentes ad festum paschatis Jerosolymam, accederent et contaminarentur, Matth. 23, 27. Luc. 11, 44. In Ægypto supersunt rudera magnificentissimorum sepulcrorum, unde desumpta sunt, quæ Job 3, 14; 17, 2, leguntur.

§ 203. *Mortuis in sepulcro adjecta.* — Plures antiquæ gentes mortuis sepeliendis aurum, argentum, vel alias res pretiosas addebant; ast Hebræi hæc, quæ mortuis nihil prosunt, pro vivis, quibus utilia sunt, retinebant, et mortuis non committebant nisi fortè arma, quibus in vitâ usi erant, Ezech. 32, 27, et regibus insignia regia, quæ Herodes, aperto sepulcro Davidis, invenit. Si Joan. Hyrcanus, ut Josephus Arch. XVI, 1, 11, de B. J. 2, narrat, thesaurum in sepulcro Davidis reperit, profectò non erat nisi thesaurus templi, qui ætate Antiochi Epiphanis, in hunc locum reconditus fuerit.

§ 204. *Monumenta sepulcralia.*—Monumenta sepulcralia, quæ מצבה, μνημειον, dicuntur, ab Abrahamo usque in ætatem Christi occurrunt, Gen. 19, 26; 35, 20. 2 Reg. 23, 16, 17, 1 Mach. 13, 25, 30. Matth. 23, 29. Arabes antiqui congerebant super sepulcrum acervum lapidum, Job 21, 22, qui autem Hebræis erat symbolum lapidationis et summæ ignominiæ, Jos. 7, 26; 8, 27, 29. 2 Sam. 18, 17. Progressu temporis seligebatur lapis unicus major, qui demùm quoque exscindebatur, et inscriptione ornabatur. Hi lapides sepulcrales sunt perantiqui, et in Oriente adhucdùm usitati. Ægyptii verò illos lapidum cumulos demùm in pyramides semper altiores, et tandem in altissimos quasi montes lapideos exstruxerunt. Alia antiqua monumenta, in formam magnarum columnarum vel minorum obeliscorum constructa, adhucdùm in Syriâ cernuntur. Nostro ævo Muhamedani super sepulcris eorum, quos sanctos venerantur, parvas ædiculas, quatuor columnis innixas, et fornice contectas, exstruunt, et magnates, qui favorem populi aucupantur, eas reparari curant, conf. Matth. 23, 19, Monumentum Machabæorum in Modeim, describitur 1 Mach. 13, 27, lapidibus quadris altè ædificatum; ante ipsum erant 7 pyramides, et in circuitu plures columnæ, quibus transversi grandes lapides incumbebant; delineatio alicujus partis cernitur in nummis, et ex his quæpiam similitudo cum monumentis Muhamedanorum, quos sanctos putant, elucet.

§ 205. *Combustio funeris.* — Combustio mortuorum, antiquis Hebræis summa erat ignominia, quæ nonnisi quibusdam, ultimo supplicio affectis, contigit, Gen. 38, 25. Num. 20, 14; 21, 9. Saül, à Philistæis in mœnibus Betschan suspensus, ab incolis Jabesch Gilead depositus, et concrematus fuit, ne porrò ignominiosè tractari posset, 1 Sam. 31, 12. Annis 140 autem post Saülem, honoris causâ, cum multis aromatibus combustum fuisse memoratur cadaver regis Asæ, quod tamen nequaquàm ut ritus aliquis novus narratur, ut omninò paulisper antiquior esse videatur. Abhinc combustio summæ amplitudini deputabatur, ut regibus dedecus esset, si non concremarentur 2 Paral. 16, 14; 21, 19, 29. Amos 6, 10. Isa. 30, 32, 35; 33, 12. Jer. 31, 14. 34, 5. Post exilium autem Judæi hunc ritum abominati sunt, ideòque Thalmudici adducta Scripturæ loca, interpretatione pervertunt, ac si duntaxat aromata incensa fuissent.

§ 206. *Luctus.* — Luctus Orientalium erat

vehemens, et quantùm ex collatione scriptorum antiquorum cum recentioribus itinerum historiis colligere licet, nunc maximâ ex parte adhucdùm idem est. Quamprimùm nempe aliquis moritur, sexus fœmininus familiæ, altâ voce tristem lessum, quamdiù pectus uno halitu suffert, insonat, et singultu intimo finit; post aliquod temporis spatium eumdem repetit, et ita continuat per octiduum, ut unoquoque die rarius et mitius sonet. Donec autem funus domo efferatur, sedent fœminæ propinquæ in cubiculo quopiam humi in orbem; uxor, aut filia, vel propinqua defuncti, centrum occupat, et quælibet strophium manu tenet. Adsunt et aderant olim præficæ, quæ laudes defuncti carmine lugubri canunt; facto autem à sedente in medio signo, subsistunt, et reliquæ surgentes, et strophia convolventes, discurrunt quasi furibundæ; sedens verò in medio, fixa manet cæsariem sibi evellens, et faciem, brachia et pectus unguibus dilanians, conf. Gen. 50, 3. Num. 20, 29. Deut. 34, 8. 1 Sam. 31, 13. Eccl. 22, 13. Judith 16, 29. Addebantur olim etiam musici et cantores, Amos 5, 16. Jer. 9, 11; 19, 16; 48, 36. Matth. 9, 23. Luc. 7, 32. Hæ lamentationes, quæ inchoabant plerumque : *Hoi hoi frater!* vel, *hoi hoi soror!* vel, si defunctus erat rex : *Hoi hoi majestas!* 1 Reg. 13, 29, 30. 2 Paral. 35, 25. 2 Sam. 1, 17; 3, 33. Jer. 34, 5. Ezech. 5, 11. Viri quidem hodiedùm plerumque moderatiores sunt; non desunt tamen, nec defuerunt olim exempla majoris vehementiæ, 2 Sam. 1, 11, 12; 19, 4. Ezech. 4, 1, 6, 22. Mulieres post humationem quoque sepulcrum adibant, mortuum deploraturæ, Joan. 11, 31. — Signa luctûs erant multiplicia; præ ceteris autem usitata erat laceratio vestis interioris, vel exterioris, vel utriusque, antrorsùm à collo usque ad cingulum, prout adhuc in Persiâ moris est, Gen. 37, 34. Jud. 11, 35. 2 Sam. 1, 2; 3, 31; 13, 3, 2 Reg. 5, 7. 8; 6, 30; 14, 1. Hinc descendit nomen vestis lugubris שק, à verbo *scidit, laceravit.* Hebræi in luctu incedebant discalceati et aperto capite; mentum veste exteriori velabant, capillos et barbam sibi evellebant vel abscindebant, aut in ordinem redigere negligebant. Interdictum autem erat, Deut. 14, 1, 2, supercilia detondere. Intermittebant denique unctionem capitis, balnea et colloquia cum hominibus, et pulveres aut cineres in caput, vel versùs cœlum spargebant, vel cineribus incubabant, Job 1, 20; 2, 12. Levit. 10, 6; 13, 45; 21, 10. 2 Sam. 1, 2, 4; 14, 2; 13, 19; 15, 30; 19, 4. Isa. 3, 17; 15, 2, 3; 20, 12; 47, 4. Jer. 6, 26, etc. Manus complodebant, vel eas versùs cœlum jactabant, pectus vel femur percutiebant, pede supplodebant, 2 Sam. 13, 19. Jer. 3, 19; 31, 19. Ezech. 6, 11; 21, 12. Esth. 4, 1, 3. Faciem unguibus laniabant, etsi id Lev. 19, 28. Deut. 14, 1, 2, interdictum fuit, Jer. 16, 4, 6; 41, 5. Jejunabant, vino abstinebant, aut epulas evitabant, 2 Sam. 1, 11, 12; 3, 36, 37; 12, 16. Jer. 25, 34. Ad mortuos insigniores carmina lugubria seu lessus componebantur, 2 Sam. 3, 33; 11, 18. 2 Paral. 34, 25. — Post humationem propinqui, ut lugentes exhilararent, convivium instituebant, quod dicitur *panis dolorum* et *calix consolationis,* 2 Sam. 3, 35. Jer. 16, 4, 7. Os. 9, 4. Ezech. 24, 16, 17. Ætate Christi verò, teste Josepho, ipse lugens convivium instituebat.—Mortuos lugebant propinqui per octiduum, reges verò et alios insigniores totus populus luctu 30 plerumque dierum prosequebatur, Gen. 50, 4. 1 Sam. 25, 1. 1 Mach. 13, 26.

Luctus Græcorum, de quo Paulus 1 Thess. 4, 13, loquitur, ut plurimum cum luctu Orientalium conveniebat; erat tamen Paulò vehementior, cujus stultitia ridetur à Luciano *de luctu;* nam inter cætera defuncto exprobabant, quòd cum illis non manserit, et diis quoque imprecabantur et alia his similia.

§ 207. *Aliæ causæ luctûs.* — Signa luctûs non de mortuis edebantur, sed etiam de ingruentibus quibuscumque calamitatibus, uti de sterilitate, fame, incursione hostium, cladibus et depopulationibus, in quas prophetæ carmina lugubria in antecessum edebant. Ezech. 26, 1, 18; 27, 1, 36; 27, 30, seqq. 30, 2. seqq. 32, 2, 32. Amos 5, 1, seqq. Ita David fugitivus à rebelle filio, nudipes, יחף, et velato capite incedebat, quod exemplum omnes sequaces imitabantur, 2 Sam. 15, 30. conf. 1 Sam. 4, 12. Isa. 7, 6. 1 Reg. 21, 27. 2 Reg. 19, 1. Isa. 15, 2; 16, 2, 3; 22, 12; 61, 3. Joel 1, 12, 13. Mich. 2, 3, 5; 7, 16. Amos 5, 1, 2. Nahum 2, 7, etc. Inprimis laceratio vestis, auditâ blasphemiâ, consueta erat, quâ occasione ipse quoque summus sacerdos vestem lacerabat, 1 Mach. 11, 71. Matth. 26, 25; nam lex Lev. 10, 6, ipsi duntaxat de mortuo signa luctûs interdixit, quibus contaminatus fuisset. Dies quoque jejunii erant dies luctûs, uti aliàs jejunium luctui jungebatur, 1 Reg. 21, 17. Jon. 3, 5, 7. 1 Mach 3, 47. Quæcumque autem esset luctûs causa, nunquàm omnia illa signa, sed jam hæc, jam illa edebantur.

Pars ij.

DE ANTIQUITATIBUS POLITICIS.

CAPUT PRIMUM.

DE REPUBLICA HEBRÆORUM.

§ 208. *Imperium patriarchale.* — Quùm posteri Jacobi in Ægypto augerentur, conservârunt imperium patriarchale, quale nomadibus esse solet. Quilibet pater familias potestatem paternam exercebat in suos domesticos, quælibet tribus parebat principi suo, qui primitùs quidem erat primogenitus auctoris tribus; progressu verò temporis electus fuisse videtur. Aucto populo plures patres familias quempiam ex cognatis insigniorem, primatem elegerunt, vel tacito consensu suspexerunt, ejusque monitis parebant. Hujusmodi familiarum societates dicebantur בית אבות, et בית אב, etiam משפחה, Num. 3, 24; 30, 35, et אלפים, אלפ, *mille*, 1 Sam. 10, 19; 23, 23. Jud. 6, 15, etsi numerus fuit varius, Num. 26, 5, 50. Præfecti harum familiarum dicebantur ראשי בית אבות et אלפים, etiam ראשי אלפי ישראל, Num. 1, 16. 10, 4, et suberant principibus tribuum. Omnes hi primores populi veniunt communi nomine *senes*, seu *senatores*, et *capita tribuum*, atque regimine paterno juxta dictamen rationis, et juxta jus consuetudine introductum, gubernebant tribus et familias, bonum commune curantes; cætera enim patres familias sibi vindicabant. Quùm verò principes tribuum primum quidem genealogias quoque scriberent, et paulò post notarios sibi adsciscerent; hi progressu temporis tantam auctoritatem nacti sunt, ut et ipsi, sub nomine שוטרים, in partem regiminis venirent, Exod. 5, 14, 15, 19. Ab his magistratibus Hebræi in Ægypto regebantur, nec reges Ægypti hunc ordinem immutârunt, Exod. 5, 16; 5, 1, 14; 15, 19.

§ 209. *Lex fundamentalis reipublicæ hæbraicæ.* — Quùm posteri Abrahami, Isaaci et Jacobi, ad veram religionem conservandam destinati essent, Gen. 18, 16, 20, conf. Gen. 17, 9, 14; et 12, 3; 22, 18, 26; 28, 14, jam nunc numerosiores, inter gentes idololatriæ deditas degere non potuerunt, quin et ipsi omnes hâc lue inficerentur, sed singulari regione concludendi erant, quam, ut tanta copia hominum alimenta reperiret, non more nomadum pervagarentur, sed colerent, et ita ope aliarum gentium non indigerent. Hebræi quoque plures in Ægypto ad idololatriam inducti, pluribus miraculis ad agnitionem veri Dei reducendi, et omnes ad suscipienda ea, quæ porrò ad custodiam religionis disponerentur, permovendi erant (1). Atque ad id collineant omnia, quæ à lege Mosaicâ præcepta sunt. Lex itaque fundamentalis lata fuit, ut solus verus Deus creator et gubernator universi, coleretur, atque, ut id eò certiùs obtineretur, Deus se per Mosen Hebræis regem obtulit, et ab universo populo acceptatus est; hinc etiam Chanaan, ab Hebræis occupanda, declarata fuit regio regis Dei, cujus Hebræi non essent nisi coloni hæreditarii. — Deus, electus rex, ex nubibus in monte Sinai, sub perpetuis tonitribus et fulguribus, promulgavit fundamentales religiosæ civitatis leges, Exod. 20, quæ dein, territis Hebræis, ampliùs expositæ, et simul præmia obedientiæ, et pœnæ transgressionis annuntiatæ sunt; Hebræi autem obedientiam solemni jurejurando promiserunt, Exod. 21, 24, conf. Deut. 27, 30. Ut id perpetuò, quasi coram oculis Hebræorum versaretur, omnia ad Deum regem relata sunt, ut sacrum tentorium simul esset templum Dei et palatium regis; mensa cum panibus et vino, esset simul mensa regia (conf. Menochii de Republ. Hebr. L. 2, c. 9, quæst. 1); sacerdotes et levitæ essent ministri regii, qui non modò cultum divinum curare, sed etiam munera civilia obire tenerentur, et primam decimam, quam Hebræi coloni Deo regi pendebant, salarium reciperent; atque sic de cæteris, ut etiam minutiora aliquid ad hunc finem conferrent. — Quùm itaque Deus simul esset rex Hebræorum et Palæstinæ; idolatria cujuscumque incolæ, etiam peregrini in hâc regione, erat, præter summam impietatem, defectio à legitimo rege, et crimen perduellionis, et ultimo supplicio plectebatur. Quicumque ad idololatriam invitabat, erat eidem pœnæ obnoxius. Imò etiam incantatio, necromantia,

(1) Neque aliò spectare propiùs videntur, quotquot antea contigerunt, gestaque sunt à primâ ætate ad ea usque tempora, quibus ab Ægyptiacâ servitute Abrahami progenies, (Hebræi) erepta est, quàm ut legi Mosaicæ sensim veluti aperiretur aditus, et commodior aliquando via paulatim sterneretur. Nam cùm illud propositum haberet Deus, ut, aberrante à pristinâ vitæ innocentiâ, ac Patrum exemplis universo genere humano, ipsamque jam oblito naturæ vocem, in tantâ ac tam communi labe populum sibi veræ religionis custodem secerneret, hujusque mores restitueret ad veterem integritatem, paranda certè lex erat ad eam rem consentanea, suoque tempore promulganda.

et reliquæ artes idololatricæ seditionis criminibus accensitæ, et eidem supplicio subjectæ fuerunt. In his tantus, quantus alias in crimine perduellionis, rigor jubetur, ut etiam frater, filius, filia, uxor, vel intimus amicus ad idololatriam incitans, ad judicem deferendus esset, Deut. 13, 7, 12.

§ 210. *Hebræorum ratio ad alias gentes.* — Ne hebræi, undique gentibus idololatris circumdati, ad defectionem à Deo et rege suo, seducerentur, necessarium erat, ut à familiaritate horum populorum abstraherentur. Eò respiciunt leges de singularibus ritibus, qui aliis gentibus non erant usitati; nam Hebræi his semel imbuti, gentibus commisceri vix poterant, quia difficillimum erat, ea, quibus à juventute assueti erant, deserere et damnare. Ne autem hæc separatio in odium aliarum gentium degeneraret, lex sedulò inculcat, ut proximum, id est omnem hominem, quocum agendum habent, et peregrinos quoque ament, Exod. 22, 20; 23, 9. Lev. 19, 34. Deut. 10, 18, 19; 24, 17; 27, 19, quo fine docet, beneficia, quæ Deus ipsis præ aliis gentibus contulit, esse immerita, Deut. 7, 6, 8; 9, 4, 24. Quanquàm autem Hebræi singuli, per diversos ritus, ab ineundâ arctiori cum idololatris amicitiâ arcebantur; civitas tamen Hebræorum poterat cum civitatibus gentilium fœdera pangere, excepti solummodò erant : 1° Chanaanæi et Philistæi, qui nec ad fœdus admittendi, neque in servitutem recipiendi, sed internecino bello delendi, aut regione pellendi erant, non modò, quia regionem à Deo Patriarchis promissam tenebant, sed etiam, quia sublestæ fidei fuissent socii vel servi, et præterea idololatriæ addicti, Hebræos in eam, et hoc ipso, in crimen perduellionis, induxissent, Exod. 23, 32, 33; 34, 12, 16. Deut. 7, 1, 11; 20, 1, 18. Excepti tamen erant Phœnices, littora septentrionalia tenentes, qui, suis limitibus clausi, de terrâ Patriarchis promissâ nihil occupârunt. Hanc hostilitatem componi potuisse, legimus Jos. 11, 19, si nempe Chananæi solum vertere voluissent, quod permulti prætulerunt, confugientes ad Phœnices, à quibus in Africam deportati sunt, Procopius de Vandal. II, 10, p. 258. — 2° Amalecitæ, seu Chananæi in Arabiâ Petræâ, æquè internecione delendi, quia in itinere per Arabiam infirmos et defessos Hebræorum, adortisunt, et aliunde prædones, Palæstinæ ad meridiem contermini, Hebræis perpetuò molesti fuissent, quin ullâ ratione coerceri potuissent, Exod. 2, 17, 8, 14. Deut. 25, 17, conf. Jud. 6, 3, 5. 1. Sam. 15, 1, seqq. 27, 8, 9, 30. — 3° Moabitæ et Ammonitæ bello quidem non lacessendi, sed à fœderibus, et a jure civitatis hebraicæ in perpetuum exclusi erant, Deut. 2, 9, 19; 23, 7, quia Hebræis, quibus transitum in limitibus suis concesserunt, annonam, etiam soluto pretio, denegârunt, Deut. 2, 29; 23, 5; dein, quibusdam tribubus Madianitarum juncti, prophetam Bileam (Balaam), ut Hebræis malediceret, vocârunt, et demùm Hebræos ad idololatriam pellexerunt, Deut. 22, 2, 25; 23, 3, 8, conf. Deut. 2, 9, 19, 37. Hebræi quoque illis bellum non intulerunt, donec ab ipsis lacessiti fuissent, Jud. 3, 12, 30. 1 Sam. 14, 47. 2 Sam. 8, 2, seqq. 12, 26, seqq. Madianitas, qui cum Moabitis conspirârant, mox bello ultorio compescuerunt, Num. 25, 16, 17; 31, 1, 24. — Amorrhæis, qui olim regionem trans Jordanem, Moabitis et Ammonitis armis eripuerant, bellum decretum non fuit, neque enim quidquam de regione promissâ tenebant; ast reges eorum, Sichon et Og, Hebræis non modò transitum innoxium denegârunt, sed etiam cum exercitu occurrerunt, atque victi, et regione pulsi sunt, quæ Hebræis in prædam cessit, Num. 21, 21, 35; 32, 5. Deut. 1, 4; 2, 24, 37; 3, 1, 18; 4, 46, 49, conf. Jud. 11, 13, 23. — Cum omnibus aliis populis fœdera permissa erant; hinc David cum regibus Tyri et Hamath, atque Salomo cum regibus Tyri, Ægypti atque cum reginâ Saba amicitiam coluit, et ipsi quoque religiosi Machabæi cum Romanis fœdera pepigerunt. Prophetæ passim quidem carpunt fœdera cum gentibus, sed non, quia legi Mosis contraria erant, sed quia argumentum diffidentiæ in auxilium divinum, et civitati noxia erant, quod demùm eventus comprobavit, Isa. 7, conf. 2 Paral. 22, 20, 11. Isa. 36, 37. 2 Reg. 18, 19. Os. 5, 8; 7, 11; 12, 1, seqq. Isa. 30, 2, 12; 31, 1, 3. conf. 2 Reg. 17, 4, seqq.

§ 211. *Proceres civitatis hebraicæ.* — In hâc civitatis formâ manserunt pleraque, qualia priùs fuerant. Principibus tribuum, præfectis familiarum, et genealogis conservata est antiqua auctoritas, Num. 11, 16. Deut. 16, 18; 20, 5; 41, 28. Moses tamen, consilio soceri sui Jethro, Exod. 18, 13, 26, addidit judices, quorum alii erant 10, alii 50, alii 100, et alii 1000 virorum; hi plerique ex aliis proceribus, à populo electi fuerunt. Inferiores judices superioribus subordinati erant, ut causæ difficiliores ad superiores, et difficillimæ ad Mosen, post eum verò ad summum sacerdotum, vel ad re-

ctorem reipublicæ, si aderat, devolverentur. Judices, saltem superiores, Deut. 31, 28, conf. Jos. 8, 33; 23, 2; 14, 1, proceribus accensentur. Hi omnes proceres, demùm in Palæstinâ per urbes dispersi, senatum loci formabant, qui totam vicinam regebat, Deut. 25, 1, 8; 19, 12; 22, 13; 25, 8, 9. Jud. 8, 14; 9, 3, 46; 11, 5. 1 Sam. 8, 4; 16, 4. Congregati unius tribûs proceres, comitia tribûs, et congregati omnes, comitia generalia constituebant, et universum populum repræsentabant, Jud. 1, 1, 11; 11, 5; 20, 12, 24. Jos. 23, 1, 2; 24, 1. — His, Dei mandato additi sunt proceres hæreditarii et litterati, Levitæ, Exod. 32, 29. Num. 36, 13; 8, 5, 26, qui ministeriis religionis, civitatis et aulæ Dei regis, dicati fuerunt; et quia diversissima eorum officia erant admodùm gravia; magna quoque commoda percipiebant, quæ quidem eis creaverunt invidiam; verùm tumultus, auctoribus Core, Dathan et Abirom ortus, singulari divino supplicio suppressus, et designatio tribûs Levi, insigni miraculo confirmata fuit, Num. 16, 1, 17.

§ 212. *Nexus tribuum.* — Quælibet tribus à suis proceribus gubernabatur; itaque singularem, à cæteris tribubus independentem civitatem constituebat, Jud. 20, 11, 46. 2 Sam. 2, 4. Jud. 1, 21, 27, 33. Si causa quæpiam ad plures tribus spectabat, ab ipsis conjunctis tractabatur, Jud. 11, 1, 11. 1 Paral. 5, 10, 18,19. 2 Sam. 3, 17. 1 Reg. 12, 1, 24; aut si quæpiam tribus negotio se imparem sensit, cum aliâ tribu aut cum pluribus tribubus in societatem coibat, Jud. 1, 1, 3, 22, 4, 10; 7, 23, 24; 8, 1, 3. Quanquàm autem tribus quælibet per se subsistebat; omnes tamen inter se connexæ erant; nam non tantùm communes majores, Abraham, Isaac et Jacob, et communes promissiones, quas ab his majoribus quasi hæreditate acceperant, erant indissolubile vinculum, quod indigentiâ mutui auxilii firmabatur, sed etiam communis Deus rex, commune palatium regis et templum Dei, et commune sacerdotale et leviticum ministerium, omnes tribus in unam civitatem et ecclesiam consociabat. Hinc tribus quælibet in omnes alias jure quodam inspectionis gaudebat, ut lex observaretur; et si in aliquâ tribu neglecta esset, eam reliquis tribubus denuntiare poterat, ut, si aliâ ratione fieri non posset, bello castigaretur; Jos. 22, 9, 34. Jud. 20, 1. seqq.

§ 213. *Comitia.* — Causæ omnibus tribubus communes agitabantur in universalibus comitiis procerum, qui à rectore reipublicæ seu judice, vel eo deficiente, à summo sacerdote convocabantur, Num. 10, 2, 4. Jud. 20, 1, 27, 28. Jos. 23, 1, 2. Locus comitiorum ad januam sacri tabernaculi fuisse videtur, Num. 10, 3. Jud. 20, 1; 27, 28. 1 Sam. 10, 17, nisi alius locus, plerumque celebritate aliquâ insignis, indictus esset, Jos. 24, 1. 1 Sam. 11, 14, 15. 1 Reg. 12, 1. Quamdiù Hebræi in Arabiâ castra incolebant, comitia per sacerdotes clangore sacrarum buccinarum convocabantur; in Palæstinâ verò, ob locorum distantiam, per nuntios indicenda fuerunt. Ex Num. 10, 2, 4, liquet, comitia alia fuisse, ad quæ soli principes tribuum et capita familiarum clangore unius buccinæ; alia autem, ad quæ duabus buccinis omnis cœtus nempe etiam genealogi, judices, et, saltem interdùm, omnis populus, vocabantur, Deut. 29, 9, 10; Jud. 20. Ast soli quoque principes tribuum et capita familiarum, populum universum repræsentabant, ideòque nomine סוד כל העדה, כל הקהל, veniebant, et hinc dicuntur *principes cœtûs, vocati ad cœtum, deputati ad cœtum*, et *senes seu senatores cœtûs*, conf. Exod. 19, 7; 24, 3, 8; 34, 31, 32. Lev. 4, 13; 18, 3, 5; 9, 5. Ad hæc comitia Moses mandata Dei deferebat, quæ dein genealogi populo annuntiabant, Exod. 19, 7; 24, 3, 8; 35, 1, 4. Num. 11, 25, 30. In hoc senatu bella indicebantur, pax decernebatur, fœdera pangebantur, rectores et belli duces, atque demùm etiam reges eligebantur; proceres hi à regibus jusjurandum recipiebant, et eis vicissim nomine populi sacramentum dicebant, Exod. 19, 7; 24, 2, 8. Jos. 9, 15, 21. Jud. 20, 1, 11, 14; 21, 13, 20. 2 Sam. 2, 4; 3, 17, 19; 5, 1, 3. 1 Reg. 12. Deo verò qui seipsum regem Hebræis dederat, sacramentum ab omnibus etiam à mulieribus et juvenibus dictum fuit, Exod. 24, 3, 8. Deut. 29, 9, 14. Cæterùm populus quidem plerumque approbabat, quæ senatus decreverat; interdùm tamen senatoribus excusatione opus erat ut, Jos. 9, 18, 19.

§ 214. *Forma regiminis.* — Quùm Deus ab Hebræis rex electus esset, eis leges civiles tulisset, eorum lites graviores dirimeret, Num. 17, 1, 11; 27, 1, 11; 36, 1, 10, et ad quæstiones propositas responderet, Num. 15, 32, 41. Jos. 7, 16, 22. Jud. 1, 1, 2; 20, 18; 27, 28. 1 Sam. 14, 37; 23, 9, 12; 30, 8. 2 Sam. 2, 1; quùm porrò Deus pœnas minaretur, et contumaces nonnunquàm modo etiam insolito puniret, Num. 11, 33, 35; 12, 1, 15; 16, 1, 50. Lev. 26, 3, 46. Deut. 28, 30; cùm denique prophetas, tanquàm legatos suos promisisset,

et dein quoque mitteret, atque universum populum singulari providentiâ ita gubernaret, ut religio conservaretur; Deus profectò erat rex Israelitarum, et forma regiminis erat theocratica, ab ipso Deo instituta. Sic verò differt regimen apud Hebræos ab illo reliquarum civitatum; quæ quidem cum religione connexæ erant, et deos tutelares regionum credebant; ast quod apud hos populos fictum erat, apud Hebræos veritate nitebatur; alibi religio erat medium ad salutem civitatis, apud Hebræos verò civitas erat medium ad conservandam religionem. Cæterùm, quidquid peculiare inde à vocatione Abrahami fecerat Deus, hoc nonnisi semina quasi continebat, è quibus justo tempore proveniret novum imperium, quod speciem habiturum esset terrestrem, sed solius religionis causa institueretur.

§ 215. *Rector reipublicæ.* — Supremus civitatis Hebræorum rector itaque alius non erat nisi Deus, cujus præsentiam sacrum tabernaculum referebat; Moses, mediator Deum regem inter et Hebræos, rem publicam quidem administrabat, sed propriè erat dux populi ex Ægypto et legislator, qui finito hoc negotio successorem non habuit. Hinc quoque senatus 70 virorum, qui Mosi ad onus regiminis alleviandum, concessus fuit, post obitum ejus desiit. Josua, non successor Mosis, sed belli dux ad occupandam et dividendam regionem Chanaan, designatus fuit; quare et ipse, hoc negotio confecto, successore caruit. Quanquàm autem ita constituta fuit civitas Hebræorum, ut præter Deum invisibilem regem et ejus ministrum summum sacerdotem, alius non esset totius reipublicæ rector; nihilominùs Num. 17, 9, pro noto sumitur, certis temporibus electum vel susceptum iri rectorem, qui nomine שופט compellatur, haudquaquàm quòd non esset nisi judex, tenebat enim supremum imperium, sed quia שופט etiam rectorem, gubernatorem vel administratorem negotiorum publicorum significat, conf. Jos. 16, 31. 1 Sam. 8, 20. Isa. 11, 4. 1 Reg. 3, 9. Hi judices bella quidem indicebant, exercitui imperabant, et pacem concludebant, neque tamen hæc sola aut præcipua erant eorum negotia; plures enim judices nihil horum præstiterunt, ut Jair, Ibzan, Elon, Abdon, Heli et Samuel. Erant ergo propriè administratores supremæ potestatis, qui jura quidem majestatica exercebant, et mandata edebant, jure verò ferendi leges et exigendi tributa carebant; honore quidem conspicui, nullo tamen signo externo distincti, nullo commodo fruebantur, nec dignitatem ad posteros transmittebant; sed bonum publicum sine proprio emolumento curabant, ut civitas salva esset, et per eam vera religio conservaretur, atque Deus solus rex esset in Israel, Jud. 28, 22, 25. Nequaquàm tamen omnes hi rectores, toti civitati, sed plures aliquibus duntaxat tribubus præerant.

§ 216. *Regimen Dei regis.* — Deus rex per 16 secula Israelitas ad eam normam gubernavit, quam eis Exod. 29, 4, 5; 23, 20, 33. Lev. 26, 3, 46. Deut. 28, 30, per Mosen annuntiaverat, ut nempe rebus prosperis uterentur, si Deo regi fidem datam servarent; adversis verò conflictarentur, si eam fallerent. Ex hâc notione fundamentali tota historia veteris Foederis in prosperis et adversis est judicanda. A Josuâ nempe usque ad Samuelem, id ipsum docet liber Judicum et 1 Sam. 1, 8. Quùm dein monarchia institueretur, electio regis per sortem Deo commissa est, ut providentia divina regem designaret, et rex non esset nisi vicarius Dei regis, ac eadem regiminis divini norma maneret, quæ ideò Hebræis 1 Sam. 8, 7; 10, 17, 23; 12, 14, 15; 20, 22; 24, 25, rursùs inculcata fuit. Quia verò rex Saul non usquequàque se Dei vicarium gessit, ejusdem Dei regis audivit decretum, regnum in aliam familiam translatum iri, 1 Sam. 13, 5, 14; 15, 1, 31. David demùm, per Samuelem prophetam, Dei mandato designatus fuit rex, ut rursùs pateret, Dei regis esse, sibi substituere vicarium, 1 Sam. 16, 1, 13. Undecim tribus se Davidi regi Judæ subjiciunt, quia *Deus rex eum vicarium suum designavit,* 2 Sam. 5, 1, 3, conf. 1 Paral. 28, 4, 6. David hanc normam regiminis Dei, religiosè secutus, et disertis quoque verbis professus est, 1 Paral. 28, 7, 10; atque ejus regnum prosperum erat, quia omnis populus Deo firmiter adhærebat. Quùm Salomo deficeret, tumultus orti sunt. Hæc norma observatur quoque in libris regum, Paralipomenon, etc. Prophetæ, quos Deus tempore regum miserat, sine intermissione fidem in Deum et custodiam mandatorum divinorum urgent, atque nisi Hebræi se his conformaverint, minantur exilium, quod verè subsecutum est. Sed resipiscentibus Hebræis quoque prædicunt reditum in patriam, constantiam in religione, tranquillitatem et prosperitatem, ac propagationem cognitionis veri Dei ad omnes gentes, etc. Sic regente Deo vera inter Hebræos religio conservata, et demùm ad alias gentes propagata fuit, ita ut tempore quo Salvator inter ho-

mines comparuit, ubique locorum essent plurimi unicum verum Deum colentes.— Cæterùm, notatu dignissimum est à Davide divinitùs præsignificatum fuisse *Aliquem*, quem sibi longè superiorem prævidit, suumque Dominum ipsiusque divini imperii socium salutavit, quique et in religione summas partes habiturus, et ab Hebræorum summo sacerdote multùm diversus futurus, et ad extremos usque terræ fines regnaturus esset, Ps. 2, et 110 (Vulg. 109). Quod ipsum novum, cum religione conjunctissimum imperium divinum, ex eo, quòd jam adesset, proventurum, eò sæpius magnificentiùsque deinceps descripserunt Prophetæ, quò magis præsens istud imperium ad interitum rueret. Tempus enim adventûs Messiæ jam à Jacobo ceu finis hujus imperii prædictus fuit, Gen. 49, 10.

CAPUT SECUNDUM.

DE REGIBUS EORUMQUE MINISTRIS ET ALIIS MAGISTRATIBUS.

§ 217. *Unctio regum.* — Inauguratio regum hebræorum nomine *unctionis* venit, quia hæc erat præcipuus ejus ritus, 2 Sam. 2, 4; 5, 3; observata autem legitur dunxaxat in regibus primis, Saule et Davide, atque deinceps in Salomone et Joascho, quorum jus ad regnum impugnari potuisset, 1 Sam. 10, 24, 25; 11, 15. 2 Sam. 2, 4; 5, 1, 3. 1 Paral. 11, 1, 2. 2 Reg. 11, 12, 20. 2 Paral. 23, 1, 21. Reliquis regibus unctio, quam auctor familiæ regiæ receperat, sufficere putabatur. In regno Israel reges aliis quibusdam solemnitatibus inaugurabantur, 2 Reg. 9, 13. Unctiones privatæ, quæ à Prophetis peractæ fuisse leguntur, 1 Reg. 19, 10. 2 Reg. 9, 3, conf. 1 Sam. 10, 1; 16, 1. 13, non erant nisi vaticinia symbolica de adipiscendo regno. 1 Reg. 11, 29, 40; 12, 20. 2 Reg. 8, 11, 14. Solemnitates inaugurationis regiæ, quæ in Bibliis attinguntur, sunt: I. Rex, militibus stipatus, in locum publicum recentiori ævo in templum ductus, à summo sacerdote ungebatur oleo sacro; quare in regno Israel, ubi oleum hoc deerat, unctio non memoratur, 1 Reg. 1, 32, 34. 2 Reg. 11, 12, 20. 2 Paral. 23, 1, 21. Hinc rex dicebatur *unctus*, et quia erat vicarius Jehovæ et à Jehovâ designatus, etiam à *Jehovâ unctus*, seu inauguratus, nuncupabatur, 1 Sam. 24, 6, 10; 26, 9, 11, 16, 23. 2 Sam. 13, 22; 23, 1. Habac. 3, 12, etc. An rex quoque gladio cinctus fuerit, ex Ps. 45, 4, non liquet. — II. Diadema capiti aut mitræ regis alligatum et sceptrum quoque ei traditum fuisse videtur, 2 Sam. 1, 10. Ezech. 21, 26. Ps. 45, 7. — III. Pactio quâ conditiones imperii præfiniebantur, atque etiam liber Mosis, ei proponebatur; et rex jurabat, se juxta legem Mosis et juxta pactionem gubernaturum, 1 Sam. 10, 25. 2 Sam. 5, 3. 1 Paral. 11, 3. 2 Reg. 11, 12. 2 Paral. 23, 11, conf. Deut. 17, 18. Proceres verò vicissim spondebant obedientiam, et se præstituros, quæ promiserant, et hanc sponsionem etiam osculo, fortassè genuum aut pedum, confirmâsse videntur. — IV. Inauguratus magnâ cum pompâ, et sub plausibus et acclamationibus populi: *Vivat* (feliciter) *rex*, musicâ quoque resonante, urbem intrabat, et sacrificia offerebat, quæ ad illud jusjurandum pertinuisse videntur, et demùm ad convivium adhibebantur, 1 Reg. 1, 1, 11, 19, 24, 34, 39, 40. 2 Reg. 11, 12, 19. 2 Paral. 23, 11, conf. Matth. 21, 1, 11. Ad lætum hunc urbis ingressum et acclamationes plura Scripturæ loca alludunt. Ps. 47, 2, 9; 83, 1, 2; 97, 1; 99, 1. — V. Rex denique in throno consedit, et gratulationes excepit, 1 Reg. 1, 35; 4, 48, conf. 2 Reg. 9, 13; 11, 19. — In inauguratione Saulis, quùm nec sceptrum, neque diadema, neque thronus adesset, hæc non fuisse observata, vix opus est monere. Pleraque quoque omissa fuerunt, si victis regem designabat victor, qui ei aliud nomen imponebat, et fidem ab eo jurejurando firmatam recipiebat, ac convivium celebrabat, 2 Reg. 23, 24; 24, 17, 35. 2 Paral. 36, 4.

§ 218. *Vestitus regius, diadema, corona.* — Vestitus regum erat splendidus, et comitatus amplus et magnificus. Ezech 28, 13, 20. 1 Reg. 4. Vestis erat pannus xylinus albus et purpureus, Luc. 16, 18. Apoc. 18, 12, 16. Reges Mediæ et Persiæ serico usi fuisse videntur, Esth. 6, 8, 10, 11; 9, 15. Inprimis mitra regum erat, et est quoque in Asiâ adhuedùm pretiosissima, gemmis et unionibus ornata. Diadema, uti etiam torques et armillas pretiosas, reges perpetuò gestabant; in Persiâ cognati quoque regis et alii, quibus rex concesserat, diadema quodpiam gerebant, Esth. 8, 8, 15. Erat autem diadema tænia duos pollices lata, capiti vel mitræ circumligata, ut frontem et tempora cingeret, et in occipite connecteretur. Ortum est ex illo fune, quo antiquissimo ævo capilli, et demùm mitræ capiti alligabantur. Color videtur fuisse diversus; regibus Persiæ, teste Curtio VI, 11, diadema erat purpureum albo distinctum. Ps. 89, 40. 2 Sam. 1, 10. 2 Reg. 11, 12. 2 Paral. 23, 11. — Coronæ quoque usitatæ erant, 2 Sam. 12, 30. 1

Paral. 10, 2. Zach. 6, 11, 14. Ps. 21, 4. Nomen autem hoc nonnunquàm diadema designare videtur, et etiam ornatum capitis mulierum significat. An coronæ regiæ antiquiores ejusdem formæ fuerint, non constat.

§ 219. *Thronus.* — Tronus erat sella, crepidine à tergo, et cubitalibus instructa, tantæ altitudinis, ut pedibus scabello opus esset, Curtius V, 7. Gen. 41, 40. Ps. 110, 1. Hâc ratione quoque thronus Salomonis, deauratus et ebore exornatus, 1 Reg. 10, 18, 20. 2 Paral. 9, 17, conformatus fuit, nisi quòd crepido esset in aliquam rotunditatem flexa, et penès utrumque cubitale leonis effigies, symbolum regis, posita esset; locatus erat in pavimento sex gradibus elevato, in quorum quolibet ex utrâque parte leonis consistebat effigies. — Ante monarchiam summus quoque sacerdos sellæ altiori insedisse videtur, 1 Sam. 1, 9; 4, 18. — Cæterùm thronus, et ipsa quoque sessio in throno tropicè pro gubernatione et regimine venit, 2 Sam. 3, 10. Ps. 9, 7; 61, 8; 89, 45; 102, 13. Isa. 47, 1, etc. Thronus regum Hebræorum etiam thronus Jehovæ appellatur, quia reges Hebræi vicarii erant Dei regis, 1 Paral. 9, 8; aliàs tribuitur Deo, non modò ut regi Hebræorum, sed ut rectori quoque universorum thronus, Job 23, 3. Exod. 17, 16. Isa. 6, 2. 1 Reg. 22, 19, qui junctus כרובים, Cherubim sistitur, Ezech, 1, 3, seqq. 2 Reg. 19, 15. 1 Paral. 13, 6. Ps. 18, 11. Figuræ Cherubim operculo arcæ fœderis impositæ, thronum Dei repræsentabant, uti arca, scabellum throni erat, Ps. 99, 35: 132, 7. 1 Paral. 28, 2. Hæ imagines amplificantur, cùm cœlum dicitur thronus Dei, et terra scabellum pedum ejus, Isa. 66, 1. Matth. 5, 34.

§ 220. *Sceptrum.* — Sceptrum regis Saulis erat jaculum, 1 Sam. 18, 10; 22, 6, prout et Justinus L. 43, C. 3, de antiquiori ævo refert, reges loco sceptri hastam gestâsse. Aliàs verò, ut vel ex Iliade patet, sceptrum erat baculus ligneus (Ezech. 19, 11), longitudine viri vix brevior, et in superiori extremitate globo ornatus, prout in ruderibus Persepolitanis cernitur. Hoc sceptrum deauratum, vel ut Homerus canit, annulis et clavis aureis condecoratum, ortum est ex baculo pastorali, vel ex baculis, qui ab aliis quoque potentioribus ad pompam gestabantur; Gen. 38, 18. Num. 17, 17. Ps. 23, 4. Sceptrum tropicè pro dignitate regiâ et pro regimine, atque sceptrum rectum pro justâ gubernatione venit, Gen. 49, 10. Num. 24, 17. Amos 1, 5. 8. Jer. 48, 17. Ps. 45, 7.

§ 221. *Mensa regia.* — Mensa regia in Asiâ luxu exorbitat. Permulti ministri ex coquinariâ regis aluntur; hinc venit illa alimentorum multitudo, quæ 1 Reg. 4, 22, 23, quotidiè consumpta fuisse refertur. Vasa pleraque sunt, et erant etiam olim aurea, 1 Reg. 10, 21, præsertim in conviviis, quæ frequentia sunt. In his adsunt musici, et saltatrices, quæ 2 Sam. 19, 35, non memorantur. De his omnibus, vel pluribus paucioribusve pro ratione adjunctorum, cogitandum est, ubi leguntur convivia regia, Gen. 40, 20. Dan. 5, 1. Matth. 22, 1, seqq. Marc. 3, 21. Mulieres nonnisi Babylone conviviis regiis intererant, et in Persiâ aderat regina, donec viri vino incalescerent, Curtius V, 5. Herodot. I, 199. Dan. 5, 2, 3, 23. Esth. 1, 9; 5, 4, 8: 7, 1. Cæterùm Hebræi, quorum rex erat Deus, majoribus festis, ex sacrificiis eucharisticis ad tabernaculum vel Jerosolymæ convivia instituentes, à Deo rege suo de allatis donis quasi convivio excipiebantur; quare sanguis ad pedem altaris effundebatur, et præcipuæ quæpiam partes in altari concremabantur.

§ 222. *Regum ratio agendi.* — Reges in Oriente rarò conspiciuntur, neque facilis est ad eos accessus, qui apud Persas illis, qui vocati non erant, sub pœnâ capitis interdictus erat, Esth. 4, 11. Herodot. III, 48. Antiquiores autem reges, qui multa ipsimet tractabant, non adeò semoti vivebant, et ad reges Hebræorum aditus patebat, 2 Sam. 18, 4, 19, 7. 2 Reg. 22, 10. Jer. 38, 7, benè tamen et prosperè verti putabatur, si quis faciem regis videret, Prov. 29, 26. Isa. 33, 17; unde dictio: ***Deum videre,*** de magnâ felicitate explicatur. — Prodeuntes autem reges Asiæ, magno et splendido comitatu stipati sunt. Si itinera in provincias suscipiunt, præcedit, qui adventum summi hospitis, ut viæ, et quæ alia necessaria sunt, parentur, annuntiat, et in Persiâ lætus nuntius dicitur, Malach. 3, 1. Isa. 62, 10, 12. Thalmudici Deo quoque tribuunt hujusmodi præcursorem, quem ***metatorem*** nuncupant, et ex Malach. 3, 1. desumpserunt. Ex Zach. 2, 12, 15; 3, 1; 4, 9, 10. Gen. 16, 10, 14; 22, 16. Exod. 3, 4, 20; 20, 2, 3; 23, 20, 23. Isa. 48, 16; 43, 14, malè collegerunt, hunc metatorem esse supremum et increatum, Deo proximum angelum, qui Patriarchis apparuit, et nomine Dei locutus est, conf. Buxtorfii Lexic. Chald. Thalm. Rabbin. col. 1192. — Sic verò quasi inviti testimonium ferunt Filio Dei, qui juxta plures Patres jam temporibus veteris Fœ-

deris circa hominum salutem occupatus, hominibus apparuit, omniaque pro præparatione in suum adventum disposuit; conf. J. D. Michaelis not. ad Exod. 3, 2, in ejus versione german. vet. Fœd. — Reges Hebræorum prodeuntes asinis et mulis, 2 Sam. 13, 29; 17, 20. 1 Reg. 1, 33, 38, aut curribus vehebantur, ante quos milites prætoriani præcurrebant, 1 Sam. 13, 11, 17. 2 Sam. 25, 1. 1 Reg. 1, 5. 2 Reg. 8, 4, 44; 9, 21; 10, 15.

§ 223. *Palatia et horti regii.* — Famam aucupabantur reges ex magnificis palatiis et templis, quæ ædificabant; ex sepulcris saxo excisis; ex hortis, quos plantabant; ex munimentis urbium, quæ exstruebant; et ex aliis, quibus ornabant urbes et inprimis urbem regiam, cui tanta dignitas tribuebatur, ut diceretur, *in eam ascendere, ex eâ descendere,* etsi, ut Babylon, in planitie sita esset; 1 Reg. 12, 27, 28; 22, 2. Esdr. 7, 6, 7. Act. 8, 5, 15, 4, 27; 15, 2; 18, 22; 24, 1, etc. Inprimis magnificum erat palatium regium, quod jam antiquissimo ævo, uti hodiedùm, nomine portæ veniebat, 2 Sam 15, 2.Dan. 2, 49. Esth., 19. 21; 3, 2, 3; 6, 6, 7.

§ 224. *Veneratio et nomina regum.* — Exod. 22, 27, interdicitur, magistratui etiam clam maledicere, et quamvis lex, nullâ pœnâ sancita erat, religiosè tamen observabatur, et reges permagnâ veneratione colebantur, 1 Sam. 24, 4, 15; 26, 6, 20. Læsæ verò majestatis rei morte plectebantur, 2 Sam. 29, 22; 24, 5, 8. 2 Reg. 21, 10. Non defuerunt tamen, qui reges interimerent, inprimis in regno Israel, in quo mores magi corrupti erant. Magistratus quidem, non solùm in poesi, sed nonnunquàm etiam in prosâ, Exod. 4, 16; 7, 1; 21, 6, אלהים compellabantur, quod ex etymologiâ est venerandus; regibus verò hoc nomen non fuit tributum. Aliàs usitata erat compellatio *dominus, rex, à Jehova inauguratus,* 1 Sam. 12, 3, 5; 24, 7, 11, 26, 9, 11, 16, 23. 2 Sam. 19, 22, 23. 1 Ps. 131, 17. משיח erat nomini מלך synonymum; quare Isa. 43, 1, Cyrus quoque hoc nomine compellatur. Reges à plerisque gentibus communi quopiam nomine compellabantur; à Romanis dicebantur *Cæsares,* ab Ægyptiis recentioribus *Ptolemæi,* ab Amalecitis Agag, 1 Sam. 15, 19, conf. Num. 24, 7; à Philistæis *Abimelech*, 1 Sam. 21, 20. Ps. 34, 1. Gen. 20, 2; 26, 10; à Syris *Adad,* vel *Hadad,* vel *Ben Hadad,* 1 Reg. 21, 1, 29; à Meroensibus reginæ, quas habebant, dicebantur *Candace*, Strabo p. 281. Dio Cassius LIV, p. 525, conf. Act. 8, 29. Huc autem non pertinet nomen *Pharao,* quod non est aliud nisi *rex;* nec nomen *Darius,* Zendice Eanterafesch vel *Darafesch* דריוש, idem ac in Parsi דארא *rex,* ab Herodoto vero VI, 98, exponitur ἑρξείης. In poesi jam pastores, jam mariti civitatis, dicuntur, et è contrario civitas jam uxor regis, jam virgo, jam mater civium, etiam vidua, et orba sistitur; hinc Deus quoque, qui Hebræorum erat rex, maritus civitatis, et civitas Hebræa uxor ejus, ad idola verò deficiens, adultera et meretrix nuncupatur.

§ 225. *Officia regis Hebræorum.* — Reges olim propriè erant belliduces, judices, et summi sacerdotes, Gen. 14, 18, 19; hinc vox כהן, sacerdotem et simul supremum magistratum civilem significat, Exod. 2, 16; 3, 1, de quo etiam ætate Davidis usurpatur, 2 Sam. 8, 18, conf. 1 Paral. 18, 19. Rex autem Hebræorum ministerium sacrum, tribui Levi et familiæ Aaronis delatum, sibi arrogare non potuit, 2 Reg. 15, 1. seqq. 2 Paral. 26, 16, seqq. Quâ vicarius Dei regis verò, obstrictus erat curare, ut omnia ritè secundum legem peragerentur, quod David, Josaphat, Hizkias et Josias egregiè præstiterunt. Judicis et belliducis munus Hebræi à rege, quem petebant 1 Sam. 8, 5; 12, 12, exspectabant, conf. 2 Paral. 26, 21. Isa. 16, 5, quod utrumque vel reges ipsi vel per alios, quos eligebant, præstiterunt. Belliduces jam Gen. 21, 22, erant regibus; hinc quoque David, etsi ipse bellidux, non semper bello intererat. Judices inferiores jam ex institutione Mosaicâ aderant, ut rex non haberet, nisi eos seligere, et ipsis invigilare, 1 Paral. 23, 4; 26, 29, seqq. 2 Paral. 19, 5, 11, atque appellationes ab eorum tribunalibus, suscipere.

§ 226. *Jura regis.* — Reges in Asiâ arbitrarium et illimitatum exercent imperium; olim verò potestas aliquorum, ut regum Phœnicum et Philistæorum, restricta erat. Ità quoque, Deut. 17, 14, 20, regibus leges feruntur; et demùm proceres mox Sauli, et dein Davidi conditiones imperii scripto posuerunt, quas uterque jurejurando in se et successores suos recepit, 1 Sam. 10, 25, 2 Sam. 5, 3, conf. 1 Reg. 12, 1, 18. Accedit, quòd proceres quoque sub regibus magnâ auctoritate pollerent, et Prophetæ, utpote legati Dei regis, devios reges reprehenderent et arguerent. Nihilominùs plures regiâ potestate abusi sunt. Ex lege Mosaicâ rex erat vicarius Jehovæ, et jure gaudebat, omnia, quæ legi contraria erant, impediendi, atque illa, quæ ad custodiam legis Mosaicæ

conducebant, mandandi et exsequendi. Hinc non modò, ut olim judices, mandata dabant, sed etiam leges ferebant, 2 Paral. 19, 11. Isa. 10, 1, quæ vero nequaquàm, ut in Persiâ, erant immutabiles, Esth. 1, 19. Dan. 6, 16. A pœnis, lege Mosaicâ statutis, interdùm dispensâsse, ex 2 Sam. 14, colligi potest; id tamen, qui erant religiosi, rarissimè sibi sumebant; quare David, 2 Sam. 21, 1, 14, homicidas vindicibus sanguinis tradidit, et, 1 Reg. 2, 1, 9, alios reos, quos punire ipse non poterat, successori commendavit.

§ 227. *Promulgatio mandatorum et legum.* — Leges Mosaicæ, uti mandata Josuæ, c. 1, 11, 12; 3, 2, seqq., per genealogos populo promulgabantur, mandata verò et leges regum per præcones proclamabantur, Jer. 34,8, 9. Jon. 3, 5, 7, qui Dan. 2, 4, 5, 29, nomine כרוזא veniunt. In provincias, urbes et pagos, per cursores mittebantur, 1 Sam. 11, 7. Amos 4, 5. 2 Paral. 36, 22. Esdr. 2, 1. Proclamationes hæ fiebant in portis et foro urbium, Jerosolymæ quoque in templo, ubi copia hominum non deerat; quare et Prophetæ sæpè in templo vaticinia sua, ut edicta supremi regis, promulgabant, et ævo recentiori eruditi et ipse quoque Jesus atque Apostoli ibidem docebant, Jer. 7, 2, 3; 11, 6; 17, 19, 20; 36, 9, 19. Joan. 10, 3. Luc. 2, 36. Matth. 26, 55. Marc. 12. 35. Act. Ap. 3, 11; 5, 12.

§ 228. *Proventus regis.* — A populis, qui armis subacti fuerunt, victores exigebant labores dominicales et tributa, quæ utraque nomine מס comprehenduntur, etsi interdùm tributa etiam vocantur dona, Exod. 1, 11. Jos. 16, 10. Isa. 31, 8. A proprio verò populo reges labores non postulabant, et reliqua quoque opera non poterant pro arbitrio exigere, Gen. 47, 19, 27. Herodot. III, 97. In civitate Hebræorum quid regi præstandum esset, singulari pactione definitum fuit, 1 Sam. 10, 25 2 Sam. 5, 3, quæ nobis tamen ignota est. Proventus regum Hebræorum itaque nonnisi ex iis, quæ aliàs in Oriente consueta erant, et ex quibusdam occurrentibus indiciis colligi possunt. I. Dona spontanea, 1 Sam. 10, 27; 16, 20. II. Greges regum, 1 Sam. 21, 7, 8. 2 Sam. 13, 23. 1 Paral. 26, 10; 32, 28, 29, Conf. Gen. 47, 6, III. Agri, vineæ et horti olivarum regii, qui ex regionibus incultis parabantur, vel ex bonis perduellium fisco cedebant, et à mancipiis, fortè etiam à populis subactis colebantur, 1 Reg. 21, 9, 16. Ezech. 46, 16, 18. 1 Paral. 27, 28, 2 Paral. 26, 10. 2 Sam. 16, 4. IV. Hebræos regibus suis quæpiam tributa promisisse, apparet ex 1 Sam. 17, 25, fortasse decimas, quas alii quoque populi regibus pendebant, 1 Sam. 8, 15. Has curasse videntur præfecti, qui 1 Reg. 4, 6, 9. 1 Paral. 27, 25, memorantur. Salomo aliquid ampliùs exegisse videtur, quod, post mortem ejus, Hebræi minui volebant, 1 Reg. 12, 18. 2 Paral. 17, 5. Aliquid in pecuniâ quoque paratâ, regi tributum fuisse videtur, quod nomine מנחה veniebat, 2 Paral. 17, 5, conf. Ezech. 45, 13, 18. V. A devictis populis non modò pretiosissima præda regi cedebat, ex quâ David thesauros suos collegit, sed tributa quoque pendebantur, quæ etiam dona dicebantur, et partim in paratâ pecuniâ, partim verò in proventibus rei pecuariæ et rusticæ exigebantur, 1 Reg. 5, 1. Ps. 72, 10. Paral. 27, 5. VI. Denique vectigal mercatorum, qui per regionem Hebræorum transibant, 1 Reg. 10, 15. — In Persiâ non, ut Strabo p. 735, ex Polycrito refert, Darius Hystaspis fuit auctor tributorum, sed jam Darius Medus, seu Cyaxares II, tributa exegit, Dan, 6, 2, 3, quæ dein post pseudo-Smerdem, qui tributis ad tres annos renuntiaverat, per Darium Hystaspis restaurata, et demùm per Xerxem aucta sunt. Esth. 10, 1. His accedebant, quæ ex rebus naturalibus pendebantur, et telonium Esdr. 4, 13, 19, 20.

§ 229. *Magistratus regii.* — Introductâ monarchiâ, principes tribuum, capita familiarum, genealogi et judices auctoritatem suam retinuerunt, atque senatum urbium constituebant, 1 Reg. 12, 1, 24, 1 Paral. 23, 4; 26, 29, seq. 28, 1, 29, 5. Attamen genealogi et judices designabantur à regibus, uti diversi alii regii præfecti, quorum præcipui sunt, I. Consiliarii regis, 1 Reg. 12, 6, 12. 1 Paral. 27, 32. Isa. 3, 2; 19, 11, 13. Jer. 26, 11; 36, 13, 27. II. Ad hos pertinent quoque prophetæ, à piis regibus consulti, 2 Sam. 7, 2. 1 Reg. 22, 7, 8. 2 Reg. 19, 2, 20; 22, 14, 20. Alii, ut reges ethnici, in consilium vocabant hariolatores et pseudoprophetas, 1 Reg. 18, 22; 22, 6, conf. Exod. 7, 12; 8, 14, 15. Dan. 1, 20; 2, 2; 4, 48. Jer. 27, 9. III. Cancellarius, qui omnia, quæ in regno contingebant, ad regem referebat, et hæc, prout quoque illa, quæ rex gerebat, dicebat, aut jubebat, litteris mandabat, 2 Sam. 8, 16; 20, 24. 1 Reg. 4, 3. 2 Reg. 18, 18, 37. 1 Paral. 19, 15. 2 Paral. 32, 8. Isa. 36, 3. Esth. 3, 12, 6, 1, 10, 2, conf. Herodot. VI, 100, VII, 9, VIII. 90. IV. Summus quoque sacerdos magistratibus seu consiliariis regiis accensetur 2 Sam. 8, 17. 1 Paral. 18, 17, quod theocratiæ consentiebat,

§ 230. *Ministri aulici.* — Ministri aulici in Oriente, magno numero esse solent, quorum præcipui sunt : I. שרי הרכוש, 1 Paral. 27, 25, 31, qui 1 Reg. 4, 5, 7, 19, נצבים, et 1 Reg. 20, 15, ישרי המדיות, dicuntur, et proventus ad mensam regis spectantes, curabant, non confundendi cum illis, qui tributa exigebant, 1 Reg. 4, 6. II. נגיר על הבית aut אשר על הבית, gubernator aulæ, qualis ditioribus quoque erat servus senior seu œconomus ; hic ministris aulicis imperabat, et curabat, quæ ad aulam spectabant, 1 Reg. 4, 6, 18, 3. 2 Reg. 18, 18. 2 Paral. 28, 7. Isa. 36, 3; 37, 2; 22, 15, seqq. In signum sui numeris singularem vestitum, cingulum pretiosum, et elegantem clavem super humerum gestabat, Isa. 22, 22. III. אשר על המלתחה, præfectus cubiculo vestium, quas rex donabat illis, quos honorare volebat, 1 Reg. 10, 22. IV. רעה המלכ, amicus regis, seu quocum rex familiariter conversabatur, qui interdùm simul magistratum regni, vel officium aulicum administrabat, 1 Reg. 4, 5. 1 Paral. 27, 33. — Ast 1 Machab. 10, 65 ; 11, 26, 27, amicus regis dicitur, qui præstabat, quod rex volebat, et ei proximus erat. V. Milites prætoriani, in Ægypto et Babylone טבדים; i. e. *mactatores,* et sub Davide כריתי *exstirpatores* dicti, Gen. 37, 36, 39, 1. 2 Reg. 25, 8, 10, 11, 20. 2 Sam. 20, 23; 22, 17. 1 Reg. 1, 38; 2, 25 ; 34, 36. Parebant præfecto, qui שר הטבחים et רב הטבחים dicebatur, Gen. 40, 3, 4. 4, 10, 12. Jer. 39, 9, 11; 40, 1, 5; 41, 10; 43, 6; 52, 12, 20. Dan. 2, 14, 15, Nomen indè ducebant, quòd sententias mortis, ab ipso rege pronuntiatas, exsequebantur. Sub Davide etiam פליטי, *celeres*, atque sub Saule et demùm post Davidem רצים, *cursores*, nuncupabantur : nam etsi milites erant, qui vigilias aulæ agebant, simul tamen mandata et leges regias in loca dissita ferebant, et ad pompam quoque antè rhedam regis currebant, dubio procul etiam, quandò rex cùm uxoribus prodibat, viros de vià pellebant, prout nunc in Oriente mos est, 2 Sam. 15, 1. 1 Reg. 14, 27. 2 Reg. 10, 15. Sub monarchià persicà cursores regii singularem ordinem constituebant, et, ut ab omnibus noscerentur, pugionem, *Changjar* dictum gestabant ; jure enim gaudebant, quemlibet obvium cogendi, ut ipsis jumentum cederet, aut se ducem viæ præberet, quod dicebatur ἀγγαρεύειν, *angariare,* Matth. 5, 41 ; 27, 32. Marc. 15, 21. Reges Asmonæi, et demùm Herodes ejusque filii, milites prætorianos alebant peregrinos, qui spiculum gestabant, et hinc σπικουλάτωρες nuncupabantur, Marc. 6, 27.

§ 231. *Gynæconitis regum.*—Comitatui regio accensenda quoque est gynæconitis ; nam magnà ex parte solùm ad pompam spectat. Lex Mosaica quidem Deut. 17, 17, hanc licentiam coercuit, sed reges, et inprimis Salomo, periculum à multitudine uxorum impendens, minimè curabant, 1 Reg. 11, 1, 3. 2 Paral. 11, 21 ; 13, 21, nec sumptibus parcebant, quos mundus muliebris, et eunuchi, præsertim nigri ad custodiam fœminarum necessarii, requirebant ; hi enim omnes, quùm Hebræis castratio Lev. 22, 24. Deut. 23, 1. interdicta esset ex aliis gentibus magno pretio emendi erant, 1 Reg. 22, 9 ; 24, 12, 15. 2 Reg. 8, 6 ; 9, 32, 33; 20, 18; 23, 11 Jer. 23, 23 ; 19, 2; 38, 4, 7, 39, 16; 41, 16. Quæ in gynæconitide adsunt ancillæ, rege id volente, pellices fiunt. Successor regis est quoque hæres gynæconidis, eà tamen non utitur. Hinc Adonias, qui Abisag, Davidis pellicem, etsi intactam, uxorem postulavit, tanquàm seditiosus, supplicio affectus est, 1 Reg. 2, 13, 15. Etsi autem rex illimitatà et herili in gynæconitidem potestate utitur, uxor tamen, quæ regi præ cæteris in amore est, et quàm maximè mater regis permulta et quidem politica quoque negotia evincit 1 Reg. 11, 3. 2 Paral. 21, 6; 22, 3. Hinc in libris Regum et Paralipomenon ubique mater regis nominatur, et à Jeremià c. 29, 2, consiliariis regiis accensetur.

§ 232. *Ministrorum ratio agendi cum rege.* — Quùm rex in Oriente inaccessibilis sit, illi qui quidpiam petunt, vel accusationem, aut appellationem deferunt, libellum exhibent alicui ministro, qui regi tradat, 2 Reg. 4, 13, vel, nullo suscipiente, regi in publicum prodeunti porrigunt. Si verò incolæ alicujus provinciæ præsidem suum accusant, plures centeni, ad gynæconitidem congregati conclamant, vestes suas lacerant, et pulveres in aerem spargunt, donec rex misso nuntio causam quærat, Exod. 5, 15, 19. Ad reges Hebræorum, uti jam monuimus, facilior erat accessus, 2 Sam. 14, 2, 3. — Qui autem regem adibant, etiam ministri, præmissà adoratione, sicut servi coram domino suo, stabant ; hinc *stare coram rege*, idem est ac numere regio fungi, Gen. 41, 46. 1 Sam. 22, 6, 7. 1 Reg. 10, 8 ; 12, 6, 8. Dan. 1, 18, quæ expressio etiam de sacerdotibus et levitis, ministris Dei Regis, et de cultu divino usurpatur, Deut. 10, 8 ; 17, 12. 1 Reg. 8, 4. Jer. 15, 1 ; 18, 20 ; 28, 5. Ps. 24, 3. Marc. 11, 15. Luc. 18. 11, 13. Ministri et magistratus regii

penitùs ab arbitrio regis pendebant; sed ipsi vicissim subditos pro arbitrio tractabant; hinc illæ querelæ prophetarum de oppressionibus et violentiis. Omnes Ministri nomine *servorum regis* veniebant, et ipsi se quoque hoc nomine nuncupare amabant, prout in Oriente adhùc usitatum est, atque huic denominationi annecti solet gloria promptæ obedientiæ, quæ prompta omninò est, etsi mandata regis injusta sunt. — Qui in Oriente regios proventus curant, rationibus reddendis vix subsunt; si autem hæ petuntur, jam argumenta fraudis in promptu sunt, et exitium ferè certum est, Luc. 16, 2. — In Persiâ regii magistratus provinciarum, quotannis visitabantur à legato regio, qui, exercitu instructus, examinabat conditionem provinciæ, et præfectorum rationem agendi.

§ 253. *Magistratus in exilio et post exilium.* — Hebræi in exilio et post exilium retinebant capita familiarum, et principes tribuum, qui sub imperio præfectorum regiorum gubernabant suas tribus aut familias, Ezech. 14, 1; 20, 1, 8. Esdr. 1, 5; 2, 6; 4, 3; 5, 5, 6, 8. Neh. 2, 16; 4, 13; 6, 17, 18. Joachimum, et demùm Schealtielem (Salathielem) et Zorobabelem à Judæis habitos fuisse principes exsulantium, verosimillimum est. In aliis regionibus proprios habebant magistratus, et supremus in Ægypto *Alabarchus,* in Syriâ verò *Archon* dicebatur. In imperio romano prærogativâ quoque gaudebant, lites civiles deferendi arbitris, quorum sententiam prætor exsequi tenebatur; Cod. L. I. T. 9, l. 8, de Judæis. Hinc Paulus 1 Cor. 6, 1, 7, Christianis, qui tum Judæis accensebantur, Act. 23, 24, vitio vertit, quòd causas suas coram prætore disceptabant, et non potiùs arbitris deferebant.

§ 254. *Tetrarchæ.* Regno Judæorum demùm rursùs collabente, quæpiam provinciæ acceperunt tetrarchas. Origo hujus dignitatis à Gallis descendit, qui, factâ irruptione in Asiam minorem, à rege Bithyniæ obtinuerunt eam regionem, quæ posthàc ab ipsis Galatia nuncupata fuit; tres tribus constituebant, quarum quælibet divisa erat in quatuor partes seu tetrarchias, quæ suis tetrarchis parebant, ipsi verò tetrarchæ regi subjecti erant. Hæc nuncupatio, quæ propriè dicit magistratum summum quartæ partis alicujus tribûs sub summo imperio regis, dein extensa fuit ad alios supremos præfectos, alicui regi, vel Cæsari subjectos, etsi non imperarent quartæ parti tribûs aut populi. Tales tetrarchæ fuerunt Herodes Antipas et Philippus, Matth. 14, 1. Luc. 9, 7. Act. 13, 1. Etsi autem à rege vel Cæsare dependebant, potestate tamen regiâ gubernabant suos, dignitate verò cedebant ethnarchis, qui quidem regis nomine non utebantur, à subditis tamen hâc honoris compellatione colebantur, uti Archelaus Matth. 2, 22. Joseph. Archæol. XVII, 11, 4.

§ 255. *Procuratores romani.* — Quùm Judæa post Archelaum ethnarcham, et rursùs post Herodem Agrippam regem, in formam provinciæ romanæ redacta esset, gubernabatur à procuratore, qui in novo Fœdere ἡγεμών a Josepho Fl. verò ἐπίτροπος nuncupatur. Procuratores hi erant jam equites romani, jam liberti Cæsaris, uti Felix Act. 23, 24, 26; 24, 3, 22, 27, qui, teste Suetonio in Claudio 28, Cæsari in paucis charus erat, sed provinciam pessimè administrabat, quod Tacitus Hist. V, 9, confirmat. Libertus quoque, teste Herodiano IV, 8, 11, fuit Festus, Act. 24, 27; 25, 12; 26, 24, 25. Hi præfecti non à senatu, sed à Cæsare in eas provincias, quæ in limitibus imperii sitæ et Cæsari reservatæ erant, mittebantur, ut tributa exigerent, justitiam administrarent, et tumultus compescerent. Quipiam à proximo quidem proconsule aut præside dependebant, ut procuratores Judææ à præside Syriæ; magnâ tamen auctoritate, et jure quoque vitæ et necis gaudebant. Procuratores Judææ, tributa quidem per magistratus Judaicos colligi curabant, cætera verò ipsi administrabant, non raró tamen alios quoque in consilium adhibebant, Act. 23, 24, 36; 24, 1, 10; 25, 23. Præsidium eorum erant sex militum cohortes, σπεῖραι, quarum quinque erant Cæsareæ, ubi procurator residebat; et una Jerosolymæ in palatio Herodis et in arce Antoniâ excubabat, ex quâ dominabatur templo, Act. 10, 1; 21, 32. Hi milites sententias procuratoris exsequebantur, et tumultus compescebant, Matth. 8, 5; 27, 27, 28, 12. Joan. 19, 2, 23. Marc. 15, 26. Majoribus festis, quibus ingens Jerosolymæ erat confluxus hominum, procurator ipse Jerosolymam veniebat, ut orto fortè tumultu, mox præsens, mediis convenientibus uti posset, Matth. 27, 2, 65. Joan. 18, 29, 19, 38.

§ 256. *De vectigalibus et semisiclo templi.* — Vectigalia provinciarum conducebantur ab equitibus romanis, qui inde *publicani,* ἀρχιτελῶναι aut τελωνάρχαι, dicebantur, et in provinciis conductis suos habebant portitores, seu exactores vectigalium, qui τελῶναι dicebantur. In Judæâ vectigalia etiam Judæis locabantur, qui

demùm prærogativâ equitum romanorum gaudebant, Luc. 19, 2. Josephus de Betlo II, 14, 9. Portitores eorum, τελωναι, qui in Vulgatâ dicuntur *publicani*, commorabantur in portubus et in viis publicis, ubi telonium, τελωνιον, erat, et perquirebant, quæ adducebantur, Matth. 9, 9. Marc. 2, 14. Luc. 5, 27, 29. Hi portitores, teste Cicerone, procliviores erant ad ampliùs exigendum, quàm ad fallendam fidem dominis suis promissam; hinc ubique, præsertim autem in Judæâ exosi erant, et peccatoribus publicis accensebantur Luc. 3, 13. Marc. 2, 15, 16, conf. Thalmud. Baba kama c. 10, 113, col. 1. Nedarim c. 3; quare Pharisæi illis non communicabant, et Jesu vitio vertebant, quòd cum eis mensæ accumbebat, Matth. 5, 46, 47; 9, 10, 11; 11, 19; 18, 7; 21, 31, 32. — A vectigali et tributo regibus, tetrarchis et ethnarchæ præstando, atque à censu romano distinguendus est semisiclus, qui post exsilium, ex loco Lev. 30, 11, seqq. pravè explicato, introductus fuit, ut à quolibet Judæo adulto quotannis templo solveretur. Pendendum autem erat numisma Judaicum, ad quod Jesus Matth. 22, 17, 19. Marc. 12, 14, 15, collineat; hinc, ut Thalmudici Schekalim I, 1, 3, dicunt, à 15 adar sedebant in templo nummularii, κολλυβισται, qui monetas romanas et græcas semisiclis judaicis permutabant; quùm autem lucrum, quod inde petebant, usura esset, quæ Deut. 23, 20, 21, inter Judæos vetita fuit, à Jesu templo expulsi sunt, Matth. 21, 12. Marc. 11, 15. Joann. 2, 15. In alias urbes mittebantur legati, qui semisiclum exigebant, Matth. 17, 25, et quidem mense adar, si Thalmudicis, Schekalim I, 1, 3, fides est, ubi addunt, die 25 adar pignus acceptum fuisse ab illis, qui semisiclum nondùm solverant. Judæi in regionibus exteris hanc pecuniam,quotannis collectam, mittebant Jerosolymam. Hinc confluebant enormes illæ templi divitiæ, Joseph. Archæol. XIV, 7, 2. Cicero pro Flacco 28.

CAPUT TERTIUM.

DE JUDICIIS ET POENIS.

§ 237. *Judices.*—Ex lege Mosaicâ per omnes urbes erant judices, qui etiam pagis adjacentibus jus dicebant; appellationes verò et causæ graviores ad summum judicem seu rectorem reipublicæ, et, ejus defectu, ad summum sacerdotem, Deut. 17, 8, 9, et demum ad regem spectabant, qui in casibus difficilioribus sententiam summi sacerdotis rogâsse videtur. Post exsilium rursùs judices inferiores et superiores designati sunt, Esdr. 7, 25, causæ verò graviores et appellationes deferebantur ad præfectum provinciæ, vel ad summum sacerdotem, donec ætate Machabæorum supremum tribunal institueretur, quod primùm sub Hyrcano II memoratur, Joseph. Archæol. XIV, 3, 9, et non est confundendum cum consiliariis, qui Mosi ad gubernationem rerum publicarum præsto erant, et nequaquàm judicum officio fungebantur.

§ 238. *Synedrium.* — Hoc, ætate Machabæorum institutum tribunal, seu *Synedrium*, Thalmudicis *Sanhedrin* dictum, compositum erat 72 judicibus. Præses, ראש vel הנשיא fere semper erat summus sacerdos, secundus בית דין אבי et tertius החכם, quorum ille ad dexteram, hic ad sinistram præsidis consedisse dicitur. Conf. Matth. 20, 22. Assessores erant triplicis generis. I. Αρχιερεις, summi sacerdotes, qui in novo Fœdere et à Josepho Fl. sæpius plures commemorantur, et partim sacerdotes erant, qui summo sacerdotio functi fuerant; partim verò principes 24 classium sacerdotum, qui hâc honoris compellatione gaudebant. II. Πρεσβυτεροι, seniores, nempe principes tribuum vel capita familiarum. III. Γραμματεις, scribæ seu eruditi. Nequaquàm autem omnes eruditi aut omnes seniores erant assessores Synedrii, sed soli illi, qui hoc munus, vel electione, vel nominatione regiâ, obtinuerant, quare perpetuò junguntur πρεσβυτεροι και γραμματεις, *seniores et scribæ*, Matth. 26, 57, 59; 27, 3, 12, 20, 41. Act. 4, 5; 6, 12. Huic tribunali fuisse notarios et apparitores, Thalmudicis facilè credimus; de loco autem consessùs, quem in templo fuisse statuunt, litem eis movet Josephus, qui de Bell. V, 4, 2, VI, 6, 3, βουλην et βουλευτηριον cum archivo, in castello Sion versùs templum, memorat. Ast in judicio de Jesu, assessores præproperè in palatio summi sacerdotis congregati fuerunt, Matth. 26, 3, 57. Joan. 18, 24. A Thalmudicis dicuntur consedisse in orbem semicirculi, ut præses cum duobus propræsidibus suis medium locum occupaverit. In pavimento, tapete strato, vel in subjectis culcitis, cruribus plexis, prout in Oriente moris est, consedisse aliunde intelligitur. — Ad hoc tribunal pertinebant appellationes et aliæ causæ gravissimæ, ad quas Thalmudici, Sanhedrin I, 5, X, 89, referunt quoque quæstionem, an quispiam sit pseudopropheta, conf. Luc. 13, 33. Ætate Jesu limitata quidem per Romanos erat potestas; mittebat tamen legatos ad synagogas exteras, Act. 9, 2, et jure gaudebat, supplicium decernendi, exsequendi verò potestas ei adem-

pta erat, et ad procuratorem romanum spectabat. Joan. 18, 31, Sanhedrin, p. 24, col 2; Pilatus enim Joan. 18, 31; 19. 6, solùm hoc unico casu, jus exsecutionis illi obtulit. Lapidatio verò Stephani, Act. 7, non à synedrio exsecutioni mandata, sed in tumultu peracta fuit. Jacobus, frater Joannis, Act. 12, 2, sententiâ regis Herodis Agrippæ interfectus est. Summus sacerdos Ananus quidem Jacobum fratrem seu cognatum Jesu, aliosque ad lapidationem condemnavit, verùm id absente procuratore factum, et ab ipsis Judæis improbatum fuit.

§ 239. *Alia tribunalia ætate Christi.*—Josephus Fl. Arch. IV. 8, 14, refert, in quâlibet urbe fuisse tribunal septem judicum cum duobus apparitoribus levitis, et id pro institutione Mosaicâ venditat; ast, quod suo ævo usitatum vidit, incautè in antiquius ævum transtulit. Hæc tribunalia, quæ minoris momenti causas decidebant, κρισις, *judicium*, dicebantur. Quod Thalmudici de synedrio 23 judicum, et de alio trium judicum referunt, Josephus ignorat. Illa synedria 23 judicum, non sunt nisi tribunalia synagogarum, quæ Joan. 16, 2. 2 Cor. 11, 24, memorantur, et solas causas religionis tractabant, nec aliàs pœnas quàm 40 ictus minùs uno, infligebant. Synedria autem trium judicum sunt arbitri, quos leges romanæ Judæis in causis civilibus concedebant, quod ipsi Thalmudici produnt, scribentes, alterum judicem ab accusatore, alterum à reo, et tertium ab utroque eligi, Sanhedrin 3; id enim erat arbitrii.

§ 240. *Tempus judiciorum.* — Tempus, quo causæ in foro agebantur, erat matutinum, Jer. 21, 12. Ps. 101, 8. Thalmudici Sanhedrin IV, interdicunt, ne judicia capitis noctu agantur, et ne unâ eâdemque die examen instituatur, sententia feratur, et exsecutioni mandetur, et jubent, ut exsecutio saltem in sequentem diem differatur, quæ omnia in tumultuario de Jesu judicio neglecta fuerunt, Matth. 26, 57. Joan. 18, 13, 18. Quod enim recentiores Judæi fabulantur, Jesu 40 dies relictos fuisse, antiquiores eorum contribules ignorant. Diebus festis judicia agi, pluribus locis Thalmudis prohibetur; ast id fini pœnarum capitalium, Deut. 17, 13, expresso, *ut omnis populus Israel audiat et timeat,* non congruit; nec verendum est, ne per judicia, quæ in theocratiâ erant Dei, profanaretur festum. Judæi Matth. 26, 5, diem festum declinare student, ne tumultus oriatur in populo; occurrente autem demùm traditore, hanc quoque sollicitudinem dimiserunt.

§ 241. *De foro seu loco Judiciorum.* — Judicia antiquiori ævo agebantur in januis urbium, quæ ad id adaptatæ erant. Publica igitur erant; nam non tantùm ingredientibus et egredientibus, sed etiam ad nundinas et ad tempus fallendum congregatis patebant, Gen. 23, 10 seq. Deut. 21, 19; 25, 6, 7. Ruth. 4, 1 seq. Ps. 127, 5. Prov. 22, 22; 24, 7. Id quoque post exilium observabatur Zach. 8, 16. Græcis forum, ἀγορα, erat quoque locus nundinarum, et ipse etiam areopagus, ἀρειος παγος, *collis Martius*, primùm non erat nisi collis, in quo quondam Marti jus dictum fuisse ferebatur, Act. 17, 19. In hoc foro Græci quoque conveniebant, ut candidatos et magistratus examinarent seu *probarent*, quod dicebatur δοκιμαζειν, conf. 1 Cor. 11, 28, ubi congregatio civium, ἐκκλησια, erat vel συγκλητος, quæ extra ordinem convocabatur, vel κυρια, quæ statutis diebus, ἡμεραις κυριαις, nempe intra 35 dies quater, conveniebat.

§ 242. *Forma judicii.* — Judicia olim erant ubique summaria, exceptâ Ægypto, ubi actor litem scripto intentabat, reus scripto respondebat; actor replicabat, et reus responsum suum duplicabat. Diod. Sic. I, p. 76, conf. Job 14, 17; 31 25. In Ægypto judex quoque codicem legum coram se habebat, quod adhuc in Oriente consuetum est, conf. Dan. 7, 10. Lex Mosaica tamen formam judicii summariam, quæ apud populum nomadem obtinebat, non immutavit; frequenter autem inculcatur, judicium esse forum Dei, ideòque studium partium vitandum esse; et severè interdicuntur dona, quæ judices pervertunt, Exod. 22, 20, 21; 23, 1, 9. Lev. 19, 15. Deut. 24, 14, 15. Cautum quoque fuit, ne pœnæ corporales et capitales, uti in aliis gentibus, ultra reum, in parentes aut filios, extendantur, Exod. 23, 7. Deut. 24, 16. conf. Dan. 6, 25. Lex hæc saluberrima demùm à regibus neglecta fuisse videtur, 2 Reg. 9, 26, etsi aliàs forma judicii, etiam contra innoxios, quos regia potestas sublatos volebat, observaretur, 1 Reg. 21, 7, 16. Talibus regum exemplis facilè inducebantur judices ad imitationem; hinc illæ prophetarum de injustitiis querelæ. Quæ de formâ judicii nota sunt, ad sequentia redeunt. 1° Actor et reus se sistebant judici vel judicibus, Deut. 25, 1, qui pavimento, tapete culcitis strato, plexis cruribus insidebant; aderat, recentiori saltem ævo, notarius, qui prout adhuedùm in Oriente consuetum est, sententiam et alia acta, ubi contractus, scribebat, Isa. 10, 1, 2. Jerem. 32, 1, 14. Judæi asserunt, præsidi Synædrii adfuisse duos notarios,

alterum ad dexteram, qui sententiam absolutionis, et ad alterum ad sinistram, qui sententiam condemnationis scribebat, conf. Matth. 25, 33, 46. Apparitorem adfuisse, aliunde intelligitur. 2° Actor et reus stabat, et quidem actor ad dexteram rei, qui saltem post exilium, in causis gravioribus veste lugubri indutus, et comâ incultâ comparebat. Actor dicebatur *satan*, i. e., *adversarius*, Ps. 106, 6, 7. Zach. 3, 1, 3. 3° Causa plerumque testibus juratis agebatur, vel etiam actor, aut reus in ipsis quoque judiciis captis, à judice ad jusjurandum adstringebatur, Jos. 3, 19. 1 Sam. 14, 37, 40. Matth. 26, 63. Testes saltem duo, et numerato actore, tres requirebantur, qui separati in præsentiâ tamen rei, audiebantur. Num. 35, 30. Deut. 17, 1, 15. Matth. 26, 59. Argumenta ex documentis quoque aliis ducebantur, quò pertinebant scripti contractus emptionis et venditionis, quorum duo exemplaria, alterum obsignatum, alterum apertum, exarabantur, prout adhuc ætate Hieronymi usitatum fuit. Jer. 32, 10, 13. 4° Sortem in judicio quoque locum habuisse, liquet ex Prov. 18, 18; sed dubio procul nonnisi consentiente actore et reo. Sors sacra, Urim et Thummim, olim ad detegendos quoque reos adhibita fuit, Jos. 7, 14, 24. 1 Sam. 14. 5° Sententia mox post examen pronuntiabatur, et sine dilatione, etsi de capite agebatur, exsecutioni mandabatur. Jos. 7, 22, seq. 1 Sam. 22, 18. 1 Reg. 2, 23.

§ 243. *Carceres et quæstio seu tormenta.* — Celerrima itaque erat administratio justitiæ, quare carceres necessarii non erant, uti adhucdùm in Persiâ, apparitores reum duntaxat in quodam cubili judicis custodiunt, conf. Gen. 40, 3, 4. Cippus, qui Job 13, 27; 33, 11, occurrit, ex Ægypto depromptus est. Apud Hebræos rei primitùs custodiebantur, Lev. 24, 12, et quidem non raró in cisternis aquâ vacuis; unde carceres nomen *fovea*, traxerunt, Gen. 40, 15. Exod. 12, 19, qui Gen. 39, 20, nomine, ut videtur Ægyptio בית הסהר, veniunt, aliàs autem aliter dicuntur Eccles. 4, 14, Jerem. 37, 15. 1 Reg. 22, 27. 2 Reg. 25, 29. Jerem. 37, 4; 52, 31; 1 Paral. 16, 11; et Isa. 42, 7; 24, 20. Ps. 142, 8. Multa hæc nomina argumento sunt, carceres Hebræis recentioribus fuisse frequentes, et non modò ad asservationem reorum, sed etiam ad pœnam adhibitos, Jer. 37, 15, 20. Qui carceribus mandabantur, catenis, etiam æreis vinciebantur, Jer. 40, 4; 52, 11. Ps. 105, 18; 107, 10. Judæi post exilium, exemplo aliarum gentium, etiam debitores carceribus includebant, et, prout nunc in Oriente mos est, per apparitores βασανιστάς, verberibus castigabant, Matth. 5, 26; 18, 28, 34. Ita quoque tormenta, βάσανοι, quibus veritas à reis exigebatur, recentiori ætate à Græcis mutuati sunt, Sap. 2, 19. Diversa horum tormentorum genera in tractatu de Machabæis, qui Josephi operibus adjectus est, recensentur. — Romani quospiam captivos catenis utrâque vel unâ saltem manu militi connectebant, atque hi in proprio domicilio permanebant. Act. 28, 16. Seneca Epist. 5, et de Tranquill. c. 20. Custodibus carcerum non raró pœna reo, qui elapsus fuit, imminens, irrogabatur.

§ 244. *Causæ debitorum.* — Creditores sibi securitatem debiti pignore, hypotheca, vel etiam sponsore procurabant; cautum autem erat, I, ne creditor, pignus petens, domum debitoris ingrederetur, ut, quidquid arrideret, sumeret, sed ante ostium exspectaret, donec debitor illud, quo carere facilè posset, pignus traderet, Deut. 24, 10, 11, conf. Job. 22, 6; 24, 3, 7, 9; II, ne mola aut lapis molaris, vel superindumentum in pignus traditum, per noctem retineatur; hæc verò pro omnibus rebus aliis, quibus debitor non facilè carere poterat, in exemplum nominantur Exod. 22, 25, 26. Deut. 24, 6, 12; III, ne debita anno sabbatico ab Hebræo, qui vervactum agens, reditus non habebat, exigantur; quare hic annus quoque *dilatio, remissio*, dictus fuit, Deut. 15, 1, 11. Aliàs debitore non solvente, ager aut domus ejus vendebatur; plerumque autem agri creditoribus usque ad annum Jubilæum venditi fuisse videntur, Prov. 31, 16. Si hæc non aderant, vel non sufficiebant, debitor cum uxore, et liberis, in servitutem vendebatur, Prov. 22, 27, Mich. 2, 9. si verò sponsor intercesserat, hic ad solutionem iisdem mediis urgebatur; unde monetur Prov. 6, 1, 4; 11, 15; 17, 18; 22, 26, ne quis facilè debitori coram creditore manum porrigat, id est, pro eo spondeat. Lex Mosaica autem non statuit, anno sabbatico vel Jubilæo, debita exstingui, seu novas tabulas fieri; Si Josephus Arch. III, 12, 1, de anno Jubilæo id asserit, testatur duntaxat de suâ ætate. Nehemias verò c. 5, 1, 12, ad sublevandos pauperes, novas tabulas extra ordinem evicit.

§ 245. *Usura.*—Exod. 22, 24. Lev. 25, 35, 37, cavetur, ne à pauperibus accipiatur usura pro mutuâ pecuniâ vel pro frumento; quia verò lites oriebantur, quisnam pauper habendus

esset; lex demùm Deut. 23, 20, 21, ad omnes Hebræos extendebantur, et usura tantùm à peregrinis permissa fuit; quare ad mutuum Hebræis dandum, tanquàm ad singulare opus charitatis, hortatur Moses Deut. 15, 7, 11; 24, 15. Hinc passim celebratur, qui mutuum dat, nec recipit usuram, Ps. 15, 5; 37, 21, 26; 112, 5. Prov. 19, 17. Ezech. 18, 8.

§ 246. *Pœna levissima.* — Deliberatæ transgressioni legum cæremonialium, excisio è populo, de quâ paulò post dicemus, constituta erat; qui autem errore, præcipitantiâ vel indeliberatè legem cæremonialem vel etiam certas leges naturales civili pœnâ sancitas, transgressus fuit, sacrificio se ab excisione redimere poterat, si suâ sponte ad se rediit, et se timore excisionis liberare voluit, Num. 15, 27, 31. Ita peccatores invitabantur, ut in se redirent, læso satisfacerent, et emendarentur. Id verò valebat de aliquibus duntaxat peccatis, quæ dividuntur in peccata et in delicta; pro peccatis sacrificium pro peccato, quod æquè חטאת, חטאה, dicitur et pro delictis sacrificium pro delicto, אשם dictum, statutum erat. Discrimen paulò obscurius est; ex Lev. 4, 5, id modò elucet: peccata hoc sensu strictissimo, esse transgressiones legum negativarum, non sine testibus admissas; delicta autem esse transgressiones legum affirmativarum sine omni teste commissas; in adulterio enim cum ancillâ, Lev. 19, 20, 22, spectatur intermissio redemptionis ex servitute. Pœna erat, quòd reus jacturam victimæ faciebat, et, non quidem peccatum, sed delictum super caput animalis ad suam confusionem confitebatur, et, si neglexerat restitutionem injustè partorum, non modo aliena restituebat, sed etiam quintam partem pro indemnitate addebat, Lev. 6, 1, 5. Num. 5, 5, 10; restitutio enim domino, vel ejus hæredibus, vel horum defectu sacerdoti, tanquàm ministro Jehovæ, præstanda, semper ad amussim exigebatur; quare, ut res notissima, in novo Fœdere non commemoratur Eph. 4, 28.

§ 247. *Mulcta.* — Mulcta alia ad arbitrium læsi, alia ad æstimationem arbitri, et alia ex lege præstanda erat. Ita כפר נפש, פדיון נפש, seu lytrum pro illis pœnis corporalibus, quæ jure talionis infligendæ venirent, arbitrio læsi, Exod. 21, 30; et lytrum, quod dominus, monitus de tauro cornupetâ, qui dein hominem liberum interemit, arbitrio vindicis sanguinis relictum erat; hoc solo casu lytrum pro pœnâ capitis permissum fuit. Exod. 21, 28, 31. Si verò viri rixantes gravidam læsissent, ut citiùs pareret; mulcta ad æstimationem mariti et arbitri solvenda fuit. Pro servo denique, qui à bove cornupetâ interemptus fuit, à domino, qui scivit, bovem esse ferocem, ex lege Exod. 21, 32, pendendi erant 30 sicli, conf. Deut. 22, 19. Mulctæ omnes læso solvebantur.

§ 248. *Pœna furti.* — Furtum et fraus quælibet, duplo resarcienda erat, Exod. 22, 3, 6, 8; si verò ovis, furto ablata, jam mactata vel vendita erat, ut, furem de restitutione non cogitâsse, pateret, quadruplo, et bos eodem casu quintuplo resarciri debuit, quia oves in desertis furto magis expositæ, et boves ad agriculturam necessarii erant, Exod. 21, 37. Si fur solvendo impar erat; cum uxore et liberis in servitutem vendebatur, Exod. 22, 2. 2 Reg. 4, 1, conf. Gen. 43, 19; 44, 7. Capitis verò pœna duntaxat in furem qui de anathemate quidquam subripuerat, statuta fuit, Jos. 7, 25; nam quod David 2 Sam. 12, 5, de raptore ovis dicit: *Filius est mortis,* nihil aliud est, nisi *reus, pœnâ dignus est;* addit enim, ut raptor ovem raptam et mactatam, quadruplo resarciat; hinc simul apparet, furtum et raptum eodem jure venisse. Qui verò furem noctu, ante solis ortum, parietes perfodientem, in conflictu occidit, impunis erat, quia non poterat scire, an non venerit concilio occidendi, neque eum agnoscere, ut illum in jus vocaret, Exod. 22, 1.

§ 249. *Pœnæ corporales.*— Pœnæ corporales erant ictus baculi, Lev. 19, 20. Deut. 22, 18; 25, 2, 3, nec dignitas personæ exceptionem admittebat; hinc verbera generatim pro pœnâ veniunt, Prov. 10, 13; 17, 26. Jer. 37, 15, 20. Ps. 89, 33. Id nunc, ut olim, est in Oriente jus commune, hoc solo discrimine, quòd nunc ictus plantis pedum, olim autem tergo infligebantur. Instrumentum erat baculus. Crudeles scorpionibus, i. e. flagellis, quæ cuspidibus ferreis munita erant, et à Romanis horribilia dicta sunt, utebantur; hæc verò non erant ex lege Mosaicâ, sed immanibus heris in servos usitata, 1 Reg. 12, 11. Ad ictus condemnatus, pronus in terram sternebatur, et præsente judice ad summum 40 ictibus cædebatur, Deut. 25, 2, 3. Judæi recentiores, justo scrupulosiores, ne errore numerum excederent, ictus 40 uno dempto, seu 39, et quidem in synagogis infligebant, Matth. 10, 7, 17, 26, atque juxta Thalmudicos, Maccoth, 3. 10, flagello utebantur, quod tribus loris constabat, ut quolibet ictu triplicem plagam infligerent; quare nonnisi 13 ictibus percutiebant, qui

conficiebant 39, 2 Cor. 11, 24. Cum his nequaquàm confundenda est crudelis Romanorum flagellatio, nullo ictuum numero adstricta, à quâ tamen lege Porcia, cives romani exempti erant, Cicero pro Rabirio, ad famil. X, 32, in Verrem V, 53, conf. Act. Apost. 16, 22, 23, 30, 37. Excæcatio Hebræis consueta non erat, nec in aliis gentibus ad pœnam decernebatur, sed ne excæcatus moliri quidquam posset. Ex hâc causâ excæcabantur reges rebelles, et in Persiâ sec. XVII, filii regis, nempe stylus argenteus, quo oculi stibio fucari solent, candens admovebatur oculis, ut acies destrueretur, et nonnisi debile lumen remaneret, quo objecta discerni non poterant.

§ 250. *Jus talionis.* — Qui alterum in rixâ ita percussit, ut lecto affligeretur, eum indemnem præstare tenebatur, Exod. 21, 18, 19. Qui verò mox initio rixæ, deliberatè vel ex insidiis, membrum aliquod alterius læsit, jure talionis eodem membro lædendus erat, ut non modò vita pro vitâ, sed etiam oculus pro oculo, dens pro dente, pes pro pede, manus pro manu, adustio pro adustione, vulnus pro vulnere, livor pro livore redderetur, Exod. 21, 23, 25. Lev. 24, 19, 22. Testis quoque mendax eodem talionis jure, illâ pœnâ afficiendus erat, quæ crimini, pro quo mendaciter deposuerat, decreta erat. Deut. 19, 16, 21. Ætate Christi. Matth. 5, 38, 40, cum disciplinâ morum confundebatur hoc jus criminale, ex quo solùm à judice ad actionem læsi, sententia ferenda erat, et ex quo læsus satisfactionem majorem petere non poterat, et neque hanc petere tenebatur, sed licebat, ante vel post sententiam judicis, de aliâ satisfactione transigere cum reo, qui profectò per se ipsum et per amicos, omnem lapidem moverit, ut læsus datâ pecuniâ, כפר, פדיונ placaretur. Jus hoc omnibus antiquis gentibus commune erat, et medium profectò est efficacissimum, à læsionibus absterrendi; progressu autem temporis, quùm mores mansuescebant, transactiones in jus ordinarium abierunt, ut demùm satisfactio arbitrio prætoris relicta fuerit. Argumenta, quibus hoc jus impugnatum fuit, ad rem non faciunt; uti si dicunt, hoc jure cives mutilatos multiplicari; nam potiùs minuuntur, quia pœna hæc à læsionibus efficaciter deterret; vel si dicunt, difficile esse, aut prorsùs fieri non posse, ut alteri vulnus non majus infligatur, quàm auctor injuriæ, intulit; id enim ipse sibi imputet.

§ 251. *Supplicia Mosaica.* — Pœna mortis Gen. 9, 6, in homicidas statuitur, genus autem supplicii non definitur. Decollatio in Ægypto usitata fuit, Gen. 40, 17, 19, Hebræis itaque nota erat, et sub regibus non quidem ipsa; aliquid tamen simile occurrit, 2 Sam. 4, 8; 20, 14. 2 Reg. 10, 6, 8. Postremis temporibus reges, præsertim Herodes et ejus posteri, decollationis sententiam non raró tulerunt, Matth. 14, 8, 12. Act. 12, 2. Lex Mosaica verò nequaquàm eam statuit, sed gladium, quo reus quâcumque ratione interimebatur, ut vel ex phrasibus liquet: *irrue in eum.... et irruit in illum*, Jud. 8, 21. 1 Sam. 22, 18. 2 Sam. 1, 15. Reg. 2, 15; 29, 31, 34. Probabiliùs executor sententiæ gladio in ventrem rei irruebat. — Alterum supplicium ex lege Mosaicâ est lapidatio, pluribus antiquioribus gentibus usitata. Ut videtur, ex antiquâ consuetudine, statuit lex Mosaica ut testes conjicerent primos lapides in reum, et demùm universus populus lapidaret, Deut. 13, 10; 17, 7. Jos. 7, 25. Joan. 8, 7. Quod Thalmudici Sanhedrin 6, 1, 4, decernunt, ut reus primùm ex contabulato quopiam dejiciatur, et dein lapidetur, commentum est. Hoc supplicium intelligendum est, ubicumque genus mortis non definitur, adeòque etiam Lev. 20, 10. Deut. 23, 22, de adulteris, prout Ezech. 16, 38, 40. Joan. 8, 5, exponitur, conf. quoque Exod. 31, 14, et 35, 2, cum Num. 15, 35, 36, ut adeò auctoritas Thalmudicorum, qui strangulationem intelligunt, prorsùs nulla sit.

§ 252. *Excisio ex populo; excommunicationes.* — Si Deus dicit: *Exscindam illum de populo,* de providentiâ divinâ intelligendum est, quâ futurum sit, ut familia ejus emoriatur, conf. 1 Reg. 14, 10; 21, 21. 2 Reg. 9, 8. Si autem dicitur, *de populo suo exscindatur,* supplicium lapidationis intelligendum est, Lev. 17, 4; 20, 10, 18, conf. Exod. 31, 14; 35, 2. Hebr. 10, 28. Judæi verò recentiores excisionem de excommunicatione interpretati sunt, et tres ejusdem species introduxerunt. Levissima est separatio à Synagogâ et à consortio Judæorum ipsius quoque uxoris et domesticorum ad quatuor cubitos, per 30 dies, qui, nisi excommunicatus resipiscat, duplicantur et triplicantur, etsi peccata, ob quæ infligitur, adeò grandia non sint, Buxtorf. Lex. Chald. Thalm. Rabbin. col. 1304, seqq. — Gravius est anathema, quod cum imprecationibus, in cœtu 10 virorum pronuntiatur et reum ab omni communione Judæorum excludit, solùm victualia ab eis emere potest; Buxtorf. Lex. Chald. Thalm.

Rabb. col. 827, conf. Joan. 16, 1, 2. 1 Cor. 5, 2, 9. — Excommunicatio tertia est gravissima שמתא, solemnis exclusio ab omni prorsùs communione Judæorum, ut reus judicio Dei relinquatur, Buxtorf. Lex. Chald. Thalm. Rabb. col. 2465, 2470. An nomen שמתא idem sit cum שם אתא, *Nomen*, i. e., *Deus venit*, et cum μαρὰν ἀθὰ, מרן אתא, *Dominus noster venit*, disputatur; multò verisimilius est, illâ ætate secundam excommunicationem à tertiâ non fuisse distinctam, et 1 Cor. 5, 5. 1 Tim. 1, 20, exprimi verbis : *Satanæ tradere ad perditionem carnis.*

§ 253. *De infamiâ post supplicium.* — Infamia vivorum in lege mosaicâ non occurrit, in quospiam autem, supplicio affectos, triplex infamiæ genus decernitur. I. Combustio rei lapidati, ex consuetu line retenta, Gen. 38, 24. Lev. 20, 14; 21, 9. Jos. 7, 15, 25; præceptores Judæorum somniant, in os rei vivi plumbum liquefactum infusum fuisse. II. Suspensio cadaveris in arbore vel stipite, in Ægypto usitata, Gen. 40, 17, 19. Num. 25, 4. 5. Deut. 21, 22, 23. Suspensus respiciebatur tanquàm *à Deo maledictus*, i. e., *à Deo punitus, abominationi expositus*; quare eâdem die deponendus et sepeliendus erat. Quod 2 Sam. 21, 6, narratur, Gabaonitarum, non Israelitarum est. Hæc suspensio à crucifixione Romanorum quidem longissimè distabat; ast Judæi legem Deut. 21, 22, 23, ad hanc quoque extendebant; Joan. 19, 21, seqq. Gal. 3, 13. III. Lapidatio cadaveris, vel loci, in quo affectus supplicio sepultus fuit. Jos. 7, 25, 26. 2 Sam. 18, 17. Hinc exsurgebat acervus lapidum, cui posthàc quilibet transiens, ut aversationem criminis testaretur, lapidem adjiciebat. Conf. supra, § 204.

§ 254. *Supplicia exotica.* — Alia supplicia, quæ in Bibliis occurrunt sunt exotica, quæ recentiori ætate inter Hæbreos quoque invaluerunt. I. Decollatio, Persis, Græcis, Romanis et multis aliis gentibus usitata. II. Strangulatio, ad quam 1 Reg. 20, 31, alluditur. Judæi recentiori ævo eam Mosi obtruserunt; phrasim enim, *morte moriatur*, interpretantur de strangulatione, tanquàm levissimo supplicio, quòd verò ab ipsis nequaquàm levissimum describitur, nam præcipiunt Sanhedr. 10, 3, ut reus strangulandus usque ad medium corporis in fimum defodiatur, et sudario, colle injecto, à duobus lictoribus ex utrâque parte attracto juguletur, et ori simul plumbum igni liquefactum infundatur. III. Combustio vivorum in clibano, qui ut diximus, puteo similis erat, Dan. 3. Conf. Chardin *Voyage* T. IV, p. 276. Supplicium Chaldæis usitatum. Jer. 29, 22. IV. Fossa leonum, hodiedum in regno Fess. et Marocco usitata, Dan. 6. V. Dichotomia chaldaica et persica, quâ reo manus sinistra et pes dexter, vel manus et pedes articulatim abscindebantur. Dan. 2, 5. Ezech. 16, 40; 23, 46, 47. Luc. 12, 46. Matth. 24, 51. Mutilatio supplicio affectorum occurrit 2 Sam. 12. VI. Τυμπανισμός, supplicium græcum, servis præfinitum, quo reus in stipite suspensus, scipionibus ligneis verberabatur, donec moreretur, 2 Mach. 6, 10, 19, 28, 30. Hebr. 11, 35. VII. Reus nonnunquam, inprimis in Persiâ, serrâ per longum dissecabatur, quo supplicio Isaiam à rege Manasse affectum fuisse, tradunt Thalmudici, Sanhedrin p. 103, c. 2, conf. Justinus dial. cum Tryphone. David eo usus est in devictos incolas Rabbath Ammon, conf. 1 Paral. 20, 3. VIII. Romani cogebant reos, et captos quoque hostes, ad oblectamentum populi in theatris cum bestiis, vel etiam more gladiatorum contra se invicem, usque ad mortem decertare, Timoth. 4, 17. conf. 1 Cor. 15, 32. IX. Persis erat septus altis parietibus locus, cinere completus, supposito tigno prominente, in quem magnates collocabantur, et benignè cibo et potu nutriebantur, donec somno sopiti in illam insidiosam congeriem deciderent, et lentâ morte perirent. Hoc supplicium Macedones in Syriâ imitati sunt, 2 Machab. 13, 4. X. Græci et Romani nonnullos, præsertim sacrilegos, suspenso lapide in collo, et sacco impositos, in mare vel fluvium præcipitabant, conf. Matth. 18, 6. Marc 9, 4. XI. Crucifixio Persis, Carthaginiensibus et Romanis usitata erat; romanam reges quoque Asmonæi receperunt; Jesus verò Salvator, agentibus tumultuosè Judæis, à Romanis crucifixus fuit; quare de hoc supplicio plura dicenda veniunt.

§ 255. *Crucifixio romana.* — Crux à Romanis decreta erat facinorosis servis, latronibus, sicariis et seditiosis, quibus Judæi Jesum accensebant, quia se regem dicebat, Luc. 23, 1, 5; 13, 16. — Latâ sententiâ : *Ibis ad crucem*, cruciarius, omnibus vestibus spoliabatur, et stipiti humili, usque ad lumbos pertingenti, alligatus, interdùm virgis, plerùmque verò flagellis adeò dilaniabatur, ut ministrorum immanitate non pauci interierint. Jesus etiam spinis coronatus et illusus fuit; strictè id petulantiæ militum romanorum debetur, ad supplicium crucis non pertinebat, Matth. 27, 29, Marc. 15, 17. Joan. 19, 2, 5. Nam aliàs cruciarius flagel-

latus mox crucem ipse trahebat ad locum supplicii, qui erat extrà urbem in aliquo colle penès viam publicam, et Jerosolymæ quidem in plagâ occidentali versùs septentrionem.—Crux, quæ *infame lignum, infelix lignum*, σταυρος, i. e. *stipes*, dicebatur, constabat stipite perpendiculari, et altero transverso, in formam litteræ T, eminente tamen supra stipite perpendiculari, cui scripta causa supplicii affigebatur. De suppedaneo silent veteres, qui hoc supplicium et cruces quàm plurimas viderunt, sed testantur, in medio ferè stipitis perpendicularis, eminuisse clavum instar cornu, cui cruciarius, ne corporis pondus fixuram manuum rumperet, inequitabat ; hinc illæ phrases : *Cruci inequitare, cruce invehi, acutâ cruce sedere, acutâ cruce requiescere*, conf. Irenæus contra Hæres. II, 42, Justinus dial. cum Tryph. Tertullianus adv. Nation. L. II, et adv. Marcion. L. III, c. 18. — In loco supplicii, crux primùm erecta, terræque infixa, firmabatur; altitudo vix 10 pedes superabat. Cruciarius prorsùs nudus ad clavum in medio stipitis eminentem, elevabatur vel funibus attrahebatur, ut eidem inequitanti mox manus ex utrâque parte trabi transversæ funibus alligabantur, et dein clavis per palmas transactis affigebantur. Hinc illæ phrases : *Tollere in crucem, ferre in crucem, agere in crucem, ascendere in crucem, salire in crucem, excurrere in crucem*, conf. Cicero in Verrem. V. 66, et Josephus de Bell. VII, 6, 4. Quospiam cruciarios non fuisse clavis affixos, sed duntaxat funibus alligatos, nullo antiquorum testimonio probari potest. Pedes verò fuisse quoque clavis affixos, disertè legitur in Plauti Mostellariâ Act. II, sc. I, 12, conf. Tertullianus adv. Judæos c. 1. adv. Marcion. L. III, c. 19. Non ambos pedes unico clavo, sed singulos singulis clavis affixos fuisse, verisimilius est ; nam Cyprianus, qui cruciarios vidit, de passione dicit, singulos clavos singulis pedibus adhibitos fuisse. — Ita cruciarius affixus hærebat, donec moreretur, et cadaver putresceret. Quamdiù vivebat, vigiliæ aderant, quæ eo mortuo discedebant, sed, ut cadaver humaretur, concessum non fuit, nisi ex singulari indulto, quod Cæsar nonnunquàm die suo natali, uni alterive largiebatur. In Judæâ autem Romani, ob Deut. 21, 22, 23, concedebant, ut cruciarii eâdem die humarentur ; quare eos fumo, ex igne sub cruce excitato, suffocabant, vel bestias eis immittebant, vel malleo ossa ad crucem, tanquàm ad incudem, contundebant, vel lanceâ latus perforabant, ut morerentur, et humari possent.

Judæi his ultimis temporibus ex Prov. 31, 6, reo ante supplicium, vinum myrrhatum præbebant, ut mente turbaretur, et dolores minùs sentiret, Sanhedrin I, p. 250. Hunc potum Jesus, ut serenâ mente pateretur, recusavit, Matth. 27, 24. Marc. 15, 23. Ab hoc potu distinguendum est acetum, seu posca, quam miles romanus ei in cruce porrexit, Matth. 27, 48. Marc. 15, 36. Luc. 23, 36. Joan. 19, 29.

§ 256. *Immanitas crucifixionis.* — Quemadmodùm ignominiosissimum, ita quoque crudelissimum et teterrimum fuit crucis supplicium, quo Cicero in Verrem V, 64 et 66, dicit, ab oculis auribusque et omni cogitatione hominum removendum esse. Atrocitas sistitur à medico Georg., Gottl. Richter Diss. de Morte Servatoris in cruce p. 36, seqq. 1° Situs corporis violentus, brachiis sursùm extensis, per tantum tempus immobilis, ubi vel minima motitatio dolores manuum et pedum clavis perfossorum et tergi flagellatione laniati, exacerbabat. 2° Clavi per loca palmarum et pedum, nervis et tendinibus plena, trajecta, dolores ineffabiles creabant. 3° Tot vulnera sub aeris liberrimi circumfusi attactu, inflammabantur, unde dolor omni momento magis increscebat. 4° In loca tensa et pressa plus sanguinis per arterias influebat, quàm revehi per venas potuit, et aorta, inter illa in extremis obstacula, fluxum sanguinis magis ad caput et ventrem determinans, ibi pressis carotidibus rubores faciei doloresque capitis pariebat, hic opportuniora ad stasin et corruptelam loca occupabat. Illud autem longè atrocius erat, aortam, quæ jam non, ut olim, æquali et placidiori rivo per patentia vasa se liberabat, omnem, quem sinister cordis sinus suggerit, sanguinem minimè suscepisse, neque pulmonali sanguini liberum hùc aditum fuisse, adeòque et dextri cordis sinum, sub nixu expulsionis suæ in oppletum pulmonem, horrendâ anxietate, quæ omni dolore et ipsâ morte intolerabilior erat, laborâsse. Arteriæ et venæ pulmonales, coronoriæ, intercostales, omniaque majora vasa circa cor, ob copiam hùc redundantis et accumulati sanguinis, angores vehementissimè intendebant. 5° In his, perpetuò crescentibus tormentis, cruciarius plerumque usque ad tertium, nonnunquàm quoque usque ad septimum diem vivebat; hinc Pilatus audiens, Jesum obiisse, rei veritatem à centurione militum exquisivit, Marc. 15, 44 ; hinc quoque latronibus, cum Jesu crucifixis, ossa frangebantur, ut morerentur, et hâc adhuc die sepeliri pos-

sent, Joan. 19, 37; hinc Jesu quoque latus sinistrum miles lanceâ perforavit, ut videret, an duntaxat deliquium passus, vel reàpse mortuus esset; ast nullum vitæ signum observatum fuit, Joan. 19, 31, 37; quòd si mortuus non fuisset, ipsa hæc lateris perforatio ei vitam ademisset, prout medici Eschenbach opuscul. med. *de Servatore non apparenter sed verè mortuo*, et Frid. Gruner Diss. inaug. med. *de Jesu Christi morte verâ, non synopticâ*, 1805, ostenderunt; pertusum enim fuit pericardium, hinc lympha et sanguis effluxit.

§ 257. *Executor supplicii.* — Sententias mortis à rege latas, milites prætoriani exequebantur, sed etiam alius quicumque hoc officium sibi honori ducebat, 2 Sam. 1, 15, 4, 12. Reges Persiæ olim, ut hodiedùm, latam mortis sententiam revocare non poterant, Dan. 6, 15, 25. Rei quoque passim proprio cingulo vinciebantur, et ad supplicium rapiebantur. conf. Act. Ap. 21, 10, 14. Joan. 21, 18. — Homicidæ à vindice sanguinis, i. e., à proximo cognato interficiebantur, de quo mox plura dicemus. Lapidationem autem testes inchoabant, et omnis populus prosequebatur et consummabat, Deut. 17, 7. — Magistratus romani suos quidem habebant lictores; ast sententiam crucis ætate Cæsarum exequebantur milites, ad quos vestes cruciarii, quasi præda, pertinebant, Matth. 27, 35. Marc. 15, 25. Luc. 23, 24. Joan. 19, 23, 24.

§ 258. *De vindice sanguinis, et de urbibus asyli.* — Executio supplicii, ex antiquissimo decreto divino, Gen. 9, 6, in homicidam statuti, devoluta est in fratrem aut proximum cognatum, qui, nisi reum occideret, infamis erat, unde Hebræis dicitur גואל, quasi *maculatus*, donec homicidium vindicaverit. Jus hujus generis, ubi non habetur tribunal, necessarium est; mutandum autem foret, quamprimùm judices constituunttur. Lex Mosaica verò ob adjuncta temporum jus quidem reliquit, sed abusus præcavit, decernendo asyla, *urbes refugii* tres trans, et tres cis Jordanem, ad quas viæ ex omni parte, lineà rectà sternendæ et signandæ erant, ut qui quempiam inopiatè præter intentionem, vel iniquum vitæ aggressorem, vel furem ante solis ortum occidisset, eò fugeret; sed ex urbe demùm non egrederetur usque ad mortem summi sacerdotis, postquam jus vindicis extinctum esset. Ingratum hoc, et incommodum quasi exilium et imprudentiæ metum, et prudentiæ studium injiciebat: atque ostendebat, maximum esse humanæ vitæ pretium, quam nemo, ne casu quidem aut per imprudentiam, alteri eriperet, nisi et ipse aliquid inde pateretur. — Cæterùm, in urbibus asyli, quæ sacerdotum et levitarum erant, et Deut. 19, 1, 13, 4, 41, 43. Num. 35, 9, 29. Jos. 20, 1, 9; 21, 11, 13, 21; 27, 32, 36, 38, nominantur, omnes quidem recipiebantur, sed demùm examinabantur, etsi rei deprehenderentur, vindici sanguinis tradebantur; nam homicidæ strictissimo jure talionis tenebantur, ut nec altare asylum præberet, neque lytrum suscipiendum esset, Exod. 21, 12. Num. 35, 9, 35. Deut. 19, 5, 13. 1 Reg. 2, 28, 34. Cæterùm, antiquissima est Orientalium opinio, locum in quo sanguis hominis effusus est, nec rore, neque pluviâ irrigari, donec homicida pœnas dedisset, conf. 2 Sam. 1, 21.

Ad mortem sibi ipsis inferendam nequaquàm propensi videntur fuisse Hebræi; quare de suicidio, nihil in lege disertè occurrit. Sed leges, quæ summum vitæ humanæ et decus et pretium declarabant, divinitùs eædem ad naturalem unicuique propriæ vitæ amorem corroborandum efficacissimæ erant.

§ 259. *Homicida ignotus.* — Si occisus in campo inventus erat, nec homicida detegi poterat, exibant seniores et judices proximarum urbium, et examinabant, quæ urbs cadaveri sit proxima, atque hujus urbis seniores demùm vaccam, quæ nunquàm jugum portavit, ad fluvium perennem adductam, ita mactabant, ut sanguis in fluvium descenderet, ac sic aquis ejus quasi auferretur, et præsentibus sacerdotibus, manus in flumine lavantes, dicebant: *Manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc, nec oculi* (nostri effundi) *viderunt; propitius esto, Domine, populo tuo Israel, quem redemisti, et ne reputes sanguinem innocentem* (culpam homicidii) *in medio populi tui Israel* (populo tuo Israel)! Deut. 21, 1, 9. Hic ritus non modò innocentiam judicum et seniorum, et abominationem cædis, sed etiam pœnam, quam homicida meruit, testabatur.

CAPUT IV.

DE RE MILITARI.

§ 260. *Conspectus rei militaris.* — Ex rixis singulorum natæ sunt progressu temporis pugnæ familiarum, prælia tribuum, et demùm bella gentium et populorum. Præda, quâ ditabantur victores, alliciebat potentiores ad capessenda arma, et viam sternebat ad feritatem, quam, ut patriarchæ post diluvium evitarent, servos armis instruebant, ut ad

vim vi repellendam semper parati essent; erga alios autem æquitatem observabant, atque fœdera cum vicinis pangebant, quibus sibi securitatem procurarent, et aliis verecundiam inculerent. Quùm familiæ in tribus excrevissent, servis armatis opus non erat, sed quilibet ingenuus armis assuefiebat, et contra hostes in arenam descendebat. Arma pleraque jam in Pentateucho occurrunt. Hebræi posthàc bello vicinis jam superiores, jam inferiores, generatim utcumque pares erant, donec sub Davide multò superiores fierent. David militem perpetuum, quem Saul induxerat, auxit, et Salomo etiam equitatum et currus bellicos invexit, qui sequenti ævo quidem retenti, et ingentes quoque exercitus coacti sunt, atque munitiones et arma perficiebantur; ast ars militaris parùm profecit. Post exilium, rei militaris auctores fuerunt Machabæi; verùm eorum posteri præpotentibus Romanis succubuerunt.

§ 261. *Conscriptio populi.* Secundo anno post egressum ex Ægypto, conscripti sunt, qui ad tractanda arma erant idonei, nempe qui ætatem 20 annorum attigerant, et qui 50 annos nondùm excesserant. Levitæ, qui vigilias sacri tabernaculi agebant, sigillatim conscripti sunt, Num. 1, 1, 54. Conscriptio anno quadragesimo post egressum ex Ægypto, repetita fuit, Num. 25, 19, seqq. Principes tribuum, dubio procul per genealogos, conscriptiones curabant, ex quibus demùm, instante bello, milites legebantur; totus enim populus nonnisi singulari casu ad arma vocabatur, Jud. 20. 1 Sam. 11, 7. conf. Exod. 17. Num. 31. Jos. 7, 7, 11, 12. Conscriptio sub Davide, 2 Sam. 24, quæ ipsi Joabo displicuit, eò spectàsse videtur, ut totus populus militiæ perpetuæ manciparetur; quare non per genealogos, sed per præfectos militares peracta fuit, nec de eà usitatum aliàs verbum מנה, sed ספר usurpatur. Hæc universalis conscriptio populi interrupta quidem fuit; at sub regibus sequentibus invaluisse videtur, alioquin ingentes illi exercitus, qui in libris regum memorantur, demptis etiam locis de mendo librariorum suspectis, cogi non potuissent.

§ 262. *Delectus militum.* — Delectum militum, instante bello, genealogi curabant, Deut. 20, 5, 9. Sub regibus erat quoque supremus genealogorum præfectus, qui numerum militum tenebat, et à summo præfecto militari distinguitur 2 Paral. 26, 11, conf. 2 Sam. 8, 17; 20, 25. 1 Paral. 18, 16. Lectis militibus à genealogis annuntiandum fuit, quinam vacatione à militiâ gaudeant, Deut. 20, 5, 8, nempe 1° Qui domum ædificârant, et nondùm incoluerant. 2° Qui vineam aut hortum olearum plantârant, et fructus nondùm perceperant, adeòque primis quinque annis. 3° Qui sponsam emerant, nuptias verò non celebràrant, aut anno cum eà nondùm vixerant. 4° Timidi, qui alioquin nonnisi aliorum animos dejecissent, et, quia ferè omnia ad magnum animum et fortitudinem redibant, periissent.

§ 263. *Divisio militum.* — Divisio exercitûs in tria agmina, quæ Gen. 14, 14, 15. Job 1, 17. Jud. 7, 16, 20. 1 Sam. 11, 11. 2 Sam. 18, 2, memoratur, probabiliùs erat cornu dexterum, et sinistrum, atque centrum. Præfecti harum divisionum, שלשים dicti fuisse videntur, Exod. 14, 7; 15, 4. 2 Reg. 7, 2, 17, 19; 9, 25; 15, 25. Ezech. 23, 15, 23. — Hebræi egredientes ex Ægypto, more militari divisi, progrediebantur על צבאתם, Exod. 12, 51, quæ dictio Exod. 13, 18, permutatur cum חמשים, fortasse meliùs חמשים, ut divisio ad quinquaginta exacta fuerit, et 50 viri in longitudinem sese sequerentur; hinc occurrunt præfecti 50 militum, qui in capite lineæ consistebant, 1 Sam. 8, 12. 2 Reg. 1, 9, 14, 19, conf. Jos. 14; 3, 12. Jud. 7, 11. — Aliæ divisiones erant 100, 1000 et 10,000 virorum, quarum cuilibet præerat præfectus, Num. 31, 48. Deut. 1, 15. Jud. 20, 10. 1 Sam. 8, 12; 18, 13; 29, 1. 1 Mach. 3, 55. Hæ divisiones juxta familias, 2 Paral. 25, 5; 26, 12, 13. Centuriones et chiliarchæ consiliis bellicis participabant, 1 Paral. 13, 1, 3. 1 Sam. 18, 13, et videntur Jos. 10; 24. Jud. 11, 6, 11, vocari קצינים. Dux totius exercitûs dicebatur שר על הצבא et qui conscriptionem ejus curabat, הסופר, qui non est confundendus cum ספר הביגדלים, Isa. 33, 18. 1 Paral. 18, 15, 16; 27, 33. 1 Reg. 4, 4. 2 Paral. 17, 14; 26, 11. — Sub Davide ducenta octoginta millia virorum erant, quorum 24,000 cum suo duce, alternis per mensem militiam obibant, 1 Paral. 27, 1, 15. — Sub rege Josaphat exercitus in quinque inæquales partes divisus erat, quarum quælibet suo duci parebat, 2 Paral. 17, 14, 17. — Ex lege Deut. 20, 9, genealogi præfectos militum designabant, et dubio procul capita familiarum seligebant, quod sub regibus desiit; præfecti enim tum erant perpetui, partim principes familiarum, partim alii à rege selecti. — Duces et reges habebant armigerum, qui ex fortissimis viris selectus erat, et non modò

arma domini sui portabat, sed etiam mandata ad alios præfectos deferebat, et domino suo in omnibus periculis præstò erat, 1 Sam. 14, 6; 17, 7. conf. Polybius X, 1.

Equitatus, currus bellici, et exercitus pedestris, diversa erant agmina, Exod. 14, 6, 7; exercitus quoque pedestris, juxta diversitatem armorum, divisus erat in velites et in hastatos, Gen. 49, 19. 1 Sam. 30, 8; 15, 23. 2 Sam. 3, 22; 4, 2; 22, 30. Ps. 18, 30. 2 Reg. 5, 2. Os. 7, 1, 10. Velites fundâ, jaculis, arcu, sagittis, pharetrâ, gladio, et recentiori saltem ævo etiam parmâ armati, hostem eminùs impetebant; hastati autem, gladiis, hastis et clypeis armati, cominùs pugnabant, 1 Paral. 12, 24, 34. 2 Paral. 14, 7; 17, 17. Velites inprimis ex tribu Benjamin et Ephraim legebantur, 2 Paral. 14, 7; 17, 7. conf. Jos. 20, 16, et Gen. 49, 27. Ps. 78, 9. — Milites romani in legiones, legiones rursùs in 10 cohortes, σπειρας, cohortes in tres manipulos, et manipuli denique in duas centurias dividebantur, ut legio 30 manipulis seu sex millibus virorum, et cohors sexcentis viris constaret quanquàm numerus non fuit semper æqualis. In Palæstinâ, ætate Josephi Fl. de Bell. III, 4, 2, quæpiam cohortes erant 1000 peditum, aliæ 600 et 120 equitum, conf. Matth. 27, 27, 28. Marc. 15, 16. Act. 10, 1; 21, 31; 27, 1. Cohortibus Palæstinensibus erant quoque velites δεξιολαβοι, hastis et jaculis armati, Act. 23, 23. — A militibus Romanis in novo Fœdere distinguendi sunt, non modò milites Herodis Agrippæ, Act. 12, 4, quorum quaterni more Romanorum, vigilias agebant; sed etiam Levitæ, vigiles templi, quorum præfectus erat spectabilis sacerdos, Luc. 22, 4, 52. Act. 4, 1, 5, 24, nec obstat, de his quoque Joan. 18, 3, 12, nomen cohors, σπειρα, usurpari. Conf. Menochius de Republ. Hebr. libr. 6, c. 12, quæst. 5.

§ 264. *Lustratio militum; divisio armorum.* — Quando milites lustrabantur, juxta armorum diversitatem in agmina divisi, *inspiciebantur,* quod verbum פקד, de lustratione militum usitatum, propriè dicit. Arma autem, quibus instructi se lustrationi sistebant, alia erant defensoria 1 Sam. 17, 38, ut scutum, galea, thorax, ocreæ et armillæ; alia erant aggressoria, vel cominùs, ut gladius et hasta, vel eminùs, ut funda, sagittæ, jacula, catapultæ et ballistæ. De his jam sigillatim agendum est, addenda etiam quæpiam de munitionibus, de vallo seu aggere, de circumvallatione, de machinis, de equitatu et de curribus bellicis.

§ 265. *Clypei.* — Clypeus jam Gen. 15, 1, et deinceps sæpiùs tropice pro tutelâ usurpatur, 2 Sam. 22, 31, 36. Prov. 30, 5. Ps. 47, 10; 144, 2. Alius clypeus, צנה, et tertius, סחרה, primitùs Ps. 91, 4, cum מגן occurrit. Discrimen horum clypeorum ex 1 Reg. 10, 16, 17, coll. 2 Paral. 9, 16, colligitur, מגן nempe fuisse clypeum minorem, צנה verò majorem, qui totum corpus tegebat; hinc צנה semper hastæ, מגן autem gladio et sagittis jungitur 1 Paral. 12, 8, 24, 34, 5, 18, 2 Paral. 14, 7; 26, 14. Nomen סחרה, ex etymologiâ, clypeum rotundum seu parmam significat. Quale genus clypei fuerint שלטים, שלטי, non liquet; clypeos autem fuisse, constat ex collatione 2 Reg. 11, 10, cum 2 Paral. 23, 9. 2 Sam. 8, 7. 1 Paral. 18, 7, 8. Clypei erant ex levi ligno parati, vel ex salicibus plexi, et pellibus taurorum cooperti, vel etiam ex pelle taurinâ duplicatâ vel triplicatâ concinnati. Pellis ungebatur, ut glabra esset, et ab humoribus præmuniretur, 2 Sam. 1, 21, 22. Isa. 21, 5. Clypei ærei erant rari, 1, Sam. 17, 6; interdùm tamen laminâ æreâ, etiam argenteâ vel aureâ obducebantur, 1 Reg. 18, 16, 17; 14, 25, 28. 2 Paral. 13, 13, 16. — Meditullium clypei habebat umbonem, margo autem, ne clypeus terræ impositus, humoribus inficeretur, laminâ ferreâ cinctus erat Ansa, quâ clypeus tenebatur, varia fuit. Tempore pacis clypei in armamentariis asservabantur, 2 Paral. 26, 14; 31, 27, atque etiam ad ornatum parietibus turrium affigebantur, 1 Reg. 10, 16, 17. Cant. 4, 4. Ezech. 27, 2, 3. Tempore belli verò milites clypeos loro, collum et brachium sinistrum ambiente, alligatos portabant, 1 Paral. 5, 18; 12, 8, 24. 2 Paral. 9, 15; 14, 7. Agressuri hostem, clypeos manu sinistrâ in ansâ tenebant, et invicem complicatos, quasi murum, armis hostium objiciebant. Mœnia urbium adorturi, clypeos super capita mutuò compactos tenentes, testudinem, seu tectum omnibus missilibus impenetrabile, formabant, Job 41, 7. Hinc descendunt phrases : *Arripere clypeum, implere* (corpore) *clypeum,* pro : *Se parare ad prælium,* 2 Paral. 25, 5. Ezech. 38, 4, 5. Jer. 46, 9; 51, 11. Clypeum in prælio amisisse, erat ignominiosum; præda autem clypeorum gloriosa, 1 Reg. 11, 26. 2 Paral. 12, 29. 2 Sam. 1, 21. conf. Caryophilus, de veterum Clypeis.

§ 266. *Galea. Lorica.* — Galea erat mitra, frontem, verticem et occiput contegens, et superiùs setis equinis et cristâ ornata. Antiquiori ævo soli hastati galeâ usi fuisse viden-

tur; ast Chaldæi jam omnes galeâ muniti comparent, Ezech. 22, 24. Jer. 46, 4. Rex Uzzias pro militibus galeas in armamentario asservabat, 2 Paral. 26, 14. Materia erat pellis bovina, plerumque tamen, recentiori præsertim ævo, ære obducta. Quia caput militis benè muniebat, tropicè pro tutelâ et præsidio venit, Eph. 6, 17. — Lorica plerumque duabus partibus constabat, quarum altera pectus et ventrem, altera verò tergum tegebat, et ambæ fibulis, in utroque latere jungebantur. Lorica squammata Goliathi, 1 Sam. 17, 5, 38, ærea fuit, quæ et aliàs ducibus non erat insolita. Lorica ab ævo Davidis apud Hebræos invaluisse videtur, et Uzzias inter alia arma quoque loricas in armamentariis deposuit, 2 Paral 26, 14. Quùm loricæ corpus benè munirent, tropicè pro tutelâ veniunt, Isa. 59, 17. Eph. 6, 14. 1 Thess. 5, 8. Apoc. 9, 17.

§ 267. *Ocreæ et vestitus militum.* — De munimento brachii dexteri, seu armillâ militari, nulla in Bibliis occurrit mentio, sed pes dexter Goliathi munitus erat tibiali æreo, 1 Sam. 17, 6; aliàs quoque usitata fuit ocrea, Isa. 9, 4. Hebræis hæc ratio pedes muniendi non videtur fuisse usitata. Milites tunicis longis, quæ impedimento fuissent, abstinebant, et sago utebantur. Inter vestes militares sæpiùs occurrit cingulum, quo gladius gestabatur, Isa. 5, 27. 1 Reg. 17, 39. Eph. 6. 14.

§ 268. *Munitiones.* — Munitiones primæ probabiliùs non erant nisi fossa circa aliquot tuguria, in colle vel monte exstructa; accedebat vallum, quod ex effossâ terrâ exsurgebat, septum, et fortassè contabulatum quodpiam, ex quo lapides in hostes majori vi conjici possent. Talem urbem ædificaverit Cain; nam *ædificare urbem*, Orientalibus est *munire*. Ætate Mosis et Josuæ mœnia quidem erant alta, et turribus instructa; sed reges Hebræorum muniendi artem magis excolebant, et Jerusalem omni tempore erat benè munita, præsertim castellum Sion; ultimis temporibus templum quoque vicem castelli subibat. — Munitiones jam nomine *urbis* veniebant, jam proprio nomine dicebantur מִבְצָר. Sub regibus non carebant præsidiis militum et armamentariis, 2 Paral. 17, 2. 19; 26, 14, 15; 32, 5; 33, 14. Partes autem munitionum erant 1° mœnia, quæ quibusdam urbibus erant duplicia et triplicia, 2 Paral. 32, 5. Solebant exstrui alta et lata; ne facilè transcendi vel perforari possent, Jer. 51, 28. Superiùs latitudo paulisper deficiebat, ut spatium, in quo milites consisterent, superesset; et murus eminens erat denticulatus, ut per incisuras missilibus pugnari posset. 2° Turres muris in certis distantiis altè eminebant, opertæ tecto plano, quod loricâ denticulatâ cinctum erat. Hujusmodi turres quoque supra portas exstructæ erant. Tempore saltem regum erant perpetui in illis vigiles, qui omnia, quæ eminùs conspiciebant, indicabant, et irruptione hostium conspectâ, cornu classicum insonabant, 2 Sam. 13, 34; 18, 26, 27. 2 Reg. 9, 17, 19. 1 Paral. 17, 2. Nahum. 2, 2. In aliis quoque per regionem locis, præsertim celsioribus, turres paulò majores exstructæ erant, in quibus præsidia excubabant, Jud. 8, 9, 17; 9, 46, 49, 51. Isa. 21, 6. Hab. 2, 1. Os. 5, 8. Jer. 31, 6. Hujusmodi turres solitariæ rotundæ, ab Arabibus adhucdùm arces vel castella vocantur, Hebræis nomine צריח veniebant, Jud. 9, 46, 49. 1 Sam. 13, 6. His excubiis comparantur prophetæ Ezech. 3, 16; 27, 11; 33, 1, 9. Os. 12, 13. Ab his turribus distinguendæ sunt speculæ pastorum, 2 Paral. 26, 11; 27, 4, quæ progressu temporis non raro in turres, et demùm in urbes munitas conversæ sunt. Ex his explicanda est phrasis : *A speculâ pastorum usque ad urbem munitam.* — 3° Muri introrsùs sinuati, ut latera oppugnantium ad ictus paterent, erant ultimo ævo Jerosolymæ, Tacitus Hist. V, 11. Orti hinc in mœnibus anguli, 2 Paral. 26, 15, ab Uzziâ rege, 810 ante Christ., inducti sunt, et à Zephaniâ, c. 1, 16, quoque memorantur. 4° Fossa augebat altitudinem mœnium, et difficiliorem reddebat accessum hostium, 2 Sam. 20, 15. Isa. 26, 1. Neh. 3, 8. Ps. 48, 14. Si situs loci, uti Babylone, admittebat, aquâ complebatur. 5° Portæ primùm quidem ligneæ et parvæ erant, et fores vectibus ligneis claudebantur; demùm verò majores et validiores factæ, et, ne incendi possent, laminis æreis vel ferreis obducebantur, quod idem etiam in vectibus, ne clam incidi possent, observabatur, vel vectes ex ferro parabantur, et addita fuit sera, Ps. 107, 16. Isa. 45, 2.

§ 269. *Arma quibus cominùs pugnabatur.* — Arma, quibus cominùs pugnabatur, erant primùm quidem malleus et clava, sed ab Hebræis vix usurpata. Alia verò hujus generis arma erant : 1° Gladius, qui ab Hebræis singulari cingulo gestabatur, 2 Sam. 20, 8. 1 Sam. 17, 39; hinc phrases : *Accingere se gladio*, i. e., *bellum inchoare; et gladium solvere*, i. e., *bellum finire*, 1 Reg. 20, 11. 2 Reg. 20, 8. Gladii Hebræorum videntur fuisse breves; erant ta-

men etiam longiores, Jud. 3, 16, et alii geminâ acie instructi, Ps. 149, 6; Isa. 41, 15. Jud. 3, 16. Gladius conservabatur in vaginâ; unde phrasis : *Extraxit gladium*, Ps. 35, 3. Politurâ splendebat; quare tropicè pro fulmine venit, Ps. 7, 13; hinc Deo quoque tribuebatur gladius, qui à poetis, sanguine ebrius fingitur; imò quælibet pœna aut calamitas, et ipse quoque sceleratus, tanquàm gladius Dei ad puniendos alios repræsentatur, Ps. 17, 13. Jer. 12, 12. 47, 6. Cæterùm, חרב, non ubique gladium, sed sæpè ut Arabibus, bellum significat, Deut. 5, 3. Lev. 26, 6. Jer. 14, 12, 16. conf. μαχαιρα, Matth. 10, 34. 2° Hasta, Num. 25, 7, erat pertica lignea, cuspide ferreâ munita; longitudo pro diversitate temporum et populorum variabat, sed nec 11 cubitis brevior, neque 24 cubitis longior erat.

§ 270. *Arma missilia seu jacula.* — Jacula videntur fuisse duplicis generis; nam 1° חנית ferè semper jungitur armis velitum, Ps. 57, 5. 1 Sam. 13, 21, 22; 18, 10, 21, 9; 22, 6. 2 Sam. 23, 18; in solis locis 1 Paral. 11, 11; 13, 34, majori scuto junctum legitur; quidquid sit, jaculum fuisse, liquet ex 1 Sam. 18, 11; 19, 10; 20, 33, quod fortassè nonnunquàm pro hastâ usurpabatur: hinc 1 Reg. 11, 10, distinguitur per epitheton חנית מוסע. Hæc jacula erant lignea, et cuspide ferreâ munita. 2° כידון jaculum significare, colligitur ex Job. 39, 23, ubi cum חנית jungitur, conf. Job. 41, 20. Jos. 8, 18, 26. 1 Sam. 17, 6. Discrimen horum jaculorum ignotum quidem est; id modò ex Jos. 8, 18, 26, et 1 Sam. 17, 6, colligere licet, כידון majus fuisse jaculum.

§ 271. *Arcus, sagittæ et pharetra.* — Arcus et sagittæ sunt arma antiquissima, Gen. 21, 17; 20, 3; 48, 48, 22; 49, 22, conf. Gen. 9, 14, 15. Sagittarii Hebræis erant permulti, 1 Paral. 8, 18, inprimis ex tribu Benjamin et Ephraim Ps. 78, 13. 1 Paral. 8, 39; 21, 2. 2 Paral. 14, 7; 17, 17. Ad velites pertinebant, qui gladio, scuto et arcu armati dicuntur, 2 Paral. 11, 17. Aliàs, non tantùm à sacris scriptoribus, sed etiam à profanis, sagittarii Persarum laudantur, Isa. 13, 18. Jer. 49, 35; 50, 10, 14, 29, 42. — Arcus erant lignei, rariores æreí, Ps. 18, 35. Job 20, 24. Verùm lignei quoque passim adeò validi erant, ut milites se mutuò ad eos tendendos provocarent. Ut arcus tenderetur, altera extremitas pede in humum imprimebatur, manu sinistrâ flectebatur altera extremitas, et manu dextrâ chorda seu nervus adstringebatur; hinc de tensione arcûs usurpatur verbum *calcare*, 1 Paral. 5, 18; 8, 40. 2 Paral. 14, 8. Isa. 5, 28; 21, 15. Jer. 46, 9. Si arcus laxior erat, dirigentem percutiebat, unde *arcus dolosus* dicebatur, Ps. 78, 57. Os. 7, 16. Ne itaque vitiaretur, in capsam recondebatur. Nervus ex loris, setis equinis, et ex tendinibus boum plexus erat, Iliad. IV, 116, 124. Milites arcum in brachio seu humero sinistro portabant. — Sagittæ primùm ex arundine, demùm verò ex levioribus lignis, parabantur, et cuspide ferreâ muniebantur. Veneno quoque nonnunquam infectas fuisse, ex Job 6, 4. Deut. 32, 24, vix concludi potest; frequentiùs per genistam ignitæ ejiciebantur, Ps. 120, 4. Job 30, 4. Hinc tropicè pro fulguribus usurpantur, Deut. 32, 23, 42. Ps. 7, 14; 28, 3. Zach. 9, 14. — Forma pharetræ, Gen. 27, 3, erat pyramidalis, et in tergo, parte angustiori deorsùm versâ, gestabatur, ut miles, manu dexterâ super humerum protensâ, sagittas expromeret.

§ 272. *Funda.* — Funda armis antiquissimis accensenda est, Job 14, 19, 20. Funditores ad velites pertinebant, et qui, ut Benjaminitæ, manu sinistrâ æquè ac dexterâ utebantur, præ cæteris laudantur, Jud. 20, 16. 1 Paral. 12, 2. Diuturno exercitio opus erat, ut scopus lapide tangeretur, 1 Sam. 17, 49. Funditores exercitui magna commoda præstabant, Diod. Sic. L. XV, 85.

§ 273. *Tormenta*, *Arietes.* — Tormenta arte fabricatæ machinæ, artificia artificis, à rege Josaphat super turres et angulos mœnium disposita sunt, 2 Paral. 26, 15; quare antiquiora esse videntur. Erant duplicis generis, catapultæ et ballistæ. Illæ erant, arcus majores, qui per machinam tendebantur, et non modò maximas sagittas et jacula, sed etiam grandiores trabes, summâ vi projiciebant. Ballistæ verò dici possunt majores fundæ, quæ æquè per machinam tendebantur, et magnos lapides et globos plumbeos jaciebant. — Arietes primùm ab Ezechiele, c. 4, 1, 2; c. 21, 22; c. 26, 9, Chaldæis tribuuntur; ab his autem profectò excogitati non sunt; antiquior itaque est eorum ætas. Erant trabes longæ et robustæ, inprimis querceæ, quarum extremitas ærea in caput arietis conformata erat. Trabs hæc, à militibus brachiis portata, muro impellebatur; progressu temporis verò catenis in æquilibrio suspensa, à militibus contra mœnia, ut perforarentur, agitabatur. Milites hi sub tecto, pellibus recentibus cooperto, à jaculis hostium tuti erant.

§ 274. *Equitatus.* — De re equestri jam alibi plura diximus, quibus id unicum addimus,

Machabæos quoque perspexisse, equitatum in montosâ regione parùm prodesse, et hinc pedites eò magis curâsse, atque per hos vicisse. — Caramani in bello asinis utebantur, qui in exercitu Cyri equos hostium terrebant, et equites invitos in fugam conjiciebant, Isa. 21, 7. conf. Xenophon Cyropæd. VII, 1, 22. — Elephantes primùm in expeditionibus Alexandri occurrunt, et demùm celebres facti sunt. Ilis jumentis machinæ instar turrium constructæ, imponebantur, ex quibus interdùm 32 milites pugnabant; elephantem verò pedites cingebant et tuebantur; qui jumentum regebat, dicebatur, ut hodiedùm, Indianus, 1 Mach. 6, 37. Ipsi quoque elephantes proboscide simul contra hostes pugnabant, quare, ut ad id excitarentur, ante prælium vino myrrhato potabantur, 1 Mach. 6, 34. et 2 Mach. 5, 2. Conf. Serarii not. ad 1 Mach. 6.

§ 275. *Currus bellici.* — Arma, Hebræis quàm maximè terribilia, erant currus bellici, equitatui coævi, Exod. 14, 6, 9, 23, 28; 16, 18; sed nonnisi in planitie pugnare poterant, Deut. 20, 1. Jos. 17, 16, 18. Jud. 1, 19; 2, 4, 5; 4, 3, 7. Ab ætate Salomonis Hebræi quoque perpetuò hujusmodi currus habebant, et in illis magnam vim reponebant, 2 Paral. 1, 14. 1 Reg. 10, 26; 22, 32, 35. 2 Reg. 2, 12; hinc currus tropicè pro singulari præsidio venit, 2 Reg. 2, 12. 13, 4. His curribus, qui, ut alii omnes, duabus rotis volvebantur, jam equi duo, addito tertio collaterali, jam etiam duæ bigæ equorum junctæ erant. Heros pugnator currui insistebat. Currus in formam turrium constructos Xenophon, Cyropæd. VI, 1, 16, 17, refert, à Cyro excogitatos fuisse, et ex his singulis 20 milites pugnâsse. Currus erant in temone, in extremitatibus axium et etiam subtùs axes, falcibus ferreis longè procurrentibus muniti, quibus, summâ vi in hostes invecti, ingentes strages edebant.

§ 276. *Lusus armorum.* — Antiquissimo ævo milites usum armorum sigillatim discebant, ad quod venatio opportunam occasionem præbebat. Quùm verò ipsa quoque venatio usum armorum requireret, exercitium præcedere debuit; conf. Gen. 14, 14; 32, 6. Job 16, 12, 14. Jud. 20, 16. 1 Paral. 12, 1. 1 Sam. 17, 52. 2 Sam. 18, 23. Hujusmodi lusum armorum apud Hebræos obtinuisse, ex locis innumeris liquet, et id est, quod dicitur *discere bellum,* et hoc lusu exacti audiunt *bellum edocti,* Jud. 3, 20. 1 Sam. 3, 3, 4; 20, 20, 35, 40. 2 Sam. 1, 22; 22, 35. Isa. 2, 4. Mich. 4, 3.

§ 277. *De ludis gymnasticis.* — Ludi gymnastici non erant quidem lusus armorum; quùm tamen initio militares essent, et juventutem ad tractanda arma et ad bellum præpararent, hoc loco de illis agendum est. Græcorum erant, deinceps ab aliis gentibus adoptati, et sub Antiocho Epiphane à multis quoque Judæis adamati, 1 Mach. 1, 14, 15. 2 Mach. 4, 12, 14, et demùm ab Herode introducti sunt. Ampla erant illis dedicata ædificia, γυμνασια, in quadro oblongo exstructa, et exteriùs porticu circumdata. Pars orientalis, muro separata, ultra dimidium totius spatii occupabat, et tria hujus partis latera interna porticùs occupabat; in quarto autem latere erant cubicula pro balneis, pro unctione corporis et ad depositionem vestium; cubile medium dicebatur εφηβειον, unde nonnunquàm totum ædificium ephebium denominatur. Area subdivalis unà cum porticu, quæ in latere septentrionali duplex erat, dicebatur παλαιστρα, ubi concertabatur saltu, luctâ, jactu disci, et cæstu; hinc totum ædificium interdùm palæstra dicitur. Pars occidentalis erat area oblonga, porticu cincta, in quâ athletæ cœlo non tractabili exercebantur; hæ porticus dicebantur ξυστι, à quibus aliæ ejusdem ædificii partes dictæ ξυστα, eo solo differebant, quòd porticus serie arborum cinctæ, superiùs nullo tecto opertæ, et deambulationi dedicatæ erant. Extrema pars occidentalis erat stadium, in formam majoris semicirculi dispositum, 125 passus geometricos longum, et per circuitum sedilibus gradatim altioribus instructum, in quibus spectatores considebant. In stadio concertabatur, inprimis cursu pedestri et equestri, et curribus.

Athletæ, à quarto ante Christum seculo, penitùs nudi erant, ne vestibus impedirentur; soli qui discum jaciebant, et qui curribus vehebantur, levem quampiam vestem retinebant, 1 Mach. 1, 16. Hebr. 12, 1. Cæstus, ad quem 1 Cor. 9, 26, alluditur, erat lorum, quod athleta dexteræ manui et digitis alligabat, atque etiam involuto plumbo aut ferro aggravabat, et demùm omnibus intensis viribus adversarium iciebat, πυγμευειν, ille verò ictum devitare studebat. Cursus in stadio, à quo Paulus 1 Cor. 9, 24, 27. 2 Tim. 4, 7, 8. Phil. 3, 11, 14, phrases mutuatur, eâ ratione fiebat, ut quatuor simul ad scopum currerent, qui in alterâ extremitate stadii erat. Qui primus illum apprehendebat, victor erat; sed ipsi porrò cum aliis tribus, et demùm rursùs cum aliis currendum erat, donec omnes cursu vicisset. Victor om-

nium in quocumque genere ludi, leve quidem referebat præmium, βραβεῖον, nempe coronam ex ramis certarum arborum textam, sed honorificentissimam. 1 Cor. 9, 24. Phil. 3, 14. Coloss 3, 15. 2 Tim. 4, 8. Ubique locorum victor accipiebat quoque frondem palmæ, Apoc. 9, 9, et splendidè indutus cum summis honoribus in urbem et domum suam deducebatur. — Res athletarum autem minimè levis erat. Multùm quidem vorabant, ut vires acquirerent; id verò duntaxat vespere; prandium ex rudi pane erat parcum, nec omnibus quibuscumque cibis vescebantur. Victus plerumque 10 ficus arefactæ, nuces, mollior caseus, olera et panis, progressu temporis usus carnis optimæ et assæ cum rudi pane azymo permissus; vino autem et altero sexu prorsùs abstinebant, nec eis licebat mulierem intueri, 1 Cor. 11, 25. — Certæ quoque ab eis leges pugnæ observandæ erant, et qui eas transgressus fuit, præmio, etsi victor esset, privabatur. Hinc erant ludorum judices, qui non modò victorem designabant, sed etiam custodiæ legum invigilabant, 2 Tim. 2, 5; 4, 8. — Hos ludos jam olim plures Græci et Latini carpebant; hinc nihil mirum, potiori parti Judæorum invisos fuisse. Erat verò Judæis aliud ludi genus, quod in Palæstinâ adhuc tempore Hieronymi vigebat. Juvenes nempe levatione gravioris lapidis exercebantur, et qui lapidem omnibus reliquis altiùs levabat, victor erat, Zachar. 12, 3.

Theatrum, quod ab Herode et ejus filiis in Palæstinâ introductum fuit, erat ædificium formâ majoris semicirculi constructum, ut scena esset in diametro, seu in illâ lineâ, quâ dimidium circuli claudebatur. Si duo sibi obversa erant theatra, dicebantur amphitheatrum, quod formâ ovali extructum erat, ut scena esset in meditullio. Sedes verò spectatorum erant ædificatæ in orbem, gradatim altiores. Tectum non erat, nisi posteriori ævo Romæ; alias calores vel pluviæ linteis vel pannis extensis arcebantur. In theatro hoc, non modò comœdiæ et tragœdiæ agebantur, sed etiam congregationes populi habebantur, et legati quoque excipiebantur, Act. 12, 20; 19, 29; Romani etiam ludos gymnasticos et quidem sanguinolentos, in theatris agebant; nam damnatos et hostes quoque captos cogebant, ut in theatro cum bestiis, vel inter se mutuò usque ad mortem pugnarent, aut etiam prælia repræsentarent, conf. 1 Cor. 4, 9. Hebr. 10, 33.

§ 278. *Castra.* — Antiquissimo jam ævo procul dubio, ars quædam castra metandi viguit. Quæ apud Hebræos usu veniebant, sequentia sunt. Meditullium occupabat sacrum tabernaculum, tanquàm palatium regis, prout aliàs in Oriente tentorium ducis medium locum tenere solebat. Proxima tentoria erant Levitarum, qui, ut milites prætoriani, vigilias ad sacrum tabernaculum obibant. Familia Gerschon ad occidentem, Kehat ad meridiem, Merari ad septentrionem, et sacerdotes ad orientem ante introitum sacri tabernaculi, considebant, Num. 1, 53; 3, 21, 38. In aliquâ distantiâ ad orientem erant Juda, Issachar et Zebulon; ad meridiem Ruben, Simeon et Gad; ad occidentem Ephraim, Manasse et Benjamin; et ad septentrionem Dan, Ascher et Nephthali. Ita populus in quatuor agmina divisus fuit; et quodlibet agmen trium tribuum, suum habebat signum, דגל. Familiæ tribuum habebant quælibet proprium signum, אות, et quilibet Israelita se ad suum agmen et suum signum locare tenebatnr. Hæc castra rotunda fuisse videntur, qualia nomades metari solent. Hanc castrorum conformationem subsequentibus temporibus in exemplum imitationis tractam fuisse, nulla occurrunt vestigia. In castris Saulis, 1 Sam. 16, 5, 16, neque nocturnas excubias deprehendimus, quæ tamen aliàs, si periculum imminebat, agebantur, et statuto tempore mutabantur, Jud. 7, 19. 1 Sam. 14, 16; 26, 14, 17. Quùm autem dein sub regibus perpetui essent in turribus mœnium vigiles, profectò in castris quoque nunquàm deerant. Ignes quidem nocturni ante castra alebantur; illam verò Hebræorum in Arabiâ Petreâ nubem, noctu splendentem, non fuisse, ut quipiam contendunt, hujusmodi castrorum ignem, ex Num. 9, 15, 23, evincitur. — Moses Num. 5, 1, 4. Deut. 23, 10, 13, præcepit : 1° ut immundi extra castra degerent; 2° ut quilibet præter arma, paxillo instructus esset, quo corpus deoneraturus, terram effoderet, et excrementa rursùs terrâ contegeret, quod nunc quoque Othmani observant, Busbeque, epist. III, p. 250.

§ 279. *Itinera militaria.* — Similis ordo ab Hebræis observabatur in itinere. Quando nubes super sacro tabernaculo ascendebat, Num. 9, 15, 23; sacerdotes buccinis argenteis classicum canebant, et mox à plagâ orientali Juda, Issachar et Zebulon, motis castris, iter ingrediebantur. Clangore buccinarum secundo, ex plagâ meridionali Ruben, Simeon et Gad sequebantur. Nunc levitæ, partes sacri tabernaculi et arcam fœderis portantes, procedebant, quos ad tertium clangorem, ex plagâ occiden-

tali sequebatur Ephraim cum Manasse et Benjamin, et ad quartum Dan, Ascher et Nephthali, ex plagâ septentrionali exsurgentes, tanquàm agmem ultimum, exercitum claudebant. Quilibet vexillum et signum suum sequebatur. Nube rursùs descendente, eodem ordine castra metabantur, Num. 2, 1, 3, 10, 17, 18, 25, 31; 10, 5, 8, 23, 28. Hunc ordinem in Palestinâ demùm non potuisse observari, vix opus est monere.

§ 280 *Signa militaria.* — Signa erant 1° דגל cuilibet quatuor agminum proprium. Hæc quatuor signa videntur fuisse majora vexilla, solis quatuor coloribus præcipuis, albo, purpureo, coccineo et hyacinthino distincta; Judæi addunt in primo vexillo Judæ, leonem; in secundo Rubenis, hominem; in tertio Ephraimi, taurum; et in quarto Dani, Cherubim fuisse acu pictos, quod ex Gen. 49, 3, 17, 22 depromptum, sed incertum est. Conf. Bonfrer. ad Num. 2° אות cuilibet majori familiæ singulare, fortassè pertica vel hasta, in cujus extremitate frondes vel aliæ similes quæpiam res alligatæ erant, progressu temporis fortassè clypeus adstrictus fuit. 3° נס non erat signum portatile, sed stipes vel pertica terræ infixa, ut ex Num. 21, 8, 9, liquet. Erigebatur in altis montibus, quo eminùs conspecto milites congregarentur; quare ad erectam hanc perticam cornu quoque bellico clangebatur, et barritus ciebatur, Isa. 5, 26; 13, 2; 18, 3; 30, 17; 49, 22; 62, 10, 13. Hinc colligitur, in summitate vexillum affixum fuisse, quod vento agitatum, eminùs conspiciebatur, Isa. 33, 22. Jer. 4, 6, 21; 51, 2, 12, 27. Ezech, 27, 7.

§ 281.—*Bellum.* Ante bellum ethnici interrogabant oracula, præstigiatores, astrologos, necromantas, 1 Sam. 28, 1, 10, divinos, et etiam sortem, quæ sagittis diversorum colorum jaciebatur, Isa. 41, 21, 24. Ezech, 21, 21. Hebræi, quibus hæc omnia interdicta erant, olim consulebant Urim et Thummim, seu sortem sacram, Jud. 1. 1; 20, 27, 28. 1 Sam. 24, 37; 22, 5; 23, 2; 28, 6; 30, 8. Post Davidem autem reges, prout animo affecti erant, jam prophetas, jam pseudoprophetas de exitu belli in consilium vocabant, 1 Reg. 22, 6, 13. 2 Reg. 19, 2, seq. 20, seq. Numini quoque sacrificia offerebantur, quod dicebatur *se ad bellum consecrare,* Isa. 13, 3. Jer. 6, 4; 51, 27. Joel. 4, 9, Obad. 1. — Bellum indicebatur quidem, et nonnunquàm etiam de compositione tractabatur, 2 Reg. 14, 8. 2 Paral. 25, 27. Jud. 11, 12, 28; ast id haudquaquàm semper observatum fuit, 2 Sam. 10, 1, 12. Hoste inopinatè irruente, vel bello repentè exorto, populus missis nuntiis, clangore cornu bellici, clamoribus in montibus, donec ex aliis montibus responderetur, et signis illis נס ad arma vocabatur, Jud. 3, 27; 6, 24; 7, 22; 8, 23; 11, 10; 19, 29, 30. 1 Sam. 11, 7, 8. Isa. 5, 26; 13, 2; 18, 3; 30, 17; 49, 2; 62, 10. Expeditio plerumque inchoabat vere, 2 Sam. 11, 1, nec caloribus æstatis interrumpebatur; hyemalia autem agebantur. Compositio belli per duellum, in Bibliis non occurrit; nam 1 Sam. 17, 3, 11, provocatio est, qualis in Homero frequens offenditur, quin ab eâ compositio belli penderet. — Bellum ab Orientalibus, ut divinum judicium respicitur, in quo Deus ipse gentibus jus dicit, et victricem absolvit, victam autem condemnat, 2 Paral. 20, 12. Isa. 66, 15, 16. Hinc in linguâ hebraicâ, aramæâ et arabicâ, verba, quæ puritatem, innocentiam, justitiam significant, ad victoriam, et verba improbitatis et injustitiæ ad cladem transferuntur, Ps. 7, 9; 9, 9; 26, 1; 35, 24; 43, 1; 75, 3; 76, 13; 78; 9; 82, 8, etc. Eadem quoque translatio observatur in vocibus auxilium significantibus, quia Deus gentem victricem adjuvat.

§ 282. *Acies.* — Ante prælium arma parabantur, clypei ungebantur, atque cibus sumebatur, ne vires instantibus laboribus deessent, Jer 46, 3, 4. Isa 21, 5. Milites, et inprimis duces et reges, nisi fortè nosci nollent, Reg. 22, 30, 34, splendissimum apparatum assumebant. —Exercitus in aciem ordinabatur, quod dicitur הערִיכ מלחמה, et jam Gen. 14, 8, atque deinceps persæpè occurrit; nihil tamen attingitur, ex quo colligi posset, qualis fuerit acies; triplex modò agmen, ut videtur, cornu dexterum et sinistrum, atque centrum, uti et præfecti tertiæ partis, sæpiùs memorantur, Gen. 14, 14, 15. Jud. 7, 16, 19. Exod. 14, 7; 15, 4. 2 Reg. 7, 2; 17, 19; 9, 22; 25. 10, 25. Ezech. 15, 23. Genus quoddam phalangis fuisse, dubitari vix potest. Acies disposita nonnunquàm, inprimis si periculum instabat, longa itinera conficiebat, uti quoque Hebræi in acie, ex Ægypto egressi sunt, Exod. 13, 18, conf. Jos. 1, 14; 4, 12, Jud. 7, 11. De exercitu appropinquante eminùs non cernebatur nisi nubes pulverum; in minori distantiâ apparebat fulgor armorum, donec tandem ipsi ordines conspicui fierent, Ezech. 26, 10. Isa. 14, 31. Xenophon in Exped. Cyri 1, 8, 5. — Ante prælium milites Hebræi à sacerdotibus, sermone ad fortitudinem animandi erant, Deut 20, 2, quod recentiori ævo duces et reges præstabant. 2

Paral. 13, 4; 20, 20. Nonnunquàm à Prophetâ, vel eo præsente sacrificium offerebatur, 1 Sam. 13, 8, 13. Denique sacerdotes buccinis sacris classicum canebant, Num. 10, 9, 10. 2 Paral. 13, 12, 14. 1 Mach. 3, 54.

§ 283. *Prælium.* — Græci ab acie hostili 4 vel 3 stadiis distantes, canebant Pæana, cui simile quidpiam occurrit 2 Paral 20, 21. Dein conclamabant, ἀλαλάζειν, quod Hebræis quoque usitatum fuit, et dicebatur תריע מלחמה הריצה, Jos. 5, 20 1 Sam. 17, 52. Isa. 5, 29, 30; 6, 5, 16, 20. Jer. 4, 19; 25, 30; 42, 13. Clamor hic Jud. 7, 20, erat: *Gladius Jehovæ et Gedeonis;* aliàs fortassè, saltem nonnunquàm, erat clamor inconditus sine certis verbis. Ipsa quoque processio exercitûs cum armis, curribus et equitibus, ingentem strepitum excitabat, qui fremitibus maris aut exundantium aquarum comparatur, Isa. 17, 17, 20. Jer. 28, 2.—Prælia in Bibliis non describuntur, sed paucissimis attinguntur. Velites procul dubio, aut apud alias gentes, prælium inchoabant; tandem phalanx protensis hastis citissimo cursu in hostem irruebat; hinc velocitas cursûs in Bibliis magna laus militis, 2 Sam. 2, 19. 24. 1 Paral. 12, 8, 18. Ps. 18, 34, 35. Persæpè singuli milites cum singulis manus contulisse videntur, ut fortitudine ferè omnia agerentur; hinc milites exacerbati, magnas strages edebant, et clades erant ingentes, 2 Paral. 13, 17. Stratagema sæpè recurrens erat, diviso exercitu ex insidiis adoriri, Gen. 14, 14, 16. Jos. 8, 12. Jud. 20, 39. Dolus quoque malus in hostes licitus habebatur, in Bibliis verò non occurrit, nisi Gen 34, 25, 34, ubi autem reprobatur; nam factum Jahel Jud. 4, 17, 22, erat potiùs minùs recta exceptio in collisione officiorum, quàm dolus malus. Orientalium aggressio semper est, et erat quoque olim, vehemens; si verò in fortes irruunt adversarios, terga vertunt, mox rursùs majori impetu adorturi; Romanorum verò militum erat in acie stare, et impetum hostium sustinere, ad quod alluditur 1 Cor. 16, 3. Gal. 5, 1. Eph. 6, 14. Phil. 1, 17. 1 Thess. 3, 8. 2 Thess, 2. 15.

§ 284. *Obsidiones.* — Si hostis imminebat urbi, excubiæ in turribus sedulò vigilabant, et etiam in verticibus montium constituebantur, et, quæ, observabant, per signa vel per nuntios significabant; Jerosolymæ fontes quoque extra urbem obstruebantur, Isa. 22. 9, 11. — Hostes urbem, vel inopinatè opprimebant, vel ex insidiis, aut ex proditione capiebant, vel assultu occupabant, vel fame et siti ad deditionem cogebant. Obsidiones, defectu machinarum, quibus mœnia perrumperentur, diuturniores erant, et hinc non suscipiebantur, nisi alia media fefellissent. Ante obsidionem urbs ad deditionem invitabatur, Deut. 20, 10. Isa. 36, 1, 20; 36, 8, 20. Si obsessi pactionibus se dedere cogitabant, proceres ex urbe in castra hostium egrediebantur; hinc *egredi* vel *exire* idem est ac, *pactionibus urbem dedere,* 1 Sam. 11, 3, 10. 11. 2 Reg. 18, 21; 24, 12. Jer. 21, 9. 38, 17, 18. 1 Machab. 6, 49. Antiquissimo ævo hostis urbem coronâ simplici, duplici, aut etiam triplici cingebat, et assultu urbem capiebat, quod et recentiori ævo fieri consuevit, si spes successûs affulgebat; hinc descendunt tritæ de obsidione phrases: *Castra contra urbem metari,* et *angustiare,* quia obsessis jam fuga interclusa erat, Jos. 10, 5. Jud. 9, 50. 1 Sam. 11, 1. 1 Reg. 19, 17. 2 Reg. 25, 1. Isa. 29, 3. Nota autem jam ætate Mosis erat quoque circumvallatio, et vallum seu agger, Deut. 20, 19, 20, etsi dein primùm 2 Sam. 2, 15, memoratur.

§ 285. *Circumvallatio.* — Circumvallatio ex coronâ militum circa urbem orta est; quùm enim exercitus sæpè longiori tempore urbem coronâ cingeret; castra per fossam contrà eruptiones obsessorum muniebat, et, ne à tergo facilè impeti posset, aliam fossam extrinsecùs, priori parallelam, parabat. Hæ fossæ diuturniori obsidione dilatabantur, et ex terrâ effossâ utrinque murus et turres exstruebantur; ita novum contra urbem munitam munimentum exsurrexit in quo exercitus tutò degebat. Hæc circumvallatio, de quâ dicitur 2 Reg. 25, 1. Jer. 52, 4. Ezech. 4, 2; 17, 17; 21, 17; 27, 8, ita conclusit incolas urbis, ut fame, morbis, et hostium missilibus, lentè conficerentur, 2 Reg. 6, 28, 31. Ezech. 4, 10, 15; 5, 10, 15; 16, 17. Jer. 32, 24; 34, 17.

§ 286. *Vallum seu agger.*—Vallum seu agger primum medium fuit, quo alta et valida mœnia superabantur, nempè declivis mons, ex aggestâ terrâ paratus, trabibus ex utrâque parte, ne dirueret, munitus, versùs mœnia semper altior, ut tandem illa æquaret. Hic agger à circumvallatione obliquè versùs debiliorem munitionis partem exaggerebatur, et id dicitur: שפך סללה על העיר, 2 Sam. 20, 15. 2 Reg. 19, 32. Jer. 6, 6; 32, 24; 33, 4. Ezech. 4, 2; 17, 17, 23; 26, 8. In aggerem missilibus pugnabant obsessi, et hostes ex aggere in mœnia arma emittebant, donec arietem admovere possent, ut mœnia perforarent vel perrumpe-

rent, ubi obsessi non rarò intrinsecùs secundùm murum exstruebant, et proximas domos, ut materiam acquirerent, diruebant, Isa. 22, 10. Interdùm captos hostes insigniores in mœnibus flagellabant, vel interficiebant, aut sacrificabant, ut hostes ad discessum permoverent, 2 Reg. 3, 27. Muro autem perrupto, Ezech. 21, 27, hostes mox irrumpentes, majorem partem mœnium diruebant, quod et aliàs fieri consuevit, si urbs pactionibus dedita fuit, 2 Reg. 14, 13. 2 Paral. 25, 23, 24. Cæterùm *funibus trahere urbem in vallem*, 2 Sam. 17, 13, est vana jactatio proverbialis.

§ 287. *Consectaria victoriæ.* — Victor olim arbitrario quidem jure in victos utebatur, humanitas tamen laudabatur. Victores omnia, non modò pecora, segetes, fructus ipsosque agros, hortos, domus et deos seu idola, sed etiam uxores et proles sibi attribuebant, et in servitutem vendebant, imò crebrò quoque urbes ipsas evertebant, 2 Sam. 5, 21. 2 Paral. 25, 14. Os. 10, 5, 6. Jer. 46, 25; 48, 7; 13, 46. Virgines et uxores violabantur, Lam. 2, 11. Isa. 15, 16. Proceres, et quicumque insigniores, milites et opifices qui arma parare et munitiones exstruere possent, in dissitas regiones deportabantur. Victores tamen nequaquàm omni suo jure utebantur, sed plerumque reges ipsos populis permittebant, et solummodò fidei suæ adstringebant, ac tributa exigebant, ut nonnisi defectionibus et rebellionibus iteratis coacti, ad illa extrema descenderint, Gen. 14, 4. 2 Reg. 23, 34; 24, 1, 14. Isa. 24, 2. Jer. 20, 5, 6, etc. Capti autem omnibus spoliabantur, et nudi in servitutem ducebantur. Si urbs vi capta fuit, omnes viri interficiebantur, mulieres et proles in servitutem redigebantur, et levissimo quoque pretio vendebantur, Mich. 1, 11. Joel. 4, 3. Isa. 47, 3, 20, 34. 2 Paral. 28, 9, 15. Ps. 44, 13. — Hinc tantus planctus eorum qui victi erant. Fugiebant, qui poterant, Isa. 5, 6; 16, 1, 6. Jer. 4, 10, 13, 41, 5; 43, 6. Qui manebant aurum et argentum abjiciebant, ut ab immanitate militum tutiores essent, Ezech. 17, 19; confugiebant in specus, in vertices montium, et in rupes, quæ ideò tropicè pro refugio et asylo veniunt, ut ipse quoque Deus sæpè rupes dicatur, Jud. 20, 47, 48. Jer. 4, 29; 16, 16; 22, 20. Ezech. 7, 7, 17. Isa. 26, 4. Hanc calamitatem prophetæ nonnunquàm repræsentant tanquàm gravem ebrietatem, cujus incommoda à generosis illarum regionum vinis multò majora sunt; et quemadmodùm sors hominis dicitur calix, ita quoque hæc sors tristissima dicitur calix titubationis, Jer. 25, 15, 31. Nah. 3, 11. Zach. 12, 2. Ps. 75, 9.

Victor, si erat ultor injuriarum, non raro arbores succidebat, fontes obstruebat, agros lapidibus opplebat, et solum in multos annos reddebat sterile. Id Hæbræis quidem Deut. 10, 19, 20, interdictum erat; at prætermissum non fuit, 1 Paral. 20, 1. 2 Reg. 3, 18, 25. Capti reges et proceres vinciebantur, excœcabantur, vel mutilabantur, humi prostrati pedibus cal cabantur, et interficiebantur. Capti nonnunquàm quoque super spinas prostrati, serrâ dissecabantur, vel machinis triturationis conterebantur, 2 Sam. 12. 21. 1 Paral. 20, 3. Jud. 8, 5. Non raro senes et proles et mulieres interficiebantur, et cadavera prolium in acervos accumulabantur, 2 Reg, 8, 12. Os. 10, 14; 14, 1. Isa. 13, 17, 18; imò uterus quoque gravidarum dissecabatur, Isa. 13, 16, 18. 2 Reg. 8, 12. Amos. 1, 13. — Lex Mosaica similia non præcepit; nam nec excisio Chananæorum, de quâ posthàc loquemur, hùc pertinet, neque etiam hùc trahi potest anathema, seu votum irrevocabile, quo omnia viva internecioni, reliqua vel igni vel sacrario addicebantur, urbs solo æquabatur, et locus sale conspergebatur, maledicto addito in illum, qui rursùs urbem ædificaret, i. e., munitionem restitueret, Lev. 27, 21, 28, 29. Num. 18, 14. Deut. 13, 17; id enim in exemplum justitiæ vindicativæ, in urbes idololatras, ad deterrendos alios statum erat. Alioquin populi victi solùm tributarii fiebant, 2 Sam. 8, 6; 14, 2. 2 Reg. 14, 14; sed hoc ipsum olim erat magnæ ignominiæ, quæ in deos quoque, tanquàm imbecilles, redundabat, 2 Sam. 8, 16; 14, 2; 2 Reg. 19, 8, 13. Isa. 7, 20. Ps. 9, 21.

Victores gaudio et lætitiâ diffluebant. Victoria undique ex montibus proclamabatur, Isa. 42, 11; 45, 9; 52, 7, 8. Jer. 50, 2, 25. Ezech. 7, 7, 17. Nah. 2, 1. Militibus et victoribus omnes, et ipsæ quoque mulieres cantantes et saltantes, occurrebant, Jud. 11, 34, 37. 1 Sam. 18, 6, 7. Epinicia exarabantur; et heroum quoque, qui ceciderant, laus canebatur, 2 Sam. 1. 17, 18. 2 Paral. 35, 25. Jud. 5, 1, 31. Deut. 15, 1, 21. Erigebantur victoriæ monumenta, 2 Sam. 8, 13. Ps. 6, 1, et arma hostium templis consecrabantur, 1 Sam. 31, 10. 2 Reg. 8, 7; 11, 10. 1 Paral. 11, 10. Bene meritis dona et matrimonia honorifica offerebantur, Jos. 15, 7. 1 Sam. 17, 25; 28, 17. 2 Sam. 18, 11. Sub Davide ordo quoque heroum honorificentissimus institutus erat, 2 Sam. 23, 8, 39. 1 Paral. 11, 10,

30. — Cadavera hostium à pluribus gentibus, avibus et feris discerpenda relinquebantur. Id prophetæ, ut convivium sistunt, quod Deus, judex populorum, feris præparet, 1 Sam. 17, 44. Jer. 25, 33. Zeph. 1, 7. Non raro quidem cadavera insigniorum consanguineis reddebantur, 2 Sam. 2, 32; 21, 14. Ezech, 39, 11, 14. 2 Mac. 12, 13; interdùm verò contumeliis afficiebantur, Jud. 7, 27. 1 Sam. 31, 8. Hebræi ob leges de immunditie, cadavera sepelire, et milites se ab immunditie, tactu cadaverum contractâ, purificare tenebantur. Num, 31, 19, 24.

§ 288. *Rigor antiqui juris bellici.* — Jus belli olim ubique terrarum erat rigorosum et immane; quare Hebræis condonandum, si nonnunquàm eodem rigore usi sunt, ut per hujusmodi exempla aliis gentibus terrorem incuterent, eas ab offensionibus deterrerent, et suæ tranquillitati consulerent. Nec omnia, quæ egerunt Hebræi, probanda aut excusanda sunt, 2 Reg. 15, 16. 2 Paral. 25, 12. Jud. 8, 4, 21. 20, 1, 30; neque etiam omnis rigor, quo usi sunt, damnandus est; nam jure gentium naturali licet hosti tot tantaque mala inferre, quot et quanta, ad alias gentes à læsionibus deterrendas, necessaria sunt. A mansuetudine autem et immanitate gentium dependet, quæ mala ad hunc finem sufficiant. Si mutatâ rerum facie nunc in Europâ jus belli, tacito consensu populorum, humanius est; hoc jure antiqui uti non poterant, nisi vellent omnibus aliorum læsionibus patere. Num 31, 14, 15. 2 Sam. 12, 31, coll. 2 Sam. 10, 1, 5; 11, 1. Amos 1, 13, et 2 Sam. 8, 2, coll. 2 Reg. 3, 27. Amos 2, 1. Hebræi tamen plerumque erant aliquantùm mitiores, 2 Sam. 8, 2. 1 Reg. 20, 30, 43. 2 Reg. 6, 21, 23. 2 Paral 28, 8.

§ 289. *Hebræorum jus belli in Chananæos.* — Causa expulsionis Chanaanæorum, Gen. 15, 16, dicitur fuisse morum corruptio, quos descriptos invenies Sapient. c. 12. Moses quidem singula Chananæorum flagitia non enumerat; neque enim erat opus, quùm satis comperta ea essent Hebræis. Inquit tamen Deut. 12, 31 : *Omnes abominationes, quas aversatur Dominus, fecerunt, diis suis offerrentes filios et filias, et comburentes igni.* Tale igitur ac tam detestabile hominum genus delere volens Deus usus est operâ Hebræorum, quibus regionem Chanaan concessit, ut, adversùs alteros justitiam suam exercens, suâ erga alteros beneficentiâ uteretur, atque ut hi alieno exemplo edocti divinis præceptis obtemperare, fœdosque ac barbaros mores aversari discerent. His positis, quibus satis superque vindicatur occupatio regionis Palæstinensis per Hebræos, non erit tamen supervacaneum cætera persequi, quæ, quamvis non disertè in S. Scripturâ dicuntur, tamen ex historiâ Patriarcharum legitimè concluduntur (1). Abraham cui Deus regionem Chanaan promisit, cum servis et gregibus suis, pascua hujus regionis occupaverat, atque puteis, quos fodit, et altaribus, quæ ædificavit, voluntatem, sibi hanc regionem propriam habendi, declaraverat, Gen. 12, 5, 6, 8, 9; 21, 25, 30, conf. 13, 4; 14, 18; 15, 7, 13, 21; 17, 8. Conf. supra § 45. Hic patriarcha eam dein non Ismaeli, sed Isaaco reliquit, qui rursùs eam non Esau, sed Jacobo assignavit. Chananæi quidem jam erant in regione, Gen. 12, 6; sed pauci, qui aliquos duntaxat districtus tenebant. Patriarchæ itaque hæc pascua sibi propria reddiderunt, et 215 annos possederunt, neque Jacob et filii ejus, in Ægyptum migrantes, regionem abdicârunt; animo enim revertendi discesserunt. Gen. 38, 21, 22; 48, 4, 21, 22; 49, 1, 26, conf. 1 Paral. 7, 21 24. Morantibus autem illis in Ægypto, Chananæi aucti, illa pascua occupârunt, atque Hebræos regione excluserunt, qui proinde jure suo regionem repetebant, et quùm spes cessionis spontaneæ nulla affulgeret, jure armis utebantur. Transactionem pacificam offerre, Chananæorum fuisset, quibus jus Hebræorum apprimè notum fuit; quòd si rem armis experiri maluerunt, omnia consectaria sibi imputare debebant. Jos. 11, 19; 9, 3, 26. Conf. Janssens Hermen. sacra vol. I, p. 90, seqq.

§ 290. *Præda, stipendium.* — Ad consectaria

(1) Menochius, de Repub. Hebr. L. 1, c. 2, quæs. 9 : « Nec desunt graves auctores, qui « non tam primò occupatam, quàm repetitam « ab Hebræis fuisse Chanaanitidem dicunt.... « Porrò S. Augustinus etiam causam affert « propter quam Chananæos solo, quod insederant, exturbare placuit, ita enim scribit: « Quia Chananæi excepto illo peccato, quòd « possessionem alienam invaserant, multa nefanda et inaudita crimina committebant, in « tantum, ut quando Dominus Sodomam et « Gomorrham subvertebat, dixisse legatur : « *Necdùm enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum* et expectabat Dominus, ut aut « converterentur, et agerent pœnitentiam; « aut certè si converti nollent, crimina criminibus cumulantes, et peccandi mensuram « implentes, justissimam Dei sententiam sustinerent. Quia ergo eos dupliciter invenit reos « divina censura, pro eo, quòd et *terras alienas invaserant*, et postea scelera et crimina « inaudita commiserant, justo judicio puniuntur, et Israelitico populo *antiquorum possessio* « reformatur. Hæc Augustinus. »

victoriæ spectat inprimis præda, quæ militum labores remunerabatur, et hinc eis singularem lætitiam creabat, Gen. 49; 27. Exod. 15, 9. Jud. 5, 30. Isa. 9, 2, 3. Joel 4, 11. Ezech. 29, 18, 20. Ps. 119, 162. Milites enim antiquiori ævo, etiam sub regibus, exceptis præfectis et prætorianis, stipendio carebant, sed ex suis facultatibus, et ex illis, quæ à parentibus submittebantur, victitabant, Jud. 20, 10. 2 Sam, 17, 17, 20. Recentiori demùm ævo reges annonam in urbibus deponebant, 2 Paral. 17, 12; 32, 28. Milites conducti, fortassè exemplo Phœnicum, Ezech. 28, 11, occurrunt quidem 2 Sam. 10, et 2 Paral. 25, 6, 9; sed de prædâ nihilominùs participabant, ut merces non militibus, sed regi, eos elocanti, soluta fuisse videatur. Sub monarchiâ persicâ stipendium militare invaluit; ast præda præmium militare mansit. Machabæi, exemplo Græcorum, stipendia solvebant, 1 Mach. 14, 32. Hinc stipendium in novo Fœdere sæpè occurrit, et etiam tropicè usurpatur, Luc 3, 14, Rom. 6, 23. 1 Cor. 9, 7. 2 Cor. 11, 18. 2 Tim. 2, 4. — Prædæ autem deputabantur non modò bona quæcumque, sed etiam captivi viri et mulieres, puellæ et pueri, inprimis in urbibus vi captis, in quibus omnes in servitutem redigebantur. Gen. 14, 11, 12. Jud 5, 30. Milites Hebræi, Num. 31, 48, 54, sibi attribuebant quidquid arripuerant, exceptis solis pecudibus et hominibus. Res magni pretii interdùm bellidux sibi vindicabat, Jud. 8, 24, 25, quod David imitatus, thesauros pro exstructione templi collegit, 2 Sam. 8, 11, 12; 12, 30. 2 Paral. 28, 14, 19; 19, 2 5. Pecudes autem et homines congregabantur, et numerati, in duas partes dividebantur, quarum altera cedebat illis, qui domi remanserant, sed hi quinquagesimam partem levitis tradere tenebantur; altera verò ad milites pertinebat, qui 500[mam] duntaxat partem sacerdotibus tradebant, conf. Gen. 14, 20. Inter milites partitio erat æqualis, sive prælio interfuissent, sive interim castra custodiissent, 1 Sam 30, 20, 25. Hinc, ut portiones fieri possent æquales, pecudes et homines capti, venditi, et pecuniæ distributæ fuisse videntur. Ast si urbs anathemati subjecta fuit, præda omnis interdicta erat, rarò exceptio locum habuit, Deut. 2, 34; 3, 7. Num. 21, 3. Lev. 27, 28. Jos. 6, 24, 26; 8, 26, 28; 10, 28, 30; 11, 11.

Præda, quam retulerunt Hebræi ab Ægyptiis Exod. 3, 22, 11, 2. « Cedebat, monente Bon-« frerio ad Exod. 3, 22, in compensationem « servitutis, et laborum, quos tot annis pertu-« lerant Hebræi in Ægypto. » Adde omnia, quæ Hebræi secum sumere non poterant, Ægyptiis relicta fuisse.

Pars iij.

DE ANTIQUITATIBUS SACRIS.

CAPUT PRIMUM.

CONSPECTUS HISTORIÆ RELIGIONIS BIBLICÆ.

§ 291. *Religio usque ad diluvium.* — Protoparentes nostri, omni experientiâ destituti, ab ipso Deo educabantur, et ad agnitionem Creatoris et gubernatoris universorum, atque ad morum disciplinam ducebantur, inprimis per illud interdictum de arbore cognitionis boni et mali, id est, in cujus interdicto ratio hominis cognitione boni et mali moralis excolenda erat, id enim phrasis, דעת טוב ורע, ex usu loquendi hebraico, significat, Gen. 2, 8, 20. Hinc nempe primi homines observabant, non solùm esse ens aliquod intelligens supremum, à quo ipsi et omnia alia dependerent, sed etiam, non pro lubitu quæcumque esse agenda, sed discernenda, quæ huic supremo rerum omnium Domino placerent et quæ displicerent. Ex castigatione quæ violationem interdicti subsecuta est, discebant protoparentes justitiam Dei, ast simul etiam specimen misericordiæ ejus accipiebant. Deus enim, postquàm pœnam serpenti inflictam exhibuerat, malorum, quæ iis, eorumque posteris annuntiare volebat, gravitatem temperavit, promisso iis *Aliquo*, qui olim ex fœminâ nasciturus, et serpentem, invisum istum ac perennem inimicum, omniumque malorum auctorem, tandem conculcaturus esset. — Accessit redargutio Caini in fratrem exacerbati, et ejusdem deinceps fratricidæ relegatio permolesta, quæ, coævis et posteris ob oculos versans, perpetuò inclamabat, malum esse Deo exosum, et pœnâ dignum. — At progressu temporis, quùm plura delicta manerent impunita, plurimi, sensualitate et levitate abrepti, negligebant illa monita divina in factis posita, atque potentiores opprimebant infirmos et debiles, omniaque cædibus et sanguine complebant. Res jam circa annum 235 post hominis creationem (Gen. 4, 26, 6, 1), eò delapsæ erant, ut Dei cultores necessarium esse duxerint, sese nomine filiorum seu cultorum Dei, distinguere à reliquis

tanquàm filiis hominum, qui, Dei obliti, humano impetu ad quæcumque audenda abripiebantur. Hoc malum per connubia cultorum Dei cum filiabus hominum, i. e., irreligiosorum, latiùs serpsit; hæ enim uxores, familias quoque piorum corrumpebant, quùm informationem prolium, ad quam matres plus, quàm patres contribuunt, negligerent, atque ita progeniem nequiorem relinquerent. Hinc corruptio paulò post omne genus hominum ita pervasit, ut repetita Dei monita per spiritum propheticum, Gen. 6, 3, nihil proficerent; quare diluvium subsecutum est. Conf. infra, § 294.

§ 292. *A diluvio usque ad Abrahamum.* — Hæc terribilis omnium viventium strages, 120 annis antea, Gen. 6, 3, annuntiata fuit, ut Noachi familia agnosceret, eam esse à Deo immissam, ut insigni hoc facto, cujus memoria facilè per omnes generationes conservaretur, patefieret, esse summum universorum gubernatorem, cui vitia hominum displicent, et qui, etsi longanimis, nihilominùs in sceleratos demum animadvertit. Accessit post diluvium monitio divina, omnem homicidam morte plectendum esse, et nullum porrò diluvium fore; atque hæc securitatis spes signo visibili, arcui in nubibus, annexa fuit. Posteri Noachi has doctrinas altâ mente reposuerunt, et, consilio ædificandi turrim, ne dispergerentur, divinitùs dissipato, facilè observabant id Deo displicuisse. Ita quoque illud, quod Nemrod aggressus est, vi regnum sibi condens, reprobabant, quod ipsum nomen Nemrod, *rebellis*, et proverbium: *Sicut Nemrod venator potens coram Jehovâ*, innuit. Ast progressu temporis, homines rudes, sibi consulere non valentes, et imaginatione ducti, cœperunt, diversis objectis vim sublimiorem et divinam tribuere, et ab iis opem exspectare. Ita in numina transformata sunt saxa, arbores, animalia, venti, fluvii, sol, luna, astra, defuncti homines, etc. Accesserunt demùm imagines sculptæ, altaria, templa, etc. Primùm quidem, Deum creatorem et gubernatorem universorum, et has creaturas, simul venerabantur; paulò autem post, Dei obliti, has solas adorabant, et cùm hæc ficta numina morum probitatem non curarent, disciplina quoque morum magis magisque negligebatur, ut tandem plurima gravissima scelera nihili fierent, imò et in cultum deorum verterentur.

§ 293. *Abraham, Isaac et Jacob.* — Corruptione hâc novâ se latiùs diffundente, Deus vocavit Abrahamum, cujus majores inde à primo homine religionem et morum probitatem custodiverant, Gen. 5, 1, 32; 11, 10, 32; ast demùm quoque in idololatriam prolabebantur, Jos. 24, 2. Hunc Chaldeum et posteritatem ejus, Deus decrevit custodem religionis usque in illud ævum, quo ad reliquas gentes propaganda esset. Hoc fine Deus promisit huic Semi generationis decimæ postero protectionem, amplissimam progeniem, possessionem regionis Chanaan, atque omnes gentes quondàm per ipsius semen beandas fore, Gen. 12, 13; 18, 18; 22, 18. Has promissiones Deus nomini Abraham et Sara copulavit, atque obligationem, religionem custodiendi, Gen. 18, 19, circumcisioni annexuit, ut hæc ipsa nomina et signa essent perpetua documenta et promissionum et custodiæ religionis. Has easdem promissiones Deus repetivit deinceps Isaaco et Jacobo Gen. 26, 4; 28, 14, qui quod suarum erat partium, sedulò præstabant, et cultum veri Dei domesticis suis præcipiebant et ad posteros suos propagabant, Gen. 28, 20, 22; 35, 2. 7, 9, 13; 39, 9; 50, 17, 20. Hæ promissiones atque hæc officia Abrahami et posterorum ejus per Isaacum et Jacobum, sunt cardo totius antiqui fœderis; quare omnia, quæ deinceps consecuta sunt, ad illa referenda sunt, atque ipsum quoque novum fœdus cum ilis arctissimo nexu cohæret.

« Qui promissa Abrahamo, posterisque ejus « bona rerum caducarum possessione cohi« bent, immortalitatis illius beatæ et scientiâ « et spe exclusâ, omninòque veteri Testamento « nihil, nisi mortalium bonorum spem relin« quunt, ii profectò nimis humiliter de reli« gione divinitus traditâ sentiunt, nec vim « promissorum divinorum ullo modo adse« quuntur. Paulus quidem (Tit. 1, 2,) spem « vitæ æternæ cum ipsis rerum humanarum ini« tiis adæquat. Eam enim Deum fallere nescium, « ait, ὑπαγγειλασθαι προ χρονων αἰωνιων *promi« sisse* ante *antiquissima tempora*, i. e., initio « rerum humanarum..... Χρονοι αἰωνιοι, si non « de infinitâ illâ æternitate capiuntur, quid « aliud, quàm initia rerum humanarum, longè « antiquissima tempore significare possunt?.. de « quibus capiebat Aquinas, æterna interpretans « antiqua. In quo clarum est, Apostolum in « animo habuisse promissiones, quas Adamo, « Abrahamo Deus ipse, aliis deinde per pro« phetas fecerat, de vitâ æternâ per Christum « sperandâ. Rom. 1, 2. » Dr. J. A. Ernesti in vindiciis arbitrii divini in religione constituendâ p. 189, opusc. theol. Lipsiæ 1792.

§ 294. *Patriarcharum religio.* — Optimè Vers-

chuir, opusc. p. 17, seqq. (ex edit. Lotze Traj. ad Rh. 1810) proposuit capita religionis Patriarcharum : « Omnium piorum Patriarcharum religio ex revelatione divinâ hausta, atque per traditionem à Noacho accepta, cum omni ejus posteritate, atque toto humano genere communicata est; sed alibi citiùs, alibi tardiùs deperdita. Omnes illi prisci mortales, genuino Numinis cultui adhærentes, firmâ fide credebant, unum verum esse Deum, spiritum perfectissimum, ac omnipotentem; eum totum hunc mundum, tam materiæ, quàm formæ respectu solo omnipotente jussu fecisse, creâsse, ut splendidum suarum virtutum et beneficiorum esset theatrum; homines in hoc terrarum orbe collocâsse rationales, qui hæc spectarent, admirarentur, mundique auctorem et Dominum venerarentur, adorarent, et colerent; eumdem omnia à se facta providâ curâ curare, conservare, gubernare; speciatim hominibus consulere, eorumque vitæ casus dirigere; hominum esse, Dei imaginem exhibere in hâc terrâ, ejus justitiam, æquitatem, bonitatem, clementiam, misericordiam erga creaturas omnes, præcipuè naturæ consortes, imitari. Sed non minùs convicti erant de corruptione et peccatis humani generis à creationis scopo magis magisque aberrantis; hunc esse malorum omnium fontem, omnis miseriæ, et lacrymarum scaturiginem; omnia bona à cœlesti origine derivanda, cùm Deus optimus terram, jucundum hominum et animantium habitaculum innumeris bonis et oblectamentis refertum, ornatumque ad ejus incolas recreandos et oblectandos, fecerit. Qui si in mutuo amore, concordiâ, et virtute persisterent, hîc tanquàm in deliciarum paradiso viverent. Hominum culpæ mala, calamitates, miseriam omnem tribuendam esse, probè erant persuasi et convicti. Probè noverant imaginum, et falsorum deorum cultum, necnon scelera et peccata in Deum, et homines omnia fugienda, pietati et virtuti operam esse dandam. Non latebat Abrahamum (conf. Joan. 8, 56) aliosque Israelitarum majores humani generis Servator, qui suo tempore peccata expiaret, cunctaque ad primævam revocaret integritatem, et felicitatem, quippe statim post tristem lapsum primis hominum parentibus promissus (conf. supra, § 291) quique crebrò tanquàm Jehovæ angelus, hominumque patronus et servator iis apparuit (conf. supra, § 222). Non omnis eorum spes intra angustos vitæ hujus limites conclusa tenebatur, sed ulteriùs ad veram atque perennem alterius vitæ felicitatem se extendebat (conf. § 295). Nemo probaverit, eos vitæ alterius ignaros, hâc parte gentilibus fuisse minores, quorum poetæ passim præmia et pœnas apud inferos canunt, quæ licet fabulis involuta sapientiores viderent, tamen illi probabilem vitæ futuræ conceperant spem. Prisci autem hujus ævi homines pii noverant, Enochum ob probitatem et virtutem Deo præ cæteris adamatum, multò citiùs ex hâc vitâ raptum fuisse, quod utique factum non fuisset, si prorsùs in morte periisset. Moribundi in Deo adhuc spem et fiduciam collocabant. Balaamus, etsi homo nequam, tamen hujus veræ religionis principiis imbutus, optat mortem suam fore instar mortis hominum proborum (Num. 23. 10); si autem nihil ex ejus opinione post mortem sperandum, aut metuendum, voti hujus probabilis ratio reddi nequit (1). » Hæc jam fuit religio piorum Patriarcharum, quam Moses præsumit Hebræis probè notam fuisse; quare in libro Gen. non omnia ejus capita disertè attinguntur, et tantùm ea copiosiùs exponuntur, quæ præ reliquis ad legislationem Sinaiticam præparabant.

Cultus Dei ferè orationibus, altaribus sacrificiis, decimis, jurejurando, et votis absolvebatur, Gen. 4, 3, 4; 8, 20; 12, 7, 8; 13, 4, 18; 14, 20; 15, 8, 20, etc. De celebratione sabbati hoc solùm est vestigium, quòd periodus septem dierum Gen. 7, 4, 10; 8, 12, et ipsum quoque hebdomadis nomen שבוע, Gen. 29, 27, occurrit; unde colligitur, diem septimum, juxta Gen. 2, 2, saltem singulari quopiam modo fuisse discretum.

§ 295. *Moses.* — Hebræi multi in Ægypto jam deos Ægyptiorum colebant, quùm Moses divinitùs mitteretur, ut eos è servitute liberaret, Jos. 24, 14 Ezech. 20, 7, 8. Exod. 3, 13. Ut igitur veræ religionis custodes, non solùm ex Ægypto, ubi ulteriori temporis progressu cultum Dei dimisissent, educerentur, sed etiam ut ii, qui à Deo defecerant, ad agnitionem veri Dei reducerentur, necessaria erant miracula, quæ ita simul et prædicerentur et patrarentur, ut Dei omniscii et omnipotentis argumenta essent manifesta, et non modò Pharaonem ad dimissionem Hebræorum cogerent, et exercitum ejus, ne Hebræos persequi posset, perderent, sed etiam Hebræos convincerent, opera hæc esse Dei gubernatoris universorum, et Mosen, per quem hæc prædicta et patrata

(1) Vide libr. Job, et historiam Patriarch. in libr. Genes. contentam.

sunt, esse ejusdem Dei legatum, Exod. 6, 7; 7, 5; 9, 14, 16, 29, 10, 2; 11, 9, 10; 12, 9; 14, 4, 17, 18, 31; 16, 12; 19, 4, 9. Deut. 4, 35, 39. His operibus simul ostendendum fuit, alia numina, quæ suos cultores Ægyptios à plagis immissis liberare non poterant, esse inania, et viribus carere, Exod. 12, 12. Nisi autem Hebræi deinceps in Arabiâ, porrò similibus omniscientiæ et omnipotentiæ testimoniis confirmati, et divinis hujus generis auxiliis adjuti fuissent; nec in cultu veri Dei perseverâssent, neque eas dispositiones et leges suscepissent, sine quibus inter gentes, quæ idololatriam et multitudinem deorum sanæ rationi deputabant, veram unius Dei invisibilis religionem non conservâssent, ut vel ex eo liquet, quòd sub providis licet his cautionibus constituti, nihilominùs toties ad diversas superstitiones abrepti fuerunt.

Qui Mosis miracula præstigiis, vel imposturis, vel mythis deputant, aut conficta esse contendunt, assertum suum, nec cum egressu Hebræorum ex Ægypto, neque cum subsequente certâ historiâ conciliare, neque etiam originem hujus ideæ Dei, quæ in his scriptis exhibetur, explicare possunt, ut adeò ipse hic egressus, et subsequens historia, atque hæc Dei idea testetur, illa miracula verè patrata fuisse.

§ 296. *An Moses docuit Deum merè nationalem?* — Mosen non docuisse, nisi Jehovam Deum tutelarem Hebræorum, seu nationalem, tot loca reclamant, ut mirum sit, quospiam in hanc delapsos esse sententiam. Nam nomine Jehovæ compellat illum, qui creavit cœlum et terram, Gen. 1. Exod. 20, 8, 12; 31, 17. Deut. 4, 23; qui diluvium immisit, Gen. 6, 9; qui ab Abrahamo et Melchisedecho dicitur celsissimus, Dominus cœli et terræ, et Judex universæ terræ, Gen. 14, 18, 20; 17, 1; 18, 16, 35; à Josepho agnoscitur omniscius gubernator universorum, Gen. 39, 10; 45, 5, 8; 50, 20; qui se Jehovam semper eumdem esse dicit, Exod. 6, 3; qui illa miracula in Ægypto et in Arabiâ et prædixit et patravit, quibus, se omniscium et omnipotentem esse manifestavit, Deut. 4, 32, 36; 10, 21. Exod. 6, 7; 7, 5; 10, 1, 2; 14, 18, 31; qui est auctor vitæ omnium viventium, Num. 16, 22, 27, 16; invisibilis (apparitiones enim factæ erant in symbolis) Exod. 33, 18, 23. Deut. 4, 12, 20, 39; cujus est cœlum et terra, et omne quod in eis est, et qui etiam peregrinos amat, Deut. 10, 14, 18; præter quem denique nullus est Deus, Deut. 4, 39; 6, 4; 32, 39. Moses Jehovam ubique proponit omnipotentem omnium hominum et populorum gubernatorem, qui nec donis, neque sacrificiis corrumpi potest, resipiscentibus verò se misericordem et clementem exhibet. Hunc verum Deum docet esse illum, qui ab Hebræis colendus sit, non tantùm, quia unicus est Deus, sed etiam quia Patriarchis eorumque posteris permagna beneficia promisit, et partim jam præstitit, eos ex Ægypto eduxit, legibus instruxit, et jamjam in Chanaan introducturus est, atque futuro quoque ævo proteget; denique quia Deum hunc elegerunt regem. Conf. Janssens l. c. vol. I, p. 74.

§ 297. *An Moses non sistit Deum nisi formidabilem?* — Deum à Mose sæpiùs sisti judicem justum, qui in sceleratos severè animadvertit, mirandum non est, non solùm, quia populus levis, juveniliter exsultans, indocilis et inflexibilis, non aliâ ratione coerceri, et ad custodiam legis permoveri poterat; sed etiam, quia Deus erat simul rex Hebræorum, cujus est, delinquentibus pœnas indicere et irrogare, ut bonos cives à læsionibus malorum communiat; alioquin omnes leges irritæ fuissent, si mox transgressionis venia annexa fuisset. Ast Deum à Mose non sisti nisi judicem inexorabilem, prout plures contendunt, oppidò falsum est; nam illæ promissiones divinæ, Patriarchis et Hebræis toties repetitæ, et ipsa quoque liberatio ex Ægypto, legislatio, et deductio in regionem Chanaan, beneficia sunt divina, quæ Deum sistebant beneficentissimum, Deut. 7, 6, 9; 8, 2, 20; 9, 4, 8; 10, 1, 11. Hinc Hebræis sæpiùs inculcatur, ut per custodiam legis gratum erga Deum animum testentur, imò disertis quoque verbis amor Dei præcipitur, quod utique ponit, Deum esse beneficum et clementem, Deut. 6, 4, 5; 11, 12, 15, 22. Moses Deum compellat, Deut. 8, 5; 32, 6, patrem populi atque Exod. 34, 6, 7. Num. 14, 18. Deut. 7, 9, 10; 32, 6, Jehovam dicit misericordem, clementem, benignum et fidelem, qui amorem paternum, probis et piis cultoribus suis, in mille generationes conservat, prævaricationem et iniquitatem condonat, neque tamen perpetuò ignoscit, sed castigat iniquitatem patrum in filiis ac nepotibus in tertiam et quartam generationem. Hæc quidem castigatio usque in quartam generationem, nempe per calamitates publicas, quarum consectaria etiam posteri sentiunt, legibus quoque fundamentalibus Exod. 20, 5, 6, inserta, multis offendiculo est, qui non advertunt vel advertere nolunt, eam patribus, qui illis temporibus de sorte

posterorum suorum perquàm solliciti erant, magnam fuisse pœnam, quùm prospicerent, dilectissimos filios, nepotes, pronepotes et abnepotes, fore miseros; aliunde autem intelligitur, hæc mala posteris non fuisse pœnas, sed monitiones, ut respicerent, et à peccatis caverent, ut etiam reapse contigit, prout magnum exemplum Hebræorum, in Assyriâ et Babyloniâ exulum, docet, qui monente hâc diuturniori castigatione resipuerunt, ut constantes demùm cultores Dei essent, quod et Moses prædixit. Deut. 4, 28, 31; 30, 1, 10. Conf. Janssens l. c. vol. I, p. 78.

§ 298. *Dispositiones ad conservandam religionem.* — Ut Hebræi, quorum multi in Ægypto idola coluerant, nunc per extraordinarias divinas operationes, vix ad cultum Dei reducti, in religione constantes essent, nec facilè exemplo aliarum gentium, inter quas versaturi erant, ad idololatriam inducerentur; Deus se illis, ut § 209 diximus, regem obtulit, et ab ipsis acceptatus fuit, atque hinc omnis Dei cultus simul fuit obsequium erga regem. Hæc theocratica reipublicæ forma, in quâ omnes leges regis, erant leges Dei, perpetuò verum Deum in mentem revocabat. Ita etiam rigida observatio sabbati, festi Pentecostis post septem hebdomades messis, anni septimi seu sabbatici, anni Jubilæi post septem annos sabbaticos, erat symbolica confessio Dei creatoris et gubernatoris omnium. Pascha quoque et festum tabernaculorum in memoriam revocabat, eumdem Deum creatorem fuisse liberatorem ex Ægypto, et ductorem per Arabiam; et quùm festis Pentecostis et Tabernaculorum, grates rependerentur pro collectis fructibus, docebantur Hebræi, hos quoque eidem Deo creatori in acceptis referendos esse. — Ut autem assuescerent Deum credere invisibilem, omnes effigies Jehovæ interdictæ fuerunt, ne ipsis quæpiam vis tribueretur, aut multiplicatione earum etiam plures Jehovæ introducerentur. Sacrum duntaxat tabernaculum consessum, quod Apotheosim admittebat. Ne autem et in hoc sacro loco superstitio irreperet, omnes minutiores quoque ritus legibus definiti fuerunt, atque præceptum fuit, ut omnia sacrificia in uno hujus sacri loci altari offerrentur, ubi mutua sacerdotum et Levitarum observatio accederet, ne quisquam superstitione viam ad idololatriam sterneret. — Parentibus quoque sedulò inculcatum fuit, ut omni occasione, præsertim verò celebrantes festa, et observantes ritualia præscripta, proles suas religionem et historiam gentis edocerent; et ne hæc instructio, fallente memoriâ, vel ignorantiâ degeneraret, cautum fuit, ut liber legis omni septennio in sacro tabernaculo prælegeretur, ubi non modò parentes errores, quos fortassè fovebant, corrigere, sed etiam adolescentes audire possent, an doctrina, quam perceperunt, libris sacris consentiret. Denique ipsa Dei nomina: *Jehova, Deus Abrahami, Isaaci et Jacobi,* atque possessio regionis Chanaan, unicum sacrum tabernaculum, unicus summus sacerdos, unica familia sacerdotum, unica tribus Levitarum, imò et ipsæ decimæ, sacrificia, redemptio primogenitorum, primitiæ, immunditiæ, purificationes immundorum et reliqua, quæ præscripta fuerunt, perpetuò monebant Hebræos, Deum esse unicum omnium gubernatorem, qui eos ex Ægypto in hanc regionem deduxit, atque hæc omnia observanda præcepit. Conf. in primis Deut. 26, 1, 11. Exod. 12, 25, 28; 13, 4, 16. Canticum quoque Deut. 32. Hebræi memoriæ mandare jussi erant, ut esset perpetuus monitor officii et futuræ sortis suæ, si officio suo deessent.

§ 299. *An religio Mosaica ad morum disciplinam spectat?* — Quùm Moses præparationem ad legislationem, librum Geneseos, in quo religio est moralis, præmiserit: exspectandum est, religionem quoque illam, quam ipse inculcat, ad moralem disciplinam spectare. Atque id in lege, quam ex mandato divino promulgavit, ubique deprehenditur; omnia enim ad Deum creatorem et gubernatorem universorum referuntur, cui omnes homines gratum animum et obedientiam debent. Cùm autem Hebræi à Deo singularia recepissent beneficia, et alia, porrò promissa, jure exspectarent; eò pluribus quoque et gravioribus rationum momentis Deo devincti erant, Exod. 20, 2. Lev. 11, 45; 25, 38. Deut. 4, 32, 40; 5, 24, 28; 16, 12, 13; 20, 25; 7, 6, 11; 8, 1, 6; 10, 18; 9, 4, 5; 10, 12; 11, 1, 26, 1, 10; 32, 6. Quare Deum, non modò creatorem et rectorem universorum, qui omnes homines innumeris beneficiis ornat, sed etiam peculiariter liberatorem et benefactorem suum, qui ipsos tot tantisque beneficiis cumulavit, et futuris quoque temporibus fovere promisit, ex toto corde, ex totâ animâ et ex omnibus viribus amare, et ex hoc amore atque ex grato erga Deum animo, mandata observare jubentur, quia non nisi per hanc custodiam legum, Dei benevolentiam promereri, atque ulteriorum beneficiorum divinorum capaces se præstare

possent, Deut. 6, 4, 5; 11, 1, 13, 14; 13, 4, 5. Non modò per abstinentiam à cibis immundis, Lev. 11, 45; 20, 26. Deut. 14, 1, 2, 21, sed etiam morum probitate sancti esse monentur, sicut Deus sanctus est, Lev. 19, 2; 20, 7, 8. Præcipitur, ut, sicut ipsi se, ita etiam proximum ament, Lev. 19, 18, non modò Hebræum, sed etiam peregrinum, Lev. 19, 33, 35. Exod. 22, 20, 21; 23, 9, 12. Num. 15, 14. Deut, 10, 18, 19; 24, 17; 27, 19. Interdicitur inimicitia et vindicta, Exod. 23, 4, 5. Lev. 19, 16, 18. Deut. 23, 7, 8, conf. Job 31, 29, 31. Cavetur, ne in servos quidem immites aut inhumani sint, Exod. 20, 10, 11; 21, 2, 11, 20, 26. Lev. 25, 39, 53. Deut. 5, 14, 15; 12, 17; 15, 12, 15; 16, 11, 14; 23, 16, 17; 24, 1, 4; 25, 4, conf. Job 31, 14, 15, et beneficentia in pauperes, viduas et pupillos inculcatur, Exod. 22, 24, 26. Lev. 19, 9, 13; 23, 22; 25, 5, 6. Deut. 12, 5, 7; 14, 22, 24; 15, 7, 15, 16, 10, 12; 24, 10, 22; 26, 11, 15; 27, 19. His incitamentum additur ex eo quòd et ipsi in Ægypto peregrini et servi fuerunt, atque adeò pro notissimo ponitur, alteri esse præstandum, quod nobis ab aliis præstari optamus; et alteri non esse faciendum, quod nobis fieri nolumus. Imò et credulitas in pecudes prohibetur, Exod. 20, 10, 11; 23, 11, 18; 34, 26. Lev. 22, 28; 25, 7. Deut. 14, 21; 22, 6, 7, 10; 25, 4. Monentur, ne surdo maledicant; aut cæco obstaculum ponant, Lev. 19, 14. Deut. 27, 18; ne mentiantur, Exod. 23, 1, 7: ne tanquam delatores regionem obambulent, Lev. 19, 18, 19. Vetatur, ne magistratibus, quos fortè sibi non favere opinantur, maledicant, Exod. 22, 27, 28. Jubentur, omnem fraudem, tanquam abominationem coram Deo, fugere, Deut. 25, 13, 16, res inventas restituere, et dominum earum sedulò indagare, Deut. 22, 1, 3, à fornicatione et pæderastiâ, atque ab incestu et bestialitate, imò etiam à concupiscentiâ impudicâ abhorrere; quia hæc enormia et abominalia sunt coram Deo crimina, Lev. 18, 1, 30. Deut. 23, 18, 19; 2, 25. Exod. 20, 17. Leges quoque civiles eo incitamento observandæ erant, quòd leges erant Dei creatoris, gubernatoris et benefactoris sanctissimi, Lev. 11, 41, 45; 18, 3, 5, 11, 30; 19, 10, 12, 14, 18, 25, 28, 30, 32, 34, 37; 22, 3, 8, 30, 33; 23, 22, 43; 25, 17, etc. Moses custodiam legum ubique memoratis modò momentis urget, et perpetuò inculcat, alia omnia, sine hàc religiosâ observatione legum, nullius esse momenti, inprimis Deut. 4, 1, 40; 5, 1, 6, 25; 8, 1, 19; 10, 12; 11, 1; 29, 1; 30, 20, quæ loca lege et relege. — Sacrificia, quæ permulta mandantur, exercitium erant grati in Deum animi, vel pœnam peccatori debitam, quasi in effigie, repræsentabant, et graviter monebant, peccata esse cavenda, simulque promissiones a Deo factas in memoriam revocabant, et magnum novi Fœderis sacrificium præfigurabant, conf. infra, § 370.— Promissiones bonorum temporalium, et minæ malorum quæ indoli adeò sensuali Hebræorum accommodatæ erant, morum probitatem non ampliùs impediebant, quàm hujusmodi promissiones et minæ nostram moralem prolium educationem impediunt, conf. supra §§ 294 et 297. Religio igitur Mosaica morum probitatem promovebat; hinc conspicimus in Bibliis plures viros, quorum integerrimos mores admiramur, conf. Janssens l. c. vol. I, p. 168, seqq.

Cæterùm, multis offendiculo est, in lege nullam disertam fieri mentionem conditionis hominis post mortem, indeque rectè concludere putant, antiquos Hebræos nullam futuræ vitæ notitiam habuisse. — Ast contrarium apparet 1° ex libro Jobi, in quo spes futuræ vitæ apparet, c. 19, 25, seqq., 14, 12, 19, 25, seqq., 26, 5, etc. conf. Rosenmülleri schol. in libr. Job. Lips. 1824, edit. 2. — 2° Ex Gen. 5, 24; 15, 15. Accedit Hebræos distinxisse orcum, בור שאול, à sepulcro, קבר, Gen. 25, 8; 37, 38; 49, 33; 50, 2, 10. Num. 20, 24, 26. Deut. 34, 7. 1 Reg. 2, 20; 11, 43; 2 Paral. 13, 23.— 3° Ex necromantiâ, quâ animi defunctorum excitari posse credebantur, Lev. 19, 31; 20, 6, 7. Deut. 18, 11; 1 Sam. 28, 3, 10, etc. Quod enim quipiam opponunt, superstitiosos sibi minimè constare, eo certè non valet, ut superstitiosus animos defunctos, quos non esse credit, suscitari et de arcanis et futuris interrogari posse credat, conf. supra, § 294. Successu temporis à Davide et Prophetis hæc doctrina magis disertè proposita fuit. Vitam autem felicem probis tantùm expectandam testantur, non improbis, Ps. 16, 8, 11; 17, 14, 15; 49, 15, 16; 73, 23, 28. Quanquàm verò sæpissimè rationum momenta ad benè agendum ex hâc vitâ desumebant, satis tamen caverunt, ne pii ad desperationem redigerentur, cùm se calamitatibus obrui, impiis autem res benè cedere viderent; tandem enim aliquando virtutis præmia, impietatisque pœnas instare annuntiabant, conf. Eccles. 11, 9; 12, 7, 14. — Vide quoque Casti Innoc. Ansaldi de futuro seculo ab Hebræis ante captivitatem cognito.

§ 300. *An typi in lege Mosaicâ?* — Typos non tantùm historicos et morales, sed et propheticos esse in lege Mosaicâ testem habemus lucu-lentissimum apostolum Paulum, Ep. ad Hebr. 9, 8, coll. 8, 5, seqq. 9, 24; 10, 1, etc., docentem legibus cæremoniis et sacrificiis lege Mosaicâ institutis, spem fuisse factam legum, et rerum sacrarum longè meliorum, inprimis sacrificii illius, quo Jesus Christus hominum peccata esset expiaturus. Hùc peculiariter pertinent ritus lustrales, quorum hæc omninò erat indoles symbolica, ut peccati fœditatem, quæ tollenda esset, oculis quasi subjicerent; atque universè piacularium sacrificiorum, ut et plerorumque, quæ à summo pontifice peragenda erant expiationis die, ea erat ratio, ut in iis animadverteretur, homini reo opus esse morum emendatione, et peccatorum veniâ, licet non nisi umbra conspiceretur harum ipsarum rerum, quæ demùm per Christi doctrinam, instituta et acta in plenam lucem evocatæ fuerunt. Cæterum prophetæ id omni ævo perspexerunt, atque persæpè disertis verbis prædixerunt. — Si non omnes Hebræi æquè clarè perspexerunt hunc finem typorum in lege Mosaicâ, veritati typorum non obstat, sicut veritati religionis christianæ ejusque dogmatum non adversatur, quòd non omnes eam clarè intelligant. Vide Luc. 18, 31, 33; 24, 25, 27, 44, 47, Conf. Act. 3, 18; 26, 22, 23. Joan. 20, 9, cum Act. 2, 27, 31, 35; 13, 34, 37, et § 370.

§ 301. *Religio à Mose usque post exilium Babylonicum.* — Hæc Mosaica institutio per omnes sequentes ætates efficaciam suam exseruit. Deus æterno decreto pro illis temporibus, quibus religio periclitabatur, mala et calamitates disposuerat, quæ gentem monebant, ut judices seu rectores reipublicæ acceptaret vel eligeret, qui patriam et religionem restituebant; vel legatos Prophetas mittebat, qui reges et proceres graviter monebant, et ausibus nefariis, quibus idololatriam introducere nitebantur, grandia impedimenta objiciebant, ne perficere possent, quæ moliebantur, inprimis quùm divina providentia, pios regum impiorum successores disposuisset, qui Prophetas audiebant, quæ sub antecessoribus malè acta erant, rescindebant, idololatriam tollebant, et cultum Dei rursùs restituebant. Quùm verò monitiones demùm vix quidquam proficerent, et omnia perpetuò in pejus ruerent; respublica Israelitica anno 253 post schism. (722 ante Chr.) eversa est, et cives ab Assyriis in Gozan, Calachenem, Assyriam et urbes Mediæ deportati sunt; regnum verò Juda 387 post schism. (588 ante Chr.) per Chaldæos eversum est, et cives ad ripas fluvii Cabor et in Babyloniam abducti sunt. Hæc contigerunt, prout jam Moses, et dein prophetæ prædixerant. — Discrimen, quod inter conditionem Hebræorum sub judicibus, et dein sub regibus, intercessit, in eo versatur, quòd ævo judicum, per 450 annos, non erat qui idololatriam juberet, aut auctoritate suâ promoveret, sed gens spontè in hoc vitium ruebat; quare hæc lues nunquàm tam latè grassabatur, ut ipsum sacrum tabernaculum hâc fœditate contaminaretur. Reges verò impii idololatriam jubebant, aut auctoritate suâ promovebant; quare et in templum usque penetravit. Pessimi erant in regno Juda, Achaz, et Manasses, qui filios suos Molocho immolaverunt, et Achaz denique ipsum quoque templum clausit. In regno Israel, Achab cum Sidoniâ uxore Jezabel, reliquos omnes superavit. Ultimis annis in utroque regno, præsertim verò in regno Juda, omnis generis superstitio, et morum corruptio invaluit. Nullum itaque aliud restabat medium, quàm extrema severitas, quâ gens universa è patriâ in longinquas regiones dispersa, humiliata et afflicta disceret, se sine Deo nihil posse, nec deos ullam opem ferre. — Quùm demùm qui à Mose et prophetis prædictus fuit reditus, per Cyrum inopinatè contingeret, atque templum et urbs Jerusalem restauraretur; gens, per tot insignia et latissimè patentia vaticinia opere completa, convicta fuit, Jehovam omnipotentem et omniscium esse gubernatorem universorum, et inanes esse omnes alios deos; quare abhinc Deo adeò constanter adhæsit, ut demùm nec Antiochi Epiphanis mandatis, neque ejusdem suppliciis cederet, sed omnis generis tormenta subiret, arma pro religione arriperet, libertatem vindicaret, et alias quoque gentes ad suam religionem pertraheret. Judæi reliqui, in Oriente et Occidente latissimè dispersi, ubique locorum proselytos acquirebant, et reliquis ethnicis innotuit, esse gentem, quæ unicum Deum invisibilem creatorem et gubernatorem universorum coleret. — Judæi id temporis sperabant, jam appropinquare illud ævum, quo promissus Messias veniret, et vera religio ad omnes gentes propaganda esset, sicut Patriarchis promissum, et à Prophetis prædictum fuerat; res quidem eorum, discordia principum, rursùs magis magisque collabebantur, et ruinam minabantur, nihilominùs illud ipsum, quod antiquissimis temporibus promissum fue-

rat, per Jesum, qui finis est omnis legis Rom. 10, 4, præstitum fuit.

§ 302. *Hebræorum post exilium perseverantia in religione.* — Hebræorum post exilium in religione perseverantia, cujus meminimus, inprimis complemento vaticiniorum de eversione regnorum Israel, Juda, Assyriorum et Chaldæorum, atque de reditu Hebræorum ex captivitate, nitebatur, uti ex Zach. 1, 2, 6. Esdr. 9, 7, 15. Neh. 9, 32, 37; 17. 18, liquet. Nam illa Hebræorum, per diuturnum exilium castigatio, quam dii alii, quos coluerant, avertere non poterant; et reditus, qui solâ providentiâ illius Dei, qui hæc omnia annuntiaverat, sine ullâ gentis cooperatione demùm contigit, animos, tot casibus afflictos excitabat, ut hæc et omnia reliqua, quæ, prout prædicta fuerant, acciderant, et antiquiora quoque singularia Dei beneficia, tranquillo animo perpenderent, quod, ut sæpiùs fieret, institutæ sunt synagogæ, in quibus omni sabbato lex Mosis, et non multò post etiam alii sacri quipiam libri, inprimis Prophetæ prælegebantur, preces fundebantur, hymni sacri decantabantur, et populus exhortationibus quoque ad religionem et morum probitatem excitabatur. His accesserunt scholæ, in quibus juventus accuratiùs de religione edocebatur, quàm à parentibus instrui potuit. — Judæos his temporibus Deum ex principiis philosophicis cognovisse, atque hinc eorum in religione avitâ perseverantiam descendere, repugnat 1° argumento librorum, qui ex his temporibus supersunt; nam ex Aggæo, Zachariâ, Esdrâ, Nehemiâ et Malachiâ, ex libro Ecclesiastici et Sapientiæ apparet, religionem historiæ antiquiori, et præsertim antiquis miraculis et complemento vaticiniorum superstructam fuisse. Imo 2° ex philosophicâ Dei cognitione hæc persuasionis firmitas nequaquàm orta fuisset, siquidem antiquiori ævo nequaquàm deprehenditur, etsi in Psalmis et scriptis antiquorum Prophetarum, plura adfuerunt argumenta, quæ ex rerum naturâ ad confirmandam doctrinam de vero Deo, et ad ostendendam deorum inanitatem, deprompta sunt. Accedit, doctrinam, philosophorum de Deo subtilioribus rationibus superstructam fuisse, quas plebs Hebræorum dijudicare, et ad confirmandum in religione animum adhibere non poterat.

§ 303. *Propagatio Judaismi.* — Judæi ultimis quatuor ante eversionem Jerosolymæ seculis, latissimè dispergebantur, et ubique locorum nanciscebantur proselytos. Id non parùm promovit persecutio Antiochi Epiphanis, quâ Deus ille, qui Judæis tantas victorias per Machabæos conferebat, attentionem gentilium excitabat; quare demùm integræ gentes, ut Idumæi, Ituræi et Moabitæ, per circumcisionem ad Judaismum transierunt. In Jaman seu Jemen, regione Arabiæ Felicis, centum et aliquot annis ante Christum, rex erat Judæus, et religionem judaicam tuebatur et propagabat. Judæi in Asiâ minori, Græciâ, et demùm Romæ plures ad religionem suam alliciebant. Romæ præsertim multitudine proselytorum, non raró in comitiis prævalebant, et, quia inquieti erant, demùm à Tiberio Italiâ, atque à Claudio Româ discedere jussi sunt, quin tamen jussa effectui mandarentur, Tacitus Annal. II, 85; Suetonius in Tiberio, § 36, et in Claudio, § 26; Dio Cassius L. 60, p. 669. Prærogativæ, quæ ipsis sat amplæ à Romanis concessæ erant, removebant impedimenta, quæ ethnicos à transitu ad Judæos retinere potuissent. Hinc proselyti et inprimis proselytæ, à doloribus circumcisionis exemptæ, perpetuò augebantur, et in novo Fœdere sæpè commemorantur Act. 2, 11; 6, 5; 13, 43; 16, 14, 17; 18, 7, 13; 19, 20; 13, 50; 16, 13, 15; 17, 4. Joseph. de B. J. II, 20, 2; Archæol. Jud. XVIII, 3, 5. Circa tempora Christi Izates, rex Adiabenis, per fœminas edoctus, circumcisus est, et religionem judaicam in regno suo propagabat, Joseph. Arch. XX, 2, 1, 5. Hâc ratione Providentia sternebat viam, quâ religio christiana in totum orbem deferri posset; ubique enim erant Judæi et synagogæ, in quibus Apostoli Jesum prædicabant, et ethnicis quoque præsertim per proselytos, annuntiabant, Act. 2, 5, 11; 11, 19; 13, 4, 6, 13, 52; 14, 1, 28; 16, 1, 40; 17, 1, 17, etc.

§ 304. *Rerum Judaicarum conditio.* — Judæi, ubique locorum concordes, peculiarem quampiam societatem constituebant, et, etsi magnis terrarum tractibus dissiti, inter se tamen juncti erant per templum Jerosolymitanum, quo omnes quotannis undique semisiclum mittebant, et, qui poterant, etiam ad festa proficiscebantur, qui verò non poterant, dona, templo aut sacrificiis dicata, aliis transferenda tradebant. Judæis Ægyptiis, Leontopoli in nomo Heliopolitano, ab anno 149, ante Chr. usque ad 73 post Chr., templum quidem erat peculiare, nihilominùs nexus cum Jerosolymitanis constabat. Concordia hæc minimè turbabatur per tres sectas scholasticas, usu philosophiæ in interpretatione Bibliorum, ortas; nam, ut ipse Josephus Archæol. XV, 10, 4, obser-

vat, Pharisæi Stoicis, Sadducæi Epicureis, et Essæi vel Esseni Pythagoræis simillimi erant. — Pharisæi familiarem inter se amicitiam colebant, et, quia illis plebs et nobiles fœminæ adhærebant, potentissimi, hincque audaces in tumultus proni, et ipsis regibus summisque sacerdotibus formidabiles erant, Joseph. Archaeol. XIII, 10, 5, 6. XVII, 2, 4; XVIII, 1, 3. Scissiones quæpiam inter ipsos, uti asseclæ Schammæi, Hillelis, et demùm Judæ Galilæi, concordiam non turbabant. Sadducæi non erant nisi divites et magnates, qui, si muneribus publicis fungebantur, sententiis Pharisæorum se accommodare coacti erant, ut à plebe tolerarentur. Jos. Arch. XIII, 10, 6; XVIII, 1, 3, 4. — Esseni, arctissimo nexu conjuncti, quasi ordinem quempiam monachorum constituebant, et non modò in Ægypto, sed aliis quoque regionibus; et ferè 4000 in ipsâ etiam Palæstinâ, præsertim ad occidentalia maris Mortui littora degebant, Jos. Arch. XVIII, 1, 5. Plin. Hist. nat. L. V, c. 17.

§ 305. *Ætas harum sectarum.* — Ex narratione Josephi Archæol XIII, 10, 5, 6, Joannem Hyrcanum, per suam à Pharisæis ad Sadducæos defectionem, familiæ suæ multa incommoda creâsse, liquet hunc principem jam olim juvenem, i. e., circa annum 150 ante Chr., fuisse pharisæum et has duas sectas jam illa ætate fuisse celebres. Josephus, Arch. XIII, 5, 9, quoque disertè dicit, jam sub principe Jonathane, i. e. ann. 159, 144 ante Chr., omnes tres sectas inclaruisse, et addit, eas esse εκ του πανυ αρχαιου. In libris quidem Machabæorum non memorantur; ast ex allegato mox Josephi loco liquet, eas illâ ætate certò adfuisse. Sunt tamen, qui arbitrantur, Pharisæos sub ασιδαιους, i. e., piis, 1 Mach. 2, 42; 7, 13. 2 Mach. 14, 6, latere, eosque ideò nomine piorum venisse, quod ampliùs, quàm lege præscriptum erat, præstare voluerunt, quùm è contrario alii, qui litteræ legis inhærebant, justi compellati fuerint, et hos esse Sadducæos. Similis quidem origo harum sectarum negari vix potest; verùm hæc antiquior est Machabæis. Accedit, ασιδαιους, 1 Mach. 2, 42, esse παντας ἑκουσιαζομενους τῳ νομῳ, *qui spontè pro religione militabant;* et 2 Mach. 14, 5, omnes milites Judæ, dici ασιδαιους, conf. 1 Mach. 7, 13. Josephus quoque Arch. XII, 10, 3, ασιδαιους non compellat Pharisæos, sed αγαθους και ὁσιους του εθνους. — Quod in Pirke Aboth de Zaddok et Baithos, discipulis Antigoni Sochæi, auctoribus Sadducæorum, refertur, eos nempe omnem et virtutis renumerationem, et vitii pœnam futuram negâsse, eò minùs probari potest, quòd Josepho Flavio ignotum est; id modò verum subesse videtur, ætate Antigoni Sochæi discipuli Simeonis justi, vel paulò post, i. e., circa initium vel medium seculi III ante Chr., has sectas natas fuisse. — Esseni orti sunt in Ægypto; quàm ingens eorum in hâc regione multitudo et Philonis quoque testimonium *de vit. contempl.*, comprobat, qui Essenos seu Essæos et Therapeutas (θεραπευτας) quidem distinguit, sed distinctio in minutiis quibusdam versatur. Utrumque nomen significat medicos, quia medicinam non solùm corporis, sed etiam animi profitebantur.

§ 306. *Doctrina theoretica Phariseorum.*—Pharisæi se, ob accuratam legis et religionis cognitionem, Deo acceptissimos esse gloriabantur, Joseph. Archæol. XVII, 2, 4, de B. J. II, 8, 14. Luc. 11, 52; 18, 11. Sententias autem eorum duntaxat eas, quæ in novo Fœdere attinguntur, exponemus : 1° Docebant Dei decreto, regimini ac Providentiæ subjectas esse actiones humanas, etsi in se liberrimas. Act. Ap. 5, 38, 39. — Docebant 2° animos hominum esse immortales, et in receptaculo quopiam subterraneo asservari; animos improborum pœnis æternis excruciari, proborum verò animos præmiis frui, et demùm, si vellent, in alia corpora humana transire, Joseph. Archæol. XVIII, 1, 3, de B. J. II, 8, 14. III, 8, 5. Matth. 14, 2; 16, 14. Joan. 9, 2, 34. Resurrectionem corporum Josephus non memorat, ast ab ipsis creditam fuisse, ex novo Fœdere liquet, Matth. 22, 24, 33. Marc. 2, 18, 23. Luc. 20, 27, 36. Joan. 11, 24. 2 Mach. 7, 9, 11, 14, 23, 29, 36, 12, 40, 45. — Docebant 3° existere angelos, seu eminentiores spiritus bonos et malos, qui in homines vim haud levem subinde habeant. Denique 4° contendebant, Deum jure stricto teneri Judæis benefacere, et eos omnes regni Messiæ participes reddere, justificare et æternum beatos reddere, nec ullum posse damnare. Causam justificationis verò ex meritis Abrahami, ex cognitione Dei, ex circumcisione, et ex oblatis sacrificiis repetebant, Jos. Flav. Arch. XVII, 2, 4. de B. J. II. 8, 4. Justinus Dialog. cum Tryphone. Pirke Aboth. Rom 1, 11. Hebr. 10, 1, 18. Conf. Menochii de Republ. Hebr. L. III, c. 15, quæst. 5,

§ 307. *Pharisæorum disciplina morum.* — Pharisæi morum quidem probitati studebant juxta sectæ suæ disciplinam, quæ autem magnâ ex parte perversa et laxa erat; nam

1° plura, quæ à lege Mosaica, civiliter permissa fuerant, etiam moraliter recta esse statuebant, ut repudium uxoris ex quâcumque causâ, et jus talionis, Matth. 5, 31, seqq. 19, 3, seqq. — 2° Leges quaspiam Mosaicas ad litteram premebant, et ad suam philosophiam contorquebant; ita legem de amore proximi, de solo amore amici exponebant, et odium inimici licitum esse docebant, Matth. 5, 43, conf. Luc. 10, 33; jusjurandum in quo nominatum non esset nomen Dei, non obligare pronuntiabant, aut saltem minutiis deputabant, Matth. 5, 23; prohibebant sabbato evellere paucas spicas, sanare ægrotum, etc. Matth. 12, 1, seqq. Luc. 6, 6, seqq. 14, 1, seqq. 3° Leges naturales, quæ in lege Mosaicâ nullâ pœnâ sancitæ erant, mandatis parvis seu minutiis accensebant, quibus leges cæremoniales, tanquàm mandata magna, longè præferebant, Matth. 5, 19; 22, 34; 15, 4; atque alia, quæ nequaquàm erant mandata, commendabant; hinc iram absque causâ, et impudica desideria parvi faciebant, Matth. 5, 21, 22, 27, 30; proselytos facere studebant, parùm curantes, ut mores eorumdem emendarent, Matth. 23, 15; felicitatem in hâc vitâ et divitias maximi pendentes, opes per fas et nefas corradebant, Matth. 5, 1, 12; 23, 4. Jacob. 2, 1, 8. Luc. 16, 14. Joseph. Arch. XIII, 3, 4, 5; vanæ gloriæ cupidi, preces in omnium oculis, non sine sensu sanctitatis suæ, peragebant Matth. 6, 2, 5; 18, 11. Luc. 18, 11, et sepulcra prophetarum ornare amabant, Matth. 23, 29. Conf. Menochius, l. c.

§ 308. *De traditionibus Pharisæorum.*— Quàm plurimas observabant traditiones seu decreta majorum, quæ ex parte ab ipso Mose repetebant, et legibus divinis non modò æquiparabant, sed etiam præferebant, Matth. 15, 2, 3, 6. Marc. 7, 3, 13. Thalmud, Roschhaschana, p. 19, 1. Zebachim, p. 101, 1 Joseph. Arch. XIII, 10, 6. Hæc decreta demùm collecta et aucta sunt in Thalmude, ex quo aliqua in novo Fœdere obvia, exponemus. Lotionem manuum ante mensam, quam mos cibos digitis ex patinâ in os inferendi postulabat, in officium religionis vertebant, quia si quis inscius immundum quidpiam tetigisset, illotus cibos quoque contaminaret. Omissionem hujus lotionis statuebant esse crimen fornicationi æquale, et exterminatione dignum, Thalmud. Babyl. Aboda Zara, p. 11, 1. Sota, p. 4, 2. Beracholh, pag. 46, 2. Thaanith, pag. 20, 2, conf. Matth. 15, 1. Si quis domum non fuerat egressus, præcipiebant, ut manus sine distensione digitorum aquâ perfundantur, et demùm eleventur, quò aqua ad cubitos defluat; dein, rursùs allusâ aquâ, demittantur, ut aqua ad digitos defluat. Hoc innuitur Marc. 7, 3. Qui verò domo egressi erant, se balneo abluebant, aut saltem manus distensis digitis in aquam immergebant. Id Marc. 7, 4, dicitur ἐὰν μὴ βαπτίζωνται. Hæc mundatio vasis quoque ante sabbatum contingebat, Marc. 7. 4. Ad purificationes hujusmodi spectârunt illæ hydriæ, quæ Joan. 2, 6, memorantur. Ab his distinguenda est symbolica lotio manuum Deut. 21, 6. Ps. 26, 6. Matth. 27, 24. — Ita etiam potum percolabant, ne inscii animalculum immundum deglutirent, Matth. 23, 24. De immunditie adeò anxii erant, ut non tantùm ethnicis, sed etiam illis Judæis, qui negotium invisum tractabant, uti portitoribus et publicanis, nequaquàm convescerentur, et omnes, qui non essent Pharisæi, spernerent, et peccatoribus accenserent, quibus, ne contaminarentur, non communicabant, Thalmud Chagiga. 2, 7. Luc. 7, 39. Matth. 9, 11. — Per hebdomadem bis jejunabant, nempe die Jovis, quo Mosen ascendisse montem Sinai arbitrabantur, et die lunæ, quo eum descendisse credebant, Thaanith II, p. 9, Schabb. I, 24, conf. Luc. 18, 11. Fimbrias superindumenti, et phylacteria gestabant majora, Matth. 23, 5. Fimbrias illa supra, § 122. descripsimus; phylacteria verò, quæ ex Exod. 13, 16. Deut. 6, 8; 11. 18. exsculpserunt, erant membranæ, quibus quatuor loca, Exod. 13, 1, 10. 11, 16. Deut. 5, 4. 9; 11, 13, 21, inscripta erant, dein in formam litterarum vocis שדי, convoluta, capsulis coriaceis imponebantur, et loris exteriori parti manûs sinistræ supra carpum et fronti inter oculos, alligabantur. Conf. Menochius, l. c.

Pharisæi itaque erant corruptum genus hominum; ast id non de omnibus et singulis valet; occurrunt inter illos viri morum probitate conspicui, Matth. 27, 21. Marc. 15, 43. Luc. 2, 25. 23, 51. Joan. 19, 38. Act. 5, 34. Hoc ipsum colligitur etiam ex utroque Thalmude; nam Thalmud Jerosolymitanum refert Berachoth p. 13, 2. Sota p. 20, 3, et Babylonicum Sota p. 22, 2, septem Pharisæorum genera valdè dissimilia, quorum duo duntaxat referemus, nempe Pharisæos, qui dicebantur Sichemitæ, qui Pharisaismum ob commoda temporalia profitebantur, Matth. 23, 5, 14; et eos, qui disciplinæ moralis studiosi, et ad exequenda officia prompti erant, unde nomen eis inditum: *Pha-*

risæus, qui dicit : *Scire volo, quòd sit officium meum, ut illud præstem*, conf. Luc. 18, 18.

§ 309. *Galilæi et Zelotæ.*— Anno Christi 12, quo Archelaus relegatus fuit, nova ex Pharisæis prodiit secta Galilæorum ; nam quùm sub Quirino, præside Syriæ, cui Judæa, nunc provincia romana, attributa fuit, census ageretur; JudasGalilæus, etiam Gaulonites dictus, Zaduko Sadducæo junctus, publicè docuit, id genus tributi repugnare legi Mosis, ex quâ Judæi nonnisi Deo regi subsint. Tumultus, quos cievit, suppressi quidem sunt, Act. 5, 37; ast discipuli ejus qui Galilæi dicebantur, doctrinam hanc propagabant, et præterea etiam à proselytis omnibus exigebant, ut circumcidantur. Conf. Joseph. Arch. XVIII, 1, 6. de B. J. II, 17, 7, 9. VII, 8, 1, 6, 9, 1, 2. Hinc Matth. 22, 17, seqq. Jesu proponitur captiosa quæstio, an liceat dare censum Cæsari. Galilæi, quos Pilatus Luc. 13 1, 2, in templo occidit, hujus sectæ fuisse videntur. — Inter Apostolos Jesu Luc. 6, 15, Simon dicitur κανανιτης, seu ζηλοτης, et Act. 21, 20; 22, 3, sunt etiam inter Christianos Jerosolymæ Zelotæ ; ast hi solummodò observationem legis Mosaicæ urgebant, et nequaquàm ita exorbitabant, ut illi Zelotæ, quos in historiâ belli Judaici deprehendimus.

§ 310. *Sadducæi.* — Sadducæorum sententiæ singulares erant, 1° præter Deum nullum existere spiritum bonum vel malum, et animos quoque hominum cum corporibus emori, nec resurrectionem exspectandam esse, et nequidem fieri posse Matth. 22, 23. Act. 23, 8. 2° Non esse Providentiam, sed omnia à liberis hominum actionibus pendere; 3° traditiones Pharisæorum, seu decreta majorum non obligare, Josephus Arch. XIII, 5, 9, 10, 6. XVIII, 1, 4, et de B. Jud. II, 8, 14. Alias quidem quaspiam opiniones fovebant, sed non fervidè propugnabant, neque arctam societatem inter se colebant. Cæterùm, in judiciis et in vitâ communi aliis se ostendebant seviores erga eos, qui deliquerunt, et universè duriores et austeriores. Solum autem Pentateuchum suscepisse et reliquos libros rejecisse, Josephus Arch. XIII, 10, 6, non dicit; nam legem hoc loco non opponit reliquis libris, sed traditionibus non scriptis, quas Sadducæi repudiabant; hinc in Thalmude ex aliis libris non solùm oppugnantur, sed etiam ipsi pro suis sententiis argumenta depromunt, Sanhedrin p. 90, 2. Cholin. p. 87, 1.

§ 311. *Esseni et Therapeutæ.* — Discrimen præcipuum Essenos seu Essæos inter et Therapeutas erat, quòd illi fuerunt Judæi Hebræi, seu aramæam loquentes, hi autem Judæi Græci prout innuunt ipsa nomina. Esseni præsertim in Palestinâ, Therapeutæ verò inprimis in Ægypto morabantur, et rigidiores erant quàm Esseni, qui majores duntaxat urbes fugiebant, pagos verò et opida inhabitabant, et agriculturam, artes et opificia (solis quæ arma parabant exceptis) exercebant; Therapeutæ autem omnia loca habitata fugiebant, in desertis, campis aut hortis commorabantur, et contemplationi vacabant. Esseni et Therapeutæ quidem omnia habebant communia, et ex gazophylacio communi vitæ necessaria recipiebant; sed candidati Essenorum sua societati offerebant, Therapeutarum autem ea propinquis relinquebant, et utrique post annos probationis professionem integerrimæ probitatis emittebant.

Esseni ante solis ortum fundebant preces, post quas quilibet à præposito ad agriculturam vel artem suam mittebatur. Horâ undecimâ ad panem et pulmentum conveniebant, et ad operationem suam remittebantur. Vespere similis erat cœna communis. Ante et post mensam sacerdos preces voce præibat. Die sabbati in synagogâ legis prælectionem et allegoricam explicationem audiebant, atque etiam singuli privatim libros legebant. — Arcana nomina angelorum habebant, quæ profanis evulgare nefas erat. Integri vitæ, inprimis veracitatem colebant, quare jusjurandum reprobabant, nec jurabant nisi emittendo professionem ordinis sui. Servitutem repugnare naturæ asserebant. Quipiam donum prophetiæ sibi arrogabant. Matrimonium non inibant, nisi Esseni alicujus classis singularis, neque tamen hi cum uxore congrediebantur, quam primùm gravidam esse animadvertebant. Reliqui erant cœlibes, non quod matrimonium damnabant, sed quòd feminas omnes censebant esse adulteras. Qui de quopiam crimine convictus erat, è societate excludebatur. — Doctrina eorum ferè eadem erat, quæ Pharisæorum. 1° Deum dicebant auctorem omnis boni, non autem mali, seu cooperari ad bona, non autem ad mala ; 2° animos statuebant esse immortales, et post mortem, probos in insulis beatorum trans mare præmia recipere, improbos verò sub terrâ pœnas subire æternas; 3° sacrificia cruenta reprobabant; quare templum non frequentabant, Joseph. Archæol. XV, 10, 5; XVII, 13, 3; XVIII, 1, 5; 10, 5, de B. J. II, 8, 2, 12, Philo, *quòd omnis probus liber*, p. 867, seqq.

Therapeutæ in plerisque cum Essenis facie

bant; ast omnes erant cœlibes; suscipiebant quidem in ordinem suum puellas, sed hæ manebant virgines, et eamdem vitæ rationem tenebant. Solo die sabbati communem habebant mensam, ubi viri à dexteris, virgines autem separatæ, à sinistris sedentes, solo pane et sale, atque interdùm hyssopo vescebantur. Nocte sabbati vigilias agebant, et, ut olim Israelitæ post transitum sinûs Arabici, hymnos cantabant, et sacras choreas ducebant, Philo, de Vit. contempl.

§ 312. *Hellenistæ.* — Hellenistæ, qui Act. 6, 1; 9, 29; 11, 20, occurrunt, dicebantur illi Judæi, qui non solùm in Ægypto, Asiâ minori, Græciâ, sed ubicumque locorum vernaculâ utebantur græcâ, ideòque non sunt prorsùs iidem, qui Joann. 7, 35. Jac. 1, 1. 1 Petr. 1, διασπορα των ἑλληνων compellantur; nam Hellenistæ etiam Jerosolymæ erant, Act. Ap. 6, 1; atque inter Græcos dispersi quoque erant Judæi Hebræi, qui aramæâ dialecto utebantur, uti ipse Paulus, Tarso oriundus, 2 Cor. 11, 12. Philipp. 3, 5. Nempe aramæam loquentes se hoc ævo Judæis Græcis longè præstare arbitrabantur, ideòque contendebant in aliis quoque locis, vernaculam suam aramæam ad posteros propagare. — Hellenistis Onias filius Oniæ III, ut supra diximus, in Ægypto Leontopoli, circa annum 149 ante Chr., templum exstruxit, in quo sacerdotes de genere Aaronis et levitæ ministrabant, et omnia erant eadem, quæ Jerosolymæ cernebantur, nisi quòd candelabrum aureum non insistebat basi, sed catenâ aureâ in aere pendebat, Joseph. Arch. XIII, 3, 1, 3. Onias hoc ausu suo innitebatur quidem loco Isa. 19, 18, seqq., qui verò nequaquàm ita ad litteram capiendus est. Templum itaque hoc erat illegitimum, nec ab aliis Hellenistis, nisi Ægyptiis et Cirenensibus frequentabatur, qui tamen non raró quoque templum Jerosolymitanum invisebant, Act. 6, 9. Thalm Jerus. Megilla, p. 73, 4. Propter tumultus Judæorum, templum hoc anno 73 post Chr., mandato Cæsaris Vespasiani, clausum fuit, Joseph. de B. J. VII, 10, 4. Archæol. XX, 10, 1.

§ 313. *Proselyti.* — Proselyti, προσηλυθοι, *advenæ*, απο του προςεληλυθεναι dicti, olim memorantur ferè duntaxat in itinere per Arabiam, et demùm in Palæstinâ sub Davide et Salomone; à Mose dicuntur גרים, si domo carerent; תושבים verò, si domum haberent. Ætate autem Christi et Apostolorum ubique terrarum erant frequentes, et quidem vel circumcisi, *proselyti justitiæ*, vel incircumcisi, *proselyti portæ*, in novo Fœdere, *colentes Deum*, et *timentes Deum*, nuncupantur, Act. 2, 5; 10, 2, 22; 13, 16; 18, 7, conf. 2 Reg. 5, 17 19. His antiqui illi Schenitæ et Rechabitæ (posteri Chobab, leviri Mosis) accensendi sunt; nam unum quidem verum Deum coluisse, sed legem Mosaicam minimè observâsse videntur, Num. 10, 29. Jud. 1, 16; 4, 11. 1 Sam. 15, 16. Jer. 35. Judæi aiunt, his proselytis observanda fuisse præcepta, quæ dicunt *Noachica*, nempe, 1° ab idololatriâ abstinere; 2° solum verum Deum colere; 3° ab incestu abhorrere; 4° homicidium non committere; 5° non furari aut prædari; 6° homicidam morte punire; 7° sanguinem, et omne, in quo sanguis est, ut suffocatum, non manducare. Cæterùm cum Judæis synagogas frequentabant, et quamvis ubique Deo sacrificare potuerint, templum tamen Jerosolymitanum invisebant, et per sacerdotes sacrificia offerebant. — Proselyti justitiæ autem non solùm circumcisione genti judaicæ inserebantur, sed etiam, sanato circumcisionis vulnere, præsentibus tribus testibus seu patrinis, baptizabantur, seu aquis immergebantur, in symbolum, eos non modò à sordibus idololatriæ esse purgatos, sed etiam quasi in aquis sepultos, novos homines resurgere, seu regenerari tanquàm filios Abrahami, Joan. 3, 3, seqq. Judæi hunc proselytorum baptismum jam Exod. 14, 24; 19, 10, et Gen. 35, 2, commemorari, et necessarium esse, atque per eum proselytos fieri omninò novos homines asserunt, ut omnis cognatio cum carnalibus propinquis pereat, et proselytus propriam matrem ducere possit uxorem, conf. 1 Cor. 5, 1, seq. — Post baptismum proselytus sacrificium duorum turturum vel pullorum columbæ offerebat. Ad hanc oblationem et ad baptismum, etiam fœminæ, quæ legem Mosaicam suscipiebant, tenebantur. Seldenus de Jure nat. et Gent. II, 25, c. 4, p. 158; seqq.

§ 314. *Samaritani.* — Coloni, à Salmanassare et Assarhadone ex Cuthâ, Avvâ, Hamath et Sepharvaim in regionem tribûs Ephraim et Manasse missi, 2 Reg. 17, 24. Esdr. 4, 2, 11, cum relictis Israelitis in unum populum coaluerunt, atque à metropoli Samariâ, dicti sunt Samaritani. Primùm quidem deos patrios colebant; quùm autem in regione desolatâ à leonibus lacessiti essent; petierunt et receperunt à rege Assyriæ exulem sacerdotem Israeliticum, qui, fixâ in Bethele, antiquo vituli aurei sacrario, sede, eos ex libris Mosis cultum Jehovæ,

dubio procul sub effigie vituli, edocuit, ut nunc quidem Jehovam et idola simul colerent, 2 Reg. 17, 26, 34, conf. 2 Paral. 30, 1, 10. Hebræis, post reditum ex captivitate, templum ædificantibus, se socios obtruserunt; quia verò magis beneficiorum à Cyro concessorum, quàm templi et religionis communionem quærebant, neque diis patriis valedixerant, repulsam passi sunt, ideòque implacabili in Judæos odio concepto, templi restaurationem, quantùm in ipsis erat, impediebant, atque per obreptionem à pseudo-Smerde interdictum ædificii impetrârunt. Judæi vicissim exacerbati, et simul timidiores facti sunt, Esdr. 4, 4, 24; quare demùm, sub Dario Hystaspis templum ædificantes, ab Aggæo et Zacharia sæpiùs, magno animo esse jubentur. Nehemiâ mœnia Jerosolymæ restituente, Samaritani, ut opus impedirent, irrito conatu omnem lapidem movebant, unde aversio Judæorum aucta fuit, Neh. 6, 1, 14.— Quùm autem Nehemias, circa annum 408 ante Chr., uxores alienigenas, ob periculum seductionis, è populo submoveret : Manasses, filius summi sacerdotis Joiadæ, uxorem suam, filiam Sanaballati præfecti Samaritanorum, dimittere nolens, ad Samaritanos transivit, Neh. 13, 28, et Sanballat, impetratâ a Dario Notho facultate, Samaritanis templum in monte Garizim ædificavit, ac illum transfugam Judæum, generum suum, sacris præfecit. Hoc summo sacerdote agente, Samaritani idololatriam dimisisse videntur; quare deinceps plures Judæi, legis transgressores, ut pœnas effugerent, ad illos transibant, unde odium utrinque augebatur. —Sub Antiocho Epiphane, 167 ante Chr., Samaritani templum suum Jovi consecrârunt, 1 Mach. 3, 10. Joseph. Arch. XII, 5, 5; ast demùm rursùs ad religionem Mosaicam redierunt. Anno autem 129 ante Chr., Joannes Hyrcanus templum eorum evertit, Joseph. XIII, 9, 1. Cæterùm, ubi poterant, Judæos vexabant et lædebant, Josephus Arch. XII, 4, 1. XVIII, 2, 2. Unde odium mutuum perpetuò alebatur; quare ætate Christi nullum erat horum populorum commercium, Luc. 17, 16. Joan. 4, 9, seqq., ut Judæi, ex Galilæâ Jerosolymam proficiscentes, non facilè per Samariam transirent, sed trajecto Jordane iter per Gilead conficerent, et ad Jericho rursùs Jordanem trajicerent. Judæi hoc odio impulsi, nomen urbis Sichem, cum nomine Sichar, *ebrius*, commutârunt, Joan. 4, 5. Controversiæ autem erant, quòd 1° Samaritani solum Pentateuchum, quem ab illo ex Assyriâ misso sacerdote receperant, venerabantur, Messiam tamen Prophetam exspectabant, Joan. 4, 25. seqq., probabiliùs Gen. 12, 13; 18, 18; 22, 18; 26, 4; 28, 24, et aliis quibusdam locis nixi; 2° quòd contendebant, locum adorationis, nequaquàm Jerusalem, sed montem esse Garizim, Joan. 4, 20. Joseph. XIII, 3, 4.

CAPUT SECUNDUM.

DE LOCIS SACRIS.

§ 315. *De locis sacris generatim.* — Ævo antiquissimo Deus sine discrimine locorum colebatur, ubicumque homines interno religionis sensu movebantur, præsertim verò in locis in quibus prosperum successum aut favorem Dei experti, aut periculo erepti fuerant, et aliàs sub umbrâ frondosarum arborum, et in collibus et montibus. — Primum altare, quod occurrit, est Noachi, Gen. 8, 20; Abraham, Isaac et Jacob plura in Chanaan exstruxerunt, præsertim in locis in quibus eis revelationes divinæ obtigerant, Gen. 12, 7; 13, 4, 18; 26, 25; 33, 20; 35, 1, 3, 7.— Moses et auctor libri Josuæ commemorant idola, altaria et lucos; de templis verò silent; primùm Sichemi, deo Baal-Berith dedicatum, sed jam turri munitum, legitur; quare omnium primum putandum non est. Jud. 9, 4.

§ 316. *Sacrum tabernaculum.* — Locus publicus divini cultûs, à Mose usque ad Salomonem, erat sacrum tabernaculum, quod *tentorium, habitaculum, sanctuarium, domus, habitaculum gloriæ Jehovæ, tentorium Jehovæ, et tentorium congregationis,* et nonnunquàm etiam *palatium,* dicitur. Tripartitum erat : prima pars erat vestibulum, area quadrata, 100 cubitos longa, et 50 lata, undique sipariis byssinis, altitudine quinque cubitorum, cincta. Siparia pendebant ex perticis argenteis, quæ columnis innitebantur, et hæ in plagâ australi et aquilonari erant, ubique 20, in plagâ occidentali et orientali 10, dubio procul ex lignis acaciarum concinnatæ; ne verò ab humoribus terræ facilè læderentur, æneis basibus insistebant. In capite autem argentei uncini adaptati erant, quibus perticæ argenteæ, siparia sustinentes, infigebantur. Ostium erat ex plagâ orientali, 20 cubitis patens, ubi siparia quatuor columnis innixa opere phrygionico ornata seu acupicta erant, et quidem colore hyacinthino, purpureo, coccineo et albo; ut ingressus pateret, attollebantur, Exod. 27, 9, 19; 38, 9, 20.

In medio lateris occidentalis hujus areæ erat sanctuarium, seu tabernaculum, quadratum

oblongum, undique coopertum, ab occidente in orientem 30 cubitos longum, ab aquilone in austrum 10 cubitos latum. Parietes compositi erant 48 asseribus, qui ex lignis acaciarum, longitudine 10 cubitorum, et latitudine cubiti et dimidii, parati, et laminis aureis obducti, basibus argenteis innitebantur, vectibus deauratis jungebantur, et ita dispositi erant, ut in latere occidentali 6, in latere aquilonari et australi utrinque 20 asseres, et duo quidem in duobus angulis duplicati essent, latus verò orientale pateret, Exod. 26, 15, 30. — Hoc oblongum quadratum, asseribus constructum, quatuor operimentis contectum erat, quorum primum seu intimum strictissimè dicitur משכן erat byssinum, et cherubinos colore purpureo, hyacinthino, coccineo et albo acupictos exhibebat; in lateribus ferè cubito à terrâ distabat, Exod. 26, 1, 6. Secundum operimentum, strictissimè אהל dictum, ex pilis caprinis contextum, undique ferè usque ad terram pertingebat, Exod. 26, 7, 13. Tertium operimentum ex rubris pellibus arietum, et quartum ex pellibus cæruleis, vel juxta alios phocarum compositum erat, et utrumque מכסה appellatur. Latus orientale apertum, sipario seu velo gossipino acupicto claudebatur, quod ex perticis argenteis, per quinque columnas deauratas sustentatis, pendebat. — Interius spatium bifariàm divisum erat; primum 20 cubitos longum, et 10 latum et altum, ab intimo, quod cubus 10 cubitorum erat, separabatur per siparium acupictum, quod ex quatuor columnis aureis pendebat, et δευτερον καταπετασμα dicebatur, Exod. 26, 36, 37. Primum conclave est *Sanctum;* Hebr. 9, 2; intimum verò seu adytum nuncupabatur, *Sanctum sanctorum,* seu sanctissimum.

§ 317. *Altare et labrum æneum.* — In mediâ ferè areâ exteriori erat altare, Exod. 40, 29, tres cubitos altum, et 5 longum et latum, ex lignis acaciarum in formam cistæ ita constructum, ut inferior pars quatuor tantùm columnis ceu pedibus insisteret, et latera æneo opere reticulato clausa essent, ubi sanguis victimarum effundebatur. Superior pars, parietibus ligneis ære obductis conclusa, replebatur terrâ, super quâ ignis ardebat. Quatuor anguli eminebant superius instar cornuum; in medio autem altitudinis columnis quatuor annuli ænei, æquali intervallo inserti erant, per quos perticæ trajiciebantur, ut altare commodè portari posset. Ascensus ex parte meridionali erat clivus ex terrâ aggestus. Exod. 20, 25, 24, 4; 27, 1, 8; 38, 1, 7. Lev. 9, 22. Ad hoc altare pertinebant, urnæ ad deportandos cineres, palæ ad cineres colligendos, pelves ad excipiendum et spargendum sanguinem victimarum, fuscinæ ad vertendas in igne partes victimarum, thuribula seu vasa ad recipiendas prunas, et alia instrumenta ænea, Exod. 27, 3; 38, 3. — Inter altare et Sanctum, aliquantùm versùs meridiem, erat labrum, quod unà cum basi suâ, ex speculis æneis, quæ matronæ obtulerant, formâ rotundâ fusum erat, Exod. 30, 18; 40, 8. Ex hoc labro sacerdotes, obituri functiones, manus pedesque lavabant.

§ 318. *Candelabrum aureum.* — Lychnuchus seu candelabrum aureum, in primo conclavi sanctuarii, ad latus australe positum, insistebat basi, ex quâ stipes lineâ rectâ in altum surgebat; utrinque æqualibus distantiis tres rami, lineâ incurvâ procurrebant in eamdem cum stipite altitudinem, ut Judæi dicunt, 18 palmarum, cùm latitudo esset 12 palmarum. Stipes et rami globis, floribus aliisque ornamentis aureis condecorati erant. Septem extremitates totidem portabant lampades aureas, quæ noctu omnes, interdiù autem tantùm tres ardebant, Exod. 30, 8. Num. 34, 3. Jos. Arch. III, 8. 3. Sacerdos mane et vespere lampades forcipibus aureis disponebat, et sordes in vasis aureis efferebat. Aurum totius lychnuchi appendebat talentum, seu 4477 solidos aureos nostros, Exod. 25, 31, 40; 27, 20; 37, 17, 24. Lev. 24, 1, 4. Num. 4, 9.

§ 319. *Mensa panum propositionis.* — In eodem primo sanctuarii cubiculo, ad latus septentrionale erat mensa ex lignis acaciarum constructa, duos cubitos longa, cubitum lata, atque cubitum et dimidium alta, tota laminis aureis obducta. Ambitus tabulæ cinctus erat limbo seu coronâ, et mox infra tabulam erat cingulum palmare, itidem limbo cinctum. Penès hoc cingulum palmare in quatuor pedibus, æquali distantiâ, affixi erant quatuor annuli aurei, quibus immittebantur deaurati vectes, quibus mensa portabatur, Exod. 25, 23, 28; 37 10, 16. Annuli, exceptâ arcâ fœderis, deinceps in templo omissi sunt. In hâc mensâ duodecim panes azymi, thure, et, ut Alexandrina versio Lev. 24, 7, addit, sale conspersi, duplici ordine dispertiti erant, qui omni sabbatho à sacerdotibus permutabantur, atque *panis propositionis, faciei* (quia coram facie, seu throno Jehovæ jacebant), *panis dispositus, panis perpetuus,* dicebantur, Lev. 24, 6, 7. 1 Paral. 23, 29. Appositum quoque erat vinum in scutellis profundis et minoribus, in calicibus

operculo tectis, atque in urceis, ex quibus vinum in scutellas et calices infundebatur, et in quos rursùs effundebatur, Exod. 25, 29, 30; 37, 10, 16; 40, 4. 24. Lev. 24, 5, 9. Num. 4, 7.

§ 320. *Altare suffitus.* — Inter mensam et candelabrum aureum, versùs siparium Sanctissimi, erat altare thymiamatis, ex lignis acaciarum constructum, cubitum longum et latum, et duos cubitos altum, in 4 angulis cornibus ornatum, et totum laminis aureis obductum; quare altare aureum, et altari victimarum oppositum, altare interius, dicitur. Superficies erat limbo cincta, et ad duo latera, æquali distantiâ; gemini annuli aurei affixi erant, per quos perticæ auro obductæ, quibus portabatur, transmittebantur. In hoc altari quotidiè, mane et vespere, incensum offerebatur, quod Exod. 30, 34, 37, describitur, conf. Exod. 30, 1, 10; 37, 25, 29; 40, 5, 26. Jos. Arch. III, 6, 8, et de B. J. V, 5, 5.

§ 321. *Arca fœderis in Sanctissimo.* — In Sanctissimo seu adyto, in quod nullus lucis radius penetrabat, erat arca fœderis, cista oblonga ex lignis acaciarum parata, cubitum et dimidium lata et alta, duos cubitos et dimidium longa, auro purissimo undique obducta, superiùs limbo aureo ornata, et in binis lateribus longitudinis, æquali distantiâ, quatuor aureis annulis instructa, in quibus vectes deaurati, quibus portabatur, perpetuò, etiam dein in templo, immissi erant. Situs ejus in adyto talis erat, ut extremitates vectium, siparium attingerent, Exod. 25, 10, 15; 37, 1, 9. 1 Reg. 8, 8. 1 Paral. 5, 8, 9. Operculum, ejusdem longitudinis et latitudinis, erat ex auro purissimo elaboratum, super quod in duabus obversis extremitatibus duo Cherubim, vultu sibi obverso et paululùm ad operculum inclinato, insidebant. Alæ eorum super operculum expansæ erant, et formabant thronum Dei Regis, ut arca esset ejusdem scabellum. In arcâ non erant nisi duæ tabulæ lapideæ, quibus 10 leges fundamentales religionis et reipublicæ inscriptæ erant. Penès arcam asservabatur manna in vase aureo, Exod. 16, 32, 36, baculus Aaronis, Num. 31, 26, et autographum librorum Mosis, Deut. 31, 26.

§ 322. *Regio sancta.* — Castra Hebræorum, per sacrum tabernaculum et thronum Dei regis, quampiam externam participabant sanctitatem, Deut. 23, 13, 15. Lev. 13, 46; 15, 21. Hæc idea deinceps regioni Hebræorum adhæsit, quæ jam à Patriarchis per altaria Deo consecrata fuerat, et nunc sedes veræ religionis erat, Exod. 15, 17. 2 Mach. 1, 7. Recentiores Judæi alias quoque prærogativas adjecerunt, et diversos sanctitatis gradus statuerunt, quorum summum provinciis, sub Mose et Josuâ occupatis, minorem verò regionibus, per Davidem subactis, tribuebant, reliquas omnes regiones profanas esse dicebant, quarum vel pulveres contaminent Judæum. Sacerrimus autem regionis locus habebatur, in quo fixum erat sacrum tabernaculum, et arca fœderis asservabatur, nempe primùm Gilgal, et dein Silo, quæ urbs in tribu Ephraim, ferè 5 milliaribus germ. distabat à Jerusalem versùs septentrionem, et in monte peramœno sita erat, Jos. 18, 19, 50, 51; 22, 9. Jud. 20, 1. 1 Sam. 1, 3, 24; 2, 14; 3, 3, 21; 4, 3, 4, 13, 18; 7, 5; 10, 17. Sub rege Saüle, tabernaculum Nobam, inter Arimathiam et Joppen, 1 Sam. 21, 1, 9; 22, 19, et denique Gabæonem, 50 stadiis à Jerosolymâ versùs septentrionem dissitam, translatum fuit, 1 Paral. 16, 39, 43; 1, 29, 30. 2 Paral. 1, 2, 6; 13. 1 Reg. 3, 5, 9. Arca fœderis verò, sub Heli ex tabernaculo in castra deportata, à Philistæis capta, et demùm remissa, in urbe Cariathiarim, in limitibus Judæ et Benjamini, 2 milliaribus germ. à Jerosolymâ versùs occidentem, repositâ fuit, 1 Sam. 6, 20, 7, 2, donec post 70 ferè annos per Davidem in arcem Sion deportaretur, 2 Sam. 6, 1, 20. 1 Paral. 13, 1, 14; 15, 1, 16. Denique per Salomonem in templum translata fuit, 1 Reg. 8, 1, 9. 2 Paral. 5, 2, 20.

§ 323. *Civitas sancta Jerusalem.* — Ex hoc tempore Jerusalem dicta est urbs Dei, sanctissimum habitaculorum Altissimi, et urbs sancta, Ps. 46, 5. Isa. 48, 2. Dan. 9, 24, quod titulo etiam in monetis Asmonæorum, et hodiedùm in Oriente, etiam à Muhamedanis insignitur. Sita erat in meridionali limite tribûs Benjamin, sub 31° 50' lat., Jos. 15, 7; 18, 26, 27. Jud. 1, 21, à littoribus mare ferè 8, à Jordane verò 5 vel 6 milliaribus germ., Relandi Palæst. P. I, L. II, p. 423. Tribus montibus vel collibus insidebat, quibus ab ortu, meridie et occasu contiguæ erant valles; à septentrione autem declive erat solum. Collium altissimus est Sion, seu urbs Davidis. Collis Moria, à Sione versùs orientem, profundâ valle disjunctus, templum portabat. Collis tertius humilior ad septentrionem, valle à Sione et Moriâ separatus, recentiori ævo Acra dictus fuit. Ætate Christi erat versùs septentrionem suburbium, Βεζεθα, καινόπολις, demùm à rege Agrippâ mœnibus circumdatum, uti et Sion et Acra propria habebat

mœnia, atque môns Moria quoque muro templi peculiari cinctus erat. Ambitus urbis ætate Josephi de B. J. V, 4, 3, erat 33 stadiorum. — In meridionali radice montis Moria paulò versùs Orientem, scaturit fons Siloam vel Siloe, Isa 8, 6. Neh. 3, 15. Joan. 9, 7, 11. Luc. 13, 4, quo unico urbs gaudebat. Hinc erant horti regii, et adhuc ætate Hieronymi Comm. in Matth. 10, vallis erat nemorosa. Collis Ophel non procul hinc distitisse videtur. Joseph. de B. J. V, 4, 1. — Vallis, quæ urbem ab ortu, à longè altiori monte Olivarum dirimit, et torrens hyemalis, qui eam irrigat, dicebatur Cedron, Κεδρων, Joseph. de B. J. V, 6, 1. — A meridie est vallis Ben Hinnom, ubi locus Thopheth, ab immolatione prolium infamis. Ab occasu est Gihon, vallis minùs profunda, 1 Reg. 1, 33, 38. 2 Paral. 33, 14, 32, 30. 2 Reg. 20, 20. Quùm ex his tribus vallibus urbs non facilè oppugnari posset, hostes eam à septentrione aggrediebantur. — Golgotha seu calvariæ locus, extra urbem erat, Matth. 27, 33. Marc. 15, 22. Joan. 19, 17. — Portæ urbis quidem plures commemorantur, sed situs ferè omnium obscurus est. De situ Golgothæ et sepulcri Christi vide Dr. Joan. Mart. Aug. Scholz eruditam commentationem de Golgothæ, et sanctissimi D. N. J. C. sepulcri situ. Bonnæ 1825.

§ 324. *Mons Moria.* — Moria mons, in quo, juxta ultimam voluntatem Davidis, circa annum 592 post egressum ex Ægypto, templum ædificatum fuit, erat collis præceps, cujus vertex capiendis templi atriis et ædificiis non sufficiebat, Joseph. de B. J. V, 5, 1. Quare Salomo, ut spatium ampliaret, montem muro solido lapidibus quadris, ex vallibus erecto, cinxit, et intervalla vacua humo complevit, Joseph. Archæol. XV, 11, 2, conf. 2 Paral. 4, 9. Post exilium Hebræi per plura secula, latera collis magis magisque exaggerabant, murum aquilonarem removerunt, versùs meridiem quoque et occasum ex imâ valle muros ingentibus lapidibus quadris exstruebant, et ita verticem montis in quadratum unius stadii dilataverunt. Murorum horum altitudo minima fuit 300, maxima 400 cubitorum, inprimis versùs meridiem.

§ 325. *Templum Salomonis.* — Ambitus montis, muro cinctus, in latere orientali, vel probabiliùs in omnibus quatuor lateribus, porticibus ornatus dividebatur in atrium magnum seu exterius, et in atrium interius, quod etiam atrium ante domum, seu ante propriè sic dictum templum et atrium sacerdotum dicebatur, 1 Reg. 6, 36 ; 7, 12. 2 Reg. 23, 12. 2 Paral. 4 9 ; 20, 5. Ezech. 40, 28. An duo hæc atria per murum vel cancellos separata fuerint, non liquet ; descriptio enim templi Salomonis, 1 Reg. 6, 1, 38 ; 7, 13, 51. 2 Paral. 3, 1, 4, 22, nimis succincta est ; id tamen constat, atrium novum, 2 Paral. 20, 5, non fuisse atrium tertium, sed atrium interius restauratum. In his atriis plura erant ædificia et conclavia, in quibus annona, ustensilia et vasa templi asservabantur, vel etiam sacerdotes et levitæ tempore functionis suæ habitabant, 1 Paral. 9, 26, 33 ; 23, 28 ; 28, 12. 2 Paral. 31, 12. Jer. 35, 2, 4 ; 36, 10. — Altare in atrio sacerdotum erat quidem, sicut in tabernaculo, ære obductum, sed ex lapidibus non sectis, et 20 cubitos longum et latum, et 10 cubitos altum, 2 Paral. 4, 1, 10. Vasa et instrumenta, ad altare pertinentia, multò majori numero, quàm in tabernaculo, aderant 1 Reg. 7, 40, 47. — Labrum æneum permagnum, et hinc mare ære fusum, ים מוצק, dictum, erat hemisphærium, cujus diameter 10, altitudo 5 cubitorum, crassitudo æris unius palmæ, peripheria, quæ formam lilii referebat, 30 cubitorum, et capacitas ter mille bathorum erat ; replebatur verò duntaxat bis mille bathis, 2 Paral. 4, 3, 5. 1 Reg. 7, 26. Variis ornamentis, et epistomiis quoque instructum, quiescebat in dorsis 12 boum æneorum, quorum terni identidem in aliam orbis plagam respiciebant. Præterea aderant decem minora labra ænea, variis figuris ornata, quinque in aquilonari, et quinque in australi latere, basibus et rotis æneis insistentia ; ambitus cujuslibet erat 4 cubitorum, et capacitas 40 bathorum ; in his lavabantur carnes victimarum, 1 Reg. 7, 27, 39. 2 Paral. 4, 6.

§ 326. *Sanctuarium Salomonis.* — Sanctuarium, ὁ ναος, 60 cubitos longum, 20 latum, et 30 altum erat, excepto sanctissimo, cujus interior altitudo erat 20 cubitorum, ut superiùs maneret cubiculum altitudine 10 cubitorum. Fenestræ erant decussatæ, et clathris clausæ, 1 Reg. 6, 2, 4. Ante sanctuarium erat vestibulum instar turris prominens, 120 cubitos altum, 20 cubitos ab aquilone in austrum latum, et 10 cubitos ab ortu in occasum longum, 1 Reg. 6, 3. 2 Paral. 3, 4. Ante januam ejus utrinque erecta erat columna ænea peripheriæ 12 cubitorum ; illa ad aquilonarem plagam, יכין (stabiliet) et hæc ad australem posita, בעז (quasi בו עז in illo robur) dicta. His nominibus Salomo videtur significare voluisse spem, quam fovebat, fore ut Deus ædem, ad cujus introi-

tum positæ erant, stabilem, firmam, diuturnam redderet. Altitudo uniuscujusque columnæ erat 18 cubitorum, coronamenta, 5 cubitorum, et basis 13 cubitorum, ut integra altitudo esset 36 cubitorum. Coronamenta 2 Reg. 25, 17, dicuntur 3 cubitorum, quia in reparationibus templi imminuta fuerant. Hæ columnæ diversis figuris frondium et malorum punicorum gloriabantur. Cæterum cavæ erant, ut crassitudo æris esset unius palmæ, 1 Reg. 7, 15, 20. 2 Paral. 3, 15, 17. — Ad latera sanctuarii, ad ipsos muros, excepto latere orientali, ex trabibus et asseribus constructa erant conclavia trium contignationum, in quas ex parte australi per cochleas ascendebatur, 1 Reg. 6, 5, 6, 8. — Sanctuarium, lapidibus quadris constructum, totum, intrinsecùs et extrinsecùs, asseribus cedrinis, quibus diversæ figuræ insculptæ erant, contectum, et laminis aureis obductum erat, 1 Reg. 6, 14, 22. 2 Paral. 3, 5, 9. — Janua προναου, præalta et lata, valvis carebat. Valvæ autem Sancti ex lignis oleastri constructæ erant binæ, quæ insculptis Cherubinis, palmis et floribus exornatæ, atque laminis aureis obductæ erant, et cardinibus aureis vertebantur, 1 Reg. 6, 33, 35. Eodem modo exornata erat porta in sanctissimo, formâ pentagoni constructa, 1 Reg. 6. 31, 32. 50. Utraque janua simul sipario byssino acupicto velata erat, 2 Paral. 3, 14. — In Sancto altare thymiamatis deauratum, decem candelabra aurea, et decem mensæ deauratæ, de utrisque quinque in aquilonari, et quinque in australi latere, positæ erant. In his mensis 12 panes, 100 scutellæ aureæ, vino plenæ, apponebantur, uti et cætera vasa aurea longè plura erant, quàm in sacro tabernaculo fuerant, 1 Reg. 7, 48, 50. 2 Paral. 4, 19, 22. Quòd si 2 Paral. 4, 7, 8, commemorantur 20 candelabra aurea, id mendis librariorum debetur. — In Sanctissimo arca fœderis quiescebat, ita quidem, ut perticæ, quæ longiores factæ fuerunt, siparium attingerent; unde apparet, fores non fuisse clausas, 1 Reg. 8, 8. 2 Paral. 5, 9. Penès arcam duo Cherubini, ex lignis oleastri sculpti, et auro obducti, assistebant, quorum quilibet 10 cubitos altus, alam alteram super arcam protendit, ut in medio se contingerent, alteram verò alam usque ad parietem extendebat, 1 Reg. 6. 23, 28. 2 Paral. 3, 10, 13.

1° Descriptio templi Salomonis in libris Regum et Paralipomenon plurima, illo ævo aliundè nota, reticet, et hinc inde mendis quoque librariorum laborare videtur; quare 1 Reg. 6, 7, cum 2 Paral. 3, 4, non ubique concordat. Hinc multùm abest, ut perfecta hujus templi descriptio fieri possit. 2° Cherubim, figuræ monstrosæ, Ezech. 1, currum tonitruum seu thronum Dei sustentantes, quatuor faciebus, alis, et manibus, duobus pedibus rectis, et ungulis bovinis præditæ, sistuntur, quæ quidem omnia in figuris acupictis sisti non poterant, neque tamen in descriptione Cherubinorum aureorum super arca fœderis memorantur; fortassè forma non semper erat eadem.

§ 327. *Templum Zorobabelis.* — Templum quod Zorobabel post reditum ex Babyloniâ, 535 ante Chr., ædificare cœpit, dein 15 annos impeditus, demùm ab an. 520 usque ad annum 515 ante Chr. perfecit, Esdr. 3, 8, 9; 4, 4, 24; 5, 1, 6, 21, mandato Cyri, Esdr. 6, 3, 4, construendum fuisset altitudine et latitudine 60 cubitorum, juxta quam proportionem longitudo, quæ siletur, vel è textu excidit, 120 vel 180 cubitorum fuisset; ast seniores, Esdr. 3, 12, Agg. 2, 1, 9, conspectis mox fundamentis, observabant, templum fore minùs, quàm illud Salomonis fuerat. — Quale verò fuerit, non refertur; id modò constat, progressu temporis ex dimidio siclo, quem Judæi ubique terrarum, quotannis pendebant, et ex donis, quæ Judæi, proselyti, et ethnici consecrabant, ingentes thesauros confluxisse, Joseph. Arch. XIV, 12, 1. XX, 9, 7, de B. J. V. 6, 8, ex quibus illi ingentes, à radice montis exstructi sunt muri, quos supra memoravimus, Josepho. de B. J. V. 5, 1. Cæterùm, in hoc templo nonnisi unicus lychnuchus et una mensa aurea erat; defuit autem arca fœderis, oleum sacrum, Urim et Thummim, ignis sacer, 2 Paral. 7, 1, 3, atque illa singularis nubes, quæ olim supra sacrum tabernaculum visa fuit, et dein templum Salomonis complevit, 1 Reg. 8, 10, 12. 2. Paral, 5, 13, 14; 6, 1. — Asmonæi ad plagam templi aquilonarem, ædificârunt arcem Baris, quam magnificentiùs restauratam Herodes vocavit Antoniam. Joseph. Arch. XV, 11, 4. Alexander Jannæus autem atrium sacerdotum per cancellos ligneos ab atrio Israelitarum separavit, Jos. Arch. XIII, 13, 5.

§ 328. *Templum Herodis.*—Herodes templum, per partes successivè novum quàm magnificentissimum ædificavit. Opus cœpit anno 16 ante Chr., et potissimùm anno 8 ante Chr., perfecit; alia verò ædificia usque ad annum 64 post Chr., ædificabantur, Joan. 2, 20. Joseph. Archæol. XV, 11, 1; 5, 6. XX, 9, 7 de B. J. I, 21, 1. Hoc templum tria habebat atria, quo-

rum alterum altero altiùs situm erat. Primum externo illo unius stadii muro à radicibus montis exstructo, cinctum erat, et in medio areæ, quatuor gradibus ascendebatur, ubi septum erat lapideum, tres cubitos altum, januis hinc inde patentibus, et columnis adstantibus, quarum inscriptiones litteris hebraicis, latinis et græcis, immundis et ethnicis ingressum sub pœnâ capitis interdicebant; hinc area extra hoc septum, dicebatur *atrium gentium.* — Abhinc 14 gradibus ascendebatur in aream planam, 10 cubitos latam, unde 5 gradus ducebant ad portas muri secundi, qui exteriùs 40, interiùs verò 25 cubitos altus erat, et concludebat atrium Israelitarum, ubi atrium mulierum erat ex latere orientali inter atrium gentium et atrium Israelitarum, à quo muro humili separatum erat, ut mulieres quidem viros, hi autem illas non viderent. Introitus in hoc mulierum atrium erat ex parte orientali, per duas portas, alteram versùs septentrionalem, et alteram versùs meridionalem plagam. In atrio Israelitarum, spatium quadratum circa altare et sanctuarium, dicebatur atrium sacerdotum, eleganti sed humili septo cinctum, ut Israelitæ in atrium sacerdotum prospicerent, neque tamen intrarent, Joseph. Arch. XV, 11, 5, de B. J. V, 5, 2, 6.—Cæterùm, quantumvis ita mutatum esset templum, ut inde à fundamentis denuò ædificaretur, tamen non habendum est tertium, cultu divino nunquàm ibi interrupto, ut adeò meritò Christus dicatur secundum templum suâ præsentiâ illustrâsse. Agg. 2, 7, 9.

§ 329. *Portæ templi Herodiani.* — Porta maxima erat exteriori muro orientali, et dicebatur speciosa, θυρα ὡραια, Act. 3, 2, tota fulgens ære corinthiaco, quod argento et auro præferebatur, Plinius, Hist. Nat. XXXIV, 1, 3, 7. Altitudine sanctuarium, quod in altissimo loco 400 cubitis eminebat, æquabat; valvæ 50 cubitos altæ et 40 latæ, laminis aureis et argenteis opertæ erant. Ex valle Cedron per multos gradus ascendebatur. Joseph. de B. J. V, 5, 3. — Ab austro erat quidem profunda vallis 400 cubitorum, murus nihilominùs habebat portam in civitatem inferiorem, quæ in valle versùs orientem procurrebat, ut mœnia orientali muro templi jungerentur. Joseph. Arch. XV, 11, 5. — Ab occasu, portæ duæ multis gradibus ducebant in subjectam vallem, quæ versùs meridiem excurrebat, et domibus consita erat; tertia per pontem, valli imminentem, templum cum monte Sion jungebat, et per quartam descendebatur in urbem inferiorem, Joseph. Arch. de B. J. V, 5, 3. — Ad aquilonem porta quidem nulla erat; ast arx Antonia meatu operto cohærebat cum templo, cui dominabatur; quare hic demùm cohors militum romanorum excubabat, conf. Act. 21, 31, 34. Joseph. XV, 11, 4, de B. J. V, 5, 3. — In interiori muro aquilonari et australi, æqualibus intervallis, tres portæ erant, quæ sese mutuò respiciebant; in orientali muro erat porta, quæ portæ muri primi respondebat; et duæ portæ in atrium mulierum, jam supra memoratæ. Murus occidentalis, cui sanctuarium adhærebat, portis carebat, Joseph. Arch. XV, 11, 5, de B. J. V, 5, 3. — Omnes hæ januæ erant bifores, altitudine 30, et latitudine 15 cubitorum, atque ipsæ, et limina, et postes auro et argento obducti erant. Structura omnium, instar turrium, ad 40 cubitos assurgebat; in januis autem erat spatium 30 cubitorum, ubi populus conveniebat, Joseph. loc cit.

§ 330. *Porticus templi Herodiani.* — In atrio gentium murus australis triplici, reliqui autem omnes muri atrii gentium et atrii Israelitarum, duplici porticu superbiebant. Quælibet porticus duplex triplici, et triplex illa quadruplici seriei columnarum innitebatur, quarum extremæ muro contiguæ erant. Columnæ erant Corinthiacæ, ex albo marmore excisæ, 25 cubitos altæ, et cum basi, capitellis, coronamento et tecto porticûs, in altitudinem 50 cubitorum assurgebant. Peripheriam columnarum ulnæ trium virorum, sese contingentes, vix complectebantur. Tectum planum erat, ex lignis cedrinis affabrè constructum. Quælibet porticus 30 cubitos lata et 50 cubitos alta, media autem in latere australi 45 cubitos lata et 100 cubitos alta erat, ex cujus plano tecto in subjectam profundissimam vallem 500 cubitorum sine vertigine vix prospici poterat, conf. Matth. 4, 5, cum Strabone p. 805, Joseph. Arch. XV, 11, de B. J. loc. cit. Porticus orientalis atrii gentium, à Salomone denominabatur, Joan. 10, 23. Act. 5, 12. Joseph. loco citato. Pavimentum in omnibus atriis marmore versicolori stratum erat, Joseph. ibid. In porticibus atrii gentium sedebant nummularii, et mercatores victimarum, Matth. 21, 12, 16; 23, 27. Joan. 2, 12, 22. Thalmud. Jerosol. Gemara Jom. tob. p. 61, et Chagiga p. 78, 1. In hoc atrio pleraque quoque gazophylacia, à Josepho de B. J. VI, 5, 2, commemorata, fuisse videntur, in quibus thesauri, res pretiosæ, supellectilia templi, annona, et alia necessaria asservabantur; distinguenda au-

tem sunt à gazophylacio Marc. 12, 41, commemorato, in quod dona, templo facta immittebantur; Thalmudici pro diversitate donorum tredecim faciunt, atque ea in atrium mulierum collocant; cistas fuisse aiunt, orificio in formam cornu desinente, in quod dona immittebantur. Plura in his atriis alia conclavia adfuisse, dubium non est, à Josepho verò non commemorantur, qui tamen datâ occasione mentionem camerarum subterranearum injicit. — Altare victimarum rudibus lapidibus, in altitudinem 15, et longitudinem et latitudinem 50 cubitorum, exstructum erat, et anguli superiùs instar cornuum prominebant. Ascensus erat ex plagâ australi declivis, Joseph. de B. J. V, 5, 6.

§ 331. *Sanctuarium.* — Sanctuarium, seu templum stricto sensu, ὁ ναος, ex albo marmore exstructum, 12 gradibus altius situm erat. Pronaos erat 100 cubitos altus et latus, cujus porta patebat altitudine 70, et latitudine 25 cubitorum, valvis carens, quia, arbitro Josepho, erat symbolum cœli visibilis. Spatium internum in altitudinem 90 cubitorum assurgebat, atque 50 cubitos ab aquilone in austrum, et 20 cubitos ab ortu in occasum extendebatur, ita ut ex parte aquilonis et austri maneret cubiculum 20 ferè cubitorum. In medio erat janua in Sanctum, 55 cubitos alta, et 16 cubitos lata, super quâ vitis aurea, magnitudine viri, affixa erat. Ipsa janua sipario acupicto clausa erat. Joseph. de B. J. V. 5, 4. Archæol. XV, 11, 3. In hunc pronaon Judas Iscariotes 30 siclos conjecit, Matth. 27, 5. — Sanctuarium ipsum, 20 cubitos latum, et 60 longum et altum, ex tribus lateribus circumdatum erat ædificio trium contignationum, altitudine 40 cubitorum, latitudine verò æquali vestibulo, in cujus duobus cubiculis collateralibus erat introitus. Tectum planum totius sanctuarii, longis verubus, auro obductis; horrebat Joseph. de B. J. V, 5, 5, 6. — Sanctum erat 20 cubitos latum, 40 longum, et 60 altum; Sanctissimum verò erat cubus 20 cubitorum, ut superiùs duæ manerent contignationes, quælibet altitudinis 20 cubitorum. In Sancto erat candelabrum aureum, mensa deaurata, et altare suffitûs; Sanctissimum autem cujus janua, uti et janua Sancti, sipario acupicto clausum erat, vacuum fuit. Omnes parietes exteriùs laqueari et auro obductos fuisse, aliunde intelligitur. Joseph. loc. cit.

§ 332. *Origo synagogarum.* — Sacrificia quidem offerri non poterant, nisi in sacro tabernaculo vel templo, omnia autem alia religionis exercitia nulli loco adstricta erant. Hinc olim in scholis prophetarum laudes Dei decantabantur, et apud prophetas sabbatis et neomeniis sapientiores ad preces et instructionem conveniebant, 1 Sam. 10, 5, 11; 19, 18, 24. 2 Reg. 4, 23. In exilio Babylonio Judæi, omni solemni religionis exercitio destituti, apud prophetam vel alium virum pium, qui domesticos suos religionem edocebat, et ad probitatem adhortabatur, aut etiam libros sacros legebat, conveniebant, Ezech. 14, 1; 20, 1. Dan. 6, 11, conf. Neh. 8, 1, 18. Hæ congregationes domesticæ pedetentim in quibusdam locis fixæ sunt, et certus quoque in eis ordo invaluit, id est, ortæ sunt synagogæ.

§ 333. *Constitutio synagogarum.* — In Palæstinâ Synagogæ sub Antiocho Epiphane nondùm commemorantur, adeòque demùm sub regibus Asmonæis exstructæ, et paulò post multiplicatæ sunt; in regionibus verò exteris multò antiquiores fuerunt, Jos de B. J. VIII, 3, 3. Quidquid sit, ævo Apostolorum ubique locorum, in quibus plures Judæi vivebant, aderant synagogæ, ad formam templi Jerosolymitani dispositæ, ut atrium cum porticibus haberent, sicut synagogæ in Oriente adhucdùm conformatæ sunt. In medio atrii sacrarium est quatuor columnis innixum, ubi, loco nonnihil elevato, liber legis involutus quiescit, et statutis diebus prælegitur; adest etiam majus quoddam cubiculum, in quo, aurâ asperiori, et quidem, uti in atrio, juxta familias determinatis locis et sedibus congregantur, Della Valle Reiseb. IV, Th. Sendschr. 5, 195, S. conf. Thalm. Succoth. 51, 2. Loca sacrario, in quo sacri libri asservantur, propiora, majoris æstimantur, Matth. 23, 6. Jac. 2, 3.—Προσευχαι, à quibusdam pro synagogis minoribus, ab aliis verò pro locis sub dio, habentur, in quibus Judæi ad religionis exercitium conveniebant; ast Josephus, de vitâ suâ § 54, proseucham Tiberiadis nuncupat magnam domum, quæ permultos homines capiebat, ut adeò προσευχη dicatur pro τοπος vel οικος της προσευχης, in dialecto aramâ בית תפלים, quod est nomen synagogæ. Quare proseuchæ à synagogis eo solo distinctæ erant, quòd non erant singularia ædificia, cultui divino dicata, Act. 16, 13, 16. Philo, de leg. ad Caj. p. 1011, Juvenalis, satyr. III, 14. In synagogis et proseuchis Apostoli Evangelium annuntiabant, et cum suis ad liturgiam conveniebant. Demùm autem exclusi imitabantur Judæos eorum locorum, in quibus

ob paucitatem synagoga deerat; nempe in domo cujuspiam Christiani ad celebrandam liturgiam conveniebant; hinc, uti in Thalmude synagogæ domesticæ, sic in novo Fœdere ecclesiæ domesticæ occurrunt, Rom. 16, 3, 5. 1 Cor. 16, 19. Coloss. 4, 15. Philem. 2. Act. 2, 46; 5, 42. Interdùm Apostoli etiam domum conducebant, in quâ non solùm liturgiam peragebant, sed etiam quotidiè docebant, Act. 19, 9, 20, 9.

Συναγωγη est propriè conventus vel cœtus, et demùm locus conventûs, sicut εκκλησια propriè convocatio, congregatio, et demùm locus congregationis. Synagogæ à Judæis quoque scholæ nuncupantur; ast à scholis, propriè sic dictis, accuratè distinguuntur, et minoris æstimantur, quàm scholæ sublimiores, quia in his Thalmud, in synagogis autem Lex docetur, quam Thalmudi postponunt.

CAPUT III.

DE TEMPORIBUS SACRIS.

§ 334. *Antiquitas sabbati.* — Cùm Hebræi essent gens uni vero Deo peculiariter dicata, singulas dies quodam modò ei sacras habere debebant; quare in quotidianum publicæ reverentiæ indicium, mane et vespere offerendus erat totius gentis nomine agnus anniculus in holocaustum addito ferto, et libamine, quod sacrificium dicebatur holocaustum perpetuum, Exod. 29, 38, 42. Num. 28, 3, 8. Præ cæteris tamen diebus sancta erat septima, sabbatum; quæ nomina quidem de aliis quoque diebus festis, inprimis tamen de die septimâ hebdomadis usurpantur. An sabbatum ex Gen. 2, 1, 3, derivandum sit, disceptatur, quia ante Mosen de eo nulla fit diserta mentio. Verùm 1°, quùm in lege Mosaicâ multa ex antiquiori consuetudine retenta fuerint, idem de hoc die festo expectandum est, inprimis cùm 2° Exod. 20, 8, 11, præceptum his terminis conceptum sit: *Memento, ut diem sabbathi sanctifices.* Id confirmatur 3° ex eo, quòd nullibi dicitur, quæ hâc die omittenda, et quæ agenda sint, quod arguit, hæc ex consuetudine nota fuisse. 4° Sabbati sanctificatio ante latam de eo legem, Exod. 16, 22, 30, commemoratur. 5° Hebdomas jam Gen. 29, 27, proprio suo nomine שבוע, et Gen. 7, 4, 10; 8, 10 12, periodus septem dierum occurrit, quæ aliquâ saltem distinctione cujuspiam diei insignis fuerit oportet. Accedit 6° doctrinam de creatore et creatione, illo antiquissimo ævo non posse non ex revelatione divinâ descendere, quàm non esse illam Gen. 1, 1; 2, 2, 3, nulla est ratio affirmandi. Denique 7° id ipsum Exod. 20. 8, 11, innuitur; unde gentes quàm plurimæ, quæ legem Mosaicam profectò imitatæ non sunt, hanc diem aliquâ ratione distinxerunt, Jos. contra Apion. II, 39.

§ 335. *Scopus sabbati.* — Scopus sabbati Exod. 20, 8, 11; 31, 12, 17, repetitur ex Gen. 1, 1, 2, 3, ut solemnis hæc quies esset symbolica confessio, Deum creâsse universa, eumque solum pietate et probitate colendum esse. Hinc profanationi hujus diei, ut publicæ abnegationi conjunctionis Hebræorum sanctæ cum rerum omnium creatore, ultimum supplicium decretum erat, Exod. 35, 2. Num. 15, 32, 36, 36. Huic scopo alter subordinatus est, nempe ut homines, præsertim mancipia, per quietem vires recuperarent, et de Deo clementissimo Domino, qui hanc quietem concessit, gauderent, Exod. 23, 12. Hâc quiete liberationem quoque ex Ægypto repræsentari, Deut. 5, 14, 15, nequaquàm dicitur, sed id solummodò monetur, ut Hebræi, qui, in Ægypto oppressi, molestiam perpetui laboris senserant, eò lubentiùs mancipiis et jumentis hanc quietem indulgeant. Quòd si Exod. 31, 13, 17, et Ezech. 20, 20, 21, sabbatum dicitur signum fœderis Deum inter et Israelitas, id sibi nihil aliud vult, nisi Deum creatorem ab Hebræis esse colendum, atque Deum id ab Hebræis exigere, et Hebræos idem promisisse.

Judæi recentiores quæpiam sabbata peculiaribus nominibus distinguebant; ita ultimum sabbatum ante Pascha nuncupabant sabbatum magnum Joan. 19, 31, conf. Orach. chajjim p. 430, et Schulchan Aruch. p. 33, 2, quia Israelitæ olim in Ægypto hâc die magnum miraculum viderint; nihilominùs aliud quoque quodcumque sabbatum, quod majus festum immediatè sequitur, magnum compellant. Aliud hujus generis cognomen est σαββατον δευτεροπρωτον, Luc. 6, 1, quod Matth. 12. 1. Marc. 2, 23, simpliciter sabbatum dicitur. Quodnam autem sit sabbatum secundo primum, difficulter expeditur; plerique censent, esse illud, quod proximè sequitur secundum diem Paschatis; nam quùm Judæi à Paschate usque ad Pentecosten, dies numerarent, Deut. 16, 9; sabbatum primum à secundâ die post Pascha, nomen secundo primum jure optimo meruisse videtur. Illud verò μεταξυ σαββατον, Act. 13, 42, non est nisi ipsa hebdomas, quæ aliàs etiam simpliciter nomine sabbati insignitur, prout alibi monuimus.

§ 336. *Die sabbati omittenda.*—Nomen שבת, quies, quidem innuit, hâc die labores esse intermittendos, quod ipsum sæpiùs disertis quoque verbis repetitur, Exod. 20, 10; 31, 14, 17; 35, 1, 3. Deut. 5. 12, 14. Omittendis, jam ante legem latam, accensetur collectio mannæ, et postea quoque accensio ignis, Exod. 16, 22, 30; 35, 3. Num. 15, 32, 36. Verùm quænam alia negotia intermittenda sint, non exponitur. Ast 1° accensendus illis profectò non est usus armorum in bello, ut Judæi recentiores opinati sunt. — 2° Ita quoque interdicta censeri nequit sanatio ægroti, aut sumptio medicamentorum, ut quidam præceptores Judæorum ætate Christi et in Thalmude, somniârunt; vel etiam ambulatio aut iter ultra 1000 passus geometricos vellicatio aliquarum spicarum ad latrantem stomachum compescendum, et omnia opera necessitatis, ut pecudibus pabulum præbere, aut eas in foveam delapsas extrahere, Matth. 12, 1, 15. Luc. 6, 1, 5; 13, 10, 17. Marc. 3, 2. Joan. 5, 1; 9, 1, 34. Thalmudici, Schabbath VII, 2, operibus 36, quæ sabbato interdicta esse statuunt, accensent quoque, massam farinæ subigere; unde patet, cur Jesu vitio versum fuerit, pulveres salivâ miscuisse, et oculis cœci illevisse, Joan. 9, 1, 34. — Ita quoque 3° prohibita non erant opera sacra, et quæ in sacro tabernaculo aut templo peragenda erant, ut circumcisio puerorum octavâ die, mactatio et concrematio victimarum, Lev. 6, 8, seqq. Num. 28, 3, seqq. Matth. 12, 2. Joan. 7, 23. Quia autem accensio ignis interdicta erat; ante vesperam diei Veneris omnia ad cœnam necessaria paranda erant; quare dies Veneris nomen ἡ παρασκευή, *præparatio,* obtinuit. Meridie ipsius sabbati, uti aliàs, exile erat prandium, et cœna demùm post occasum parabatur. — Denique 4° lex non præcipit prosabbatum, quod Judæi post exilium, quibusdam horis ante solis occasum inchoabant; ast quia hoc diei tempore omnia ad sabbatum præparanda erant, quasi necessarium erat legis consectarium.

§ 337. *Die sabbati agenda.*—Quæ ab Hebræis die sabbati agenda essent, ex consuetudine nota fuisse videntur; hinc non præcipitur, nisi, ut sacerdotes præter victimas quotidianas, alios duos agnos anniculos cum ferto, oleo et libamine offerrent, et panes propositionis permutarent, Lev. 24, 8. Num. 28, 9, 10. Ex scopo sabbati, et ex Gen. 2, 3, ubi Deus diei septimæ benedixisse, i. e., eam faustam et lætam pronuntiâsse refertur, patet, hanc diem hilariter agendam, et de Deo, creatore et rectore universorum, lætandum fuisse, quod etiam Isa. 58, 13, innuitur; hinc tristitia die sabbati symbolum magnæ calamitatis est, Os. 2, 11. Lam. 2, 6, 1 Mach. 1, 41. Hebræi itaque sabbatum jucundâ quiete, conviviis, canticis, musicâ et choreis transegerint, Exod. 15, 20, 21; 32, 6, 7. 2 Sam. 6, 24. Ps. 68, 26, 28; 149, 3; 150, 4. Solebant quoque apud prophetas convenire, et ab ipsis edoceri, 2 Reg. 4, 23. Parentes religiosi his præsertim diebus, proles suas religionem Dei, creatoris et rectoris universorum, docuerint, et ipsis antiqua admiranda beneficia et castigationes divinas narraverint, ac non longè remoti sacrum tabernaculum vel templum frequentaverint, conf. Menochii de republ. Heb. L. 3, c. 1, quæst. 3.

§. 338. *Annus sabbaticus.* — Quemadmodùm periodus 7 dierum sabbato, ita etiam periodus 7 annorum anno sabbatico concludenda erat, ut longiori quoque temporis spatio memoriæ imprimeretur, Deum creatorem esse solum colendum. Initium hujus anni erat prima dies mensis septimi seu tischri (octobris). De vervacto, quod hoc anno erat alibi diximus, conf. Exod. 23, 10, 11, Lev. 25, 1, 7; 36, 35, 35. Festo tabernaculorum hujus anni, per octiduum lex in sacro tabernaculo vel templo prælegenda erat, Deut. 31, 10, 13. Debita quidem, quia proventus non fuit, exigenda non erant, Deut. 15, 1, 2; nequaquàm autem, ut Thalmudici censent, abolebantur; nam Deut. 15, 9, Hebræi duntaxat monentur, ne pauperibus mutuum ob propinquitatem anni sabbatici, quo exigere debitum non licebit, denegent. Neque servi hoc, sed septimo suæ servitutis anno, manumittendi erant, Exod. 21, 2. Deut. 15, 12. Jer. 34, 14.

§ 339. *Annus Jubilæus.*—Ita quoque septem annos sabbaticos sequebatur annus Jubilæus, nempe quinquagesimus prout Levit. 25, 8, 11, legitur, atque Josephus Fl. Archæol. III, 12, 3, Philo L. de charitate p. 404, et de septenario p. 1178, 1188, et Judæi, Rabbanitæ non minùs quàm Karæi, asseverant, ut adeò nihil proficiant, qui contendunt, esse annum 49, hâc unicâ ratione nixi, quòd vervactum ultimi anni sabbatici, nempe 49, et sequentis anni Jubilæi, nempe 50, penuriam annonæ aut famem attulisset; nam longiùs hoc vervactum diu ante cognitum, monebat, frumentum reponere; atque fructus arborum spontè nati, permultis alimenta præbebant, inprimis quùm

quipiam, ut ficus et sycomori, ferè dimidio anno haberi, et porrò ad aliquos menses reponi possint. Conf. § 79. Observata autem non fuisse hæc vervacta, jam monuimus. — Hic annus, 10 die mensis 7, seu tischri (octobris), die propitiationis, à sacerdotibus indicebatur clangore cornuum, Lev. 25, 8, 13; 27, 24. Num. 36, 4. Isa. 61, 1, 2. Præterea, quæ anno sabbatico obtinebant, etiam 1° omnia mancipia originis hebrææ, libertatem nanciscebantur, Lev. 25, 39, 46, conf. Jer. 34, 7. seqq.; 2° omnes agri et domus pagorum et urbium levitarum et sacerdotum, prioribus annis venditæ, venditoribus reddebantur, exceptis illis, quæ Deo sacratæ, nec ante annum Jubilæum redemptæ fuerant Lev. 25. 10, 13, 17, 24, 28; 27, 16, 21. 3° Quùm debitores plerumque agrum creditori in hypothecam et usum traderent, ut ita ager creditori venderetur adeòque anno Jubilæo debitori redderetur; debita quoque hæc remissa erant, uti etiam debita eorum, qui, quùm non essent solvendo pares, in servitutem venditi fuerant, et nunc libertatem nanciscebantur. Hinc recentiori ævo generatim valebat, anno Jubilæo fieri novas tabulas, Joseph. Arch. III, 12, 3.

§ 340. *Neomeniæ, et festum novi anni.* — Ut superstitio gentium, quæ lunæ sacrificabant, excluderetur, præcipitur Num. 10, 10; 28, 11, 14, ut in neomeniis, præter sacrificia quotidiana, offerantur Deo duo juvenci, aries, septem oves anniculæ cum ferto et libamine, in holocaustum, et hircus pro peccato atque sacerdotes hos dies argenteis tubis sacris annuntient, Num. 10, 10. Ps. 81, 4, et ita chronologiæ quoque mensium provisum erat. Reges demùm his diebus sacrificabant, 1 Sam. 20, 5, 24, 27, et pientiores Hæbrei Prophetas frequentabant, 2 Reg. 4. Labores in neomeniis non erant interdicti, sola neomenia mensis septimi, seu tischri (octobris), initium anni œconomici et civilis, dies erat feria, et clangore cornuum annuntiabatur; hinc *dies clangoris, memoriale clangoris,* dicebatur Levit. 23, 24; 25, 10. Num. 29, 1, 6. Præter sacrificia aliis neomeniis communia, juvencus, aries, septem oves anniculæ, cum farinâ oleo perfusâ et libamine vini, in holocaustum, et hircus pro peccato offerebantur, Num. 29, 2, 9.

Neomenias non astronomicè definitas, prout Judæi Rabbanitæ contendunt, sed eas, quibus nova luna conspicitur, prout Karæi asserunt, intelligendas esse, ex eo patet, quòd lex Mosaica omnem chronologiam, non ex astronomiâ, sed ex eo, quod in terra conspicitur, ordinavit. Accedit, quòd et ipsi Mischnici de testibus novæ apparitionis lunæ loquuntur, et nec Josephus, neque Philo de duplici præfinitione neomeniarum, alterâ astronomicâ, et alterâ secundùm phasim lunæ, quidpiam novit. Ast auctorem librorum Regum in Babyloniâ, astronomico calculo usum fuisse, negari vix potest; nam 2 Reg. 25, 27, diem 27 decimi mensis dicit, quem Jeremias in Palæstinâ, c. 52, 31, dicit diem 25. Cæterùm nostri Judæi neomenias ob 1 Sam. 20, 27, duobus diebus agunt.

§ 341. *De festis majoribus generatim.* — Ad recolenda majora beneficia divina, instituta erant festa Paschatis, Pentecostis et Tabernaculorum. Pascha et festum Tabernaculorum cum octavâ celebrabantur, ita quidem, ut sola prima et ultima dies esset feria, quâ tamen negotia, ad cibos parandos necessaria, permissa erant, Exod. 12, 16. Lev. 23, 7, 21, 35. Pentecostis festum octavâ carebat, Lev. 23, 15, 22. His tribus festis, quibus à Deo Exod. 34, 24, securitas promissa fuit, omnes adulti Hebræi cum muneribus, quæ ex secundis decimis, secundis primogenitis pecudum, et secundis primitiis depromenda erant, ad tabernaculum vel templum conveniebant, sacrificia offerebant, convivia celebrabant, atque ita sub canticis, musicâ et choreis de Deo Domino suo clementissimo lætabantur; choreas ipsum festorum nomen חַג innuit. Exod. 23, 17. Lev. 23, 38. Num. 29, 39. Deut. 12, 18; 14, 26; 16, 11, 17; 26, 11.

§ 342. *Festum Paschatis.* — Paschatis festum ad recolendam memoriam liberationis ex Ægypto, et salutis primogenitorum, institutum fuit. Exod. 12. Celebrabatur per septem dies, à 15 usque ad 21 mensis abib seu nisan (aprilis), Exod. 12, 1, 28; 23, 15. Levit. 23, 4, 8. Num 28, 16, 25. Deut. 16, 1, 8. — Hâc totâ hebdomade azymi manducabantur; hinc festum azymorum dicebatur, Exod. 12, 18; 13, 6, 7; 23, 15. Lev. 23, 6. Num. 28. 17. — Si Deut. 16, 8. sex tantùm dies azymorum memorantur; prima dies, ut festum singulare, non computatur. Vesperâ diei quartæ decimæ, fermentum sublatum fuit, ut per totam hebdomadem nequidquam de eo conspiceretur. Itaque dies prima azymorum, non modò quinta decima, sed etiam decima quarta, abib, Lev. 13, 6. rectè dicitur, quia nempe jam quartâ decimâ ante vesperam omne fermentum semovebatur; hinc Josephus festo Paschatis Arch. II,

15, 1, octo, et III, 10, 5; IX, 13, 3, septem dies tribuit, reàpse tamen septem erant.—Decimâ autem jam die abid, pater familias arietem vel hircum anniculum separabat, Exod. 12, 1, 6, quem quartâ decimâ die hujus mensis inter duas vesperas ante altare mactabat, Deut. 16, 2, 5, 6, et sacerdos sanguinem ad pedem altaris spàrgebat; primâ autem vice in Ægypto sanguis per ipsos patres familias limini januæ illitus fuit, Exod. 12, 7. Hic aries vel hircus, qui propriè פסח, κασχα, *protectio*, aliis *transitus*, dicitur, integer, baculis duobus, altero per longum, et altero ad anteriores pedes transversim perfossus, et sic quasi crucifixus, in profundo illo, superiùs, § 140. 2° descripto clibano assabatur, Pesachim c. 3. Joan. 19, 36. conf. § 142. Huic assæ addebantur herbæ amaræ seu lactucæ agrestes, ad perennem duræ servitutis Ægyptiacæ memoriam, atque carnes ex sacrificiis aliis, quæ Deut. 16, 2. — 6, quoque nomine פסח veniunt. Ad has epulas non pauciores 10, nec plures 20 personis admittebantur, quæ primâ vice in Ægypto succinctæ et calceatæ, i. e., ad iter paratæ celeriter manducabant, posthàc hæc adjuncta quidem omissa sunt; quod autem Hebræi jussi erant, ne os frangerent, etsi ad properationem pertinebat, perpetuò observatum fuit, conf. Joan. 19, 36. Ex quo loco, et multis aliis in Epistolis Paulinis obviis patet, agnum paschalem typum fuisse sacrificii à Christo oblati. Conf. Becan. analogiâ V, et nov. Fœd. c. 15, num. 25, et supra, § 300, et infra, § 370.

Secundâ die Paschatis, seu 16 abid, offerebatur primus manipulus hordeaceus, et agnus anniculus cum ferto et libamine in holocaustum. Atque hoc ritu messis initiabatur. Lev. 23, 1, 14. Quâlibet etiam die per totam hebdomadem singularia quæpiam holocausta et victimæ pro peccato, immolabantur, quæ num. 28, 16, 25, referuntur.

In Ecclesiâ latinâ communis viget sententia, Jesum in ultimâ cœnâ pascha manducâsse; quipiam tamen contendunt, eum idipsum unâ die præoccupâsse, nempe opinantur, Sadducæos neomenias juxta calculum astronomicum computâsse, et pascha unâ die citiùs manducâsse, quod jam supra refutavimus; id modò addimus, in templo omnia ex sententiâ Pharisæorum acta fuisse; accedit, Matth. 26. 1, 19. Marc. 14, 12, 18. Luc. 22, 7, 14, de consueto die Paschatis sermonem esse. — Græca verò Ecclesia propugnat, cœnam ultimam Jesu non fuisse paschalem, et Jesum Eucharistiam in pane fermentato instituisse. Quipiam Latinorum Græcis quidem consentiunt, sed contendunt, fermentatum jam 13 abid ad vesperam, exterminatum fuisse; Jesum itaque etiam hâc die, SS. Eucharistiam in ázymo instituisse.

§ 343. *Festum Pentecostis.* — A 16 abid, seu à secundo die Paschatis, numerandi erant 50 dies, et 50mus erat πεντεκοστη, quæ à septem his hebdomadibus festum hebdomadum dicitur, Exod. 3, 22. Lev. 25. 15. 16. Num. 28, 26. Deut. 16, 10. Act. 2, 1. In gratiarum actionem pro messe celebrabatur; unde et festum messis dicebatur, Exod. 23, 16. Hinc duo panes de farinâ novarum frugum, et decima pars ephæ de eâdem farinâ, tanquàm primitiæ offerebantur, Exod. 27, 16. Lev. 23, 17. Num. 28, 26, unde nomen hujus festi, *dies primitiarum*, descendit, Num. 28, 26. Ast, uti primum festum annuum institutum erat in memoriam liberati populi, ita alterum pertinuisse videtur ad recordandam legislationem Sinaiticam, sive constitutam rempublicam Israeliticam. Accedit festum Pentecostes celebratum fuisse die quinquagesimâ post Pascha, i. e. eâ ipsâ die nobilissimæ legislationis; hinc haud frustra inde conficitur, hujus diei memoriam, ad quam spontè adducerentur Israelitæ eo festo ipsâque denominatione, spectatam fuisse, etsi id disertis verbis non monetur in S. Scripturâ. — Holocausta quoque plura, et sacrificium pro peccato immolabantur, Lev. 23, 18, 20. Num. 28, 27, 31. Ad festum hoc lætum, ætate Apostolorum, permulti Judæorum exterorum Jerosolymæ conveniebant, prout Josephus de B. J. II, 3, 1, disertis verbis annotavit, conf. Act. 2, 5, 13.

§ 344. *Festum Tabernaculorum.* — Festum Tabernaculorum, à 15 usque ad 23 mensis septimi seu tischri (octobris), plenis octo diebus celebrabatur, et dies octava erat festum singulare, Lev. 23, 34, 42. Num. 29, 12, 35. Deut. 16, 13, 15. Neh. 8, 18. 2 Mach. 10, 6. Joan. 7, 2, 37. In memoriam illius per Arabiam itineris, institutum erat; quare Hebræi hoc octiduo, ut in illo itinere, tabernacula inhabitare tenebantur, Lev. 23, 42, 43. Quia autem simul in gratiarum actionem pro collectione fructuum et vindemiâ agebatur, *festum collectionis fructuum*, dicitur, Exod. 23, 16; 34. 22, et Hebræi his diebus fructus generosissimarum arborum, vel, prout recentiores Judæi interpretantur, citria et præterea ramos palmarum, salicum, aliarumque frondosarum arborum in manibus gestabant, vel, ut Keræi volunt, ex his fron-

dibus tabernacula construere tenebantur, Lev. 23, 40, quibus etiam frondes olearum, oleastrorum, myrtorum et aliarum arborum addebant, Neh. 8, 15. 2 Mach. 10, 7. Joseph. Arch. XIII, 13, 5. Festum erat lætissimum; hinc à Joseph. Arch. VIII, 4, 1. XI, 5, 5, et à Philone, de septenario p. 1195, *maximum* et à Thalmudicis *festum* κατ' ἐξοχὴν, appellatur, atque etiam Plutarcho Sympos. L. IV, c. 5, innotuit. Sacrificia publica plura, quàm aliis festis, præscripta erant, Num. 29, 12, 39; atque Hebræi plures quoque victimas de secundis decimis et primogenitis immolabant, Deut. 16, 14, 15. Lev. 23, 38, 40. Num. 29, 39. His recentiores Judæi alia addiderunt; nam 1° ex Isa. 12, 3, desumpserunt ritum, quo sacerdos per totum octiduum, quotidiè mane, vase aureo tria log aquæ ex fonte Siloe hauriebat, magnâ et lætissimâ solemnitate per portam aquarum in templum portabat, et in cornu altaris australe versùs occasum effundebat, quùm interim levitæ Hallel (Ps. 113, 118,) decantarent, et tibiis accinerent. Thalmudici jam dicunt fuisse symbolum pluviæ, jam gaudii, jam effusionis Spiritûs sancti. Conf. Joan. 7, 37.—2° Quotidiè vespere in atrio mulierum, in quatuor lychnuchis aureis qui 50 cubitos alti fuisse dicuntur, magnæ lampades accendebantur; sacerdotes et Levitæ in 15 gradibus atrii interioris, Psalmos graduum (Ps. 120, 134) decantabant, et instrumentis musicis accinebant, atque proceres, ardentes faces manibus tenentes, in atrio mulierum saltabant, quos mulieres ex loco clathris clauso spectabant. 3° Judæi quotidiè, sinistrâ citrium, et dexterâ ramum palmarum, duos ramos salicum et myrtorum colligatos tenentes, solemniter altare cum conclamatione *Hosanna*, circuibant, et id die septimâ septies repetebant, in memoriam expugnatæ olim urbis Jericho; quare hoc festum quoque *magnum Hosanna* vocant. Conf. 2 Mach. 10, 17.

§ 345. *Dies propitiationis.* — Quinta ante festum tabernaculorum dies, nempe 10ma mensis 7mi seu tischri, erat dies propitiationis, quæ feria erat, Lev. 16, 1, 34. Exod. 23, 26, 30. Num. 29, 1, 11. Singulis annis hoc instituto Hebræis singulari modo inculcabatur id, quod in omnibus omninò sacrificiis, et lustrationibus perpetuò quasi ob oculos demonstrabatur, eos in culpâ esse apud Deum, hunc ab omni vitio, atque impuritate morale abhorrere, sanctissimam esse, ac inviolabilem legum divinorum majestatem, et peccatorem certissimè manere pœnas, nisi justo peccatorum suorum sensu commotus veniam eorum impetraret, seque corrigere studeret. Unicum hoc erat per totum annum jejunium, quo à vesperâ usque ad vesperam omnis cibus interdictus erat, Lev. 23, 27, 29; 25, 9. Hâc die summus sacerdos omnem liturgiam agebat, et quæ erant singularia, ipsi soli reservata erant, quæ jam referenda veniunt. Nempe toto corpore et indutus femoralibus tunicâque albâ byssinâ, zonâ cinctus, et impositâ capiti consuetâ mitrâ sacerdotali, ad altare adducebat juvencum pro peccatis suis et familiæ suæ, et duos hircos pro peccatis populi, quorum alterum *Jehovæ*, et alterum ad *liberum discessum*, sorte præliniebat, Lev. 16, 6, 10. — Mactabat mox juvencum pro peccatis suis, et hircum pro peccatis populi; dein prunas ex altari depromptas in thuribulo, et duos pugillos sacri thymiamatis in vase aliquo, inferebat in adytum seu Sanctissimum, atque injecto in prunas thymiamate, reversus, rursùs cum sanguine juvenci et hirci intrabat, et digito suo primùm de sanguine juvenci, et demùm de sanguine hirci versùs operculum arcæ fœderis, et septies versùs pavimentum ante arcam, spargebat. Egressus in Sanctum, sanguine juvenci et hirci cornua altaris aurei illiniebat, atque septies in superficiem ejusdem spargebat; id dicebatur *expiare ab immunditiis et prævaricationibus Israelitarum*, Lev. 16, 11, 19. — Egressus in atrium, ante altare ambas manus capiti hirci graviter imponebat, quo symbolo eum omnibus peccatis, delictis et prævaricationibus Israelitarum onerabat, et demùm viro tradidit, qui eum in loca deserta deductum, liberum dimitteret, quo significabatur, Israelitas pœnâ omnium peccatorum liberatos esse. Hircus autem, qui pro peccatis populi, et juvencus, qui pro peccatis summi sacerdotis immolatus fuit, symbolum erat promeritæ pœnæ, et extra castra vel urbem integer concremabatur, Lev, 16, 20, 22, 26, 28. — Denique depositis vestibus albis, et indutus pretiosis muneris sui vestibus, holocausta pro se et populo, et sacrificium aliud pro peccato immolabat, Lev. 16, 23, 25. Num. 29, 7, 11. Judæi addunt, eum rursùm in Sanctissimum ingressum esse, ut thuribulum efferret, quod quidem necessarium non erat; potuit enim thuribulum, secundâ vice cum sanguine egrediens, unà auferre; nam bis tantùm ingressum fuisse, Philo de Leg. ad Caj. disertis verbis testatur; unicus enim ingressus, qui Lev. 16, 34. Exod. 30, 10, sancitur, de unicâ die per annum intelligitur;

unico enim ingressu hâc ipsâ die, omnia illa nullatenùs peragi potuissent. Conf. § 300.

§ 346. *Alia jejunia.* — Hebræi antiquiori ævo in rebus adversis jejunare quidem solebant, Jud. 20, 26. 1 Sam. 7, 6; 31, 13. 2 Sam. 3, 35. Isa. 58, 3, 12; ast novos anniversarios jejunii dies, demùm in exilio ad perennem malorum quorumdam insigniorum recordationem introduxerunt : 1° Die 17ma mensis 4ti seu thammuz (julii), in memoriam expugnationis Jerosolymæ, Jer. 52, 6, 7. Zach. 8, 19, 20. Die 9na mensis 5ti seu ab (augusti), in memoriam incensi templi, Zach. 7, 3; 8, 19. 3° Die 3tia mensis 7mi seu tischri (octobris), in memoriam interfecti Gedaliæ, Jer. 40, 4. Zach. 7, 5; 8, 19. 4° Die 10ma mensis 10mi seu tebeth (januarii), in memoriam initii oppugnationis Jerosolymæ, Zach. 8, 19.

Quid effusio aquarum in jejunio 1 Sam. 7, 9, 7, sibi velit, obscurum est; fortassè, juxta consuetum Orientalibus tropum, liberalitatem, quâ Hebræi nunc se totos Deo tradere vellent, indicat.

§ 347. *Festum Phurim.* — Mordechæus, vel Mardochæus, sub rege Assuero, in memoriam liberationis Judæorum ab immanitate Amanis, instituit 14ta et 15ta mensis ultimi adar (martii) celebrandum festum *Phurim* i. e. *sortium,* quia Aman jactis sortibus diem explorare voluerat exitioso suo proposito aptissimam Esth. 3, 7; 9, 20, 32; unde etiam dies *Mardochaica,* ἡ Μαρδοχαϊκη ἡμερα, dicitur, 2 Mach. 15, 36. Huic festo quosdam Judæos, ut referunt Thalmudici, repugnâsse, facilè credimus; est enim festo Bacchi simile. In synagogâ prælegitur liber Esther, et occurrente nomine Aman, omnes manibus plaudunt, atque pugnis et malleis scamna percutiunt, conclamantes : *Pereat nomen ejus.* Olim in memoriam crucifixi Amanis, cruces in tectis domuum suarum erigebant; his autem Cod. Theodos. tit. 12, c. 2, interdictis, signum aliud substituunt. Cæterùm convivia celebrant, sibi invicem fercula mittunt, et nugas alias tractant.

§ 348. *Festum encæniorum.* — Quùm templum, ab Antiocho Epiphane, 167 ante Chr. profanatum, anno 164 ante Chr. rursùs mundatum fuisset; multis sacrificiis, 25 mensis kislev (decembris), per octiduum dedicatum fuit, atque hæc dedicatio conversa est in festum anniversarium, quod *encænia,* εγκαινια, *dies dedicationis altaris,* αἱ ἡμεραι εγκαινισμου του θυσιαστηριου, *mundatio templi,* ὁ καθαρισμος του ἱερου, dicebatur, 1 Mach. 4, 52, 59. 2 Mach. 10, 1, 8. Joan. 10, 22; à Josepho Arch. XII, 7, 6, 7, quoque nomine *luminum,* τα φωτα, insignitur, quia Judæi his diebus multa luminaria accendebant, quibus felicem rerum conversionem et lætitiam indicabant, conf. Joseph. contr. Ap. II, 39.

CAPUT QUARTUM.

DE PERSONIS SACRIS.

§ 349. *Populus sanctus.* — Posteri Abrahami, Isaaci et Jacobi, ad conservationem veræ religionis electi, Deo itaque consecrati, et hâc ratione sacri seu sancti atque quasi sacerdotes Dei, seu regnum sacerdotale erant, Exod. 19, 6; 22, 3. Lev. 11, 44, 45; 19, 2; 20, 26. Deut. 7, 6; 14, 2, 21; 26, 19; 28, 9. Monitio erat, ut et moribus sancti esse studerent, Lev. 19, 2, 20, 7, 8, 29; 11, 45. Exod. 22, 20, 21, etc. Ast recentiores Judæi, hoc titulo inflati, omnes alias gentes, tanquàm profanas et peccatrices, odio prosequebantur, Eph. 2, 14, 15. 1 Thess. 2, 15, 16, conf. Tacit. Hist. V, 5. Matth. 9, 10, 11, 19; 26, 45. Marc. 8, 28. Luc. 5, 8. Gal. 2, 15, 17. Illa autem sanctitas, seu separatio et consecratio ad cultum veri Dei, perpetua erat, licet non rarò magna fuit morum corruptio; quare aliqui Rabbini scelestissimos quoque reges hoc sensu sanctos nuncupant, ut sanctus et Israelita idem significet, conf. Sap. 10, 15, 17, 20; 8, 1, 7, 9, 20. Hæc denominatio demùm ad Christianos transiit, qui ab Apostolis non modò μαθηται, *discipuli,* αδελφοι, *fratres,* i. e., amici, et *qui sunt de viâ* seu *de religione,* sed frequenter etiam *sancti,* ἁγιοι, vocantur Act. 9, 41; 26, 10. Rom. 1, 7; 8, 17; 12, 13; 25, 26, 2, etc.

§ 350. *De ministris sacris.* — De Levitis, ministris Dei regis, alibi diximus, hoc loco de iisdem, tanquàm ministris religionis, dicendum venit. Substituti fuerunt primogenitis, qui olim nati erant sacerdotes, ætate autem Mosis cum Levitis permutati sunt, et sequentibus quoque ætatibus à ministerio altaris redimendi erant, Num. 3, 5, 13, 40, 51; 8, 16, 19. Ex hâc tribu Aaron et posteri ejus, sacerdotio consecrati fuerunt, quibus propior ad thronum Dei in sanctissimo, accessus concedebatur, quod etiam nomen כהן, innuit, Exod. 19, 22. Reliqui Levitæ obibant inferiores functiones sacras; sed pro negotiis vilioribus habebant servos sanctuario adscriptos, qui ligna findebant, aquam apportabant, et alia similia præstabant. His omnibus præerat summus sacerdos. Cuilibet ordini horum ministrorum assignatæ

verò ætate jam, quùm 20 annorum essent, munera obibant, Num. 4, 3. 2 Paral. 31, 17. — Quotidianas functiones quælibet classis singulis sorte assignabat, ut alius suffitum incenderet, alius die sabbati panes propositionis permutaret, alius ignem in altari holocaustorum curaret, etc. Luc. 1, 9, conf. § 353.

§ 358. *Vestes summi sacerdotis.* — Vestes summi sacerdotis erant duplicis generis; aliæ simplicis byssinæ, nempe femoralia, tunica, cingulum sacerdotale et mitra simplex, atque his vestibus indutus, die propitiationis in Sanctissimum ingrediebatur, Lev. 16, 4, 23; aliæ autem erant magnificentissimæ, quibus super vestes sacerdotales induebatur, nempe: 1° Meil, quod supra quidem, § 122, laicis quoque ditioribus commune fuisse vidimus; hoc verò sacrum erat coloris hyacinthini, et in inferiori limbo alternis tintinnabulis aureis et malogranatis, ex gossipio purpureo et coccineo contextis, superbiebat, Exod. 28, 31, 35; 39, 5, conf. Hasselquist Reis. S. 55, 73. 2° Ephod, supra, § 122, laicis quoque commune fuisse, observavimus; sacrum verò erat byssinum, colore purpureo, hyacinthino, et coccineo, atque etiam auro variegatum, ætate Josephi, cubitum majorem longum, manicis instructum, atque ex lege Mosis in utroque humero onyche ornatum, in quo nomina 12 tribuum, nempe in quolibet sena, insculpta erant, Exod. 28, 6, 7. 3° Ad pectus hujus vestimenti erat spatium quadratum unius spithamæ, cui חשן ita adaptatum erat, ut intrinsecùs (Exod. 39, 9) instar marsupii duplicatum, extrinsecùs verò duodecim gemmis, quadrupli serie dispositis, ornatum esset, quibus nomina tribuum insculpta erant; quatuor annulis ipsi ephod annexum, et fasciis hyacinthini coloris alligatum, duabus porrò catenis aureis in utroque humero fixis, pendebat, atque singulari cingulo, ipsum ephod totum ambiente, adstrictum erat. In hoc חשן erant Urim et Thummim, ex quibus summus sacerdos responsa divina petebat, Exod. 28, 30. Lev. 8, 8; 27, 21. Deut. 33, 8. Quid fuerit, diversæ sunt eruditorum conjecturæ. Sententia verisimillima eò redit, fuisse sortem sacram, 1 Sam. 14, 41, 42, fortassè tres lapides pretiosos, quorum alter affirmationem, alter negationem, et tertius nullum responsum referebat; quare quæstio semper ita formanda, fuit, ut responsum esset ita, vel non, et, prout sacerdos interrogatus, lapidem manu extrahebat, vel affirmaretur, vel negaretur, vel responso careret. Historia Jos. 7, 13, 21. 1 Sam. 14, 40, 43; 28, 6. 2 Sam. 1, 2, hæc duntaxat paucis narrat. Moses jubetur Urim et Thummim, (non conficere, sed) in Choschen reponere, quod arguit, usum ejus fuisse antiquiorem, de quo demùm usque ad Davidem diserta fit mentio. 4° Mitra summi sacerdotis eamdem cum mitris sacerdotum formam referebat, Exod. 28, 4, 40; 29, 5, vel differentia saltem erat exigua, ut fortassè esset paulisper altior, Exod 39, 27, 28, uti quoque Joseph. Archæol. III, 7, 6, ait, super mitram summi sacerdotis eminuisse aliam consutilem ex hyacintho et albo variegatam. Ast in fronte per vittam hyacinthinam alligata erat lamina aurea, cui verba : *Sanctus Jehovæ,* incisa erant, symbolum, summum sacerdotem portare pœnam eorum, quæ Israelitæ in muneribus et donariis delinquebant, Exod. 28, 36, 38; 29, 6; 39, 30, 31. Ætate Christi hæc mitra, teste Josepho, triplici quoque coronâ aureâ cincta erat, quam sacerdotes Asmonæi, qui simul erant reges, addiderunt.

§ 359. *Ministri synagogarum.* — In synagogis non erant ordinarii doctores, qui ex officio populum sermonibus docuissent, nisi interpretes, qui ea, quæ hebraicè prælegebantur, linguâ vulgari exponebant; nam orator synagogarum, in novo Fœdere non occurrit, sed lector, vel alius quiscumque, doctrinâ et sermone pollens, populum religionem et officia edocet, Luc. 4, 16, 21. Act. 13, 5, 15; 15, 21. Matth. 4, 23; 26, 5. Alii ministri synagogarum erant : 1° Antistes Synagogæ, ἀρχισυνάγωγος, qui cœtum regebat, lectores et oratores invitabat, nisi quipiam se spontè obtulissent, quos acceptaret, Marc. 5, 22, 35, 38. Luc. 8, 41; 13, 14, 15; 18, 8, 17. Act. 13, 15. 2° Seniores Synagogæ, πρεσβύτεροι, antistiti à consiliis, erant potentiores et doctiores populi; hinc etiam ἀρχισυνάγωγοι dicuntur, Act. 13, 15. Hic senatus non modò de institutionibus Synagogæ, sed etiam de transgressoribus legis agebat, et pœnam 40 ictuum dempto uno, decernebat, aut etiam peccatorem communione excludebat, Joan. 9, 12; 12, 42; 16, 2. 2 Cor. 11, 24. 3° Collectores eleemosynarum. 4° Minister Synagogæ, ὑπηρέτης, Luc. 4, 20, qui libros prælegendos porrigebat et recipiebat, et alia hujusmodi servitia præstabat, Luc. 4, 20; ritus, quo in synagogis nostrorum Judæorum liber legendus solemniter defertur, ætate Christi nondùm obtinuit. 5° Apostolus seu legatus Synagogæ, alius erat, qui, à synagogis exteris missus, eleemosynam Jerosolymam deportabat, alius, qui à synagogis ad propagandam religionem delegabatur; alius

denique, qui preces publicas in synagogâ, nomine cœtûs recitabat, à cœtu ad id delegatus, qui nunc cantor nuncupatur. Vitringa de Synag. vet. L. III, P. I, c. 1 et 2, P. II, c. 1, 3.

Judæi eruditos Synagogæ dicunt pastores, quod nomen autem, recentiori saltem ævo, tribuunt quoque senioribus Synagogæ et collectoribus eleemosynarum. Ast ætate Apostolorum hoc nomine propriè veniebant docti cum allusione quâpiam ad sententiam Stoicorum, solos sapientes esse verè reges, conf. Philo de Agricult. p. 150.

CAPUT V.

DE REBUS SACRIS.

§ 360. *Quid est sacrificium?* — Sacrificium est illud, quod Deo immediatè offertur, et aliquâ ratione destruitur, uti per ignem, vel per effusionem libaminum aut per immutationem. Hinc nec ligna, ad fovendum ignem altaris necessaria, neque alia dona, quæ sanctuario aut templo offerebantur, dicuntur sacrificia, sed קרבנ, מתנה, תרומה, quæ nomina quidem etiam sacrificiis tribuuntur, sed latioris sunt significationis, et omnia comprehendunt, quæ Deo quâcumque ratione sacrantur.

§ 361. *Origo sacrificiorum.* — Sacrificia, juxta documenta Mosaica, generi humano coæva sunt, Gen. 4, 3, 5; 8, 20; 12, 7; 13, 4; 15, 9, 21; 22, 13; 26, 35; 25, 1, 7; lex Mosaica solùm ritus accuratiùs præfinivit, conf. Lev. 1, 2. — Cùm autem in libro Geneseos nulla diserta fiat mentio, Deum jussisse homines sacrificia offerre; origo hujus singularis, omnibus populis communis, cultûs divini ex grato animo, quo antiquissimi homines Deo aliquid de ejus donis offerre voluerint, simulque confessi fuerint, Deum esse supremum rerum omnium, et vitæ quoque dominum, utcumque explicari posset. Ast quùm in fragmentis Gen. 1, 11, paucissima referuntur, ex silentio vix quidpiam concluditur, inprimis cùm Deus Gen. 15, 9, sacrificium offerri jubeat, et alibi hoc religionis exercitium probet. Ubi dicitur, Deo sacrificia non probari, Isa. 1, 11, 18. Jer. 6, 20. Amos 6, 20. Os. 6, 6. Malach. 1, 10; sermo est de sacrificiis, tanquàm meris ritibus, aut mediis per se efficacibus, quin ex animo probo proficiscantur. Neque Deo indignum est, hujus generis arbitraria religionis exercitia præcipere, quæ non indecentia sunt, et infantiæ ac adolescentiæ humanitatis conducunt, Ernesti, *de Vindiciis arbitrii divini in religione constituendâ;* quùm aliundè arbitrio primorum hominum, qui erant infantes, omnis cultus externus relinqui vix potuisse videatur. Accedit, originem victimarum cruentarum non satis commodè ex inventione humanâ repeti posse. Quare verisimillimum est, Deum protoparentibus lapsis, per mortem animalium non modò ostendisse, quid per peccatum meruerint, sed etiam innuisse, violentam animalium mortem, in reatûs et pœnæ memoriam, sæpiùs repetendam esse.

§ 362. *Divisio sacrificiorum.* — Ante Mosen non occurrunt sacrificia nisi holocausta, eucharistica, et illa, quibus fœdera pangebantur, atque de ritibus perpauca attinguntur. De sacrificiis pro peccato et delicto, atque de libationibus, fertis et farinâ nulla fit diserta mentio. Quùm verò ætate legislationis in Sinai sacrificia gentilium jam in certum ordinem redacta essent; lex Mosaica illa, quæ ex consuetudine Patriarcharum descenderant, ad præsentem rerum conditionem accommodavit, ritibus auxit, non modò, ne Hebræi pompâ gentilium ad colenda idola allicerentur, sed etiam, ut religionem sæpiùs exercerent, ideas religiosas et promissiones divinas altiùs menti imprimerent, gratum erga Deum animum excitarent, atque mentem ad mandatorum custodiam firmarent; accedebat, quòd nova ad Deum regem relatio, quam gens modò inveterat, majorem apparatum deposcebat. Sunt itaque ex lege Mosaicâ, sacrificia alia cruenta seu victimæ, alia incruenta, et quidem vel farina, panes, placentæ; vel libamina (vinum). Sacrificia cruenta erant alia piacularia, et alia eucharistica. Piacularia rursùs erant vel holocausta, vel sacrificia pro peccato, vel sacrificia pro delicto. Holocausta et sacrificia pro peccato, non modò à singulis offerebantur, sed etiam pro universo populo præscripta erant. Sacrificia piacularia solummodò civiliter apud Deum regem transgressiones expiabant, mactabantur ad plagam aquilonarem altaris, et erant sanctissima, de quibus sacrificans nihil participabat, Lev. 6, 18, 22; 7, 1; 10, 17; 14, 13. Eucharistica verò mactabantur ad australem altaris plagam, et postquàm partes præfinitæ igni altaris impositæ, et aliæ partes sacerdoti traditæ essent, erant sacrificantis, exceptis primogenitis animalium, quæ sacerdoti cedebant,

§ 363. *Locus sacrificiorum.* — Sacrificia ex lege Mosaicâ nonnisi super altari in sacro tabernaculo aut templo, per sacerdotes offerenda

erant, Deut. 5, 13, 14, ne alibi idolis aut ritibus superstitiosis sacrificaretur, conf. Lev. 17, 1, 7. Deut. 12, 13, 16. Sine hâc cautione vera religio conservari vix potuisset. Sacerdotes ad plura altaria dispersi, sine mutuâ observantiâ, partim cultui idolorum consensissent, partim multitudini resistere non potuissent. Quare hoc de unico altari præceptum sæpiùs, et inprimis Deut. 12, 13, 14, energicè inculcatur, et omnia alia altaria Lev. 26, 30, damnantur, conf. Jos. 22, 9, 44. Recentiori autem ævo, præsertim sub regibus, illegitima altaria multùm invaluerunt, quæ etsi fortassè partim Jehovæ dedicata fuerint, suspecta tamen erant, in quos similis suspicio non cadebat, in aliis quoque locis sacrificabant, 1 Sam. 13, 8, 14; 16, 1, 5. 1 Reg. 18, 21, 40.

§ 364. *Sacrificia cruenta.* — Victimæ offerri non poterant, nisi boves, capræ et oves, et interdùm ex volucribus turtures et pulli columbarum, Lev. 1, 2; 5, 7; 12, 6, 8; 15, 29. Num. 6, 10, quæ Lev. 14, 4, 7, aves dicuntur. Hæc animalium genera, ab Abrahamo Gen. 15, 9, oblata, erant Ægyptiis numina, Exod. 8, 22. Lev. 17, 7. Herodot. II, 41, 46. Feræ ab altari exclusæ erant; unde explicanda est phrasis : *Manducare sicut capream et cervum*, Deut. 12, 15, 22. — Holocaustis præfinita erant animalia mascula, et turtures vel pulli columbarum, in quibus sexus non attendebatur. Sacrificiis pro peccato juvenci, hirci, capræ, oves, et turtures vel pulli columbarm , pro diversitate sacrificantium, congruebant; pro delicto autem eadem animalia, exclusis tamen juvencis, offerenda erant. Sacrificia denique eucharistica duntaxat ex supra memoratis tribus generibus quadrupedum immolari poterant. — Omnes victimas, exceptis turturibus et pullis columbarum, non infra ætatem 8 dierum, et non ultra ætatem trium annorum esse oportuit. Plerumque oves et capræ anniculæ, et juvenci triennes immolabantur. Animalia ægrota, evirata, clauda, cœca, vel quocumque defectu laborantia, ad sacrificia non erant idonea, quia animum, Dei minùs reverentem prodebant, Lev. 22, 20, 24. Malach. 1, 8.

§ 365. *Ritus sacrificiorum.* — Qui victimam offerebat, 1° animal Deo sistebat, seu in atrio ante altare, capite versùs januam sanctuarii converso, statuebat, Lev. 1, 3, 9; 3, 1; 4, 14. 2° Manum suam capiti victimæ (exceptis turturibus et pullis columbarum) imponebat, quod pro universo populo proceres præstabant, Num. 27, 18, 23. Lev. 4, 15; 16, 21, conf. 2 Paral. 29, 23. Hâc manuum impositione victima in locum sacrificantis substituebatur, ut in eâ ostenderetur pœna, quam sacrificans promeruit, vel promeriturus esset, si peccaret. Hæc hujus ritûs significatio, manifesta est non solùm in eo, qui victimæ pro delicto manum imponebat, et delictum suum in caput victimæ confitebatur; et in summo sacerdote, qui, imponens hirco emissario manus, omnia peccata populi ei imponebat; sed etiam ex eo colligitur, quòd Israelitæ levitis, ut eos in suum locum ministerio sacro destinarent, manus imposuerunt. 3° Victimæ pro populo, à sacerdotibus et levitis, aliæ autem, olim quidem ab offerente, recentiori verò ævo à levitis mactabantur, Lev. 1, 5. 2 Paral. 29, 24, 34. Esdr. 6, 24, et quidem eodem loco, quo manus impositæ erant, nempe holocausta, et sacrificia pro peccato et pro delicto, ad septentrionalem : reliqua verò ad meridionalem plagam altaris. — 4° Sanguis victimæ à sacerdote in cratere excipiebatur, et ad pedes vel parietes altaris effundebatur; sanguis sacrificiorum pro peccato, etiam cornibus altaris illiniebatur, et, si hæc sacrificia pro universo populo, vel pro summo sacerdote offerebantur, etiam in Sancto versùs siparium Sanctissimi, et die propitiationis in ipso quoque Sanctissimo versùs operculum arcæ, et versùs pavimentum ante arcam, spargebatur, atque cornibus altaris suffitus, illiniebatur, quod *expiare*, et à recentioribus Judæis etiam *donum* dicebatur, Lev. 4, 7; 8, 15, 16. Zach. 9, 15. Num. 18, 17. — 5° Sacrificans olim animal, pelle detractâ, ipse dissecuit, sed recentiori ævo id præstabant levitæ et sacerdotes, et ætate Josephi aderant in templo columnæ et mensæ marmoreæ, ad id adaptatæ. Sacrificia pro peccato et holocausta populi et summi sacerdotis, integra, nec pelle detractâ, sed exemptis duntaxat partibus in altari concremandis, extra castra vel urbem, in loco in quo cineres congeri solebant, comburebantur. — 6° Quæpiam victimæ, jam ante, jam post mactationem, Deo singularibus ritibus offerebantur, qui etiam in oblatione quorumdam panum et placentarum, imò et aliorum donorum sacrorum observabantur. Horum rituum alter dicitur הרים תרומה, et alter הניפ תנופה, Exod. 29, 24, 27, 28. Lev. 7, 30, 32, 34; 8, 27; 9, 21; 10, 15; 14, 12; 23, 20. Num. 3, 25. Quales fuerint hi ritus, imò an diversi fuerint, obscurum est; interdùm enim permutantur, Exod. 38, 24, coll. Num. 31, 52; Exod. 29, 24, coll. Exod. 29, 27;

Exod. 29, 28, coll. Lev. 9, 21. Verisimillimum est, תרומה fuisse elevationem, et תנופה depositionem in terram; quia verò, quod elevatum fuit, rursùs demittendum et deponendum erat; hi termini interdùm latiùs usurpari, et permutari potuerunt. Exprimebant autem traditionem oblati, et desiderium, ut Deus oblationem acceptaret.—7° Interim sacerdos ligna in altare deferebat, in ordinem redigebat, et accendebat; alii mox sacerdotes apportabant et incensis lignis imponebant illa, quæ de victimâ concremanda erant, nempe omnes carnes holocaustorum privatorum, de holocaustis autem populi et summi sacerdotis, et de omnibus aliis sacrificiis, adipem intestina tegentem; adipem, qui est super intestina, ambos renes cum adipe eis adhærente, lobum minorem hepatis, et caudam crassam ovium, Exod. 29, 13, 22. Lev. 3, 4, 10, 15; 4, 9; 7, 3, 4; 8, 26; 9, 9, 10, 19. Omnes hæ sacrificii partes sale puro condiebantur, Exod. 30, 25. Lev. 2, 13; 9, 46.—8° Reliqua caro sacrificiorum eucharisticorum, erat à sacrificante in convivium convertenda, excepto dextero armo, per תרומה consecrato, et pectore, per תנופה oblato, quòd utrumque sacerdotibus cedebat. Carnes autem sacrificiorum pro delicto et pro peccato, si non erant summi sacerdotis aut populi, erant sacerdotum, qui eas, uti illum armum et pectus, in atrio vel templo comedebant. Num. 18, 10, 11, 18. Lev. 10, 14.

§ 366. *De holocaustis.* — Holocausta, sacrificia solida, de quibus omnia concremabantur, erant piacularia, et omnium antiquissima, ideòque præcipua, Lev. 1, 3. Philo de Victim. p. 838. Ab ethnicis quoque per sacerdotes Hebræos offerri poterant. Aliàs jam pro universo populo offerenda erant, uti holocausta quotidiana mane et vespere, et quæ diebus festis præscripta erant; jam à singulis pro se, vel sponté, vel ex voto, Ps. 31, 20, 21; 66, 13, 14, aut etiam ex mandato legis in certis adjunctis offerebantur, uti à Nazaræis improvisè contaminatis, et finito demùm voto, Num. 6, 11, 16; ab illis, qui à leprâ sanati erant, Lev. 14, 20; 15, 15, à mulieribus post puerperium, Lev. 12, 6, 8. Victimæ erant juvenci triennes, atque hirci et arietes anniculi, denique turtures et pulli columbarum. Sanguis à sacerdote ad pedes altaris per ambitum spargebatur. Partes præfinitæ, et reliqua caro, sicut § 365, 5°, 7°, diximus, comburebantur. Libamen vini ad altare effundebatur. Ethnici verò vinum victimis idolorum inter cornua affundebant, ad quod alludit Paulus Phil. 2, 17. 2 Tim. 4, 6. — Turturibus et pullis columbarum sacerdos caput ungue resecabat, sanguinem ad latus altaris spargebat, ingluviem et plumas ad plagam altaris orientalem in cinerarium abjiciebat, et reliquum, rupturâ in alis factâ, igni altaris imponebat, Lev. 1, 3, 17.

§ 367. *Sacrificia pro peccato.* — De discrimine peccatorum et delictorum, et de sacrificiis pro utrisque, quatenùs rempublicam concernebant, egimus § 216; quare pauca addenda veniunt, quæ ad ritus spectant. — Victimæ pro peccato, quæ et ipsæ dicebantur peccata, erant pro diversitate peccatorum diversæ. Summus sacerdos et populus immolabat juvencum, et magistratus hircum. Sacerdos exceptum sanguinem illiniebat cornibus altaris holocaustorum, reliquum verò ad latus altaris effundebat, Lev. 4, 22, 26. Alii verò privati pro peccato offerebant eodem ritu arietem vel ovem Lev. 4, 37, 35. Reliqua dicta sunt § 365. — Sacrificia pro peccato quibusdam præcepta erant; nempe 1° puerperis post dies purificationis, 40 post nativitatem filii, 80 post nativitatem filiæ, et quidem turtur vel pullus columbæ, cui accessit holocaustum arietis anniculi, vel ob paupertatem alius turtur vel pullus columbæ, Lev. 12, 6, 8, conf. Luc. 2, 24; 2° leprosis sanatis hircus, vel ob paupertatem turtur aut pullus columbarum, Lev. 14, 13, 19, 22, 30, 31; 3° Nazaræis inopinatè contaminatis turtur aut pullus columbarum, Num. 6, 10, 11. Cæterùm frequentissima erat hujus sacrificii offerendi necessitas, quâ Hebræi perpetuò monerentur, se esse omnes in culpâ coram Deo.

§ 368. *Sacrificia pro delicto.* — Sacrificia pro delicto populo præscripta non erant, sed duntaxat singulis, qui sine teste præcipientem legem Mosaicam, aut naturalem, pœnâ exterminationis sancitam, errore, ignorantiâ aut indeliberatè violârant, et demùm id observantes, in se redibant. Delicta, quæ sacrificio expiari poterant, enumerantur Num. 4, 1, 16; 20 — 26, nempe 1° qui, testis adjuratus, veritatem facti reticuit; qui inscius contaminatus, mundationem omisit, et dein id observabat; et qui temerariè juravit, se aliquid præstiturum, et non præstitit; hi rei ovem vel capram, aut ob paupertatem duos turtures vel pullos columbarum, alterum pro delicto, et alterum in holocaustum, et ob summam paupertatem, decimam partem Ephæ farinæ, sine oleo et thure, offerebant, Lev. 5, 1, 16. 2° Qui sacrum quidpiam sibi attribuit, vel depositum, promissum,

furto ablatum, vel inventum, etiam jurejurando abnegavit, vel aliâ ratione damnum intulit, vel alienum restituere omisit, offerebat pro delicto arietem ex æstimatione sacerdotis, et non modò alienum restituebat, sed quintam quoque partem addebat, ut læsum indemnem præstaret, Lev. 5, 20, 26. 3° Qui cum ancillâ adulterium commisit, et eam è servitute non redemit, arietem pro delicto offerre tenebatur Lev. 19, 30, 22. Conf. § 146. 4° Nazaræi inopinatè contaminati, offerebant ovem anniculam pro delicto Num. 6, 11. 5° Denique leprosi sanati et mundati, arietem pro delicto sacrificabant, Lev. 14, 10, 14. — Ritus oblationis, iidem erant, qui in sacrificiis pro peccato observabantur.

§ 369. *Sacrificia eucharistica.* — Sacrificia eucharistica, salutaria, pacifica, dicuntur, Exod. 28, 12. Lev. 17, 8. Num. 15, 3. Juvenci, vaccæ, hirci, capræ, arietes et oves (hæc enim animalia sola ad hæc sacrificia idonea erant) immolabantur, sicut § 364 dictum est, Lev. 3, 1, 17; 7, 23, 27. Ad hæc sacrificia, quæ in gratiarum actionem offerebantur, accedebant placentæ azymæ, oleo perfusæ; tenuiores, oleo unctæ; et oleo subactæ et demùm oleo perfusæ, de quibus singulis sacerdos, qui sanguinem sparsit, unam dono ferebat, Lev. 7, 11, 14, 28, 35. Reliquas carnes et placentas sacrificans in convivium convertebat, ad quod etiam mancipia, viduæ, pupilli, pauperes et levitæ invitandi erant; quod ad mutui amoris officia colenda haud parùm valebat. Ne hoc opus charitatis omitteretur, cautum fuit, ne quid in posterum diem servaretur, et duntaxat permissum erat, alterâ die, quod de convivio supererat, manducare; quod verò tertiâ die reliquum erat, comburendum fuit, Lev. 7, 15, 21. Deut. 12, 18. Hoc convivium quidem extra sacrum abernaculum aut templum, sed non extra urbem sanctam celebrari poterat.

§ 370. *Sacrificia fœderum.* — Sacrificia, quibus fœdera pangebantur, eucharisticis accenseri possunt, aliqua tamen habent peculiaria à Chaldæis descendentia, qui, teste Ephræmo Syro, tom. I, p. 161, fœdera firmaturi, per victimas dissectas et in duos ordines dispositas, transibant, dicentes : *Ita nobis non fiet.* Hujusmodi confirmationem fœderis Deus per symbolum fumi inflammati, Abrahamo Chaldæo in visione præstitit, Gen. 15, 8, 9, 17, 18; et hoc ritu demùm Hebræi non modò fœdus cum Deo, Deut. 29, 11, sed etiam cum rege Sedeciâ firmârunt, Jer. 34, 18, 19. Dubitandum itaque non est, alias quoque fœderum confirmationes eodem ritu peractas fuisse, Exod. 24, 4, 8. Jos. 24, 35. 1 Sam. 11, 15. 1 Reg. 1, 9, seqq. 2 Paral. 29, 10; 34, 31, 32. Ps. 50, 5. Hinc jusjurandum ad altare, adeòque ad victimas præstandum, memoratur 1 Reg. 8, 3. 2 Paral. 6, 22, uti et aliis ferè omnibus antiquis gentibus solemne erat, fœdera sacrificiis sancire, quod ipsa quoque nomina et phrases de fœderibus usitatæ, comprobant, ut *fœdus, sectio victimarum;* latinum *fœdus,* à fœdis vulneribus victimarum dictum est, ut Servius ad Æneid. VIII, 641, annotavit; hinc Romani dicebant, *fœdus icere, percutere, ferire, sancire;* et Græci, ὄργια τέμνειν, ut Hebræi *secuit fœdus,* et ipsum quoque *juravit,* propriè per septem, nempe victimas, adjuratus est, conf. Gen. 21, 24. Hæ victimæ erant manifesta symbola pœnæ, quæ violatorem fœderis maneat, et quam paciscentes, transeundo per segmenta victimarum, in se recipiebant. In illo magno fœdere Dei cum Hebræis Exod. 24, 3, 8, accessit, quòd Moses sanguine victimarum conspersit altare, librum fœderis, et universum populum, dicens : *Hic est sanguis fœderis, quod Jehova vobiscum pangit, ut omnia mandata observetis.* Id monebat Hebræos, si mandata non custodierint, dignos fore ut eorum sanguis eâdem ratione dispergatur. Cæterùm, ex dictis patet, si Christus in ultimâ cœnâ sanguinem suum appellavit sanguinem fœderis, illum sanguinem sacrificii dedisse, adeòque SS. Eucharistiam ceu sacrificium quoque instituisse.

§ 371. *Significatio victimarum.* — Ex his, quæ modò diximus, luculenter apparet, quæ sit significatio omnium victimarum; nam si Hebræi, inde ab Abrahamo, in victimis fœderum pœnam fœdifragi adumbrare consueverunt; profectò reliquas quoque victimas esse similia symbola censebant, et holocausta quidem ad quæ Deus Noacho et Abrahamo Gen. 8, 20; 15, 9, 18, fidem dedit esse divinas confirmationes promissionum, quibus per manuum impositionem, accessit repræsentatio pœnæ offerentis, si suis promissis non satisfecerit. Quia itaque holocausta erant symbola divinæ confirmationis promissionum; integra concremabantur, et præcipua erant sacrificia, uti promissiones erant fundamentum omnis illius instituti; etiam ab ethnicis offerri poterant, quia promissiones etiam ad hos, aliquando ad Messiam, et veram religionem adducendos, spectabant, conf. § 293; erant simul piacularia, quia ostendebant, Deum, intercedentibus li-

cet vitiis hominum, promissis staturum esse. — Victimæ pro peccato et pro delicto, nova genera piacularium, per legem Mosaicam introducta, adumbrabant pœnam excisionis, quæ peccanti et delinquenti debebatur, et promittebant, Deum ob hæc peccata et delicta promissis non defuturum. — Eucharistica denique sacrificia erant umbræ pœnarum, Hebræis imminentium, si observationem religionis, quam promiserant, negligerent, ac si dicerent : *Ut his victimis, nobis non fiet, quia promissis stabimus;* quare hoc firmati proposito in convivio lætabantur. Victimæ itaque omnes erant symbolicæ, quibus promissiones divinæ confirmabantur, et Hebræi vicissim observantiam religionis spondebant, et ita se ad studium pietatis et probitatis excitabant. — Si multi Hebræi aliam sacrificiis efficaciam tribuebant, et multitudini victimarum, quocumque animo offerrentur, confidebant; id veritati præjudicare non poterat, inprimis cùm hic error persæpè gravissimis verbis argueretur, ut Ps. 50, 8, 13; 40, 7, 8. Isa. 1, 11, 15, conf. 1 Sam. 15, 22. Os. 6, 7. Mich. 6, 6, 8. Mal. 2, 1, 9. — Symbolicis autem his substitutionibus victimarum in locum transgressoris, significari veram substitutionem Messiæ in locum peccatorum, dubium non est; conf. Isa. 53, et Pauli Epist. ad Hebr., etsi antiquis temporibus hanc sacrificiorum significationem non omnes clarè intelligebant. Hinc violenta mors Jesu in novo Fœdere perpetuò sacrificium dicitur, ut hoc genus loquendi non possit meris allusionibus accenseri, quales occurrunt Rom. 12, 1; 15, 16. Philipp. 2, 17. 2 Tim. 4, 6. Hebr. 13, 15, 16; sed verum aliquid, quod illa sacrificia veteris Fœderis adumbrabant, innuat, sicut disertis quoque verbis Hebr. 9, 3, 28; 10, 10, 14, 18, exprimitur, conf. Matth. 26, 28. Marc. 14, 24. Luc. 22, 20. 1 Cor. 11, 24, 25. Hebr. 12, 24. 1 Petr. 1, 2, coll. Exod. 24, 8; Joan. 1, 29, 36; 19, 36, 37. 1 Cor. 5, 7. 1 Petr. 2, 24, coll. Isa. 53, 5, 12; 2 Cor. 5, 21. Eph. 5, 2. Rom. 3, 23, 25; 7, 25. 1 Joan. 2, 2; 4, 10, conf. § 300.

§ 372. *De sacrificiis incruentis.* — Sacrificia incruenta, partim ex frumento, partim ex vino offerebantur. Illa (excepto hordei manipulo, secundâ die paschatis oblato, et sacrificio uxoris suspectæ) ex purissimâ farinâ triticeâ offerebantur, et quidem vel aliquo modo præparata, vel sine omni præparatione; salienda et oleo perfundenda, aut ungenda, jam oleo et depsenda et ungenda erant; quibusdam addebatur thus. Mel autem et fermentum ab altari exclusum erat, Lev. 2, 10, 12, exceptis duobus panibus fermentatis festo Pentecostis, et sacrificiis eucharisticis; ast ex his fermentatis altari nihil imponebatur, Lev. 7, 13; 23, 17; 2, 11. — Hæ molæ salsæ erant additamenta victimarum; excipiendi tamen sunt 1° duodecim panes propositionis in Sancto, qui omni sabbato permutati, ut sacerrimi, à solis sacerdotibus in sacro tabernaculo vel templo manducabantur. Lev. 24, 5, 9. 1 Sam. 21, 3, 6, conf. Marc. 2, 26; 2° manipulus hordei, secundâ die Paschatis oblatus, Lev. 23, 10; 3° primitiæ panum festo Pentecostis, Lev. 23, 17, 20; 4° farina à paupere in sacrificium pro delicto oblata, Lev. 5, 1, 4, 11, 13. Cæteroquin victimis addebantur, et quidem juvenco tres decimæ partes ephæ purissimæ farinæ triticæ, et dimidium hin olei; arieti duæ decimæ partes ephæ farinæ, et tertia pars hin olei; et ovi vel agno decima pars ephæ farinæ, et quarta pars hin olei; Num. 15, 3, 12; 28, 7, 29, 39. — Libamen seu vinum eâdem mensurâ, quâ oleum, addendum fuit, Num. 15, 3, 12; 28, 7, 29, 39; verùm non, ut Rabbini asserunt, in cornu altaris, sed, ut Josephus Arch. III, 9, 4, refert, circa altare effundebatur.

§ 373. *Purificatio immundorum.* — Immunditiæ non erant peccata, nisi illæ, quæ simpliciter interdictæ erant, aut illis, quibus, ut summo sacerdoti et Nazaræis, omnis contaminatio prohibita fuit; ast neglecta purificatio erat delictum, cui exterminatio è populo decreta fuit. Pleræque quidem immunditiæ desinente præfinito tempore, cessabant, si modò immundus corpus et vestes lavit; quibusdam autem contaminatis ritus, quo mundarentur, præscriptus erat. — Ita, qui cadavere, ossibus mortuorum, aut sepulcro contaminatus fuit, tertiâ et septimâ die per alium virum mundum hyssopo, in aquam cineribus vaccæ rufæ mixtam, intincto conspergendus erat, quo peracto, corpus et vestes lavabat, et septimo die mundus erat. Eâdem ratione etiam tentorium, domus et suppellectilia, funere contaminata, mundanda erant, Num. 19, 11, 21. — Cineres autem illi, singulari ritu parabantur. Vacca rufa, i. e., fulva, vitii expers, et quæ nunquàm jugum portavit, adducebatur ad sacerdotem; per alium, extra castra aut urbem educta, mactabatur, et sacerdos præsens intincto in sanguinem digito, septies versùs sanctuarium spargebat. Eodem mox loco vacca integra comburebatur, et sacerdos igni ligna cedri, hyssopum et filum coccineum injiciebat. Ter-

tius quipiam cineres in locum extra castra vel urbem, futuro usui reponebat, Num. 19, 1, 10. Qui vaccam ducebat, qui eam mactabat, qui comburebat et cineres ejus deferebat, et sacerdos, qui prædicta in ignem injiciebat, usque ad vesperam immundus erat. Num. 19, 6, 8, 10, 21. Hoc ritu perniciosa aliqua superstitio exclusa fuisse videtur.

§ 374. *Mundatio leprosorum.* — Leprosus sanatus à sacerdote extra castra vel urbem examinabatur, Matth. 8, 4. Marc. 1, 44. Levit. 5, 14; 17, 14; et, si perfectè sanus inventus esset, curabat per alium duas aves vivas (turtures aut pullos columbarum), lignum cedrorum, filum coccineum et hyssopum apportari, et alteram avem ita mactari, ut sanguis in vase testaceo, aquâ repleto, exciperetur, in quod sacerdos alteram avem vivam, lignum cedrorum, filum coccineum et hyssopum intingebat, sanatum septies aspergebat, et avem vivam liberam dimittebat, in symbolum viri à leprâ liberari, Lev. 14, 1, 7. (Hoc observatur quoque in lustratione domûs leprosæ, Lev. 14, 48, 53.) — Sanatus demùm lotis vestibus et corpore, et rasis pilis, mundus quidem erat, sed septimo primùm abhinc die, castra vel urbem ingrediebatur; hoc autem die omnes pilos totius corporis, etiam barbam et supercilia, radebat, rursùs vestes et corpus lavabat, et jam perfectè mundus habebatur, Lev, 14, 8, 9. Eodem porrò die duos arietes anniculos et ovem anniculum cum consuetâ farinâ oleo perfusâ, et logum olei in sacrum tabernaculum vel templum apportabat; sacerdos sanatum et illa animalia Deo sistebat, et arietem alterum sacrificium pro delicto, et logum olei per תנופה Deo offerebat, et sanguine mactati arietis pro delicto, sanato lobum auris dexteræ atque pollicem manûs et pedis dexteri, illiniebat. Oleum porrò, palmæ suæ infusum, intincto indice dexteræ suæ, septies versùs sanctuarium spargebat, atque rursùs sanato lobum auris dexteræ, atque pollicem manûs et pedis dexteri, ungebat, et reliquum capiti ejus affundebat, Lev. 14, 10, 18. Dein ovem, sacrificium pro peccato, et tandem alterum arietem, holocaustum immolabat. Ob paupertatem, in locum ovis et alterius arietis, substitui poterant duo turtures, aut duo pulli columbarum, Lev. 14, 19, 32, conf. Luc. 17, 12, 14. Matth. 8, 2, 4. Marc. 1, 40, 44.

§ 375. *Primogenita.* — Primogenita hominum et animalium Deo sacra erant. Filii primogeniti Deo sistendi, et ex æstimatione sacerdotis, attamen non ultra 5 siclos, et non ante primum ætatis mensem, redimendi erant; plerumque autem redimebantur in purificatione puerperæ, Num. 18, 14, 16. Exod. 13, 13. Luc. 2, 22. Primogenita boum, caprarum et ovium ab octavâ die usque ad unum annum ætatis in sacrificium offerenda erant, et, concrematis partibus præfinitis, sacerdotibus relinquebantur. Num. 18, 17, 18. Lev. 27, 26. Quòd si essent vitiosa, nihilominùs sacerdotibus cedebant, Deut. 15, 19, 23. Primogenita aliorum animalium, ex quibus Exod. 13, 13, asinus in exemplum nominatur, vel occidenda, vel agno permutanda, vel ex æstimatione sacerdotis, additâ quintâ pretii parte, redimenda erant; quòd si redempta non essent, vendebantur, et pretium erat sacerdotum, Exod. 14, 12, 13, Lev. 27, 22. Ita Hebræi testabantur gratum erga Deum animum, qui primogenita ipsorum in Ægypto illæsa conservavit Exod. 13, 2, 11, 16. Num 3, 12, 13. In filiis verò primogenitis accessit etiam altera ratio, quòd, nati familiarum sacerdotes, à ministerio redimendi erant, Num. 3, 20, 51. — Ex Deut. 12, 6, 7; 14, 23; 15, 19, 23, colligitur, etiam secunda primogenita boum, caprarum et ovium, ad sacrum tabernaculum vel templum adferenda, et in sacrificia eucharistica et convivia convertenda fuisse; permissum verò erat, si mendosa essent, ea domi mactare, et in cibum vertere.

§ 376. *Primitiva seu primitiæ.* — Duplex genus primitiarum distinguendum esse, ex Deut. 18, 12, 13. Neh. 10, 36, 38, evinci nequit, sed id solum sequitur, primitias, per ritum תרומה offerri debere. Atque primus quidem hordei manipulus alterâ die Paschatis, et primi panes festo pentecostis, nomine populi offerebantur; singulis autem præscripta erant offerenda primitiva vitis, arborum, frumentorum, mellis et lanæ, quibus gratum Deo animum pro regione ipsis concessâ exhiberent, Exod. 23, 19. Lev. 2, 12. Num. 15, 17, 21; 18, 11, 13. Deut. 26, 1, 11; quod autem allatum fuit, sacerdotum erat Lev. 2, 12. Num. 18, 11, 13, Deut. 18, 4. Aliqui putant, primitias præparatas non necessariò in templum apportandas fuisse, sed ubique locorum alicui sacerdoti tradi potuisse, uti quilibet Hebræus de animali, quod domi suæ mactabat, armum, maxillas et omasum, alicui sacerdoti tradere tenebatur, Deut. 18, 3. Joseph. Archæol. IV, 4, 4. Philo, de secerdotum honoribus et præmiis, p. 832. — Secundæ quoque primitiæ Deut. 26, 1, 11; sacrificiis eucha-

risticis et conviviis deputantur, et præcipitur, ut quilibet Hebræus canistrum earum in sacrum tabernaculum vel templum ferat, coram altari deponat, et altâ voce Deo gratias agat, qui Hebræis immeritis fertilem hanc regionem concessit.

§ 377. *Decimæ.* — Decimæ antiquissimæ sunt, et ferè omnibus antiquis gentibus notæ, Herodot. I, 5, 77. Pausan. Eliac. I, c. 10. Phocic. c. 11. Diodor. Sic. XX, 14. Abraham Gen. 14, 20, eas de prædâ Melchisedecho, sacerdoti Dei altissimi, obtulit; et Jacob Gen. 28, 32, vovit Deo decimas omnium proventuum suorum, quod ipse Gen. 35, 1, 15, et posteri ejus observabant; id Deut. 12, 11, 17, 19; 14, 22, 23, pro notissimo sumitur, et solùm præcipitur, ut hæ decimæ ad sacrum tabernaculum in eucharistica sacrificia convertantur, et omni triennio, quod superesse deprehenditur, domi in convivium, servorum, viduarum, pupillorum, pauperum et levitarum impendatur, Deut. 14, 28, 29; 26, 12, 15. — Antequàm autem hæ decimæ, quæ secundæ dicuntur, de proventibus decerperentur, aliæ, quæ primæ dicuntur, Tob. 1, 7, tradendæ erant Deo regi, qui eas tribui Levi, pro ministeriis sacris et civilibus, salarium assignavit, Lev. 27, 30. Num. 28, 20, 24. Deut. 14, 22, 23. Neh. 13, 5, 22. Decimæ de fructibus arborum et frugibus terræ, redimi poterant, si quinta pars pretii, quæ in transportationem consumpta fuisset, addita fuit; boves autem, capræ et oves tradi debebant Lev. 27, 31. Fructuum et frumentorum decimæ facilè separabantur; animalia autem sigillatim coram œconomo transibant, qui ea numerabat, et decimum quodque baculo, quem manu tenebat, signabat; quòd si signato dein aliud substitueretur, ambo levitis cedebant, Lev. 27, 32, 33, conf. Jer. 33, 12, Ezech. 20, 37, 38. De his decimis levitæ rursùs decimam partem tradebant sacerdotibus, Num. 18, 25, 32. Neh. 10, 28; 13, 10, 14. Malach. 3, 8, 10, conf. Hebr. 7, 5, 7.

§ 378. *De sacro oleo.* — Oleum sacrum, quo tabernaculum, arca fœderis, candelabrum aureum, mensa, altare thymiamatis, altare holocaustorum, labrum, et omnia utensilia sacra, atque ipsi etiam sacerdotes uncti fuerunt, erat compositum ex hin olei olivarum, et ex myrrhâ generosissimâ casiâ, cinnamomo et calmo generoso, ita quidem, ut myrrhæ et casiæ partes essent quingentesimæ, cinnamomi verò et calmi ducentesimæ et quinquagesimæ. Hoc unguentum, cujus omnis alius usus pœnâ exterminationis interdictus erat, rebus et personis unctis reverentiam et honorem conciliabat.

§ 379. *De jurejurando.* — Qui spontè effatum suum jurejurando firmabat, formulam elevatâ manu dexterâ pronuntiabat, persæpè tamen imprecationem reticebat, ac si vereretur, eam, quæ aliunde intelligebatur, disertis verbis edicere, Gen. 14, 22, 23. Ps. 106, 26; 80, 18. Ezech. 17, 18; 37, 7. Interdùm imprecatio generatim additur : *Hæc mihi faciat et hæc addat Deus*, si, etc., Ruth. 1, 17. 1 Sam. 14, 45; 20, 23. 2 Sam. 3, 9. 35; 15, 14. 1 Reg. 2, 23. 2 Reg. 6, 31. Vel jurans dicebat : *Jehova testis esto*, aut etiam : *Per vitam Jehovæ*, Jer. 42, 5. Jud. 8, 15. Ruth. 3, 13. 1 Sam. 14, 41, 47; 15, 6; 20, 3, 21. Qui verò, sive judex, sive alius, jusjurandum exigebat, formulam voce præibat, et alter respondebat, *Verum verum*, vel alia formula asseverabat, uti, συ ειπας, Num. 5, 19, 22. Levit. 5, 1. Prov. 29, 24. 1 Reg. 22, 16. Deut. 27, 15, 26; vel exigens jusjurandum simpliciter dicebat : *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas, si hoc est ita*, et adjuratus simpliciter respondebat, Num. 5, 22. Matth. 26, 63. Quare asseverationis formula : *Amen, amen*, nequaquàm ubique jusjurandum involvit. Ab his adjurationibus descendit : *Juravit*, propriè, *adjuratus fuit.* — Quia autem per Deum jurabatur, Lev. 19, 12. Deut. 6, 13, perjurium Exod. 20, 7, interdicitur phrasi : *Ne pronuntiaveris nomen Jehovæ Dei tui in vanum*, i. e., ad mendacium. In Ægypto jam ætate Josephi jusjurandum per vitam regis, usitatum erat, Gen. 42, 15, quod demùm etiam apud Hebræos invaluit, 1 Sam. 25, 26. 2 Sam. 11, 11; 14, 19, conf. Ps. 63, 12. Hebræi jurabant quoque per civitates et loca sacra, uti Hebron, Silo, Jerusalem, Ps. 139, 29. Jurabatur quoque per se ipsum : *per me ipsum*; vel per vitam alterius; *Per vitam tuam*, 1 Sam. 1, 26; 30, 3. 2 Reg. 2, 2. Gen. 43, 20; 44, 18. Exod. 6, 10, 13. Num. 12, 11. Jos. 7, 8. Jud. 6, 13, 15. 1 Reg. 3, 17, 26. Jusjurandum per feras, Cant. 2, 7, joviale censendum est, prout et Arabes poetæ similibus formulis uti solent, Koram, sura 85, 1, 3; 86, 1, 11, 13; 89, 1, 4; 90, 1, 4; 91, 1, 8, etc. Judæi ætate Christi formulas : *Per altare, per Jerosolymam, per cœlum, per terram, per me ipsum, per caput meum, per aurum templi, per sacrificia*, etc., quæ non exprimebant nomen Dei vivi celsissimi, partim inanes esse statuebant, partim minutiis deputabant, Martialis, epigrammat. XI, 95; hinc Jesus in has fallendi artes invehitur, Matth. 5, 33, 37; 23, 16, 22; Jesum verò has duntaxat formulas fallaces, nequaquàm verò

omne jusjurandum reprobâsse, vel ex eo patet, quòd ipse Matth. 62, 63, jusjurandum dedit, conf. Rom. 9, 1; 2 Cor. 1, 23. — Antiquo ævo Hebræi jusjurandum religiosè observabant, Jos. 9, 14, 15. Prophetæ demùm sæpè perjuria arguunt. Post exilium Judæi rursùs à religione jurisjurandi celebres erant; at morum corruptione denuò invalescente, supra memoratis formulis alios decipiebant, et apud omnes gentes, perjurorum infamiam sibi contraxerunt.

§ 380. *Vota.* — Spontaneæ et solemnes promissiones, Deo aliquid sacrandi, vel boni quidpiam præstandi, ad quod aliunde nulla obligatio urgebat, vel ab aliquâ re gratâ et licitâ abstinendi, seu vota ab hominibus descendunt, qui Deo quidpiam hujus generis spondebant, ut optata consequerentur. Votum Jacobi Gen. 28, 22, primum memoratur, et, cùm à posteris quoque observaretur, ad conversationem cognitionis Dei non parùm contulit. Alia vota saltem pia sensa fovebant et augebant. Lex Mosaica vota ex antiquâ consuetudine ad exercitium religionis retinuit, et obligationem, quæ ex eis, uti ex aliis promissionibus, nascitur, inculcavit, Deut. 23, 23, 24, tamen locum redemptioni concessit, Lev. 27, 1, 25, et jus patri familias et marito contulit, vota filiarum et uxorum suarum irritandi, quamprimùm de iis audirent; quòd si illâ die, quâ id resciverant, silerent, votum pro rato habebatur, Num. 30, 2, 17. Vota autem non agnoscit, nisi quæ verbis prolata, et, ut ex Num. 30, 3, 11, 14, patet, jurejurando firmata erant, quo mentibus timidiusculis consultum fuit, Deut. 23, 24, conf. Jud. 11, 35, 36. Ps. 66, 14. Matth. 15, 5. Erant vel affirmativa, strictè dicta נדרים, quibus res, vel animal, aut persona, Deo devovebatur, et in his (anathemate et animalibus ad sacrificium idoneis exceptis) redemptio locum habuit; vel negativa, per quæ promittebatur abstinentia à quibusdam rebus licitis, et hæc dicebantur אסר על נפש, *vinculum super appetitum*, i. e. *cohibitio appetitûs*. Horum præcipuum erat votum Nazareatûs.

§ 381. *De votis affirmativis.*—Votis affirmativis Deo consecrabatur, non modò res quæcumque, uti pecunia, ager, domus, animal mundum vel immundum, sed etiam servus, filius, et quipiam se quoque Deo sacrabant. Hæc omnia nomine, donis sacris communi, veniebant Joseph. Arch. IV, 4, 4. Marc. 7, 11. Animalia ad sacrificia idonea, sacrificanda erant; exclusa autem ab altari, ex æstimatione sacerdotis vendebantur, redimi tamen, additâ quintâ pretii parte, poterant homines devoti, flebant mancipia sacri tabernaculi aut templi, nisi redimerentur. Pecuniæ, agri, et domus devotæ, sacro tabernaculo vel templo cedebant, nisi agri ante annum Jubilæum redempti fuissent, Lev. 27, 1, 24. — Singulare votum, irrevocabile, erat anathema, de quo alibi diximus, in exemplum severitatis institutum, Exod. 17, 14. Num. 21, 2. Deut. 2, 32, 34; 3, 1, 8; 13, 14, 15, conf. Jud. 2, 47, 48. Hoc emisso voto, omne quod ex prædâ auferebatur, erat sacrilegium, Jos. 6, 17, 19; 7, 1, 26; interdùm tamen excipiebantur pecudes aut alia quæpiam, Deut. 2, 32, 34; 3, 1, 8. Jos. 8, 2. Hoc irrevocabili voto nonnunquàm etiam agri, animalia aut homines singuli devovebantur, Lev. 27, 28, 29; ast in homines nonnisi facinorosos, ad exemplum aliorum, statutum fuit, conf. 1 Sam. 14, 24, seqq.

§ 382. *Vota negativa. Nazareatus.* — Votis negativis promittebatur, uti supra diximus, abstinentia à quibusdam rebus licitis. Josephus de B. J. II, 15, 1, refert, suâ ætate permultos, præsertim in morbis aliisque rebus adversis, vovisse, 30 dies, antequàm victimas oblaturi essent, à vino abstinere, precibus vacare, et radere comam, conf. Act. 18, 18. Nazaræi autem vovebant, capillos non radere, à vino et ab omni potu inebriante, etiam ab aceto et ab uvis, atque ab omni contaminatione per cadavera, ossa, et sepulcra abstinere. Per parentes interdùm filius nondùm natus hoc voto obstringebatur, ut Samson et Joannes Baptista, Jud. 13, 2, 5; 12, 23. Luc 1, 13, 15. Votum hoc interdùm perpetuum, plerumque verò ad certum tempus restrictum erat, et jam obtinebat ante legislationem; nam Lev. 25, 25, phrases ab hoc ritu desumuntur, antequàm leges de eo latæ essent, Num. 6. Si Nazaræus vel Nazaræa (nam et alter sexus hoc votum nuncupabat), inopinatè contaminatus fuisset, non solùm ritu jam exposito mundandus erat, sed etiam amputatâ comâ, die septimâ duos turtures aut pullos columbarum, alterum pro peccato, alterum in holocaustum, atque agnum anniculum pro dilecto offerebat, et Nazareatum suum rursùs inchoabat, Num. 6, 9, 12. — Finito voti tempore, arietem anniculum in holocaustum, agnum anniculum pro peccato, arietem in sacrificium eucharisticum, canistrum placentarum azymarum, quarum aliæ oleo subactæ, aliæ oleo perfusæ erant, atque vinum ad libationem offerebat, comam ante portam sanctuarii amputari, et in ignem sa-

crificii eucharistici conjici curabat; armum sacrificii eucharistici et placentam utriusque generis unam, Deo per תנופה offerebat, quæ ambæ sacerdoti cedebant. Demùm in convivio, quod ex sacrificio eucharistico paratum fuit, rursùs vinum bibebat. Pauperibus hos sumptus suppeditabant ditiores, qui per id, voti eorum participes fiebant, Bereschith Rabba, 90. Koeleth Rabba 7. Act. 21, 23, 24.

§ 383. — *Preces.* — Primâ generis humani ætate preces non erant nisi animi motus simplicissimi, prout gratus erga Deum animus, reverentia, gaudium de Deo benefactore, aut timor inspirabat. Verbis demùm exprimebantur, atque supplicationes addebantur, Gen. 12, 8; 21, 33; 24, 26, 48; 26, 25; 32, 9, 12. Lex Mosaica preces affectui cujuslibet permisit, nec quidquam disposuit, nisi benedictionem illam à sacerdote pronuntiandam, Num. 6, 24, 25, et exemplum, juxta quod Hebræi in oblatione primitiarum Deo pro possessione regionis Chanaan gratias agerent, Deut. 26, 3, 10, 13, 15. Pii Hebræi sacrificia offerentes, ad illa exempla Deut. 26, 3, 10, 13, 15, proposita, grates Deo referebant, et se ad pietatem et probitatem excitabant. Singularibus occasionibus hymni cantabantur, instrumentis musicis accinebatur, et choreæ sacræ agebantur, Exod. 15, Jud. 5. De aliis precibus publicis nihil memoratur, nisi quod 1 Reg. 8, 14, 21, 23. Ps. 72, 19. Neh. 8, 6, et alibi de Psalmorum decantatione in templo, legitur; preces autem privatas plerumque altâ voce prolatas fuisse, ex 1 Sam. 1, 12, 15, colligitur, conf. Luc. 18, 10, 14.—Hebræi orabant stantes, 1 Reg. 8, 22. Luc. 19, 11, quod etiam in Synagogâ, ac in antiquâ Ecclesiâ christianâ observabatur, et à Christianis orientalibus adhucdùm retinetur. Hebræi tamen interdùm etiam genua flectebant, 1 Reg. 8, 54. 2 Paral. 6, 13, conf. 1 Reg. 19, 18. Dan. 6, 11. Esdr. 6, 5. Luc. 22, 41. Act. 7, 60, aut toto corpore se in terram prosternebant, Exod. 34, 8; 2 Paral. 29, 29. Ps. 95, 6. Matth. 26, 39. Manus in cœlum tollebant, 1 Reg. 8, 22. 2 Paral. 6, 13. Isa. 1, 15, et pectus suum percutiebant, Luc. 18, 13. Elias orans ita se inclinavit, ut caput genua attingeret, quod vix aliâ ratione, quàm genibus flexis et demùm in calcaneis residens præstabat, 1 Reg. 18, 42, uti Orientales orantes adhucdùm diversos corporis situs observant, et sæpè variant. Præ cæteris curant, ut orantes faciem in certam mundi plagam convertant, atque Judæi et Christiani quidem versùs Jerosolymam, Muhamedani autem versùs Meccam, et hanc plagam vocant *pars anteriorem*, Hebræis dicebatur *pars postica*, quia sanctuarium, ad quod in sacro tabernaculo et templo, faciem convertebant, erat in parte posticâ seu occidentali, conf. 1 Reg. 8, 38, 42, 44, 46. 2 Paral. 6, 34, 38. Dan. 6, 11, 14. Mehestanis Kebla erat plaga orientalis, conf. Ezech. 8, 16. —Horæ precum fixæ antiquiori ævo non erant; quod enim Ps. 55, 18, legitur, argumento esse vix potest, jam tum tria diei tempora orationi dicata fuisse. Ast Daniel c. 6, 11, 14, ter quotidiè orationi vacabat, dubio procul horâ tertiâ, sextâ, nonâ (i. e. nonâ, duodecimâ et tertiâ), quæ horæ ætate Apostolorum orationi consecratæ erant, Act. 2, 15; 3, 1, 10, 9.

§ 384. *Liturgia synagogarum.*— Publicus Dei cultus in synagogis memoratur in novo Fœdere duntaxat die sabbati, Matth. 12, 10. Marc. 1, 21, 3, 1; 6, 2. Luc. 4, 16, 32, 33; 6, 6; 13, 10. Act. 13, 14; 15, 21; 16, 13, 25; 17, 2; 18, 4. Festis tamen diebus dubio procul Judæi in synagogis ad liturgiam conveniebant, qui Jerosolymam proficisci non poterant. — In synagogis quidem preces quoque privatæ locum habebant, Matth. 8, 5; cultus verò publicus, præmissâ salutatione, à doxologiâ inchoabat, quâ finitâ, pars legis Mosaicæ, et præmissâ aliâ doxologiâ, pars quæpiam ex prophetis prælegebatur. Act. 15, 21. Luc. 4, 16. Lector illo ævo, prout nunc, caput superindumento, quod tallith nuncupant, operuit, ad quod Paulus Rom. 3, 15, alludit. Prælecta hebraica exponebat interpres in vernaculâ, et lector vel alius docebat populum; Luc. 4, 16. Act. 13, 15. Hâc occasione, Jesus et deinceps Apostoli Evangelium annuntiabant. Conventus precibus, ad quas, sicut ad doxologias, populus amen acclamabat, et collectione pro pauperibus terminabatur. Quæ nunc in synagogis Judæorum aguntur, et à Vitringâ, de Synagogâ veteri p. 945, 1050, pertractantur, non omnia antiquiori ævo obtinebant; ita lectores non, ut nunc, sub auctione provocabantur, sed spontè surgebant, Luc. 4, 16; et qui sermonem ad populum dicebant, non erant Rabbini, ad id ipsum constituti, sed invitabantur, vel se offerebant, Act. 13, 15. Luc. 4, 16. Partes quoque prælegendæ non videntur fuisse præfinitæ, sed liber prælegendus duntaxat, ab antistite synagogæ determinabatur, Luc. 4, 16, seqq. Modernæ quoque precum formulæ nondùm conceptæ fuisse videntur, nisi fortassè aliquæ quoad substantiam, quibus accensendum est

K'ri Sch'ma de quo Thalmudici mox ab initio, permulta præcipiunt, et nobis quoque quæpiam dicenda veniunt. Nomen mutuatum est à primo verbo loci Deut. 6, 4; complectitur enim loca Deut. 6, 4, 9; 11, 13. 21, et Num. 15, 37, 41, quibus inculcatur Hebræis, ut legem Dei mente perpetuò retineant, recolant, meditentur, sibi applicent, et in usum redigant; unde Rabbini exsculpserunt præceptum, ut quilibet Judæus, thephillim seu phylakteriis et tallith indutus, hæc loca sabbato, die lunæ, et die Jovis, mane cum tribus, et vespere cum quatuor doxologiis, in synagogâ, aut si eam adire non possit, ubicumque fuerit, etiam in viâ aut plateâ stans reticet. Hinc Pharisæi ætate Christi, horâ harum precum, angulos platearum quærebant, ut ex duabus plateis cernerentur, quantâ cum devotione hæc loca recitarent, Matth. 6, 6. Vitringa, de Synag. vet. p. 1031, 1069. — Recitatio horum locorum et doxologiarum, Judæis dicitur, *suscipere*, vel *in se excitare regnum Dei* vel *cœlorum*, uti ex locis à Vetstenio in novo Fœdere Matth. 6, 5, tom. I, p. 256, adductis patet, ex quibus, attentiùs consideratis, facilè perspicitur, has dictiones nihil aliud velle, quàm religionem in se excitare, seu se excitare ad religionem, quam regnum Dei dicunt. Quùm autem religio, seu regnum Dei, per Messiam perficiendum exspectaretur; regnum Dei vel cœli etiam idem erat ad regnum Messiæ, quo sensu hæ expressiones in nov. Fœd. usurpantur, sed et pro sede beatorum veniunt, quia nempè hoc Dei regnum in alteram quoque vitam extenditur; in quâ demùm perfectum erit.

§ 385. *Lingua liturgiæ in synagogis.* — Quùm synagogæ erectæ fuerint, ut populus religionem edoceretur, et ad morum integritatem excitaretur; liquet, usum linguæ vulgaris fuisse necessarium; quare dubitandum non est, prælectiones hebraicas, uti Thalmudici testantur, mox per interpretem in linguâ vulgari expositas fuisse. In synagogis Hellenistarum versio Alexandrina legebatur, uti Tertullianus Apol. 18, testatur. Hinc permulti Thalmudici hanc versionem verbis honorificis commemorant; recentiores duntaxat quipiam, observantes, Christianos validis ex hâc versione depromptis armis contra Judæos pugnare, eidem infensi erant, et eam è synagogis eliminare contendebant, quorum molimina imperator Justinianus oppressit.— Doxologiæ et preces in linguâ vulgari pronuntiabantur. Quæpiam quidem voces hebraicæ, uti *amen*, *alleluia*, *sabaoth*, retentæ erant, quales quæpiam etiam in novo Fœdere occurrunt: aliæ autem precum voces Arameæ sunt, ut Marc. 15, 34; Ελωι ελωι λαμα σαβαχθανι, אלהוי אלהוי למה שבקתני et ipsum quoque εφφαθα, Marc. 7, 34, est aramæum אתפתח, *aperitor*.

§ 386. *De liturgiâ apostolicâ.* — Apostoli, primas ecclesias in synagogis condentes, earum rationem secuti sunt, nisi quòd fractio panis, i. e. sacrosancta eucharistia, quæ, exemplo Jesu, in cœnâ celebrabatur, accederet, Act. 2, 42; 20, 7, 11. 1 Cor. 11, 17, 34. Demùm à Judæis è synagogis exclusi, vesperè conveniebant in cubiculum alicujus Christiani, lampadibus collustratum, Act. 20, 7, 11, ubi Apostolus cum senioribus seu presbyteris, ita consistebat, ut loquens facilè audiretur ab omnibus, qui circa ipsum considebant. Præmissâ salutatione, à quâ nostra salutatio liturgica: *Dominus vobiscum*, vel: *Pax vobis*, descendit, doxologiæ et prælectiones sequebantur eadem, quæ synagogis invaluerant; Apostolus verò populum religionem docebat, et ad vitæ innocentiam hortabatur. Demùm dictis precibus, mensæ parabantur ad convivium, in quo Apostolus SS. eucharistiam consecrabat et distribuebat. Denique conventus collectione pro pauperibus præsertim Jerosolymitanis terminabatur. 2 Cor. 9, 1, 15, conf. Justini Apolog. I. Lector, et qui sermonem dicebat, stabat, reliqui sedebant; ast ad preces surgebant omnes. Quod linguis peregrinis proponebatur, mox per interpretem linguâ vulgari exponebatur, conf. 1 Cor. 14, 1, 33. Græci in liturgiâ caput aperiebant, 1 Cor. 11, 1, 16; in Oriente autem antiqua consuetudo, operto capite rebus divinis vacandi, retenta fuit, uti et Christiani orientales hodiedùm caput non nudant, nisi ad consecrationem SS. Eucharistiæ. Hi cœtus liturgici ab Apostolis cogebantur primâ hebdomadis die, nempe die solis, seu, sicut jam Apoc. 1, 10, nuncupatur, dominicâ.

CAPUT VI.

DE IDOLOLATRIA.

§ 387. *Numina.* — Qui contendunt, primam hominum religionem fuisse fetischismum, seu cultum creaturarum et idololatriam; à priori contingunt historiam, et gratis sumunt, homines in cognitionibus semper ascendere et nunquàm descendere, quod universa historia, et præsertim historia religionis refellit, quæ permultos descensus, et etiam Hebræorum frequentes in idololatriam relapsus memorat. Regressus vel potiùs descensus hujus generis

jam contigit ante diluvium, quùm plurimi revelatam Dei cognitionem et monita divina spernebant, et, sine Deo viventes, omnia scelera sibi permittebant. Ejus generis descensus ætate Abrahami contigit, quâ homines, superstitione ducti, creaturas animatas et inanimaesse deos sibi persuadebant, ac terram, mare, ventos, fluvios, ignem, lapides, plantas, animalia, bruta, solem, lunam, stellas, spiritus invisibiles, homines defunctos, in numina transformabant et adorabant; progressu temporis etiam abstractis, uti famæ, concordiæ, pietati, fidei altaria erigebant. Cicero, de Nat. D. L. III, 16, 23, 24. De Leg. II, 8. Malis quoque physicis, ut febri, orbanæ, infortunio; ac moralibus, ut contumeliæ et impudentiæ altaria consecrata sunt, Plinius Hist. nat. II, 5. Antiquiori ævo, homines, qui robore, potentiâ aut prudentiâ valentes, in alios, vel benefici vel malefici erant, demùm defuncti, divis accensebantur, ut, si non omnes Græcorum et Latinorum dii, saltem plerique, ex hominibus in cœlum migrârint, Herodot. 1, 131, 144. Cicero, Tuscul. quæst. 1, 12, 13. De Nat. D. I, 42. III, 15, 23. Diodor. Sic. V, 74, 80. Jos. Arch. IX, 4, 5. Hinc dii in bibliis vocantur mortui, quæ tamen compellatio simul inania idola, vitâ carentia, respicit; quare Deus vocatur vivens, Gen. 16, 13, 14. Recentiori autem ævo, florente licet philosophiæ studio, sceleratissimi quoque reges et imperatores, adhuc viventes, templa obtinebant, in quibus à sacerdotibus sacrificiis colebantur. — Pleræque gentes malignos et sævos quoque deos credebant, uti Ægyptii Typhonem, et Mehestani Ahrimanium, et innumerabiles ejus dæmones, quibus autem, saltem à Zoroastre demùm edocti, cultum non exhibebant, sed resistebant. Verùm dii quoque boni, non quidem facilè peccatis et sceleribus, sed intermissione cultùs, et merâ quoque petulantiâ irascebantur, ut quosdam homines etiam sine causâ persequerentur, uti in Homeri operibus conspicitur, Valerius Max. L. I, 1, p. 38, 42. Hinc justitia Jehovæ in Bibliis persæpè celebratur. Cuilibet genti et urbi proprii erant dii, Plinius II, 5, conf. 2 Reg. 17, 24, 34. Jer. 2, 28, qui, primùm cultu alicujus familiæ celebres, demùm à reliquis ejusdem gentis familiis adoptati sunt; nihihilominùs quælibet quoque familia suos habuit penates et tutelares; nemo enim ad omnes deos colendos obligatum se esse censebat, sed quilibet suo arbitrio colebat, quos potentiores vel sibi magis propitios opinabatur; neque tamen reliqui prorsùs negligendi erant, ne fortassè hoc neglectu se contemptos arbitrantes, irascerentur, et mala immitterent. Dii gentium et civitatum, quæ læto rerum statu et victoriis reportatis inclarescebant, potentiores et meliores censebantur; dii verò gentium devictarum, debiles et impotentes, qui suos tueri non potuerint, reputabantur, et hinc à victoribus captivi deportabantur, Os. 10, 5. Amos 1, 15. Isa. 46, 1. Jer. 48, 7. 1 Reg. 20, 23, 28. Ex hâc sententiâ Cicero, Or. pro Flacco 28, de gente Judæorum devictâ scribit : *Quàm chara diis immortalibus esset. docuit, quòd est victa, quòd elocata, quòd servata.* Hinc in Bibliis Jehova perpetuò potentissimus prædicatur.—Attamen dii quoque necessitati parere, et certis ritibus et verborum formulis, velut incantationibus, ad vota hominum non solùm flecti, sed etiam cogi posse putabantur, et porrò quiescere, dormire, et ad sacrificia in aliis regionibus oblata, tanquàm ad epulas, proficisci credebantur, Illiad. I, 423, 424, 609, 611. Lucianus de sacrificiis, 1 Reg. 18, 27-28. Quùm hæc numina diversi sese sexûs fingerentur; pleraque quoque in matrimoniis vivere, imò adulteria committere, et cum hominibus quoque se commiscere existimabantur.

§ 388. *Aræ, statuæ, templa, luci.*—His numinibus 1° exstruebantur aræ, Deut. 7, 5; 12, 2; soli Mehestani non habebant nisi focos ignis, quia superis nonnisi animas victimarum tribuebant, carnes verò earum in alimenta vertebant. Deorum cœlestium aræ Græcis usque ad 22 cubitos altæ erant; Terræ autem, Vestæ et Martis humiliores, atque heroum humillimæ; diis inferis denique et Nymphis in foveis et specubus sacrificabatur, Potters Griech. Arch. I, Th. S. 467, 472. — His altaribus addebantur 2° effigies deorum, primùm informes trunci et lapides, quorum reliquiæ recentiori ævo erant bætilii, βαιτυλια, βαιτυλιοι, plerique quidem lapides parvi, coloris nigri et undulati, jam coni, jam cylindri, jam etiam rotundi, verumtamen etiam majores, quadrati, et coni, quibus omnibus singulares vires divinæ inesse credebantur. Nomen ex malè intellecto ביתאל descendere, nemo non videt, Gen. 28, 17, 22. Rambach in Potters Archæol. I, Th. S. 463. Progrediente tempore effigies, arte diligentiùs, interdùm formâ etiam colossali, elaboratæ sunt, primùm quidem ligneæ, paulò post lapideæ et eburneæ, et demùm quoque ex metallo fusæ; ligneæ autem et lapideæ laminis aureis vel ar-

gentels obducebantur, aut pretiosis vestibus ornabantur, Num. 33. Deut. 4,27; 5, 25; 7, 5; 9,16,21; 12, 3; 29, 16. Jud. 17, 4. Jer. 10, 9. Hujusmodi simulacra jam ætate Mosis visebantur formâ marium, fœminarum, quadrupedum, avium, insectorum, piscium, etiam solis, lunæ et stellarum, Exod. 20, 4, 5. Deut. 4, 16, 18; 5, 8, 9. Quæpiam ex formâ hominis et alicujus animalis compositæ erant, ut in Ægypto Anubis capite canino, Osiris capite avis, et apud Philistæos Dagon inferiùs in piscem desinens. Hæ statuæ credebantur, si non dii, saltem sedes, in quas numina, per consecrationem tanquàm incantamentum, cogerentur; hinc illis motus quoque humani tribuebantur, Curtius IV, 11. Diodor. Sic. XVII, 46. Plinius Hist. nat. XXXVIII, 4. — Hæc idola 3° contra injurias aeris tecto, columnis sustentato, et demùm etiam parietibus muniebantur; unde parva templa exsurgebant, quæ temporis progressu, plerumque quadrato oblongo magnificè quidem, sed sine fenestris ædificabantur, atque columnæ illæ, quibus olim tectum innitebatur, ad ornatum retinebantur, ex quibus circa ædiculam porticus orta est. Erant quidem parva, in duo conclavia (sacrarium, et adytum) divisa, sed amplo atrio subdivali circumdata, in quo altare erat, et populus conveniebat, Stieglitz Archæol. der Baucunst II, Th, 1, 14 Kupfertaf. Templa suos habebant thesauros, antiquiori ævo quæpiam in regionibus orientalibus turri quoque munita erant, Jud. 9, 4, 46. Nihilominùs altaria quoque sine templo exstruebantur, quibus nomen numinis cui sacrata erant, inscriptum fuit; Athenis quæpiam inscripta erant αγνωστοις θεοις, *ignotis diis,* Pausanias in Atticis I, 1, et in Eliacis V, 14. Diogenes Laert. I, 10, 3. Hanc inscriptionem Paulus Act. 17, 23, in numerum singularem vertit, αγνωστῳ Θεῳ, prout jam jam Hieronymus Epist. ad Magn. episc. et comment. ad Tit. III, observavit. — Quùm numen primitùs sub dio coleretur, ideòque ad hunc cultum umbræ arborum et loca nemorosa seligerentur; etiam posthàc 4° luci circa templa plantabantur, inprimis si numina impudicitiam, fornicationes et pæderastiam fovere credebantur. Horatius L. I, Ode 12. Quare Deut. 12, 2; 16, 21, interdicitur, arbores ad sanctuarium plantare; et Deut. 7, 5; 12, 3, præcipitur, ut Hebræi lucos Chananæorum exscindant et comburant. — His templis deserviebant 4° sacerdotes, fœminæ non minùs quàm mares qui, apud Græcos capite sertis redimito, victimas pariter sertis redimitas, super altari non minùs sertis redimito sacrificabant, et laicis, quæ observanda essent, indicabant, passim quoque oracula fundebant. Potters Archæol. I, Th. S. 503. Act. 14, 13.

§ 389. *Sacrificia, preces, festa, lustrationes, mysteria.* — Cultus horum numinum nequaquàm eò tendebat, ut animus ad morum integritatem et vitæ innocentiam excitaretur, sed ut bona externa, aut etiam oracula obtinerentur, aut pro his perceptis gratiæ agerentur. Soli Mehestani, quorum idololatria subtilior erat, multis precibus, puritatem cogitationum, verborum et operum exorabant, sed quæ esset hæc puritas, non exponebant, plura quoque, sicut alii gentiles insana immiscebant, et precum formulis superstitiosam efficaciam tribuebant. — Sacrificiis piacularibus atrocissima crimina, sine morum emendatione, expiari credebantur, imò et nefanda crimina in cultum deorum vertebantur, nec mirum; nam ipsi quoque dii, flagitiosi esse existimabantur. Cultûs hujus præcipuæ partes erant: Victimæ, molæ salsæ, libamina, mel et thus. Offerentem oportebat esse mundum (i. e., à concubitu abstinuisse), et lotum, lotisque vestibus indutum. Victimæ, pro diversitate numinum diversæ, ab omni vitio et defectu immunes erant, et ex intestinis, præsertim ex hepate omina petebantur. Ast non modò animalia, sed ab omnibus ferè gentibus homines quoque diis immolabantur. Eusebius Præp. Evang. L. IV, c. 16, p. 155, 161. Plinius Hist. Nat. XXVIII, 3. Diodor. Sic. V, 31. A Chananeis præsertim proles nobilissimæ sacrificabantur, Levit. 18, 21, 20, 1, 9, 14. Libamina vini non modò victimis inter cornua, Ovidius Metamorph. VII, 59, 3, sed etiam aliàs sine victimis in terram effundebantur. —2° Preces, inter quas idolorum manus et genua osculari vel amplecti solebant. In precum formulis magna religio, ne quid omitteretur, vel minùs rectè proferretur, aut aliquod numinis cognomen, vel quæpiam honoris compellatio prætermitteretur; nam id omne preces, quibus vis cogens tribuebatur, inefficaces reddebat, Plinius Hist. Nat. XXVIII, 3. Valerius Maximus, VIII, 1, 5. Quare preces syllabatim pronuntiabantur, et verba ac syllabæ sæpiùs repetebantur, quam superstitionem Jesus Matth. 6, 7, carpit. Orantes non raró corpus suum dilacerabant, aut circa altare conclamantes saltabant, 1 Reg. 18, 26, 29. Strabo, p. 801. Lucianus de Salt., Athenæus Symbos. L. II, 1. — 3°

Festa sacrificiis, conviviis, ludis et solemni pompâ, mythologiam dei alicujus repræsentante celebrabantur. Ad mysteria nonnisi initiatis accessus patebat; constat autem, nequaquàm saniorem in eis traditam religionem, sed ut Cicero de Nat. D. L. I, 42, scribit, magis rerum naturam explicatam fuisse quàm deorum, et, ut Tuscul. quæst. L. I, 12, 13, dicit, in ipsis valuisse doctrinam, deos omnes olim fuisse homines. 4° Lustrationes per aquam, sanguinem, ignem, sulphur, et apud Mehestanos quoque per urinam boum, quibus omnis impuritas tolli, et omnia scelera expiari credebantur. Zend-Avesta, II, Th. S. 340, 342, 343, 378. III, Th. S. 209, 220. 5° Fornicationes, pæderastiæ, et in Ægypto quoque bestialitates, Herodot. I, 93, 182, 199. Valerius Maximus, III, 6, 15. Athenæus Sympos. XIII, Strabo, p. 272. Corinthi in templo Veneris erant ultra 1000 meretrices, Strabo p. 378 conf. 1 Cor. 5. 9, 11; 6, 9; 13, 18. 2 Cor. 12, 21.

§ 390. *Divinationes.* — Divinationum et præstigiarum quàm plurima erant genera, et impostores magno honore habebantur. 1° In Ægypto, ægyptiacè : *Chertom, patratores miraculorum,* ἱερογραμματεῖς, scripturæ hieroglyphicæ periti, in Historiâ Josephi, Gen. 41, 8, sunt spectabiles somniorum interpretes, et in historiâ Mosis, Exod. 7, 1, 18; 3, 15, præstigia patrant. Qui Dan. 1, 20; 2, 2, 10; 4, 4, 6; 5, 11, memorantur *chertom,* somnia quidem interpretantur, vix tamen ejusdem cum Ægyptiacis ordinis fuerunt. 2° Necromantæ frequentes erant; lex Mosaica verò eis supplicium lapidationis decrevit; nam animabus defunctis scientiam futurorum, quæ nonnisi Deo competit, tribuentes, à Deo deficiebant, Lev. 20, 26. Nomina illa propriè animas defunctorum significant, et per metonymiam ad hos præstigiatores transferuntur. Hi impostores mentiebantur, animas incantationibus à morte excitari; hinc Deut. 18, 11, incantatoribus junguntur; nomine defunctorum autem ipsimet loquebantur, tenui et submissâ voce syllabatim mussitantes et quasi pipientes, Isa. 8, 19; 29, 4. Ab his diversi vix erant ventriloqui, Isa. 19, 3. 3° Ex nubibus vaticinantes, *harioli;* ex serpentibus omina capientes, et propriè astrologi, recentiori ævo, nomine Chaldæorum Romanis notissimi, sed nomina hæc multò latiùs usurpantur, et inde à Mose per omnes libros recurrunt. Alii incantationibus serpentes reddere innocuos prætendebant, et si serpens nihilominùs momordit, dicebant, eum aurem obturâsse, Ps. 58, 7. Jer. 8, 17. Eccl. 10, 11. Plinius Hist. Nat. XVIII, 4. XXVIII, 6. Hi, nomine Psyllorum notissimi, adhucdùm in orientalibus regionibus reperiuntur. 4° Omina et prodigia ab omnibus gentibus, inprimis verò à Romanis, observabantur; quare ab historicis sedulò notantur. Erant autem non solùm phœnomena rariora, ut monstra, cometæ, eclipses solis et lunæ, meteora, pluviæ sanguinis vel lapidum, loquelæ boum; sed etiam quotidiana, ut volatus avium, sternutatio hominis, torvi oculi, tinnitus aurium, verba alio sensu prolata et alio excepta, occursus certorum hominum et animalium, uti Æthiopis, felis, leporis; hæc omnia tamen innoxia esse credebantur, si non conspicerentur, Valerius Max. I, 4, 7. Suetonius in Augusto § 92. Plin. XXVIII, 5, 7. Arrianus Exped. Alexandri VII, 24. Jer. 10, 2. Populis orientalibus familiaris quoque erat sors per sagittas diversorum colorum, ad quas plures voces arabicæ referuntur. Os. 4, 12. Ezech. 21, 21, 22. Hieronymus in Commentario ad h. loc. Somnia quoque ubique locorum ominibus deputabantur, Deut. 13, 2, 3. Jer. 23, 31. Macrobius de Somnio Scipionis I, 3. Valerius Maxim. I, 7. 5° Oracula sacerdotum ante omnia negotia alicujus momenti, inprimis verò ante expeditiones bellicas, non sine allatis muneribus consulebantur. Crœsus ante bellum cum Cyro, omnia ferè oracula interrogavit, atque ambigua responsa retulit, Herodotus I, 46, 55, 90, 91. Isa. 41, 21, 24, 44, 7. Oraculum Baal-Zebub erat in urbe Accaron. — Consulens erat mundus, sacrificium offerebat, et in multis templis præsertim Æsculapii, Isidis, Osiridis et Hori, etiam pelli victimæ per noctem incubabat, ut somnium, vel, per machinationes sacerdotum, effatum dei obtineret de medicamentis, quibus morbus ejus sanaretur, Virgil. Æneid. VII, 59. Plautus in curcul. Act. I. Sc. 1, 2, 61. Sanationes hæ, tabulis inscriptæ, in templis custodiebantur. Diodorus Sic. I, 25. Isa. 65, 4. Amos 2, 8.

§ 391. *Status idololatriæ ætate Christi.* — Ætate Christi immania quidem pleraque, et inania saltem quæpiam è cultu deorum eliminata erant, neque tamen prorsùs abolita; nam Romæ adhuc sub Nerone vel Vespasiano, Græcus, Græca, et quipiam ex hostibus homines, tanquàm καθάρματα, ad amoliendam iram deorum vivi sepulti sunt, Plinius XXVIII, 3; imò seculo adhuc secundo in hâc orbis metropoli nonnunquàm homines immolabantur, Euseb. Præp. evang. IV, c. 16. Oracula quidem deficiebant; ast non prorsùs cessabant, in templis

saltem Æsculapii, Isidis, Osiridis et Hori, adhucdùm antiquæ technæ struebantur, Strabo, pag. 801. Omina et prodigia quidem non tanti fiebant, sed solerter observabantur, et à Livio, Suetonio, Tacito et Dione Cassio passim annotantur. Mores magis magisque corrumpebantur, dii numero augebantur, et apotheoses sceleratorum imperatorum frequentiores erant, quùm schola Epicuri de his non curaret, Stoa hæc omnia ex pantheismo explicaret, et Academia nihil adfirmaret. Philosophi quidem multa de Deo subtiliùs disputabant; ast creatorem omnipotentem et omniscium judicem hominum, non adorârunt; ipsi deos colebant, et alios quoque ad eos colendos remittebant; deorum quidem flagitia improbabant, et allegoricè interpretabantur; ast gubernationem mundi et hominum illis relinquebant, tartarum explodebant, nec quidquam efficacius substituerunt, ut jam Polybius Hist. VI, 56, observavit. Quod quipiam de vitâ futurâ docebant, comprobare non poterant, Cicero Tusc. qu. L. I, 11. p. 289, tom. IV, neque asserebant diversam proborum et improborum futuram esse in alterâ vitâ sortem. Quæ bona aliqui docebant, alii impugnabant, atque populus his disceptationibus dijudicandis par non erat, sed sacerdotibus obsequebatur; quæ ex philosophiâ ad populum dimanabant, ferè erant deteriora, uti animam hominis mori cum corpore, et nullam esse providentiam divinam, Plinius Hist. L. II, 9, et L. VII, 56. Quæpiam quidem disciplinæ moralis capita philosophi emendârant; ast probitatem nonnisi honori seu honestati, utilitati, aut pulchritudini actionum, superstruebant, et plura nefanda permittebant, uti fornicationem, pæderastiam, expositionem prolium, odium inimicorum; et ipsi quoque Stoici tuebantur autochiriam et urgebant apathiam. — Quòd si autem unanimes perfectam morum disciplinam docuissent, deerant tamen momenta, quæ ad eam moribus exprimendam permovissent, unde Cicero Tusc. qu. L. II, 4, p. 332, tom. IV, queritur, vix ullum esse philosophorum, qui disciplinam suam non ostentationem scientiæ, sed legem vitæ putet.

§ 392. *Effigies deorum.* — Duplicis generis occurrunt in Bibliis simulacra, alia Jehovæ, et alia deorum, quæ præsertim in historiâ regni Israel 2 Reg. 10, 29; 13, 2, 11; 14, 24, sedulò distinguuntur; utraque tamen erant Hebræis interdicta, quia etiam simulacris Jehovæ, vis quæpiam et efficacia inesse credebatur, Exod. 32, 4. Deut. 13, 2, 3, 4, 12, 20. — Simulacra Jehovæ erant 1° vitulus, Exod. 32, 4, 5, et vituli duo, à Jeroboamo in urbibus Bethel et Dan positi, uti in Ægypto duo celebriores tauri vivi colebantur: Apis Memphi, et Mnevis Heliopoli; ast Jeroboam nonnisi effigies statuit. Hi vituli dicuntur quidem aurei, ast non alio sensu, quàm quo mensa et altare dicitur aureum, i. e., auro obductum. 2° Gedeonis ephod; nam idolorum eversor Gedeon, profectò idolum non posuit, Jud. 6, 25, 33; 8, 24, 27. Neque vestis fuit sacerdotalis hujus nominis, quæ ex auro confici non potuit; sed simulacrum in hujusmodi veste sculptum, et auro obductum, uti vox אפדה, etiam Isa. 30, 22, de obductione auri usurpatur. 3° Simulacrum Michæ in monte Ephraim, argento obductum, quod disertis verbis Jehovæ tribuitur, Jud. 17, 3, 13; 18, 3, 6, 13, 31.—Idola propriè sic dicta, diversis nominibus occurrunt, quæ interdùm permutantur. Communia omnibus nomina sunt סמל et תמונה, *effigies, simulacrum;* ast פסל, פסיל, propriè est sculptile; מצבה quodlibet monumentum, præsertim superstitiosum; מסכה, obductio auri vel argenti, et dein ipsum idolum laminis aureis vel argenteis obductum; עצב, עצב, idolum excisum; impropriè dicuntur גלולים, à גלל volvit, quia erant trunci, qui volvi poterant, cum allusione ad גלל, *excrementa quorumdam brutorum rotunda* et *volubilia*, uti à contemptu quoque desumpta sunt nomina שקץ, שקצים, שקוץ, *abominatio, abominationes;* אלילים nuncupantur à debilitate et impotentiâ, ut è contrario Jehova dicitur potens, יעקב אביר, Gen. 49, 24. Isa. 1, 24; 49, 26; 60, 16. Ps. 132, 2, 5.

§ 393. *Exercitus cœli.* — Exercitus cœli, qui adorabatur, sunt astra, jam ætate Mosis, non solùm ipsa, sed etiam simulacra eorum longè latèque culta, Exod. 20, 4. Deut. 17, 13; unde more Orientalium, efficaciam et permissionem non perpetuò accuratè distinguentium, astra dicuntur à Deo gentibus, in cultum distributa esse, Deut. 4, 19. Mehestani non modò astra colebant, sed cuilibet etiam astro innumeros spiritus, custodes contra Ahrimanium et ejusdem dæmones, attribuebant et adorabant. Cultum hunc adeò pervulgatum, licet Exod. 20, 4. Deut. 4, 19; 17, 3, interdictum, Hebræi sæpè, inprimis autem ultimis 170 annis ante excidium Jerosolymæ per Chaldæos, adoptârunt, astris aras ædificabant, atque in tectis domuum incensum adolebant 1 Reg. 22, 19. 2 Paral. 18, 18; 33, 3. 2 Reg. 17, 16; 21, 3; 23, 4, 5. Jer. 8, 2; 19, 13. Zeph. 1, 5.

§ 394. *Sol deus Baal.* — Deum solem Moses perpetuò lunæ et astris junctum, memorat; atque effigies quoque his omnibus positas refert, Exod. 20, 4. Deut 4, 19; 17, 3. Nabatæi Arabes solem in tectis domuum, libationibus et suffitu colebant; Strabo p. 784 conf. Jer. 19, 13. Zeph. 1, 5. In Ægypto soli jam ætate Josephi erant spectabiles sacerdotes, et urbs quoque ei sacra, Heliopolis, אֹן et און, Gen. 41, 45, 50; 46, 20, quæ ætate Jeremiæ c. 43, 13, obeliscis, soli sacris, superbiebat, quorum adhuc unus in basi consistit; reliqui confracti jacent. Niebuhr Reiseb. I, 98, 99. Strabo p. 805. — Hæc superstitiosa monumenta videntur etiam sub nomine חמנים latere, quæ, etsi Lev. 26, 30, interdicta fuerunt, recentiori tamen ævo ab Hebræis adoptata sunt, Isa. 17, 8, 27, 9. Ezech. 6, 4, 6, 2. Paral. 14, 4. Quùm 2 Paral. 34, 4, 7, in altaribus Baalis erecta fuerint, profectò soli sacra erant; nam Baal sæpè est sol, inprimis ubi lunæ vel Astarti junctus legitur, ut Jud. 2, 13, 10, 6. 1 Sam. 7, 4; 12, 10; atque 2 Reg. 23, 5, occurrit Baal sol. Ita quoque Baal Gad, Jos. 11, 17; 12, 7; 13, 5, dubio procul est urbs solis, Heliopolis in Syriâ, ubi adhucdùm sub nomine Balbek, rudera templi magnificentissimi visuntur. Beel Samen, numen Phœnicium, in fragmentis Sanchoniatonis laudatum, est dominus cœli seu sol. Macrobius in Saturnal. I, 23, narrat, deum solem, Heliopoli Syriæ et Ægypti, effigie juvenis imberbis repræsentatum fuisse, qui, ut auriga solis, manu dexterâ elevatâ flagrum; sinistrâ autem fulmen et spicas tenebat, effigiem verò totam auro obductam fuisse. Scriptura hieroglyphica, quæ in illis obeliscis et aliis monumentis Ægyptiacis cernitur, à Mose אבנ משכית et משכיות dicitur, atque ut objectum cultûs superstitiosi damnatur, Lev. 26, 1. Num. 33, 52. conf. Ezech. 8, 7, 13. Mehestanis sol erat oculus Ormuzdæ, et, post Amschaspandos, numen maximum, atque etiam corpus alicujus Amschaspandi, Zend-Avesta II, Th. S. 231. Sacros habebat quatuor albos equos Nisæos, qui albo currui sertis redimito, ad temonem auro obductum, jungebantur, Xenophon Cyropæd. VIII, 3, 6. Zend-Avesta II. Th. S. 264. Hujus generis currum antecessores regis Josiæ, Amon et Manasses (699—642 annis ante Chr., adeòque ante Zoroastrem), Jerosolymæ ante januam templi statuerunt, quem Josias combussit, 2 Reg. 23, 11. — Mehestani, quibus tanta erat solis religio, in precibus faciem versùs eum convertebant, et etiam mane orientem manu Barsom seu fasciculum ramorum ex granatis, tamariscis et palmis tenentes, laudibus salutabant, conf. Ezech. 8, 16, 17.

§ 395. *Alii Baali.*—Baal, dominus, maritus, sermone vulgari interdùm quoque Jehova, Os. 2, 16, plerumque autem ficta numina dicebantur, non solus sol, ut modò vidimus, sed plures etiam alii dii; quare vox numero quoque plurali occurrit, Jud. 2, 11; 3, 7; 8, 33; 10, 6, 10. 1 Sam. 7, 4; 12, 10, et a. l. conf. 1 Cor. 8, 5. Hinc plures urbes à Baal aliquo deo cognominatæ sunt, ut Baal Pharaim, non procul Jerosolymis; Baal Thamar in tribu Benjamin; Baal Hazor in tribu Ephraim; Baal Hermon trans Jordanem. Quænam fuerint omnia illa numina, à quibus hæc cognomina ducta sunt, jam dici nequit; ast Baal Zephon, Exod. 14, 2, in limitibus Ægypti, dubio procul à Typhone cognomen traxit, uti et in Tanis eadem occurrit litterarum permutatio; videtur esse Heroopolis, ubi Typhon fulmine percussus fuisse fertur. Quantùm in tenebris antiquitatis perspicere licet, Baali alii fuerunt; Baal Pheor, deus Moabitarum, cui alter sexus hymenem prostituebat, et viri tempora vittis redimiebant, Num. 25, 1, 9; erat ex genere priaporum, Quantæ abominationes cum priapis, qui à plerisque gentibus colebantur, ab altero præsertim sexu patratæ fuerint, legatur in Augustini de Civit., Dei L. VI, c. 9. L. VII, c. 21 conf. Bayeri Additamenta ad Seldeni Syntagm. V. de diis Syris p. 235. An Moabitarum idolum Camosch, Num. 21, 29. Jer. 48, 7, 13, ab hoc abominando numine diversum fuerit, expediri jam nequit. 2° Baal Berith, dominus fœderis cui Sichemitæ templum ædificaverunt, Jud. 8, 33; 9, 4, numen tutelare fœderum, seu aliquis deus fidius, vel Jupiter pistius fuisse videtur. 3° Baal-Zebub, in urbe Ekron, oraculo insignis, 2 Reg. 1, 2, deus tutelaris à muscis erat, uti in Olympiâ et in Elide erat ζευς απομυιος, Teucris Apollo σμινθιος, tutelaris à muribus; incolis montis Œttæ Hercules κορνοπιων, tutelaris à locustis; et Erythræis Hercules ιπυκτονος, interfector vermium, Pausanias in Eliac. pr. c. 14. Strabo pag. 613. Quemadmodùm autem omnia hæc idola nequaquàm formam habebant animalium vel insectorum, à quibus suos defendere credebantur: ita quoque idolum Baal-Zebub minimè habebat muscæ formam; quâ autem formâ repræsentatum fuerit, ignoramus. Hic Baal-Zebub confundendus non est cum Beelzebub, domino habitaculi. 4° Baal Izabelis,

uxoris regis Achabi, filiæ Ethobaalis regis Sidoniorum, et Baal Athaliæ filiæ Izabelis, dubio procul erat Hercules Phœnicum, 1 Reg. 16, 31; 18, 19, 29; 21, 5, 15, 23, 25. 2 Reg. 10, 18, 27; 8, 18; 11, 27. 2 Paral. 15, 17. Hic Hercules (erant enim Hercules sex, Cicero de Nat. D. L. III, 16) inprimis quidem Tyri in templo antiquissimo, Tartessi tamen in Hispaniâ quoque colebatur; Carthaginenses illi quotannis decimas Tyrum mittebant, Arrianus de Exped. Alexandri II, 16, Herodotus II, 44, conf. 2 Mac. 4, 18, 20. Filius Jovis et Asteriæ fuisse fertur, et nequaquàm victimis humanis colebatur, Diodorus Sic. XX, 14, uti etiam in Bibliis nequaquàm nefandis his victimis, sed osculis colitur, 1 Reg. 19, 18, quod de Hercule quoque Tyrio asseverat Cicero in Verrem L. IV, 43; sed hic honos etiam aliis numinibus exhibebatur, Os. 13, 2 Job, 31, 26, 27. 5° Si Bel, ex בעל, detruncatum est, alium quemdam Herculem signare videtur, fortâsse illum, qui à Cicerone de Nat. D. L. III, 16, Indicus compellatur. Herodotus I, 181, 183, describit templum hujus numinis, quod Babylone erat, magnificentissimum, ædificatum formâ septem turrium, alterâ alteri impositâ.

§ 396. *Astarte, luna dea.* — Quemadmodùm sol erat Dominus cœli, ita luna dicebatur regina cœli, cui Hebreæ (Jerem. 7, 18. 44, 17, 19) placentas offerebant, libamina libabant, et suffitum accendebant. Hæc regina eadem est, quæ 1 Reg. 11, 5, 33. 2 Reg. 23, 13, 14, dea Sidoniorum, et עשתרת, atque Jud. 2, 13, 10, 6. 1 Sam. 7, 3, 4; 12, 10, עשתרות, dicitur, et Baali seu numini soli jungitur; hinc quoque βαλθις nuncupatur, Eusebius, Præp. Evang. I, 10. Hesychius, in βηλθης, Seldenus de diis Syris Syntagm. II, p. 245, 246. Quùm autem luci, Jud. 3, 7, et Jud. 2, 13, Baalis jungantur; apparet, lucos huic reginæ cœli sacros fuisse; unde 2 Reg. 21, 7; 23, 6, 7, ipsa פסל אשרה, et אשרה dicitur. Ubicumque igitur lucus vel Aschtharoth jungitur Baali, vel exercitui cœli, de lunâ deâ cogitandum est, Jud. 6, 23, 28. 1 Reg. 16, 13. 2 Reg. 13, 6, 18, 4. Hæc videtur quoque 1 Reg. 15, 13; 18, 19. 2 Paral. 15, 16, esse idolum מפלצת, timor, terror, Gen. 31, 42, pro objecto timoris seu numine venit. Hæc dea, ut deus Baal, jam ante Mosem in Chanaan pervulgata erat; hinc Hebræis excisio lucorum præcipitur, Exod. 34, 13. Deut. 7, 5; 13, 3.—Græci et Latini hanc deam dicebant Astarten, et jam Junoni, jam Dianæ, jam Veneri comparabant; sed Lucianus, vel quiscumque libellum de deâ Syrâ scripsit, eam pro lunâ habet, et templum ejus in Phœnice esse celeberrimum perhibet. Plures fortè erant Astartes, uti plures erant Baali. Templum Veneris, quod Herodotus I, 105, Ascalone invenit, erat dubio procul fanum Astartis, 1 Sam. 30, 10. Cultum hujus deæ fuisse impudicum, luci innuunt, et 2 Reg. 23, 6, 7, perspicuè indicatur, conf. Os. 4, 13, 14. Isa. 57, 7. Ezech. 6, 13. Sanchoniaton, vel, si mavis, Philo Biblius apud Eusebium Præp. Evang. I, 10, dicit quidem, Astarten fuisse Phœnicibus Venerem, sed effigiem ejus fuisse capite bovino cornuto, quod cornua lunæ innuit, unde et nomen proprium עשתרות קרנים, lucem capit, Gen. 14, 5. Deut. 1, 4. Syri quoque Venerem dicunt עסתרת, quod ex עשתרת detortum est, et Arabes ante Muhamedem, Venerem stellam (luciferum et hesperum) colebant, unde diem Veneris fecerunt feriam, etsi Muhamedes de eâ nihil præcepit; ast lunam quoque ab illis cultam fuisse, ex ipsâ eorum, in effigies lunæ propensione, quæ jam Jud. 8, 21, 26, observatur, meritò colligitur. Conf. Seldenus de diis Syris Syntagm. II, p. 291.

§ 397. *Thammuz, Adonis.* — Progressu temporis de numinibus solis et lunæ diversi procusi sunt mythi, quorum ille de Adonide hùc spectat. Nomen adonis, *dominus meus*, innuit, sublatere solem. Quæ de eo referuntur, etsi minimè consentientia, conveniunt tamen, eum à Venere, vel à lunâ adamatum, dein ab apro occisum, et ei demùm concessum fuisse, ut alternis vicibus ab inferis abesset seu reviviceret. Ægyptii fabulabantur, Osiridem à Typhone cistæ inclusum et in Nilum projectum, ab Iside quidem ad Byblum in Syriâ inventum, sed demùm à Typhone occisum, dissectum, et membra hinc inde dispersa fuisse, quæ demùm Isis rursùs conquisiverit. Hi de Osiride et de Adonide mythi, etsi dissimiles, nihilominùs demùm connexi fuerunt. Nam in Syriâ mulieres luctu festum de morte Adonidis, et mulieres in Ægypto de morte Osiridis agebant, et in utrâque regione sequebatur festum lætissimum, in Syriâ quidem de Adonide redivivo, in Ægypto verò de Osiridis membris inventis, et de hâc inventione epistolam, receptaculo papyraceo inclusam, in mare projiciebant, quæ Biblum delata fuisse fertur, ubi de Adonidis in vitam reditu explicabatur. In Syriâ festum hoc agebatur mense thammuz (julio), quo torrens Adonis, ex terrâ rubrum contrahebat colorem, qui dicebatur esse sanguis Adonidis, atque eo tempore luctus fœminarum inchoabat; cessante

autem hoc colore, reditus Adonidis in vitam, annuntiabatur, et luctus vertebatur in lætitiam. Mulieres, mortem Adonidis lugentes, tondebant caput suum; quæ verò id negligebant, corpus suum extraneo prostituere tenebantur. Hoc est illud festum תמוז de quo Ezechiel c. 8, 14, agit; nam Adonis syriacè dicitur thomuz.

§ 398. *Moloc, Molec, Malcom, Milcom.* — Planetæ colebantur sub nomine מזלות, nam 2 Reg. 23, 5, soli, lunæ, atque equis curruique solis Mehestanorum, junguntur, ut dubio procul sint septem hæc sidera, quæ in Zend-Avesta III, Th. Bun-Dehesch, § 5, S. 66, pro vigiliis constituta esse dicuntur. Præ reliquis autem colebatur Saturnus, qui, ut mythologia fert, proprias proles devoravit, quod ipsum innuunt victimæ prolium, à Chananæis, Phœnicibus et Carthaginensibus numini Moloc, Molec, Malcom, Milcom, oblatæ, Euseb. Præp. Evang. L. IV, c. 16. Numen hoc immane repræsentabat statua ænea, manibus extensis et versùs terram flexis, ut proles ipsis imposita, in voraginem igni ardente plenam decideret, Diodorus Sicul. XX, 14. — Hinc prolium victimæ, jam à lege Mosaicâ probibentur, quæ demùm nihilominùs ab ipsis quoque regibus, Achazo et Manasse, oblatæ sunt. — Qui dictiones העביר, traduxit, et העביר באש, traduxit per ignem, quæ de his sacrificiis occurrunt, Deut. 12, 31; 18, 10. 2 Reg. 16, 3; 21, 6. 2 Paral. 28, 3; 33, 6, de solo transitu per ignem exponunt, non advertunt, has phrases alibi cum שרפ combussit, et זבח, immolavit, permutari, Jer. 7, 31; 19, 5. Esd. 16, 20, 21; 23, 37, 39. Ps. 106, 38. Sap. 12, 5, 6. Hoc idolum ultimis regni Judæ temporibus positum erat in valle australi Jerosolymæ, גי הנום, in loco Thopheth, quod nomen tractum esse videtur ab Adduffis, quæ, ne gemitus prolium audiretur, insonabant, Jer. 7, 31, 32; 19, 6, 14. Isa. 30, 33. 2 Reg. 23, 10. Hinc Judæi recentiores nomen *gehinnom, gehenna,* ad pœnas æternas alterius post mortem vitæ transtulerunt, quâ notione latissimè in scriptis Orientalium usque in Indiam, dominatur. Conf. Menochii de Republ. Hebr. L. 4, c. 2, quæst. 10.

§ 399. *Chijjun, Remphan.* — Numen Chijjun, cujus parva tabernacula (fortè ut ædiculas Dianæ Act. 19, 24) Hebræi in itinere per Arabiam, clam secum portabant, Amos 5, 26, non est alius quàm Saturnus, כיון chaldaicum sonat *justum*, quia Saturni regnum à justitiâ celebratur. Interpres Alexandrinus nomen reddidit Ρεμφαν, Ρεφαν, Ραιφαν, quod in linguâ copticâ est nomen Saturni, Della Valle Reiseb. P. I, p. 125. Amos hunc deum, et stellam et regem dicit, uti Saturnus planeta est, et rex, qui aliàs Molec, Moloc, Milcom, Malcom; dicitur. Ut videtur, duplex Saturnus distinguebatur, scilicet rex, qui demùm defunctus, in astra translatus est. Fortassè duplex Saturnus latet etiam 2 Reg. 17, 31, ענמלכ et אדרמלכ; nam uterque victimis prolium colebatur. Ægyptii septimam hebdomadis diem, Saturno consecrârunt. Aliquo tempore eidem etiam Caaba Meccana consecrata fuisse dicitur. Pococke Spec. Hist. Arab. p. 140.

§ 400. *Theraphim.* — Theraphim fuisse simulacra formâ humanâ sculpta, ex 1 Sam. 19, 13, liquet; fuisse penates, apparet ex Gen. 31, 19; 34, 35. 1 Sam. 19, 13, 17. 2 Reg. 23, 34; oracula ab iis petita fuisse, testatur Ezechiel c. 21, 26, Zacharias, c. 10, 2, auctor libri Judicum c. 17, 5; 18, 5, 6, 14, 20, et Oseas 3, 4, idque ex 1 Sam. 15, 23, confirmatur, ubi Theraphim divinationi junguntur. Etymologia his concinit; nam תרפ à Bar Bahlul exponitur percontans, inquirens, ex quo nomen hujus idoli, quod primùm ex Mesopotamiâ allatum fuit, Gen. 31, 19, aptè explicatur.


§ 401. *Dagon.* — Dagon (à דג piscis), simulacrum sculptum formâ muliebri, infernè in piscem desinens, sicut in nummis antiquis cernitur. Ita etiam sistitur 1 Sam. 5, 4, 5, conf. Zeph. 1, 9. Numen erat Philistæorum, Jud. 16, 23, 26. 1 Sam. 5, 1, 5. 1 Mach. 10, 83, et templa ei erant Gazæ, Azoti, Ascalone, uti ex Diodoro Sic. II, 4, Herodoto I, 105, et ex antiquis nummis liquet, et fortassè etiam in aliis urbibus Philistæorum, qui olim ex Ægypto, ubi pisces quipiam divinis honoribus colebantur, emigrârant. — Hoc numen confundendum non est cum Aschtharoth, cujus templo Philistæi 1 Sam. 31, 10, arma regis Saülis consecrârunt; nam si hoc templum 1 Paral. 10, 10, dicitur fanum dei eorum, intelligendum est numen Aschtharoth, quia nomine deæ lingua Hebraica caret; uti etiam Dagon non deus, sed dea erat, quam Herodotus I, 105, Ascalone cultam fuisse, dicit, et Veneri cœlesti comparat. Hoc idolum dicitur etiam Derketo, Athara et Atargatis, Strabo p. 748, 785. Lucian. de Deâ Syrâ. Nomen Derketo, syriacum esse, ipsa terminatio *to* prodit, et Diodorus Sic. I, 4, disertè dicit, deam Ascalonitarum à Syris dici Derketo; nam colebatur etiam Mabugi seu Hierapoli in Syriâ, ubi simulacrum erat integra figura muliebris, et templum habebat amplissimum, in

quo erat χασμα, seu fissura terræ, in quam cultores numinis, certis diebus aquam infundebant, unde dea à Syris dicta fuit תרעתא, *apertura*, quod demùm in Derketo detortum est, Jacob Surugin Assemani Biblioth. Orient. tom. I, p. 327, 328, et tom. II, in indice Geograph. Mythologia fert, Derketo per technas Veneris, amore juvenis captam fuisse, et peperisse Semiramidem, quæ exposita, et à pastoribus inventa et educata, demùm regina Assyriæ fuerit, ipsam verò Derketo in piscem transformatam fuisse. Plerique autem Derketo, deam Hieropolitanam (ut in opere de Deâ Syrâ, refertur), Junoni comparabant, dicentes, templum Hieropolitanum à Deucalione, qui in navi diluvium evasit, ædificatum fuisse, quia illa in ejus templo terræ rimâ, omnes hujus inundationis aquas absorpserit. Id etiam innuunt nummi urbis Ascalon, qui effigiem Derketo, et ex alterâ parte navem cum 4, 7, 8 vel 9 hominibus exhibent, ut adeò exorbitans hic mythus à diluvio et tricheco manato depromptus fuisse videatur, conf. Donat in Scheuchzers Physicâ sacrâ II. Thl. S. 281. f. Anmerk. 747, et Menochii de Republ. Hebr. L. 4, c. 2, quæst. 12.

§ 402. *Numina alia.* — Alia numina, in Bibliis obvia, vel aliunde sunt nota ut Apollo, Diana, Dioscuri seu Castor et Pollux; vel prorsùs ignota, ut 1° Schedim, Deut. 32, 17. Ps. 106, 37, numina, quæ, ad avertendas calamitates, immolatione prolium colebantur, adeòque homini inimica aut irata putabantur. Nomen vel dominos, vel potiùs nigros significat. Mehestani malorum spirituum aliquem Sched dicebant, qui verò ab Ormuzd in lucem conversus, et planetæ Veneri alligatus fuerit. Zend-Avesta III, Th. Bun-Dehesch S. 66. Anmerk f. Verùm dici quoque potest, punctatores textûs hebraici juxta hunc Sched Mehestanorum, שדים, pro שדים vel שדים, punctâsse, vel Mehestanos recentiores in recentiori libro Bun-Dehesch, nomen à Judæis mutuatos esse. 2° Nebo, Isa. 46, 1, numen Babylone, à propriè sic dictis Chaldæis cultum, quod etiam in primâ syllabâ vocis proprie chaldaicæ נבוכדנאצר recurrit; fortassè ex verbo Slavonico Nebo, cœlum, explicandum, cùm ultima syllaba צר etiam in dialecto Russorum Tschar superstes sit. 3° Numinibus, Gad, et Meni, Hebræi Isa. 65, 11, mensam cum cibo et potu parabant, et S. Hieronymus in h. l. scribit, id suo adhuc ævo in omnibus urbibus, maximè in Ægypto, viguisse, ut ultimo die anni et mensis, ponerent mensam refertam variis epulis, et poculum musto mixtum, vel præteriti anni vel futuri fertilitatem auspicantes; cui verò numini hæc parata fuerint, non exponit. Fortassè גד est fortuna, quam vox in dialecto syriacâ significat; et מני fatum, à מנה *numeravit, præfinivit*, vel idolum, olim à tribubus Hudeil et Choraa, inter Meccam et Medinam, cultum, Golius in Lexic. Arab. col. 2270. 4° Idolum Syrorum Rimmom, 2 Reg. 5, 18, fortè tutelare granatorum; numen Assyriorum Nisroc, 2 Reg. 19, 37. Isa. 37, 38, et numina colonorum à rege Assyriæ in Samariam missorum, 2 Reg. 17, 30, 31, Nergal, Aschima Nibchaz, et Tharthak, prorsùs ignota sunt. 5° Ναναια *Nanæa*, aliàs etiam Anais, Anaithis, Aneitis, et Tanais dicta, in Elymaide, in templo ditissimo (2 Mach. 1, 13, 14, conf. 1 Mach. 6, 1, 2) Mehestanis prostitutione virginitatis colebatur.

INDEX.


OTTAWIENSIS




U D' / OF OTTAWA
COLL ROW MODULE SHELF BOX POS C
333 10 04 02 03 07 1